Theologia Dogmatica
Vol. 5. et 6um
Auctore
Alberto Knoll

INSTITUTIONES

THEOLOGIAE THEORETICAE

SEU

DOGMATICO-POLEMICAE

CONCINNATAE

A REVERENDISSIMO

P. ALBERTO A BULSANO

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM EX-DEFINITORE GENERALI
PROVINCIAE TIROLENSIS DEFINITORE AC LECTORE ETC. EMERITO

PARS QUARTA

DE DEO HOMINUM SANCTIFICATORE PER SACRAMENTA
DE SACRAMENTIS IN SPECIE

VOLUMEN V.

† P. GINON

Editio Sexta.

AUGUSTAE TAURINORUM
Eq. PETRUS MARIETTI
TYPOGR. PONTIF. ET ARCHIEP.
MDCCCLXXVIII

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

208,9
K756
V.5-6

Editor sibi vindicat jus proprietatis.

THEOLOGIAE

DOGMATICO-POLEMICAE SPECIALIS

PARS IV.

DE DEO HOMINUM SANCTIFICATORE PER SACRAMENTA

SECTIO II.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE

TRACTATUS II.

§ 524. Postquam disseruimus de sacramentis in genere, doctrinae ordo postulat, ut de iisdem singulis agamus. Quamvis autem omnia sacramenta in eo conveniant, ut sint res subiectae sensibus, a Christo institutae ad gratiam significandam et producendam; sub vario tamen respectu inter se distingui possunt et debent, quod ex hactenus dictis et ex mox dicendis aperte colligitur.

1. *Si finis proximus* sacramentorum attendatur, alia sacramenta *mortuorum*, alia *vivorum* dicuntur. Priora instituta sunt ad vitam spiritualem nobis primitus conferendam, seu ad spiritualiter mortuos ad vitam resuscitandos, uti sunt *baptismus*, quo regeneramur; et *poenitentia*, qua Deo reconciliamur: posteriora vero ordinata sunt ad vitam spiritualem in nobis conservandam et augendam, qualia sunt reliqua quinque sacramenta (§ 508).

2. Si ad *frequentationem* sacramentorum respectus habeatur, dantur sacramenta, quae *characterem imprimunt, ac ideo iterari non possunt*, ut *baptismus*, *confirmatio*, et *ordo;* et dantur alia sacramenta, quae *characterem non imprimunt, et ideo iterari aut saepius percipi possunt*, ut *eucharistia*, *poenitentia*, *extrema unctio* et *matrimonium*, quamvis duo posteriora id peculiare habent, ut prius in eodem morbo, et posterius ante mortem unius coniugis iterari nequeat (§ 510).

3. Si ad *subiectum* respiciatur, alia sacramenta sunt *pro omnibus hominibus*, alia *pro certis hominum statibus* ordinata sunt. Ad haec pertinent *ordo* et *matrimonium*, ad illa reliqua sacramenta.

4. Si ratio habeatur *dignitatis*, omnibus sacramentis sanctitate et dignitate antecellit augustissimum *Eucharistiae* sacramentum: nam dum reliqua sacramenta solummodo gratiam divinam nobis communicant, in eucharistiae sacramento ipse Christus, auctor gratiae, substantialiter continetur. Verum etiam caetera sacramenta, cum dignitas status sit diversa, ad cuius officia rite exequenda

conferuntur, ita inter se paria dici minime possunt, ut nulla ratione aliud alio sit dignius. Rectissime idcirco *Concilium Tridentinum* Lutherum dicentem, omnia sacramenta paria esse, condemnavit et doctrinam huic sententiae oppositam de fide declaravit his verbis: *Si quis dixerit, haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit* (1).

5. Quod attinet *necessitatem*, *Concilium Tridentinum* ibid. (2) declaravit, dari sacramenta ad salutem necessaria, quamvis non omnia singulis necessaria sint; inquit enim: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.* Quod si sacramentorum necessitas relate ad singulos fideles consideretur, potissimum tenet locum *baptismus*, cum sit omnibus de necessitate medii ad salutem: huic succedit *poenitentia*, quatenus est de necessitate medii post lapsum: deinde utpote necessaria tantum ex praecepto, *confirmatio*, *eucharistia* et *extrema unctio* sequuntur: alia denique sacramenta veniunt non singulis necessaria, nimirum *ordo* et *matrimonium*.

6. Sacramenta respective *ad fines proprios* convenienter sic ordinantur: *Baptismus*, *confirmatio*, *eucharistia*, *poenitentia*, *extrema unctio*, *ordo*, *matrimonium*. Nam iuxta rationem theologicam a S. *Thoma* allatam (3), sacramenta, quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter praecedunt ea, quae ordinantur ad perfectionem multitudinis; unum enim est prius, quam multitudo: atqui quinque priora ordinantur ad perfectionem unius, duo ultima ad perfectionem multitudinis: ergo convenienter ultimo ponuntur *ordo* et *matrimonium*; *matrimonium* tamen post *ordinem*, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitae, ad quam ordinantur sacramenta. Inter ea vero, quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter sunt priora illa, quae per se ordinantur ad perfectionem vitae spiritualis, quam illa, quae ordinantur per accidens, scilicet ad removendum accidens nocivum superveniens, cuiusmodi sunt *poenitentia* et *extrema unctio*: posterior tamen est naturaliter *extrema unctio*, quae consummat sanationem, quam *poenitentia*, quae inchoat. Inter alia vero tria manifestum est quod *baptismus*, qui est spiritualis regeneratio, est prior, et deinde *confirmatio* quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis, et postmodum *eucharistia*, quae ordinatur ad consecutionem finis, et est cibus perfectorum et quasi virorum, quales constituit confirmatio. Hoc igitur ordine, qui etiam in decretis *Conciliorum Florentini* et *Tridentini* observatur, singula sacramenta pertractabimus.

(1) Sess. 7 de sacr. in gen., can. 3. (2) Can. 4. (3) 3 p., q. 65, art. 2.

CAPUT I.

DE BAPTISMO

§ 525. Ut doctrina de primo novae legis sacramento clare et solide tradatur, praemittenda quaedam sunt *de ipso baptismi vocabulo*, et de *variis baptismatibus*, quae iam ante Christum in usu erant; ac deinde genuinam baptismi, de quo tractatio suscipitur, *definitionem* sistere, varias eiusdem *denominationes* explicare, et *ordinem dicendorum* describere oportet.

1. Baptismi nomen est graecum, a

verbo βαπτίζω, vel potius βάπτω, quod significat *mergo, tingo,* unde baptismus proprie denotat *immersionem* vel *intinctionem*, atque hoc sensu saepius occurrit tam apud sacros, quam apud profanos scriptores. Cum vero id quod lavatur, aquis soleat immergi, eadem vox etiam sumitur pro *lotione* seu *ablutione*. Sic de Naaman dicitur: *Descendit et lavit in Iordane septies*(1). De Iudith legitur: *Baptizabat se in fonte aquae* (2), id est, lavabat se lotione communi et vulgari: Pharisaeus de Christo quaerit, *quare non baptizatus esset ante prandium* (3). Nec aliter accipiendum est verbum *baptizare*, ubi in Ss. Litteris fit mentio ablutionum legalium ac *baptismatis*, id est, lotionis *calicum, urceorum, aeramentorum, lectorum* (4). — Sensu vero metaphorico et figurato nomen baptismi usurpatur in Scripturis ad significandam *afflictionem*, quae hominem instar aquae vehementis mergit et absorbet; quo sensu Christus ait: *Baptismo autem habeo baptizari* (5), hoc est, pati debeo et affligi: et: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari* (6)? id est, supplicia et mortem sustinere? hinc martyrium *baptismus sanguinis* vocari solet. Propter dolorem annexum, *poenitentiae* quoque nomen baptismi adaptatur: unde Ioannes dicitur: *Praedicans baptismum poenitentiae*(7). Ss. Patres saepius poenitentiam *baptismum laboriosum*, seu *baptismum lacrymarum* appellant, et perfecta contritio, quae iustificat, *baptismus flaminis* appellari consuevit. — Usurpatur praeterea sensu figurato baptismus ad designandam copiosam et abundantem divinae gratiae diffusionem: sic de Apostolis dicitur: *Baptizabimini Spiritu sancto* (8); et Ioannes de Christo inquit: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni* (9). Usurpatur denique sensu figurato baptismus ad significandum tum *diluvium universale* quo submersus est universus orbis, et vocatur a *Tertulliano*(10) *baptismus mundi*, qui iuxta S. Petrum(11) fuit imago et figura sacramenti baptismatis; tum *maris rubri transitum*, quando nempe Israëlitae sicco pede divisis aquis incedentes Aegyptios insequentes evitarunt; et dictus est *baptismus Moysis*, quia duce Moyse, Israëlitae ex Aegypto egressi sunt, de quo dicitur: *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari* (12). — Quamvis autem vocabulum baptismi in multiplici sensu occurrat, usu tamen ecclesiastico adhibetur ad illum antiquissimum et universalem ritum denotandum, quo infantes ad ianuas Ecclesiae allati, vel adulti accedentes religionis causa sub certa verborum formula aqua abluuntur. Et haec baptismi significatio tam communis usuque recepta est, ut vox baptismi, nude posita, praefatum Christianorum ritum denotare censeatur, de quo in isto capite sermo instituitur.

2. Lustrationum ac baptismatum usus antiquissimus est et omnium populorum religionibus receptus, ut ostendit *Dan. Huetius* (13). At merito Gentilibus exprobrarunt antiqui Patres, quod hos quoque ritus, sicut et caeteros, qui ad Deorum cultum pertinebant, spurcitiis et vanis superstitionibus depravarent. Quandoquidem infelices illi et miseranda caecitate obruti homines periuria et universa vitia, quin inordinatos cordis sensus emendarent, eiusmodi lotionibus pur-

(1) 4 Reg. 5, 14. (2) Iudith. c. 12, 7.
(3) Luc. 11, 38.
(4) Marc. 7, 4; Hebr. 9, 10.
(5) Luc. 12, 50. (6) Marc. 10, 38.
(7) Marc. 1, 4. (8) Act. 1, 5.
(9) Matth. 3, 11. (10) L. de bapt.
(11) 1 Ep. 3, 21. (12) I Cor. 10, 2.
(13) Quaest. Alnet. l. 2, cap. 20, n. 2.

gari existimabant, et cum flagitiis omnibus inquinati ad precandum veniebant, tamen, ait *Lactantius*: « se pie sacrificasse opinabantur, si cutem laverint, tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluerent, aut ulla maria purificent (1). » — Habuit etiam populus Iudaeorum lotiones plurimas et purificationes a Deo ipso institutas, quarum hic erat praecipuus finis, ut interioris puritatis, qua sola Deo placere possumus, continue admonerentur; hanc enim illae significabant. Inde certe est, quod in V. T. libris lavationis vocabulum tam saepe pro peccatorum remissione usurpetur. Ita David ait: *Amplius lava me ab iniquitate mea* (2): et Isa. I, 16 dicitur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* — Contigit autem et in hac gente, ut homines verae pietatis obliti et in exterioribus tantum haerentes, religionem in superstitionem verterent, ac eo maiorem munditiem se consequi crederent, quo crebrioribus uterentur baptismis. In Evangelio Marc. cap. VII, v. 4-8, notantur superstitiosae ablutiones manuum a maioribus traditae, item poculorum, urceorum, lectorum etc. Imo recentiores Iudaei, quando Proselytos consecrant, praeter circumcisionem etiam baptismum, seu totius corporis in aqua immersionem adhibent, cui multa attribuunt, quae videntur a Christianorum baptismo mutuata (3). — Denique etiam Ioannes, Praecursor Domini, praedicavit et administravit baptismum, et quidem divino instinctu. Nam Lucas (4) testatur, tunc Ioannem venisse praedicando baptismum in regionem Iordanis, cum super illum *factum est verbum Domini*; quibus verbis, ait *Theophylactus*, innuitur: « illum non temere, neque citra vocationem ad testificandum de Christo prosiliisse, sed divino motum spiritu. » Ipse Ioannes inquit: *Qui misit me baptizare in aqua* (5); satis commonstrans, se divino mandato baptizandi munus obiisse. Communis etiam erat Iudaeorum persuasio, baptismum Ioannis caelestis originis fuisse; cum enim Christus principes sacerdotum interrogaret: *Baptismus Ioannis unde erat? e coelo, an ex hominibus* (6)? versuti isti homines inter se dixerunt: *Si dixerimus, e coelo, dicet nobis: quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem sicut Prophetam.* Quamvis autem baptismus Ioannis, ut dicunt *S. Basilius* (7) et *S. Cyrillus Alex.* (8), praestantior fuerit purificationibus legalibus; nullatenus tamen rationem sacramenti habuit; quia ad gratiam quidem per poenitentiam disponebat, sed non ipsam gratiam conferebat. Longe ergo praestantius et efficacius baptisma Christus instituit, quod verum sacramentum est, hoc in capite pertractandum.

3. Baptismus, ut est primum novae legis sacramentum in *catechismo romano* (9) apposite definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo:* quod si explicatius loqui velimus, baptismus definiri potest: Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem hominis regenerationem, quae fit per externam aquae ablutionem cum expressa Trinitatis invocatione. Dicitur ergo baptismus *sacramentum*, et iure quidem; est enim signum rei sacrae. Sub hac autem generica ratione consideratus nihil dif-

(1) Lib. 5 instit. div. cap. 19.
(2) Ps. 50, 3.
(3) Cf. D. Huet. l. cit.
(4) C. 3, v. 2.
(5) Luc. 1, 33.
(6) Matth. 21, 25.
(7) Lib. de bapt.
(8) L. 1 in Ioan. cap. 1.
(9) P. 2, cap. 2, n. 5.

fert a sacramentis mosaicis, quia et ipsa rem sacram, videlicet gratiam per Christum Redemptorem hominibus conferendam significabant. Cum vero dicitur sacramentum *a Christo institutum*, discrimen indicatur inter baptismum et vetera sacramenta, quae, quamvis Deum habuerint auctorem, non tamen a Christo Filio Dei incarnato instituta fuere. Hactenus autem definitio exprimit genus, cum tribuat baptismo, quod omnibus novi foederis sacramentis est commune. Institutum porro asseritur hoc sacramentum *ad spiritualem hominis regenerationem:* quae verba differentiam exhibent, qua constare debet accurata quaevis definitio. Baptismus etenim a cunctis discrepat sacramentis novae legis, quatenus hic solus ad delendum peccatum originale, quod est mors animae, ordinatur, ac vim habet conferendae spiritualis regenerationis, per quam ex filiis irae filii misericordiae et gratiae renascimur, membraque Christi et Ecclesiae efficimur: unde patet, baptismum a *Concilio Florentino ianuam vitae spiritualis* merito nuncupari. Adiicitur in definitione: *Per externam aquae ablutionem*, ut duplex *materia* denotetur baptismi, *remota* videlicet, quae consistit in aqua, et *proxima*, quae est actualis ablutio. Voces tandem: *Cum expressa Trinitatis invocatione:* designant eiusdem sacramenti formam, quam explicite Christus ipse constituit, Apostolis dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (1).

4. Varia nomina sacramenti baptismatis partim a materia, partim a forma, partim ab effectibus, partim denique a caeremoniis eiusdem desumuntur. A materia baptismus appellatur *lavacrum aquae* (2); *Sacramentum aquae* a *Tertulliano* (3); *unda genitalis, fluvius aquae vitalis* a *S. Cypriano* (4) et a *S. Gregorio Naz.* (5). — A forma nominatur *Sacramentum Trinitatis, sacramentum fidei, sigillum* vel *signatio fidei;* tum quia per baptismum homo inter fideles adscribitur, tum quia solemnem fidei professionem vel per se si adultus sit, vel per susceptores, si infans, emittit; tum quia expressa in eo fit Trinitatis invocatio, quae est praecipuum fidei christianae mysterium. — Ab effectibus in ipsa S. Scriptura vocatur: *Lavacrum regenerationis, et renovationis* (6); *Ablutio peccatorum* (7); *Vitae novitas* (8); *Sanctificatio* (9); *Sepultura hominis cum Christo in mortem* (10); *Circumcisio non manufacta* (11); *Illuminatio, seu sacramentum illuminationis* (12). Eadem haec nomina passim afferunt et confirmant Ss. Patres. Graeci praesertim saepe baptismum nuncupant sacramentum illuminationis, quia nimirum in hoc sacramento habitus supernaturalis fidei infunditur, qua homo coelestium veritatum luce illustratur. Caeterum baptismi nomina, ex effectibus potissimum petita, recenset *S. Cyrillus Hier.* in Procatech. (13), baptismum appellans, « captivis pretium, peccatorum remissionem, mortem peccati, animae regenerationem, luminosum indumentum, signaculum sanctum, indissolubile vinculum ad coelum, paradisi delicias, Regni obtinendi causam, adoptionis donum. » — Et *S. Gregorius Naz.* (14) ita eleganter disserit: « Multiplex huius beneficii (baptismi) utilitas multas quoque appel-

(1) Matth. 28, 19. (2) Ephes. 5, 26.
(3) Lib. de bapt. cap. 1. (4) Epist. 2.
(5) Orat. 40. (6) Tit. 3, 5.
(7) Act. 22, 16.
(8) Rom. 6, 4. (9) 1 Cor. 6, 11.
(10) Rom. 6, 4. (11) Colos. 2, 4.
(12) Hebr. 6, 4. (13) N. 16.
(14) Orat. 40 in S. baptism. n. 4.

lationes nobis peperit... *Donum* dicitur, quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur; *gratia*, quia etiam debentibus; *baptismus*, quia peccatum in aqua sepelitur; *unctio*, quia sacer et regius, - *illuminatio*, quia splendor et claritas; *indumentum*, quia ignominiae nostrae velamen est; *lavacrum*, quia abluit; *sigillum*, quia conservatio est ac dominationis obsignatio. » Demum a caeremoniis, quae in baptismo adhibentur, hic appellatur *unctio, amictus splendidus, candidum vestimentum* etc.

5. Ut de primo novae legis sacramento doctrina catholica recte tradatur, agendum est de baptismi 1° *institutione*, 2° *materia et forma*, 3° *ministro*, 4° *effectibus*, 5° *necessitate*, 6° *subiecto, et* 7° *caeremoniis*.

Nota. Baptismum definiunt etiam Novatores, non tamen ut explicent, sed potius ut omnino pervertant eiusdem sacramenti naturam. *Melanchthon* (1) baptismum esse dicit « signum, quo Deus nobiscum agit, et recipit nos in gratiam: » sed definitio haec convenit omni sacramento, imo et verbo praedicato, ac supponit nudum signum, quod gratiam non producit, sed tantum externum quoddam testimonium est gratiae per solam fidem obtentae. — *Calvinus* (2) inquit: « Baptismus est signum initiationis, quo in Ecclesiae cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur: » verum haec definitio finem tantum, seu effectum secundarium exprimit, quo Ecclesiae societati aggregamur, praecipuum vero effectum, nempe regenerationem hominis interiorem et a peccatis mundationem reticet; quod mirum non est, quia iuxta Calvinum baptismus nullius efficaciae, sed nudum signum est iustitiae a Deo per fidem receptae, quod ipsemet aperte docet ibid. (3). — *Zuinglius* in sua confessione fidei (4) haec habet: « Baptismus non aliter Ecclesiae Christi signum est, quam exercitus aliquis signatur; non quod signum hoc coniungat Ecclesiae, sed qui iam coniunctus est, publicam tesseram accipit. » Iuxta *Socinianos* baptismus est publicum symbolum christianae professionis, quo initiantur fideles (5). — *Remonstrantes* cum *Episcopio* (6) prope accedunt Socinianorum definitioni, non aliud agnoscentes in baptismo, quam tesseram ac notam, qua religionem christianam profitemur. — Quisque autem videt, per has tres posteriores sententias baptismum ad classem signorum mere externorum, in se sterilium et inefficacium detrudi, et notionem sacramenti penitus everti.

(1) In loc. commun.
(2) Lib. 4 Instit. cap. 15, § 1.
(3) § 2 et § 22.
(4) Anno 1530 art. 7.

ARTICULUS I.

De divina baptismi institutione.

§ 526. Institutionem baptismi a Christo factam negant *Sociniani*, ac contendunt, eundem ceu liberam caeremoniam ab Apostolis assumptam et usurpatam haberi debere. *Faustus Socinus* (7) scribit, « baptismum rem indifferentem esse, ut unicuique liberum relinquendum sit, an aquae baptismum recipere, num vero ab eo abstinere velit. » Et *Io. Volkelius* (8) docet: « Apostolos Ioannis imitandi studio incitatos baptizasse, Christo pro sua sapientia consentiente in re indifferente, et illi hominum generi adeo peculiari, ut tam subito abrogari sine gravi offensione vix ac ne vix quidem posset. » Eandem fere sententiam propugnant *Rationalistae*,

(5) V. Volkelium l. 6 de vera relig. c. 14.
(6) Tom. 1, resp. ad q. 64.
(7) Dispat. de bapt. aquae.
(8) Lib. 3 de vera relig. cap. 9

qui eo minus admittere volunt, baptismum a Christo institutum fuisse, quo certius ex historia constat, iam ante Christum baptismata in usu fuisse. — Constans autem doctrina catholica est, baptismum, qui in Ecclesia celebratur, vere a Christo institutum esse, quamvis circa huius institutionis tempus theologi non consentiant. Igitur contra errores Socinianorum, et Rationalistarum probanda est *veritas institutionis baptismi a Christo factae*, et ne controversia theologica penitus praetermittatur, quaedam *de eiusdem institutionis tempore* dicenda sunt.

I. *De veritate institutionis baptismi factae per Christum.*

§ 527. Ut ritus externus verum sit novae legis sacramentum, necesse est, ut a Christo institutus sit (§ 490). Facillimum autem est, id de ritu sacro ostendere, qui baptismus dicitur. Quamvis enim varia baptismata, lustrationes, seu ablutiones iam ante Christum in usu fuerint, Christus tamen ablutionem sub certa verborum formula, antea non usitata, ordinavit, cum eadem ablutione vim iustificandi et gratiam producendi coniunxit, atque eundem baptismum recipiendi omnibus hominibus praeceptum dedit. Rectissime ergo Christus baptismum, qui in Ecclesia celebratur, instituisse dicitur: cuius institutionis veritas ex *S. Scriptura*, et ex *Traditione* probatur.

1. Iam in *S. Scriptura* V. T. praenuntiatum fuit, baptismum a Messia instituendum fore Ezech. XXXVI, 25 Messias exhibetur dicens: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Zach. XIII, 1 legitur: *In illa die*, id est, temporibus Messiae, *erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris.* Communis idcirco inter Iudaeos persuasio viguit, baptismum altioris ordinis a Messia instituendum fore, et hac de causa Ioannem, qui praedicavit baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum (1), verum Messiam esse putaverunt; quod cum ille negaret, stupentes dixerunt: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Prophęta* (2)? — Ioannes autem ipse contestatus est, Christum nobiliorem et efficaciorem baptismum instituturum esse; ait enim: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est: — ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (3): quasi diceret: Ego vos solummodo ad poenitentiam agendam aqua omni virtute destituta inauguro; ille autem, qui post me venturus est, communicata vobiscum gratia superna, vos. sanctificabit, et ignem charitatis in cordibus vestris accendet. Et revera Christus post receptum a Ioanne baptismum (4), vitam publicam aggressus, mox baptismum conferre incepit. Nam Io. III, 22 legitur: *Post haec venit Iesus et discipuli eius in terram Iudaeam, et illic demorabatur cum eis et baptizabat.* Et Io. IV, 1 etc. dicitur: *Ut cognovit Iesus, quia audierunt Pharisaei, quod Iesus plures discipulos facit et baptizat, quam Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius), reliquit Iudaeam;* ex quibus verbis patet, discipulos ex mandato Christi baptizasse, secus enim cum ipsi baptizarent, nullatenus dici potuisset, Christum baptizasse. Praecepit autem Christus discipulis, ut baptismum conferrent, quia ipsemet illum instituit, et tantae necessitatis

(1) Luc. 3, 3. (2) Io. 1, 25. (3) Matth. 3, 11. (4) Ibid. 3, 13 etc.

esse voluit, ut homines sine illo ad regnum Dei pervenire non possint. Nam ad Nicodemum Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (1). Baptismus ergo, quia a Christo necessarius declaratur ad vitam aeternam consequendam, non ecclesiasticae, sed divinae est institutionis. Idem patet ex mandato Apostolis dato: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti* (2): quae verba clare ostendunt, Christum baptisma instituisse, illudque ex praecepto ipsius conferendum esse. Apostoli igitur, non ut Iudaeos, aut Ioannem imitarentur, sed ut praeceptum Christi adimplerent, omnes, qui fidem receperunt, baptizabant, ut legitur Act. Ap. pluribus in locis (3).

2. *Traditio*, seu perpetua fides Ecclesiae de baptismo a Christo instituto, clare patet ex symbolo Nicaeno-CPtano, in quo profitemur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Ecclesia autem in symbolis non proponit nisi dogmata fidei divinitus revelata; baptismus ergo, qui semper, ubique et ab omnibus credendus est, non ecclesiasticae, sed divinae est institutionis. Hoc idem Patres docuerunt. *Tertullianus* (4) ait: « Retro quidem salus fuit per fidem nudam ante Domini passionem: at ubi fides aucta est credendi, — addita est ampliatio sacramenti, obsignatio baptismi vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda. Lex enim tingendi imposita est, et forma praescripta: *Ite*, inquit, *docete omnes nationes, tingentes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* » *S. Gregorius Naz.* (5) inquit: « Baptizabat etiam Ioannes, non iam ille quidem iudaico more; non enim in aqua solum, sed etiam in poenitentiam, nondum tamen prorsus spiritualiter; nec enim addit, in Spiritu. Baptizat quoque Iesus, sed in Spiritu: quandoquidem perfectum, numerisque omnibus absolutum baptismum reddit. » *S. Ambrosius* (6) scribit: « Impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua. Denique Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit. Sed quod impossibile erat, fecit Deus esse possibile, qui tantam nobis donavit gratiam. » *S. Chrysostomus* (7) de Ioanne disserens ait: « Postquam baptismi sui simplicitatem posuit, et ostendit illum nihil plus habere, quam quod ad poenitentiam ipsos adduceret; neque enim dixit: in aqua remissionis, sed, poenitentiae; Christi baptismum ponit, ineffabili dono refertum. » Et cum dixisset a Christo iudaicum baptisma abrogatum, et novum institutum esse (8), addit: « Gratiam Spiritus hoc solum baptisma habet; Ioannis vero baptisma hoc dono vacuum fuit. » *S. Augustinus* in Enchir. (9) inquit: « Non renascebantur, qui baptismate Ioannis baptizabantur, a quo et ipse Christus baptizatus est, sed quodam praecursorio illius ministerio, qui dicebat: *Parate viam Domino*, huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur. Huius enim baptismus est non in aqua solum, sicut fuit Ioannis, verum etiam in Spiritu sancto, ut de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit. » Et in Epist. ad Seleucianam (10) haec habet: « Tunc ergo (11), quando a Ierosolymis exiit

(1) Io. 3, 5. (2) Matth. 28, 19.
(3) Act. 2, 41; 8, 12, 36, 38; 9, 18; 10, 47 etc 16, 15, 33; 18, 8 et alibi.
(4) Lib. de bapt. cap. 13.
(5) Orat. 39, n. 17.
(6) Lib. 2 de poenit. cap. 2.
(7) Hom. 11 in Matth. n. 4.
(8) Hom. 12 in Matth. n. 3. (9) Cap. 49.
(10) Ep. 265 (al. 108) n. 5.
(11) Io. 4, 1.

in Iudaeam terram, et illic morabatur cum eis, baptizabat non per seipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos, sive baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos caeteros baptizaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis ministerium, quando eis lavit pedes; et petenti Petro, ut non tantum pedes, verum etiam manus et caput ei lavaret, respondit: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (1): ubi intelligitur, quod iam Petrus baptizatus fuerat. » — A Christo baptismum institutum esse, patet etiam ex locis Patrum, asserentium, baptisma ex latere Christi percusso profluxisse (2) uti etiam ex testimoniis eorum (3) qui dicunt, Christum ideo in Iordane baptizatum esse, ut aquas purificaret, eisque vim sanctificandi tribueret.

Nota. Vana sunt, quae adversarii obiiciunt, eorumque cavillationes facile dissipantur.

Obi. I. Quaecumque pro baptismo a Christo instituto ex sacris codicibus afferuntur testimonia, possunt et debent intelligi de spirituali Christi doctrina, quam saepius aquae comparari, patet ex verbis Christi Io. IV, 13 etc.: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* quo in loco per aquam Christi doctrinam intelligi, omnes fatentur. Ergo etiam Io. III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* etc., per aquam intelligenda est doctrina Christi, quae homines ad poenitentiam excitat: quod ex eo confirmatur, quia sicut metaphorice intelligenda sunt verba, *renasci, ignis,* quae ad baptismum Christi referuntur; ita etiam metaphorice intelligendum est aquae vocabulum. Ideo etiam Christi praeceptum Matth. XXVIII, 19 ita est accipiendum: *Euntes docete omnes gentes,* et quidem cum magna solertia, *baptizantes* seu doctrina quasi obruentes *eos;* per baptizare enim hic abundantia doctrinae intelligitur, sicut Act. I, 5 copia gratiarum.

Resp. Iuxta regulas hermeneuticas a sensu litterali recedere non licet, nisi ex hoc absurdum sequatur, aut sensus metaphoricus, vel mysticus alibi in Scriptura, aut Traditione indigitetur. Recte ideo Io. IV, 13 per aquam doctrina Christi intelligitur, tum quia Christus aquam a se dandam aquae naturali opponit, tum quia ex omnibus cirumstantiis patet, Christum se voluisse mulieri Samaritanae manifestare ut Redemptorem, qui ad homines erudiendos venerat; tum quia absurdum esset dicere, Christum aquam dedisse, quae sitim naturalem *in aeternum* extingueret, cum aperte solum de siti spirituali, atque ideo etiam de aqua spirituali, nempe de aqua et gratia Redemptoris sermo sit. — Ast in verbis Christi Io. III, 5 nullum penitus absurdum sequitur, si vox *aquae* in sensu litterali sumitur, quia Deus per res subiectas sensibus gratiam suam conferre potest, et S. Scriptura nullibi indigitat, aquam metaphorice esse sumendam, sed contrarium plurima S. Scripturae et Traditionis testimonia contestantur, quae in eo conveniunt, ut ostendant, homines aqua naturali abluendos esse, ut a peccatis purgati ad regnum Dei pervenire queant. Nec quisquam ex eo pertur-

(1) Io. 13, 10. (2) V. § 518, Obi. 2. (3) § seq. citandis.

bari debet, quod in dicto Christi metaphoricae locutiones, *renasci*, *ignis* etc. occurrant; nam in baptismo vera regeneratio, licet spiritualis, contingit; quae autem a Ioanne de *igne* promittuntur, ad adventum Spiritus sancti pertinent, qui in forma ignis apparuit. Quod si propter tales metaphoricas locutiones omnia, quae ad baptismum Christi pertinent, metaphorice exponenda essent, in Scripturis sacris nil firmum manebit et fixum. Quaeri enim posset, num etiam Iordanes in cuius aquis Christus baptizatus est, metaphorice intelligendus sit, et aqua illa, qua Philippus baptizavit Eunuchum? — Recte ideo etiam dicimus, in verbis Christi Matth. XXVIII, 19 duo praecepta distincta contineri, praeceptum docendi, et praeceptum baptizandi. Nam *baptizare* significat corpus immergere, seu abluere; ab hac autem significatione vocis non licet recedere, quia nullum ex ea absurdum sequitur, et quia adversarii ne unum quidem locum parallelum citare possunt, in quo baptizare sumitur pro docere. Imo baptismus a doctrina in S. Scriptura apertissime secernitur. Nam Act. I, 14-40 praedicatio Petri exhibetur et v. 41 subiungitur: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt;* et I Cor. I, 16 Paulus ait: *Non enim me misit Christus baptizare, sed evangelizare;* imo tum Apostoli, tum eorum successores duplex Christi praeceptum, nempe docendi, et baptizandi quovis tempore agnoverunt, et utrumque cum maxima solertia observarunt: praxis autem Apostolorum et discipulorum optima est huius mandati interpres.

Obi. II. Si baptismus a Christo institutus et praeceptus fuisset, mandatum baptizandi etiam Paulus accepisset. Id autem negat Paulus (1) dicens: *Non me misit Christus baptizare, sed evangelizare.* Ergo negandum pariter est, baptismum a Christo institutum et praeceptum esse.

Resp. Verba Pauli accipienda sunt sensu comparato, non absoluto; significant enim, eum, qui ut Doctor Gentium electus fuerat, a Christo non tam ad munus baptizandi, quod etiam ab aliis exerceri poterat, quam potius ad munus docendi destinatum fuisse. Caeterum Paulus non omnimode negat, se etiam ad baptizandum missum esse; nam ibid. l. c. (2) ipsemet fatetur, se *Crispum*, *Caium* et *domum Stephanae* baptizasse.

Obi. III. Christus non potest dici auctor baptismi, quia eundem iam administravit Ioannes, cuius baptismus in aqua collatus in remissionem peccatorum eiusdem efficaciae fuit, ut baptismus Christi. Ideo *Tertullianus* (3) ait: « Nulla distinctio est, — neque quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, et quos Petrus in Tyberi tinxit. » *S. Basilius* (4) inquit: « etiam maximum peccatorem, a Ioanne baptizatum, confestim peccatorum remissionem accepisse. » Et *S. Cyrillus Hier.* (5) dicit: « Ioannis baptismus remissionem peccatorum praestabat. » Ergo iuxta Patres eiusdem efficaciae est baptismus Ioannis et baptismus Christi.

Resp. Baptismus Christi nullatenus idem est cum baptismo Ioannis. Materia quidem utriusque baptismi eadem est, forma autem diversa. Baptismus enim Ioannis non conferebatur in explicita trium divinarum personarum invocatione, quod manifeste colligitur ex Act. XIX, 2 etc. ubi illi, qui baptismum Ioannis acceperant,

(1) 1 Cor. 1, 16. (2) V. 14 etc.
(3) L. de bapt. cap. 4.
(4) Hom. de bapt.
(5) Catech. 3.

interroganti Paulo, an Spiritum sanctum accepissent, responderunt: *Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus.* Et mox subiungitur: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu;* in quae verba *S. Chrysostomus* (1) dicit: « Vides, quod imperfectus fuerit Ioannis baptismus? — Si enim imperfectus non fuisset, non eos rursus Paulus baptizasset. » Et *S. Augustinus* (2) ait: « Qui baptizati sunt a Ioanne, non eis suffecit; baptizati sunt enim baptismo Christi, quia non baptismus Christi erat baptismus Ioannis. Qui accipiunt baptismum Christi, baptismum Ioannis non quaerunt; qui acceperunt baptismum Ioannis, baptismum Christi quaesierunt. » Ratio autem est, quia baptismus Ioannis baptismo Christi quoad vim et efficaciam longe fuit inferior, prout clare innuunt verba Ioannis dicentis: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam, ipse,* Christus nempe, *vos baptizabit in Spiritu sancto* (3); ex quo plane consequitur, Christi baptismum baptismate Ioannis longe quoad vim et efficaciam praestantiorem esse; nam alias Praecursor Domini sine omni ratione adsereret, quod ipse tantum in aqua baptizet, Christus vero in Spiritu sancto. Constans idcirco Ecclesiae doctrina fuit, baptismum Ioannis non propria virtute homines iustificasse, sed solum spiritum poenitentiae excitasse, per quam *ex opere operantis* remissionem peccatorum accipere poterant: baptismum vero Christi propria virtute, seu *ex opere operato* homines iustificare, inferius probabitur. Neque hac in re dissensit *Tertullianus*, qui loc. cit. non comparat baptismum Ioannis et Christi ratione efficaciae seu effectus, sed tantum ratione materiae, quae eadem fuit in utroque baptismo; ait enim: « Nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur: neque quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, et quos Petrus in Tyberi tinxit. » Caeterum ipse *Tertullianus* lib. de bapt. (4) ita de baptismo Ioannis loquitur: « Nihil enim coeleste praestabat, se coelestibus praeministrabat, poenitentiae scilicet praepositus. Agebatur itaque baptismus poenitentiae quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae. » *S. Basilius* et *S. Cyrillus* hoc unum affirmant, quod baptismus Ioannis peccata remiserit non ex se, seu ex opere operato, sed ex opere operantis, et virtute adiunctae poenitentiae, et excitatae fidei in Messiam, quam praedicabat Ioannes. Nam idem *Basilius* (5) ait: « Baptisma illud (Ioannis) vim habebat introducendi; hoc (Christi) perficiendi. Illud erat secessus a peccato: hoc coniunctio est cum Deo. » Et *S. Cyrillus Hier.* (6) inquit, tantum differre baptismum Ioannis a baptismo Christi, quantum ipse Ioannes Christo fuit inferior. Caeterorum Patrum hac in re consensum exhibet *Coccius* (7). Ideo *Concilium Tridentinum* (8) definit: *Si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi; anathema sit.* Putant tamen theologi eum, qui baptismo Christi maiorem vim adscribit, quam baptismo Ioannis, sed tamen contendit, etiam Ioannis baptismate ex opere operato peccata fuisse remissa, communissime quidem Patrum doctrinae repugnare, sed tamen haereticum

(1) Hom. de bapt. Christi n. 3.
(2) Tract. 5 in Ioan. n. 5. (3) Matth. 3, 11.
(4) Cap. 10 (5) In Exhort. ad bapt.
(6) In eadem Catech.
(7) In thesauro tom. 2, lib. 5 art. 5.
(8) Sess. 7, can. 1.

non esse, quia haec sententia ab Ecclesia aperte damnata non est (1).

II. *De tempore institutionis baptismi factae a Christo.*

§ 528. Quamvis omnes Catholici consentiant, baptismum immediate a Christo institutum esse; circa tempus tamen huius institutionis non conveniunt. Inter varias autem opiniones probabilior est sententia, quam cum *S. Thoma* (2) defendunt *Bellarminus*(3), *Tournely*(4), *Gotti*(5) et plurimi alii theologi, qui dicunt, baptismi sacramentum institutum esse quando Christus baptizatus est in Iordane. *Haec sententia gravibus argumentis fulciri*, ast *reliquae opiniones facile convelli possunt.*

1. Sacramentum tunc censetur institui, quando res subiecta sensibus accipit virtutem producendi gratiam, seu quando Deus efficit, ut per rem sensibilem gratia significetur et producatur. Atqui iuxta Ss. Patrum doctrinam baptismus, seu ablutio per aquam facta accepit virtutem producendi gratiam, quando Christus est baptizatus. Nam *S. Gregorius Naz.*(6) ait, Iesum baptisma Ioannis recepisse; «forsan quidem, ut ipsum quoque, a quo baptizatur, sanctitate afficiat; procul dubio autem, ut totum veterem Adamum in aquis sepeliat; ante hos vero, et propter hos Iordanem sanctificans; ut quemadmodum Spiritus et caro erat, sic etiam per Spiritum et aquam initiaret.» *S. Ambrosius* (7) scribit: «Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutae per carnem Christi quae peccatum non cognovit, baptismatis ius haberent.» *S. Hieronymus* (8) inquit: «D. N. I. Christus non tam mundatus est in lavacro, quam lavacro suo universas aquas mundavit.» *S. Augustinus* (9) ita loquitur: «Ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit... Ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiem acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret.» *S. Maximus* (10) dicit: «Quod vero fluentis Iordanis baptizatur Iesus, non sibi, sed nobis baptizatur, non ut purificetur aquis, sed ut purificaret aquas; baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat sacramentum.» Christus ergo, cum baptizatus est, sacramentum baptismi instituit, quia tunc iuxta Ss. Patrum doctrinam aquam purificavit, eique virtutem sanctificandi tribuit.— Alii ita argumentantur: sacramentum tunc instituitur, cum eius materia consecratur, forma designatur et effectus insinuatur; atqui cum Christus in Iordane baptizaretur, materia, scilicet aqua contactu carnis Christi consecrata fuit, ut ex dictis patet; forma, scilicet explicita trium personarum divinarum invocatio fuit designata, quia (11), vox Patris intonuit, Filius visibilis adfuit, et Spiritus sanctus in specie columbae apparuit; ac effectus insinuatus est, dum coeli aperti sunt, verbaque audita: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* in quae verba *S. Chrysostomus*(12) inquit: «Aperti sunt coeli, ut discas cum tu baptizaris, idipsum fieri, Deo te ad coelestem patriam vocante... Et columba tunc visa est –

(1) Cf. Sardagna tom. 6, art. 2, Controv. 4; Gazzaniga de sacram. Diss. 3, cap. 3, de baptismo Ioannis.
(2) 3 p., q. 66, art. 2.
(3) L. 1 de bapt. cap. 5, prop. 2.
(4) De bapt. q. 3, art. 1, Concl. 1.
(5) De bapt. q. 3, dub. 1, § 3.
(6) Orat. 39, n. 15. (7) Lib. 2 in Luc. n. 83.
(8) Dial. adv. Lucif.
(9) Serm. 36 de temp.
(10) Hom. 7 de Epiph. (11) Matth. 4, 16 tc
(12) Hom. 12 in Matth. n. 2.

ut disceres, etiam super te baptizatum Spiritum descendere, teque dilectum Dei filium constituere. » Hoc idem argumentum in *Catechismo romano* exhibetur (1) dicente de baptismo: « Tunc a Domino hoc sacramentum institutum esse perspicitur, cum ipse a Ioanne baptizatus sanctificandi virtutem aquae tribuit. Testantur enim *S. Gregorius Naz.* et *S. Augustinus*, eo tempore aquae vim generandi, in spiritualem scilicet vitam, datam esse. — Atque ad eam rem illud maximo argumento esse potuit, quod tunc SS. Trinitas, in cuius nomine baptismus conficitur, numen suum praesens declaravit. Vox enim Patris audita est, Filii persona aderat, et Spiritus sanctus in columbae specie descendit; praeterea coeli aperti sunt, quo nobis iam per baptismum licet ascendere. »

2. Nonnulli cum *Tertulliano* (2), *S. Chrysostomo* (3), *Leone M.* (4), *Ruperto* et *Alexandro Alensi* opinati sunt, baptismum a Christo institutum fuisse post resurrectionem, cum (5) baptizandi praeceptum Apostolis dedit. Sed haec sententia non potest admitti, quia in Evangelio legitur, Iesum iam ab exordio suae praedicationis tum per se, tum per ministerium discipulorum plures baptizasse. Imo baptismus est necessarius ad aliorum sacramentorum receptionem. Apostoli vero in ultima coena eucharistiam et ordinem receperunt; ergo erant baptizati: unde *Nicephorus* (6) refert ex *Evodio* Antiocheno, viro apostolico, quod: « Christus manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit, Petrus vero Andream et filios Zebedaei; Ii deinceps reliquos Apostolos: septuaginta autem illos Petrus et Ioannes, theologus dictus, baptizarunt. » Apostolos baptizatos fuisse, etiam *S. Augustinus* (7) ad Elusium pluribus rationibus evincit. Si autem baptismus Christi iam ante eius resurrectionem collatus fuit, ergo iam erat institutus. Nec refert, quod gratia, quae in baptismo confertur, sit effectus passionis Christi: haec enim non est causa physica, sed causa moralis, seu meritoria iustificationis et gratiarum, quae in sacramentis conferuntur. Alia est autem ratio causarum physicarum, et alia moralium; in physicis etenim causa debet praecedere effectum, non vero in moralibus; alias nulla gratia in V. T. collata fuisset, et Apostoli in ultima coena recipiendo sacramenta eucharistiae, et ordinis non recepissent gratiam, quod est falsum. — Quamvis autem his rationibus ducti, plerique doceant, Christum ante passionem suam et mortem baptismum instituisse, quidam tamen cum *S. Bernardo* (8), et *Estio* (9) baptismum institutum esse dicunt, cum Christus (10) Nicodemo dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* et alii cum *Simoneto* arbitrantur, Christum instituisse baptismum, cum vix incoepta sua praedicatione, baptizavit, deditque discipulis baptizandi potestatem. Ast necessitatem rei declarare non est eam instituere, quia etiam rei iam institutae, vel mox instituendae necessitas manifestatur; et si sacramentum administratur; aut illud administrandi potestas traditur, recte iudicatur, illud iam antea institutum fuisse.

Nota. Quamvis Christus, cum ipse baptizatus est, sacramentum bapti-

(1) P. 2, cap. 2, n. 20.
(2) L. de bapt. c. 11 et 12.
(3) Hom. 28 in Ioan.
(4) Ep. 16 ad Siciliae Episcopos.
(5) Matth. 28, 19. (6) L. 2 Hist. c. 3.
(7) Ep. 44 (al. 16.)
(8) Ep. 77 ad Hugonem.
(9) In 4 dist. 3, § 11. (10) Io. 3, 5.

smi instituerit, et Io III, 5, eius necessitatem declaraverit; docent tamen theologi, baptismum non fuisse in praecepto ante passionem et resurrectionem Christi. Nam lex nova, ad quam pertinet baptismus, non debuit obligare, antequam lex vetus obligare desineret; non enim debebant simul obligare, sed nova debebat veteri succedere, tanquam lux umbrae, et veritas figurae. Atqui lex vetus ante mortem et resurrectionem Christi non desiit obligare; nam solum in morte Christi velum templi scissum est, sacrificia V. L. abrogata sunt et Christus exclamavit: *Consummatum est.* Ideo S. *Bernardus* (1) dicit, verba Christi Io. III, 5 non importasse legem pro tunc, quia « durum austerumque videtur, ut videlicet verbum absconditum palam iam noceat, et ante Iudex feriat, quam minetur.» Ast post Christi mortem et resurrectionem probabilius, statim baptismus in praecepto fuit, quia cessante lege veteri, nova obligare coepit; unde etiam *Catechismus rom.*(2) ex I Petr. 1. 3, et Eph. V, 2 probat, baptismi obligationem ad tempus, quod mortem Domini consecutum est, referendum esse. Imo etiam Patres pro secunda sententia citata, nempe *Tertullianus, S. Chrysostomus* et *Leo M.* non de baptismi institutione, sed de eiusdem obligatione locuti esse videntur (3).

ARTICULUS II.

De materia et forma baptismi.

§ 529. Ad rationem sacramenti requiritur res subiecta sensibus, per quam ex ipsa Christi institutione gratia significetur et producatur. Signum autem sensibile tum in re consistit, quae est applicanda, tum in verbis, quae sunt proferenda. Nam « accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. » Scholastici elementum vocarunt materiam, quam duplicem distinxerunt, nempe remotam, seu ipsam rem, quae assumitur ad conficiendum sacramentum et proximam, quae est ipsa applicatio, seu usus materiae remotae; verbum autem a ministro proferendum appellarunt formam. Inquirendum igitur est, quaenam ex ipsa Christi ordinatione sit *materia remota*, quaenam *materia proxima*, et quaenam *forma baptismi*, ut hoc sacramentum legitime administretur.

I. *De materia remota baptismi.*

§ 530. Materiam remotam baptismi esse aquam veram et naturalem, adeo luculenta probant scripturarum, constantisque utriusque Ecclesiae praxis documenta, ut ne dubium quidem de hoc fidei dogmate exurgere posse videatur. Ast nihilominus tùm antiquioribus, tum recentioribus temporibus circa materiam baptismi remotam varii errores emerserunt. Multi enim baptismum in aqua conferendum esse prorsus negarunt, nempe *Gnostici* et *Archontici*, qui, teste S. Irenaeo (4), cum cuncta signa sensibilia respuerent, baptismi quoque nullam materiam admiserunt: *Cainitae* a Cain, quem colebant, et *Quintilliani* a Quintilla femina dicti, qui teste Tertulliano(5) aquam propter suam simplicitatem et vilitatem prorsus ineptam credebant ad gratiam divinam conferendam: *Manichaei*, qui, teste S. Augustino (6), abhorruerunt a baptismo aquae, quam a malo principio exortam censebant; *Seleuciani* et *Hermiani*, qui baptismum non per a-

(1) In Ep. cit. (2) P. 2, cap. 2, n. 21.
(3) Cf. Billuart Diss. 1. art. 2.

(4) L. 1 c. haer. c. 18.
(5) L. de bapt. c. 1 et 2. (6) Haeresi 46.

quam, sed per ignem conferendum esse dicebant, male intelligentes, ut observat *S. Augustinus* (1), verba Ioannis: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (2): *Marcosiani*, qui, teste Epiphanio (3), oleum aqua temperatum in baptismo usurpabant; *Pauliciani*, qui, teste Euthymio (4), aquam pronunciabant, non vero adhibebant, dicentes, per aquam non fluidum naturale, sed ipsum Christum esse intelligendum, et baptismum tantum per verba confici: *Ego sum aqua viva*, nomine Christi prolata; ac denique *flagellantes*, qui saeculo tertio decimo exorti docuerunt, unumquemque baptizari debere proprio sanguine per flagella de corpore expresso, quamquam certum non sit, num baptismum aquae penitus reiecerint, nec ne. — *Novatores* quoque circa materiam proximam baptismi in graves errores prolapsi sunt; quamvis enim baptismum aquae non repudiarent, negarunt tamen, aquam ad baptismum conferendum necessariam esse. Nam *Lutherus* (5) interrogatus, num, deficiente aqua, liceret baptizare in lacte, respondit: « Quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizandum. » Idem sentit *Theodorus Beza* in sua secunda ad Tillium Epistola scribens: « Si desit aqua, et tamen baptismus alicuius differri amplius cum aedificatione non possit, nec debeat, ego certe quovis liquore non minus rite, quam aqua baptizarem; » et addit ibidem (quod apertum est mendacium) « non aliter sentire scholasticos. » *Calvinus* (6) contendit, aquam, vel quemcunque alium liquorem minime esse de necessitate baptismi, atque ideo verba Domini: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. metaphorice intelligenda esse, ita ut aqua non significet fluidum naturale, sed ipsum sanguinem Christi, per quem abluimur et mundamur. Cum *Calvino* consentiunt *Sociniani*, qui pariter non aliam, quam metaphoricam aquam admittunt, et ideo sub ea ablutionem a peccatorum sordibus, sive ipsam poenitentiam, per quam a peccatis abluimur, intelligendam esse statuunt. *Quakeri* demum cum antiquis Marcosianis et Beguardis medii aevi, sicut omnes ritus exteriores, ita etiam baptismum in aqua collatum reiiciunt. — Contra istos aberrantes probanda est doctrina catholica, quae dicit, aquam veram et naturalem ita esse de necessitate baptismi, ut is sine ullo liquore aut in alio, quam aqua, eaque vera et naturali collata, prorsus sit nullus et invalidus. Probatur autem hoc dogma catholicum ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus* et ex *praxi*, atque *definitionibus Ecclesiae*.

1. *In S. Scriptura* Matth. XXVIII, 19 legitur praeceptum Apostolis datum: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* etc.: praecipitur ergo ablutio; cum autem haec communiter in aqua fiat, Salvator, si alio in liquore, quam in aqua, aut in alio simul cum aqua baptismum conferri voluisset, id diserte edissere debuisset. Ast nullibi legitur, Christum alium liquorem pro baptismo indigitasse; varia autem Scripturae testimonia ostendunt, aquam veram et naturalem a Christo tanquam materiam baptismi remotam designatam fuisse. Nam Christus ipse in aqua vera et naturali Iordanis baptizatus est; legitur enim: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua* (7): in hoc autem baptismo Christus aquam tanquam materiam

(1) Haeresi 59. (2) Marc. 3, 11.
(3) Haer. 34. (4) In Panoplia p. 2, tit. 21.
(5) In Colloquiis mensalibus cap. 17.
(6) L. 4 instit. c. 15. (7) Matth. 3, 16.

baptismi non solum exemplo suo insinuavit, sed etiam contactu suo consecravit (1). Non aliter ergo, quam de aqua vera et naturali intelligenda sunt verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (2); quibus verbis tum externa corporis per aquam ablutio, tum interna animae regeneratio per Spiritum sanctum significantur (3). Paulus quoque docet, homines per aquam veram et naturalem ablui debere, ut mundentur et sanctificentur; ait enim ad Ephes.: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae*(4). Christus ergo lavacrum aquae seu ablutionem in aqua perficiendam instituit, per aquam homines mundandi et sanctificandi sunt. Idcirco Apostoli, qui optime ordinationes Christi cognoverant, in aqua vera et naturali baptismum administrarunt. Nam (5) de Philippo diacono, Eunuchum Candacis Reginae baptizante, narratur: *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?... et descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus et baptizavit eum;* qua in narratione expresse commemoratur circumstantia, quod venerint ad aquam, sine qua Eunuchus in itinere baptizari non potuisset. Petrus quoque accersitus a Cornelio, cum super omnes, verbum eius audientes, Spiritus sanctus descendisset, inquit: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos? et iussit eos baptizari*, nempe aqua vera et naturali, quam ipse Princeps Apostolorum (6) tanquam materiam remotam baptismi assignavit.

2. *Ss. Patres* non aliam materiam baptismi remotam assignant, quam aquam veram et naturalem, et in hac semper baptismum collatum esse testantur. *S. Ignatius M.* (7) ait: «Christus natus et baptizatus est, ut per passionem suam aquam purificaret.» *Hermas* in Pastore (8) baptismum, quo homines iustificantur, *sigillum* nominat, et addit: « Illud autem sigillum *aqua* est, in quam descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitae assignati.» *S. Iustinus M.*(9) de iis, qui Fidem suscipiebant, scribit: « Deinde a nobis eo ducuntur, *ubi aqua est*, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi regenerati sumus. Nam in nomine Parentis universorum, ac Domini Dei et Salvatoris nostri et Spiritus sancti tunc lavacrum in aqua suscipiunt.» *Tertullianus* (10) exclamat: « Felix *sacramentum aquae* nostrae, qua abluti delictis pristinae aetatis in vitam aeternam liberamur.» *S. Gregorius Nyss.* Or. in eos, qui differunt baptisma, docet: « omnem aquam aptam esse ad usum baptismi, si modo invenerit fidem eius, qui illam accipit, et benedictionem sacerdotis sanctificantis.» *S. Ambrosius* l. de Myster.(11) haec habet: « Aqua est, qua caro mergitur, ut omne abluatur carnale peccatum.» *S. Augustinus*(12) inquit: « Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismus. Tolle verbum, non est baptismus.» Huc etiam referuntur testimonia Patrum § 528, n. 1 citata, qui asserunt, Christum baptizatum esse, ut aquas pro baptismi ma-

(1) V. § 528, n. 1. (2) Io. 3, 5.
(3) Cf. § 527, Resp. ad Obi. 1.
(4) Ephes. 5, v. 25 et 26. (5) Act. 8, 36 etc.
(6) Act. 10, 47. (7) Ep. ad Ephes. c. 18.
(8) Lib. 3, simil. 9. (9) Apol. 1, n. 61.
(10) Lib. de bapt. c. 1.
(11) Cap. 3, n. 11.
(12) Tract. 15 in Ioan n. 4

teria consecraret; quibus adiungi potest insignis locus *S. Gregorii Naz.* Or. 29 (1), dicentis: Christus « baptizatus quidem est, ut homo; sed peccata sustulit ut Deus, non quod lustrationibus indigeret, sed ut aquis ipsis sanctitatem afferret. »

3. *Ecclesia* universa semper baptismum in aqua administravit, et hanc ad baptisma conferendum ita necessariam habuit, ut hoc in alio liquore collatum invalidum declararit. Testes sunt quotquot supersunt libri rituales et pontificales Latinorum, et Euchologia Graecorum, ut erudite ostendit *Renaudotius* de perpetuit. fidei (2), ubi etiam defendit *Iacobitas* a criminatione de collato ab ipsis baptismo in igne; nam et isti haeretici baptizant infantes in aqua, quamquam postea soleant etiam ferro ignito signum crucis in frontem baptizatorum imprimere aliis de causis, praecipue vero, ne Mahumetani eorum filios ad servitutem rapiant; horrent enim habere servos ita cruce signatos. Ad perpetuam Ecclesiae praxin accedunt etiam eiusdem definitiones. *Gregorius IX* (3) de his, qui in Norvegia cerevisia baptizabantur, rescribit ad Archiepiscopum Nidrosiensem: « Cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua et Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati, qui in cerevisia baptizantur. » *Innocentius IV* (4) improbavit baptismum cum salivae conspersione collatum. *Concilium Lateranense IV* cap. *Firmiter* dicit: *Sacramentum baptismi... consecratur in aqua. Florentinum* in Decr. pro Armenis ait: *Materia huius sacramenti (baptismi) est aqua vera et naturalis. Concilium Tridentinum* Sess. VII, can. 2, de bapt. definit: *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque idcirco verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

4. *Rationibus theologicis S. Thomas* probat, aquam baptismi materiam convenientissimam esse. Nam (5) ita loquitur: « Ex institutione divina aqua est propria materia baptismi: et hoc convenienter: *primo* quidem, quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam, quod maxime congruit aquae. Unde et semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantae et animalia, humida sunt, et ad aquam pertinent; propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium; *secundo*, quantum ad effectus baptismi, quibus competunt aquae proprietates, quae sua humiditate lavat, ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum; sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis; sua diaphanitate est luminis susceptiva, unde competit baptismo, in quantum est fidei sacramentum; *tertio*, quia convenit ad repraesentandum mysteria Christi, quibus iustificamur; ut enim dicit *S. Chrysostomus* (6) super illud Io.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. (7), sicut in quodam sepulcro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rursus ascendit; *quarto*, quia ratione suae communitatis et abundantiae est

(1) Theolog. 3, de Filio, n. 20.
(2) Tom. 6, lib. 2, cap. 4.
(3) Ap. Rainaldum ad annum 1241.
(4) Decret. Gregor. l. 3, tit. 42, cap. 5.
(5) 3 p., q. 66, art. 3.
(6) Hom. 24 in Io. (7) C. 3, 5.

conveniens materia necessitati huius sacramenti; potest enim ubique de facili haberi. » Haec consideranda sunt, ut divini Redemptoris sapientiam et bonitatem in baptismi institutione plene cognoscere et praedicare possimus.

Nota 1. Ex probato dogmate patet, quod *materia valida* baptismi sit omnis aqua vera et naturalis sive maris, sive fontis, fluminis, paludis etc., sive calida, sive frigida, sive clara, sive turbida, sive communis, sive mineralis, sive ex nive, glacie, aut grandine soluta, sive ex pluvia collecta: ratio est, quia istae et similes aquae habent integram substantiam veramque denominationem aquae naturalis. *Materia invalida* sunt nix, glacies, grando, antequam resolvantur, tum quia aptae non sunt ad abluendum, tum quia non veniunt sub denominatione aquae; praeterea materia invalida est vinum, licet lymphatum, seu aqua mixtum, cerevisia, succus ex herbis aut fructibus expressus, lac, mel, oleum, sanguis, urina, lacrymae, saliva, sudor; ratio est, quia ista in communi usu, et aestimatione hominum denominationem non retinent, nec in se sunt aqua proprie dicta et elementaris. *Materia dubia* sunt aqua ex sale resoluta, cerevisia, aut offa admodum tenuis, lixivium non multis cineribus commixtum, et generatim aqua cum aliena materia commixta; in qua commixtione attendendum est, an liquor plus habeat de aliena substantia, quam de aqua, quod ex spissitudine colligi potest; et si ita sit, materiam validam baptismi non constituit. Caeterum, ut observat cl. *Billuart* (1): « In qualibet aqua, qualitercunque transmutata, modo non solvatur species aquae, potest fieri baptismus; si vero solvatur species aquae, non potest fieri baptismus. Intelligimus autem naturam et speciem aquae magis secundum communem hominum usum et aestimationem, quam secundum rationes physicas.» Certum autem est, graviter illum peccare, qui in baptismo materiam adhibet dubiam, cum possit habere certam.

Nota 2. Quamvis aqua simplex, non benedicta, materia apta sit ad sacramentum valide conficiendum, licitum tamen extra casum necessitatis non est, aliam aquam, quam benedictam in baptismo administrando adhibere, quia ita diserte praecipiunt libri rituales, atque insuper hic usus antiquissimus est, cuius mentionem faciunt iam constitutiones apostolicae (2) et Ss. Patres. Nam *Tertullianus* (3) aquas baptismi propter hanc benedictionem *medicatas* appellat. *S. Cyprianus* (4) ad Ianuar. scribit: « Oportet mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere. » *S. Ambrosius* (5) ait, usum baptismatis hoc habere: « ut ante fons consecretur, et tunc descendat qui baptizandus est.» *S. Basilius* eandem benedictionem repetit ex apostolica traditione; nam lib. de Spiritu sancto (6) inquit: « Benedicimus aquam baptismatis et oleum unctionis, adhuc etiam ipsum baptizatum; ex quibus Scripturis? nonne a tacita et mystica traditione? » — Eiusdem consecrationis mentionem faciunt *S. Cyrillus Hier.* (7), *S. Gregor. Nyss.* (8), *Victor Vitensis* (9), aliique.

Nota 3. Qui negant aquam veram

(1) De bapt. Diss. 1, art. 3.
(2) Lib. 7, cap. 43. (3) Lib. de bapt. c. 4.
(4) Epist. 70. (5) L. 1 de sacram. c. 5.
(6) Cap. 27. (7) Catech. 3.
(8) In Orat. de S. bapt.
(9) Lib. 2 de persecut. Vandal.

et naturalem esse materiam remotam baptismi, doctrinam catholicam variis cavillationibus perturbare tentant.

Obi. I. Praecursor Christi ita loquitur: *Ego baptizo vos in aqua: qui autem post me venturus est... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (1): quibus verbis Ioannes hoc discrimen posuit inter suum, et Christi baptisma, quod suum esset *in aqua*, Christi autem *in Spiritu sancto et igni:* non ergo aqua est materia baptismatis Christi.

Resp. Levissima est haec obiectio, quam iam praeoccupaverat *S. Augustinus* tract. 15 in Ioan. (2). Ex aliis enim Scripturae locis, atque ex ipsa Christi et Apostolorum praxi liquido apparet, aquam fuisse a Ioanne subintellectam, quasi diceret: Ego quidem baptizo vos *aqua sola;* Christus autem post me venturus baptizabit, idest aqua abluet vos, verum non in aqua sola, sed etiam *in Spiritu sancto et igni.* Non itaque ponitur antithesis inter baptismum Christi, et baptismum Ioannis in eo, quod iste fuerit materialis et sensibilis in aqua, ille vero totus spiritualis, sed quod Christus baptisma in aqua collatum conferat Spiritum sanctum, quem non conferebat baptismus Ioannis. Caeterum non omnes consentiunt circa baptismum *in Spiritu sancto et igni.* Nonnulli enim, qui ignem non metaphorice pro virtute Spiritus sancti, sed litteraliter sumunt, putant, verba Ioannis referenda esse ad missionem Spiritus sancti super Apostolos die Pentecostes in linguis igneis; alii autumant, per eadem verba praenunciari dona prodigiosa fidelibus concedenda; alii demum opinantur, per illa postremam mundi conflagrationem et purgationem designari.

(1) Matth. 3, 11 etc. (2) Num. 4.

Obi. II. Christus Io. III, 5 ad salutem necessarium esse dicit, ut renascamur *ex aqua et Spiritu sancto.* Ast non baptizamur in Spiritu sancto, neque ex ipso renascimur, nisi sensu spirituali; igitur nonnisi spirituali quoque sensu dicimur ex aqua renasci. Ex ipso colloquio Christi cum Nicodemo apparet, aquam spiritualiter tantum intelligendam esse. Nam si Christus locutus fuisset de vera aqua ad renascendum necessaria, immerito Nicodemum reprehendisset verbis illis: *Tu es magister in Israël, et haec ignoras* (3)? neque enim Nicodemus suspicari aliquando potuit, fore tempus, quo homines a peccatorum vetustate purgati in novam et spiritualem vitam per aquam naturalem renascerentur. At si verba illa intelligantur in sensu metaphorico, id est, de gratia spirituali mundante sicut aqua, reprehensionem illam promeritus est Nicodemus. Cum enim in lege versatus esset, inculpabiliter ignorare non poterat, fore aliquando tempus, quo homines a peccatorum vetustate purgati in novam et spiritualem vitam reformarentur, ut Prophetae praedixerant. Ergo cum iusta fuerit illa reprehensio, dicendum est, Christum verbis citatis loqui de aqua metaphorica, id est, de gratia Spiritus sancti. Idipsum *S. Augustinus* fatetur, qui (4) verba illa: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. non carnaliter, sed spiritualiter intelligenda esse contendit.

Resp. Christus Io. III, 5 aquam et Spiritum sanctum coniunxit, ut significaret, materiali atque exterioriaquae ablutioni adiectam esse interiorem Spiritus sancti gratiam ad producendam regenerationem de qua loquebatur, cum aqua sola id minime efficere possit. Baptizamur ergo ma-

(3) Ib. v. 10. (4) Tract. 11 in Ioan.

terialiter in aqua, et baptizamur spiritualiter in Spiritu sancto; imo ipsa ablutio externa, in aqua facta, ablutionem internam, id est, purgationem a peccatis et sanctificationem a Spiritu sancto factam, significat et producit: ita Ecclesia semper citata verba Christi intellexit.— Quamvis autem Christus de ablutione per aquam naturalem faciendaloqueretur, merito tamen Nicodemum obiurgavit, quod, cum esset Magister in Israël, haec non intelligeret. Duo enim hic observanda sunt, nativitas ipsa secunda, et modus renascendi; utrumque Nicodemus haud recte intelligebat. Nam dicenti Christo: *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu* (1); mox reposuit: *Quomodo possunt haec fieri?* quae verba sunt rem impossibilem esse iudicantis. Itaque merito a Christo reprehensus est, quia si vere in lege, ut appellari amabat, Doctor fuisset, nescire secundam in Spiritu nativitatem non poterat, cuius adeo frequens in V. T. mentio occurrit. Multo magis vero Nicodemus circa modum renascendi obstupuit et impossibile iudicavit, quod homo per ablutionem in aqua factam spiritualiter renascatur: quamobrem merito a Christo reprehensus est, quia ut Doctor legis scire debuisset, Deum per signa externa gratiam suam conferre posse, et quia ipsi nota esse debebant vaticinia et symbola, quibus frequenter in V. T. baptismus aquae a Messia instituendus, praenunciatus et praefiguratus fuit. S. *Augustinus* solummodo excludit ideam carnalis generationis, quam prodidit Nicodemus: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* etc. (2).

Obi. III. Non desunt exempla, ex quibus constat, in casu necessitatis posse alia materia praeter aquam baptisma conferre. Nam *Moschus* in Prato spirit. (3), et *Nicephorus* (4) narrant, Iudaeum quemdam in periculo mortis defectu aquae fuisse arena superfusa baptizatum, cuius baptismi effectus fuit valetudo prodigiose recuperata. Praeterea *Stephanus II* baptismum collatum in vino approbavit, scribens: « Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla ei adscribitur culpa: infantes sic permaneant in baptismo. » Simile responsum tribuitur quoque *Siricio* R. P., qui floruit ad finem saeculi IV.

Resp. Iudaeus inscite et invalide fuit in arena baptizatus, ac propterea *Moschus* et *Nicephorus* testantur, baptismum hunc iudicio ecclesiastico irritum fuisse declaratum, ac Iudaeum legitimo ritu aquis salutaribus tinctum. Quamobrem relata historia constantem Ecclesiae usum baptizandi in aqua confirmat. Valetudo autem prodigiose recuperata non est adscribenda baptismo in arena dato, sed peculiari fidei ac pietati Iudaei illius, quam solam Deus prodigiosa illa et instantanea curatione gratam sibi esse ostendit. Quoad responsum Stephani, *Natalis Alex.* illud corruptum esse putat; et Labbaeus dicit, verba: « Infantes sic permaneant in ipso baptismo; » esse glossema e margine in textum temere intrusum; et ideo cl. *Gazzaniga* dicit, totam quaestionem fuisse non de valore baptismi, sed de crimine Presbyteri, quod, supposita carentia aquae, excusabile putavit Pontifex, inexcusabile vero, si aqua aderat; subiungit enim: « Nam si aqua adfuit praesens, ille Presbyter excommunicetur et poenitentiae submittatur, quia contra canonum sententiam agere praesumpsit. » Ast communiter a Criticis citatae *Ste-*

(1) C. 3, 8. (2) Ib. v 4. (3) Cap. 176 (4) Lib. 3 Hist. c. 37

phani et *Siricii* responsiones ut spuriae, seu suppositiae reiiciuntur, quia in collectionibus Ecclesiae Romanae et Gallicanae non extant, et quia tres codices, qui illas referunt, non consentiunt; alii enim idem responsum tribuunt *Stephano II*, alii *Siricio*, alii *Stephano Tornacensi*. Earundem responsionum suppositionem argumentis internis et externis probat *Ant. Binterim* in Monumentis Ecclesiae etc. (1).

II. *De materia proxima baptismi.*

§ 531. Cum materia remota baptismi sit aqua vera et naturalis, certum omnino est, materiam eiusdem proximam nihil aliud esse, quam aquae applicationem ad corpus abluendum a ministro factam. Hinc primum N. L. sacramentum *baptismus*, id est, immersio seu ablutio, et *lavacrum aquae* appellatur. Recte idcirco materia proxima baptismi definitur exterior corporis ablutio per aquam immediate supra corpus baptizandi fluentem: dicitur *per aquam fluentem*, quia debet esse motus successivus aquae; nec enim dicitur ablutus, supra quem decidit una aquae gutta, non fluens; dicitur *immediate*, quia non sufficit, aquam vestes aut capillos baptizandi attingere, sed necesse est, ut perfundat eius corpus; alias non ipse, sed vestes ipsius aut capilli dicerentur ablui: dicitur *supra corpus*, id est, supra unam ex praecipuis corporis partibus, praecipue vero caput, in quo omnes sensus vigent; generatim enim secundum communem aestimationem et usum homo se lavasse dicitur, quamvis solam faciem abluerit. — Quaeri autem ulterius potest, quomodo aqua sit corpori applicanda? haec enim applicatio, et ipsa ablutio fieri potest vel corpus admovendo aquae, quod fit per immersionem, vel aquam admovendo corpori, quod fit per infusionem, vel aspersionem. Hinc baptisma triplici modo in Ecclesia collatum fuisse invenimus. Usque ad saeculum decimum tertium in Ecclesia latina et graeca baptismus communiter collatus fuit per *immersionem*, et quidem, quia ad cuiuslibet divinae Personae invocationem corpus mergebatur. Saeculo decimo quarto in Ecclesia latina invaluit disciplina baptismum conferendi *per infusionem;* imo quandoque propter baptizandorum multitudinem baptismus collatus est *per aspersionem*, quam etiam Apostoli ab initio adhibuisse creduntur. Quamvis autem varia fuerit Ecclesiae catholicae in baptismo conferendo disciplina, perpetua tamen eiusdem Ecclesiae fides fuit et est, validum esse baptismum, sive per immersionem, trinam, aut unam, sive per infusionem, sive per aspersionem, in qua tamen vera ablutio contingat, conferatur. Ab hac perpetua et universali Ecclesiae fide recesserunt Graeci schismatici non quidem omnes, sed tamen nonnulli, qui baptismum in Ecclesia latina per unam immersionem aut per infusionem collatum, illicitum aut etiam invalidum declarare sunt ausi. In hunc errorem isti ideo prolapsi sunt, quia veterem disciplinam Ecclesiae a constanti eiusdem fide non distinxerunt, et quia id, quod olim ex praecepto ecclesiastico fieri debuit, ex praecepto divino semper faciendum esse, falso putaverunt; praecipue vero, quia Ecclesiam Romanam magno odio prosequebantur, eique varios errores affingentes schisma suum iustificare nitebantur. Contra istos aberrantes probandum est, modum baptismi non pertinere ad sacramenti essentiam sive substantiam, sed ad meram disciplinam, quae Ec-

(1) Tom. 2, p 1, § 2 etc.

clesiae potestati subest, atque in specie trinam immersionem non esse de necessitate baptismi, aut de praecepto divino, sed validum esse baptismum per unam immersionem, aut per infusionem, aut per aspersionem collatum. Argumenta ad hoc dogma probandum partim ex *S. Scriptura*, et partim *ex Traditione* petuntur.

1. *In S. Scriptura* omnibus quidem praecipitur baptismus, sed nullum extat Christi praeceptum, ut baptismus conferatur per immersionem; neque illa vox *baptizo* aliud significat, quam ablutionem, quae utique fieri potest etiam per infusionem, aut aspersionem (1). Paulus quoque baptismum simpliciter *lavacrum* nominat, nempe Ephes. V, 26 *mundans lavacro aquae in verbo vitae*, et Tit. III, 5 *lavacrum regenerationis*. Dummodo ergo per aquam ablutio fiat, et verum contingat lavacrum, iam id totum habetur, quod ad substantiam baptismi spectat, eiusque materiam proximam constituit. Ast corpus abluitur et verum lavacrum perficitur non solum, dum corpus aquae immergitur, sed et cum aqua corpori infunditur, aut corpus aqua copiose aspergitur; ergo validus baptismus confertur non solum per immersionem, sed etiam per infusionem et aspersionem. Idem recte infertur ex praxi Apostolorum; valde enim probabile est, ipsos Apostolos, saltem non semper, per trinam immersionem baptizasse, sed ab initio per aspersionem baptismum contulisse. Nam Act. II, 41 legitur, una die tria hominum millia baptizata fuisse: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.* Quis autem credet, tantam hominum multitudinem unica die, imo vix dimidia die ab Apostolis baptizatam fuisse per trinam immersionem, ad quam perficiendam multo tempore et praevalidis viribus opus erat? Quaeri etiam posset, ubinam Apostoli per immersionem baptizaverint, cum nullatenus legatur, tam magnum baptizandorum numerum ad lacum, vel fluvium adductum fuisse? Et quamvis nobis fingere velimus aliquot baptisteria ad usum purificationum iudaicarum iam parata, cum tamen baptismus per immersionem fieri soleret toto corpore nudato; quis credat, tantam hominum multitudinem utriusque sexus, vestibus depositis, fuisse aquis immersam? neque enim tempus, locus aliaeque circumstantiae permittebant, ut pudori foeminarum consuleretur, quemadmodum postea in Ecclesia factum est, divisis foeminis a viris, et Diaconissis deputatis, quae foeminarum decoris curam haberent. Ex his rationibus communis est Theologorum sententia, Apostolos ab initio praedicationis suae per infusionem, seu potius per aspersionem baptizasse. — Praeterea baptismus a Philippo diacono Eunucho collatus his verbis narratur: *Descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum* (2). Non ergo Philippus ut minister Eunuchum aquae immersit, quia hic ipsemet in aquam descendit et ex ea ascendit: ergo probabile est, quod Philippus Eunuchum iam in aquis stantem per infusionem baptizaverit, effundendo nempe super ipsius caput aquam cavis manibus arreptam, aut in vasculo haustam; et sane tali modo baptismus tum isti Eunucho, tum ipsi Christo a Ioanne collatus per infusionem in veteribus picturis et sarcophagis repraesentatur, ut ostendit cl. *Mar-*

(1) Cf. § 525, n. 1.

(2) Act. 8, 38.

tene (1). Accedit et illud, quod Act. XVI, 33 narratur de Paulo et Sila, qui custodem carceris, in quo detinebantur, cum omni domo eius *continuo* baptizaverunt. Porro in his et similibus baptismis immersionem fuisse adhibitam, verisimile non est.

2. *Ecclesiae fides* de valore baptismi sine immersione per infusionem collati patet ex baptismate *Clinicorum*, id est, aegrotorum in lectis decumbentium, eorum praecipue, qui morti proximi constituti erant, quibus ut patet, non alia ratione quam per infusionem aut aspersionem baptismus conferri poterat. Isti porro clinici, qui postrema vitae periodo tincti fuerunt, frequentissimi erant primis Ecclesiae saeculis, ut liquet ex Patrum scriptis, qui declamarunt quidem adversus eos, qui moras nectebant ad suscipiendum baptisma, nunquam tamen dubia moverunt de valore baptismatis, quod fuerit administratum sine immersione. Imo egregium testimonium de valore baptismatis per infusionem collati habemus in Epist. (2) *S. Cypriani* ad Magnum, qui non dubitavit de valore baptismi per infusionem collati, sed tamen dubitavit, an qui graviter in lecto decumbentes per infusionem baptizantur, ut legitimi Christiani habendi sint, iisdemque iuribus gaudeant, ut Christiani per immersionem baptizati. *S. Cyprianus* vero his verbis respondet: « Quaesisti etiam, fili carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi? — Nos, quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus, in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid posse illic contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et saeculari sordes cutis et corporis abluuntur... Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In sacramentis salutaribus necessitate cogente et Deo indulgentiam suam largiente totum credentibus conferunt divina compendia. Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura Sancta per Ezechielem Prophetam (3) loquatur, et dicat: *Aspergam super vos aquam mundam, mundabimini ab omnibus immunditiis vestris* etc. (et post alia similia loca citata concludit), unde apparet, aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere, et quando haec in Ecclesia fiunt, ubi sit et dantis et accipientis fides integra, stare omnia et consummari ac perfici posse maiestate Domini et fidei veritate. » Deinde declarat, iuxta suam sententiam legitimos Christianos esse illos, qui in infirmitate aqua sunt perfusi. Denique ad propositum dubium: « An consecuti sunt quidem gratiam dominicam, sed breviore et minore mensura muneris divini ac Spiritus sancti, ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen caeteris adaequandi? » respondet S. Pater: « Quinimo Spiritus sanctus non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur. » Notatu dignum est, quod *S. Cyprianus* etiam in hac ad Magnum Epistola sententiam suam prodat, qua falso putavit, ad valorem baptismi requiri fidem ministri, et ideo haereticorum baptismam invalidum esse. Quamvis autem huic erroneae

(1) De antiq. Eccles. rit. lib. 1, c. 1, a. 14. (2) Ep. 69 (al. 76). (3) Cap. 36, v. 25.

sententiae tum *Stephanus* R. P., tum caeteri orthodoxi Episcopi fortiter restiterint, nullus tamen Cyprianum ex eo reprehendit, quod doceret, trinam immersionem non esse de necessitate baptismi, sed eodem modo validum esse baptisma per infusionem vel aspersionem collatum. Cypriani etenim sententiam tota semper Ecclesia tenuit, cum Clinicorum baptisma, sola infusione vel aspersione collatum semper ratihabitum fuerit. Id probant varia Concilia, nempe *Romanum* sub *Cornelio,* in quo iudicatum est, *Novatianum* in lecto baptizatum, post recuperatam sanitatem, iterum baptizandum non esse: *Neocaesariense* (1) quo sic baptizati a sacris quidem ordinibus tanquam irregulares arcentur, vere tamen baptizati agnoscuntur: *Antissiodorense* (2), *Matisconense II* (3), *Parisiense IV* (4), ubi decretum Synodi Neocaesariensis innovatur et confirmatur. Concilia autem Clinicos a sacris ordinibus arcebant non propter defectum baptismi, sed quia dubitabatur de eorum instructione et scientia, vel etiam de eorum vera et perfecta conversione, cum non motu proprio, sed metu mortis compulsi baptismum suscepisse viderentur.

3. *Exempla* quoque prostant, quae ostendunt, iam primis saeculis non solum graviter decumbentes, sed etiam alios per infusionem baptizatos fuisse. Ita *S. Laurentius Romanum*, professione militem, et alium quoque, *Lucillum* nomine, aqua ex urceo super caput infusa baptizavit, ut eiusdem S. Martyris Acta (5) testantur. Unde *Walafridus Strabo* de rebus eccles. (6) scribit: « Notandum est, non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo multos baptizatos fuisse, et adhuc posse ita baptizari, si necessitas sit, sicut in passione B. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. » Et subdit, hoc ipsum fieri consuevisse: « cum provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur. » Acta quoque *S. Bacchi* iunioris a *Combefisio* vulgata dicunt, eum aqua superfusa fuisse baptizatum. Ex Actis pariter *S. Lindgieri* habemus ipsius exhortationem ad mulieres, ut morituros infantulos baptizarent *intinctos aqua, vel superinfusos* cum invocatione SS. Trinitatis. In Actis *S. Gratiliani* mulier nomine « *Felicissima*, ab ipso christianae Religionis mysteriis imbuta, urceum cum aqua ut baptizaretur, ei obtulisse legitur. » *Mabillonius* in Musaeo italico (7) ostendit, Romae iam a saeculo sexto non raro observatum fuisse ritum baptizandi per infusionem, omissa immersione. Inter Orientales quoque graves Theologi inveniuntur, qui docent, deficiente sufficienti aquae copia, baptismum administrari posse per infusionem. ut *Ecbanassal* Echmini canonista *Aegyptius* et *Gregorius Abulfaragius* ex auctoritate Iacobi Edesseni apud Renaudotium (8). — Quinimo Graeci ipsi, ut refert *Goarius* (9) testis oculatus, solent recens natos infantulos « superinfusione baptizare. »

4. *Ss. Patres*, quamvis saepe de baptismo disserant, et etiam trinae immersionis tunc usitatae ritum describant, pauca tamen dogmatice de materia baptismi proxima loquuntur, quia de hac nulla tunc temporis controversia vigebat. Nihilominus aliqua ipsorum testimonia citari possunt, ex quibus patet, eos nullatenus credidisse, trinam immersionem ad validitatem baptismi necessariam esse. Nam

(1) Ann. 314, can. 2. (2) Ann. 578, can. 18.
(3) Ann. 585, can. 3. (4) Ann. 829, can. 7.
(5) Apud Surium, t. 4. (6) Cap. 26.
(7) Tom. 2. (8) L. 2 de perp. fid. c. 4.
(9) Rituale Graecorum, vol. 1, de bapt. n. 24.

iam *Tertullianus* lib. de poenit. (1) ad baptismum per aspersionem alludit, scribens: « Neque ego renuo, beneficium divinum, id est, ablutionem delictorum inituris aquam omnino salvum esse: sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi tam infidae poenitentiae viro asperginem unam cuiuslibet aquae commodabit? » — Et *S. Augustinus* (2) dicit: « Hoc verbum fidei (id est invocatio trium Personarum divinarum) tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem. » Si sufficit ex S. Augustino tantillum tingere, sufficit quoque ablutio per infusionem vel aspersionem. — *S. Gregorius M.* aperte declaravit, ad valide baptisma conferendum non requiri trinam immersionem. Cum enim Ariani trina baptismali immersione abuterentur ad significandum, tres esse distinctas naturas in tribus personis Trinitatis, atque nonnulli in Hispania Catholici in odium ac detestationem eorum unicam tantum immersionem usurpandam decrevissent contra morem antiquum; suborta est ea de re contentio, de qua S. Leander Episc. Hispalensis consuluit *S. Gregorium M.*, qui (3) sic respondet: « De trina mersione baptismatis nihil responderi melius potest, quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit, sancta Ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanae sepulturae sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summa Trinitatis veneratione aestimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur. » S. Pontificis iudicium suum fecit Ecclesia Hispanica, in *Conc. Toletano IV* post citata S. Gregorii verba definiens: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplicem teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, haereticorum approbare assertionem, dum sequuntur et morem. S. Thomas* (4) ait: « Aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Et ideo quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior usus), potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis secundum illud Ezech.: *Effundam super vos aquam mundam* (5), sicut B. Laurentius legitur baptizasse: et hoc praecipue propter necessitatem; vel quia est magna multitudo baptizandorum, ut patet Act. II et IV, ubi dicitur quod crediderunt una die tria millia, et alia die quinque millia. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquae, vel propter debi-

(1) Cap. 6. (2) Tract. 80 in Ioan. n. 3.
(3) L. 1, Epist 43 (al. 41).
(4) 3 p., q. 66, art. 7. (5) Cap. 36, v. 25.

litatem ministri, qui non potest sustentare baptizandum, vel propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum, quod immersio non est de necessitate baptismi. »

5. Denique *ex consensu Ecclesiae Graecae et Latinae* firmissimum petitur argumentum. Ecclesia graeca ratum habuit in *Concilio Florentino* Latinorum baptisma per infusionem, idemque sentiunt quam plurimi ex ipsis Graecis schismaticis, nonnisi paucis reclamantibus, qui inverecundia et furore reliquos superant. Ecclesia vero Latina iam ab aliquot saeculis, immersionis ritu fere ubique abrogato, eius loco infusionem usurpavit: atque in *Rituali romano a S. Pio V* edito utraque ratio baptizandi iuxta uniuscuiusque Ecclesiae consuetudinem sive per immersionem, sive per infusionem, aut etiam per aspersionem probatur. Disciplinam autem baptizandi per infusionem, quam Ecclesia Romana approbavit, et iam a pluribus saeculis observat, carpere et contemnere non licet; nam *Concilium Tridentinum* (1) de bapt. inquit: *Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quae omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam; anathema sit.* Dubitare ergo non licet, quod baptismus per infusionem collatus et validus, et licitus sit.

Nota 1. Plures, eaequae gravissimae causae Ecclesiam Romanam induxerunt ad ritum infusionis adoptandum. Quia enim fides Ecclesiae semper haec fuit, quod baptismus validus sit, sive per immersionem, sive per infusionem collatus, et quia manifestum erat, baptismum facilius atque expeditius posteriori, quam priori modo administrari: multi iam, antequam Ecclesiae decretum prodiret, saeculo potissimum decimoquarto, ut varia incommoda effugerent, baptismum per infusionem conferre coeperunt. Ecclesia vero probe cognoscens, disciplinam ecclesiasticam mutabilem esse, invalescentem usum reprehendendum haud esse censuit, sed primo toleravit, et mox approbavit, ita ut libri rituales sub finem saeculi XIV editi iam praescripserint baptismum infusione conferendum. Haec vero mutatio ex sequentibus rationibus facta est: 1° Ut tenellae aetati infantili prospiceretur, cui immersio nocere potest, atque ut averteretur periculum ne infantes manibus ministri delapsi in profundum baptisterii suffocarentur, quod non semel contigisse legitur: 2° ut difficultas ex parte ministri tolleretur, qui haud raro nimis debilis erat ad corpus baptizandi sustentandum, immergendum et extrahendum, quod nonnisi adiuvantibus patrinis, aliisve praestare potuit, cum tamen necesse sit, ut ablutio per ipsum perficiatur: 3° ut consuleretur pudicitiae virorum, iuvenum, praecipue vero foeminarum post abolitum Diaconissarum ministerium, et ut amoveretur periculum ministrorum. Constat enim, praecipue in regionibus Europae septentrionalibus, homines pudori magis assuetos, a baptismo abhorruisse, ne se denudare cogerentur, et magno hincinde apparatu opus fuisse, ut ad baptismum suscipiendum adigerentur: 4° ut tollerentur incommoda, quae in eisdem regionibus septentrionalibus cum collatione baptismi per immersionem coniuncta erant; difficillimum quippe erat, in baptisteriis magni frigoris tempore tantam aquarum copiam ita calefacere, ut totum hominis corpus sine incommodo et sine periculo mer-

(1) Sess. 7, can. 3.

gi possit. His rationibus aliae addi possunt, iam a *S. Thoma* loco supra citato indigitate.

Nota 2. Difficultates a Graecis schismaticis contra dogma catholicum motae facile solvuntur.

Obi. I. Iuxta Apostolum in baptismo repraesentari debet Christi sepultura et resurrectio; ait enim: *An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* (1). Hoc autem fit per immersionem; dicit enim *S. Chrysostomus* (2): « Sicut in quodam sepulcro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, deinde novus rursus ascendit. » Et *S. Leo M.* in Epist ad Episc. Siciliae scribit: « In baptismatis regula et mors intervenit interfectione peccati et sepulturam triduanam imitatur trina immersio, et ab aquis elevatio resurgentis adinstar de sepulcro. » Immersio ergo est de necessitate baptismi.

Resp. Ad hanc difficultatem iam respondit *S. Thomas* (3) dicens: « Quod in immersione expressius repraesentatur figura sepulturae Christi, et ideo hic modus baptizandi est communior et laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi repraesentatur aliquo modo, licet non ita expresse: nam quocunque modo fiat ablutio, corpus hominis vel aliqua pars eius aquae supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum. » Testimonia vero *S. Chrysostomi* et *S. Leonis* probant quidem communiorem usum in Ecclesia tunc fuisse baptizandi per trinam immersionem, ad quem, sicut Apostolus, alludunt: non tamen evincunt id pertinere ad eiusdem sacramenti essentiam; tum quia etiam per infusionem vel aspersionem corporis eadem significatio habetur, tum quia in omni baptismo, quocumque modo valide collato, vetus homo peccato inquinatus sepelitur, et novus homo gratia repletus resurgit; et sic quilibet baptismus est quaedam spiritualis renovatio, seu imitatio sepulturae et resurrectionis Christi; quo sensu spirituali verba Pauli sumenda esse patet ex monito, quo baptizatos exhortatur, ut in novitate vitae ambulent.

Obi. II. Christus per immersionem baptizatus est a praecursore qui *dimisit eum* Matth. III, 15. Ideo etiam Apostoli per immersionem baptizarunt. Nam Ss. Patres concordi voce asserunt, legem trinae immersionis ex apostolica traditione descendere. Sic *Tertullianus* (4) ait, Christum post resurrectionem Apostolis mandasse, « ut tingerent in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti non in unum, nam nec semel, sed ter ad singula nomina, et in personas singulas tingimur » (5). *S. Basilius* (6) scribit: « Iam ter immergi hominem unde est traditum.... nonne ex privata et arcana hac (apostolica) traditione? » — *S. Hieronymus* (7) ait: « Multa alia, quae per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare. » *S. Chrysostomus* (8) inquit: « Omnibus mysteriis velut sigillum imponens Dominus in tribus mersionibus aquae unum baptisma discipulis suis tradidit. » Quod autem ex traditione apostolica descen-

(1) Rom. 6, 3 etc. (2) Hom. 24 in Ioan.
(3) 3 p., q. 66, art. 7 ad 2.
(4) Adv. Prax. cap. 26.
(5) Cf. Lib. de Corona milit. c. 3.
(6) Lib. de Spir. S. cap. 27.
(7) In Dial. c. Lucif (8) Hom. de fide.

dit, iure divino necessarium esse censetur ad substantiam sacramenti: ergo trina immersio est de necessitate baptismi.

Resp. Certum nullatenus est, Christum per immersionem baptizatum fuisse, quia contrarium ex variis monumentis deducitur, et verba: *tunc dimisit illum*, iuxta *S. Bernardum* (1) solum significant, Ioannem acquievisse et obedivisse Christo baptismum petenti. Praeterea exemplum Christi nisi accesserit praeceptum, necessitatem non imponit, nisi velis, aquam etiam Iordanis pertinere ad essentiam baptismi, quia Christus in Iordane fuit lotus. Profecto si Christus baptizari voluit, id aut per immersionem, aut per infusionem, aut per aspersionem fieri debuit; unum autem modum eligens alium non interdixit, aut invalidum declaravit, sed suo exemplo solam ablutionem nobis proponere intendit, non autem determinare eandem per immersionem fieri oportere. Denique certum est, Christum non per trinam immersionem baptizatum fuisse, quia baptismum Ioannis suscepit, qui cum in explicita SS. Trinitatis invocatione non daretur, unica mersione vel infusione absolvebatur. — Apostoli, ut dogma stabilirent, baptisma valere vel per immersionem, vel per infusionem, vel per aspersionem collatum, primo, ut iam dictum est, probabilius per aspersionem, et etiam per infusionem, ut Paulus et Silas in carcere baptizarunt, postea vero trinae immersionis ritum et ipsi observarunt, et Ecclesiae praescripserunt. Recte ideo Ss. Patres eundem ritum ex traditione apostolica repetierunt; sed tamen exinde non intulerunt, eundem ritum divinitus praeceptum esse, et ad substantiam baptismi pertinere. Quae enim ab Apostolis tradita sunt, alia spectant fidem et mores, ac substantiam sacramentorum, dicunturque *Traditiones apostolico-divinae*, quas nunquam licet immutare, cum fides, et ea, quae ad fidem pertinent, reformari nequeant: alia spectant ad disciplinam, Ecclesiae regimen, et ritum sacramenta administrandi, dicunturque *Traditiones mere apostolicae*, ab Apostolis tanquam Ecclesiae pastoribus profectae, quae iustis de causis mutationi sunt obnoxiae, ut, ex. gr., lex apostolica de non comedendo sanguine et suffocato abrogata fuit. Has inter traditiones secundi generis, nempe mere apostolicas, merito numeratur ritus immersionis in baptismo, utpote accidentalis, non divinitus praeceptus, nec ad substantiam baptismi pertinens. Hanc fuisse constantem Ecclesiae fidem, ex eo patet, quia baptismus per infusionem Clinicis collatus semper ut validus creditus est.

Obi. III. Antiqui Patres hanc traditionem ita ad substantiam baptismi pertinere putarunt, ut baptismum collatum sine trina mersione nullum esse crediderint. Nam *Canon Apostolicus* 49 ita sonat: « Si quis Episcopus aut presbyter non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, damnetur. Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. » *Cornelius* Papa una cum Synodo Romana dubitavit, Novatianum in lecto per infusionem baptizatum vere baptismum suscepisse: inquit enim in Epist. ad Gabium Antiochenum (2): « Si tamen huiusmodi baptismum suscepisse dicendus est » — *Concilium CPtanum I* cap. 7 in-

(1) Serm. 1 de Ep

(2) Ap. Euseb. l. 6, Hist. eccl. c. 43.

quit : *Eunomianos, qui in unam immersionem baptizantur.... primo quidem die Christianos facimus... et tunc eos baptizamus ;* et ideo *Theodoretus* (1) scribit, Eunomium trinam immersionem abrogando evertisse legem a Domino et Apostolis traditam. — *Pelagius II* in suo ad Gaudentium rescripto baptizari denuo iubet Bonosianos, qui unica immersione utebantur, et inter alia dicit : « Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi una etiam mersione se asserunt baptizare. Evangelicum vero praeceptum, ipso Deo et Domino Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione S. baptisma unicuique tribuere. » Ergo in Ecclesia creditum est, ritum ter immergendi fuisse ab ipso Christo praeceptum, et ad substantiam baptismi pertinere.

Resp. Argumenta ab adversariis allata dogma catholicum nullatenus labefactant. Nam canones Apostolici dicti, iuxta criticos Apostolos auctores non habent : ex canone autem citato solum inferri potest, quod nemo negat, trinam immersionem illo tempore de praecepto ecclesiastico fuisse ; poena enim depositionis etiam in illum ferri potest, qui praescriptam disciplinam in re gravi violat. Recte porro theologi observant, citatum canonem eos ferire, qui formam vitiabant, et baptismum per unicam immersionem conferebant absque invocatione trium Personarum SS. Trinitatis : « quia, inquit *S. Thomas* (2), principio nascentis Ecclesiae quidam de Trinitate male sentiebant. » — *Cornelius* non dubitavit de valore baptismi Novatiano collati : neque enim legimus, fuisse ipsum iterum baptizatum, quando in sacerdotem fuit ordinatus ; dubitavit autem de gratia huius sacramenti, quae hominibus obicem ponentibus non confertur, seu dubitavit de salutari baptismi effectu, tum quia eius fides suspecta erat, tum quia irregularis ex tali baptismo factus ad ordines sacros fuit promotus, tum quia confirmationem et eucharistiam non percepit, quae sacramenta iuxta disciplinam aevi illius cum baptismo coniungenda erant ; unde de eo conqueritur *Cornelius :* « Sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit, quae iuxta ecclesiasticam regulam percipi debent : neque ab Episcopo consignatus est. Hoc signaculo autem minime percepto, quomodo Spiritum sanctum potuit accipere? » — *Concilium CPlanum I* canone citato (qui iuxta Natalem Alex., Dissert. 38, in saec. IV suppositicius est) damnat Eunomianorum baptisma non praecise propter omissionem trinae immersionis, sed etiam, imo praecipue propter omissionem invocationis SS. Trinitatis, quam impii illi haeretici non admittebant. Et ex eadem ratione *Theodoretus* Eunomianorum baptisma improbavit ; nam l. c. scribit : « Eunomius sancti etiam baptismatis legem olim a Christo et Apostolis traditam evertit, et contrariam aperte sanxit, non oportere, dicens, ter illum immergere, qui baptizatur ; nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem. » — Eadem de causa non ob unicam immersionem, sed ob violatam a Bonosianis formam eorum baptisma minime ratum habuit *Pelagius II* ut manifestum est ex eius rescripto ; dicitur enim ibi : « baptizabant enim solummodo in mortem Christi. » Laudatus Pontifex loquitur quidem etiam de trina immersione, sed, ut cum *S. Thoma* (3) observant theologi, mandatum Christi de trina immersione intelligit in suo

(1) Lib. 4 haeret. fabul. cap. 3.

(2) 3 p., q. 66, art. 8 (3, L. cit. ad 2.

simili, in hoc scilicet, quod Christus praeceperit baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; unde id tantum innuit, baptisma iuxta evangelicum praeceptum in nomine trium Personarum conferendum esse: quod autem subdit de trina immersione, congruentia est tantum, quae ex dicto praecepto colligitur. Id patet ex ipso rescripto, in quo Pelagius sententiam suam de nullitate baptismi a Bonosianis collati hac ratione probat: « dicente Domino discipulis suis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; » ubi de trina immersione ne verbum quidem addit. Praeterea omnem difficultatem tollit regula, quam observandam hac in re Gaudentio praescribit, dicens: « Si revera hi de praefatis haereticis.... solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse, forsitan confitentur, sine cuiusdam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes SS. Trinitatis nomine baptizabis. Sin vero apud dilectionem tuam eorum, qui converti volunt, manifesta confessione claruerit, quod in nomine Trinitatis fuerint baptizati, sola reconciliationis impensa gratia, catholicae sociare fidei maturabis: » quibus verbis a sola forma vitiata aut observata nullitas, aut valor baptismi repetitur. Ast si Pelagius II etiam trinam immersionem ad baptismi valorem necessariam credidisset, Gaudentio praescribere debuisset, ut etiam illos baptizaret, qui una tantum immersione baptizati fuerant: sed hac de re nec minima commemoratio occurrit.

Obi. IV. Trina immersio necessario adhiberi debet, ut significetur Trinitas personarum, ac illud triduum repraesentetur, quo Christus mortuus iacuit in sepulcro.

(1) 3 p., q. 66, art. 8 ad 1.
(2) Lib. 1 adv. haer. cap. 21, n. 3.

Resp. S. Thomas (1) obiectionem hanc refellit dicens: « quod significatio Trinitatis fit in baptismo per verba formae, nec est de necessitate quod significetur Trinitas per usum materiae, sed hoc fit ad maiorem expressionem. Similiter etiam mors Christi figuratur sufficienter in unica immersione (vel infusione, aut aspersione, ut dixerat art. praec.). Triduum autem sepulturae non est de necessitate salutis nostrae, quia etiamsi una die fuisset sepultus, vel mortuus, sufficisset ad perficiendam nostram redemptionem.... Et ideo patet, quod trina immersio nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi est de necessitate sacramenti. »

III. *De forma baptismi.*

§ 532. Heterodoxi plures multiplici modo evangelicam baptismi formam vitiarunt. Teste *S. Irenaeo* (2), *Marcosiani*, seu *Gnostici* e Schola *Marci*, baptizabant « in nomine ignoti Patris universorum, in veritate omnium matre, in eo, qui in Iesum descendit, in unione et redemptione et communione virtutum. » Teste *S. Basilio* (3), *Montanistae* formam baptismi corrumpebant, illum conferentes « in Patrem, Filium, Montanum et Priscillam. » Teste *Innocentio I* (4), *Paulianistae* seu Pauli Samosateni discipuli, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizabant. *Eunomiani* teste *Theodoreto* (5) baptizabant in mortem Christi, vel teste *S. Epiphanio* (6) hanc formam usurparunt: « in nomine Dei increati, in nomine Filii creati, et in nomine Spiritus sanctificantis, et a creato Filio procreati. » Ex *Arianis* alii, teste *S. Hieronymo* (7), baptizabant « in Patre

(3) Ep. 188 ad Amphil. cap. 1.
(4) Ep. 22 (al. 17) ad Episcopos Macedoniae cap. 5. (5) L. c. (6) Haer. 76.
(7) Dial. adv. Lucif.

solo vero Deo, et in Iesu Christo Salvatore, et in Spiritu sancto, utriusque servo:» alii vero, teste *Nicephoro* (1): «in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto. » Similes errores etiam subsequentibus saeculis emerserunt; et *S. Bernardus* (2) loquitur de illis, qui baptizabant « in nomine Dei, et sanctae Crucis. » Novatores quoque saeculi decimi sexti, quamvis Ecclesiae formam non reiicerent, erroneas tamen sententias proposuerunt. *Lutherus* statuit, utendum quidem esse forma consueta, sed eam ad valorem baptismi necessariam non esse: nam (3) scribit: « Baptismum esse ratum quibuscunque verbis collatum, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini detur. » *Zuinglius* (4) negat certam in baptismo administrando requiri formam, quamvis non vetet verbis evangelicis uti. *Socinus* (5) docet, baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti non esse baptizari invocatis tribus SS. Trinitatis Personis, sed instrui in fide Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ex quo consequitur, validum fore baptismum, quando quis omissis verbis evangelicis, praemissa tamen fidei instructione tingitur. Cum Socino consentit etiam *Episcopius*, Arminianae sectae Theologus. *Rongiani* tandem, qui ut Sociniani, et alii Rationalistae in baptismo nihil aliud vident, quam caeremoniam, qua homines Ecclesiae aggregantur, istum « in nomine Dei et communitatis » conferunt. — Erroribus istis opponimus doctrinam Ecclesiae catholicae, quae semper credidit et docuit, validum non esse baptisma, nisi conferatur cum forma a Christo praescripta; haec autem tria exprimere debet, nempe *primo* actum ablutionis, *secundo* personam baptizandi, *tertio* unitatem naturae et Trinitatem Personarum divinarum, quae singillatim enuntiari debent. Ideo valida semper habita est tum forma Latinorum, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* tum forma Graecorum: *Baptizatur servus* (*vel serva*) *Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* In utraque enim forma exprimitur actus ablutionis, apud Latinos per verbum *Ego baptizo*, apud Graecos per verbum *baptizatur;* designatur persona baptizandi a Latinis per pronomen *te*, a Graecis per nomen substantivum: *servus* vel *serva;* indicatur denique unitas naturae divinae, dicendo: *in nomine*, et tres personae explicite, et singillatim enuntiantur. In forma quidem latina omissio pronominis *Ego*, valore baptismatis non obsisteret, quia actus ablutionis iam satis exprimitur per verbum *baptizo:* reliquae autem voces ita essentiales sunt, ut si una ex illis praetermitta tur, baptismus sit nullus. Hanc vero formam a Christo praescriptam de necessitate baptismi esse, ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, et ex *consensu Ecclesiae* probatur.

1. *In S. Scriptura* certam verborum formam Christus praescripsit, dicens: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (6): in quibus verbis exprimitur actus ablutionis per verbum *baptizantes*, persona baptizandorum per pronomen *eos*, unitas naturae divinae, dicendo *in nomine*, et Trinitas Personarum, nempe *Patris et Filii et Spiritus sancti.* Dubitari ergo non potest, hanc formam a Christo praescriptam esse illud verbum vitae, de quo loquitur Apostolus (7) dicens, Christum mundare, et

(1) L. 13 Hist. eccl. cap. 35.
(2) Epist. 340. (3) In lib. de captiv. babyl.
(4) De vera et falsa relig. c. de bant. vero.
(5) In tract. de bapt. cap. 2.
(6) Matth. 28, 19 (7) Ephes. 5, 26.

sanctificare homines *lavacro aquae in verbo vitae*. Nisi ergo hoc verbum vitae cum lavacro coniungatur, homines spiritualiter renasci nequeunt. Ideo Apostoli in baptismate conferendo eandem formam adhibuerunt, quam ut a Christo praescriptam semper observavit, et etiamnum observat Ecclesia. Id patet ex iis, quae *Act. XIX*, 1 et seq. leguntur: Paulus enim veniens Ephesum discipulos quosdam interrogavit: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: in quo ergo baptizati estis?* Obstupuit nempe Apostolus, quod illi, quos ut Christianos iam baptizatos esse putavit, nihil de Spiritu sancto audierint; cui admirationi locus non fuisset, si tres divinae Personae in forma baptismi explicite nominatae non fuissent. Cum autem iidem discipuli respondissent, se solum baptisma Ioannis percepisse, in quo explicita SS. Trinitatis invocatio non proferebatur, Paulus hoc baptisma pro Christianis insufficiens iudicavit, voluitque, ut baptismum a Christo institutum reciperent, unde legitur v. 5: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, id est baptismum acceperunt a Christo institutum, et baptizati sunt cum materia et forma a Christo praescripta.

2. *Ss. Patres* maximo consensu docent, baptisma eadem forma, quae nunc adhibetur, quovis tempore collatum fuisse, et praesertim explicitam trium personarum divinarum invocationem baptismo essentialem esse. *S. Iustinus M.* iam § 530, n. 2 citatus (1), ulterius dicit: « Super eo, qui regenerari voluerit, - Parentis rerum, et Domini Dei nomen pronunciatur. - Sed et in nomine Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, atque in nomine Spiritus sancti - is qui illuminatur, abluitur: » testatur porro, Christianos baptismum ita conferendi morem ab Apostolis accepisse. *Tertullianus* (2) ait: « Lex tingendi imposita est, et forma praescripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. » Et adv. Prax. (3) inquit: « Novissime mandans, ut tingerent in Patrem et Filium et Spiritum sanctum non in unum; nam nec semel, sed ter ad singula nomina in Personas singulas tingimur. » *Origenes* (4) ita loquitur: « Requiras fortassis etiam hoc, quod, cum ipse Dominus dixerit ad discipulos, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cur hic Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumpserit dicens: *Quicumque baptizati sumus in Christo;* cum utique non habeatur legitimum baptisma, nisi in nomine Trinitatis. » *S. Cyprianus* (5) ad Ianuar. scribit: « Ubi post resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare gentiles iubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imo et contra Ecclesiam, modo in nomine Iesu Christi, ubicunque et quomodocunque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari iubeat in plena et adunata Trinitate. » *S. Athanasius* (6) ad Serapion. haec habet: « Quod si sanctum lavacrum in nomine Spiritus sancti tantum daretur, iure diceretur, baptizatos in Spiritum sanctum dumtaxat peccare. Cum autem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti detur, sicque sin-

(1) Apol. 1, n. 61. (2) Lib. de bapt. c. 13.
(3) Cap. 26.
(4) In Ep. ad Rom. l. 5, n. 8.
(5) Ep. 73, n. 12. (6) Ep. 4, n. 12.

guli, qui baptizantur, initientur, consentaneum prorsus est, ut qui post baptisma praevaricantur, in sanctam et indivisam Trinitatem blasphement. » S. *Hilarius* (1) inquit: Scriptura « ita edocet divinae generationis sacramentum, ut baptizandi in Patre et Filio et Spiritu sancto non ignorent nominum veritatem, neque vocabulis intelligentiam confundant, sed unumquodque ita sensum concipiant, ut est, et nuncupatur » (2). S. *Basilius* (3) scribit: « Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. » S. *Gregorius Naz.* (4) adv. Arian. inquit: « Confessionem tuam memoria tene. In cuius nomine baptizatus es? Patris? recte, verum id adhuc iudaicum: Filii? praeclare; hoc iam minime iudaicum, sed nondum tamen plenum et perfectum; Spiritus sancti? optime; numeris omnibus absolutus est hic baptismus. » S. *Chrysostomus* (5) in illud: *Mundans lavacro aquae in verbo vitae;* ait: « Lavacro lavat eius immunditiam: *in verbo*, inquit, quonam? in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. » S. *Ambrosius* (6) dicit: « Nisi (Catechumenus) baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum. » S. *Augustinus* l. 6, de bapt. (7) asserit: « Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest... Caeterum quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? » Quid vero per verba evangelica intelligit, iam dixerat l. 3 de bapt. (8) scribens: « Si Evangelicis verbis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Marcion baptisma consecrabat, integrum erat sacramentum. » S. *Fulgentius* l. de Incarn. et grat. (9) haec de baptismi forma pronunciat: « Mysterium illud Redemptionis nullo modo habetur, si Patris et Filii et Spiritus sancti nomen subtrahatur. » S. *Isidorus Hisp.* (10) inquit: « Si, omissa qualibet Trinitatis persona, baptisma detur, manifeste in regenerationis aqua nil agitur, nisi tota Trinitas invocetur. » S. *Gregorius M.* (11) scribit: « Hi vero haeretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur... cum ad S. Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptismus non fuit, quod in errore positi in sanctae Trinitatis nomine minime perceperunt. Nec potest hoc ipsum baptisma dici iteratum, quod in Trinitatis nomine non erat datum. » S. *Io. Damascenus* (12) ait: « Fieri non potest, ut in Christum credamus, nisi Patris et Filii et Spiritus sancti confessione imbuti simus... Enim vero quaenam verborum forma adhibenda esset, Dominus discipulis suis exposuit, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* » Huc etiam revocari possunt testimonia Patrum, qui contra Sabellianos, Arianos, Macedonianos, aliosque Trinitatis osores ex forma in baptismo adhibita unitatem divinae essentiae, et distinctionem personarum probarunt.

3. *Constans Ecclesiae orientalis et occidentalis consensus* de necessitate formae a Christo praescriptae ex variis monumentis eruitur. Et imprimis ex libris ritualibus Latinorum, et Euchologiis Graecorum a doct. Mar-

(1) Lib. 1 de Trin. n. 21.
(2) Cf. lib. 2, n. 1.
(3) Lib. de Spir. S. cap. 12.
(4) Orat. 33, n. 17.
(5) Hom. 2[illegible] in Epist. ad Ephes. n. [illegible]
(6) L. de myster. cap. 4, n. 20.
(7) Cap 15, 47. (8) Cap. 15. (9) Cap. 11.
(10) Lib. 2 de offic. eccl. cap. 24.
(11) Lib. 9, Epist. 61.
(12) Lib. 4 de orth. fide cap. 10

tene (1) collectis elucet, tum formam Latinorum, tum formam Graecorum antiquissimam esse, et utramque Ecclesiam tenaciter suae formae inhaesisse, ita ut baptismus nullus, irritusque haberetur, si forma substantialiter immutata, et praecipue si explicita trium Personarum divinarum invocatio omissa fuerat. Ideo *Concilium Nicaenum I* can. 19 Paulinianos iussit rebaptizari, non vero Novatianos; cuius rei rationem assignat *S. Innocentius I* ad Episc. Macedon., (2) quia nimirum Novatiani baptismum evangelicis verbis conferebant, quibus non utebantur Paulianistae. *Arelatense I* can. 8 ait: *Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum; et si perviderint, eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* — *Concilium Laodicenum* anno 320 ob vitiatam formam irritum declaravit baptismum Montanistarum can. 8. — Ex eadem ratione ut invalidum reiectum est baptisma Eunomianorum a *Concilio CPtano I* can. 7. — *Zacharias* R. P. (3) irritum declarat baptismum absque debita forma collatum, dicens: « Si lotus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fuerit baptizatus. » Validam autem et legitimam esse tum Latinorum, tum Graecorum formam, declaravit *Eugenius IV* in Decreto pro Armenis dicens: *Forma autem (baptismi) est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Non tamen negamus, quin et per illa verba: Baptizetur (baptizatur) talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; vel, baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; verum perficiatur baptisma: quoniam si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum.*

Nota 1. Difficultates quaedam etiam huic dogmati opponi solent, quae silentio praetereundae non sunt.

Obi. I. Perperam dicitur, in verbis Christi Matth. XXVIII, 19, formam baptismi praescribi. Nam ex verbis antecedentibus: *Euntes docete*, evinci non potest necessitas dicendi: *Ego vos doceo*, dum infideles notitia mysteriorum fidei imbuuntur: ergo neque ex subsequentibus verbis evinci potest necessitas dicendi in ipsa collatione baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Resp. Quamvis forma a Christo praescripta non sit ad docendum, praescripta tamen est ad baptismi sacramentum administrandum; magna siquidem est inter utrumque disparitas. Nam actio, qua quis docet, per semetipsam satis determinata est ad hoc, quin addantur haec verba: *Ego te doceo:* At vero actio baptizandi de se est indifferens, ideoque per aliquid speciale determinari debet ad actionem sacram et sacramentalem per invocationem SS. Trinitatis. Caeterum missa etiam ratione disparitatis a priori, omnium efficacissima est ea, quae ex voluntate Christi petitur, a qua sola sicut institutio, ita etiam modus sacramenta valide administrandi dependent. Voluntas autem Christi patefacta est ex Traditione divina, et ex iudicio Ecclesiae infallibilis, quae ita intellexit verba Christi, ut ea sola exprimerentur, quibus ipsa utitur in

(1) De antiq. Eccl. rit. lib. 1, c. 1, a. 15.
(2) Epist. 22, 4.
(3) Rel. Dist. 4 de Consecr. c. 99

administratione, alia vero non item.

Obi. II. Per nomen Dei saepe intelligitur virtus, seu fides Dei, ut Ps. XIX, 8; Act. III, 6. Ergo illud: *in nomine Patris* etc., non significat, in expressione et invocatione, sed in virtute et fide Patris et Fiii et Spiritus sancti.

Resp. Negandum omnino est, per illud, *in nomine*, solummodo Dei virtutem aut fidem significari, cum potius ipsa invocatio indigitetur, per quam virtutis divinae auxilium obtinetur. Ita Psalmista de victoria loquitur, quam Israëlitae non per currus et equos, sed per auxilium Dei, cuius nomen invocabant, se relaturos esse sperabant. Et Petrus nomen Iesu invocavit, et sic virtute divina claudum sanavit. Eodem modo in baptismo iuxta formam a Christo praescriptam tres Personae divinae expresse nominandae et invocandae sunt, ut virtus seu gratia divina salutares baptismi effectus producat. Ita Apostoli praeceptum Christi intellexerunt, et ideo baptismum cum expressa trium Personarum invocatione contulerunt. Quid enim sibi volunt illa Pauli verba: *Numquid in nomine Pauli baptizati estis* (1)? nisi nos docere in collatione baptismi non fuisse invocatum nomen Pauli, sed nomen sacrosanctae Trinitatis? Et ita Ecclesia semper praeceptum Christi intellexit, quae in exponenda S. Scriptura errare non potest.

Obi. III. Necesse non est, ut singulae tres Personae in baptismo invocentur, sed sufficit unam duntaxat Personam nominare; et ideo validum est baptisma in nomine Dei aut Christi etc. collatum. Id docet *S Ambrosius* (2) scribens: « Nunc considerem us, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum, qui unctus est, Filium, et Spiritum, quo unctus est, designasti. » *Nicolaus I* in Resp. ad consulta Bulgarorum (3) haec habet: « A quodam Iudaeo, nescitis, utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profecto, si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit *Ambrosius*), constat, eos non esse denuo baptizandos. » *S. Bernardus*, Ep. 403 (4), interrogatus, quid de baptismo sentiendum sit, his verbis collato: *Baptizo te in nomine Dei, et Sanctae ac verae Crucis*, respondet: « Ego vere hunc baptizatum puto, nec sonum vocis veritati fidei et pietati intentionis preiudicare potuisse... Legimus enim in Actibus Apostolorum non modo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, verum et in nomine Domini Iesu Christi aliquos baptizatos. » Etiam *Hugo Victorin.* (5), *Petrus Lombardus* (6), *Hadrianus VI* (7), *Caietanus* (8) docent, validum esse baptismum in nomine Christi, aut SS. Trinitatis collective pronuntiatae collatum.

Resp. Testimoniis citatis opponimus allata ex Ss. Patribus et Ecclesiae consensu argumenta, quae per privatas nonnullorum opiniones non

(1) I Cor. 1, 13.
(2) Lib. 1, de Spir. S. cap. 3, n. 44.
(3) Rel. de consecr. dist. 4, c. 24.
(4) Al. 340. (5) L. 2 de sacram. c. 2.
(6) Lib. 4 de 3, n. 5.
(7) In opere ante Pontificatum conscripto in 4, q. 2, de bapt.
(8) Comment. Act. cap. 2.

infirmantur. Poterant quidam inculpate aberrare, quia solemnis hac de re Ecclesiae definitio non prodierat, et universalis Traditio illis non satis innotuerat. Caeterum, quod S. *Ambrosium* attinet, loquitur hic in laudato loco non tam de pronuntiando nomine Patris et Filii et Spiritus sancti per ministrum baptismi, sed potius de fidei professione, quam, qui baptizabantur adulti, edere solebant. Namque interrogati: *Credis in Patrem?* respondebant: *Credo;* et sic de aliis personis. Hoc igitur intendit S. Pater, baptizandos, etsi de una sola Trinitatis persona interrogati essent, respondissentque, baptismum tamen legitimum accipere, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent. Ideo ibid. (1) ait: « Plenum est (baptismi sacramentum), si Patrem et Filium et Spiritum sanctum fatearis, si unum neges, totum subrues. » Et iterum: « Quamvis et Patrem et Filium et Spiritum sanctum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. » Sane vacuum recipit mysterium, qui unam e tribus personis negat; sed an vacuum confert mysterium, qui trium nomine baptizat infantem, licet in SS. Trinitatem non crederet? — Accedit, Ambrosium aliis in locis clare edicere expressam trium Personarum invocationem necessario ad verum baptisma requiri; ut in Luc. l. 8, c. 67. — *Nicolaus I* hanc controversiam non definivit: « Non enim, ait *Melchior Canus* (2), illi proposita fuerat quaestio, an baptismus in nomine Christi collatus esset validus, sed an baptizatus a pagano vel Iudaeo verum baptismi sacramentum suscepisset. Obiter autem et in transcursu, cum huic quaestioni responderet, de suo adiecit non interrogatus, baptisma in nomine Christi conferri (posse). Qua in re falli potuit, imo falsus est etc. » Ab hac ergo privata Nicolai opinione recedere cogimur, cum habeamus contrariam definitionem *Pelagii II*, qui in sua ad Gaudentium epistola (3) scribit: « Si hi, qui in locis ditioni tuae vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cuiuscunque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in SS. Trinitatis nomine baptizabis: » et aliam similem *Zachariae* Papae (4), qui approbavit hoc decretum Synodi Anglicanae: *Qui vel unam de Trinitate Personam in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset.* Alii vero cum *Contensonio* incredibile reputantes, tantum Pontificem etiam ut privatum Doctorem baptismi essentialem formam ignorasse, et in re tam perspicua cespitasse, respondent, Nicolaum eodem modo exponendum esse quo Ambrosium, ad quem se refert, interpretandum, scilicet approbasse baptismum a Iudaeo collatum non more iudaico, sed in nomine Christi, hoc est, qualem Christus instituit, cum expressa SS. Trinitatis invocatione. — Citatam S. *Bernardi* epistolam suppositiam esse, aut saltem dubiam, cum Cl. *Estio* credit et probat *Berti* (5). — Verumtamen si etiam S. Bernardi sit, licebit nobis a privata ipsius opinione recedere, ne a communi aliorum sententia recedamus. Privatam vero fuisse suam hanc opinionem fatetur ipse Bernardus initio eiusdem epistolae scribens: « Breviter vobis de proposita quaestione respondemus, sine praeiudicio tamen sanius sapientis. »

(1) N. 42. (2) L. 6 de locis theol., c. 8 ad 7.
(3) Relat. Dist. 4, de consecr.
(4) Relat. ibidem cap. *In Synodo.*
(5) Lib. 31, cap. 9, in Resp. ad Obi. 2.

— Eodem modo sententia Hugonis, Lombardi et aliorum, qui eos secuti sunt, deserenda est, utpote quae ab Ecclesia nunquam approbata, sed potius reprobata fuit; nam *S. Pius V*, hunc errorem, ut nonnullos alios ex Commentariis Card. Caietani expungi iussit.

Nota. 2. Quamvis *S. Thomas* Petri Lombardi sententiam nunquam adoptaverit, sed constanter docuerit, necessariam esse ad valorem baptismi explicitam trium divinarum Personarum invocationem, putavit tamen, Apostolorum tempore ex dispensatione divina validum fuisse baptisma in nomine Christi collatum. Nam (1) inquit: « Ex speciale Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudaeis et Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad eius invocationem Spiritus sanctus dabatur in baptismo. » In corpore articuli iam dixerat, si praetermittatur aliquod eorum, quae Christus instituit, sacramentum efficacia carere, « nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam sacramentis non alligavit. » Eandem sententiam amplexi sunt *Albertus M.*, *S. Bonaventura*, *Scotus*, aliique graves Theologi. Eam vero reiiciunt *Domin. Soto* (2), *Melchior Canus* (3), *Bellarminus* (4), *Natalis Alex.* (5), *Tournely* (6), *Contensonius* (7), *Hiac. Serry* (8), *Drouvenius* (9), *Laur. Berti* (10), et plurimi alii Theologi, qui non immerito censent, huiusmodi privilegium cum Ss. Litteris componi non posse. Christus siquidem (11) Apostolis praecepit, ut baptizarent cum expressa SS. Trinitatis invocatione. Hoc autem posito praecepto, de quo sane dubitandum non est, quomodo fingi potest facultas Apostolis tradita de baptismo in unius Christi nomine conferendo? — Si dicatur divino mandato Apostolorum aevo fuisse derogatum, id profecto gratis asseritur, sed ex Dei verbo scripto vel tradito nequit comparari. Cum ergo vestigium nullibi reperiatur huiusce derogationis, recte concluditur, hanc dispensationem commentitiam omnino fore, nec aliter Apostolos baptizasse, quam per distinctam SS. Trinitatis invocationem. — Verum quidem est, quod in S. Scriptura nullibi indicetur, Apostolos baptizasse in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et quod Act. VIII, 12 dicatur: *In nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres;* quod saepius in iisdem Actibus reperitur (12). In his autem locis non forma baptismi designatur, sed solum innuitur, non *baptismum Ioannis*, sed baptismum a Christo institutum credentibus fuisse collatum. Et sane Apostolos quoque in nomine SS. Trinitatis baptizasse, apparet ex eo, quod Paulus Ephesi (13) miratus sit, eos, quos iam baptismum Christi accepisse putaverat, nihil audivisse de Spiritu sancto. Eodem modo citata loca intelligunt Ss. Patres. *S. Cyprianus* (14) loquens de baptismo a Petro in nomine Iesu Christi collato, ait: « Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri Filius quoque adiungeretur; » et dein addit; validum non esse baptisma in solo nomine Christi collatum. Secundum *S. Ambrosium* (15) in citatis lo-

(1) 3 p., q. 66, art. 6 ad 1.
(2) In 4 sent. Dist. 3, q. 2, n. 6.
(3) Lib. 6, de loc. theol. c. 8 ad 6.
(4) T. 3, contr. 2, lib. 1, de bapt. c. 3.
(5) Diss. 13, Hist. eccl. saec. 3.
(6) De bapt. q. 1, art. 4.
(7) Lib. 6, diss. 3.
(8) Disp. 2, de sacram. praelect. 4.
(9) In Append. tom. 1, de re sacram.
(10) Lib. 31, cap. 9, prop. 3.
(11) Matth. 28, 19. (12) 2, 38; 10, 49; 19, 5.
(13) Act. 19, 1 etc. (14) Ep. 73.
(15) L. 1 de Spir. S. cap. 12.

cis denotatur, Apostolos non baptismum iudaicum, non baptismum Ioannis in poenitentiam, sed baptismum a Christo institutum in remissionem peccatorum contulisse, ac baptizasse Christi virtute ac mandato, quod erat, ut hoc sacramentum fieret cum expressa trium divinarum Personarum invocatione. *S. Augustinus* (1) cont. Maximin. tanquam rem indubitatam supponit, eos, qui in Scriptura dicuntur in nomine Christi baptizati, sub trium Personarum invocatione baptismum recepisse. Nam in verba Petri Act. II, 38 inquit: « Si non nominatis Patre et Spiritu sancto, in nomine Iesu Christi iussi sunt baptizari, tamen non intelliguntur baptizati nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. » *S. Fulgentius* (2) scribit: « Omnis, qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti sacramento regenerationis abluitur, nonnisi in Christi morte ac nomine baptizatur (id est, per Christi merita remissionem accipit), ut evidenter appareat, illi nos consepultos esse per baptismum in morte, in cuius una cum Patris et Spiritus sancti constat nomine baptizatos. » Iuxta *S. Io. Damascenum* (3) haec verba: *Baptizari in nomine Christi*, nihil aliud indicant, quam baptismum datum in fide Christi, videlicet iis, qui solemnem fidei professionem in Christum emiserant. — Nonnulli cum *Natali Alex.* contendunt, *S. Thomam* non *absolute* asseruisse, baptismum in nomine Christi collatum aliquando valuisse, sed facta *hypotesi*, quod Apostoli baptizaverint in solo nomine Iesu Christi, docere, id ab iis fieri non potuisse nisi ex dispensatione divina, quae ipsis per revelationem innotuerit. Unde (4) dicit, Apostolos hoc facere non potuisse, « nisi ex familiari consilio Spiritus sancti: » atque infert, quod: « hoc etiam Ecclesiam nunc posset, si speciale praeceptum a Spiritu sancto haberet, non autem propria auctoritate.... Et modo non esset baptismus, si quis in Christi nomine baptizaret. » — *Hypothetice* etiam loquitur *Catechismus romanus* (5) inquiens: « Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, cum Apostoli in nomine tantum Domini Iesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus sancti afflatu eos fecisse nobis exploratum esse debet, ut initio nascentis Ecclesiae Iesu Christi nomine praedicatio illustrior fieret, divinaque et immensa eius potestas magis celebraretur. » Postea vero (6) aliam sententiam insinuat, scilicet dici Apostolos baptizasse in nomine Christi, ut significetur, ipsos contulisse baptismum: « non qui a Ioanne, sed qui a Christo Domino traditus esset; tametsi a communi et usitata forma, quae distincta trium Personarum nomina continet, Apostoli non discederent. »

Nota 3. Praeter expressam trium divinarum Personarum invocationem etiam haec verba: *Ego te baptizo,* aut saltem: *Te baptizo*, aut alia aequivalentia sunt de essentia baptismi. Nam Christus verbis illis: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (7); aeque adstruit necessitatem invocandi SS. Trinitatem, ac exprimendi actionem baptizantis, ut constat ex Traditione et perpetua praxi Ecclesiae, quae fidelis est, et infallibilis verborum Christi sponsi sui interpres. Cum enim ostendi nequeat, a quo Pontifice vel Concilio haec forma praescripta fuerit, iuxta regulam *S. Augustini* legitime infertur, eam

(1) Lib. 2, cap. 17.
(2) L. de Incarn. et grat. cap. 11.
(3) L. 4, de fide. cap. 10.
(4) In 4, Dist. 3, q. 1, art. 3, q. 2 ad 3.
(5) P. 2, cap. 2, n. 15. (6) N. 16.
(7) Matth. 28, 19.

esse divinitus traditam, et semper in Ecclesia usurpatam. Nam S. *Gregorius M.* in suo sacramentario hanc formulam: *Ego te baptizo* etc. diserte refert ut ritum iamdiu in Ecclesia receptum, non ut recens a se institutum. Ideo *Alexander III* (1) ait: « Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et non dixerit: *Ego te baptizo* etc.: non est puer baptizatus. » *Eugenius IV* in Decreto pro Armenis inquit: « Cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit S. Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. » *Alexander VIII* anno 1690 sequentem damnavit propositionem (n. 27): « Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, praetermissis illis : *Ego te baptizo :* » ergo vera est huius contradictoria: Nunquam valuit baptismus sub hac forma collatus etc. Rationem theologicam affert S. *Thomas* (2) dicens: « Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet, quod determinetur in verbis formae, ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc, quod dicitur: in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. III. Et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum, vel per modum Graecorum non perficitur sacramentum. »

Nota 4. Complures aliae quaestiones circa formam baptismi a theologis moventur, et non omnes eadem responsione solvuntur. Consentiunt quidem omnes, invalidum esse baptismum, si Minister dicat: *In nominibus Patris* etc., quia tunc unitas divinae essentiae non exprimitur. Ideo S. *Ambrosius* (3) in verba Christi Matth. XXVIII, 19 ait: « *In nomine*, dixit, non in nominibus, - quia unus Deus. » Auctor de Sacr. (4) dicit: « In uno autem nomine baptizari nos iussit. » S. *Hieronymus* (5) inquit: « Et non baptizamur in nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in uno nomine quod intelligitur Deus. » S. *Augustinus* (6) scribit: « *In nomine*, non in nominibus: hi enim tres unum sunt, et hi tres unus est Deus. » — Si quis ita formam proferat: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti*, multi cum *Mart. Bonacina* tale baptisma invalidum declarant, quia in forma unitas essentiae divinae non exprimitur. Alii vero tale baptisma validum habent, quia in Ritualibus, praecipue dum benedictiones et exorcismi proponuntur, frequenter haec formula invenitur : In nomine Patris, in nomine Filii etc., quin Ecclesia suspicetur, ideo unitatem divinae essentiae negari. Quapropter *Suarez* (7) ait: « Respondetur illam formam esse validam, quia unum et idem nomen potest iterum atque iterum nominari et invocari absque pluritate, et vere dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus: » eandem sententiam defendit *Berti* (8). — Hic idem (9) validum quoque putat baptisma collatum *in nomine Genitoris, Geniti et Procedentis ab utroque ;* sed gravissimi Theologi, ut S. *Thomas*, *Scotus*, *Estius*, *Sylvius*, *Suarez*, *Vasquez* etc. negant, baptisma tali forma collatum validum esse,

(1) In Decr. l. 3, tit. 42, de bapt. et eius effectu, cap. *Si quis*.
(2) 3 p., q. 66, art. 5 ad 2.
(3) Lib. 1 de Spir. S. c. 13, n. 132.
(4) Lib. 2, cap. 7, n. 2.
(5) In cap. 4, Ep. ad Ephes.
(6) Lib. 2 adv. Maximin. c. 22, n. 3.
(7) Disp. 21, in 3 p., q. 66.
(8) Lib. 31, cap. 10, n. 4. (9) N. 5.

quia vocabula *Genitoris* et *Geniti* non significant personam subsistentem, sed proprietatem et actum, ut Scholae loquuntur, *notionalem*. — Dubitant etiam aliqui, an valeat baptismus praetermissa particula: *Et;* ast cl. *Berti* (1) respondet: « Ego absque ulla haesitatione ratum baptisma illud existimo, propterea quod vocabula *Patris*, *Filii et Spiritus sancti*, nativa propriaque significatione demonstrant oppositionem relationis ideoque distinctionem personarum. » Haec et similia disputantur circa valorem baptismi; caeterum Theologi consentiunt, ministrum, ut licite baptismum conferat, formam ab Ecclesia praescriptam integram pronunciare debere, eumque non sine gravi culpa posse formam adhibere dubiam, cum possit proferre certam.

ARTICULUS III.

De ministro baptismi.

§ 533. Cum baptismi sacramentum ad salutem maxime necessarium sit, divina Christi providentia sicut pro materia elementum maxime commune elegit, ita etiam eiusdem ministerium amplissime voluit patere. Cum igitur de baptismo agitur, triplex distinguendus est minister, unus, *ordinarius* et ex officio, alter *extraordinarius* et ex delegatione, tertius *in necessitate*. Minister ordinarius ille est, qui iure ordinationis suae et acceptae a Christo auctoritatis, docendi et baptizandi potestatem habet. Hanc vero duobus modis habere potest, nempe vel sine ulla a superiore dependentia, quales sunt *Episcopi*, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (2), et qui idcirco Principes Ecclesiae vocantur: vel cum dependentia et subordinatione ad superiorem, quales sunt simplices *sacerdotes*. Minister extraordinarius est, cui, utpote vi ordinationis suae ad functiones aliquas sacras destinato, ius baptizandi etiam extra casum necessitatis delegari potest, et talis est *Diaconus*. Minister denique ex necessitate ille est, qui in necessitate seu urgente mortis periculo, cum alii deficiunt ministri idonei et ordinarii, potest baptismum administrare, qualis est omnis, et quilibet homo rationis capax, sive mas, sive femina, sive haereticus, sive infidelis. — Distinguere pariter oportet triplicem baptismi administrationem, nempe *solemnem*, qualis in veteri Ecclesia fieri solebat in duabus festivitatibus Paschae et Pentecostes; *publicam*, quae nunc etiam fieri solet, licet non cum tanta solemnitate, in Ecclesiae baptisteriis; et *privatam*, quae in privatis aedibus aliquando fit periculo mortis instantis. — Observandum denique est, baptismum aut tantum *valide*, aut etiam *licite* administrari. Valide quicunque minister baptizat, quando, etsi aliunde peccet, ratum tamen ac firmum perficit sacramentum, omnibus ad substantiam sacramenti requisitis rite observatis. Licita autem est administratio, quando minister baptizando non peccat. — His praenotatis doctrina catholica de ministro baptismi iuxta partes suas iam indigitatas probanda est.

(1) L. 31, cap. 10, n. 6 (2) Act. 20, 28.

I. *Ordinarii baptismi ministri sunt Episcopi et Presbyteri.*

§ 534. 1. Episcopos primarios esse baptismi ministros, ostendunt verba Christi Matth. XXVIII, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos* etc., quibus utrumque officium docendi et baptizandi Apostolis impositum fuit: Episcopi autem sunt successores Apostolorum (3): ergo etiam

(3) V. Th. gen. § 228 etc.

ad Episcopos primario officium sicut docendi, ita et baptizandi pertinet. Hinc Paulus se aliosque Apostolos nominat *Dispensatores mysteriorum Dei*(1); ad haec autem baptismus quoque pertinet. Legimus etiam, Apostolos baptizasse tria millia hominum(2). Paulus quoque narrat (3) se baptizasse Crispum, Caium et domum Stephanae; imo et (4) Lydiam et custodem carceris Philippensis (5). Idem probat Traditio. Semper enim primarium baptizandi ius et officium Episcopis adiudicatum fuit. S. *Ignatius M.* (6) ait: « Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare. » *Tertullianus* (7) scribit: « Dandi quidem (baptismi) habet ius summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri et Diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem. » S. *Hieronymus* in Dial. adv. Lucifer. (8) haec habet: «Ecclesiae salus in summi sacerdotis (id est, Episcopi) dignitate pendet; cui si non-eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. Hinc venit, quod sine chrismate et Episcopi iussione neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi. » Constat etiam, primis Ecclesiae saeculis in festis Paschatis et Pentecostes baptismum a solo Episcopo solemniter fuisse administratum. *Theodoretus* lib. 2 Hist.(9) mentionem facit cuiusdam vestis ex aureis filis contextae, « quam Constantinus Imperator ad Ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam Macario, illius urbis Episcopo, donaverat, ut ea indutus baptismum solemniter administraret. » De S. *Ambrosio* scribit *Paulinus* in eius vita(10): «Erat in rebus divinis implendis fortissimus, ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi vix implerent. » Ita multi Episcopi praxi ipsa declararunt, primarium baptizandi ius et officium ad se pertinere.

2. Quamvis primarium baptizandi ius et officium ad Episcopos spectet, dubitari tamen non potest, etiam Presbyteros esse ordinarios baptismi ministros. Nam Io. IV, 2 legitur: *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius:* ergo discipuli quoque, mandante Christo, baptizarunt. Sicuti autem Apostolis Episcopi, ita Presbyteri discipulis succedunt (11): ergo Presbyteri quoque potestate accepta a Christo baptizare possunt. *Estius* (12) alia ratione id probat, exemplo Christi et Apostolorum corroborata. Quoniam enim Episcopis alia maiora incumbunt onera, docendi videlicet et orandi, quae impediri possent, si multum in iis, quae minora sunt, occuparentur; hinc factum est, ut iam ab initio baptizandi provincia Presbyteris inferioribus relinqueretur, siquidem et Christus non per se baptizavit (13), qui tamen per se oravit et Evangelium praedicavit. Et Petrus(14) Cornelium familiaresque eius a se salutari doctrina prius instructos, per alios baptizari iussit. Et Paulus paucissimos a se baptizatos testatur, dicens: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare* (15). Idem Paulus (16) duodecim viris aliorum opera baptizatis manus imposuit. Denique in negotio non dissimili dictum est ab Apostolis: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.... Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus*(17):

(1) I Cor. 4, 1. (2) Act. 2, 4.
(3) I Cor. 1. 14 etc. (4) Act. 16, 15.
(5) V. 33. (6) In Ep. ad Smyrn. n. 8.
(7) De bapt cap. 17. (8) N. 9.
(9) Cap. 27. (10) N. 38.
(11) V. Th. gen. § 249. (12) In 4, Dist. 5, § 1
(13) Io. 4, 2. (14) Act. 10, 18.
(15) I Cor. 1, 16 etc. (16) Act. 19, 6
(17) Act. 6, 2.

Id enim pari ratione officio baptizandi adaptari potest. Quod ergo, concludit *Estius*, Christus Apostolis in Evangelio mandat, ut doceant et baptizent, ita ex Actis et verbis Apostolicis intelligendum esse discimus, ut doctrinae ipsi per se iubeantur intendere, baptismum vero possint, vel etiam debeant, ne a gravioribus ordinis sui functionibus avocentur, per alios administrare. Ideo Ecclesia semper ordinarium baptizandi ius etiam Presbyteris adiudicavit. Id patet ex Canone Apostolorum 49, in quo cum Episcopis etiam Presbyteri ut baptismi ministri referuntur; dicitur enim: « Si quis Episcopus, aut Presbyter non trinam immersionem unius mysterii celebret... damnetur. » Constat autem, Canones praedictos ex veteribus Conciliis excerptos esse. Auctor constit. apost. (1) ait: « Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus.... nisi tantum Episcopis et Presbyteris, ministrantibus Diaconis. » *Innocentius I* Presbyteros ut ordinarios baptismi ministros declarat (2), ad Decent. scribens: « Presbyteri seu extra Episcopum, seu praesente Episcopo, baptizant. » Etiam in Epist. 10 *S. Siricii* « etiam praesente Episcopo » Presbyteri perhibentur baptizare. - *Concilium Hispalense II* anno 619 celebratum in Presbyteris ius baptizandi agnoscit, et solum cavet, ne independenter ab Episcopo istud exerceant, cap. 17 dicens: *Neque coram Episcopo licere Presbyteris in baptisterium introire, nec praesente Antistite infantem tingere.* Eodem modo ius baptizandi Presbyteris adiudicant *S. Ignatius M.*, *Tertullianus*, et *S. Hieronymus*, ut patet ex locis supracitatis. Quod si isti Patres, et nonnulla Concilia Episcoporum facultatem exigere videntur, ut Presbyteri tingere possint, vel de solemni baptismi administratione intelligendi sunt quae iuxta veterem disciplinam Episcopo propria erat, vel de servando ordine in ecclesiastica politia, iuxta quam par erat, ut quum baptizantium Episcoporum copia suppeteret, Presbyteri ab eo munere se temperarent licet sui ordinis proprio; prout neque nunc temporis omnibus indiscriminatim Presbyteris licet baptisma conferre, sed solum ex parochi licentia; vel denique haec illi Patres docuerunt, ut commonefacerent, Presbyteros non esse nisi ministros *subordinatos*, prout supra animadvertimus. Caeterum cum *S. Ignatius* loc. cit. addat, Presbytero sine Episcopo non licere « neque agapen celebrare, » idest, eucharistiam conficere, ac apud omnes exploratum sit, Presbyteris ius ordinarium competere consecrandi eucharistiam; sic dubitari nequit, veteres, cum interdicunt ipsis baptizare sine licentia Episcopi, minime adimere ipsis voluisse ius ordinarium baptizandi. Id unum propterea volunt, hoc ius, utpote subordinatum, non potuisse a Presbyteris in praxin deduci absque Episcopi iussione et facultate. Ideo *Eugenius IV* in Decreto pro Armenis dicit: *Minister huius (baptismi) sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Et *Catechismus rom.* (3) haec habet: « Quod vero sacerdotes iure suo hanc functionem exerceant, ita ut praesente etiam Episcopo ministrare baptismum possint, ex doctrina Patrum, et usu Ecclesiae constat. » Rationem vero, ob quam Presbyteri quoque sint *ordinarii* ministri baptismatis, hanc allegat *S. Thomas* (4): « quia sacerdotes consecrantur, ut sacramentum corporis Christi conficiant. Illud autem est sacramentum Ecclesiasticae

(1) Lib. 3, cap. 11. (2) Epist. 26, n. 6. (3) P. 2, c. 2, n. 23. (4) 3 p., q. 67, a. 2.

unitatis secundum illud : *Unus panis et unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus* (1). Per baptismum autem aliquis fit particeps ecclesiasticae unitatis, unde et accipit ius ad mensam Domini accedendi. Et ideo sicut ad sacerdotem pertinet consecrare eucharistiam (ad quod principaliter sacerdotium ordinatur), ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare: eiusdem enim videtur esse operari totum, et partem in toto disponere. »

II. *Extraordinarius baptismi minister est Diaconus.*

§ 535. Diaconi sunt ministri baptismi etiam publici et solemnis, sed extraodinarii tantum, et ex delegatione, non vi proprii officii.

1. Diaconos baptismum administrare posse, patet ex Act. VIII ubi Philippus diaconus baptizasse dicitur; nam v. 12 de Samaritanis legitur: *Cum credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres;* et v. 38: *Descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus et baptizavit eum.* Hinc semper in Ecclesia creditum est, Diaconos non ad munus mere profanum, sed etiam ad ministerium sacrum assumptos esse (2). — *S. Ignatius M.* in Ep. ad Trallian. n. 2, Diaconos nuncupat « ministros mysteriorum Dei.» *Tertullianus*, et *S. Hieronymus* (3), non solis Presbyteris, sed etiam Diaconis facultatem tribuunt baptizandi. Diaconi hoc munus semper exercuerunt. Sic *S. Laurentius M.*, Lucillum, Hippolytum totamque illius familiam baptizavit, a quo detinebatur in carcere, ut discimus ex eius Actis. Imo constat ex Epist. 10 *S. Stricii* ad Episc. Gall. (4) *in Ecclesia romana* in Paschatis pervigilio Diaconis antiquitus indultum fuisse baptizare propter ingentem eorum multitudinem, qui ad baptismum accedebant; quod pariter passim praestabant in Diaconiis, in quibus ipsi plebem regebant, ut liquet ex *Concilio Illiberitano,* quod Can. 70 dicit: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Denique id patet ex *Pontificali romano;* Episcopus enim in ordinatione Diaconorum dicit: *Cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis: Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare.*

2. Diaconi autem ordinariam baptizandi potestatem non habent, sed ministri illius sunt extraordinarii, qui ex delegatione Episcopi aut Presbyteri baptismum conferre possunt. Etiam Philippum ex Apostolorum delegatione baptizasse, communiter creditur. Cum enim ipsi, numero pauci, ubique esse nequirent, verisimile est, eos potestatem fecisse Diaconis aliisque discipulis baptismum conferendi, quando usque ad Presbyterorum praesentiam differri non poterat. Ordinaria baptizandi potestate Diaconum non gaudere, manifestum est imprimis ex lib. III Constit. Apost., ubi cap. 11 (§ praec. cit.) solis Episcopis et Presbyteris ordinaria baptizandi potestas adiudicatur, et cap. 20 dicitur: « Presbyter quidem doceat, offerat, baptizet, benedicat populo ; Diaconus vero ministret Episcopo et Presbyteris. » Lib. VIII, c. 28 aperte dicitur: « Diaconus... non baptizat. » Ex auctoritate Patrum idem probatur. *S. Ignatius*, *Tertullianus* et *S. Hieronymus* expresse dicunt, Diaconos sine Episcopi iussione et facultate baptizare

(1) I Cor. 10, 17. (2) V. Th. gen. § 270 (3) N. 9, § praec. (4) Cap. 4, n. 10.

non posse. *S. Epiphanius* (1) inquit: « Neque Diaconis ullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur: sed hoc dumtaxat, ut eorum, quae (ab Episcopis, vel Presbyteris) perficiuntur, sint ministri.» *S. Gelasius I* (2) ita loquitur: « Diaconos constituimus propriam servare mensuram, nec ultra tenorem a paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus... Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat.» *S. Isidorus Hisp.* (3) scribit: « Constat baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum; eiusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat.» Idipsum *S. Thomas* ratione theologica ostendit (4) dicens: « Sicut coelestium ordinum proprietates et officia ex eorum nominibus accipiuntur, - ita etiam ex nominibus ecclesiasticorum ordinum accipi potest, quid ad unumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem *Diaconi* quasi *ministri*, quia videlicet ad Diaconos non pertinet, aliquod sacramentum principaliter, et quasi ex proprio officio praebere, sed adhibere ministerium aliis maioribus in sacramentorum exhibitione. Et sic ad Diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio tradere sacramentum baptismi, sed in collatione huius sacramenti et aliorum assistere et ministrare maioribus.» Et cum sibi obiecisset exemplum S. Laurentii M., respondet (5): «Quod, quia baptismus est sacramentum necessitatis, permittitur Diaconis necessitate urgente in absentia maiorum baptizare: et hoc modo B. Laurentius diaconus existens baptizavit.» Quod autem attinet Canonem *Concilii Illiberitani*, dicendum est, iis, qui in Ecclesiis regendis extraordinaria potestate olim destinabantur, fuisse etiam delegatam facultatem baptizandi. Verba igitur, in ordinatione Diaconi usitata, minime significant, Diaconis competere ius conferendi baptismum ex officio, sed tantum, Diaconos vi propriae ordinationis idoneos effici, ut illis munus baptizandi, et praedicandi delegari queat. Ideo *Catechismus romanus* loc. cit. dicit: « Secundum ministrorum locum obtinent Diaconi, quibus sine Episcopi, aut Sacerdotis concessu non licere hoc sacramentum (baptismi) administrare, plurima Ss. Patrum decreta testantur.»

(1) Haeres. 79, n. 4.
(2) Epist. 9 ad Episc. Lucaniae.
(3) L. 2 de offic. cap. 24.

III. *Minister baptismi in necessitate est quilibet homo.*

§ 536. Iuxta doctrinam catholicam baptismus a quocunque homine cum debita materia, forma et intentione collatus semper validus, sed extra casum necessitatis illicitus est. Si autem necessitas cogat, si nempe pro infante, aut adulto non baptizato urgeat mortis periculum, et nec Presbyter nec Diaconus adsit, tunc quilibet homo, sive mas sive foemina, imo et haereticus ac infidelis baptismum tum valide, tum licite administrare potest. Hinc *Catechismus rom.* (6), disserens de ministris baptismi, inquit: « Extremus ordo illorum est, qui cogente necessitate sine solemnibus caeremoniis baptizare possunt; quo in numero sunt omnes, etiam de populo, sive mares, sive foeminae, quamcunque illi sectam profiteantur. Nam et Iudaeis quoque, infidelibus et

(4) 3 p., q. 67, art. 1. (5) Ibid. ad 3.
(6) P. 2 cap. 2, n. 24.

haereticis, cum necessitas cogit, hoc munus permissum est, si tamen id efficere propositum eis fuerit, quod Ecclesia catholica in eo administrationis genere efficit.» Haec autem doctrina non quidem ex S. Scriptura, sed ex *Ss. Patribus*, ex *Conciliis* probatur, et *ratione theologica* confirmatur.

1. Validum, et in casu necessitatis licitum esse baptismum a laicis collatum, *Ss. Patres* testantur. *Tertullianus* (1), cum Episcopis et ex horum consensu etiam Presbyteris et Diaconis baptizandi facultatem adiudicasset, sic pergit: « Alioquin etiam laicis ius est; quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest... Proinde et baptismus aeque Dei census ab omnibus exerceri potest; sed quanto magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit?... Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personae conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia periclitantis: quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit praestare, quod libere potuit.» *S. Hieronymus* (2) inquit: « Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis baptizare: ut enim accipit quis, et dare potest; » ubi notandum est, S. Doctorem hanc sententiam proponere ut omnibus notam, et a nemine impugnatam. *S. Augustinus* (3) scribit: « Etsi laicus baptismum pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addiscit, nescio, an pie quisquam dixerit repetendum esse. Nulla etenim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum; » quae verba non sunt dubitantis, sed certo definientis, baptismum in necessitate a laico collatum nullum esse delictum, nisi forte veniale, si nempe laicus omnem, quam potuit, diligentiam non adhibuit in perquirendo sacerdote. Idem S. Doctor de bapt. (4) dicit: « Nequaquam dubitarem, habere eos baptismum, qui ubicunque, et a quibuscunque illud verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione et cum aliqua fide suscepissent.» Quamvis igitur S. Doctor (5) dubitasse videtur: « Utrum ab iis, qui nunquam fuerunt Christiani possit baptismus dari; » et declaravit, nil temere hac de re affirmandum esse « sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantae rei sufficit; » ex allatis tamen verbis manifestum est, ipsum etiam ab infideli collatum baptisma validum habuisse. *S. Nicolaus I* in Resp. ad Consulta Bulgarorum (6) ait: « A quodam Iudaeo, nescitis, utrum Christiano an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine SS. Trinitatis... baptizati sunt, constat, eos non denuo esse baptizandos. » *Urbanus II* Epist. ad Vitalem (7) haec habet. « Super quibus consuluit nos tua Dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut et baptismus sit, si instante necessitate foemina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit. » *S. Gelasius* Epist. ad Episc. Lucan. (8) cum dixisset, Diaconos solum in extremae

(1) L. de bapt. cap. 17.
(2) In Dial. ad Lucif. n. 9.
(3) L. 2, c. Epist. Parmen. cap. 13, n. 29.
(4) L. 7, c. 53, n. 102.
(5) L. 2, c. Epist. Parmen. c. 13, n. 30.
(6) Cap. 104.
(7) Ap. Gratian. cap. *Super quibus*, Causa 30 q. 3.
(8) Cap. 9.

necessitatis casu licite baptizare, addit: « quod et laicis christianis facere plerumque conceditur.» S. *Isidorus Hisp.* (1) docet, solis Episcopis et Presbyteris licitum esse baptizare; « nisi illis procul absentibus ultima languoris necessitas cogat; quod et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de saeculo evocetur. » —Consensus Ecclesiae graecae patet tum ex eo, quia nunquam contra sententiam Latinorum reclamavit, tum ex iudicio *Alexandri* Episcopi Alex., quo ratum habuit baptismum ab Athanasio aliisque pueris ludentibus collatum, quod referunt *Sozomenus* (2) et *Ruffinus* (3). Quamvis enim veritas historiae a nonnullis in dubium vocata sit, non tamen iudicium Episcopi reprobatum fuisse legitur, et dubia mota fuerunt non de valore baptismi a laicis collati, sed solum de sufficientia intentionis, ad valorem baptismi requisitae.

2. *Concilia* definierunt, baptismum validum esse tum a quocunque laico, tum ab haeretico vel infideli collatum. *Compendiense* (4) ait: *Si quis baptizatus est a Presbytero non baptizato, et sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuerit, baptizatus est. Lateranense IV*, c. *Firmiter* inquit: *Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum, proficit ad salutem;* quibus verbis validus declaratur baptismus, a *quocunque* ergo etiam a laico, imo et ab haeretico, vel infideli rite collatus. Clarius id exprimit *Eugenius IV* in decreto pro Armenis dicens: *Minister huius sacramenti est sacerdos, cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat, quod facit Ecclesia.* Definitiones Conciliorum, quibus validus declaratus est baptismus ab haereticis collatus, iam adductae fuerunt § 502, n. 2.

3. *Rationem theologicam* affert *S. Thomas* (5) dicens: « Ad misericordiam eius, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his, quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem: quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi et quantum ad culpam, et quantum ad poenam. Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est, ut et materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quae a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit quicunque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur. » Et ibid. (6) de foemina subdit: « Christus est, qui principaliter baptizat secundum illud: *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat* (7). Dicitur autem Gal. III, 28: *Non est masculus, neque foemina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Ed ideo sicut masculus laicus potest baptizare quasi minister Christi, ita et foemina. Quia tamen *caput mulieris est vir, et caput viri est Chri-*

(1) L. 2 de offic. eccl. c. 24.
(2) L. 2 Hist. eccl. c. 16. (3) L. 1 Hist. c. 14.
(4) Anno 756, can. 9. (5) 3 p., q. 67, art. 3.
(6) Art. 4. (7) Io 1, 33.

stus, ut dicitur I Cor. II, non debet mulier baptizare, si adsit copia viri; sicut nec laicus praesente Clerico, nec Clericus praesente Sacerdote, qui tamen potest baptizare praesente Episcopo, eoquod hoc pertinet ad officium Sacerdotis.» Alia ratio theologica peti potest a dogmate iam § 502 probato. Nam si ex doctrina antiquae Ecclesiae, et ex definitione *Concilii Tridentini* baptismus ab haereticis collatus validus ac ratus est, quanto magis a fideli laico, vel etiam a foemina fideli administratus? Imo ex eodem dogmate etiam recta conclusione infertur, validum quoque esse baptismum ab infideli collatum. Nam ait cl. *Perrone:* « Veritas de valore baptismi ab infideli collati est veluti corollarium alterius veritatis, de valore scilicet baptismi ab haeretico administrati, ex qua tanquam ex suo germine saeculorum decursu evoluta est. Ideo enim baptisma datum ab haereticis valet, quia sacramentum est Christi; minister autem non est nisi instrumentum, quo Christus utitur, iuxta splendidissimum Augustini principium (1): *Baptismus a quocunque ministretur, semper est Christi.* Haec porro ratio aeque militat pro baptismo collato ab infideli, prout ab Ecclesia declaratum est. Quod si tenet lavacrum ab infideli datum, hoc ipso colligitur, iuxta ratiocinationem paulo ante institutam, licite posse compellente necessitate baptismum ab eo peti, prout demonstrandum assumpsimus» (2).

Nota 1. Inter veteres haereticos extiterunt, qui ipsis mulieribus potestatem fecerunt baptismum solemniter administrandi, etiam extra necessitatem. Id testatur *S. Epiphanius* (3) de *Marcionitis*, et cum ipso *S. Augustinus* (4) de *Peputianis*. Similia commenta habuerunt *Collyridiani* teste *S. Epiphanio* (5). — De iis, qui negarunt validum esse baptisma ab haereticis collatum, iam dictum est § 502. Notari tantum meretur extitisse nonnullos, qui, duce *Raymundo Missorio*, totam controversiam inter *Cyprianum* et *Stephanum* R. P. fictitiam esse, probare niterentur, sed eosdem solide confutavit cl. *Gazzaniga* (6). Inter Novatores aberravit *Calvinus*, qui in Instit. (7) scribit: « Quod autem multis abhinc saeculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister non adesset, non video, qua firma ratione defendi possit: » quibus verbis egregium testimonium fert pro perpetuo Ecclesiae usu, ex quo ipsum dogma catholicum rectissime defenditur. Sed quoniam calvinistae traditionem reiiciunt, ideo cum Antesignano suo baptismum a laicis collatum reprobant, illud invalidum, aut saltem illicitum iudicantes. Haud arduum est, difficultates solvere, quae dogmati catholico opponuntur.

Obi. I. Iis solis ius competit baptizandi, quibus a Christo ius datum est praedicandi, ut constat ex Matth. XXVIII, 19; sed solis Apostolis eorumque legitimis successoribus ius praedicandi tribuit Christus, ergo et baptizandi. Hinc nusquam legimus in Scripturis, a laicis administratum esse baptisma.

Resp. Ultro concedimus, ordinarios baptismi ministros solos esse Episcopos et Sacerdotes, quibus etiam competit ius publice docendi. Ast sic-

(1) Rel. in decreto Gratiani, p. 3 de consec. dist. 4. (2) De bapt. cap. 3, n. 63.
(3) Haer. 42, n. 4, et haer. 49.
(4) L. de haeres. cap. 27. (5) Haer. 79, n. 1
(6) De sacr. in gen. Diss. 2, c. 4
(7) L. 4, c. 15, § 20

ut laici privatim, praecipue deficiente presbytero, docere possunt, prout id praestiterunt *Aquila* et *Priscilla* (1); ita possunt etiam privatim cogente necessitate baptizare. Nec obstat silentium Scripturae. In hac etiam nullibi expresse narratur, infanti collatum esse baptismum; et tamen hunc validum esse, contra Anabaptistas defendunt Calviniani. Ergo et admittere debent, validum esse baptisma a laicis collatum, quia his quoque necessitate urgente valide et licite baptizandi facultatem concessam esse, ex perpetua et universali traditione constat, quam ipse Calvinus contestatur. Caeterum non desunt qui contendant, Ananiam, a quo baptizatus est Paulus, fuisse simplicem fidelem, nec non fratres illos, a quibus iussu Petri tinctus est Cornelius cum domo sua, mere laicos fuisse. Si ergo isti, utpote deputati ab Apostolis, fatente ipso Turretino, valide et licite baptizabant, profecto valide et licite baptismum conferunt ii omnes, qui in necessitate constituti idem sacramentum administrant, Ecclesia probante, imo et praecipiente: Quamvis, si rectius loqui velimus, non ab Ecclesia, sed a Christo ipso hanc potestatem in huiusmodi casibus laici acceperunt; Ecclesia solum interpres Christi voluntatis est.

Obi. II. Invalidum, aut saltem illicitum censendum est baptisma a foeminis administratum. Nam *Tertullianus* (2) ait: « Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre: » mulieres proinde, quae tingere audebant (3) vocat « petulantes et procaces. » S. *Epiphanius* (4) hac ipsa de causa reprehendit Marcionitas, atque Pepuzianos. *Concilium Carthaginense IV* can. 100 statuit: Mulier baptizare non praesumat: perperam porro additur a Gratiano et Magistro: *Nisi cogente necessitate*, quae clausula Concilii non est.

Resp. Citata testimonia respiciunt baptisma solemne et publicum, quale nempe haeretici illius aevi foeminis demandabant, perinde ac caetera munia sacerdotalia, quod profecto nefas est. Quamvis enim Ecclesia semper crediderit, in casu necessitatis quemlibet laicum, marem aut foeminam baptizare posse; abhorruit tamen a sententia eorum, qui ordinarium baptizandi ius mulieribus adiudicarunt. Ad *Concilium* autem *Carthaginense* speciatim quod attinet, eius mens in citato canone liquet ex canone praecedenti 99: *Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non praesumat;* videlicet ea vox *in conventu* subaudienda est in canone sequenti: *Mulier baptizare non praesumat*, nempe ubi adsunt viri.

Obi. III. Constitutiones apostolicae (5) interdicunt laicis usum conferendi baptisma. Ideo nec *S. Gregorius Naz.*, nec *S. Satyrus*, licet in naufragii periculo constituti, existimarunt, se a laicis tingi posse. *Cyprianus*, *Firmilianus* ac *S. Basilius* volebant, baptizatos ab Episcopis haereticis considerari tanquam a laicis baptizatos, id est, invalide iuxta eorum principium. *Concilium Illiberitanum* can. 38 facultatem facit laico baptizandi in necessitatis casu, adiicit tamen: *Dummodo lavacrum suum integrum habeat, nec sit bigamus.* Nequaquam ergo semper, ubique et ab omnibus baptismus a laicis in casu necessitatis collatus, validus et licitus habitus est.

Resp. Monumenta allata argumen

(1) Act. 18, 26 etc.
(2) L. de Virg. velandis, c. 9.
(3) In lib. de Praescript. c. 41.
(4) Haer. 42, c. 4. (5) L. 3, cap. 10.

tum ex traditione petitum non infirmant. Nam Constit. apostolicae interdicunt laicis usum administrationis baptismi solemnis et publici, non autem privati in casu necessitatis; id patet ex orationis serie, in qua agitur de muniis sacerdotalibus. — *S. Gregorius Naz.* et *S. Satyrus* probabilius non putarunt, se in tali periculo constitutos esse, ut licite possent a laicis baptismum petere; et si in statu Catechumenorum positi doctrinam catholicam de ministro baptismi non perfecte cognoverunt, quid exinde contra dogma catholicum argui potest? — *Cyprianus*, *Firmilianus* et *Basilius* et alii rebaptizantes nunquam dubitarunt, baptismum a laicis baptizatis et rectam fidem habentibus collatum esse validum et in casu necessitatis etiam licitum, sed solum putabant, esse invalidum, quando conferebatur a laicis non baptizatis, quales omnes illos habebant, qui in haeresi baptizati erant; ut enim haereticorum, ita a fortiori infidelium baptisma reiiciebant: utrumque autem errorem ex eodem falso principio inferebant, quo concusso firmum manet dogma catholicum. — Canon *Illiberitanus* praescribit quid fieri deceat, quando plures in casu necessitatis adsunt qui baptismum administrare possunt, vultque illum praeferri, qui nec infidelis, nec bigamus, nec poenitentiae publicae subiectus est; non quod hoc necessarium sit ad baptismi valorem, sed ut magis consulatur sacramentorum dignitati.

Obi. IV. Saltem iuxta doctrinam Patrum nullum erit baptisma ab infideli collatum. Patres enim refellebant rebaptizantes ex principio, quod haeretici dare potuerint baptismum, quem ipsi acceperant, nec per haeresin amiserant, censebant ergo conferre illum non posse, qui eo careret. Ita *Tertullianus*, qui ideo evincit laicos in necessitate tingere posse, quia (1): « Quod ex aequo accipitur, ex aequo dari potest. » Sic *S. Hieronymus* eidem principio innixus scribebat, Dial. adv. Lucif. (2), « Ut enim accepit quis, ita et dare potest; » qui propterea ibid. (3). Luciferianum alloquens inquit: « Novam rem asseris, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus. » Ideo *Gregorius III* a *S. Bonifacio* consultus iussit iterum baptizari eos, qui fuerunt a paganis baptizati. Et in Capitularibus ab Angeliso et Benedicto levita collectis (4) praecipitur: « ut qui a paganis baptizati sunt, — denuo a Sacerdotibus in nomine SS. Trinitatis baptizentur. » Et ibid. (5) dicitur: « Si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum baptizetur, et ordinetur iterum, et omnes, quos prius baptizavit. » Ergo baptismus a non baptizato collatus est nullus.

Resp. Citati Patres argumentantur ex concessis in sententia rebaptizantium, quorum scilicet istud erat palmare fundamentum: nemo dat quod non habet; haeretici non habent baptismum; ergo hunc dare non possunt. Patres igitur orthodoxi, gratis concessa propositione maiori, negant minorem, et apposite ad subiectam controversiam reponunt, quod sicut ii baptismum non amittunt, qui ab Ecclesia, in qua baptizati sunt, recedunt, ita nec ius illum conferendi amittit, qui se ab unitate Ecclesiae separat; atque ita haeretici Episcopi et Sacerdotes valide baptizant. Male igitur ex hac eorum argumentandi ratione infertur, censuisse illos, baptismum ab eo tantum posse conferri, qui baptizatus esset; de isto enim ba-

(1) De bapt. c. 17. (2) N. 9. (3) N. 12. (4) L. 8, c. 101. (5) L. 6, c. 94.

ptismo nulla tunc erat controversia, sed tantum de veritate baptismi ab haereticis collati. Praecipua autem ratio, propter quam ab ipsis et praesertim a S. *Augustino* baptismus haereticorum validus declaratus fuit, haec erat, quia huius sacramenti minister in nomine et auctoritate Christi agit: ista autem ratio aeque militat pro valore baptismi ab infideli collati. — *S. Hieronymus* (1) non loquitur de eo, qui simpliciter Christianus per baptismum effectus sit, sed de eo, qui orthodoxus ab haeretico factus perhibetur, ita ut sensus sit: novam rem asseris, ut orthodoxus quis factus sit ab eo, qui Arianam tenuit impietatem: id constat ex tota orationis serie, in qua sermo est de homine ab Arianis tincto. — *Gregorius III* baptizatos a paganis baptizari iussit, quia persuasum habebat, paganos illos, qui baptismum administraverant, aut legitimam formam non observasse, aut vero eorum intentionem suspectam fuisse; unde et baptismum a presbytero, qui Iovi mactaverat, collatum iterari iubet (2). — Capitularia citata iuxta *Natalem Alex.* (3) loquuntur de baptismo, in quo neque servata fuerit forma, neque Ecclesiae ritus. Haec sane videtur unica ratio conciliandi Capitularia illa inter se. Nam ibid. (4) legitur: « Si quis baptizatus est a presbytero non baptizato, et sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuit, baptizatus est. »

Nota 2. Circa baptismi ministrum variae quaestiones, quae pro praxi magni sunt momenti, a Theologis moveri solent. Quaerunt 1°, an possit aliquis, extrema urgente necessitate, seipsum baptizare? et respondent negative. Ita *Innocentius III* (5) interrogatus a Metensi Episcopo de Iudaeo, qui morti proximus seipsum baptizaverat, iussit illum denuo baptizari: quia, inquit, Christus a Ioanne baptizatus est, et nemo generat seipsum. Accedit, quod Christus verbis illis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. (6), ministrum et subiectum baptismi aperte distinguat, et forma baptismi a Christo praecepta vitiaretur dicendo: Ego me baptizo. — Quaerunt 2°, an unus minister possit simul plures baptizare dicendo: Ego vos baptizo etc.? et respondent, quod in casu urgentis necessitatis id valide et licite fieri possit, quia tali baptismo nec institutio Christi, nec forma consueta repugnat. Id docet *S. Thomas* (7) dicens: «In casu necessitatis unus posset simul plures baptizare sub hac forma: Ego vos baptizo, puta, si immineret ruina aut gladius, aut aliquid huiusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut singillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiae; quia plurale non est nisi singulare geminatum, praesertim cum pluraliter dicatur » (8): baptizantes eos etc. « Nec est simile de baptizante et baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat, est unus, sed multi per baptismum efficiuntur unum in Christo. » — Quaerunt 3°, an plures ministri possint simul unum eundemque hominem baptizare? et respondent, id nunquam licitum esse, quia est contra morem Ecclesiae et contra institutionem Christi, qui sicut unus est, ita voluit, unum esse in unoquoque baptizando ministrum. Si autem de valore huiusmodi baptismi quaeratur, distinctione opus est. Si plures ita baptizant, ut unus aquam

(1) Dial. c. Lucif. n. 12.
(2) Cf. S. Thom. 3 p., q. 67, art. 5.
(3) Theol. dog. et mor. lib. 2, c. 5, prop. 3.
(4) Lib. 5, cap. 6.
(5) Lib. 3 decret. tit. 42, cap. 4.
(6) Matth. 28, 19.
(7) 3 p., q. 67, art. 6 ad 2
(8) Matth. ult.

dumtaxat effundat, et alter formam tantum proferat, nullus est baptismus; quia integritas baptismi consistit in forma verborum, et in usu materiae, ita ut per unum eundemque ministrum materia cum forma iungatur. At in casu indigitato neque qui aquam dumtaxat effundit, baptizat, quia non profert formam, neque ille, qui tantum verba profert, quia non applicat materiam et ideo mendax est forma, dum dicit: *Ego te baptizo*, cum ipse non abluat nec consequenter baptizet. Nec etiam dici potest, *nos te baptizamus*, cum neuter baptizet; nec potest adhiberi forma Graecorum: *baptizatur servus* etc., quia subintelligitur « a me seu meo actu. » Ita pariter si plures effundunt aquam et dicunt: *nos te baptizamus*, intelligendo *baptizamus* coniunctim, ita ut concurrant tanquam causae partiales ab invicem dependentes, sicut si plures trahentes navim dicerent: nos trahimus navim; hoc modo non valet baptismus: « quia, inquit *S. Thomas* (1) videtur esse contra rationem ministerii; homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi et vices eius gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repraesentet; propter quod signanter Apostolus dicit: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (2): Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum; » nullus enim in casu posito vellet totum sacramentum conficere, sed tantum ad hoc quasi partem aliquam afferre. Si autem plures tanquam causae totales et ab invicem independentes unum baptizarent, ita ut quilibet aquam funderet et formam proferret, validum esset sacramentum, quia, ut ait *S. Thomas* l. c.: « Uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret. » Si tamen unus materiam applicans formam prius absolveret, quam alter, ille solus baptizaret, et hic rebaptizare dicendus foret. Quaerunt 4°, utrum, et quis ordo servandus sit, si plures adsint puero periclitanti baptizando? et respondent cum *Rituali romano* (3): « Si adsit Sacerdos Diacono praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir foeminae; nisi pudoris gratia deceat foeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi foemina melius sciret formam et modum baptizandi. »

(1) Q. 67, art. 6 (2) Ephes. 4.

ARTICULUS IV.

De baptismi effectibus.

§ 537. Admirabilem et stupendam esse sacramentorum, ac praecipue baptismi vim et efficaciam, inconcussa scripturarum et Traditionis auctoritas manifeste testatur. Hinc praestantissimi Ecclesiae Patres et Doctores omnes eloquentiae suae vires exeruerunt, ut quam magnificentissime describerent, quanta Deus per baptismum beneficia fidelibus largiatur. Iuxta illorum itaque doctrinam baptismus 1° *remittit et tollit omne peccatum tum originale, tum actuale ante commissum;* 2° *delet omnem poenam, etiam temporalem;* 3° *confert ex opere operato gratiam sanctificantem*, et 4° *characterem imprimit*, vi cuius reddimur membra Ecclesiae, huius potestati et iurisdictioni subiicimur, et acquirimus ius ad alia sacramenta et caetera bona communia Ecclesiae. — Haec est doctrina catholica de effectibus baptismi, circa quos haeretici aberrarunt per defectum et per excessum, cum baptismo vel veros effectus denegarunt, vel falsos affinxerunt, ut ex dicendis patebit

(3) Tit. 2 de bapt. c. 1, § 14.

I. *Baptismus tollit omnia peccata, tum originale, tum personalia.*

§ 538. *Manichaei*, teste *S. Augustino* (1), « baptismum in aqua nihil cuiquam salutis afferre perhibebant. » *Proclus* Origenista, referente *S. Methodio* apud *S. Epiphanium* (2), per baptismum peccata sopiri quidem dicebat, non autem radicitus tolli; quam absurdam Procli novitatem ibidem Methodius multis argumentis condemnat. *Messaliani*, teste *Theodoreto* (3) dicebant, baptismum non sufficere ad plenam remissionem peccatorum, et peccatum non per baptisma radicitus tolli, sed tantum per assiduam precationem. Eundem fere errorem resuscitarunt Novatores cum hoc discrimine, ut assiduae praecationi fidem, seu fiduciam, de obtenta per merita Christi iustificatione substituerent. *Lutherus* enim docuit, peccatum per baptismum non tolli, sed tantum tegi et non imputari, et hanc iustificationem fidei adscribendam esse. Id patet ex eiusdem articulo secundo inter eos, quos *Leo X* proscripsit: « In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare: » et in assertione eiusdem articuli ait: « Aliud est omnia peccata remitti, aliud omnino tolli: baptismus omnia remittit (id est, tegit, ut non imputentur), sed nullum penitus tollit: » Et alibi (4) inquit: « Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus: haec iustificat et adimplet id, quod baptismus significat. » Luthero suffragatur *Calvinus* (5) dicens: « Manet vere peccatum in nobis, neque per baptismum statim uno die extinguitur: sed quia deletur reatus, imputatione nullum est. » Equidem haec impia Novatorum doctrina iam satis confutata fuit § 461 ubi probatum fuit, in iustificatione peccata non solum tegi, ac non imputari, sed vere remitti et penitus tolli; et § 509 ubi ostensum est, sacramenta *ex opere operato* gratiam conferre, et ideo iustificationem, quae per baptismum obtinetur, non fidei, sed ipsi actioni baptismali a Christo institutae adscribendam esse. — Sufficit ergo, ut hic breviter aliqua de baptismo adiiciantur, ac demonstretur, vere per baptismum omnia peccata, originale et personalia ante commissa remitti et penitus tolli, atque ideo rectissime *Concilium Tridentinum* (6) dicere, Iustificationis causam instrumentalem esse baptismum. Dogma hoc catholicum *ex S. Scriptura*, et *Traditione* evincitur.

1. *In S. Scriptura* V. T. magnificum extat vaticinium, quo mira baptismi efficacia praenuntiata fuit; nam Ezech. XXXVI, 25 dicitur: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris:* quae verba ad N. legis tempora aperte spectantia nonnisi de baptismo exponi possunt. Petrus Act. II, 18 ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Act. XXII, 16 Paulo dicitur: *Exurge et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine Iesu.* Ergo homines baptizari iubentur, non solum ut ab infidelibus distinguantur, sed etiam, et quidem praecipue, ut remissionem accipiant peccatorum. Hanc per baptismum obtineri, docet etiam Pau-

(1) Lib. de haeresibus, haer. 46.
(2) Haer. 64 (3) Lib. 4 haer. fab. c. 10.
(4) Lib. de captiv. babyl. (cap. de bapt.).
(5) In Antid. Conc. Trid. ad Sess. 5.
(6) Sess. 6. cap. 7.

lus, dum I Cor. VI, 11 post longam peccatorum enumerationem adiicit: *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis:* quibus verbis Apostolus innuit, Corinthiorum peccata per baptismum ita extincta esse, sicut per lavacrum maculae corporis extinguuntur; et ipsos ex peccatoribus sanctos effectos esse, idem Apostolus scribit: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus* (1). Et postea concludit: *Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.* Ex quibus verbis colligit *S. Thomas:* « Quod per baptismum homo moritur vetustati peccati, et incipit vivere novitati gratiae. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet; unde consequens est, quod omne peccatum per baptisma tollatur » (2).

2. *Ss. Patres* omnium peccatorum remissionem baptismo adscribunt. *S. Iustinus M.* (3) ita Iudaeos alloquitur: « Alia (via ad remissionem peccatorum et spem vitae aeternae) non est, nisi haec, ut hunc Christum agnoscentes et ad peccatorum remissionem baptismo abluti, sine peccato deinceps vivatis. » *Tertullianus* (4) ait: « Felix sacramentum aquae nostrae, qua ablutis delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur. » Et (5): « Baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus, quod delictis liberamur. » *S. Cyprianus* Ep. 2 ad Donatum affirmat, « undae genitalis auxilio universam superioris aevi labem detergi, expiari pectus hominis christiani, et purum fieri: baptismum esse mortem criminum ac vitam virtutum. » *Origenes* (6) inquit: « Amputantur et exsecantur ab hominibus peccata, cum in baptismo donatur remissio peccatorum. » *S. Gregorius Naz.* (7) dicit: « Haec baptismi gratia et facultas est, non orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, sed uniuscuiusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones vel maculas, quae vitio contrahuntur, prorsus abstergens. » *S. Gregorius Nyss.* (8) haec habet: « Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa; regenerationem autem intellige eam, quae cognitione cernitur, oculis non videtur. » *S. Chrysostomus* (9) inquit: « In gravia peccata quis incidit? vel caedem, vel adulterium, vel aliud quidpiam deterius admisit? haec per lavacrum remissa sunt. Nullum quippe est, nullum est certe peccatum, nulla impietas, quae huic dono (baptismo) non cedat; divina quippe est gratia. » *S. Ambrosius* (10) addit: « Baptismus velut ignis quidam peccata consumit, quia Christus in igne et Spiritu baptizat: » et in Ps. CXVIII (11): « Venimus ad baptismum, deletum est omne peccatum et cum peccato opprobrium. » *S. Hieronymus* (12) ad Ocean. scribit: « Omnia nobis in baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam Iudicis est metuenda severitas, dicente Apostolo: *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* » *S. Paulinus* (13) ad Severum haec habet: « Mira Dei pietas, peccator mergitur undis, mox eadem emergit iustificatus aqua. » *S. Augustinus* (14) ait: « Baptismus

(1) Rom. 6, 3, etc. (2) 3 p., q. 69, art. 1.
(3) Dial. c. Tryph. n. 44.
(4) L. de bapt. c. 1. (5) Cap. 7
(6) Hom. 4 in Cantic. (7) Orat. 40, n. 7.
(8) Orat. de baptismo
(9) Hom. 1 in Acta Apost. n. 6.
(10) De Elia, et ieiun. c. 22, n. 83.
(11) Serm. 6, n. 42. (12) Ep. 69, al. 82, n. 8.
(13) Ep. 12, n. 5.
(14) L. 3, c. duas Epist. Pelag. c. 3, n. 5.

abluit peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quae ignoranter, sive quae scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur.» Et in Enchirid. (1): «Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata, quaecunque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit.» *S. Gregorius M.* (2) ad Theotistam scribit: «Qui dicit, peccata in baptismo non funditus dimitti, dicit in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est, peccata in baptismate funditus mori; quia nimirum plus valet in ablutione nostra veritas, quam umbra veritatis.» Probe quoque notandum est, in his Patrum sententiis remissionem peccatorum, seu hominis iustificationem non soli fidei, sed ipsi baptismo adscribi, qui ex opere operato peccata delet et hominem regenerat. Eadem doctrina auctoritate Conciliorum confirmatur. — *Concilium CPtanum I* in symbolo ait: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Carthaginense IV*, cap. 1 Episcopum ante consecrationem profiteri iubet: *In baptismo omnia peccata; tam originale, quam quae voluntarie admissa sunt, dimitti.* Et *Concilium Tridentinum* Sess. V, in decreto de peccato orig. can. 5 dicit: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.*

Nota. Duplex difficultas, quae dogmati catholico opponitur, remanet solvenda.

Obi. I. Baptismus solum ad delendum peccatum originale institutus est; quamobrem Io. I, 29, dictum fuit de Christo: *Ecce, qui tollit peccatum mundi*, nempe peccatum originale, toti mundo commune, ut Glossa exponit. Hinc etiam baptismus dicitur *regeneratio*, quia sicut per generationem carnalem homo contrahit peccatum originale et mortem, ita per regenerationem spiritualem, seu per baptismum a morte spirituali, contracta per peccatum originale, liberatur, et redditur vitae.

Resp. Allata pro dogmate catholico argumenta, contrarium evincunt. Nec obest, quod in singulari dictum sit: *Ecce, qui tollit peccatum mundi;* hic enim peccatum significat genus, ac sumitur pro quovis peccato. Quod si etiam de solo peccato originali dictum Ioannis intelligendum esset, non ideo negaretur, Christum actualia quoque peccata tollere; id enim dicitur Hebr. IX, 28; *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Regenerari vero homo recte dicitur, cum sive a solo peccato originali, sive etiam ab actualibus purgatus vitam gratiae incipit. Dubitari autem non potest, baptismum illos quoque regenerare, qui praeter peccatum originale etiam actualibus peccatis inquinati sunt; recte enim S. Thomas (3) eandem obiectionem solvens observat, « quod sicut Apostolus (4) dicit, peccatum Adae non tantum potest, quantum potest donum Christi, quod in baptismo percipitur; nam, *non sicut delictum, ita et donum... nam iudicium quidem ex uno*

(1) Cap. 64. (2) L. 9, Epist. ep. 39.
(3) 3 p., q. 69, art. 1 ad 1.
(4) Rom. 5, 16.

in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Unde *S. Augustinus* (1) dicit: quod generante carne tantummodo trahitur peccatum originis; regenerante autem Spiritu non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.»

Obi. II. In adultis ante baptismum requiritur poenitentia, secundum illud: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum* (2); sed per poenitentiam remittuntur peccata actualia: nihil ergo remanet baptismo remittendum, nisi peccatum originale.

Resp. Ut peccator adultus iustificetur, praeter fidem et spem etiam amorem initialem, dolorem de peccatis commissis, et propositum melioris vitae concipere debet; haec autem poenitentia requiritur ut necessaria *dispositio* ad iustificationem (3); causa autem instrumentalis est baptismus, per quem igitur remissio peccatorum obtinetur. Contingere quidem potest, ut homo gratia supernaturali praeventus charitatem et contritionem perfectam coniunctam cum voto baptisma suscipiendi concipiat; quo in casu baptisma peccata in homine non invenit, quae deleat. Ast ideo baptismati non potest denegari vis remittendi peccata, sicut igni nequit negari virtus purgandi ex eo, quod hunc effectum non producat in auro, in quo scoriae nullae inveniuntur.

II. *Baptismus omnem poenam, etiam temporalem peccatorum delet.*

§ 539. Iuxta doctrinam catholicam, dum homo iustificatur, semper quidem peccatum deletur, et reatus aeternae poenae tollitur (4); sed tamen non semper omnis poena temporalis remittitur. Cum enim homo a peccatis post baptismum commissis per sacramentum poenitentiae liberatur, reatus quidem culpae et poenae aeternae, non autem semper reatus poenae temporalis tollitur, qui per satisfactiones praestitas extinguendus est, ut inferius probabitur. Sed in baptismo, etiam ab adulto plurimis peccatis actualibus inquinato digne recepto, non solum reatus culpae et poenae aeternae, sed etiam omnis reatus poenae temporalis tollitur. Hoc dogma catholicum nonnulli etiam ex *S. Scriptura*, omnes vero theologi ex *praxi Ecclesiae*, ex *Ss. Patribus*, et ex *Conciliis* probant.

1. *In S. Scriptura* homines per baptismum *renasci, regenerari* et *renovari* dicuntur iuxta effatum Christi, *nisi quis renatus fuerit ex aqua* (5) etc. Sicuti ergo infans recens natus ab omni culpae actualis et poenae pro hac subeundae reatu liber est, ita etiam baptizatus ab omni peccato et poena immunis redditur. Ideo Paulus dicit: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti* (6); in quae verba *S. Chrysostomus* (7) ita disserit: « At cur, inquies, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, non lavacrum remissionis peccatorum, non lavacrum purgationis, sed *lavacrum regenerationis* vocatur? Quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat, sed ita id praestat, ac si denuo geniti essemus. Etenim nos denuo creat et format, non ex terra rursus effingens, sed ex alio elemento, aquae scilicet natura, creans. Non enim vas simpliciter abstergit, sed totum conflat denuo. Nam quae absterguntur etiamsi accurate mun-

(1) L. 1 de peccat. merit. et remiss. c. 15. (2) Act. 2, 18. (3) § 466. (4) § 461 et 462. (5) Io. 3. (6) Tit. 3, 5. (7) Catech. 1 ad Illum. n. 3.

dentur, qualitatis vestigia et sordium reliquias retinent: quae vero in conflatorium immittuntur et a flammis innovantur, omnem deponentia maculam, ex camino educta eundem, quem prorsus nova, splendorem emittunt.» Alibi Apostolus dicit: *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum eo* (1): « Ex quo patet, ait *S. Thomas* (2), quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset. Passio autem Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille, qui baptizatur, liberatur a reatu totius poenae sibi debitae pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis. »

2. *Praxis Ecclesiae* eandem doctrinam confirmat. Constat enim Ecclesiam iis, qui post baptismum peccaverunt, etiam cum per sacramentum poenitentiae remissionem peccatorum acciperent, gravia satisfactionis opera praescripsisse. Canones poenitentiales id abunde demonstrant. Constans autem et universalis Ecclesiae praxis erat, nullam poenitentiam satisfactoriam imponendi adultis baptizatis, quamvis ante baptismum magnis criminibus irretiti fuissent: ex qua praxi patet Ecclesiae fides, quod per baptismum etiam omnes poenae peccatis debitae remissae fuerint. Hinc *Catechismus rom.* (3) ait: «Etsi omnibus sacramentis hoc commune est, ut per illa virtus passionis Christi communicetur; de solo tamen baptismo dictum est ab Apostolo (4), nos per ipsum Christo commori et sepeliri. Ex quo sancta Ecclesia semper intellexit, sine maxima sacramenti iniuria fieri non posse, ut ei, qui baptismo expiandus sit, eiusmodi pietatis officia, quae usitato nomine sancti Patres opera satisfactionis vocarunt, imponantur. » — Quodsi Catechumenis ante baptismum quandoque opera poenitentiae imponebantur, id factum est, ut ad baptisma recipiendum melius disponerentur. Et si quandoque contigit, Catechumenos ante persolutas poenitentias propter mortis periculum baptizari, et postea convalescere, non amplius cogebantur poenitentias intermissas resumere et complere, non alia profecto de causa, nisi quia certum erat, omnem reatum non solum culpae, sed etiam poenae per baptismum fuisse deletum. Id autem manifestius fit ex eo quod poenitentes, qui in mortis periculo ante consummatum suae poenitentiae curriculum reconciliationem et eucharisticam communionem acceperant, si convalescerent, cogebantur id quod reliquum erat poenitentiae, absolvere, quod, ut mox dictum est, in baptizatis fieri non consueverat. Id evidenter demonstrat, semper hoc agnitum fuisse discrimen inter baptismum et poenitentiam, quod in illo omnis reatus poenae tollatur, non autem in ista.

3. *Ss. Patres* eandem doctrinam magno consensu tradunt. *Clemens Alex.* Paedag. (5) ait: Baptismus vocatur « lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus, gratia autem, qua remittuntur poenae, quae peccatis debentur.» *S. Athanasius* (6) ad Serapion. scribit: « Non ait (Apostolus (7)): impossibile est poenitentiam agere, sed impossibile est, obtentu poenitentiae nos renovare. Est autem ingens inter haec dicta discrimen. Is enim, qui poenitentiam agit, peccare quidem desinit, retinet au-

(1) Rom. 6, 8. (2) Q. 69, art. 2.
(3) P. 2, cap. 2, n. 45. (4) Rom. 6, 4.
(5) Lib. 1, cap. 6. (6) Epist. 4, n. 13.
(7) Hebr. 6, 4, etc.

tem vulnerum cicatrices. Qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur, superne genitus Spiritus gratia. » *S. Basilius* (1) dicit: « Si multa sunt peccata, ne desperes ob multitudinem; multum enim debenti multum remittetur, si baptismi gratiam suscipiat. » *S. Gregorius Nyss.* (2) inquit: « Ut modo natus puellus a criminibus et poenis liber est, ita etiam regenerationis puer non habet, cuius nomine causam dicat, ut qui regio dono causae dictione exemptus, et a rationibus vitae reddendis liberatus sit. » *S. Ambrosius* (3): « Aqua est, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium; » et (4): « Si superveniens Spiritus sanctus in Virginem, conceptionem operatus est, et generationis munus implevit, non utique dubitandum est, quod superveniens in fontem, vel super eum, qui baptismum consequitur, veritatem regenerationis cooperetur. » *S. Hieronymus* (5): « Baptismus novum hominem facit, et ex toto novum creat... Omnia (crimina) Christi fonte purgantur. » *S. Augustinus* (6) scribit: « Lavacrum regenerationis purgat a reatu omnium peccatorum, quae humana traxit nativitas, et contraxit iniquitas. » Et in Enchir. (7): « Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus, et additus etc. » Idem de pecc. merit. et remiss. (8): « Si continuo (post susceptum baptisma) consequatur ab hac vita migratio, non est omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quae tenebant... Nihil habet remorae, quo minus ad regna coelorum mox migret. » *Innocentius III* (9) ita loquitur: « Sciendum est, quod fides Christi, quae iustificat impium, revera mundat a culpa, sed non semper ab omni poena. Sacramentum vero baptismi, si digne sumatur, liberat ab omni culpa pariter et a poena. »

4. *In Conciliis* eadem doctrina credenda proponitur. *Florentinum* in Decreto pro Armenis haec de baptismo pronuntiat: *Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur: propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt. Tridentinum*, Sess. V, can. 5 postquam anathema tulit in eos, qui negant, in baptismate tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet, ita pergit: *In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur.* Et Sess. VI, cap. 14 dicit, quod per sacramentum poenitentiae *poena non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis.*

Nota. Propositae doctrinae sequentes difficultates opponuntur.

Obi. I. Si omnis reatus poenae tollitur per baptismum, iniustum esset post baptismum puniri eos, qui antea

(1) Hom. de bapt. n. 4.
(2) Orat. de baptismo.
(3) L. de iis, qui mysteriis initiantur, c. 3.
(4) Cap. 9.
(5) Epist. ad Ocean. n. 2, etc.
(6) L. 1 Retract. cap. 7. (7) Cap. 64.
(8) L. 2, cap. 28.
(9) Elucid. in Ps. 4 poenit.

scelera utut gravissima patrassent, ex. gr. latrones vel homicidas; quod tamen apud Iudices neutiquam observatur. Ergo non omnis poena temporalis per baptismum tollitur.

Resp. S. Thomas (1): « In poenis quae iudicio humano inferuntur, non solum attendi, qua poena sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui laesi et scandalizati sunt per peccatum alicuius. Et ideo licet homicida per baptismum adhuc liberetur a reatu poenae quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos iustum est, aedificari de poena, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus princeps posset poenam indulgere » (2).

Obi. II. Deus non aufert a baptizatis poenalitates huius vitae, ut tristis experentia nos docet: ergo nec poenas aufert, quas homo ob peccata ante baptismum commissa in altera vita sustinere debet.

Resp. Poenalitates etiam post baptismum remanent, non ut homines per eas pro peccatis ante baptismum commissis satisfaciant, sed ut eas perferendo virtutes varias exerceant, et maiora merita pro beatitudine aeterna sibi comparent. Nullatenus ergo ex illis inferri potest, Deum etiam poenas alterius vitae non auferre, quia in hac tantum vita est tempus merendi, in altera autem vita solum tempus est remunerationem accipiendi. Subtilius eandem obiectionem solvit *S. Thomas* (3) dicens: « Baptismus habet virtutem auferendi poenalitates praesentis vitae, non tamen eas aufert in praesenti vita, sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, ut dicitur I Cor. XV. Et hoc rationabiliter; — *primo* quidem, quia per baptismum homo incorporatur Christo et efficitur membrum eius: et ideo conveniens est, ut id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite. Christus autem a principio suae conceptionis fuit plenus gratia et veritate; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et Christianus in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apostolus dicit: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis;* et infra: *Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et simul glorificemur*(4). — *Secundo,* hoc est conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo victoriae coronam acciperet. — *Tertio,* hoc fuit conveniens, ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem praesentis vitae, et non propter gloriam vitae aeternae: unde et Apostolus dicit: *Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus* » (5). Nonnullae aliae afferuntur a Ss. Patribus rationes, propter quas conveniens minime fuerit poenalitates praesentis vitae per baptismum auferri; sed illa potissimum, ut disceremus, in sacramentis fructum spiritualem et aeternum quaerere, non temporalem et corporeum: « Ut intelligamus, ait *S. Augustinus* (6), totum, quod salutaribus agitur sa-

(1) Q. 69, art. 2 ad 3.
(2) Cf. Catech. rom. p. 2, cap. 2, n. 46.
(3) Q. 69, art. 3.
(4) Rom. 8, 11, etc
(5) 1 Cor. 15, 19.
(6) Enchir. cap. 66.

cramentis magis ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem vel adoptionem praesentium pertinere » (1).

Obi. III. Causa poenalitatum huius vitae est peccatum originale: ergo si hoc per baptismum penitus tollitur, nullae esse deberent poenalitates; siquidem remota causa, removetur effectus.

Resp. Angelicus (2), « quod peccatum originale hoc modo processit, quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. Christus vero converso ordine prius reparat id, quod personae est, et postmodum simul in omnibus reparabit id, quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati, et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine. Sed poenalitates praesentis vitae, sicut mors, fames, sitis et alia huiusmodi, respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta iustitia originali. Et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturae per resurrectionem gloriosam. » Et sane - Christus venit, ut spiritualem et aeternam hominum salutem procuraret (3), et ideo, quae huic opponuntur removit (4), sed poenalitates huius vitae non sustulit, quoniam istae, adiuvante gratia Redemptoris, non solum salutem hominis spiritualem et aeternam non impediunt, sed potius promovent (5).

III. *Baptismus confert ex opere operato gratiam sanctificantem.*

§ 540. Saluberrimus baptismi effectus est infusio gratiae sanctificantis, seu divinae illius qualitatis in anima inhaerentis, qua divinae consortes naturae, filii Dei adoptivi, haeredes Dei et cohaeredes Christi efficimur. Effectus iste iam probatus est tum § 462 ubi ostensum fuit, iustificationem fieri per internam gratiae sanctificantis infusionem; tum § 509 ubi evictum est, sacramenta ex opere operato gratiam conferre. Breviter igitur hic quaedam argumenta ex *S. Scriptura* et *Traditione* apponimus, ex quibus iste baptismi effectus specialiter probatur.

1. *S. Scriptura* hac de re clarissime loquitur. Paulus I Cor VI, 11 testatur, Corinthios per baptismum non solum a peccatis purgatos, sed etiam sanctificatos, atque ita perfecte iustificatos esse; ait enim ad illos: *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Eph. V, 25 etc. scribit: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata:* per Ecclesiam vero intelligitur congregatio fidelium, qui per baptismum ab omni peccato mundantur et sanctificantur, ut sancti et immaculati existant. Gal. III, 26 etc. ait: *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*, id est, velut in Christum, novum hominem, transformati estis. Et alibi: *Si autem filii et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* (6). Denique ad Tit. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde* (7): quibus verbis copia

(1) Cf. Catech. rom. p. 2, cap. 2, n. 48.
(2) 3 p., q. 69, a. 3 ad 3. (3) § 337, etc.
(4) § 355, etc. (5) § 264, n. 2.
(6) Rom. 8, 17. (7) C. 3, 5.

gratiarum et virtutum exprimitur, quae in baptismo infunduntur.

2. *Traditio* verbo scripto suffragatur. *Hermas* in Past. (1) ait: « Ubi accipit (homo) illud sigillum, liberatur a morte et traditur vitae. Illud autem sigillum aqua est, in qua descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitae adsignati. » *S. Cyrillus Hier.* (2) inquit: « Descendis in aquam peccata ferens.... Mortuus descendisti in peccatis, ascendis vivificatus in iustitia. » *S. Cyprianus* (3) scribit: « Spiritus nequam permanere ultra non possunt in hominis corpore, in quo baptizato et sanctificato incipit Spiritus sanctus habitare. » *S. Basilius* (4) dicit: « Baptismus efficit homines per adoptionis gratiam filios Dei et bonorum Christi haeredes. » *S. Gregorius Nyss.* (5) asserit: « Baptismus hominem purgat.... et ad pristinam pulcritudinem, quam optimus artifex Deus in nobis effinxerat, reducit. » *S. Gregorius Naz.* (6) haec habet: « Baptismus splendor est animarum, vitae in melius mutatio.... infirmitatis nostrae adiumentum. Baptismus carnis est abiectio, spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, coelestis regni clavis, vitae commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum praeclarissimum est et praestantissimum. » *S. Chrysostomus* (7) ait: « In baptismo divina potimur gratia, ac spiritus participes efficimur. » Et in Hom. ad Neophytos (8) ita de baptizatis disserit: « Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; et cives Ecclesiae sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; et iustitiae in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed et sancti; non tantum sancti, sed et iusti; non solum iusti, sed et filii; non solum filii, sed et haeredes; non solum haeredes, sed et fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed et cohaeredes; non solum cohaeredes, sed et membra; non membra tantum, sed et templum; nec tantum templum, sed et organon Spiritus. Vides quot sint baptismatis largitates? Et nonnulli deputant coelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem. » *S. Hieronymus* adv. Ruffin. (9) scribit: « Audiat nos iterum proclamantes, veterem Adam in lavacro totum mori, et novum cum Christo in baptismate suscitari: perire choicum (terrenum), et nasci supercoelestem. » *S. Paulinus* (10) canit: in baptismo « culpa perit, sed vita redit; vetus interit Adam, et novus aeternis nascitur imperiis. » *S. Augustinus* (11) ita loquitur, « Per baptismum homines Christo consepeliuntur, ut incorporentur illi membra eius: » « a capite autem Christo, infert ex his verbis citatis *S. Thomas* (12), in omnia membra eius gratiae et virtutis plenitudo derivatur, secundum illud Io.: *de plenitudine eius nos omnes accepimus* (13). » Denique *Concilium Tridentinum* Sess. V, can. 5 ita de baptizatis loquitur: *Veterem hominem exuentes et novum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, imma-*

(1) L. 3 simil. 9, c. 16. (2) Cat. 3, n. 12.
(3) Epist. 76. (4) Hom. de bapt. n. 3.
(5) Serm. de bapt. Christi.
(6) Or. 40, n. 3. (7) L. 1 de compunct. n. 8.
(8) Cf. S. Augustin. l. 1, c. Iulian. cap. 6.
(9) L. 1, cap. 7. (10) Ep. 12 ad Sever.
(11) L. 1 de peccat. mer. et remiss. cap. 26
(12) 3 p., q. 69. art. 4. (13) Cap. 1, 16.

culati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti, sunt haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.

Nota. Heterodoxi varia excogitarunt, ut dogma catholicum obscurarent, quorum insipidae cavillationes dissipandae sunt.

Obi. I. Absurdum est credere, in aqua occultam latere vim regenerandi et sanctificandi animam.

Resp. Etiam catholicis persuasum est, aquam ex se et naturali sua virtute corpora quidem, non autem animas a sordibus mundare posse. Nemo autem sanae mentis dubitare potest, Deum omnipotentem animas regenerare et sanctificare, atque ad hoc perficiendum ex sapientissimis consiliis (1) externo instrumento uti posse. A Domino autem id factum esse, Revelatio docet, ut ex probatis constat. Absurdum ergo et impium est, ablutioni ex ordinatione divina factae supernaturalem animam regenerandi et sanctificandi vim denegare.

Obi. II. Si, aiunt *Calviniani*, applicata per ministrum aqua sub praescripta verborum forma effectus gratiae necessario sequitur, Deus in conferenda gratia pendet a signis externis seu ab instrumento; quod absurdum est dicere.

Resp. Qui utitur instrumento, non dependet ab instrumento, sed instrumentum dependet ab operante. Ast ideo tantum per aquam sanctificatio animae efficitur, quia Deus vult per aquam gratiam conferre: non ergo instrumentum determinat Deum ad gratiam conferendam, sed Deus determinat instrumentum ad gratiam producendam. Idem utique in rebus humanis contingit. Si quis utitur instrumento ad aliquid perficiendum, anne dependet ab instrumento? nullatenus, sed dum opus perficitur, instrumentum dependet ab homine, non homo ab instrumento. Ita etiam a voluntate Dei dependit, ut hoc vel illo instrumento uteretur ad homines sanctificandos. Ex quo nil aliud infertur, nisi magna Dei misericordia, quam laudare debemus, quod voluerit uti signis externis ad gratiam suam tum significandam, tum producendam.

Obi. III. Saltem, ait *Zuinglius*, si positis omnibus ad sacramentum requisitis, necessario sequitur hominis sanctificatio, Deus liber non est in conferenda gratia, et falsum est, quod dicitur Io. III, 8: *Spiritus ubi vult spirat;* et Cor. XII, 11: *dividens singulis, prout vult.*

Resp. Valida esset obiectio, si baptismus ab alio institutus foret, et Deus alieno imperio ad conferendam gratiam obligaretur. Quis autem, nisi delirans, haec dixerit? Iuxta doctrinam revelatam Deus liberrimus fuit in baptismi institutione; liberrime igitur decrevit, ut cum baptismo saluberrimi gratiae effectus coniungerentur. Quare si positis omnibus ad sacramentum requisitis, necessario seu, ut rectius loquamur, certissime effectus gratiae producuntur, id fit, non quia Deus aliunde ad conferendam gratiam obligatur, sed quia liberrimum immutabilis suae voluntatis decretum exequitur. Vere igitur *Spiritus ubi vult spirat,* et *dividit singulis, prout vult,* dum per baptismum gratiam confert, quod ipsemet liberrime et immutabiliter decrevit. Notandum porro est, Io. III, 8 Christum docere, spiritualem hominis regenerationem oculis carnalibus non videri, sicut ventus, qui spirat, non cernitur; verba autem Pauli, *dividit prout vult,* intelligenda esse non de instrumento regenerationis, sed de dono prophetiae, linguarum et eiusmodi.

(1) § 497.

Obi. IV. I Io. I, 7 legitur: *Solus sanguis Christi emundat nos ab omni peccato:* ergo non baptismus aquae.

Resp. Particula *solus* non extat in textu, velut perperam *Calvinus* (1) obiicit. Caeterum, etiam iuxta doctrinam catholicam recte dicitur, solum sanguinem Christi nos emundare ab omni peccato, quia sacramenta omnem suam homines mundandi et sanctificandi virtutem a sanguine et morte Christi repetunt, nobisque eius merita applicant. Iustificationis enim nostrae sanguis Christi est causa meritoria, Deus causa principalis, baptismus causa instrumentalis: altera alteram non excludit.

Obi. V. In homine post baptismum remanet eadem pronitas ad malum et difficultas ad bonum, quae erat ante baptismum: oppositum autem deberet esse, si gratia et virtutes infunderentur.

Resp. S. Thomas: « Difficultatem ad bonum et pronitatem ad malum inveniri in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quae non tollitur in baptismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur, ita etiam diminuitur utrumque dictorum, ne homo ab his superetur (2). » Ipsum *Concilium Tridentinum* (3) dicit: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet: quin immo qui legitime certaverit, coronabitur.* Dubitari vero non potest, per baptismum divinam obtineri gratiam ad concupiscentiam vincendam. Nam, ait *Catech. rom.* (4): « Per baptismum etiam Christo capiti tamquam membra copulamur et connectimur. Quemadmodum igitur a capite vis manat, qua singulae corporis partes ad proprias functiones apte exequendas moventur; ita etiam ex Christi Domini plenitudine in omnes, qui iustificantur, divina virtus et gratia diffundi-tur, quae nos ad omnia christianae pietatis officia habiles reddit. » Attendendum tamen est, quod, licet in baptismate copiosae gratiae homini concedantur, et habitus virtutum ipsi infundantur, divina sapientia, quae continuum pietatis studium a iustificato exigit, ita distributionem gratiarum ordinaverit, ut etiam baptizatus divina gratia praeventus seipsum abnegare, vigilare, orare, atque media salutis a divino Redemptore praeparata adhibere debeat, quibus uberiora auxilia consecutus bonum certamen certare, et coronam iustitiae promereri valeat (5).

Obi. VI. *Innocentius III* (6) cap. *Maiores* de bapt. etc., nostram sententiam problematice exponit, dicens: « Aliis asserentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus, dimitti peccatum et virtutes infundi quantum ad habitum, non quoad usum. » Et *Concilium Viennense* sub *Clemente V* habitum ita loquitur: *Quantum ad effectum baptismi in parvulis, reperiuntur doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse: quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: aliis e contra asserentibus, quod et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac in-*

(1) Lib. 4 Instit. cap. 15.
(2) 3 p., q. 69, art. 4 ad 3.
(3) Sess. 5, can. 5.
(4) P. 2, c. 2, n. 52.
(5) Cf. Catech. rom., ibid. n. 53.
(6) Decr. l. 3, tit. 42, de bapt. et eius effect.

formans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam (quae dicit, tam parvulis, quam adultis in baptismo informantem gratiam et virtutes infundi) tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum, et modernorum theologorum magis consonam et conformem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. Ergo ante Concilium, anno 1311 habitum, dubitatum est, an baptismus ex opere operato gratiam producat, et virtutes infundat: et Concilium ipsum sententiam affirmantem non ut de fide certam declarat, sed solum ut probabiliorem eligendam ducit.

Resp. Ex dictis *Innocentii* et *Concilii Viennensis* patet, omnes theologos in hoc consensisse, quod per virtutem baptismi parvulis culpa remittatur: aliunde autem constat, remissionem peccatorum, seu iustificationem fieri per infusionem gratiae sanctificantis, quod semper, ubique et ab omnibus creditum est (1). Discordia ergo theologorum, quam duo laudati Pontifices noluerunt dogmatico decreto finire, non fuit, an pueris in baptismo gratia sanctificans infundatur, sed tantummodo, an illa gratia debeat appellari *habitualis*, cuius vocis usus apud theologos saeculo duodecimo antiquiores minime inveniri dicitur. Omnes ergo admittebant, pueris infundi per baptismum gratiam sanctificantem, per quam a peccatis purgantur, Deo dilecti fiunt, et adoptionem filiorum Dei consequuntur: nonnulli autem negabant, per hanc gratiam habitus virtutum infundi, quas solum per gratiam actualem produci dicebant, cuius pueri non sunt capaces (2). — Sed iam *S. Thomas* hanc nonnullorum opinionem, ut falsam et erroneam confutavit 3 p., q. 69, art. 6 ubi inter alia dicit: « Causa autem erroris fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum et actum; et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt, eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali: sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum. » Caeterum iam *S. Augustinus* id infantibus baptizatis attribuit, quod postmodum theologi gratiam habitualem nominarunt. Nam ad Bonifac. (3) dicit: « Semel perceptam parvulus gratiam non amittit, nisi propria impietate, si aetatis accessu tam malus evaserit. » Item (4) ad Dardan. scribit: « Dicimus ergo, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. » Et l. de grat. et lib. arb. (5) ait, in parvulis gratiam haerere. Similia et etiam magis energica inveniuntur apud *S. Chrysostomum* in Hom. ad Neophytos, cuius fragmentum servavit *S. Augustinus* (6) et apud *Isidorum* Pelus. (7).

IV. *Baptismus characterem imprimit, aliosque effectus producit.*

§ 541. Baptismum characterem imprimere, atque ideo iterari non posse, satis iam § 510 probatum est. Sed cum isto effectu etiam alii coniunguntur, quos commemorare oportet. Nam per baptismum Ecclesiam Christi ingredimur, eius potestati subiicimur, ius ad alia sacramenta et ad caetera bona Ecclesiae communia acquirimus, et

(1) § 462. (2) Cf. § 456.
(3) Epist. 98. (4) Epist. 187, c. 3
(5) Cap. 22. (6) L. 1 c. Iulian. c. 6.
(7) L. 3, Epist. 145.

Deo consecramur, speciali modo ad eius servitium obligati, et iure ad aeternam beatitudinem donati.

1. Per baptismum homines Ecclesiam Christi ingrediuntur, et fiunt eius membra. Id patet ex Act. II, 41, ubi legitur: *Qui receperunt sermonem eius* (Petri), *baptizati sunt: et* (hac ratione) *appositae sunt* (coetui Fidelium, seu Ecclesiae) *animae circiter tria millia*. Hinc baptismus passim a Ss. Patribus *ianua Ecclesiae* vocatur, quia per illum homines Ecclesiam ingrediuntur; et *Cathec. rom.* ait: « Baptismus veluti ianua est, qua in christianae vitae societatem ingredimur » (1).

2. Qui per baptismum Ecclesiam ingressi sunt, eius subditi constituuntur, atque ideo etiam eiusdem leges observare tenentur. Certum est enim, Ecclesiae a Christo potestatem legislativam concessam fuisse (2). Leges vero non pro aliis, quam pro subditis ferri possunt; unde et Paulus dicit: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare* (3)? quibus verbis ostendit, se iurisdictionem in illos exercere posse, qui intus, id est, in Ecclesia sunt. Dubitari ergo non potest, eundem Apostolum (4) illis, qui per baptismum Ecclesiae uniti et subiecti sunt, acclamare: *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Constans quoque Ss. Patrum persuasio fuit, ad leges Ecclesiae observandas omnes teneri, qui per baptismum eius membra facti sunt.

3. Per baptismum homines idonei redduntur ad reliqua sacramenta suscipienda. Qui enim baptizatus non est, nullum aliud sacramentum licite, et iuxta communem theologorum sententiam, ne valide quidem recipere potest, excepta eucharistia, in qua equidem corpus Christi a quocunque vere atque realiter, ast sine fructu, et, si scienter fiat, cum horrendo sacrilegio sumitur. Ideo *Innocentius III* (5) presbyterum, qui ante baptismum ordinatus fuerat, primo baptizari, et deinde iterum ordinari iussit, quoniam priorem ordinationem nullam declaravit. Et *S. Thomas* (6) dicit: « Qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum sacramentum suscipere potest. » Quamprimum autem homo baptizatus est, etiam reliqua sacramenta, quorum materia et forma ei applicari potest, valide et si requisitae dispositiones adsint, licite suscipere potest. Eodem modo homo etiam de reliquis Ecclesiae bonis participat, quam primum baptismi gratiam recepit; unde Paulus dicit: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus ... Ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra* (7). Unde *Catechismus rom.* (8) dicit: « Quaecunque pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et ut illis prosint, charitate, quae non quaerit quae sua sunt, efficitur. Id vero cum *S. Ambrosii* testimonio comprobatur, qui (9) locum illum Psalmi explanans: *Particeps ego sum omnium timentium te;* ita inquit: Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus Deum. »

4. Per baptismum etiam Deo con-

(1) P. 2, c. 2, n. 4.
(2) V. Th. gen. § 245 et seq.
(3) I Cor. 5, 12. (4) Hebr. 13, 17.
(5) Cap. 3, de presb. non baptiz.
(6) In 4, dist 24, q. 1, art. 2. q. 3.
(7) I Cor. 12, ver. 13 et 25 etc
(8) P. 1, cap. 10, n. 25.
(9) Serm. 8, in Ps. 118

secramur, et eius servitio mancipamur. Sicuti enim milites Regi, cuius notam seu tesseram gerunt, obtemperare et inservire tenentur, ita etiam baptizatus per indelebilis characteris obsignationem Deo in aeternum consecratus manet. Idcirco quilibet ante baptismum diabolo, eiusque pompis et operibus renuntiare debet, ut (1) ereptus de potestate tenebrarum, et translatus in regnum filii dilectionis suae, soli Deo inserviat omnibus diebus vitae suae.

5. Denique, ait *Catechismus rom.* (2), « praeter caetera, vero quae ex baptismo consequimur, illud veluti extremum est, quo reliqua omnia videntur referri; quod scilicet coeli aditum, propter peccatum prius interclusum, unicuique nostrum patefacit. Haec autem, quae in nobis baptismi virtute efficiuntur, ex iis plane intelligi possunt, quae in Salvatoris baptismo contigisse evangelica auctoritas confirmavit. Etenim *coeli aperti sunt* (3), et Spiritus sanctus columbae specie in Christum Dominum descendens apparuit. Ex quo significatum est, eis, qui baptizantur, divini numinis charismata impertiri, et coelorum ianuam reserari: non quidem, ut simul atque baptizati sunt, sed ut magis opportuno tempore ingrediantur in illam gloriam, cum omnium miseriarum expertes, quae in beatam vitam cadere non possunt, pro mortali conditione immortalitatem assequentur. » Ideo Christus dicit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (4). Ideo etiam Patres et Theologi cum S. *Gregorio Naz.* (5) baptismum « Regni coelestis clavem » appellant, et S. *Chrysostomus* (6) saluberrimos baptismi effectus quasi in nucleo colligens ait: baptismo Christi conferri « peccatorum remissionem, supplicii veniam, iustitiam, sanctificationem, redemptionem, adoptionem, fraternitatem, haereditatis consortium, et Spiritus sancti copiosam largitionem. »

Nota 1. Novatores, sicut veros baptismi effectus extenuant, aut poenitus negant, ita alios eidem adscribunt commentitios et per quam absurdos; aiunt enim: 1° quod baptizatus damnari non possit etiamsi velit, nisi nolit credere; 2° quod baptismus liberet ab obedientia divinae legis; 3° quod liberet ab observandis legibus humanis; 4° quod liberet ab omnibus votis; 5° quod sola memoria baptismi purget peccata, quae committuntur post baptismum. Isti errores, quos recenset et refellit *Bellarminus* (7), promanarunt ex falsis Novatorum principiis iam alibi confutatis, et praecipue ex foecundissimo illo errore, quod sola fides iustificet, de quo dictum est § 466. — Recte autem *Concilium Tridentinum*, ut fideles a pestifero Novatorum veneno efficacius praeservarentur, istorum erroribus Sess. VII de bapt. totidem canones opposuit, et sunt sequentes. Can. 6: *Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.* Can. 7: *Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum, solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae; anathema sit.* Can. 8: *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.* Can. 9: *Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti me-*

(1) Col. 1, 13. (2) P. 2, c. 2, n. 58.
(3) Matth. 3, 16 (4) Marc. 16, 16.
(5) Orat. 40, n. 3. (6) Hom. 11, n. 4.
(7) Lib. 1 de bapt. cap. 14 et seq.

moriam, ut vota omnia, quae post baptismum fiunt vi promissionis in baptismo ipso iam factae, irrita esse intelligant, quasi per ea, et fidei, quam professi sunt, detrahatur et ipsi baptismo; anathema sit. Can. 10: *Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.*

Nota 2. Quaerunt theologi, utrum effectus baptismi in omnibus rite dispositis sint aequales? et respondent, characterem, remissionem peccatorum et condonationem poenae in omnibus rite dispositis esse aequalem; infusionem vero gratiae esse in adultis disparem propter dispositionum, quas afferunt, inaequalitatem. Ita docet *S. Thomas* (1) dicens: « Per se quidem effectus baptismi est id, ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam: et hunc effectum aequaliter facit in omnibus, qui aequaliter se habent ad baptismum. Unde quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur), omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum, quidam enim cum maiori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem diffundat. » Idem docet *Concilium Tridentinum*, quod Sess. VI, c. 7, cum dixisset, formalem iustificationis causam esse iustitiam Dei, qua nos iustos facit, ita prosequitur: *Qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae - iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem.*

(1) 3 p., q. 69, art. 8.

ARTICULUS V.

De necessitate baptismi.

§ 542. Duplici ratione potest aliquid necessarium esse, vel necessitate *medii*, ut scholastici loquuntur, vel necessitate *praecepti*. Necessarium est necessitate medii, si absque eo, etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri nullatenus possit; necessitate autem praecepti, si ita quidpiam sit imperatum, ut etiam eo omisso, inculpabiliter tamen, finis possit obtineri. Sic ex. gr. ad obtinendam remissionem peccatorum necessarius est in adulto dolor de peccatis, quia sine isto nullo pacto remissio peccatorum obtineri potest: confessio autem necessaria tantum est necessitate praecepti, quoniam, si peccator confiteri non potest, remissionem peccatorum per contritionem et amorem Dei obtinere valet. Quaestio igitur movetur, qua ratione baptismus necessarius dicendus sit? et respondetur, baptismum iuxta doctrinam catholicam pro omnibus, etiam pro infantibus, necessarium esse necessitate medii ad salutem, pro adultis vero, pro iis saltem, quibus satis promulgatum est Evangelium, necessarium etiam esse necessitate praecepti. Ast iuxta eandem doctrinam catholicam baptismus, quamvis pro omnibus necessarius sit necessitate medii, duobus tamen modis suppleri potest, nempe per contritionem, seu charitatem perfectam coniunctam cum voto baptisma suscipiendi, et per

mortem toleratam pro Christo, seu per martyrium. Hinc theologi triplicem baptismum distinguere consueverunt, nempe *baptismum fluminis*, qui per aquam ex Christi institutione perficitur, ac primum N. L. sacramentum constituit, *baptismum flaminis*, quo nomine venit perfecta charitas et verax cordis contritio desiderium annexum habens baptismum aquae suscipiendi; et *baptismum sanguinis*, qui consistit in morte aut lethali cruciatu, pro fide Christi tolerato. Observandum autem est, Theologos per hanc distinctionem nullatenus tria baptismata, seu tria sacramenta asserere, sed verum esse, quod Apostolus dicit: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (1). Nam solummodo baptismus fluminis rationem veri sacramenti habet; baptismus autem flaminis, qui in actibus internis consistit, et baptismus sanguinis, qui praescripta forma et convenienti ministro destituitur, sacramenta non sunt, sed media a divina misericordia suppeditata sacramentum baptismatis supplendi. — Doctrina ergo catholica sic breviter enunciari potest. *Baptismus fluminis* necessarius est necessitate tum medii, tum praecepti ad salutem; suppleri tamen potest tum per *baptismum flaminis*, tum per *baptismum sanguinis:* quae doctrina per partes declaranda et probanda est.

I. *Baptismus fluminis ad salutem necessarius est necessitate tum medii, tum praecepti.*

§ 543. Plures habuit adversarios tum veteres, tum recentiores dogma catholicum de necessitate baptismi. Prioribus Ecclesiae saeculis denegarunt huius sacramenti necessitatem *Caiani* et *Quintilliani*, qui solam fidem ad salutem sufficere autumarunt: *Archontici* et *Ascodrupitae*, qui omnia sacramenta corporea et visibilia reiiciebant: *Manichaei*, qui aquam et caeteras res corporeas a principio malo creatas esse contendebant: *Messaliani*, qui radices peccati per solam orationem tolli docuerunt, qui negantes peccatum originale etiam baptismum ad illud abluendum necessarium esse inficiati sunt, quamquam, premente eos *S. Augustino*, diverticula quaeritare coacti docerent, necessarium esse baptisma ad ingressum in regnum coelorum, non vero ad vitam aeternam consequendam, quasi aliud sit regnum coelorum, aliud vita aeterna. Ex recentioribus haereticis *Io. Wicleffus* docuit, baptismum necessarium non esse, quod constat ex Sess. XV, *Conc. Constant. Zuinglius* in l. de vera et falsa Relig. (2) ostendere conatur, baptisma merum esse symbolum nullius ad salutem praesidii. *Mart. Bucerus* (3) docet, pueros praedestinatos etiam sine baptismo salvari, et non praedestinatos, etiamsi baptismum perceperint, damnari. *Calvinus* (4) necessarium quidem esse baptismum ex praecepto non inficiatur; sed ad delendum peccatum originale omnibus sive adultis, sive parvulis necessarium non esse contendit: non adultis, quia isti sola fide iustificantur; non parvulis, quia si a parentibus christianis progeniti, aut de numero sunt praedestinatorum, virtute foederis, quod Deus cum Christianis pepigit, sancti sunt etiam sine baptismo, nec originaria labes eis imputatur. *Lutherani* idem fere sentiunt, quoniam idem principium de sola fide iustificante tenent; unde iam *Lutherus* l. de captiv. babyl. (5) dixit: « Baptismus neminem iustificat, nec ulli

(1) Ephes. 4, 5. (2) Cap. de bapt.
(3) In cap. 3 Matth. (4) L. 4 Instit. cap. 16. (5) Cap. de bapt.

prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus et adimplet id, quod baptismus significat. » *Sociniani* pro more suo etiam hac in re longius progressi sunt *Luthero* et *Calvino;* asserunt enim, baptismum esse merum ritum externum, ac publicum dumtaxat professionis christianae symbolum, omni interiori gratia vacuum; Christum illis verbis Matth. XXVIII, 19 non dedisse Apostolis praeceptum baptizandi, sed tantum instruendi Gentiles in lege Christi, aut si illa verba praeceptum continent, id non fuisse universale ab omnibus in perpetuum observandum, sed pro certo dumtaxat tempore, ac pro certis tantum personis, nempe pro illis, qui in primordiis Ecclesiae a paganismo, vel iudaismo ad Christum convertebantur; nunc vero in christiana lege educatis, et a christianis parentibus progenitis minime necessarium esse, cum baptismus sit res libera et indifferens, quae sine salutis dispendio observari potest, aut negligi. « Hunc errorem, ait cl. *Perrone* (1), sibi adsciverunt passim Protestantes, praesertim vero rationalistae. Adeo vero invaluit haec perniciosa sententia in Anglia, ut nisi saeculares magistratus infantium saluti datis legibus prospexissent, absque salutari lavacro passim isti relinquerentur. » Et in nota addit: « Ex hac persuasione de nulla baptismi necessitate, quae apud Protestantes vulgata est, fit ut eorum ministri adeo oscitanter hoc sacramentum administrent, ut grave dubium ortum sit de valore baptismi ab illis collati. Hinc receptum est, ut passim non solum in Anglia, Galliis, Germania, verum etiam Romae iis, qui ex diversis sectis redeunt ad Ecclesiam catholicam, iterum baptisma conferatur. » Ex dictis vero facile patet, quanti momenti sit ostendere, quod iam definivit *Concilium Tridentinum,* baptismum non liberum esse, sed necessarium ad salutem. Baptismus fluminis nempe omnibus, etiam infantibus, necessarius est necessitate medii, ita, ut nemo sine eo (nisi per baptismum flaminis aut sanguinis suppleatur) salutem consequi possit. Pro adultis autem, saltem pro iis, quibus Evangelium satis promulgatum est, baptismus fluminis est etiam necessarius necessitate praecepti; quod probatur ex eo, quia, ut ex dicendis apparebit, extat mandatum Christi baptisma suscipiendi, et quilibet tenetur necessaria salutis media adhibere. Haec doctrina ex *S. Scriptura,* ex *Ss. Patribus,* ex *praxi Ecclesiae et Conciliis,* ac *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* necessitatem baptismi clarissime commonstrat. Nam Io. III, 5 Christus dicit: *Nisi quis renàtus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* quae verba generalia sunt, sine ulla restrictione ad certum locum, aut certum tempus proferuntur, atque necessitatem medii clare exprimunt. Quod confirmatur ex subsequentibus verbis: *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet nasci denuo* (2): ratio ergo, ex qua regeneratio per aquam et Spiritum sanctum fieri debet, haec assignatur a Christo, quia *quod natum est ex carne, caro est;* et ideo ineptum pro regno Dei: sed omnes homines carnali nativitate carnales sunt: ergo sine exceptione omnes, qui ex carne nati sunt, per regenerationem ex aqua et Spiritu sancto spirituales fieri debent, ut admittantur in

(1) De bapt. cap 5, n. 133.

(2) Io. 3, v. 6, etc.

regnum Dei. Verba Christi adeo luculenta sunt, ut Pelagiani illius evidentia superati ausi non fuerint negare, necessarium esse absolute baptismum, sed novo figmento distinguere maluerint inter regnum coelorum et vitam aeternam, ut nempe infantes sine baptismo morientes excluderent quidem a regno coelorum propter verba Christi relata, vita tamen aeterna donarent propter innocentiam. Protestantibus quoque tam clara visa est haec Christi sententia ad exprimendam absolutam, seu medii necessitatem, ut, qui hanc inficiarentur, coacti fuerint verba Christi ad metaphoricum sensum detorquere, quod tum regulis hermeneuticis, tum S. Scripturae, tum toti Traditioni repugnat (1). Et sane quia Christus regenerationis ex aqua et Spiritu sancto perficiendae necessitatem declaravit, ideo etiam Apostolis praecepit, ut omnes homines baptizent, seu lavacro aquae in verbo vitae regenerent, ait enim Matth. XXVIII, 19: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. Frustra autem Apostolis praeceptum baptizandi imposuisset, nisi etiam hominibus baptismum suscipiendi mandatum dedisset; hoc enim in illo continetur, et quidem ita, ut homines, nisi istud observent, salutem aeternam consequi non possint. In loco quippe parallelo Marc. XVI, 15 etc. Christus inquit: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Eiusdem igitur necessitatis est baptisma ad salutem, ac fides: sed fides, adversariis ipsis ultro fatentibus, necessaria est omnibus, et quovis tempore: ergo et baptisma omnibus et quovis tempore necessarium est ad salutem, nec temporarium proinde est hoc praeceptum, neque solos afficit infideles, vel infidelium filios. De hoc Christi praecepto Apostoli persuasi fuerunt; quapropter iis, qui ad eorum praedicationem conversi sunt, non liberum reliquerunt, an baptizari velint, sed (2) iis, qui compuncto corde dixerunt: *quid faciemus?* Petrus absolute respondit: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio* etc. Sicut ergo poenitentiam, ita etiam baptismum requirit, ut remissionem peccatorum et gratiam Spiritus sancti accipiant atque repromissionis, id est, promissionis salutis per Messiam afferendae, digni fiant. — Act. XXII, 16 *Ananias* nomine Iesu Christi Saulo dixit: *Quid moraris? Exurge et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.* Non autem liberum Paulo fuit, an baptizari velit, sed praeceptum, quia Christus ipse eidem dixerat: *Vade Damascum, et ibi dicetur tibi de omnibus, quae te oporteat facere.* Ib. v. 10. Petrus (3) comparans baptismum cum Arca Noë, seu rem figuratam cum figura, docet, homines per baptismum salvos fieri, sicut salvi facti sunt ab aquis diluvii, qui in Arca inclusi fuerunt; *in qua*, inquit, *pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam, quod et vos nunc similis formae* (ἀντίτυπον, id est, per typum illum significatum) *salvos facit baptisma:* itaque iuxta doctrinam principis Apostolorum, sicut illi, qui extra Arcam fuere, perierunt, ita etiam ii, qui baptizati non sunt, aeternam salutem non consequuntur.

2. *Ss. Patres* necessitatem bapti-

(1) V. Tournely de bapt. q. 2, art. 1.

(2) Act. 2 37, etc. (3) I Ep. 3, 21.

simi magno consensu praedicant. *Hermas* in Past. (1) inquit: « Nemo intrabit in regnum Dei, nisi qui acceperit nomen filii Dei: » hoc autem per baptismum accipi, saepius docet. *S. Iustinus M.* Apol. 1 (2), cum dixisset, catechumenos in aqua, invocato Trinitatis nomine, baptizari atque ita regenerari, addit: « Christus enim ipse dixit: nisi regenerati fueritis, non intrabitis in regnum coelorum..... ad quod faciendum ab Apostolis instructi sumus. » Rationem vero necessariae illius per baptismum regenerationis repetit ex peccato, quod nascendo contrahimus; unde dicit: « ut Filii electionis et scientiae fiamus, et remissionem peccatorum consequamur, super illos, qui regenerari volunt, - nomen Dei Patris et Iesu Christi et Spiritus sancti..... invocatur » (3). — *S. Irenaeus* (4) ait: « Corpora nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; » id est, per baptismum ius resurrectionis ad gloriam, qua Christo coniungantur, nacta sunt; « animae autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, cum utraque proficiant ad vitam Dei. » — *Tertullianus* (5) dicit: « Praescribitur, nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus quis ex aqua fuerit, non habet vitam. » Et illos « scelestissimos » vocat, « qui dicunt, baptismus non est necessarius, quibus fides satis est; » et horum obiectiones refellens ait: « Lex tingendi imposita est, et forma praescripta etc. » (6). — *S. Cyprianus* in famosa, quam cum Stephano R. P. habuit controversia de baptismo ab haereticis collato, supponit, absolute necessarium esse ad salutem baptismum, atque hac erronea occupatus sententia, apud haereticos non esse verum baptisma Christi, ab illis baptizatos iterum baptizabat, ut vitam aeternam consequi possent: « Quia, inquit in Epist. 72 ad Stephanum, parum est eis manum imponere, nisi accipiant et Ecclesiae baptismum. Tunc enim demum sanctificari et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur, cum scriptum sit: *Nisi quis renatus fuerit* etc. » *S. Cyrillus Hier.* (7) scribit: « Neque si quis etiam virtutum operibus instructus signaculum per aquam non recipiat, coelorum regnum ille ingressurus est: » quod assertum fulcit exemplo Cornelii, quem Petrus baptizavit, licet fuerit Angelorum visione dignus, et eleemosynas apud Deum praeclarae instar columnae erexerit. — *S. Basilius* (8) ita disserit: « Adoras Dominum qui pro te mortuus est? Sine igitur una cum ipso sepeliri te per baptisma. Si ei non fueris insertus per similitudinem mortis eius, quomodo resurrectionis eius eris socius? quomodo reverteris in paradisum, nisi sis baptismate obsignatus? » — *S. Gregorius Naz.* (9) ita loquitur: « Qui plane baptismum aspernantur, sceleratiores sunt iis, qui ob infinita ac irrita desideria, vel ob socordiam a baptismo suscipiendo retardantur. Atque hi rursus in graviore crimine sunt, quam illi, qui per ignorantiam ac tyrannidem a baptismo exciderunt. » — *S. Chrysostomus* (10) inquit: « Luge eos, qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt: hi vere lamentis digni, hi lacrymis. Extra regiam sunt

(1) Lib. 3 Simil. 9. (2) N. 61.
(3) Cf. Dial. c. Tryph. cap. 44.
(4) L. 3 adv. haer. c. 17, n. 2.
(5) L. de bapt. cap. 12. (6) Cap. 13.
(7) Catech. 3 de bapt. n. 4.
(8) Hom. 13 de bapt. n. 2.
(9) Orat. 40.
(10) Hom. 3 in Epist. ad Philip. n. 4.

una cum iis, qui poenae sunt obnoxii, una cum damnatis. » *S. Ambrosius* l. de Myster. (1) haec habet: « Credit Catechumenus... sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris etc., remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire. » Et de Abraham (2): « Nemo ascendit in regnum coelorum, nisi per sacramentum baptismatis. » Ibid. (3) exponens Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit* etc., dicit: « Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate. » *S. Augustinus* (4) inquit: « Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus. » Et (5) ad Hieronym. scribit: « Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur et parvuli, qui sine sacramenti eius (baptismi) participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, alias eos in Christo omnino vivificari non posse. » Et de pecc. merit. et remis. (6): « Quisquis ex concupiscentia carnis et lege peccati et mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, ut non solum ad regnum Dei perducatur, sed etiam a damnatione peccati liberetur. » *S. Fulgentius* (7) inquit: « Firmissime tene et nullatenus dubites, non solum homines iam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui..... sine sacramento sancti baptismatis... de hoc saeculo transeunt, sempiterno igne puniendos. » *S. Prosper* de voc. gent. (8) haec habet: « Neque credi fas est, eos, qui regenerationis non adepti sunt sacramentum, ad ullum Beatorum pertinere consortium. » *Gennadius* quoque inter firmissima Ecclesiae dogmata et istud recenset, dicens: « Baptizatis tantum iter salutis esse credimus » (9).

3. *Ecclesiae fides* tum ex eiusdem antiquissima et universali praxi, tum ex Conciliis cognoscitur. Nam Ecclesia primis statim saeculis haereticos baptismi necessitatem inficiantes publica proscriptione damnavit. Non solum autem filios infidelium, sed etiam parvulos ex parentibus catholicis progenitos semper baptizari iussit, quia constanter credidit, etiam istos absque lavacro regenerationis nec sanctos esse, nec aeternam salutem consequi posse. Imo etsi statuta quaedam forent tempora ad solemnem baptismi administrationem, semper tamen provisum est ab Ecclesia, ut in periculo mortis, et, urgente necessitate, sive infantibus, sive adultis in lecto aegrotantibus quolibet tempore per sacramentum baptismi subveniretur. Atque huius sollicitudinis rationem assignat *S. Siricius* Papa in Epist. ad Himer. Tarrac. (10) scribens: « Ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de saeculo et regnum perdat et vitam. » Nec alia de causa Ecclesia ipsis etiam laicis et mulieribus permisit in mortis periculo baptismum administrare, quam quod eum absolute necessarium esse ad salutem iudicaret. Eandem Ecclesiae fidem *Concilia* manifestant. *Carthaginense* in causa Pelagii anno 416 celebratum in Epist. synodica ad *Innocentium I* (11)

(1) Cap. 4. (2) L. 2 c. 11, n. 79.
(3) N. 84. (4) L. 3 de orig. anim. c. 9.
(5) Epist. 166 al. 28, c. 7, n. 21.
(6) L. 1 cap. 16, n. 21.
(7) L. de fide cap. 27. (8) L. 2 c. 20.
(9) L. de eccles. dogmat. cap. 41.
(10) Cap. 2. (11) Quae inter Augustinianas est ordine 175 al. 90.

ait: « Parvulos etiam propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant (Pelagiani), ac sic eos mortifera ista doctrina in aeternum necant. » *Conc. Milevitanum II* can. 2 anathema dicit in illos, qui negant, parvulos in remissionem peccatorum baptizari. Et in Epist. synod. ad *Innocent. I* (1) scribit: « Pueros quoque parvulos, etsi nullis innoventur christianae gratiae sacramentis, habituros vitam aeternam, nequam presumptione contendunt (Pelagiani), evacuantes quod dicit Apost.: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* » *Innocentius I* autem definitiones huius Concilii contra Pelagianos editas approbavit, et in suo Rescripto dicit: « Vestra fraternitas asserit, (Pelagianos) praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis sine baptismatis gratia posse donari, quod perfatuum est etc. » *Concilium Braccarense II* (2) ait: *Quod si forte, dum differunt* (parentes), *sine gratia baptismi de hac vita* (infantes) *recesserint, necesse est, ut ab illis* (Clericis avaris, qui pro administratione baptismi pecunias etiam a pauperibus parentibus exigebant) *eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes, a baptismi gratia* (parvulis suis procuranda) *se retraxerunt.* — *Tridentinum* Sess. V, can. 4 inquit: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam... anathema sit.* Et Sess. VII, can. 5 de bapt. definit: *Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

4. *Rationes theologicae* petuntur ex baptismi effectibus. Nam extra veram Christi Ecclesiam non obtinetur salus (3): ianua autem, per quam in Ecclesiam ingressus patet, est baptismus. Praeterea ut quis civitatis coelestis particeps fiat, a peccatis tum originali, tum actualibus mundus esse debet, quia *non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens* (4); baptismus vero ordinatus est in remissionem peccatorum tum originalis tum actualium. Denique ad aeternam beatitudinem consequendam requiritur *vestis nuptialis*, seu gratia sanctificans (5); haec autem confertur per baptismum. Et sane infantes per baptismum dumtaxat a peccato originali purgari et gratiam sanctificantem consequi possunt; atque etiam adulti, si possint, et non velint baptismum recipere, nec remissionem peccatorum, nec gratiam sanctificantem consequuntur. Quis ergo de necessitate baptismi dubitabit? — Recte igitur S. *Thomas* (6) hanc probat dicens: « Ad illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt; manifestum est autem, quod nullus potest salutem consequi, nisi per Christum; unde et Apostolus dicit: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae* (7). Ad hoc autem datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius, unde dicitur: *Qui-*

(1) Inter August. ord. 176 al. 92.
(2) Anno 572, can. 7.
(3) V. Th. gen. § 273 etc. (4) Apoc. 21, 27.
(5) Matth. 22, 11 etc.
(6) 3 p., q. 68, art. 1. (7) Rom. 5, 18.

cumque in Christo baptizati estis, Christum induistis (1). Unde manifestum est, quod omnes ad baptismum tenentur, et sine eo non potest salus esse hominibus. »

Nota. Quamvis argumenta pro baptismi necessitate solidissima sint, plurimae tamen difficultates illis a Novatoribus opponuntur, qui suis cavillationibus evidenter ostendunt, etiam clarissima Scripturae verba in alienum sensum contorqueri posse, si linea traditionis deseratur, et magisterium infallibile non audiatur.

Obi. I. Christus Marc. XVI, 16 dicit quidem: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* sed non dicit: *qui non crediderit* et non baptizatus fuerit, *condemnabitur,* ostendens, homines ob defectum fidei non vero ob defectum baptismi condemnari. Porro post adducta verba, v. 17 subdit: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis* etc.; iam vero haec signorum et prodigiorum copia ad apostolicam tantum spectabat Ecclesiam, minime vero ad adultam; ergo et ad Ecclesiam tantum ex Iudaeis et Gentibus constituendam totus pertinet ille baptismalis caeremoniae apparatus, non autem ad Ecclesiam iam constitutam, cui eo pacto, quo necessaria non sunt signa illa, ita neque necessarius est exterior baptismi ritus.

Resp. Quamvis Christus tantum dixerit: *Qui non crediderit,* nec addiderit, qui non fuerit baptizatus, *condemnabitur*, nihil interest; fuisset enim supervacanea ista additio: infantes quippe baptizantur in fide Ecclesiae, adulti vero non credentes vel baptisma non suscipiunt, vel si suscipiunt, ob internam incredulitatem non iustificantur; quapropter verum semper manet, salutem per fidem et baptismum obtineri. — Quod attinet verba Marc. XVI, 17 Christus non dicit, eos, qui baptizati fuerint, sed *eos, qui crediderint,* signa secutura esse. Si quid igitur evincerent obiecta verba, efficerent adversus Protestantium hypothesim, fidei praeceptum neque universale, neque perpetuum esse; quod tamen nec ipsi admittunt, nec Sociniani. Sicuti ergo, fatentibus adversariis fides, quovis tempore necessaria est, ita et baptismus quovis tempore ad salutem necessarius est, quamvis eos, qui credunt, non semper signa sequantur; haec enim ideo tantum primis Ecclesiae temporibus necessaria fuerunt, ut motivum credibilitatis iis exhiberent, qui ex infidelitate ad fidem veniebant: nam I Cor. XIV, 22 legitur: *Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.* Caeterum huiusmodi signa non cessarunt in Ecclesia catholica, ut ex fastis sanctorum patet: nemo vero somniavit, talia signa necessario cum baptismo coniungi, quae tunc tantum sequuntur, cum quis fide viva animatus est, et circumstantiae illa poscunt.

Obi. II. Verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit* etc. (2), non sunt intelligenda materialiter de aqua, sed de gratia Spiritus sancti, quae utique necessaria est ad salutem, quae tamen sine baptismo haberi potest per fidem iustificantem. Id probatur ex verbis Ioannis Bapt. de Christo dicentis: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (3), ubi ignis nonnisi metaphorice accipi potest; unde etiam aquae baptismus metaphorice est intelligendus. Ulterius ipse Christus in eodem capite seipsum explicans ait: *Quod natum est ex spiritu, spiritus est;* et: *Sic est omnis, qui*

(1) Gal. 3, 27. (2) Io. 3, 5. (3) Luc. 3, 16.

natus est ex spiritu (1). Haec obiicit *Calvinus*.

Resp. Interpretatio Calvini nititur falso supposito, iam alibi confutato(2), quod per solam fidem iustificatio obtineatur. Christum baptismum in aqua praescripsisse, et illo tanquam instrumento uti ad gratiam conferendam § 530 probatum est. Verba Ioannis Bapt. (3), vel de vehementia charitatis Spiritus sancti et de efficacia gratiae a Redemptore conferendae, quae igni comparatur, vel potius de missione Spiritus sancti sub forma ignis intelligenda sunt; et si in hoc sensu verba sumantur, sicut ignis non mere metaphorice, sed ut signum sensibile, sub quo gratia Apostolis conferebatur, accipi debet; ita etiam aqua (4) non metaphorice, sed ut signum sensibile, seu ut instrumentum, per quod gratia hominibus confertur, intelligenda est. Nec obsunt verba sequentia (*Quod natum est* etc.)(5), quae nihil aliud indicant, quam effectum baptismi, scilicet nativitatem spiritualem, quae tribuitur quidem aquae, tanquam instrumento, Spiritui autem sancto, ut causae principali.

Obi. III. Christus Io. VI, 54 dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* atqui ex istis verbis nemo colligit omnimodam necessitatem sumendi eucharistiam: hanc enim non esse parvulis necessariam fatetur Synodus *Tridentina* (6): ergo pariter ex loco parallelo: *Nisi quis renatus* etc., omnimoda baptismi necessitas erui nequit.

Resp. Inter duo Christi effata recensita magna est differentia. Verba enim Christi: *Nisi quis renatus* etc.(7), generalissima sunt, ut patet, utpote indefinite ac in tertia persona prolata: contra vero Io. VI, 54 Christus alloquitur adultos et praecepti capaces in secunda persona: *Nisi manducaveritis* etc. Porro aliud est sine baptismo non posse quempiam introire in regnum coelorum, aliud vero *non habere vitam in se;* his enim tantummodo significatur, non posse sine alimento spirituali vitam ali, conservari etc., quoad eos nempe, qui vires reparare debent. Cum vero infantes hac virium reparatione non indigeant, hinc patet, ad eos non posse haec verba Christi extendi. Hac de causa diverso sensu citata duo testimonia intellexit Ecclesia, quae pueris in mortis periculo constitutis ab aetate apostolica consuevit magna sedulitate baptismum administrare, non item vero confirmationem et eucharistiam, qui mos nonnisi serius obtinuit, neque fuit universalis.

Obi. IV. Gen. XVII, 7 ait Deus Abrahamo: *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te.* Ergo Deus filios fidelium adoptat in suos, eisque peccatum originale remittit, antequam baptizentur, foedus enim sempiternum initum cum Abraham etiam ad filios Christianorum pertinere patet ex Rom. IV, 11, ubi Abraham dicitur: *Pater omnium credentium per praeputium;* et ex Gal. III, 7, ubi legitur: *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae.* Filiis ergo Christianorum non est necessarius baptismus ad iustitiam consequendam, sed sufficit fides parentum, ut in veteri Testamento. Idcirco Apostolus ait: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum*

(1) Io. 3, v. 6, 8.
(2) § 466.
(3) Luc. 3, 16.
(4) Io. 3, 5.
(5) V. 6 et 8.
(6) Sess. 21, cap. 4.
(7) Io. 3, 5.

fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt (1). Ergo filii fidelium sunt sancti et Deo grati etiam ante baptismum, adeoque nihil obstat, quominus etiam sine baptismo salventur.

Resp. Verba Geneseos *in sensu litterali* sumpta pertinent ad solos Iudaeos, et continent, ut ex versu praecedenti et subsequenti patescit, solummodo promissionem specialis protectionis, gubernationis et felicitatis temporalis, non vero remissionis peccatorum et vitae aeternae: secus qui Dominum crucifixerunt Iudaei, atque ipse proditor Iudas, sancti et salvi forent, utpote ex Abrahamo originem suam ducentes. Si autem verba illa in sensu spirituali seu mystico intelligantur, dicendum est, foedus initum a Deo cum Abrahamo adhuc durare, sed conditiones foederis esse mutatas; nam in V. T. requirebatur fides in Messiam venturum, in N. T. necessaria est fides in Messiam, qui iam advenit: in V. T. requirebatur pro signaculo fidei circumcisio, in N. T. circumcisioni suffectus est baptismus: demum in V. T. defectu circumcisionis sufficiebat ad salutem parvulorum fides parentum, ast in N. T. voluit divinus noster Legislator, ut fidei adiungeretur baptismus: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (2). Hoc patet ex Evangelio, hoc tradiderunt Ss. Patres, hoc demum perpetuo usu servavit Ecclesia, et hoc nobis sufficere debet. Ita olim respondebat *Tertullianus* Cainitis, qui ex V. T. ostendere conati sunt, fidem sufficere, et baptismum necessarium non esse. « Fuerit, inquit (3), fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem eius... Postea lex tingendi imposita est, et forma praescripta: *Ite*, inquit, *docete* etc. Huic legi collata definitio illa: *Nisi quis renatus fuerit* etc. Obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem: itaque omnes exinde credentes tingebantur. » — Paulus (4) verbis illis (*sanctificatus est*, etc.) non intelligit sanctitatem proprie dictam, quae consistit in immunitate a peccato gravi et gratiae sanctificantis adeptione, sed loquitur de sanctitate quadam civili et externa posita in eo, quod matrimonium sit legitimum et filii non spurii. Quis enim intelligat, virum *infidelem* esse vere et proprie *sanctificatum* cohabitando cum muliere fideli? quomodo sanctus, qui in infidelitatis tenebris et in umbra mortis sedet? « Non opinor, ait *S. Augustinus* (5), quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet, etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor eius, neque iam baptizari oportere, et ad remissionem peccatorum iam pervenisse et in regnum coelorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in uxore. » Manifestum est igitur, Apostolum de vera et proprie dicta sanctitate non loqui, et sic quod dixit, filios *sanctos* esse, non significare filios parentum fidelium nasci ita sanctificatos, ut nova baptismi regeneratione non indigeant, cum e contra apertissime doceat (6) sine exceptione nos nasci filios irae. Praeclare *S. Augustinus* ibid. (7) inquit: « Nec coniuges infideles, quantumlibet sanctis et iustis coniugibus haereant, ab iniquitate mundantur. Nec parvuli de quibuslibet sanctis iustisque procreati originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati. » Caeterum dicitur etiam sanctificatus vir

(1) I Cor. 7, 14. (2) Marc. 16.
(3) L. de bapt c. 13. (4) I Cor. 7, 14.
(5) L. 2 de pecc. mer. et remis. cap. 26.
(6) Eph 2, 3. (7) L. 3 c. 12.

per uxorem fidelem, quatenus uxor fidelis sensim virum suum ad conversionem disponit, illi pietatis ac timoris divini sensus inspirat, eidem viam salutis ostendit, hunc exemplo suo a multis flagitiis avertit, ac precibus Deum fatigat, ut viro gratiam conversionis obtineat. Similiter filii sancti dicuntur, quatenus uxor fidelis eos docet idola aversari, eisque veri Dei cognitionem et christianae religionis amorem infundit. Monet ergo Apostolus loco citato, ne ab altero, quamvis non Christiano, consentiente tamen cohabitare sine iniuria Creatoris, coniux fidelis discedat, ut simul cohabitando unius sanctitas et cohortatio alium reducat ad frugem, et filii a fideli marito vel uxore ad Christi religionem praeparentur, vel si suscepto iam baptismo in ea sunt, in eadem perseverent (1).

Obi. V. Ex veteris Ecclesiae praxi non apparet summa illa, quam praedicamus, baptismi necessitas. Nota enim est illa consuetudo valde communis differendi baptismum usque ad adultam aetatem, imo ad senium et mortem, cum periculo moriendi sine illo sacro lavacro. Additur ea Ecclesiae praxis, imo expressum *S. Leonis* decretum (2), ut solemniter baptismus non conferretur, nisi diebus Paschatis et Pentecostes: non est autem verisimilis haec veterum negligentia, si tantam esse existimassent illius necessitatem. Non raro hinc inde contigit, ut Catechumeni ante baptismum susceptum morerentur, et pro his Ecclesia preces fundere et sacrificia offerre consuevit, ut patet ex oratione funebri *S. Ambrosii* pro imperatore Valentiniano ante baptismum defuncto, et ex aliis monumentis. Ecclesia ergo non credidit, homines sine baptismo salvari non posse. Ideo *S. Cyprianus* contendens, baptizatos ab haereticis non esse legitime baptizatos, de salute tamen eorum non esse desperandum dixit; scribit enim de illis ad Iubaian.: « Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, et eos, qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiae suae muneribus non separare » (3). *S. Augustinus* pariter (4) Ep. ad Bonifac. ait: « Ut possit regenerari (parvulus) per officium voluntatis alienae, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus; » quibus verbis docet, parentum fidem prodesse infantibus ad salutem. Et l. 4 de bapt. (5) inquit: « Baptismi vicem... impleri invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. » Huic sententiae inhaerent nonnullae veteres sectae Orientales, de quibus Missionarii testati sunt, quod baptismi necessitatem non agnoscant.

Resp. Allata ab adversariis momenta argumentum nostrum, ex perpetua Traditione petitum, nullatenus infirmant. Nam perniciosus ille differendi baptismum abusus a Ss. Patribus et Ecclesiae Pastoribus semper improbatus fuit, ut videri potest apud *S. Cyrillum Hier.* (6), *S. Gregorium Nyss.* (7), *S. Gregorium Naz.* (8), *S. Chrysostomum* (9) et multos alios, qui tum vehementer in praedictum abusum invehi non potuissent, nisi baptismum omnino necessarium credidissent ad remissionem peccatorum obtinendam, ad opera meritoria perficienda, et ad salutem aeternam consequendam. — Ecclesia, quamvis

(1) Cf. S. Thom. Lect. 2 in cit. loc.
(2) Epist. 4, cap. 5.
(3) Epist. 73.
(4) Ep. 98 al. 23.
(5) Cap. 22.
(6) Catech. 3.
(7) In orat. adv. eos, qui differunt baptisma.
(8) Orat. 40 de bapt.
(9) Hom. 13 in Epist. ad Hebr.

pro baptismi solemnis administratione, ac, secluso mortis periculo, certa tempora determinasset, summam tamen solicitudinem ostendit, ut infantes, aut adulti catechumeni quovis tempore, urgente mortis periculo, illico baptizarentur, ne salus eorum periclitaretur. Quodsi nonnullis particularibus Ecclesiis contrarium contigit, et baptismus extra statuta tempora, etiam urgente mortis periculo, collatus non fuit, quod in Thessalia factum fuisse *Socrates* (1) testatur, talis abusus ab universa Ecclesia improbatus est, utpote singularis et praxi universaliter receptae contrarius; ipse etenim Socrates ibidem recenset singulares usus peculiarium Ecclesiarum, quae a communi totius Ecclesiae regula et consuetudine recesserant. — Si Ecclesia pro Catechumenis ante baptismum defunctis oravit et sacrificavit, id factum est, non quod baptismum ad salutem necessarium non reputaverit, sed quia credidit, quod baptismus fluminis per baptismum flaminis suppleri possit, et quia in Catechumenis perfectam contritionem cum voto baptismi praesumpsit, qua de re mox sermo recurret. — *S. Cyprianus* necessitatem baptismi profitetur in Epistola ad Fidum (2). Cum autem baptismum ab haereticis collatum validum non reputaret, censuit tamen quod ad aeternam salutem sufficiat baptismi desiderium ac perfecta cordis conversio, donec controversia illa de baptismo haereticorum ab Ecclesia decisa fuerit. Hanc fuisse mentem rebaptizantium, patet ex Epistola *Firmiliani* (3), in qua de haereticis sine novo baptismate in Ecclesia receptis scribit: « Si de hoc saeculo excesserunt, in eorum numero habentur, qui apud nos catechizati quidem sunt, sed prius, quam baptizarentur, obierunt. » *S. Augustinus* in Ep. ad Bonif. loquitur de parvulo, qui « offertur consecrandus » seu baptizandus, et solum docet, parentum fidem prodesse infantibus cum sacramento baptismi, quando a parentibus offeruntur consecrandi, quia fides actualis in parvulis necessaria non est, sed illa suppletur per fidem Ecclesiae et parentum. Caeterum sine baptismo solam fidem parentum parvulis non sufficere ad salutem, persaepe asserit S. Doctor. In posteriori autem loco loquitur de mediis, « quae baptismi vicem » agunt, nempe de voto baptismi et de martyrio. — Quoad veteres sectas mirum non est, si a vera Ecclesia avulsi in varios errores prolapsi sunt. Sed Missionarios deceptos fuisse, aut particulares nonnullorum abusus toti ipsorum coetui tribuisse, Ecclesias vero orientales fidem de necessitate baptismi constanter retinuisse, magna eruditione et soliditate probat *Renaudotius* (4).

Obi. VI. Si baptismus necessarius est ad salutem, sequitur, infantes citra suam culpam sine baptismo morientes, salutem suam consequi non posse, adeoque in aeternum damnari: talis autem sententia sapientiae, bonitati et iustitiae Dei repugnat.

Resp. Infantes non sine culpa a regno Dei excluduntur, seu damnantur, sed propter peccatum originale, quod in ipsis non deletur. Nullatenus igitur eorum damnatio iustitiae divinae repugnat. Considerandum porro est, Deum gratiam suam et gloriam nemini debere, quam idcirco absque iustitiae defectu conditioni baptismatis suscipiendi alligare potuit. Quidquid autem Deus

(1) Lib. 5 Hist. eccl. cap. 22.
(2) Ep. 59. (3) Inter Cyprianicas 75.
(4) Lib. 2 de perpet. fid. cap. 2 et 3.

vult et decernit, iam ideo sapientiae et bonitati divinae congruum est, quae legibus et motivis ita non subest, ut nunquam dicere liceat, sapientius et melius esse, ut Deus sic, vel alio modo agat (1). Quod si aliqui infantes per baptismum salvantur, alii vero sine baptismo decedunt, nobis cum Apostolo exclamandum est: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius* (2)! Caeterum notandum est etiam inter Catholicos non omnes eandem de sorte infantium sine baptismo decedentium sententiam sequi. *Augustiniani* contendunt, eos non tantum pati *poenam damni*, id est experiri perpetuam e coelesti patria exclusionem, sed etiam plecti *poena sensus*, quamquam comparate ad adultos *mitissima*, ut *S. Augustinus* loquitur (3). — Mitior et magis trita est sententia *Thomistarum* affirmantium, exclusos quidem esse huiusmodi infantes a regno coelesti, at non affici poena sensus. Huic sententiae suffragantur *S. Chrysostomus* (4), *S. Cyrillus Hier.* (5), *Gelasius P.* (6), *S. Bernardus* (7), *Lombardus* (8). Alii ex privatione regni coelestis moerorem parvulos concipere affirmant, alii negant dicuntque, eos esse sine gaudio et sine luctu in limbo, prout de iisdem loquitur *S. Gregorius Naz.* (9) dicens: « Futurum existimo, ut... postremi (idest, infantes non baptizati, et iis similes) nec coelesti gloria, nec supplicits a iusto iudice afficiantur, utpote qui licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi potius fuerint, quam fecerint.» — Nonnulli cum *Ambr. Catharino*, *Alberto Pighio*, et *card. Sfondrati* ulterius progressi, hisce parvulis extra regnum coelorum polliciti sunt naturalem quamdam beatitudinem in loco quodam medio inter coelum et gehennam. Idem fere sentit *Molina* in Concordia (10) asserens, « parvulos reprobatos perinde se habituros, ac si in solis naturalibus fuissent constituti, ab omnibus molestiis et aerumnis post diem iudicii immunes, melioremque in naturalibus vitam absque omni vitio mentis et corporis in perpetuas aeternitates ducturi. » Ast illorum sententiam errori Pelagianorum affinem esse dicentium, infantes sine baptismo non quidem ad regnum coelorum, sed tamen ad vitam aeternam pervenire, atque in sententia Molinae statum naturae purae propugnante, indirecte labefactari peccati originalis fidem, nonnullis visum est. Hac tamen de re nil Ecclesia pronuntiavit. — Alii, ut infantibus non baptizatis ipsum in regnum coelorum ingressum adaperirent, medium excogitare conati sunt, quo in ipsis sine visibili baptismo peccatum originale deleretur. — *Caietanus* idcirco propugnavit, parvulos fidelium Christianorum, quibus per baptismum subveniri haud potest, non tantum ex privilegio Dei singulari, sed ex lege Dei communi et ordinaria salvari posse votis et precibus parentum; quae sententia licet ab Ecclesia non ut *haeretica* damnata sit, fuit tamen a Congregatione theologorum improbata, et iussu *Pii V* ex Caietani operibus Romae excusis expuncta. — Alii cum *Io. Gersone* putant, Deum efficacissimis parentum precibus exoratum, non quidem lege ordinaria, sed modo extraordinario et ex misericordia spe-

(1) V. § 43 et § 50. (2) Rom, 11, 33, etc.
(3) L. 5 c. Iulian. cap. 8.
(4) Hom. 3 in Ep. I ad Cor.
(5) Cat. 3, c. 3.
(6) In Epist. 7 ad Episc. per Picenum.
(7) Epist. 77. (8) In 4, dist. 4.
(9) Orat. 40, n. 23.
(10) Q. 23, a. 4 et 6, disput. 1, membro 9.

ciali infantibus, qui ad baptismum non perveniunt, gratiam sanctificantem concedere.—Ast in utraque sententia dogmata de peccato originali et de necessitate baptismi non satis firma et integra manere videntur. Utrumque autem dogma plane intactum manet in sententia eorum, qui dicunt, infantes, qui ab hominibus non baptizantur, ab Angelis baptizari, quos Deus non tam in commodum corporis, quam in bonum animae parvulis consociat; vel aliud medium nobis ex sapientissimis rationibus non patefactum constitutum esse, quo in infantibus baptismus suppleretur, prout in adultis suppleri potest per votum (Recole, quae dicta sunt § 448). —

Obi. VII. Ex doctrina catholica varia absurda sequuntur. Nam si in lege naturae et mosaica parvuli per fidem parentum salvabantur, et hoc non fit in nova lege: ergo fides in lege gratiae longe minorem vim et efficaciam habet, quam in lege naturae et mosaica; parvuli nunc sunt deterioris conditionis, quam in V. T., et arctior est via salutis post redemptionem a Christo peractam, quam ante illam fuit.

Resp. Rectissime ad hanc obiectionem reponit cl. *Perrone* (1): « Agitur de re nobis ignota et incomperta; circa quam nec Patres nec theologi consentiunt. Ex tali propterea sententiarum discrepantia nihil concludi potest. Negavimus paritatem (deductam ex iis, quae contigerunt in vet. test.), quia aperte nunc nobis patefacta est Christi voluntas, a qua id unice pendet; illa porro semel constituta omnes ratiocinationes nostrae conticescere debent. » Etiam cl. *Sardagna* (2) observat: « Nihil certi et explorati in Scripturis, aut traditione haberi, quodnam fuerit in lege naturae et mosaica remedium illud adversus peccatum originale, et qua ratione aut tempore fuerit parvulis suis a parentibus applicatum. » His praemissis, facile est obiectionem diluere. Nam si in lege gratiae sola fides non sufficit ad salutem parvulorum, id non fit ex defectu virtutis et efficaciae, sed quia adnexum illi fuit baptismi mandatum: sicuti lex moralis non fit minoris efficaciae in viro religioso, quam in saeculari, licet illi non sufficiat ad salutem, nisi etiam consilia observet, ad quae se obstrinxit. — Praeterea parvulorum conditio multis titulis melior est et optabilior in lege nova, quam veteri: ac 1° quidem, quia fides longe facilior nunc est et communior, longeque abundantior gratia, quam fuerit in lege naturae aut mosaica: 2° quia sacramenta vetera, quantum ad effectum, a fide conferentium pendebant, baptismus vero ab ipsa sacramenti applicatione pendet, quae ad valorem intentionem quidem, non autem fidem et probitatem ministri requirit: 3° quia baptismi collatio facillima est, tum ratione materiae, quae ubique praesto est, tum ratione ministri, qui in casu necessitatis quilibet esse potest: 4° quia baptismus quovis tempore, etiam in primo nativitatis instanti conferri potest, cum circumcisio ad octavam post nativitatem diem differenda fuerit: 5° quia Iudaei plurimis legalibus praeceptis et caeremoniis gravati erant, a quibus nos per Christum liberi facti sumus: 6° demum, quia in lege gratiae coelum patet, quod in lege naturae et mosaica clausum erat.

(1) De bapt., cap. 5, n. 151.

(2) T. 6, art. 2, Controv. 7, n. 345.

II. *Baptismus flaminis supplet baptismum fluminis.*

§ 544. Per baptismum flaminis intelligitur perfecta charitas et cordis contritio, includens votum baptismi aquae recipiendi. Iste baptismus flaminis non quidem in parvulis, qui et contritionis, et voti seu desiderii sunt incapaces, sed tamen in adultis baptismum fluminis supplere valet. Requiritur vero ad baptismum flaminis perfecta contritio et charitas, qua Deus super omnia diligitur ita, ut rebus omnibus creatis anteponatur, et voluntas ad omnia mandata divina observanda parata sit; certum est enim, quod contritio imperfecta, seu attritio absque baptismo fluminis aut sanguinis, ad consequendam salutem minime sufficiat. Requiritur porro votum baptisma suscipiendi in aqua, et quidem explicitum, serium et efficax in eo, qui baptismum aquae a Christo institutum et praeceptum esse cognoscit; nam si baptismum contemneret, aut suscipere illum nollet morte appropinquante, grave praeceptum divinum transgrederetur, ideoque charitate excideret: iuxta communiorem vero et solidiorem sententiam in eo, qui legem baptismi invincibiliter ignorat, sufficit votum implicitum, quod includitur in perfecta charitate, seu in sincera voluntate omnia mandata divina observandi. Baptismus flaminis ita comparatus non quidem ex opere operato, et per modum sacramenti, sed tamen ex opere operantis baptismum fluminis supplet, hominem iustificat, atque aeternae felicitatis participem reddit. Dogma istud ex *S. Scriptura* et *Ss. Patribus*, ex *Rom. Pontificum* et *Conciliorum decretis* probatur.

1. *In S. Scriptura* V. et N. T. perfectae contritioni et charitati divinae iustificatio peccatoris adscribitur. Ezech. XVIII, 21 dicitur: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis.... vita vivet, et non morietur.* Et ibid., v. 30: *Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ps. L, 18: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Christus ipse ait: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* (1); et: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (2); quibus verbis apertissime charitati divinae et sincerae mandata divina observandi voluntati gratia sanctificans promittitur. Paulus inquit: *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur* (3). Item: *Omnis qui credit in illum, non confundetur;* id est, qui habet fidem, quae per charitatem operatur, non peribit; et: *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (4): fidem ergo vivam habenti, salutem suam anhelanti, et ideo nomen Domini invocanti aeterna salus promittitur. Promissiones S. Scripturae confirmantur exemplis. *David*, cum perfectam de suis peccatis contritionem conciperet (5), iustificatus est (6). *Manasses postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit poenitentiam valde coram Deo*, exaudita oratione sua misericordiam consecutus est (7); cuius rei ratio redditur ibid. (8), quia *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorum, et non imputabit eis, quod*

(1) Io. 14, 21. (2) Ib. v. 23. (3) 2 Cor. 7, 10. (4) Rom. 10, v. 11, 13. (5) Ps. 50, 4, etc. (6) 2 Reg. 12, 13. (7) 2 Paral. 33, 12. (8) C. 30, v. 18, etc

minus sanctificati sunt. Magdalena, cum corde contrito peccata sua deflere, iustificationem obtinuit, quam Christus ipsius charitati adscripsit, dicens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (1). *Zachaeus* ob perfectam cordis conversionem a Christo audire meruit: *Hodie huic domui salus facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahae* (2). *Latro* in cruce gratia divina praeventus, per contritionem et charitatem perfectam ita iustificatus est, ut Christus eidem dixerit : *Hodie mecum eris in paradiso* (3). *Cornelius* Centurio, qui erat *religiosus ac timens Deum* (4), iam ante baptismum per charitatem iustificatus fuit, quia Angelus ei dixit: *Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei* (5).

2. *Ss. Patres* multa quidem hac de re non disseruerunt; sed tamen aliquos pro praesenti dogmate citare licet. *S. Cyprianum* et *Firmilianum* eius sententiae fuisse, quod baptismus fluminis suppleatur per baptismum flaminis, patet ex iis, quae dicta sunt § praec. in resp. ad Obi. V. Eadem fuit mens *S. Dionysii Alex.* in Epist. ad Xistum R.P. (6). - *S. Gregorius Naz.* Or. 39, n. 17 cum baptismum Moysis, Ioannis, Christi et sanguinis recensuisset, addit: « Quintum locum lacrymarum baptismus tenet ; verum martyrio asperior et laboriosior est, utpote qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lacrymis lavat, - qui Manassis resipiscentiam ac Ninivitarum humilitatem, cui misericordia impertita est, imitatur; qui Publicani verbis in templo utitur, ac supra insolentem et superbum Pharisaeum iustificatur; qui denique Chananaeae instar deprimitur et misericordiam implorat, et micas, hoc canis vehementi fame correpti pabulum exposcit. » Equidem idem S. Doctor (7) eos, qui baptismum quidem desiderant, sed inopinata causa impediti non percipiunt, ab aeterna gloria excludit: sed probe notandum est, quod de iis loquatur, qui « improbitate quidem careant, » sed perfecta « charitate non animantur; » et tamen de istis dicit, quod « suppliciis a iusto iudice non afficiantur, » quamvis illam gloriam non consequantur, quae solum per charitatem perfectam et opera meritoria obtinetur: caeterum locus iste obscurus et a variis varie expositus prius citatum testimonium elidere non valet. — *S. Ambrosius* dogma catholicum clarissime tradit. Nam in Orat. funebri de obitu *Valentiniani II*, qui ante baptismum impie necatus est (8), ita loquitur: « Audio vos dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut, antequam in Italiam venisset, initiaretur, et proxime baptizari se a me velle significavit, et ideo prae caeteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? certe quia poposcit, accepit.... Quod si Martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas. » Et post multa converso ad eum sermone ait: « Non quicunque se, sed Christus illuminavit gratia sua spirituali: ille te baptizavit, quia humana tibi officia defuerunt. » *S. Augustinus* (9) inquit: « Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fi-

(1) Luc. 7, 47. (2) Luc. 19, 9.
(3) Luc. 23, 43. (4) Act. 10, 2. (5) Ib. v. 4.
(6) Ap. Euseb. l. 7, Hist. eccl. cap. 9.
(7) In Orat. 40, n. 23.
(8) Or. funeb. de ob. Valentiniani 2, n. 51, etc.
(9) L. 4 de bapt. cap. 22.

dem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. » Tum, adducto boni Latronis exemplo, sic pergit: « Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* in illo Latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. » Et ibid. (1) scribit: « aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis; sed salutem hominis ex utroque compleri: nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut et alterum desit, quia et illud sine isto potest esse in infante, et hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvit, et baptismus potest quidem inesse, ubi conversio cordis defuerit (in infante): conversio autem cordis potest quidem (adulto) inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur. » *S. Bernardus* Ep. ad Hugonem Vict. (2) inquit: « Si quis voluerit et petierit baptizari, sed mortis praeoccupatus articulo forte obtinere nequiverit, dum non desit fides recta, spes pia, charitas sincera, huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem, tantum si aquam non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas. » Productis deinde testimoniis *S. Ambrosii* et *S. Augustini*, ait: « Ab his duabus columnis difficile avellor; cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor, credens et ipse, sola fide posse hominem salvari cum desiderio percipiendi sacramenti, si tamen pio implendi desiderio mors anticipans, seu alia quaecunque vis invincibilis obviaverit »(3).

3. *Romani Pontifices* eandem doctrinam suis decretis confirmarunt. *Innocentius III* (4) interrogatus, quid sentiendum esset de quodam Iudaeo, qui morti proximus seipsum baptizaverat, respondit, quod cum inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, Iudaeus hic denuo sit baptizandus ab alio: tum addit: « Quamvis, si talis continuo decessisset, ad coelestem patriam protinus evolasset propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum. » Et ibid. (5) de presbytero non baptizato sic loquitur: « Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in S. Matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum et coelestis patriae gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter. » *S. Pius V* et *Gregorius XIII* has damnarunt *Baii* propositiones: 31, « Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum. » 32, « Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum. » 33, « Catechumenus iuste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat ante obtentam remissionem peccato-

(1) Cap. 25, n. 32.
(2) Ep. 86, seu tract. de bapt. c. 2, n. 8, etc.
(3) Cf. S. Thom. 3 p., q. 66, art. 11.
(4) L. 3 Decretal. Tit. 42, c. 4.
(5) Tit. 43, cap. *Apostolicam*

rum, quae in baptismi lavacro demum percipitur. » Ergo censuram theologicam meretur ea doctrina, quae asserit, per contritionem perfectam cum voto baptismi hominem non iustificari.

4. *Concilium Tridentinum* Sess. VI de iustif. cap. 4 decrevit, *post Evangelium promulgatum nunquam fieri translationem a statu veteris Adam ad statum gratiae sine lavacro regenerationis, aut eius voto.* Verum si iuxta Concilii verba haec translatio, per quam homo iustificatur, fit non modo per lavacrum, sed etiam per solum lavacri votum, inde sponte consequitur, *Baptismum in voto*, urgente necessitate, sufficere ad salutem. Et Sess. VII, can. 4 ait: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.* Denique Sess. XIV, cap. 4 docet, per contritionem perfectam iustificari peccatorem iam baptizatum ante realem sacramenti poenitentiae susceptionem. Ergo etiam peccator non baptizatus per contritionem perfectam iustificatur ante realem susceptionem baptismi, cum eadem sit pro utroque sacramento ratio; de sacramento enim poenitentiae *Tridentinum* (1) dicit: *Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Accedit, quod regeneratio hominis non baptizati cum Deo facilior esse debet, *quam reconciliatio hominis post baptismum peccantis*, ut docet idem Concilium (2).

Nota 1. Argumentum etiam desumi potest ex praxi Ecclesiarum illarum, quae pro Catechumenis ante baptismum defunctis orare et sacrificare consueverant. Praeclarum exemplum ha de re habemus in Ecclesia Mediolanensi, quae vota et solemnia sacrificia obtulit pro Valentiniano Imp. adhuc catechumeno interfecto. Hoc idem etiam in aliis Ecclesiis factum fuisse, colligitur ex *Conciliis Carthaginensi IV* (3), *Arelatensi II* (4) et *Toletano XI* (5). — Negari quidem nequit, quod contraria fuerit praxis aliarum Ecclesiarum, nempe *Romanae*, de qua *S. Leo M.* (6) ad Theodorum, et *S. Gelasius I* in Concilio Romano, et *Hispanicae*, de qua *Concilium Bracarense I* (7) testatur, quae nec preces fundebant, nec sacrificium offerebant pro Catechumenis sine baptismo, et pro poenitentibus sine reconciliatione decedentibus. Attendendum vero est, id non factum fuisse, quod Ecclesiae illae existimaverint, votum baptismi aut poenitentiae, urgente necessitate, non sufficere ad salutem, sed ut fideles maiori studio, ardore et vigilantia catechumenatus vel poenitentiae laboribus incumbentes, ad gratiam regenerationis aut reconciliationis cito percipiendam timore illius poenae mature incitarentur. Constat porro, iam saeculo sexto in Ecclesia Romana mutatam fuisse hac in re disciplinam a *Ss. Leone* et *Gelasio* inductam.

Nota 2. Quando nonnulli ex Ss. Patribus contrarium adstruere videntur, atque tradere, solum baptismi desiderium ad salutem non sufficere, tantum de desiderio et voluntate non efficaci, et ideo etiam non sincera eorum loquuntur, qui sub inanibus quibusvis praetextibus baptismi susceptionem in dies differebant; aut vero adstruunt, hominem per solam fidem

(1) Sess. 14, cap. 2. (2) Sess. 16, cap. 8. (3) Can. 79. (4) Can. 12. (5) Ibid. (6) Ep. 82, al. 91. (7) Can. 17.

excluso baptismo, aut eius voto, haud iustificari; aut loquuntur de infantibus, qui voti seu desiderii non sunt capaces. Unius vero aut alterius Patris dissensus argumenta iam allata enervare nequit (1).

Nota 3. Quaestio inter scholasticos mota est, an votum baptismi explicitum requiratur, vel an sufficiat implicitum? Nonnulli affirmative, alii vero negative responderunt. Optime quaestionem solvit *Dom. Soto* (2), eos distinguens, quibus promulgata est lex baptismi, ab illis, qui hanc legem invincibiliter ignorant. In iis nempe, quibus promulgata est lex baptismi, requiritur huius votum explicitum seu expressum: in illis vero, qui legem baptismi invincibiliter ignorant, sufficit implicitum, quod in charitate perfecta et contritione cordis includitur. Quicunque enim Deum perfecte diligit, omnia eius mandata observare paratus est, atque ideo etiam implicite legem baptismi observare vult. Eandem sententiam defendit cl. *Tournely* (3).

III. *Baptismus sanguinis supplet baptismum fluminis.*

§ 545. Per baptismum sanguinis intelligitur *martyrium*, quod est perpessio mortis aut lethalis cruciatus ob catholicam fidem, vel etiam ob alicuius christianae virtutis exercitium patienter tolerati et in eius odium inflicti. — Ad martyrium parvulorum et adultorum a nativitate amentium nihil aliud requiritur, quam ut illis mors inferatur in odium fidei et religionis. In adultis vero requiritur acceptatio mortis ob fidei aut alterius virtutis christianae defensionem seu exercitium illatae, ex motivo honesto et supernaturali, absque voluntate se defendendi. Ratio horum est, tum quia martyrium in adultis est actus fortitudinis, ideoque voluntarius esse debet, tum quia adultus gratiam sanctificantem ac eius augmentum recipere nequit sine libero aliquo consensu et absque motivo supernaturali: et si acceptatio mortis non excluderet voluntatem se defendendi, martyr non perfecte conformaretur Christo, qui instar agni coram tondente se obmutuit; hinc milites in bello religionis occisi non sunt veri martyres. Praeterea in adultis ad effectum baptismi obtinendum necessariae sunt omnes illae dispositiones, quae ad baptismum aquae requiruntur, nempe orthodoxa fides, *sine qua nulli unquam contigit iustificatio* (4), detestatio saltem virtualis peccatorum, propositum servandi omnia mandata Dei, adeoque implicitum etiam votum baptismi aquae; et charitas Dei saltem inchoata et initialis, seu contritio supernaturalis imperfecta. Patet id tum ex Apostolo dicente: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (5); tum ex *Tridentino* docente, contritionem quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum. Per martyrium vero, seu per baptismum sanguinis suppleri baptismum fluminis, probatur ex *S. Scriptura* et *Traditione*.

1. *S. Scriptura* sicut baptismo, ita etiam martyrio salutem hominis aeternam adscribit. Matth. X, 32 Christus inquit: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Nemo autem melius Christum confitetur, quam is, qui in contestationem fidei suae et amoris sui in Christum

(1) Cf. Tournely, q. 2, art. 2, concl. 2.
(2) In 4, dist. 5, q. un., art. 2.
(3) Loc. cit.
(4) Conc. Trid. Sess. 6, c. 7. (5) I Cor. 13, 3.

diros cruciatus sustinet, sanguinem fundit et ipsam vitam tradit; talem ergo Christus ut suum discipulum, ut suum fratrem et cohaeredem aeterna gloria coronandum *coram Patre* profitetur. Marc. VIII, 35 Christus ait: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam;* quibus verbis sententia generalis profertur, a qua nullus excipitur, ne illi quidem, qui non sunt baptizati. Quicunque ergo propter Christum seu propter doctrinam Evangelii animam perdit seu vitam profundit, animam salvam faciet, seu *inveniet eam*, ut legitur Matth. X, 39, id est, pro vita temporali, quam perdit, vitam inveniet aeternam. Denique Christus martyrium tanquam perfectum charitatis actum agnoscit et declarat dicens: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (1): ergo qui vitam pro Christo tradit, maximam erga Christum dilectionem habet. At perfecta charitas peccata delet, hominem sanctificat, et salutis aeternae participem reddit, ut probatum fuit § praec.

2. *Traditio* petitur ex perpetua Ecclesiae praxi eos colendi, qui antequam baptizarentur, martyrium pro Christo sustinuerunt; et ex testimoniis Ss. Patrum. Ecclesia nempe pro martyribus nec preces fundit, nec sacrificia offert Deo, quibus eos non indigere intelligit, sed suas eis coronas et triumphos dumtaxat gratulatur, eorumque apud Deum opem et gratiam implorat: « Iniuriam enim facit martyri, qui orat pro martyre, » ait S. *Augustinus* (2), et cum ipso *Innocentius III* (3). Alibi *S. Augustinus* scribit: « Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos (martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis inhaereamus »(4). Neque Ecclesia unquam credidit, baptismum aquae martyrium praecedere debere, sed etiam eos ut beatos coluit qui antequam baptizarentur, pro fide mortui sunt, ut ianitorem, qui se 39 martyribus adiunxit (5), *S. Bonifacium* (6), aliosque. Ecclesia igitur in omnimoda persuasione fuit, per baptismum sanguinis suppleri baptismum fluminis; eandem fidem Ss. Patres contestantur. *Tertullianus* lib. de bapt. (7) ait: « Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet; hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat, et perditum reddit. » Et in Scorpiaco (8): « Posuit (Deus) secunda solatia, et extrema praesidia, dimicationem martyrii, et lavacrum sanguinis exinde securum... proprie enim martyribus nihil iam reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur. » *S. Cyprianus* (9) ad Iubaian. scribit: « Numquid potest vis baptismi esse maior aut potior, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur?... Sciant, Catechumenos (pro fide occisos) non privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat, se habere aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinae sollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus. » *Eusebius Caesar.* (10) de

(1) Io, 15, 13.
(2) Serm. 17 de verbis Domini.
(3) Cap. Cum Marthæ
(4) Tract. 84 in Ioan. (5) 10 Mart.
(6) 14 Mai. (7) Cap. 16. (8) Cap. 6.
(9) Ep. 73, n. 15. (10) Hist. eccl. l. 6, c. 5.

martyribus loquens ait: « Sed et ex mulierum numero Herais quaedam adhuc catechumena, per ignem baptismum adepta ex hac luce migravit. » *S. Cyrillus Hier.* (1) inquit: « Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet praeter solos martyres, qui etiam sine aqua regno coelesti potiuntur. Redimens enim terram Salvator per crucem et in latere vulneratus sanguinem et aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur, alii vero tempore persecutionis in propriis sanguinibus abluantur. » *S. Basilius* (2) dicit: « Sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate revera non imitatione mortem pro Christo perpessi, nihil symbolis, quae sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem nimirum in proprio baptizati sanguine. » *S. Gregorius Naz.* (3) ait: « Quartum etiam baptismi genus novi, nimirum quod martyrio et sanguine comparatur - et quidem eo caeteris augustius, quod nullis postea sordibus contaminatur. » *S. Chrysostomus* (4) ita loquitur: « Non miremini, quod baptismum martyrium nuncuparim: nam et hic Spiritus advolat cum multa ubertate, ac peccatorum abolitio et animae fit purgatio quaedam mirabilis ac stupenda; et sicut ii, qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur. » *S. Ambrosius* (5) inquit: « Martyres suo abluuntur sanguine. » *S. Augustinus* (6) ait: « Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo. » Et lib. 13 de Civ. Dei (7) haec habet: « Quicunque etiam non recepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis. Qui enim dixit: *Nisi quis renatus* etc., alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit* etc. et *qui perdiderit* etc. » *S. Fulgentius* (8) affirmat: « absque sacramento baptismi praeter eos, qui in Ecclesia catholica sine baptismo pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum coelorum posse quemquam accipere, nec vitam aeternam. » *S. Prosper* (9) canit: « Si mundo moritur divino fonte renascens, fitque novus vita, qui sepelitur aqua, fraudati non sunt sacro baptismate Christi, fons quibus ipsa sui sanguinis vita fuit: et quidquid sacri fert mystica forma lavacri, id totum implevit gloria martyrii. » *S. Thomas* (10) docet: « Baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi (cui aliquis configuratur per baptismum) et ulterius sicut a prima causa a Spiritu sancto. Licet autem effectus dependeat a prima causa, causa tamen superexcedit effectum, nec dependet ab effectu. Et ideo praeter baptismum aquae potest aliquis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur pro Christo patiendo; unde dicitur Apoc. VII, 14: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* » Et ibid. (11) inquit: « Effusio sanguinis pro Christo, et operatio interior Spiritus sancti dicuntur baptismata, in quantum efficiunt effectum baptismi aquae. »

Nota 1. Non solum in adultis, sed etiam in infantibus baptismus sanguinis seu martyrium virtutem baptismi

(1) Catech. 3, n. 10.
(2) L. de Spir. S. ad Amphil. c. 15, n. 36.
(3) Or. 39, n. 17
(4) Hom. in S. mart. Lucian. num. 2.
(5) Or. fun. de obitu Valentiniani, 2, n. 51, etc.
(6) L. 1 de anim. et eius orig. c. 9.
(7) Cap. 7. (8) L. de fide, cap. 3.
(9) Epigr. 87.
(10) 3 p., q. 66, art. 11. (11) Art. 12.

aquae perfecte supplet, quia ad istos quoque extenditur generalis sententia Christi: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (1): parvuli autem, qui in odium Christi necantur, vere *animam suam* propter eum, vitam scilicet in hoc saeculo amittunt, atque ideo iuxta divinas promissiones in altero saeculo vitam aeternam invenient. Id semper credidit Ecclesia, quae hac de causa (ut probat *Baronius* ad annum 58) pueros ab Herode interfectos, quatenus Christum non loquendo, sed moriendo confessi sunt, ab ipso Apostolorum aevo tanquam coelestis gloriae participes ac martyres coepit venerari: cuius religiosi cultus testis est *Origenes* (2) de bethlehemiticis pueris scribens: « Horum memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur. » Et testis est pariter *S. Augustinus*, qui de lib. arbitr. (3) inquit: « Etiam infantes illos, qui, cum D. I. Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia. » Ss. Patres quoque beatos praedicant huiusmodi infantes, eorumque beatitudinem et gloriam aeternam morti tribuunt, quam propter Christum pertulerunt. *S. Cyprianus* (4) ad Thiberitanos scribit: « Christi nativitas a martyriis infantum statim coepit, ut ob nomen eius a bimatu et infra qui fuerant, necarentur. Aetas necdum habilis ad pugnam idonea extitit ad coronam. » *S. Ambrosius* (5) inquit: « Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriae acceperunt, quam sensum naturae? » *S. Chrysostomus* (6) loquens de pueris bethlehemiticis ab Herode in odium Christi necatis ait: « Quid ergo detrimenti accepere pueri pro tali causa occisi, qui statim ad tranquillum portum appulerunt? — ideo non parva ipsis merces reposita est, quod pro tali causa obierint. » Et alibi (7) de iisdem dicit: « Mercantur poena martyrium, gloriam sanguine comparant, vitam aeternam temporali morte commutant. » *S. Augustinus* (8) ita loquitur: « Necdum loquuntur, et Christum confitentur. Necdum motibus membrorum valent suscipere pugnam, et victoriae iam efferunt palmam... Praestitit eis Christus, ut pro Christo morerentur; praestitit, ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuo mors eos reddidit vitae. » *S. Leo M.* (9) ait: « Necari omnes Bethlehemi pueros iubet... Sed quos rex impius eximit mundo, Christus inserit coelo, et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, iam martyrii tribuit dignitatem. » *S. Petrus Chrysol.* (10) de infantium caede inquit: « Beati, quos martyrio natos vidimus esse, non saeculo. Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, moerores in gaudium commutarunt. Vivunt, vivunt, quia vere vivunt, qui pro Christo merentur occidi. » Idem (11) de his addit: « Vere, fratres, isti sunt gratiae martyres, confitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt inscii, moriuntur inconscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. » *S. Fulgentius* (12), Herodem alloquens ait: « Per saevitiam tuam facti sunt martyres, qui per infantiam suam fuerant innocentes, quando per gratiam huius pueri pro eo meruerunt mori, priusquam eum

(1) Matth. 10, 39.
(2) Hom. 3, in varia Evang. loca.
(3) L. 3, c. 23. (4) Epist. 56.
(5) L. 1 de offic. c. 41, n. 213.
(6) Hom. 9 in Matth. n. 2.
(7) Hom. 3 in varios Matthaei locos.
(8) Serm. 3 de symb. cap. 4.
(9) Serm. 1 de Epiph. c. 3.
(10) In Serm. 152 (al. 140).
(11) In Serm. seq. (12) Serm. de Epiph.

possint coram hominibus confiteri.» *S. Bernardus* (1) inquit: « Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptivos filios numerari. » Perperam igitur nonnulli asserunt, infantes ab Herode trucidatos ideo tantum coli, quia per circumcisionem iustificati fuerunt. Nam Ss. Patres, ut ex citatis testimoniis patet, coronam gloriae, quam adepti sunt, non circumcisioni, sed martyrio adscripserunt. Dein Ecclesia publicum cultum non defert nisi eximie Sanctis quales certe non fuerunt Innocentes illi titulo sanctitatis per circumcisionem adeptae; alias longe maiori et fortiori titulo Ecclesia publice veneraretur parvulos fidelium post acceptum baptismum decedentes: Ecclesia ergo colit Innocentes tanquam primitias martyrum, et titulo sanctitatis per martyrium adeptae. Denique certum non est, omnes parvulos ab Herode occisos circumcisionem consecutos esse; videtur enim Scriptura indicare aliquot fuisse interfectos ante octavum diem a nativitate, adeoque ante circumcisionem, cum Herodes omnes pueros a bimatu et infra in Bethlehem eiusque vicinia mactari iusserit. Valde quoque probabile est, eo tempore, quo Iudaea romano Imperio obnoxia erat, et Herodes alienigena regimen tenebat, multos parvulos ex parentibus ethnicis natos, qui cum Iudaeis permixti vivebant, fuisse interemptos: hi autem nonnisi per martyrium iustificati sunt.

Nota 2. Quaestio inter theologos movetur, an martyrium ex opere operato, vel ex opere operantis efficax dicendum sit? quamvis autem theologi in hac quaestione solvenda non consentiant, probabilior est sententia eorum, qui dicunt, martyrium *ex opere operato* salutares suos effectus producere. Nam iuxta omnes martyrium in infantibus agit ex opere operato: ergo eandem efficaciam habet etiam in adultis, dummodo isti obicem non ponant. Ss. Patres dicunt, martyrium esse excellentius baptismo aquae, ut *S. Cyprianus* (2) ad Iubai. ait: « Numquid potest vis baptismi maior esse aut potior, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur? » Ergo si baptismus agit ex opere operato, multo magis ita agit martyrium. Ita argumentatur *S. Thomas* (3) dicens: « Effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Unde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita et in occisis propter Christum meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam.» Insuper (4) addit: « passio pro Christo suscepta... purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem.» Praeterea Ecclesia indifferenter colit eos omnes, quos constat in confessione verae fidei et unitate Ecclesiae pro Christo occisos esse, quin examinet, an illi mortem acceptarint ex affectu perfectae charitatis. Denique si martyrium tantum ex opere operato iustificaret, contritioni seu perfectae charitati potius, quam martyrio, iustificatio adscribenda esset, ac dicendum foret, in adultis nonnisi per baptismum flaminis baptismum fluminis suppleri.

(1) Serm. de Innoc. (2) Epist. 73.
(3) 2, 2, q. 124, art. 1 ad 1.
(4) 3 p., q. 87, art. 1 ad 2.

ARTICULUS VI.

De subiecto baptismi.

§ 546. Certum est apud omnes tum Catholicos tum haereticos, omnem

hominem ratione utentem esse baptismi subiectum iuxta Domini mandatum: *docete omnes gentes baptizantes eos*. Certum pariter est, in adultis ad percipiendum cum fructu baptisma praevias requiri dispositiones, nempe fidem in Christum, dolorem de peccatis, inchoatum Dei amorem etc., quae omnia patent ex iis, quae tum § 464-467, tum § 511-513 dicta sunt. Tota ergo quaestio reducitur ad infantes, de quibus quaeritur, an baptizari possint et debeant, quamvis requisitae pro adultis dispositiones ipsis inesse nequeant.— Infantes baptismi capaces esse iam negaverant *Waldenses*, *Henriciani*, *Colonienses* seu *Apostolici*, *Petrobrusiani*, *Cathari*, nec non *Arnaldus de Brixia*, Abaëlardi discipulus. Inter Novatores saeculi decimi sexti in eundem errorem prolapsi sunt *Anabaptistae* ideo sic dicti, quod baptizatos in infantia, cum ad adultam pervenissent aetatem, iterum baptizarent, baptismum in infantia collatum prorsus nullum existimantes. Falso, ut ait cl. *Moehler* (1), nonnulli turbulentae huius sectae originem a Waldensibus repetunt; sed Anabaptistae ex lutherano systemate progeniti sunt. Etenim si iuxta Lutheranos sacramenta ex opere operato effectum non producunt, sed non sunt nisi instrumenta, quibus apprehenditur fides seu fiducia, per quam homines iustificantur applicando sibi Christi iustitiam: evidens est, infantibus, qui, utpote rationis usu destituti, incapaces sunt huiusmodi apprehensionis, frustra administrari sacramentum baptismi, aut quodvis aliud sacramentum. Hoc corollarium iuxta rigorosas dialecticae regulas deduxerunt *Nicolaus Storchius*, *Marcus Thomas*, *Marcus Stubner*, *Thomas Mincer*, et *Martinus Cellarius*, qui fuerunt primi Anabaptistarum parentes; et quoniam coelestes se revelationes habuisse iactitabant, non paucos asseclas nacti, et errores erroribus accumulantes gravissimos tumultus excitarunt. — *Sociniani*, rati baptismum rem esse indifferentem et liberam, neque eum infantibus conferunt, neque etiam denegant, quando sine scandalo denegari non potest. Sic ipsi interrogant in maiori Catechesi Racoviensi cap. 4, de baptismo aquae: « Num ergo ad eum ritum infantes pertinent? » Respondent: « nullo pacto. » Et postea quaerunt: « Quid de iis sentiendum sit, qui infantes baptizant? » Respondent: « Quamvis hac in re errent, non licet tamen eos condemnare, modo alioquin idololatrae non sint, sed scite secundum praecepta Christi vivant, et alios sententiam ipsorum repudiantes non persequantur. » Eiusdem fere sententiae sunt *Arminiani* et *Rationalistae*. — Alii admittunt quidem, infantes valide et licite baptizari posse, sed tamen hoc, nisi mortis urgeat periculum, haud expedire putant: cuius sententiae iam fuerat *Tertullianus*, qui de bapt. (2) contendit, expedire magis, si infantium baptisma differatur, donec per aetatem sint rationis compotes: singularis etiam fuit sententia *S. Gregorii Naz.* qui (3) censuit, ante triennium parvulos non esse baptizandos nisi imminente periculo mortis. — *Erasmus Roterodamensis* Ecclesiae consuetudinem infantes baptizandi non quidem reiecit, sed tamen in Epistola praefixa paraphrasi in Matthaeum contendit, infantes baptizatos, postquam adoleverint, interrogandos esse, an ratas habeant promissiones per eorum sponsores in baptismo factas; quod si recusaverint

(1) Symb. p. 2, cap 1, § 65.

(2) Cap. 18. (3) Orat. 40

eas confirmare, proprio arbitrio esse relinquendos, nec ad christianam vitam cogendos. Hoc paradoxum adoptavit Lutherus, et Protestantes omnes in praxin deduxerunt, eamque caeremoniam vocant *confirmationem*, quam dicunt summa gravitate et severitate administrandam esse. — Denique variae quaestiones moventur circa baptismum infantibus nondum in lucem editis aut a parentibus infidelibus progenitis etc. conferendum. — Ut igitur hac in re errores Novatorum refellantur, et doctrina catholica stabiliatur, 1° probandum est, *infantes valide et licite baptizari;* 2° ostendendum est, *baptisma infantibus collatum expediens esse, et in ipsis pro annis discretionis veras obligationes parere;* et 3° demum *varias hac de materia quaestiones solvere oportet.*

I. *Infantes valide et licite baptizantur.*

§ 547. Dogma hoc catholicum probatur *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus*, et *ex Conciliis.*

1. *Ex S. Scriptura* varia argumenta desumi possunt. Primum recte infertur ex praecepto baptismi, quod dedit Christus his verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Hoc autem praecepto voluisse Christum, ut non tantum adulti, sed etiam infantes baptizarentur, colligi potest tum quia universale est et indefinitum, adeoque etiam ad infantes pertinens, qui inter omnes gentes inveniuntur; tum quia scopus Christi eo loci est, ut doceat modum colligendi et conservandi Ecclesiam in terris usque ad consummationem saeculi: cum vero Ecclesia non adultos tantum, sed et infantes complectatur, modus etiam ille ad utrosque spectat accommodate et apposite ad conditionem eorum, ita scilicet, ut adulti prius doceantur, quam baptizentur; infantes vero prius baptizentur, tum suo tempore doceantur. — Aliud argumentum petitur a necessitate baptismi pro obtinendo regno coelorum, quam declarat Christus dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (1). Generalis est Christi comminatio, quae ipsos etiam infantes involvit. Unde recte ita argumentamur: Qui sunt capaces regni coelorum, ii capaces quoque sunt baptismi, sine quo ad regnum coelorum pervenire non possunt: atqui infantes capaces esse regni coelorum patet ex verbis Christi, apud Matthaeum: *Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum* (2): neque dubitari potest, Christum haec dixisse de parvulis valde teneris et rationis usu carentibus; nam in loco parallelo Lucae (3) pueri graeco nomine vocantur βρέφη; βρέφος autem est infans adhuc in cunis et tenellus, plerumque lactens (4): et ibidem (5), Lucas ait, quod parentes suos ad Christum infantes *afferebant;* portari autem non solent nisi veri nominis infantes. Isti ergo iuxta Christi sententiam capaces sunt regni coelorum, ac ideo etiam capaces sunt baptismi. Nec obstat, quod Christus verbo utatur, *venire*, quod non aliud significat, quam accedere seu appropinquare: et sane Romam venit, etiam qui curru vectus urbem intrat. Certum igitur est, etiam infantes ratione carentes valide et licite baptizari. — Tertium argumentum petitur ab effectu baptismi, qui positus est in remissione peccatorum et in-

(1) Io. 3, 5. (2) Matth. 19, 14.
(3) Luc. 18, 15. (4) Luc. 1, 41 et 44; 1 Petr. 2, 2.
(5) V. 15.

teriori animae per gratiam regeneratione (1). Unde sic arguimus: Qui capaces sunt effectus baptismi, ii capaces baptismi quoque censeri debent; quibus enim res significata potest convenire, iis et signum huius rei potest communicari: Atqui infantes sunt capaces effectus baptismi, remissionis scilicet peccati originalis et interioris regenerationis et innovationis. Nam Petrus dixit: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Vobis enim est repromissio et filiis vestris* (2). Eadem ergo gratiae et remissionis peccatorum repromissio facta est filiis Iudaeorum, quae Iudaeis ipsis: aequae ergo capaces sunt gratiae et consequenter medii seu signi practici, quod Christus instituit ad illam gratiam communicandam. Simili argumentatione *S. Thomas* (3) probat, infantes valide et licite baptizari, ait enim: « Sicut dicit Apostolus: *Si unius delicto mors regnavit per unum*, scilicet per Adam, *multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Christum* (4). Pueri autem ex peccato Adae peccatum originale contrahunt... Unde multo magis pueri possunt per Christum gratiam accipere, ut regnent in vita aeterna. Ipse autem Dominus dicit quod, *nisi quis renatus* etc. (5). Unde necessarium fuit, parvulos baptizari, ut sicut per Adam damnationem incurrunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo. » Idem confirmatur ex paritate circumcisionis, quae infantibus octavo post nativitatem die dari poterat, eisque profuit ad salutem. Baptismus autem non est minus necessarius et multo magis efficax quam circumcisio. Quod si haec parvulis prodesse poterat, cur non etiam baptismus, qui ab Apostolo (6) circumcisio non manufacta nuncupatur? — Utique gratia Dei imminuta non est, nec parcior, imo abundantior in novo Testamento: et si in V. T. aetas puerilis non obstabat ne gratiam reciperet, multo minus illa in N. T. gratiae impedimentum erit, tanto enim praestant sacramenta nova veteribus, quanto lex Christi lege Moysis superior ac perfectior est.

2. *Ss. Patres* baptisma infantium validum et licitum declararunt. *S. Irenaeus* (7) ait: « Omnes venit (Dominus) per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascentur in Deum, infantes et parvulos et pueros, et iuvenes et seniores. Ideo per omnem venit aetatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes, in parvulis parvulos sanctificans hanc ipsam habentes aetatem. » *Dionysius* (8) docet: « pueros etiam, qui nondum divina mysteria intelligere possunt divini ortus participes fieri, sanctissimorumque divinae societatis signorum. » Et (9) addit: « Divini nostri duces probaverunt, infantes recipi ad baptisma. » Auctor Constit. Ap. (10) inquit: « Baptizate vestros pueros, et educate eos in disciplina Dei: *Sinite* enim, ait Dominus, *parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos.* » *Tertullianus* quidem (11) improbat baptisma infantibus collatum, sed non ut invalidum aut in omni casu illicitum, verum ut inconveniens et minus proficuum; atque obiurgationibus suis testatur, hanc fuisse saeculi sui praxin, ut passim et indistincte infantes baptizarentur.

(1) § 557 et seq.
(2) Act. 2, 38, etc.
(3) 3 p., q. 68, art. 9.
(4) Rom. 5, 11.
(5) Io. 3, 5.
(6) Col. 2 11, etc.
(7) L. 2 adv. haer. c. 22, n. 4.
(8) De eccl. Hier. cap. 7.
(9) Cap. ult.
(10) L. 6, c. 15.
(11) L. de bapt. c 18

Origenes (1) scribit: « Ecclesia ab Apostolis Traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus secreta mysteriorum commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum sanctum ablui deberent. » *S. Cyprianus* (2) ad Ep. Fidum dicit: « Si etiam gravissime delinquentibus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? » — *S. Gregorius Naz.* (3) haec habet: « Quid autem de iis dices, qui tenera adhuc aetate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiunt, an eos quoque baptizabimus? ita prorsus, si quod periculum urgeat. Praestat enim sine sensu sanctificari, quam sine sigillo et initiatione abscedere. Atque huius rei ratio nobis est circumcisio die octavo peragi solita, quae baptismi figuram quodam modo gerebat, atque iis, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur, sicuti etiam postium unctio, quae rebus sensu carentibus adhibita primogenitis salutem afferebat. » *S. Basilius* (4) Exhort. ad bapt. ait: « Baptismi tempus vita hominis tota. Tempus aliud alii opportunum negotio, ad baptismi vero salutem quodlibet tempus accommodum est. » *S. Ambrosius* loquens de regeneratione, quae fit per baptismum (5), inquit: « Nec senex proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis aetas peccato obnoxia, et ideo omnis aetas sacramento idonea. » *S. Chrysostomus* (6) ita loquitur: « Nostra circumcisio seu baptismatis gratia medicinam habet citra dolorem, innumeraque bona nobis affert, Spiritus sancti gratia nos implet, et nullum definitum tempus habet sicut illic (id est, octavum diem in V. T.); sed licet et *in prima* et in media et in ultima aetate hanc non manufactam circumcisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum deponuntur onera etc. » Et in hom. ad Neophytos (7): « Hac de causa etiam infantes baptizamus, quamvis peccata (personalia) non habeant, ut eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut eius membra sint. » *S. Hieronymus* (8) dicit: « Hoc unum dicam, aut novum vos debere symbolum tradere, ut post Patrem et Filium et Spiritum sanctum baptizetis infantes in regnum coelorum: aut si unum et in parvulis, et in magnis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos credatis. » *S. Augustinus* de Gen. ad lit. (9) inquit: « Consuetudo matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda nec omnino credenda, nisi apostolica esset Traditio. » Item de peccat. merit. et remiss. (10): « Parvulos baptizandos esse (Pelagiani) concedunt, qui contra auctoritatem universae Ecclesiae procul dubio per Dominum et Apostolum traditam venire non possunt. » Imo l. de peccato orig. (11) testatur, quod ipse Coelestius in libro, quem Romae ediderat, fassus sit, « infantes debere baptizari in remissionem peccatorum

(1) Comment. in Ep. ad Rom. l. 5, n. 9.
(2) Ep. 59, n. 4. (3) Orat. 40, n. 28.
(4) Hom. 13.
(5) Io. 3, 5, lib. 2 de Abrah. c. 11, n. 81.
(6) Hom. 40 in Genes. n. 4.
(7) Ap. S. Augustinum l. c. Iulian. cap. 6.
(8) Dial. adv. Pelag. l. 3, n. 19.
(9) L. 10, c. 23, n. 39 (10) L. 1, cap. 26.
(11) C. 5, n. 5.

secundum regulam universalis Ecclesiae et secundum Evangelii sententiam. » Hinc S. Doctor ex baptismo, quod ordinatur in remissionem peccatorum et infantibus quoque confertur, probat passim existentiam peccati originalis. *S. Siricius P.* in Epist. ad Himerium (1) scribit: « Infantibus, qui necdum loqui poterunt per aetatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit, sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri: ne ad nostrarum tendat perniciem animarum, si negato desiderantibus fonte salutari exiens unusquisque de saeculo et regnum perdat et vitam. » *S. Leo M.* (2) ad Nicetam Aquil. haec habet: « A parvulo recens nato usque ad decrepitum senem... sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo. » *S. Bernardus* (3) adv. Henricum haeret. dicit: « Parvulis Christianorum Christi intercluditur vita, dum baptismi negatur gratia: nec saluti propinquare sinuntur, Salvatore pie licet clamante pro eis: *Sinite parvulos venire ad me...* Quid, quaeso, quid invidet parvulis Salvatorem parvulum, qui natus est ei? invidia haec diabolica est; invidia hac mors intravit in orbem terrarum. »

3. *Concilia* idem dogma definierunt. *Carthaginense* a 66 Episcopis sub Cypriano anno 253 habitum contra Fidum, asserentem, infantes ante octavum post nativitatem diem non esse baptizandos, contrarium declaravit, un patet ex Epist. 59 S. Cypriani, qui nomine Concilii ad Fidum scribit: « In hoc quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potius iudicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam: » et cum varias huius sententiae rationes adduxisset, concludit: « Haec fuit in Concilio nostra sententia, a baptismo atque a gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus. » Hoc decreto vetus et Ecclesiae ipsi coaeva fides ac Traditio confirmata fuit, non nova inducta doctrina; nam *S. Augustinus*, Epist. (4) ad Hieron. de hac definitione loquens, ait: « B. Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiae fidem firmissimam servans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum..... mox natum rite baptizari posse cum suis quibusdam Coëpiscopis censuit. » *Milevitanum*, anno 416 praesente *S. Augustino* habitum, can. 2 inquit: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; anathema sit. Gerundense* anno 517, can. 5 statuit: *De parvulis, qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint, et hic maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur. Bracarense II* anno 572 can. 7 inquit: *Placet, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc praecipiat, ut hi, qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis: si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum illis pignus*

(1) Cap. 2. (2) Ep. 86. (3) Epist. 240. (4) Ep. 166 (al. 28).

violenter tollatur a Clericis; nam multi pauperes hoc timentes filios suos a baptismo retrahunt. Viennense generale anno 1311 (1) profitetur: *Credimus*, (baptisma) *esse tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem. Tridentinum* Sess. V, can. 4 definit: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti..... anathema sit.* Et Sess. VII, can. 13: *Si quis dixerit, parvulos, eoquod actum credendi non habent, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae, anathema sit.*

Nota. Quamvis argumenta quibus catholici probant, infantes valide et licite baptizari, firmissima sint, ita ut ne dubiis quidem locum relinquere videantur, Anabaptistae tamen et Sociniani varia obiiciunt, quae ad sequentia potissimum reducuntur.

Obi. I. In S. Scriptura nullum habemus mandatum vel exemplum de baptismo parvulorum; qui idcirco reiiciendus est, praesertim cum ipse Christus, rex et legifer noster, baptizatus sit trigesimo aetatis anno, clare ostendens, baptisma Christianorum differendum esse ad adultam aetatem.

Resp. Praeceptum Christi gentes baptizandi, generale est (2), etiam infantes, qui inter gentes inveniuntur, nequaquam excipiens. Petrus quoque generaliter dicit: *Baptizetur unusquisque* (3) etc., et etiam filios Iudaeorum baptizandos esse innuit (4). Insinuantur etiam exempla paedobaptismi, cum Apostoli integras domus baptizasse perhibentur, cuiusmodi fuerunt *Lydiae* purpurariae (5), *Stephanae* (6), et satellitis carcerem custodientis (7). — Observandum porro est, prolato argumento, si quid roboris haberet, Anabaptistas efficaciter pugnare contra Protestantes, qui nulla alia admittere volunt dogmata, quam quae in Ss. Litteris perspicue et aperte continentur, non autem contra nos qui aliam firmissimam agnoscimus fidei morumque regulam, nempe universalem et constantem Ecclesiae traditionem. Probatum vero est, iam primis Ecclesiae saeculis baptisma infantium validum et licitum fuisse creditum, atque eius usum ubique invaluisse. Absurdum autem est affirmare eos, qui quindecim saeculis ab Apostolis distabant, melius sensum et mentem Christi assecutos esse in citatis oraculis, quam illa intellexerit societas a Christo ipso instituta, quae eius doctrinam statim in praxin deduxit. — Quod exemplum Christi attinet, observandum est non omnia quae Christus egit, sub praecepto cadere, alias enim omnes circumcidi, in desertum abire, in Iordane baptizari, eucharistiam sero post coenam, etc., celebrare deberemus. Haec autem sub praecepto non cadere, omnibus semper persuasum fuit; et eodem modo semper creditum est, homines non teneri secundum Christi exemplum trigesimum annum, vel adultam aetatem expectare, ut baptismum reciperent. Et quidem merito, quia dispar est ratio. Nam Christus baptizatus est non ut ipse mundaretur, sed ut sanctificaret aquas, et nobis humilitatis exemplum daret; contra vero cum baptismus nobis necessarius sit ad salutem, male nobis consuluisset

(1) Mansi T. 25, c. 411; Clement. l. 1, tit. 1, § 2. (2) Matth. 28, 19. (3) Act. 2, 38. (4) Ibid. v. 39. (5) Act. 16, 15. (6) I Cor. 1, 16. (7) Act. 16, 33.

tam necessarium remedium differendo, quo facile in tot tenerae vitae discriminibus privari, sicque aeterna excidere salute potuissemus. Ideo iam S. *Gregorius Naz.* (1), Catechumeno, baptismi dilationem exemplo Christi iustificanti respondit: « Nec vero ei (Christo) quidquam periculi metuendum erat baptismum proroganti, quippe qui passionis quoque suae arbiter esset, quemadmodum et nativitatis. Tibi autem non leve periculum imminet, si hinc corruptioni soli genitus nec incorruptibilitate indutus excesseris. »

Obi. II. Christus dicit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. (2). Ergo iuxta praeceptum Christi homines primo doceri seu instrui debent, et postea baptizari: sed infantes non possunt instrui seu doceri, ergo nec baptizari. Ideo S. *Hieronymus* (3) scribit: « Non potest fieri, ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei receperit veritatem. »

Resp. In verbis Christi pro *docete* occurrit vox graeca μαθητεύσατε a graeco verbo μαθητεύειν, quod non tam docere, quam discipulos facere significat. Christus ergo Apostolis praecipit, ut homines aggregent Ecclesiae, et modum ostendit, quo id efficere debeant, nempe per baptismum, per quem etiam infantes Ecclesiae aggregantur et ad disciplinae christianae professionem admittuntur. — Dein duo Christus in citatis verbis praecipit, docere nempe et baptizare; non autem ita haec duo mandata coniungit, ut unum sine altero observari non possit; sed primum mandatum solum ad illos pertinet, qui doctrinae sunt capaces, nempe ad adultos, non autem ad infantes, qui rationis non sunt capaces: nihilominus autem in istis secundum mandatum observari potest, quia etiam infantes valide et licite baptizantur. Ita verba Christi tota semper intellexit Ecclesia, ut ex dictis patet. Neque huic traditioni S. *Hieronymus* adversatur. Loquitur enim ibi S. Doctor de adultis, quibus ultro fatemur, dari non debere baptisma, nisi antea fidei receperint veritatem. Aliud S. Hieronymum sensisse de parvulis, patet ex eius Epistola ad Laetam, in qua parentes graviter monet, ut curent suos infantes statim, ac sine mora baptizari, et ex citato superius eiusdem testimonio (4).

Obi. III. Ad baptismum valide et licite recipiendum tria in subiecto requiruntur. Primo requiritur fides, quae ad salutem absolute necessaria est, dicente S. Scriptura Io. III, 18: *Qui credit in eum* (Christum), *non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei;* Marc. XVI, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* Hebr. XI, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Requiritur porro poenitentia, dicente Petro Act. II, 38: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque*, etc. Demum requiritur intentio saltem virtualis recipiendi sacramenti, ut probatum est § 512. — Sed infans, utpote rationis expers, nec fidei nec poenitentiae nec intentionis capax est: hinc ergo baptismi quoque capax esse nequit.

Resp. Ad baptismum in subiecto requiri fidem, poenitentiam et intentionem, si de adulto sit sermo, libenter concedimus; si de infante, prorsus negamus. *Fides* enim actualis in adulto necessaria est, non quidem

(1) Or. 40, n. 29. (2) Matth. 28, 19.
(3) Comm. in Matth. 28, 19.
(4) Lib. 3 adv. Pelagian.

ut valide, sed tamen ut digne baptisma suscipiat. Contra sentiendum est de infantibus, qui actuum fidei, sicut et caeterarum dispositionum non sunt capaces. Hunc autem defectum supplet Ecclesiae fides, in qua parvuli baptizantur: quemadmodum enim eis nocuit alienum crimen scilicet Adae praevaricatio, sic eosdem iuvat fides aliena, fides nimirum Ecclesiae, in applicatione baptismi. Nec huic doctrinae citata Scripturae loca adversantur. Nam Io. III, 18 Christus manifeste de solis adultis loquitur, quia v. 19 dicit: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera.* Marc. XVI, 16, iterum de adultis sermo est, quibus lex evangelica nuntiabatur ab Apostolis, quique prius credere debebant, ut inde baptismi gratiam consequerentur. Idem dicendum est de dicto Apostoli Hebr. XI, 6, quia Deus fidem actualem exigit in adultis, non autem in infantibus, qui eius non sunt capaces. Caeterum nec infantes salvantur *sine fide, sed non fide propria actuali*, quae ipsis inesse nequit, verum *fide Ecclesiae*, quae ipsis communicatur. *Poenitentia* est de peccatis actualibus, quorum infantes rei non sunt: unde Princeps Apostolorum ab adultis poenitentiam ante baptismum exigit, ne ipsius gratia ob culpas actuales impediatur, non vero ab infantibus, qui hac dispositione non egent, quia nulla iis est macula praeter originalem abstergenda. Doctrina denique Catholicorum est, *intentionem* propriam saltem antecedentem nec revocatam in subiecto adulto requiri, ut ipsi valide conferatur baptismus. At in parvulis intentio sufficit aliena, videlicet sponsorum et Ecclesiae, in cuius nomine infantes abluuntur; haec enim, ut inquit *S. Augustinus* (1): « os maternum parvulis praebet, ut sacris mysteriis imbuantur. » Audiatur *S. Thomas*, qui (2) eandem difficultatem solvens ait: « Regeneratio spiritualis, quae fit per baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali quantum ad hoc, quod sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur: ita etiam pueri nondum habentes usum rationis quasi in utero matris Ecclesiae constituti, non per se ipsos, sed per actum Ecclesiae salutem suscipiunt. Unde *S. Augustinus* (3) dicit: *Mater Ecclesia maternum os parvulis praebet, ut sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem.* Et (4): *Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam poenitentes non habeantur, cum per eorundem verba gestantium diabolo et huic saeculo abrenuntiare monstrentur?* Et eadem ratione possunt dici *intendentes* non per actum propriae intentionis, cum ipsi quandoque contra nitentur et plorent, sed per actum eorum, a quibus offeruntur. » — Caeterum tota ratio, ob quam dicimus, fidem Ecclesiae infantibus prodesse, ab ipsa baptismi institutione desumenda est, qua Christus voluit per baptismum infantibus quoque providere, etiamsi non possint propria voluntate credere: de qua voluntate Christi nos constans et universalis Ecclesiae traditio certos reddit. — Quia autem infantes in fide Ecclesiae

(1) Lib. 1 de peccat. merit. et remis. c. 25.
(2) 3 p., q. 68, art. 9 ad 1.
(3) Lib. 1 de pecc. mer. et rem. c. 25.
(4) Cap. 19.

baptizantur, recte infertur, infidelitatem parentum eis non obesse, nec salutares baptismi effectus impedire. — Dum vero dicitur, parvulis prodesse alienam fidem in susceptione baptismi, sermo tantum est de fide actuali, non de habituali. Hanc enim ipsis infundi una cum gratia sanctificante, certissimum est, a *S. Thoma* (1) probatum, et a *Clemente V* in *Concilio Viennensi* definitum.

Obi. IV. I Petr. III, 21 dicitur: *Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum:* sed pueri non possunt interrogare se ipsos, nec interrogari ab aliis: ergo etiam baptizari nequeunt.

Resp. Cum conscientia bona consistat in immunitate a peccatis actualibus, sat manifestum est, Petrum loqui de adultis, qui peccatis actualibus inquinantur, et ideo conscientiam suam interrogare seu examinare, et per poenitentiam mundare debent, ut baptisma digne suscipiant. Caeterum *S. Thomas* Loc. cit. (2) ait, « quod puer, sicut cum baptizatur non credit per seipsum, sed per alios, ita non per seipsum, sed per alios interrogatur; et interrogati confitentur fidem Ecclesiae in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei Sacramentum. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso, non quidem actu, sed habitu per gratiam sanctificantem. » Alii putant, sensum verborum Petri esse, quod solum baptisma salvum non faciat, nisi sequatur bona vita, seu *conscientiae bonae interrogatio in Deum.*

Obi. V. Infantes non esse baptizandos, ex variis monumentis patet. Nam Act. VIII, 12 cum Philippus verbum Dei Samaritanis nuntiasset, *baptizabantur* quidem viri ac mulieres; at nullibi memorantur infantes, de quibus certe non siluissent Ss. Scripturae, si et his baptismus fuisset ministratus. — *Concilium Neocaesariense* can. 7 decrevit, baptizata matre, non censeri baptizatam etiam prolem, quam gestat in utero; « quia proprium cuiusque institutum et propositum in confessione ostendi debet: » eademque ratio affertur in Iure Can. (3) his verbis: « Nihil participat in hoc mater infantis, qui nascitur, propterea quod uniuscuiusque propria voluntas in confessione monstratur: » haec autem ratio probat, pueros, quorum proprium institutum, propositum et voluntas ostendi nequit, baptizari non posse. Hinc *Walafridus Strabo, Ludov. Vives, Hugo Grotius, Salmasius* et alii affirmant, olim ad baptismum neminem admissum fuisse, nisi aetate iam adulta, qua scire quisque poterat, quid peteret et quid acciperet.

Resp. Act. VIII *viri ac mulieres* baptismum recepisse dicuntur: at quisque videt, hisce verbis indiscriminatim comprehendi tum senes, tum iuvenes, tum etiam infantes; ibi enim tantummodo sexus baptizatorum, non aetas indicatur. Et quamvis expresse non referant Scripturae sacrae, Apostolos contulisse parvulis baptisma, absurde tamen ex earum silentio concluditur, usum paedobaptismi non licere, quemadmodum absurde concluderetur, eucharistiam dandam non esse feminis, quia non constat ex Scripturis, Christum et Apostolos hoc sacramentum iisdem tradidisse. — Canonem *Concilii Neocaes.* varii varie interpretantur. Probabilior sensus est, baptismum matri gravidae collatum proli non communicari. Videtur enim tunc temporis dubium ex-

(1) 3 p., q. 69, art. 6.
(2) 3 p., q. 68, art. 9 ad 3.
(3) Dist. 4 de consecr.

citatum fuisse, an potuerit tingi mulier, quae uterum gestaret, ne una cum matre foetus baptizatus esset censendus: concilium vero declarat, posse mulierem gravidam baptizari, quia eius baptisma nihil commune habet cum foetu, qui nondum in lucem editus sit. Ideo cl. *Perrone* (1) ait: « Mihi verisimilius videtur, hunc canonis sensum esse, unumquemque seorsim debere aquis baptismatis lustrari per propriam confessionem, quam vel adultus per se, vel infans aliorum ore emitteret, idque iuxta disciplinam, quae etiam tunc temporis vigebat, ut susceptores seu fideiussores responderent pro infantibus baptizandis. » Audiendi denique non sunt *Walafr. Strabo* et caeteri, qui baptisma infantium ab antiqua consuetudine pronuntiant alienum: viri enim isti, eruditione caeteroquin praeclari, turpiter aberrarunt, dum haec scriberent, quod iam ex allatis n. 2 et 3 argumentis patet, et a viris doctissimis sole clarius probatum fuit (2).

Obi. VI. Infidelis licite non baptizatur: sed infantes sunt infideles, quia sunt omni fide destituti, tum actuali, quia rationis usum non habent, tum habituali, quia Christum non habent in cordibus habitantem: ergo licite non baptizantur. Neque eos baptizare licet intuitu fidei futurae; nam, ut Bonifacius obiiciebat Augustino (3), sicut nemo scit, an infans futurus sit castus, vel an fur sit futurus, ita etiam nemo cognoscit, an recte sit crediturus.

Resp. Infidelis positivus, qui veritati, quam cognoscere posset et deberet, temere resistit, licite et cum fructu non potest baptizari, quia efficaciae sacramenti obicem ponit. Infidelis autem negativus actu fidei destitutus, cuius est incapax, obicem nullum ponit, et ideo licite et cum fructu baptizari potest. Tales autem esse infantes, manifestum est. Isti enim non habent quidem fidem actualem propriam, ut somniarunt *Lutherus* et *Calvinus*, sed baptizantur in fide Ecclesiae, quae eis ipsa collatione baptismi communicatur: unde *S. Augustinus* (4) inquit: « In infantibus credere est baptizari, non credere autem non baptizari. » Quare necesse non est, ut susceptores sciant utrum infantes futuri sint casti, nec ne; utrum sint nec ne crediturí; nam etiam de adultis, qui baptizantur, praevideri nequit, an post baptismum susceptum vitam Christiano dignam acturi sint, nec ne.

(1) De bapt. c. 4, n. 100 in nota.

(2) Cf. Ioan. Gerard. Vossius Disput. 14 de baptismo; et Renaudotius de perpet. fid. tom. 5, l. 2, cap. 2 et seq.

(3) Epist. 98, n. 7.

(4) L. 1 de peccat. mer. et remis. c. 27.

II. *Baptisma infantibus conferre expediens est, idque pro annis discretionis in ipsis veras obligationes parit.*

§ 548. 1. Plures ob causas expedit, ut infantes baptizentur. Congruit nempe 1° infantibus conferre baptismum, quia de sacramento agitur iis ad aeternam salutem absolute necessario; nam, instante mortis periculo, si praetermitteretur baptismus, nulla alia ratione impediri posset eorum damnatio. Praestat autem spiritale hoc remedium, cuius tanta necessitas est, cito parvulis adhibere, ne forte repentino morbo correpti decedant absque sacro regenerationis lavacro, ac perpetuo coelesti gloria priventur. Congruit 2° paedobaptismus, ut infantes mox nati confestim salutares huius sacramenti fructus percipiant: nimirum ut labe originali deleta, eruantur a daemonis captivitate, ut fiant Christi membra per gratiam san-

cificantem, ut Ecclesiae militanti consocientur atque sanctorum communionis participes evadant. Congruit 3° in re tanti momenti provectiorem aetatem non expectare, ne parvuli, cum nondum abluti adoleverint, ob defectum gratiae sacramentalis magis in malum proclives, inordinatis passionibus indulgeant, et pestiferos habitus contrahentes baptismum vel respuant, vel ad exitum differre malint, ut liberius in vitiorum coeno volutentur. Congruit 4° infantes baptizari, ut ipsi a teneris unguiculis ediscant, quid per sponsores Deo promiserint in hoc sacramento: ut vix rationis usum assecuti, ad fidelem divinorum mandatorum custodiam vehementer incitentur, atque ut a pueritia enutriti in iis, quae sunt christianae vitae, firmius in eadem perseverent secundum illud Prov.: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (1). — Hisce rationibus commota Ecclesia catholica, consuetudinem infantes mox post baptismum baptizandi, et approbavit et adoptavit: eandem quoque consuetudinem in Ecclesia graeca sicut semper viguit, ita etiamnum vigere, ostendit *Renaudotius* loc. cit. Aberravit autem hac in re *Tertullianus*, qui validum quidem, et in casu necessitatis licitum habuit paedobaptismum, at magis expedire censuit, si parvulorum baptisma differatur, donec per aetatem rationis compotes sint. Duplicem autem (2) pro sua sententia profert causam et rationem; unam ex parte sponsorum, qui exponunt se periculo, ne infantes factas eorum nomine promissiones irritas faciant; alteram ex parte puerorum, qui baptismum maiori reverentia et utilitate suscipient, dum gratias, quas consequuntur, et obligationes, quas contrahunt, plene cognoscunt. — Sed istae rationes nullatenus illis praeponderare valent, quas pro utilitate paedobaptismi attulimus. Sponsores enim nulli se periculo exponunt, si baptizati absque eorum culpa degenerant: contra vero, si cum parentibus, aut saltem in defectu parentum suam in instruendis et educandis pueris diligentiam adhibeant, praeclarum charitatis officium exercent. De pueris autem dubitandum est, an ad talem animi statum in tenera aetate perduci valeant, in quo maiori reverentia et utilitate baptismum suscipiant; imo timendum potius est, ne animi levitate abrepti per culpas actuales sacramentum, quod suscipiunt, inhonorent, et gratiis divinis obicem ponant.

2. Infantes baptizati, dum ad annos discretionis pervenerint, tenentur promissiones per os sponsorum factas adimplere, atque mandata Dei et Ecclesiae observare. Sicuti enim Christus (3) Apostolis praecepit, ut omnes baptizent eosque doceant omnia servare, quae mandavit; ita etiam omnibus hominibus iniunxit, ut baptismum recipiant, et omnia quae mandavit, observent. Ideo Paulus ait: *Quicunque baptizati estis, Christum induistis* (4); et ad eius mandata observanda et exempla imitanda obligati estis. Praeterea, qui baptizantur, cooptantur in Ecclesiam seu in societatem a Christo institutam: iam vero, quicunque aliquam societatem ingreditur, hoc ipso iure naturali tenetur leges servare eiusdem societatis, cuius membrum est. Quod vel ipsius civilis societatis exemplum ostendit. In quavis enim societate quivis nascatur, ex eo instanti obstrictus fit iure naturali ad peculiares illius societatis leges servandas; pari igitur ratione infantes baptizati, dum ad an-

(1) Prov. 22, 6. (2) In lib. de bapt. (3) Matth. 28, 19. (4) Gal. 3, 27.

nos discretionis pervenerint, ad servanda Ecclesiae praecepta obligantur. Denique ipsa sana ratio dictat, quemlibet gravissime obligari, ut ad finem suum, nempe ad moralitatem et felicitatem tendat, et conditiones adimpleat, sine quibus nec a gravissimo sibi impendente malo, nempe ab aeterna damnatione liberari, nec maximum bonum, cuiusmodi est vita aeterna, assequi potest. Ast iuxta doctrinam Revelationis conditiones istae pro quovis homine sunt, ut imprimis baptismum recipiat, et ut post baptismum, si ad annos discretionis pervenerit, praecepta Dei et Ecclesiae exacte observet. Ergo sicut quilibet ad baptismum recipiendum, ita quilibet baptizatus rationis suae compos ad observanda praecepta Dei et Ecclesiae obligatur. Merito igitur *Concilium Tridentinum*, Sess. VII, de baptismo can. 7 statuit: *Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae; anathema sit.* Et can. 8: *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.*

Nota 1. Nonnulli clamitant, iniustitiam committi, dum pueris inconsultis et insciis graves obligationes imponuntur; atque ideo putant, tamdiu baptismum differendum esse, donec qui petit, agnoscat obligationes baptismo adnexas. Ast absona sunt, quae ab istis obiiciuntur. Neutiquam enim ille contra iustitiae leges agere censendus est, qui captivum, etiam non petentem atque inscium, a gravissima servitute liberat. Atqui nulla gravior aut magis perniciosa servitus excogitari potest, quam illa, in qua parvuli ante baptismum detinentur diaboli subiecti. Accedit, quod obligationes, quas baptizati contrahunt, sint onus leve et iugum suave, quod omnes homines lege divina positiva et naturali subire tenentur. Ad id autem, ad quod homo iam iure divino et naturali obligatur, nullus aperte ex illius parte exigendus aut expectandus est consensus, cum nemo praesumi queat, nolle se esse, quod esse eum oportet; aut velle se privari summis bonis, et esse sibi inimicum.

Nota 2. Absonum est, quod cum *Erasmo Roterodamensi* Protestantes contendunt, parvulos baptizatos, cum ad annos discretionis pervenerint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, ita ut, ubi se nolle responderint, suo arbitrio relinquendi sint. Admittendam nullatenus talem praxin esse, variae rationes ostendunt. Nam *a*) absonum esset, pueros, cum adolescunt, interrogare, an velint ad moralitatem et felicitatem tendere; an velint Deum amare et Deo servire; an velint praecepta decalogi observare etc., et si renuant, eos suo arbitrio relinquere: dicendum potius pueris est, se ad haec iure naturali et divino obligari, neque ipsis liberum esse, an tales obligationes in se suscipere velint, nec ne. Ast eodem modo iure naturali et divino omnes homines obligantur per baptismum veram Christi Ecclesiam ingredi, et praecepta Christi et Ecclesiae observare: monendi ergo sunt pueri de obligatione, quam contraxerunt; absonum autem et impium esset eos interrogare, an velint in se obligationem suscipere, quae ab ipsorum arbitrio nullatenus dependet. *b*) Si Ecclesia arbitrio alicuius committeret, an ratum habere velit nec ne, quod in baptismo per patrinos

pollicitus est, ipsa aut dubitare deberet, an veram doctrinam tradat, illam nempe, quam Christus revelavit, quam omnes homines observare tenentur, et per quam salutem suam consequuntur; aut iudicare deberet, quemlibet illam religionem amplecti et in ea salvari posse, quae subiectivae suae opinioni arriserit: in priori casu contra se testimonium ferret, ac semetipsam destrueret; in altero casu gravissimo indifferentismi errore contaminaretur (1). *c*) Ut puer factae sibi in re tanti momenti interrogationi non caeco, sed rationali modo respondeat, examen, ut convenit, instruere deberet, an vera sit religio et Ecclesia orthodoxa, in qua baptismum suscepit. Tale autem examen, ut convenit, puer instituere non valet. Illud enim examen puerili aetati accommodatum esse nequit, quod talem cognitionum exigit apparatum, cui vix pauci vel inter ipsos doctos homines pares sunt. Siquidem, iuxta ipsa Protestantium principia, ad eiusmodi examen rite instituendum requiritur apparatus scientiarum naturalium, linguarum, exegeseos, hermeneuticae, criticae, historiae etc.: requiritur profunda ac diuturna meditatio, comparatio etc., quibus profecto puer, seu etiam adolescens decem, quindecim, vel viginti annorum impar omnino est. In hypothesi propterea, quam impugnamus, semper suspendere puer et adolescens actum fidei deberet usque ad annum trigesimum aut quadragesimum: quodsi nec ea aetate posset se determinare, continget saepius, debere illum prius ex hac vita migrare, quam actum fidei elicere. *d*) Interrogatio ad examen praedictum provocans, non solum vana et inutilis, sed et pueris maxime perniciosa est. Parvuli enim per sacramentum baptismi supernaturalem fidei habitum accipiunt, qui in ea mentis dispositione consistit, ut facile, quando eis fidei veritates proponuntur, in actum fidei erumpant. Unde si nihil obstat, vix ac ipsis ab Ecclesia articuli fidei exponuntur cum motivo suo formali, auctoritate scilicet Dei revelantis, statim acquiescunt et fidei actum eliciunt, ad id gratia divina praeventi et adiuti. Haec autem supernaturalis mentis dispositio, quae fundamentum omnis nostrae honestatis et vitae sanctimoniae est, per examen cum dubio positivo institutum, quo assensum omnem revelationi divinae praestandum suspendimus, evertitur ac destruitur. *e*) Natura puerorum haec est, ut, sicut alta ratiocinia et ardua examina instituere non valent, ita libenter auctoritati credunt, et auctoritate reguntur. Nihil ergo eorum indoli magis congruit, quam regula fidei proxima nempe infallibilis Ecclesiae proponentis auctoritas, quae sola locum intrinsecorum motivorum, quorum vim pueri perpendere non valent, supplere potest. Nec caeco modo pueri credere dicendi sunt, dum auctoritati Dei revelantis et Ecclesiae infallibiliter proponentis firmum assensum praestant. Caeco modo potius pueri Protestantium credere dicendi sunt, qui in revelatae religionis negotio nec debitum examen instituere valent, nec magisterium infallibile agnoscunt, cui tuto acquiescant. *f*) Denique Protestantium sententia Ecclesiae traditioni et praxi contraria est. Nunquam enim Ecclesia pueros, cum ad annos discretionis pervenerunt, interrogavit, an ratum habere velint, quod in baptismo per patrinos promiserunt; sed solum eos ad observanda baptismi vota strenue exhortata est. Cui traditioni inhaerens *Conci-*

(1) V. Th. gen. § 294.

lium Tridentinum (1) definit: *Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit* (2).

III. *Variae quaestiones de subiecto baptismi solvuntur.*

§ 549. 1 Quaestio movetur, an baptizari possit infans nondum natus et adhuc materno utero inclusus? Respondent omnes, infantem ita materno utero inclusum ac membranis involutum, ut omnino lateat, nec possit ullo pacto aqua perfundi, baptizari non posse. Rationem reddit *S. Thomas* (3) dicens: « De necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum baptismus sit quaedam ablutio. Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua, nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc esse non potest, tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris; tum quia corpus pueri animati iam est formatum, et per consequens a corpore matris distinctum: et ideo baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris existentem. » Non omnes autem consentiunt, dum quaeritur an, reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contingit, valide baptizetur infans, cuius corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus per siphunculum tingi potest? — Sunt, qui cum Card. *Lauraea*, *Herminier*, *Nat. Alexandro*, *Gotti*, *Berti*, *Billuart* etc. negant, baptisma in hoc casu validum esse, suamque assertionem gemino argumento confirmant. Primum ex ipsa natura baptismi derivant, qui est sacramentum regenerationis et secundae nativitatis spiritualis, cui necesse est, ut prima nativitas praecedat, dicente Christo: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei;* et: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. (4). Ergo cum nullus possit renasci, antequam natus sit, infans in hoc casu valide baptizari nequit. Alterum argumentum petunt ex auctoritate *S. Augustini*, qui de pecc. mer. et remis. (5) scribit: « Sacramentum baptismi profecto sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, et qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. » Et (6) ad Dardanum ait: « Non video, quomodo aedificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati. » Etiam *S. Isidorus Hisp.* (7) dicit: « Qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci. Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non praecessit. » — Alii tamen cum *Greg. de Valentia*, *Suarezio*, *Franc. Henno* et aliis baptismum in hoc casu validum censent; tum quia infantes in utero matrum sanctificationis ca-

(1) Sess. 7, de bapt. can. 14.
(2) Cf. Perroue de baptismo cap. 4, prop. 2, n. 104-132. (3) 3 p., q. 68, art. 11.
(4) Io. 3, v. 3 et 5. (5) Lib. 2, cap. 27.
(6) Epist. 187, al. 57, c. 9.
(7) L. 1 sentent. c. 22.

paces sunt, ut constat de Ieremia, ac praecipue de S. Ioanne Baptista; tum quia renascentia, quae nobis necessaria est, non nativitati nostrae carnali, quam potius statui peccati, in quo concipimur, opponitur, cum quemlibet renasci oporteat, non quia ex carne natus est, sed quia in peccato conceptus est. Ad momenta adversariorum respondent, quantum ad rem attinet, infantem illum natum dici posse, qui ex abditioribus materni alvi penetralibus ad uteri ostium decidit, atque obstetricis aut medicorum manibus saltem per instrumenta pertractari potest: unicum vero S. *Augustini* scopum fuisse, improbare baptismum collatum matri pro puero, quem in utero gestabat. — Cum autem theologi hac in re dissentiant, pro praxi dicendum est, nunquam in tali casu baptismum omittendum, sed semper meliori, quo fieri potest modo saltem sub conditione administrandum esse, quoniam quando dignitas sacramenti cum salute hominis colliditur, illa huic cedere debet, cum sacramenta sint in hominum utilitatem instituta. Ideo *Benedictus XIV* de Syn. Dioec. (1), allatis diversis theologorum opinionibus, concludit, tutius esse, ultimum controversiae iudicium a Sede Apostolica expectare; interim vero, «ad Parochos pertinere, obstetrices instruere, ut cum casus evenerit, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat et foras prodeat.»—Quod si matre in mortis periculo constituta infans aliquam suam partem ex utero emisit *Rituale romanum* statuit, in ea parte baptismum esse conferendum, quae ex utero emersit, addit-

(1) L. 7, cap. 5, etc. (2) Ad 4

que baptismum non esse ullo pacto repetendum, si salutari aqua infantis caput tinctum fuerit; secus vero faciendum decernit, cum non caput, sed quaevis alia pars corporis aqua perfunditur: tunc quippe parvulum, si vivus evaserit, iterum sub conditione baptizandum praecipit. Consonat doctrina S. *Thomae*, qui l. c. (2) dicit: «Exspectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente, et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quaecunque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacunque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.*»

2. Quaeritur, quid agendum, si partus monstruosus abluendus offeratur? — Id forte si contingat, maxima cautio necessaria est, ne baptismus aut invalide administretur, aut temere omittatur. Quocirca sedulo investigandum est, an monstrum vel nullam, vel dubiam, vel certam formam hominis ostendat. Re autem perspecta, sequentes regulae tum in Actis Ecclesiae Mediolanensis (3), tum in Rituali romano sectandae proponuntur. — Si tanta sit foetus deformitas, ut in eo nullum indicium naturae humanae reperiatur, hic non poterit baptizari, cum in data hypothesi censeatur ad hominum speciem non pertinere. — Si autem foetus indicia quaedam praeseferat humanae formae, sed

(3) P. 4, instr. de administr. bapt.

adeo incerta, ut de ipsius natura prudenter sit ambigendum, baptismo tum privari non debet, ne rationalis anima, quae in eo fortassis extare potest, damnetur. Verum ut simul dignitati sacramenti consulatur, abluendus erit huiusmodi foetus sub conditione, dicendo: *Si homo es, ego te baptizo.* — Si foetus utcunque monstruosus certos habeat humanae speciei characteres, absolute baptizabitur. Attendendum tamen, utrum membris contra naturae ordinem geminatis, ac potissimum duplice capite vel pectore ita constet, ut plures in ipso adesse videantur personae. Quo in casu pluralitas personarum in monstro vel dubia apparet, vel certa. Si dubia haec ponatur, tum unum caput, vel pectus absolute ac simpliciter baptizandum erit, alterum vero cum forma conditionali: *Si non es baptizatus.* Quod si certa sit haec pluralitas, per distinctas ablutiones tum separatim singulis personis conferendus erit baptismus, dummodo mortis periculum non urgeat. Secus enim, si moram temporis non patiatur instans necessitas, plurali numero adhibito et unica ablutione, simul omnes per hanc formam tingantur absolutam: *Ego vos baptizo*, etc. — Fructus immaturi seu embryones in lucem editi, si manifesto vita destituti non fuerint, baptizari debent, et quidem absolute, aut cum conditione adiuncta: *si vivis*, vel, *si homo es*, prout de vita eorum aut forma humana certo constat, vel ambigitur.

3. Quaeritur ulterius, utrum furiosi et amentes baptizandi sint? quam quaestionem solvit S. *Thomas* ibid.(1) quatuor horum infelicium hominum genera distinguens. — Quidam enim sunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus proinde nullus est rationis usus; et tales baptizandos esse docet, sicut pueri baptizantur. — Alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt, et tales sunt iudicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanae mentis existerent. Et ideo s tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia et amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant; alioquin si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanae mentis essent, non sunt baptizandi. — Qui in amentia habent lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt, si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt et debent, etiamsi in amentiam relabantur, si tamen periculum mortis timeatur; alioquin melius est, ut expectetur tempus, in quo sint sanae mentis, ut devotius suscipiant sacramentum. — Quidam demum sunt, qui etsi non omnino sanae mentis existant, ratione tamen adeo utuntur, ut possint de sua salute cogitare et intelligere sacramenti virtutem. « Et de talibus, ait Angelicus, idem est iudicium, sicut de his, qui sanae mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti. »

4. Si quaeritur, an infantes a Iudaeis vel aliis infidelibus progenitos ac in horum potestate constitutos, invitis parentibus baptizare liceat? Theologi varias distinctiones ineuntes sequentia principia statuunt. Dicunt 1°, Filii haereticorum et apostatarum licite possunt, invitis parentibus, baptizari; quia cum sint Ecclesiae subditi, ipsa eos cogere potest, ut parvulos suos ad baptismum praesentent, ac ideo eis subtrahi possunt, ut baptizentur, et rebus fidei, cum adoleverint, instruantur. Dicunt 2°, Filii mancipiorum infidelium non baptiza-

(1) Art. 1.

torum possunt ac debent, invitis parentibus, baptizari, quia mancipia propter servitutem omni iure in filios suos privantur, cum et ipsimet cum tota familia divendi queant; unde possunt a parentibus eripi, baptizari et in fide erudiri; atque ad id saltem ex charitate tenentur eorum Domini. Dicunt 3°, Infantes infidelium, etiam non mancipiorum, licet et oportet baptizare, si illi sunt in evidenti mortis periculo constituti, quia tunc nec auferuntur parentibus, nec baptismus profanationi exponitur, et aliunde urget praeceptum charitatis: debent tamen ita caute baptizari, ut perturbatio vitetur. Dicunt 4°, Si alteruter parens, sive pater sive mater in baptismum consentiat, potest infans, altero renitente, baptizari: ita definitum est in *Concilio Toletano IV* (1), quia praeferenda est voluntas iusta unius parentis in favorem prolis voluntati iniustae alterius in praeiudicium prolis. Dicunt 5°, Filii infidelium non baptizatorum sive principibus infidelibus, sive etiam principibus Christianis subiecti sint, exceptis casibus, seu conditionibus iam explicatis, non possunt licite, invitis parentibus, baptizari. Nam illud licite fieri non potest, quo violatur aut ius naturale, quod parentes habent in filios, aut reverentia sacramento debita: atqui alterutrum contingeret, si filii infidelium, invitis parentibus, baptizarentur: vel enim illi his subtraherentur, vel his relinquerentur: *si primum*, parentibus fieret iniuria; *si secundum*, baptismus manifesto periculo profanationis, et baptizatus periculo apostasiae exponeretur; cum constet, eum in infidelitate educandum. Ideo *Concilium Toletanum IV* (2) dicit: *De Iudaeis autem hoc praecepit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: cuius enim vult Deus miseretur, et quem vult, indurat.* Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma *iustitiae*. Quod idem decreverunt *S. Gregorius M.* (3) et *Nicolaus I* (4). *S. Thomas*, 3 p., q. 68, art. 10, ita disserit: « Pueri, infidelium filii, aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam quantum ad ea, quae sunt iuris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse, et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt, et induci ad suscipiendum baptismum. Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt. — Et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri, invitis parentibus, baptizarentur, sicuti etiam, si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. » Sententiam hanc Angelicus praecipue ex Ecclesiae praxi probat; nam (5) inquit: « Maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda, quia ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet; unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunque Doctoris. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit, quod Iudaeorum (aut Gentilium) filii, invitis parentibus, baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Episcopi sanctissimi, ut Silvester Constantino et Ambro-

(1) Cap. 63. (2) Can. 55.
(3) Lib. 1, Epist. 47, al. 45.
(4) Resp. ad Bulg. cap. 41.
(5) 2 2, q. 10, art. 12.

sius Theodosio, qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur, hanc assertionem de novo inducere, ut praeter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam Iudaeorum filii invitis parentibus baptizentur. » Hanc doctrinam *S. Thomae* approbat *Benedictus XIV* in epist. de baptismo Iudaeorum (1), eique plerique Theologi subscribunt. *Scotistae* tantum cum nonnullis aliis refragantur, putantes, filios infidelium invitis parentibus baptizandos esse, tum quia Christus ait: *Compelle intrare* (2): tum quia ius naturale cedere debet iuri divino, quo baptismus omnibus praecipitur: tum quia si Princeps potest infantes abstrahere a parentibus, ne ipsis inferant mortem corporis, a fortiori potest eos abstrahere, ne ipsis mortem inferant animae per denegationem baptismi. Sed rationes istae inanes sunt; Christus enim (3) iussit homines ad fidem compelli pondere rationum, praedicationis constantia, et virtute persuasionis, non autem vi armorum: dein utriusque iuris Deus est auctor, qui neutrum vult observari cum praeiudicio alterius, eiusque voluntas, dum de iure positivo agitur, non tam per humana ratiocinia, quam potius per magisterium Ecclesiae cognoscenda est: denique quoad obligationem et potestatem Principis disparitas est, quod parentes infideles mortem pueris inferendo peccarent in ius civile et rempublicam ipsam, cuius pax et tranquillitas turbaretur per destructionem membrorum ipsius; officium autem principis est reipublicae tranquillitati et civium conservationi consulere, non vero ipsius est salutem aeternam suorum civium non baptizatorum procurare, cum potestas saecularis non se extendat ad supernaturalia. Cf. *Tournely* (4), *Berti* (5), *Sardagna* (6).

5. Mortui baptizari non possunt, neque vivi pro mortuis. Sacramenta enim sunt pro statu viae seu huius vitae divinitus instituta, ita ut ideo omnes, qui extra hunc versantur, illis percipiendis amplius idonei haud sint. Vivi autem possunt quidem mortuis, qui in gratia Dei decesserunt, per suffragia succurrere; sed loco ipsorum regenerari et membra Ecclesiae effici non possunt. Ideo *Conc. Cartaginense III* (7) definit: *Cavendum est, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat.* Ideo etiam tanquam erronea et haeretica reprobata est sententia *Cerinthianorum, Marcionitarum*, et *Cataphrygum*, qui aut vivos pro mortuis, aut ipsos mortuos baptizabant. Neque ipsis suffragantur verba Pauli ad Corinth.: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis* (8)? Cuius textus maxime obscuri tres expositiones recenseri merentur. Prima est eorum qui asserunt, ex consuetudine aliquorum, qui viventes baptizabantur pro mortuis, demonstrare Apostolum futuram corporum resurrectionem argumento, ut inquiunt, *ad hominem*, non consuetudinem illam approbando, sed ex illa adstruendo fidem resurrectionis. Hanc interpretationem, quam defendunt *Aug. Calmet.* et *Bernard. a Picon.*, confirmant verba *Tertulliani* c. Marcion. (9) scribentis, Paulum non fuisse baptismi pro mortuis auctorem aut confirmatorem,

(1) Inserta tom. 2 Bullar. n. 28.
(2) Luc. 14, 23. (3) Ibid.
(4) De bapt. q. 3, art. 3.
(5) Lib. 31, cap. 17.
(6) T. 6, art. 2, Contr. 8, n. 353, etc.
(7) Can. 5. (8) I Cor. 15, 29.
(9) L. 5, c. 10.

sed ea scripsisse, « ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent: » nam, ait *S. Thomas* in epist. cit. (1): « isti in aliquo commendari possunt, quod fidem resurrectionis videbantur habere: sed in aliquo possunt reprehendi in hoc scilicet, quod unum credebant posse pro alio baptizari. » — Altera interpretatio est eorum, qui censent, loqui Paulum de iis, qui decumbentes in lecto, et morti proximi baptismum suscipiunt, et re ipsa declarant, se baptizari *pro mortuis*, id est, ut baptismus prosit sibi vita functis, et pro eo statu, ad quem accelerant: quod pariter ad probandam resurrectionem invictum est argumentum, quia dum sacramentum impenditur corporibus, consecrantur immortalitati, ideoque suscipientes baptismum ex hac vita migraturi sperant, se fore resurrecturos. De hac interpretatione legendi sunt *Estius*, et *Ger. Vossius*. — Expositio tertia est eorum, qui interpretantur τὸ *pro mortuis*, pro corporibus morti obnoxiis, ita ut verborum Apostoli sensus sit: si futura non est carnis resurrectio, cur in spe et fide resurrectionis baptizantur corpora ita addicta morti, ut nunquam sint immortalitate donanda? Hanc interpretationem amplectitur *S. Chrysostomus* (2) scribens: « Hoc ergo (nempe verbum Symboli: *Credo carnis resurrectionem*) in memoriam revocans Paulus dicebat: Si non est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis, id est, corporibus? Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens resurrectionem, id est, quod non maneat mortuum. » Eandem interpretationem sequuntur *Isidorus Pelus.*, *Theophylactus*, *Oecumenius* et alii, eamque maxime commendat *Laur. Berti*, et probat ex eo, quia Paulus saepius corpus mortuum appellat, quia morti subiectum est, ut ex. gr. Rom. VIII, 10: *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem.* Quaecunque autem ex his tribus expositionibus adoptetur, nulla favet errori eorum, qui vivos pro mortuis, vel ipsos mortuos baptizabant.

(1) Lect. 4 in I Cor. 15.
(2) Hom. 40 in I Cor. 15, 29.

ARTICULUS VII.

De caeremoniis baptismi solemnis.

§ 550. De ritu essentiali, quo baptismus administrandus est, iam actum fuit articulo secundo, in quo de materia et forma baptismi sermo institutus, et etiam dictum est, extra casum necessitatis validum quidem, sed illicitum esse baptismum aqua dumtaxat naturali, non autem benedicta collatum. Ecclesia vero pro solemni baptismatis administratione etiam alias caeremonias praescripsit, quibus res eximiae in sacramentis latentes velut ob oculos ponantur, et animus spectantium ad sublimium mysteriorum cogitationem erectus ad fidem, spem, charitatem divinorumque venerationem, quae praecipua solidae pietatis argumenta sunt, interius concitetur. Nemini ergo dubitare licet, caeremonias istas et maximi aestimandas, et accurate observandas esse. Nam *Concilium Tridentinum* (3) dicit: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiasticum pastorem mutari posse; anathema sit.* Operae igitur pretium est, ut aliqua de cae-

(3) Sess. 7, can. 13.

remoniis baptismum praecedentibus, aut concomitantibus, aut consequentibus dicantur, ne aut ab ignorantibus vilipendantur, aut a malignis vellicentur.

1. In solemni baptismo vetustissimus est Ecclesiae mos adhibendi *patrinos*, qui etiam *sponsores*, *susceptores*, *fideiussores*, *offerentes*, vel *fidei doctores* a Ss. Patribus vocantur. Mentionem de illis agunt *S. Dionysius* de eccles. Hier. (1), *Tertullianus* de corona mil. (2) *S. Chrysostomus* (3) *S. Augustinus* (4) et alii. *S. Thomas* (5) ostendit congrua ratione, in baptismo, qui spiritualis regeneratio est, debere esse aliquem, qui fungatur vice nutricis et paedagogi, et suscipiat baptizatum de sacro fonte quasi in suam instructionem et tutelam. Monet autem (6), patrinum non esse de necessitate sacramenti, sicut etiam « in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater et mater. Sed ad facilem partum et educationem pueri convenientem requiritur obstetrix et nutrix et paedagogus, quorum vicem implet in baptismo ille, qui puerum de sacro fonte levat » (7). Officia autem patrinorum sunt, baptizandum ministro praesentare, pro baptizando respondere si ipse nequeat, symbolum recitare et satanae abrenuntiare, illum tenere, dum baptizatur, illum de manu baptizantis suscipere, et illum debite in rebus fidei et morum instruere, si parentes id negligant; de qua obligatione loquitur *S. Thomas* ibid. (8): addit tamen: « Sed ubi (baptizati) nutriuntur inter catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari praesumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere: » denique patrini testimonium ferre debent, si opus fuerit, de collatione baptismi. Hac de causa ad patrinorum officium admitti nequeunt infideles non baptizati (9), haeretici (10), schismatici, apostatae, excommunicati, interdicti, infames, amentes et omnes, qui ob rationis defectum huius oneris non sunt capaces et nondum confirmati: quae omnia constant ex Rituali romano. Pariter, « ad hoc munus admitti non debent monachi, vel sanctimoniales vel alii cuiusvis ordinis regularis a saeculo segregati, » ut ait idem Rituale rom. Denique parentes extra necessitatem esse nequeunt suorum liberorum susceptores; aliter cognationem spiritualem invicem contraherent, ob quam ab usu coniugii prohiberentur. Audiatur hac de re *S. Thomas*, qui (11) sic inquit: « Sicuti est alia generatio spiritualis a carnali, ita etiam alius esse debet pater spiritualis a patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat. » Ne autem numerus patrinorum contra usum et praxin Ecclesiae multiplicetur, *Concilium Tridentinum* (12) sapientissime ordinavit, *ut unus tantum, sive vir, sive mulier, iuxta sacrorum canonum instituta vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur.*

2. Infans baptizandus deferendus est ad Ecclesiam, in qua est fons baptismalis, quia, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet,

(1) Cap. 2 et 7 (2) Cap. 3.
(3) Hom. 12 in 1 Cor. 1, 4.
(4) Ep. 98 ad Bonif. (5) 3 p., q. 67, a. 7.
(6) Ibid. ad 2.
(7) Cf. Catech. rom. p. 2, cap. 2, n. 26.
(8) Art. 8.
(9) Cap. *In Bapt.* 102, de Consecr dist. 4
(10) Ibid. cap. *Vos ante*, 105.
(11) 3 p., q. 67, art. 8, ad 2.
(12) Sess. 24, de reform. cap. 2

nisi forte sint Regum aut magnorum principum filii, qui tamen in cappellis seu oratoriis, et cum aqua de more benedicta baptizandi sunt. Non autem statim baptizandus domum Dei ingredi potest, sed primo ad fores Ecclesiae sistere debet; per quod omnibus significatur, baptizandum esse sub potestate diaboli adeoque indignum, ut Ecclesiam ingrediatur, donec immundus spiritus foris exeat. Hac eadem statione ad Ecclesiae ianuam etiam manifestatur, suae miseriae cognitionem primum esse verae resipiscentiae gressum, et humilitatem totius esse vitae christianae fundamentum; ulterius autem requiri, ut quis e statu miseriae, quem agnoscit, emergere velit. Idcirco baptizandus ante fores Ecclesiae interrogatur, quid petat? neque enim caeremoniae baptismi prius suscipiuntur, quam baptizandus per se, vel per patrinos protestetur, se fidem Christi et baptismum suscipere velle.

3. Facta per patrinos protestatione, minister exsufflat in faciem infantis, expellens daemonem his verbis: *Exi ab eo immunde Spiritus, et da locum Spiritui sancto Paraclito.* Insufflationibus significatur non solum expulsio daemonis contempti, sed etiam illapsus Spiritus sancti, cuius virtute potestas tenebrarum frangitur. Adhibentur etiam exorcismi cum precibus ad expellendum daemonem, eiusque vires frangendas, ne impediat baptismi susceptionem et eius effectum. — Antiquissimum esse hunc ritum, patet ex *Tertulliano* de praescript.(1), ex *Dionysio* de eccl. Hier. (2), ex *S. Cypriano* (3), ex *S. Cyrillo Hier.* (4) ex *S. Ambrosio* (5), ex Auctore lib. 1 de sacram. (6) et ex *S. Augustino*, qui de pecc. merit. et remiss. (7) ait: « Quid in parvulo exorcismus meus agit, si in familia diaboli non tenetur? » Et de symbolo (8) scribit: « Ideo parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quae decepit hominem, ut possideret homines. » Insuper de nupt. et concup. (9) hunc ritum « antiquissimam traditionem » appellat, ex qua etiam peccatum originale in parvulis probat. *Caelestinus I* in Ep. ad Episc. Galliae(10) scribit: «Illud etiam, quod circa baptizandos in universo mundo S. Ecclesia uniformiter agit: non otioso contemplemur intuitu, cum sive parvuli, sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras, et quomodo prius alligetur fortis, et deinceps vasa eius diripiantur in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem et dat dona hominibus. » — Consideratis his testimoniis mirum videri debet, quomodo non solum inter Protestantes, sed etiam inter theologos catholicos recentiores nonnulli extiterint, qui exorcismos in baptismate infantium abrogandos esse censuerint. Sic cl. *Dobmayr* Systema theol. cathol. (11) cum de materia et forma baptismi disseruisset, dicit: « Huic ritui, in quo ratio sapientiam et bonitatem Christi laudat, Ecclesia pro potestate sibi tradita plures addidit caeremonias, quae et fine suo et antiquitate veneratione merentur; sunt tamen viri docti et probi, qui reformationem optent. Exorcismus in specie, saeculo III in-

(1) Cap. 4. (2) Cap. 2. (3) Epist. 2 et 7.
(4) Praefat. ad Catech. 1.
(5) L. de initiand. c. 1. (6) Cap. 5.
(7) L. 1, cap. 34 (8) L. 1, c. 1.
(9) L. 2, c. 29. (10) Cap. 1°.
(11) Tom. 7. de bapt. § 256 in fine

troductus, non quidem sapit superstitionem, quod daemon obsideat infantem et vi verborum possit expelli; ast argumento tum historico, tum morali removendus esse videtur, eo quod miseria peccati originalis aliis aptioribus verbis exprimi valeat.» Fallitur perdoctus caeteroquin Auctor, dum exorcismorum usum saeculo III introductum dicit: scriptores enim huius saeculi loquuntur quidem de hoc ritu in Ecclesia consueto, sed nullus dicit, eum tunc demum temporis introductum esse. Solidius profecto de eodem ritu loquitur cl. *Wiest*, qui in sua Demonstr. Dogm. cathol. (1) inquit: « Exorcismus, qui est ritus, quo effectus baptismi indicatur, et addita oratione Deus imploratur, ut frangat et comprimat potestatem diaboli in hominem, quid absurdi continet? — Verum omnino est, quod omnes homines, ut docet Apostolus (2), nascantur filii irae, adeoque potestate diaboli obnoxii, quid ergo prohibet exorcismum facere, tum ad manifestandam Ecclesiae potestatem virtutemque baptismi, tum ut palam fiat, orationis fervore et assiduitate daemonem eiusque potestatem comprimi? » Audiendus est etiam *Chrysost. Trombelli*, qui Tract. de sacram. (3) usum exorcismos in baptismo adhibendi praecipue ex constanti traditione, quam magna eruditione demonstraverat, contra adversarios vindicat dicens: « An enim consensissent Ecclesiae omnes in adhibendo eo ritu, quem inutilem esse putassent? minime vero. An consensissent in adhibendo ritu eo, quem improbum censuissent? cave, id putes. Porro si utilem probamque eam, quam diximus, consuetudinem esse putaverunt Ecclesiae omnes, utilem probamque esse fatearis, necesse est. — Quod si a ratione, non ab auctoritate tantummodo suffragium petis, praesto adest ratio. Nimirum eo ritu testatum facimus, peccato originali pollutas esse animas nostras, ideoque a daemone occupatas possessasque, a qua possessione illum eiicere incipimus, dum puerum ipsum exorcizamus » (4).

4. Extra Ecclesiam porro Sacerdos baptizando manus imponit, eius frontem, oculos, pectus, humeros et aures crucis nota obsignat, sal ori apponit, ac demum imposita stola in Ecclesiam introducit. *Impositio manuum* significat benedictionem Ecclesiae, quae Deum rogat, ut ex baptizando dignum regni sui membrum efficere velit. *Signum crucis* variis corporis partibus applicatur, ut commonstretur, salutares baptismi effectus morti Christi in cruce toleratae adscribendos esse, memoriam propterea immensae huius charitatis filii Dei menti et cordi fidelium alte infixam esse debere, non licere Christianis de cruce Christi erubescere, imo totam Christianorum vitam in cruce et perpetua sui abnegatione sitam esse. *Salis appositione* significatur, baptizandum fidei doctrina et sapientiae discretione esse imbuendum, ut a peccatorum putredine liberetur, saporem bonorum operum percipiat, et divinae sapientiae pabulo reficiatur et delectetur, quatenus baptizandus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, et omnis sermo eius sit sale conditus. *S. Isidorus Hisp.* (5) ait: « Sal in mysterio Catechumenis datus a Patribus ideo est institutus, ut eius gustu condimentum sapientiae percipiant, neque desipiant a sapore Christi, nec sint fatui et retro respi-

(1) Tom. 6, § 189. (2) Ephes. 2, 3
(3) Tom. 2, de bapt. p. *

(4) Cf. Al. Adalb. Waibl. Dogmat. relig. Jesu Chr. Tract. 18, append. n. 10, pag. 198, etc.
(5) Lib. 2 de div. officiis, can. 20.

ciant ut uxor Loth. » Et *Rabanus Maurus* (1) scribit: « Datur sal benedictum in os pueri, ut per sal typicum sapientiae sale conditus hic foetore careat iniquitatis, nec a vermibus peccatorum amplius putrefiat, sed illaesus potius ad maiorem gratiam percipiendam conservetur. » — *Impositio stolae* significat, baptizandum sub protectione Ecclesiae recipi, dignumque censeri, qui coetui fidelium aggregetur: quapropter illico in Ecclesiam introducitur; ut divinorum mysteriorum particeps reddatur.

5. Intra Ecclesiam baptizatus per se, vel per patrinos recitat *symbolum apostolicum* et *orationem dominicam*. Oportet enim Christianum omnia credere, quae Christus revelavit; haec autem in symbolo apostolico quasi in nucleo continentur. Ut autem non solum fidem concipiat firmam, sed eidem vitam quoque conformem reddat, gratia indiget divina, quam per orationem et praecipue per orationis formulam a divino Redemptore ipso traditam impetrare debet. — Facta oratione, *aures* et *nares* baptizandi *saliva* Sacerdotis *liniuntur* sub his verbis: *Ephpheta, hoc est, adaperire:* ut quemadmodum caecus evangelicus luto a terra et saliva confecto lumen recuperavit, sic intelligamus, eam sacrae ablutionis vim esse, ut menti ad divina perspicienda lumen afferat. Hinc *S. Ambrosius* (2) repetita evangelica historia, ubi dicitur: *Ephpheta, quod est adaperire*, inquit: « Ideo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuae ad sermonem, nares, ut bonum odorem percipias pietatis aeternae, ut cum Apostolo dicas: *Christi bonus odor sumus*, et sit in te fidei devotionisque plena fragrantia. » Et *Hugo Victorin.* (3) scribit: « Deinde tanguntur aures et nares cum saliva, quae quoniam a capite descendit, supernam signat sapientiam: cuius tactu et aures cordis aperiuntur ad intelligendum verbum Dei, et nares cordis, ut sentiant fragrantiam unguentorum Christi, et dicat cor eam sentiens: *In odorem unguentorum tuorum currimus.* »

6. His peractis defertur aut deducitur baptizandus ad fontem baptismalem, et Sacerdos ter ipsum interrogat: *Abrenuntias Satanae et omnibus operibus eius, et omnibus pompis eius?* cui ille, vel patrinus eius nomine respondet ad singulas interrogationes: *abrenuntio*. Pollicetur ergo baptizandus, se diabolum et mundum deserere, seque omni tempore utrumque tanquam hostem aversaturum esse; frustra enim iugo se subiiceret christianae legis, qui mundi et diaboli non excuteret servitutem. De hac abrenuntiatione frequenter loquuntur Ss. Patres, illamque Christianis in mentem revocant, ut istos a periculis et pompis mundi retrahant, contra insidias diaboli praemuniant, et ad vitam sancte agendam impellant, ut *Tertullianus* (4), *Clemens Alex.* (5), *S. Cyrillus Hier.* (6), *S. Chrysostomus* (7); *S. Ambrosius* lib. de iis, qui myster. init. (8) dicit: « Ingressus es regenerationis sacramentum, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo et angelis eius, mundo et luxuriae eius ac voluptatibus, tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. » Et *S. Augustinus* (9) ait: « Diabolo vos renuntiare professi estis: in qua professione non hominibus, sed Deo

(1) Lib. 1, de instit. Cleric. cap. 27.
(2) Lib. 1, de sacram. c. 1.
(3) Lib. 1, de sacram. fid. cap. 18.
(4) De spectaculis, c. 1.
(5) Lib. 1, Paedag., c. 6.
(6) Catech. 1, mystag.
(7) Hom. 21 ad populum Antioch.
(8) Cap. 2. (9) Lib. 4 de symb. c. 1.

et Angelis eius conscribentibus dixistis: *Renuntio*. Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus, non tantum sono linguae, sed etiam actu vitae. — Scitote, vos cum callido, antiquo et veternoso inimico suscepisse certamen: non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, ne iure vos attrahat in servitutem suam. Fidelis in nomine, aliud demonstras in opere, non tenens promissionis tuae fidem. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti? Noli te fallere: odit enim tales Deus, nec inter suos deputat professores, quos cernit vitae suae desertores. »

7. Facta renuntiatione baptizandus *ungitur oleo sacro*, dicto *Catechumenorum*, in pectore et scapulis quasi athleta: in pectore ad recte credendum et sancte cogitandum, in scapulis ad Christi iugum fortiter portandum, et bona opera exercenda. Antiquissimam esse hanc consuetudinem ante baptismum corpus baptizandi oleo ungendi patet ex Constitutionibus apostolicis; nam l. 7, cap. 23 praescribitur: « Unges eum prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua, » et cap. 43 dicitur: « Hoc oleum ab Episcopo benedicitur in remissionem peccatorum et praeparationem baptismi. Sic enim invocat Deum, ut sanctificet oleum in nomine D. N. I. Christi, et tribuat ei gratiam spiritalem, et vim efficientem, et remissionem peccatorum et praeparationem confessionis baptismi, ut is, qui ungitur, remissa omni impietate, dignus baptismo secundum Unigeniti praeceptum efficiatur. » De eadem unctione agunt *Dionysius* de Eccl. hier. (1), *Tertullianus* c. Marcion. (2), *S. Cyrillus Hier.* (3), *S. Basilius* (4), qui huiusmodi caeremoniam ab apostolica traditione deducit, *S. Chrysostomus* (5), *S. Hieronymus* (6), et *S. Ambrosius* (7), dicens: « Venimus ad fontem, ingressus es. — Occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter: unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen saeculi huius luctaturus: professus es luctaminis tui certamina: qui luctabitur, habet quod speret: ubi certamen, ibi coronam. »

8. Post unctionem Sacerdos *stolam violaceam commutat in albam;* color enim violaceus, qui in Ecclesia commune est poenitentiae ac tristitiae signum, statum indicat peccati, in quo homo natus est; color vero albus, signum innocentiae et laetitiae, significat iustitiae et gratiae statum, in quem per baptismum transfertur. Baptizatus interrogatur deinde a Sacerdote: *Credis in Deum* etc., cui ille respondet: *Credo;* ut solemniter fidem profiteatur, quae est salutis exordium et sperandarum substantia rerum. Petit postea Sacerdos a baptizando, num baptizari velit; qui per se, vel per patrinum expressam suscipiendi baptismatis voluntatem aperire debet, quia sicut homo voluntarie serpenti obediendo damnatus est, ita Deus neminem vult suae adscribi militiae nisi volentem, ut divinam legem sponte servans vitam consequatur aeternam. Tunc demum baptismus confertur, in cuius administratione iuxta hodiernam disciplinam aqua super caput baptizandi in forma crucis effunditur, ut ostendatur, saluberrimos baptismi effectus illi sacrificio adscribendos esse, quod Christus in ara crucis obtulit.

9. Baptismo absoluto, Sacerdos *verticem baptizati chrismate inungit*, ut intelligat baptizatus se Christia-

(1) Cap. 2. (2) L. 1, c. 14.
(3) Catech. 2. (4) Lib. de Spir. S. c. 27.
(5) Hom. 6 in cap. 2, Epist. ad Coloss.
(6) In cap. 2 Ierem.
(7) Lib. 1 de sacram. c. 2.

num esse, Christo (a chrismate seu unctione sic dicto) coniunctum. Hac etiam unctione significatur iugis Christi suavitas, qua victricis gratiae delectatione omnis praeceptorum difficultas mollitur; cui enim Christus, aeterna sapientia dulcescit, mundi gloria vel carnis voluptatibus non seducitur; cui Christus, summa veritas lucescit, spiritu mendacii et erroris non decipitur; quem virtus Dei Christus confortat, nullis adversitatibus fatigatur. Recte ergo caput Christiani ungitur, cui coelestis suavitas instillatur, cui nomen Christi Iesu lucet praedicatum, quem pascit recogitatum, quem lenit et ungit invocatum. Praecipue vero per unctionem praefatam significatur, baptizatum ad *genus electum*, ad *regale sacerdotium*, ad *gentem sanctam* et *populum acquisitionis* pertinere (1). — Ideo *S. Ambrosius* (2) scribit: « Post haec ascendisti ad sacerdotem: considera, quid secutum sit: nonne illud, quod ait David: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* (3). Hoc est unguentum, de quo Salomon ait: *Unguentum exinanitum est nomen tuum; propterea adolescentulae dilexerunt te et attraxerunt te* etc. (4). Omnes in regnum Dei et sacerdotium ungimur gratia spiritali. » Et alibi (5) addit: « Credentes in Patrem et Filium et Spiritum sanctum recipimur et demergimur et resurgimus, hoc est, resuscitamur. Accipis autem mysterium, hoc est, unguentum supra caput: quare supra caput? quia *sensus sapientiae in capite eius* (6), Salomon ait. » Et *S. Prosper* (7) inquit: « Christi nomen a chrismate, id est, ab unctione: quia ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se non solum sacerdotalis, sed et regiae dignitatis esse consortem, atque etiam contra diabolum fieri luctatorem. »

10. Sequitur postea *candidae vestis amictum*, quo baptizatus induitur, ut et peccatorum omnium ablutio, et innocentiae restitutio, et immaculatae in posterum vitae ducendae obligatio, et futurae resurrectionis gloria baptizatis promissa significentur. Qua de re praeclare loquitur *S. Cyrillus Hier.* (8) dicens: « Exutis vestibus antiquis, et iis, quae sunt secundum spiritum albae, indutis, perpetuo iam in albis incedere oportet. Non hoc ideo dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere sit necesse: sed quod his, quae vere alba, splendida et spiritualia sunt, vestiri te oporteat. » *S. Ambrosius* (9) ait: « Accepisti post haec vestimenta candida, ut esset iudicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiae casta velamina, de quibus dixit Propheta: *Asperges me hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor*» (10). *S. Gregorius M.* (11) dicit: «Et vestitur infans, dicente presbytero: Accipe vestem candidam et immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal D. N. I. Christi, ut habeas vitam aeternam. Amen. »

11. *Cereus accensus*, qui baptizato aut eius patrino traditur, symbolum est doctrinae christianae, quae ignorantiae et errorum tenebras repellit, intellectum illuminat, ad veritatis cognitionem perducit, et in viam salutis dirigit iuxta illud Prophetae: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (12). Per cereum

(1) I Petr. 2, 9.
(2) Lib. 1 de his, qui initiant. cap. 6.
(3) Ps. 132, 2 (4) Cant. 1, 2.
(5) Lib. 3 de sacram. cap. 1.
(6) Eccle. 2, 14.
(7) In sent. S. August. sent. 342.
(8) Catech. 5 mystag. (9) L. c. cap. 7.
(10) Ps. 50, 9. (11) In lib. sacram. de bapt
(12) Ps. 118, 105.

accensum monetur etiam Christianus, ut virginibus illis fatuis non sit similis, quae extincta lampade, id est, charitatis flamma, a ianua sponsi repulsae sunt; sed potius bonorum operum luce et calore virtutes in se foveat, et bono exemplo etiam in aliis promovere studeat, iuxta praeceptum Christi: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (1).

12. Ad extremum vero, *nomen baptizato imponitur*, quod ex sanctorum syllabo desumendum est, tum ut Sancti illius patrocinium impetretur, tum ut baptizatus ad eiusdem Sancti virtutes aemulandas excitetur. Et certe reprehendendi sunt, qui gentilium nomina pueris imponunt. *Gregorius XIII* ita in suo Rituali Parocho praecipit: « Et quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis et in eius militia adscribendis nomen imponitur, curet, ne obscaena, fabulosa aut ridicula vel inanium Deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponat; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. » Pius et doctus *Contensonius* in Theol. mentis et cordis (2) graviter iis succenset, qui nomen Sancti in baptismate sibi ab Ecclesia impositum repudiant, ut aliud assumant. « Addantur, inquit, si placet, baptismali nomini alia ad libitum vel devotionem: sed traditum ab Ecclesia matre nomen ne flocci faciamus: sit nobis carum pignus illud maternae Ecclesiae pietatis, illius potissimum intercessionibus confidamus, cuius nos clientelae Ecclesia commisit, quem nobis dedit amicum, tutorem et patrem, cui bona nostra commisit, et eius mandavit fidei »(3).

(1) Matth. 5, 16. (2) Lib. 11, p. 1, Diss. 3, cap. 1 in fine, Spec. 3.

Usus doctrinae de baptismo.

§ 551. 1. Considerantes baptismi vim et dignitatem, gratias Deo, bonorum omnium fonti, maximas agamus pro institutione sacri huius lavacri, quo a peccato haereditario mundamur, spiritualiter regeneramur, atque in filios et haeredes Dei adoptamur. Magnum Dei beneficium est, quod nos in hunc mundum nasci voluit; sed longe maius beneficium est, quod vix in lucem editi ex aqua et Spiritu sancto renati sumus, et in fidelium societatem, in veram nempe Ecclesiam recepti, in qua nobis recta ad aeternam beatitudinem via patet. Neque hanc gratiam ullo modo promeriti sumus, sed cum peccatores essemus, secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et praemillibus eorum, qui in massa perditionis relicti fuerunt, electi, abluti, sanctificati et iustificati sumus. Vere igitur dignum et iustum, aequum et salutare est, excelsi huius beneficii nos semper memores esse, divinoque benefactori fervidas continuo gratias agere. Merito igitur *S. Zeno* Veron. ad Neophytos post baptismum (4) exclamat: « Salvete hodie nati, fratres in Christo, acceptaeque indulgentiae regale beneficium diligenter, fortiter ac fideliter custodite... Vetus enim homo vester feliciter condemnatus est, ut absolveretur, sacris gurgitis unda sepultus est, ut sepulcri nido vivificatus resurrectionis iura gustaret. O magna providentia Dei nostri!... Beatus est, semper qui meminit, quod renatus sit; beatior, qui non meminerit fuisse ante, quam renatus sit;

(3) Cf. Catech. rom. p. 2, c. 2, n. 76.
(4) Serm. 4.

beatissimus, qui infantiam suam provectu temporis non mutaverit. »

2. *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo: et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo* (1), verba sunt Christi, quae clare ostendunt, eo perfectiorem ab homine sanctitatem requiri, quo maiores gratias percepit. Dubitare ergo non licet, ad maximam nos sanctitatem obligari, qui per baptismum e captivitate daemonis erepti, et in sinum matris Ecclesiae translati, a peccatis soluti et gratia sanctificante ornati sumus. Idcirco Paulus baptizatis acclamat: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus... Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma iustitiae Deo* (2). Memores simus, quod baptizati sumus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, atque hinc Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum verum Deum credere, eum colere, ab eo omnia ad huius et futurae vitae felicitatem pertinentia sperare, ac in sancto timore et amore illi soli servire studeamus. Ad quam vitae sanctitatem ut baptizatum permoveat, *S. Gregorius Naz.* (3) praeclare exponit, hominem in baptismo sicut Lazarum ex sepulcro evocari, sicut leprosos mundari, sicut aegros sanari, sicut caecos, surdos, mutos, visum, auditum et recte loquendi facultatem accipere etc.', ac denique (4) concludit: « Si Christum totum admiseris, universas ipsius curationes, quibus singillatim unusquisque ad sanitatem revocatus est, in animam tuam congeres. Illud modo caveas, ne gratiae mensuram ignores, neve tibi somno dedito ac male securo zizania hostis superseminet. Illud modo provideas, ne paritate tua diaboli invidiam subiens, teipsum rursus per peccatum miserabilem reddas. Illud modo attendas, ne propter bonum opus effusiori laetitia gestiens atque immodice elatus corruas, dum in altum efferaris. Illud modo cures, ut purgationem summo studio excolere nunquam intermittas, ascensiones in corde tuo disponens, atque acceptam Dei beneficio et gratia veniam cura et diligentia tuearis, ut peccatorum quidem tuorum remissio a Deo proficiscatur, verum remissionis conservatio ex te quoque sit. »

3. Ut ad vitae sanctitatem impellamur, frequenter in memoriam revocare debemus, quid in baptismo spoponderimus, quibus rebus nuncium miserimus, cui militiae nomen dederimus, quibus praeceptis obedire polliciti simus. Cuique igitur nostrum Propheta regius acclamat: *Redde Altissimo vota tua* (5). Nam si fidem homini datam fallere est nefas, quanto magis eam, quam Deo ipsi ante aras publica testificatione hominibus atque Angelis spectantibus dederis? Sane infideli deterior est, qui christianae professioni, cui solemni sacramento caput devovit, vitae et morum testimonium negat. Merito igitur cuilibet baptizato inculcatur

(1) Luc. 12, 48 (2) Rom. 6, v. 4. 9, etc.
(3) Orat. 40. (4) Orat 40, n. 34.
(5) Ps 49, 14.

monitum Spiritus sancti : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcunque voveris, redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere* (1). Ex quibus verbis facile cognoscitur, quanti momenti sit, ut promissiones in baptismo factae non solum frequenter considerentur, sed etiam fideliter adimpleantur. Quamobrem laudabilis plane et omni acceptione dignus est piorum illorum Christianorum mos, qui singulis annis anniversario sui baptismatis die, aut etiam in festis Paschatis, Pentecostes, SS. Trinitatis etc. renovantur spiritu mentis suae, et ea corde recolunt et de integro repetunt, quae in baptismate receperunt. Ad implenda christiana officia non nova quidem se obligatione adstringunt, sed antiquae, qua obstricti sunt, reminiscuntur, eam novo fervore concipiunt, sinceram Deo vero serviendi voluntatem conceptam confirmant; et memoriam abundantiae divinae suavitatis in seipsos per baptismum abunde effusae eructantes, ita se voluntate comparant, ut si nondum essent per baptismi vota Deo ligati (unde et religio nomen accepit), si nondum fluxis saeculi pompis renuntiassent, Deo se totos devoverent, mille pro Dei amore mundis valedicerent. His moriger esto, christiane lector, et felici votorum baptismi necessitate te in meliora compelle, et cave, ne turpi sensualitate aut animi levitate abreptus eorum aliquid resumas, quae renuntians abiecisti.

4. Circa baptismum maxima profecto officia pastoribus animarum incumbunt. Ad hoc nempe maxime necessarium sacramentum conferendum promptissimi accurrere, praescriptas caeremonias exacte et cum sancta gravitate observare, omnemque praecipue diligentiam adhibere debent, ut debito modo materiam applicent, eamque cum forma coniungant, actualem intentionem quae semper optima est, in corde excitantes. Praeterea ad animarum curatores spectat, populo tum necessitatem baptismi, tum saluberrimos eiusdem effectus ostendere et obligationes explicare, quae tum ex gratiis in baptismo acceptis, tum ex promissionibus factis derivantur. « Nam, ait *Catechismus rom.* (2), si quis diligentius Apostolum (3) legerit, sine dubitatione ita statuet, perfectam baptismi cognitionem a fidelibus magnopere requiri : adeo non solum frequenter, sed gravibus verbis et spiritu Dei plenis eius mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri mortem, sepulturam et resurrectionem nobis ante oculos tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit. Quare pastores nunquam se satis multam operam et studium in huius sacramenti tractatione collocasse arbitrentur. » Necesse pariter est, ut curatores animarum fidelibus sacras explicent caeremonias, quae in baptismo solemni adhibentur. Ecclesia enim divinitus inspirata sacras caeremonias adhibet, ut sancta sancte tractentur, ut mysteria religionis maiori honore habeantur, ut mens in Deum dirigatur, intellectus exerceatur, memoria divinarum rerum imaginibus impleatur, affectus inflammetur. Haec intendit Ecclesia : sed in filiis suis rituum significationem non intelligentibus nequaquam obtinet. « Nam, iterum dicit *Catechismus rom.* (4), quod Apostolus de dono linguarum admonuit,

(1) Eccle. 5, 3, etc. (2) P. 2, c. 2, n. 1.
(3) Rom. 6, 3, etc.; I Cor. 6, 11; ibid. 12, 13; Gal. 3, 27; Eph. 5, 27.
(4) Ibid. n. 60.

cum dicit (1) sine fructu esse, si, quae aliquis loquitur, a fidelibus non intelligantur; idem fere ad ritus et caeremonias transferri potest: imaginem enim et significationem earum rerum praeseferunt, quae in sacramento geruntur. Quod si illorum signorum vim et potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum caeremoniarum utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur pastoribus opera, ut eas fideles intelligant, certoque sibi persuadeant, si minus necessariae sint, plurimi tamen faciendas magnoque in honore esse oportere. Id vero tum instituentium auctoritas, qui sine controversia Ss. Apostoli fuerunt; tum finis, cuius causa caeremonias adhiberi voluerunt, satis docet. Ita enim sacramentum maiori cum religione ac sanctitate administrari, ac veluti ante oculos poni praeclara illa, et eximia dona, quae in eo continentur, et in animos fidelium immensa Dei beneficia magis imprimi, perspicuum est.»

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONE

§ 552. 1. Roborandis renatis fonte baptismatis, teneris illis quidem et delicatis, adhibetur Confirmationis sacramentum, per quod fortes reddantur ad Christi fidem intrepide propugnandam, et ad vitam sanctam, non obstantibus innumeris periculis et tentationibus, constanter agendam. Sicut enim genuit nos Deus verbo vitae in lavacro regenerationis, ita, teste Apostolo, *confirmat nos Deus* (2), per secundum N. L. sacramentum, quo ad testificandam fidem adversus infideles, ad vivendum ex fide adversus tentationes munimur, et sacri unguenti perfusione consecramur. Convenienter igitur post baptismum de confirmatione ordine doctrinae et consequutione materiae disserimus.

2. *Confirmatio* definiri solet sacramentum novae legis, quo baptizatis gratia sanctificans augetur, et additur robur Spiritus sancti tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam strenue profitendam. Convenit ergo confirmatio cum reliquis sacramentis vivorum, quia per eam gratia sanctificans augetur; distinguitur autem, quia per illam speciale Spiritus sancti robur confertur, ut baptizati tentationibus contra fidem irruentibus viriliter resistant, eandemque fidem, spretis minis et blanditiis saeculi, data occasione, libere profiteantur et strenue exerceant. — Insignitur autem hoc secundum N. L. sacramentum *nomine Confirmationis* a primario suo effectu, qui est spiritualis corroboratio ad fidem Christi strenue et intrepide profitendam. « Neque enim, ait *Catechismus rom.* (3), ut quidam non minus imperite, quam impie finxerunt, confirmationis vocabulum ab eo deducitur, quod olim infantes, qui baptizati erant, cum iam adulti essent, ad Episcopum adducebantur, ut fidem christianam, quam in baptismo susceperant, confirmarent; ita ut confirmatio nihil a catechesi differre videatur: cuius consuetudinis nullum probatum testimonium afferri potest; sed ab eo nomen rei impositum est, quod huius sacramenti virtute Deus in nobis (4) id confirmat, quod baptismo operari coepit, nosque ad christianae soliditatis perfectionem adducit. »

3. Hoc sacramentum antiqui Patres multis variisque nominibus designare solent. A materia vocatur *impositio manuum* apud *S. Cyprianum* (5), *S.*

(1) I Cor. 14, 14. (2) 2 Cor. 1, 21.
(3) P. 2, cap. 3, n. 21.
(4) Ps. 67, 27.
(5) Ep. 73 ad Iubai.

Hieron. (1), *S. Augustin.* (2): *Sacramentum chrismatis* et *unctionis* apud eundem *Augustin.* (3) : *Unguenti mysterium* apud *Dionys.* (4): *Chrisma spiritualis unguenti* apud *Theodoret.* (5): *Chrisma sanctum et supercaeleste* in *Conc. Laodiceno* (6): *Chrisma salutis* apud S. Leonem (7). — Ratione signi crucis, quae supra frontem teritur, vel characteris in anima impressi nuncupatur *sigillum, signaculum spiritale, dominicum, regium* etc. a *Cornelio* R. P. (8), a *S. Cypriano* (9), a *S. Ambrosio* (10), a *S. Leone* (11), et a Graecis passim. Denique ratione effectuum dicitur *perfectio* a *Concilio Eliberitano* (12), *consummatio* a *S. Cyrillo Alex.* (13): *perfectrix unctio et consummatio* a *S. Dionysio* (14): *Sacramentum plenitudinis gratiae* a *S. Thoma* (15). Errant autem, qui asserunt, confirmationis nomen antiquis in usu non fuisse. Nam huius nominis vestigium occurrit apud *S. Irenaeum* c. haer. (16), quod quamvis usurparetur a Valentinianis, satis ostendit, in Ecclesia pariter viguisse, cum haeretici plura soleant ab Ecclesia, a qua discedunt, secum ferre. Occurrit idem nomen in Constitutionibus apost. l. 3, c. 17, ubi dicitur: « Chrisma confirmatio est confessionis; » nempe baptismi, de quo agitur cap. praec. Idem sacramentum *confirmatio* nominatur a *S. Ambrosio* lib. de Myster. (17), a *S. Eucherio* Lugdun. Homil. in Pentec., a *S. Isidoro* Hispal. de eccl. offic. (18), et a *S. Gregorio M.* in sacrament. de die Sabb. sancti.

4. Ut doctrina catholica de confirmatione plene intelligatur, 1° *veritas huius sacramenti a Christo instituti* evincenda, et 2° de eiusdem *materia et forma*, 3° *de eius ministro*, ac 4° de illius *effectibus, necessitate, subiecto* et *caeremoniis* agendum est.

(1) Dial. adv. Lucif.
(2) L. 6 de bapt. c. 12, n. 18.
(3) Lib. 2, c. Litt. Petil. c. 104.
(4) Eccles. Hier. c. 4. (5) In Cant. 1.
(6) Can. 7 et 48
(7) Serm. 4 de Nativit. Dom. c. 5.
(8) Epist. ad Fabium Antioch.
(9) Ep. 73, ad Iubai. (10) L. de Myst. c. 7.

ARTICULUS I.

De veritate sacramenti confirmationis.

§ 553. Inter veteres haereticos nullus confirmationem e sacramentorum numero expunxisse legitur. *Valentiniani* quidem, ut refert *S. Iren.* (19), sicut alia dogmata corruperunt, sic et confirmationem superstitiosis ritibus temeraverunt; veritatem tamen sacramenti agnoverunt. *Novatiani* quoque confirmationem, quam ipsorum auctor post baptismum non percepit, parvipenderunt quidem et neglexerunt, sed rationem sacramenti ei non denegarunt. De Novatianis nempe sic scribit *Theodoretus* (20): « Iis, quos baptizant, sanctissimum chrisma non praebent. Quapropter eos, qui ex hac haeresi corpori Ecclesiae coniunguntur, laudatissimi Patres inungi praeceperunt. » *Bellarminus* inter eos, qui reiecerunt sacramentum confirmationis (21), numerat *Waldenses* et *Wicleffitas;* ast Historici coaevi et proxime sequentes ipsos huius erroris non arguunt, et cl. *Bossuet* Hist. Variat. (22) ostendit, illos haereticos agnovisse septem sacramenta, ideoque et confirmationem. — Protestantes igitur omnium primi cohaerenter ad suum systema de iustificatione, cum sacramentis reliquis, praeter baptisma et eucharistiam, confirmationem etiam reiece-

(11) Serm. 4 de Nativ. Dom. (12) Can. 38.
(13) In Ioël. 2, 23. (14) Eccles. Hier. c. 4.
(15) 3 p., q. 72, art. 1 ad 2.
(16) L. 1, cap. 21. (17) Cap. 7.
(18) L. 2, cap. 26.
(19) L. 1, c. haer. cap. 21, n. 3.
(20) L. 3, haeret. fabul. c. 5.
(21) De confirm. cap 1, n. 4 (22) L. 11.

runt. *Lutherus* lib. de captiv. babyl. negat, confirmationem esse sacramentum, illam dicens caeremoniam, « similem caeteris caeremoniis consecrandae aquae, aliarumque rerum.» *Melanchthon* in Loc. commun. dicit: « Confirmatio olim fuit exploratio doctrinae, in qua singuli recitabant summam doctrinae, et ostendebant, se dissentire ab ethnicis et haereticis... postea fiebat publica precatio, et Apostoli imponebant eis manus, et donabantur manifestis donis Spiritus sancti; sed nunc ritus confirmationis, quem retinent Episcopi, est prorsus otiosa caeremonia.» *Calvinus* (1) ait: « Posterior aetas fictitiam nescio quam confirmationem pro Dei sacramento posuit; » et in Antid. *Conc. Trid.* (2) eandem vocat, « otiosam caeremoniam inter exitiales satanae praestigias numerandam. » Eodem modo alii Protestantes, ac imprimis *Io. Dallaeus, Franc. Buddeus, Samuel Basnagius* etc., confirmationem sacramentis adnumerare renuunt, eamque blasphemis vocibus lacerare non erubescunt. Adversus Protestantes igitur probandum est, confirmationem esse verum N. L. sacramentum a Christo institutum. Probatur autem hoc dogma catholicum ex duplici revelationis fonte, nempe ex *S. Scriptura* et ex *Traditione*.

I. *Argumentum biblicum.*

§ 554. Quamvis institutio sacramenti confirmationis a Christo peracta conceptis verbis in Evangeliis non legatur, eadem tamen *ex praeclaris divini Redemptoris promissionibus* recte colligitur, et *ex praxi Apostolorum* ac *eorundem doctrina* certo probatur.

1. Christus persaepe Apostolis Spiritum sanctum promisit, non solum ut veritates revelatas infallibiliter cognoscerent et docerent, sed etiam ut ad recte agendum, ad aerumnas patienter perferendas et ad fidem intrepide profitendam roborarentur. Ideo dixit: *Ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (3); et: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae* (4). Haec promissio Christi adimpleta est in die Pentecostes, ubi: *Apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis, sedit que supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu sancto* (5). Paraclitus autem Spiritus sanctus non solum eos docuit omnem veritatem, ut in proponenda doctrina Christi aberrare non possent; nec eis tantum donum linguarum, miraculorum etc. concessit, quod ad propagandam religionem necessarium erat; sed etiam gratias gratum facientes eis tam abunde impertivit, ut, qui antea variis contaminabantur defectibus et nihil adversi perferre volebant, vitam sanctam et immaculatam agerent, omnes persecutiones fortiter tolerarent, imo: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* (6). Vere igitur ad profitendam fidem roborati et virtute solemniter confirmati sunt. — Ast Iesus Christus eundem Spiritum sanctum, quem daturus erat Apostolis, etiam reliquis fidelibus disertis verbis promisit. Legitur enim Io. VII, 37 etc.: *In novissimo autem die magno festivitatis*, tabernaculorum scilicet, quo Iudaei ex certo loco aquas haurire solebant, seque ibidem

(1) Lib. 4, Instit. c. 24, § 5.
(2) Ad can. 1 de confirm.
(3) Luc. 24, 49. (4) Act. 1, 8.
(5) Act. 2, 3. etc. (6) Act. 5, 41.

(ut habetur in Talmud. lib. 2 tract. Succah), iuxta verba Is. (1), Spiritum sanctum haurire arbitrabantur, *stabat Iesus et clamabat dicens: Si quis sitit*, id est, dona Spiritus sancti ad veram iustitiam sectandam desiderat, *veniat ad me*, id est, fiat meus discipulus, *et bibat*, id est, dona Spiritus sancti largiter excipiat. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae;* quibus verbis Christus comparat animam donis Spiritus sancti et fide plenam fontis receptaculo, cuius amplitudo seu capacitas, sicuti *venter*, abundantius undique aquas effundit; ac ideo docet, talem animam aquis gratiarum vivis ita repleri, ut in iustitia confirmetur, et in sanctitate continuo crescat. Addit demum Evangelista v. 39: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus;* his autem verbis praenuntiabat Christus plenitudinem Spiritus sancti, quem accepturi erant non solum Apostoli, sed omnes, quicunque crederent in eum, postquam per resurrectionem et ascensionem in coelum glorificatus fuerit. — Haec autem magnifica promissio non potest intelligi de gratiis ordinariis ad omne opus supernaturaliter bonum necessariis, quoniam istae etiam ante Christi glorificationem concedebantur; neque illa intelligi potest de gratiis gratis datis, quae, teste Apostolo (2), non omnibus fidelibus impertiuntur: ergo intelligi debet de speciali gratia Spiritus sancti, qua sicut Apostoli, ita et reliqui credentes virtutem supervenientis Spiritus sancti accipiant, ut digni fiant pro nomine Iesu testes, seu, ut fidem intrepide profiteantur. Nulla quidem in adducta promissione mentio fit de signo externo, per quod gratia illa specialis credentibus conferatur; sed hanc collationem fieri per signum visibile a Christo institutum, recte colligitur ex eo, quia etiam Apostoli sub signo sensibus subiecto Spiritum sanctum acceperunt, quia gratia quoque prima, seu sanctificans per signum externum in baptismate confertur, et quia talis collatio tum indoli Ecclesiae, quae est societas visibilis et externa, tum genio hominum, qui ex corpore et anima constant, maxime est accommodata. Quamobrem valde nobis acceptum esse debet, si in aliis Scripturae locis, vel in Traditione, altero revelationis fonte, nobis signum illud externum manifestetur, per quod ex Christi institutione specialis Spiritus sancti gratia confertur (3).

2. Apostoli per signum externum iis, qui recta fide imbuti baptismum receperant, Spiritum sanctum conferebant. Act. VIII, 14 etc., legitur: *Cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super eos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Ita etiam Paulus fideles, quos Ephesi invenerat, primum baptizavit, ac deinde eis manus imposuit, ut acciperent Spiritum sanctum. Legitur enim Act. XIX, 15: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.* In hoc ritu ab Apostolis suscepto omnia

(1) Cap. 12, 3. (2) I Cor. 12, 29, etc. (3) Cf. Dobmayr t. 7, § 266; Schwetz, t. 3, § 62.

requisita ad sacramentum constituendum occurrunt. Adest enim signum sensibile scilicet *oratio* et *manus impositio*. Adest etiam *collatio gratiae*, quia per orationem et manus impositionem fideles accipiebant Spiritum sanctum. At nemo est in Ss. Litteris vel tantisper versatus, qui nesciat, per Spiritum sanctum, si ab hominibus accipi dicatur, intelligi gratiam sanctificantem, cuius productio et augmentum per quamdam appropriationem Spiritui sancto tribuitur. Dum ergo fideles, qui utpote baptizati gratia sanctificante iam ornati erant, Spiritum sanctum accepisse dicuntur, id intelligendum est de augmento gratiae sanctificantis, seu de speciali gratia illa, qua perficiebantur et in fide confirmabantur. Denique *a Christo Domino institutum esse* hunc ritum, ex facto et exemplo Apostolorum constat; solus enim auctor et dominus gratiae efficere potest, ut per signum externum gratia interna non solum significetur, sed et producatur. Ne itaque dicatur (quod Protestantes ipsi admittere nequeunt) Apostolos sibi potestatem arrogasse, quam a Christo non acceperant, adseverandum omnino est, ipsos ex institutione et praecepto Christi praefatum ritum suscepisse; quod ex ipsa solertia confirmatur, qua Petrum et Ioannem Samariam miserunt, ut baptizatis manus imponerent.

3. Paulus non obscure variis in locis in memoriam fidelium specialem illam gratiam revocat, quam in confirmatione receperunt et qua in fide roborati sunt. II Cor. I, 21 etc., scribit: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris;* quae verba multi quidem de solis Apostolis dicta esse volunt, ita ut eorum sensus sit: Deus est, qui nos inter vos confirmat suos Apostolos et in Christi ministros; ipse est, qui nos unxit spiritu suo, qui et nos signavit per sua charismata, et qui dedit in cordibus nostris Spiritum sanctum, arrhabonem promissionum suarum. — Ast, quia v. 20 in genere de promissionibus a Christo factis loquitur, et summam eius in illis adimplendis fidelitatem laudat, recte etiam verba subsequentia de gratia Spiritus sancti non solis Apostolis, sed et reliquis fidelibus communicata intelliguntur, praesertim cum ipse Apostolus dicat: *Qui confirmat nos vobiscum*. Ita *S. Chrysostomus* verba Apostoli exponit (1) dicens: « Hoc ipsum, quod vos firmi atque immobiles statis, non a nobis, sed Dei beneficium est. *Qui enim confirmat vos*, inquit, *Deus est*. Non ergo nos sumus, qui vos fulcimus... Quid autem est: *Qui unxit et signavit?* — hoc est, qui Spiritum dedit, per quem utrumque horum effecit, nimirum simul et prophetas, et sacerdotes, et reges efficiens: siquidem haec hominum genera olim ungebantur. At nos non unam sed tres istas dignitates praestantiori conditione obtinemus. » Quod si citata Pauli verba de solis Apostolis intelligantur, in loco tamen parallelo ad omnes fideles extenduntur: idem enim Apostolus ad Ephes. scribit: *In quo* (Christo) *et vos - credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae* (2). Sicuti autem fideles post baptismum per manus impositionem Spiritum sanctum accipere dicebantur, ita merito citata Pauli verba non tam de baptismo, quam potius de confirmatione intelliguntur. De eadem speciali Spiritus sancti

(1) Hom. 3 in Ep. 2 ad Cor. n. 4 et 5.

(2) Cap. 1, 13, etc.

gratia idem Apostolus sat manifeste loquitur, dum scribit : *Impossibile est enim, eos, qui semel illuminati sunt* (id est, baptizati), *gustaverunt etiam donum coeleste et* (per manuum impositionem) *participes facti sunt Spiritus sancti... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam* (1): per quae verba, ut observat S. *Chrysostomus*, Apostolus non quidem negat, apostatas seu lapsos in gravia crimina, per poenitentiam Deo reconciliari posse; sed negat, eos renovari, seu in illum felicissimum statum reduci posse, quem per baptismum et confirmationem consecuti fuerant. Vere autem de his duobus sacramentis sermonem esse, patet ex eo, quia ibid. (2) Apostolus meminit *baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum:* quae verba exponens ipse *Rosenmüller* fatetur, hic recenseri ab Apostolo impositionem manuum, quae sit symbolum donorum Spiritus sancti, quae promissa et data sunt Christianis.

Nota. Praecipuae, quas Protestantes argumento biblico opponunt, difficultates sunt sequentes:

Obi. I. Spiritus sanctus, qui per manuum impositionem Apostolis dabatur, non erat interior gratia sanctificans, sed tantum exterior collatio donorum, scilicet linguarum, prophetiae, miraculorum etc., quae a theologis vocantur *gratiae gratis datae.* Ita luculenter exponit S. Petrus dicens: *Hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioël... Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri* etc. (3): profitetur ergo, tempus illud advenisse, quo sicut Apostoli in die Pentecostes, ita et alii fideles per impositionem manuum dona Spiritus sancti extraordinaria accepturi sint. Hic idem effectus clare explicatur iis verbis: *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant* (4). Nec alium effectum impositio manuum in Samaritanis produxit, de quibus dicitur: *nondum enim* (Spiritus sanctus) *in quemquam illorum venerat:* illum igitur Spiritum acceperunt, quo antea caruerunt; carebant autem gratiis gratis datis, minime vero gratia sanctificante, quam adepti erant per baptisma. Manuum igitur impositio ordinata fuit ad gratias gratis datas conferendas. Verum iuxta Catholicos ad essentiam pertinet cuiusque sacramenti, ut gratia interior et sanctificans per illud conferatur: quapropter manuum impositio, quam Apostoli usurparunt, sacramentum proprie dictum non fuit.

Resp. In impositione manuum, quam Apostoli usurparunt, seu in confirmatione, duo sunt effectus distinguendi: unus principalis, ordinarius et permanens, scilicet gratia illa specialis, qua fideles ad profitendam fidem roborantur; alter accidentalis, extraordinarius et temporarius, qui in collatione gratiarum gratis datarum consistebat. Secundarius hic effectus conveniens erat pro statu et conditione nascentis Ecclesiae, quae per miracula dilatanda erat: idcirco aevo apostolico fidelibus per manuum impositionem praeter gratiam roborantem etiam gratiae gratis datae conferebantur. Quamvis autem secundarius iste effectus successu temporis cessaverit, quia necessaria amplius non fuerunt miracula, quae S. *Augustinus* (5) nominat, « signa tempori opportuna; » nullatenus tamen cessavit confirmatio ipsa, seu primarius eius effectus, quia fideles semper gratia interiori ad profitendam fidem

(1) Hebr. 6, 4, etc. (2) V. 2.
(3) Act. 2, 16, etc. (4) Act. 19, 5
(5) Tract. 6 in Ioan.

roborante indigent. Ideo *S. Augustinus* (1) ait: «Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei et Ecclesiae primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc exspectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari.» — Errant igitur, qui dicunt, impositionem manuum *tantum* ad gratias gratis datas conferendas ordinatam fuisse. Nam non negant, qui haec opponunt, ab Apostolis per manuum impositionem Samaritanis data fuisse eadem divina dona, quae die Pentecostes consecuti sunt Apostoli. At certum est, Apostolos praeter gratias illas gratis datas etiam accepisse gratiam interiorem sanctificantem ad robur internum, ut constanter crederent, et fidem intrepide profiterentur, secundum Christi promissionem: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos et eritis mihi testes in Ierusalem* etc. (2). Quam in rem de Apostolis, qui antea timidi ac fragiles fuerant, Spiritu sancto praeditis legitur: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* (3). Sicuti ergo Apostoli in die Pentecostes, ita etiam fideles per impositionem manuum praeter gratias gratis datas gratiam interiorem in fide roborantem acceperunt. — Accedit, super omnes baptizatos advocatum fuisse Spiritum sanctum per manuum impositionem, neque tamen omnes donis extraordinariis praeditos fuisse, Apostolo dicente: *Numquid omnes prophetae... numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur?* etc. (4). Non possunt ergo per *Spiritum sanctum*, quem omnes fideles acceperant, intelligi gratiae gratis datae, quae non omnibus communes erant. — Perperam ergo adversarii asserunt, impositionem manuum praecise ad gratias gratis datas conferendas ordinatam fuisse. Christus enim ipse (5) *signa* firmae fidei non impositioni manuum adscribit: propterea constat, *donis linguarum*, *prophetiae* etc. praeditos fuisse etiam catechumenos, antequam baptizarentur, quemadmodum indicatur Act. X, 46: *Audiebant illos loquentes linguis... Tunc respondit Petrus: numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? et iussit eos baptizari.* Nec id nobis mirum videri debet, cum Paulus de gratiis gratis datis loquens dicat: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* (6). Falso ergo dicitur, impositionem manuum tantum ad gratias gratis datas conferendas ordinatam fuisse; principaliter enim ad conferendam gratiam sacramentalem instituta fuit. Et si locis in obiec. cit. (7), secundarius seu accidentalis effectus commemoratur, primarius seu principalis ideo non negatur. Samaritani autem acceperant quidem in baptismo Spiritum sanctum seu gratiam sanctificantem, qua quis regeneratur et ab omnibus peccatis mundatur: at caruerunt adhuc Spiritu sancto, seu gratia sanctificante, qua quis roboratur, et quae ordinatur ad intrepidam et constantem fidei professionem: et

(1) De bapt. lib. 3, c. 16.
(2) Act. 1, 8. — Cf. Luc. 24, 49; Io. 14, 16, etc.
(3) Act. 5, 41. (4) I Cor. 7, 29, etc.
(5) Marc. 16, 17. (6) I Cor. 12, 11.
(7) Act. 2, 16, et Act. 19, 5

principaliter ad istam gratiam iis conferendam Petrus et Ioannes missi sunt.

Obi. II. Apostoli illum Spiritum sanctum conferebant, quem Simon Magus emere volebat (1); sed ille totus situs erat in virtute miraculorum; ergo ad hanc conferendam impositio manuum ordinabatur. Hinc Petrus (2) cernens, quod cecidit Spiritus sanctus super omnes, super Cornelium scilicet ac familiares eius, antequam baptizarentur, ab imponendis eis manibus abstinuit post baptismum, quia supervacaneum credidit, per impositionem manuum id illis conferre, quod iam antea obtinuerant.

Resp. Ex dictis iam patet, impositionem manuum in primis fidelibus duplicem effectum produxisse, nempe principalem, qui in gratia interiori et roborante, et accidentalem, qui in collatione gratiarum gratis datarum consistebat. Profanus autem et impius Simon non attendit nisi ad exteriora signa Spiritus sancti, et ambitionis ac turpis lucri stimulis agitatus ea sibi pecuniis comparare cogitavit, nihil sollicitus de interiori gratia, quam Samaritani acceperant. Quomodo non erubescunt adversarii tam perditi hominis iudicium in suae sententiae patrocinium adferre? — Quod secundum attinet, non legitur quidem, Petrum Cornelio eiusque familiaribus manus imposuisse post baptismi collationem: ex hoc autem non sequitur, hanc manuum impositionem a Principe Apostolorum certo omissam fuisse; non enim omnia conscripta sunt, quae Petrus in domo Cornelii dixit et fecit. Act. II legitur, tria hominum millia baptismum recepisse, et non legitur, iisdem impositas fuisse manus: quis autem sanae mentis id factum fuisse dubitabit, cum paulo post Apostoli Petrum et Ioannem Samariam miserint, ut baptizatis a Philippo manus imponerent? — Exinde Protestantes cognoscere deberent, non omnia, quae ad fidem spectant, conscripta esse, sed etiam traditione opus esse ad integram Christi doctrinam cognoscendam. Caeterum fieri etiam potuit, ut S. Petrus impositionem manuum omiserit, quia hanc necessariam non iudicavit, probe cognoscens, Cornelium cum suis familiaribus per Spiritum sanctum extraordinario modo illapsum duplicem confirmationis effectum iam recepisse. Qua de re *S. Thomas* (3) ita loquitur: « Dicendum, quod audientes praedicationem Petri acceperunt effectum confirmationis miraculose; non tamen confirmationis sacramentum. Dictum est autem (art. 4), quod effectus confirmationis potest alicui conferri ante baptismum, non autem sacramentum confirmationis etc. »

Obi. III. Absonum est dicere, impositionem manuum ordinarium esse instrumentum ad conferendum Spiritum sanctum: nam manuum impositio non a solis Apostolis, sed etiam ab aliis ad varios effectus producendos applicata fuit. Sic Ananias, licet non fuerit Episcopus, attamen Saulo manus imposuit, ut visum reciperet et *impleretur Spiritu sancto* (4). Ipse Paulus aliud medium assignat, per quod Spiritus sanctus obtinetur; scribit enim Ephes. V, 18: *Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.*

Resp. Negari non potest, manus impositionem admodum familiarem et communem caeremoniam ecclesiasticae disciplinae fuisse non tantum

(1) Act. 8, 19. (2) Act. 10, 44. (3) P. 3, q. 72, art. 6 ad 3. (4) Act. 9, 17.

ante baptisma, sed in ipsa immersione et post illam, atque in confirmatione, ordinum collatione, extrema unctione, exorcismis, decursu poenitentiae, quae sola quatuor manuum impositiones diversas continebat; ita ut pene rarum esset Ecclesiae beneficium, quod impositione manuum non esset insigne : quamobrem *Suarez* (1) manuum impositionem divisit in curativam, confirmatoriam, consecrativam sive ordinativam, caeremonialem ad baptismum, reconciliativam, deprecativam. Quamvis autem iam ab Apostolis manuum impositio ad varios effectus adhiberetur, non idcirco excluditur finis peculiaris, de quo disserimus, quem sibi praestituebat intentio ministri et adiecta oratio, qua invocabatur Spiritus sanctus, uti adhuc in Ecclesia fit. — Ananias manus Saulo imposuit, ut visum reciperet, et ut hoc recepto, mediante baptismo, quem eidem statim contulit, *impleretur Spiritu sancto*, nempe gratia sanctificante. Illa enim manuum impositio, utpote facta ante baptisma, non potuit esse sacramentalis, ideoque unice directa ad visum restituendum, prout ostendit ipse contextus. — Si Paulus docet, etiam per psalmos, hymnos etc., gratias Spiritus sancti obtineri posse, nullatenus ideo negat gratias peculiares, quae per sacramenta obtinentur : ipsemet enim (2) Ephesiis manus imposuit, ut acciperent Spiritum sanctum. — Caeterum Eph. V, 18 mens Apostoli est, Ephesios hic hortari ad sanctam et spiritualem laetitiam, ad fugiendam vero omnem intemperantiam, quasi diceret : Nolite sicut Simoniani et infideles inebriari vino et carnalibus voluptatibus indulgere, sed repleamini Spiritu sancto, spirituali et sancta laetitia, ideoque cantate inter vos psalmos etc.

(1) 3 p., dist. 34, sect. 1. (2) Act. 19.
(3) Lib. 4, adv. haer. c. 38, n. 2.

II. *Argumentum ecclesiasticum.*

§ 555. Semper, ubique et ab omnibus creditum esse, confirmationem verum esse N. L. sacramentum, probatur ex *Ss. Patribus*, ex *Rom. Pontificibus*, ex *Conciliis*, atque ex *praxi et usu Ecclesiae* non interrupto.

1. *Ss. Patres* rationem sacramenti in confirmatione sat luculenter profitentur. *S. Irenaeus* (3) ait : « Quotiescunque imponebant Apostoli manus, accipiebant fideles Spiritum sanctum, qui est esca vitae, » id est, qui vitam spiritualem alit et roborat; quae verba ad signorum patrationem restringi neutiquam possunt. *Clemens Alex.* (4) loquens de Valentinianis et aliis haereticis, qui omnia necessitati tribuebant, inquit : « Quare nec amplius baptismus rationi consentaneus est, nec beatum signaculum : » ubi signaculum, sub quo nihil aliud, quam confirmationem intelligit, cum baptismo coniungit, adeoque illud sicut istum sacramentum esse profitetur. *Tertullianus* (5) scribit : « Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione.... Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit : quomodo et ipsius baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur. » Et addit (6) : « Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum. » Idem de resurrect. carnis (7) dicit : « Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur. Caro corpore et san-

(4) Lib. 2, Strom. cap. 3.
(5) L. de bapt. c. 7. (6) Cap. 8. (7) Cap. 8

guine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » Igitur sicut ablutioni in baptismo, et sicut sumptioni corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, ita unctioni et manus impositioni, quae utraque occurrit in confirmatione, spiritualem effectum seu collationem gratiae supernaturalis adscribit. Denique lib. de praescript. (1) observat, daemonem in idolorum mysteriis aemulari res sacramentorum nostrorum; ait enim: « Tingit et ipse quosdam utique credentes et fideles suos, expiationem de lavacro repromittit; et si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem. » Quis ergo negabit, Tertullianum confirmationem aeque ut sacramentum agnovisse sicut baptismum et eucharistiam? — *S. Cyprianus* (2) ad Iubai. cum dixisset, Petrum et Ioannem Samaritanis a Philippo baptizatis per manus impositionem Spiritum sanctum contulisse, subiungit: « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, ut per nostram orationem et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consignentur. » Idem (3) ad Ianuar. scribit: « Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. » Imo Ep. 72 ad Stephanum confirmationem disertis verbis sacramentum vocat, de haereticis ad sinum Ecclesiae redeuntibus scribens: « Parum est eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiae baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si utroque sacramento nascantur. » *Firmilianus* in Epist. ad Cyprian. (4) inquit: « Quando omnis potestas a gratia in Ecclesia constituta est, ubi praesident maiores natu, qui et baptizandi et manum imponendi, et ordinandi possident potestatem; haeretico enim sicut ordinare non licet nec manum imponere, ita nec baptizare; » quibus verbis suum quidem errorem circa valorem baptismi ab haeretico collati manifestat, sed pro veritate sacramenti confirmationis luculentum testimonium praebet. *Auctor* libri de rebaptismate (5) inter caetera haec habet: « Per manus impositionem Episcopi datur unicuique credendi Spiritus sanctus, sicuti Apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma manus eis imponendo fecerunt, et hac ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt. » *Theophilus Antioch.* (6) manifeste sacramentum confirmationis indigitat dicens: « Nos ideo Christiani vocamur, quod Dei oleo ungamur. » Huc pariter refertur, quod praescriptum Episcopo est in Constitutionibus apost. (7) ut « postea baptizatos ungat chrismate. » *Dionysius* (8) scribit: « Sic indutum baptizatum ad Pontificem ducunt, ille divino ac deifico prorsus unguento virum signans sacratissimae communionis participem facit. » Et inferius addit: « Illa perficiens unctio ita facit perfectum fragrantia suavissimi odoris insignem: quippe divinae generationis sacrosancta perfectio divino Spiritui quae fuerint perfecta coniungit. » *Origenes* (9) ita loquitur: « Sic ergo conversis a peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quae superius diximus: donum autem gratiae Spiritus per olei imaginem de-

(1) Cap. 40. (2) Epist. 73, n. 7.
(3) Epist. 70, n. 2.
(4) Inter. epist. Cypr. 75, n. 7.
(5) Ad calcem opp. S. Cypriani.
(6) Lib. 1, ad Autol. n. 12
(7) Lib. 3, c. 16
(8) Lib. de eccl. Hier. cap. 2.
(9) Hom. 8 in Levit.

signatur, ut non solum purgationem consequi possit is qui convertitur a peccato, sed et Spiritu sancto repleri. » *Eusebius Caes.* (1) narrat: « Episcopus adolescentem suae fidei concreditum... baptismi sacramento illuminavit. Postea vero, ubi sigillo Domini (confirmationis sacramento) tanquam perfecta tutaque anima eius custodia obsignasset, nonnulli de cura et observatione in eo instituendo suscepta remisit. » *S. Cyrillus Hier.* ex quinque Catechesibus mystagogicis primam et secundam de baptismo, tertiam de confirmatione, quartam et quintam de eucharistia exaravit, tribus illis sacramentis, quae eodem die percipiebantur a neophytis. Quod si autem iam inde apparet, Cyrillum confirmationem verum ac proprium sacramentum habuisse, quoniam illam in eodem numero cum baptismo et eucharistia collocat, idem insuper disertis enuntiat verbis; nam Catech. 21 mystag. 3, n. 1 etc., dicit: « Christi estis facti, posteaquam Spiritus sancti imaginem recepistis, et omnia in imagine facta sunt in vobis, quoniam Christi imagines estis. At ille quidem cum in flumine Iordane corpus, in quo divinitas habitabat, aquis tradidit ascenditque ex illis, Spiritus sanctus substantialiter super eum descendit. Et vobis postquam similiter ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus: hoc autem est Spiritus sanctus. » Et ibid. n. 3 inquit: « Caeterum vide, ne illud esse putes unguentum merum et simplex. Sicut enim panis eucharistiae post invocationem Spiritus sancti non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic et sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum neque commune, postquam iam consecratum est, sed est chrisma Christi et Spiritus sancti praesentia, per cuius divinitatem energiam habet, cum per illud frons et alii sensus corporis inunguntur: ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur. » Et n. 4: « Quemadmodum Christus post baptismum, et Spiritus sancti in se adventum egressus debellavit adversarium: ita et vos post sacrum baptisma et mysticum unguentum induti totam Spiritus sancti armaturam adversus oppositam potestatem consistitis, eamque debellatis. » Et n. 7: « Chrisma hoc sanctum est spirituale corporis amuletum et animae salutare praesidium. » *S. Gregorius Nyss.* Orat. in diem luminum seu in baptismum Christi, cum dixisset, non contemnendam esse aquam, quae in baptismo adhibetur, neque spernendum panem, qui in eucharistia sumitur, subiungit: « Sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui momenti ante benedictionem, post sanctificationem, quae a Spiritu sancto procedit, utrumque eorum excellenter operatur. » *S. Gregorius Naz.* (2) inquit: « Si per baptismum te ipsum praemunieris, ac pulcherrimo et firmissimo auxilio tibi in futurum caveris, animum scilicet et corpus unctione et Spiritu consignans, quemadmodum olim Israël nocturno illo cruore, qui primigenos tuebatur; quid tibi accidet? et quod tibi praesidium comparatum erit? Audi Salomonis Proverbia: *Si sederis*, ait, *intrepidus eris, si dormieris, suavem somnum carpes* (3). Audi etiam quid tibi laeti nuntiet David: *Non timebis*, inquit, *a timore nocturno, ab incursu et daemonio meridiano* » (4). *S. Chrysostomus* (5) in

(1) Lib. 3, Hist. eccl. c. 17.
(2) Orat. 40, n. 15. (3) C. 3, 24. (4) Ps. 90, 5. (5) Hom. 18, n. 3.

Acta Apost. ita disserit: « Philippus unus ex septem diaconis erat, secundus a Stephano. Ideo et baptizans Spiritum sanctum non dabat: neque enim facultatem habebat, hoc enim donum solorum Apostolorum erat.— Nam virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare: unde et praecipuos (Coryphaeos, i. e. Episcopos) et non alios videmus hoc facere. » Et exponens verba: *Oraverunt pro ipsis*, ait: « Vides, quod non simpliciter hoc fit, sed multa opus est virtute, ut detur Spiritus sanctus. Non enim idem est assequi remissionem peccatorum, et accipere virtutem illam. » *S. Pacianus* (1) inquit: « Lavacro peccata purgantur, chrismate Sanctus spiritus superfunditur, utraque vero ista manu et ore Antistitis impetramus, atque ita totus homo renascitur in Christo. » *S. Ambrosius* lib. 1, de Spir. S. (2) scribit: « Sicut in Christo morimur, ut renascamur, ita etiam Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem. » Lib. de init. (3) ait: « Accepisti (post baptismum) signaculum spiritale, Spiritum sapientiae et intellectus, Spiritum consilii atque virtutis, Spiritum cognitionis ac pietatis, Spiritum sancti timoris, et serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti. » Lib. 3 de sacram. c. 1 dicitur de baptizato: « Accipit autem mysterium, hoc est, unguentum super caput. » Et c. 2: « Sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Spiritus sanctus infunditur. » *S. Hieronymus* Dial. adv. Lucif. (4) sic huius sectae quemdam loquentem inducit: « An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi S. Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret. » Ad haec autem quid S. Doctor? rem totam ultro concedit dicens: « Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a maioribus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manus impositurus excurrat. » *S. Augustinus* de baptismo (5) ait: « Quis nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? — Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere: quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Idem de Trin. (6) inquit: « Neque aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia. » Et cont. litt. Petil. (7) haec habet: « Sacramentum chrismatis - in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus: sed potest esse et in hominibus pessimis. — Di-

(1) Serm. de bapt. n. 6. (2) Cap. 6.
(3) Cap. 7, n. 42. (4) Dial. n. 8.
(5) Lib. 3, c. 16, n. 21.
(6) L. 15, c. 25, n. 46. (7) L. 2, c. 104, n. 239.

scerne ergo visibile sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad praemium, istis ad iudicium, ab invisibili unctione charitatis, quae propria bonorum est. » — *S. Cyrillus Alex.* in Ioël (1) scribit: « Data est nobis ceu in pluvia aqua vivens sacri baptismatis, et tanquam in frumento panis vivus, et tanquam in vino sanguis. Accessit item usus olei, qui per S. baptisma in Christo iustificatis ad consummationem conferret. » *Theodoretus* in Cantic. (2) dicit: « Qui initiantur (baptismate), post tyranni abnegationem et regis confessionem veluti signo ac nota regia spiritualis unguenti chrismate inuncti, sub ea visibili unguenti specie invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam accipiunt. » *S. Isidorus Hisp.* (3) ait: « Sunt sacramenta baptismus et chrisma, corpus et sanguis Christi: quae ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius virtutem eorundem sacramentorum operatur. Chrisma graece, latine unctio nominatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur. »

2. *Summi Pontif. Rom.* hic speciatim adduci merentur, qui de veritate sacramenti confirmationis praeclara testimonia tulerunt. *Urbanus I* (4) statuit: « Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur. » (5). *Melchiades* interrogatus, utrum maius sacramentum sit baptismus, an confirmatio, respondit: « Scitote, utrumque magnum esse sacramentum: » et addit, confirmationem in eo praestare baptismo, quod solum a summis Pontificibus, id est, ab Episcopis confertur. » (6). *Cornelius* in Epistola ad Fabium (7) de Novatiano scribit: « Morbo (in quo baptizatus fuit) tandem elapsus, neque caetera, quibus post baptismum secundum Ecclesiae canonem imbui oportuerat, acquisivit, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit. Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum sanctum potuit accipere? » — *Innocentius I* Ep. ad Decentium (8) dicit: « De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Haec autem pontificibus solis deberi, ut consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit, Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris..... chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum: » quae verba ostendunt, unctionem baptismalem plane diversam esse a confirmatoria; illa enim fit in vertice, haec in fronte; illam Sacerdotes conferunt, istam soli Episcopi; illa caeremonia ecclesiastica haec sacramentum est divinitus institutum. *S. Damasus* (9) de Chorep. ait: « Non licet Chorepiscopis Sacerdotes consecrare, nec chrisma conficere, nec chrismate

(1) C. 2, 23. (2) C. 1, 13.
(3) Lib. 6, Etymol. seu originum, cap. ult.
(4) Ep. 1, c. 7.
(5) Ap. Mansi Coll. Conc. t. 1, c. 71.
(6) Epist. c. 2, (ibid t. 2, c. 430).
(7) Ap. Euseb. Hist. eccl. l. 6, c. 43.
(8) Ep. 25, n. 6.
(9) Epist. 4.

baptizatorum frontes signare.—Quod autem solis Episcopis eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet, praesertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum isti in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse. » *S. Leo M.* (1) scribit : « Hi itaque, qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. » Et alibi (2) ita loquitur : « Permanete stabiles in ea fide, quam confessi estis coram multis testibus, et in qua renati per aquam et Spiritum sanctum accepistis chrisma salutis et signaculum vitae aeternae. » *S. Gregorius M.* (3) dicit : « Nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus, ut quoties tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiae consecratae sint, ut baptizentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiae canonice consecrentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat : quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. » Idem (4) inquit : « Per nos fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, et per impositionem manuum nostrarum in Deo Spiritum sanctum percipiunt. »

3. *Concilia* veritatem sacramenti confirmationis clarissime commonstrant. *Eliberitanum* in Hispania (5) postquam declaraverat, posse laicum in necessitate baptizare, can. 38 addit : *Si supervixerit ad Episcopum, eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Et can 77 : *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel presbytero aliquos baptizavit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Nicaenum I* can. 8 decrevit : *Novatianos, ad Ecclesiam redeuntes recipiendos esse per manus impositionem*, nempe confirmatoriam et sacramentalem, ut scribit *Theodoretus* (6), quia Novatiani negligebant sacramentum confirmationis tanquam minus necessarium. *Laodicenum* (7) can. 48 ait : *Oportet eos, qui illuminantur, post baptisma inungi super coelesti chrismate, et regni Christi participes inveniri. Arelatense II* (8) can. 17 inquit : *Bonosianos... dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, chrismate et manus impositione in Ecclesia recipi sufficit. Aurelianense I* (9) praecipit, *ut iciuni ad confirmationem veniant perfectae aetatis, ut moneantur confessionem prius facere ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere* (10). *Hispalense II* (11) c. 7 enumerans ea, quae simplicibus presbyteris non licet in lege evangelica administrare, ait : *Si quidem non licere eis* (noverint) *Ecclesiam vel altare consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis vel conversis ex haeresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare. Toletanum IV* (12) can. 57 postquam vetuit, ne Iudaei ad christianam fidem amplectendam vi ac minis adigerentur, subiungit : *Qui autem iam pri-*

(1) Ep. 168, al. 129, c. 7.
(2) Serm. 4 de Nativ.
(3) L. 14, Epist. Ep. 17, al. 1, 12, Epist. 32.
(4) Hom. 17 in Evang. (5) Circa anno 305.
(6) Lib. 3, haer. fal. cap. 5. (7) Anno 372.
(8) Iuxta aliquos an. 445, iuxta alios an. 451 habitum. (9) An. 511.
(10) Ap. Gratian. Dec. p. 6. De cons. d. 5, c. 6. *Ut iciuni.* (11) An. 619. (12) An. 633.

dem ad christianitatem venire coacti sunt... quia constat, eos esse sacramentis divinis associatos et baptismi gratiam percepisse, et chrismate unctos esse et corporis Domini et sanguinis extitisse participes: oportet, ut fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen divinum blasphemetur. Cabilonense II (1) can. 27 dicit: *Dictum nobis est, quod quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus eisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est, eandem confirmationem sicut nec baptismum iterari minime debere. Meldense* (2) can. 44 statuit: *Chorepiscopus modum suum iuxta canonicam institutionem teneat, et nec sanctum chrisma nec sanctum Paracletum Spiritum, solis Episcopis iuxta decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet.* In *Concilio Ludgunensi II* Graeci, antequam ad communionem Ecclesiae admitterentur, publice professi sunt: *Tenet etiam et docet S. Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma. — Aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem conferunt Episcopi, chrismantes renatos. Florentinum* in decr. pro Armen. haec habet: *Secundum sacramentum est confirmatio: cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, qui odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto. Forma autem est: signo te* etc. *Ordinarius minister est Episcopus. — Effectus autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Tridentinum* Sess. VII, can. 1 definit: *Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

4. *Ex perpetua et universali praxi Ecclesiae* firmissimum praescriptionis argumentum infertur. Certum enim est, ab antiquissimis temporibus in universa Ecclesia, Latina et Graeca, confirmationem inter sacramenta N. L. enumeratam et per Episcopos administratam fuisse. Praeter argumenta iam allata id pro Ecclesia latina probant antiqui rerum ecclesiasticarum Scriptores, ut *Alcuinus, Ven. Beda, Rabanus Maurus, Walafridus Strabo, Amalarius;* item *Ordo Romanus, Sacramentarium Gregorii M.*, omnes libri rituales, quos magno numero profert cl. *Martenius* de antiquis eccl. ritibus (3). Eandem fidem et praxin in Ecclesiis orientalibus semper viguisse et etiamnum obtinere, ex Graecorum Euchologiis et aliis monumentis invicte probarunt viri eruditissimi, uti *Renaudotius* (4), *Petrus Arcudius* (5), *Io. Simon Assemanus* (6) et alii. Ergo nisi Protestantes ostendant (quod frustra hactenus conati sunt), quis, quo saeculo, quibus artibus opinionem hanc in Ecclesiam invexerit, omnesque tam graecae, quam latinae Ecclesiae pastores manibus et pedibus in sententiam suam ire coëgerit, antiquissima haec Ecclesiae doctrina vere est apostolica invariabili traditione ad nos transmissa iuxta regulam a *S. Augustino* (7)

(1) Anno 813. (2) An. 845. (3) L. 1, c. 2.
(4) In perpet. fidei t. 5, lib. 2, c. 11 et seq.
(5) De concordia eccl. occid. et orient. in 7 sacr. admin. l. 2.
(6) In Biblioth. orient. p. 1 et 2.
(7) Lib. 4, de bapt. c. 24.

traditam: « Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. »

Nota 1. Extiterunt inter Protestantes, qui etiam argumenta ex Traditione petita enervare studuerunt; sed difficultates, quas nobis opponunt, facile solvuntur.

Obi. I. Si divinitus institutum, ac aevo apostolico ministratum fuisset sacramentum confirmationis, etiam antiquissimi Ecclesiae Patres istud commemorassent. Contra vero altum de confirmatione silentium servarunt *Clemens Rom.*, *Ignatius M.*, *Polycarpus*, *Athenagoras*, *Tatianus*, et ipse *Iustinus*, qui tamen (Apol. I, n. 61) profitetur, se omnia Caesaribus exponere, quae in baptismo fieri solebant, « ne maligne quidquam et dissimulanter agere videretur. » Ergo aevo apostolico ignota fuit confirmatio, quae proinde non potest admitti tanquam sacramentum divinitus institutum.

Resp. Silentium veterum scriptorum non est nisi argumentum negativum, quod in quaestionibus facti nullius est ponderis, cum adsunt argumenta positiva, et quidem talia, quae veritatem facti evincunt. *Clemens Rom.*, *Athenagoras*, et *Tatianus* etiam de baptismo siluerunt; anne ideo veritas huius sacramenti in dubium erit vocanda? — Ratio etiam silentii assignari potest. Nulla enim de confirmatione mentio a citatis scriptoribus facta legitur, quia a scopo et instituto eorum alienum erat de confirmatione quidquam commemorare. Nam *Clementis*, *Polycarpi* et *Ignatii* paucae admodum supersunt epistolae, ad solandos fideles, eorumque concordiam fovendam exaratae. Reliqui, qui apologias pro Christianis scripserunt, in eo toti erant, ut Gentilium calumnias adversus religionem nostram propulsarent potius, quam ut singula fidei nostrae mysteria Christianis exponerent. Illae autem calumniae impetebant potissimum ritus baptismi et eucharistiae, quos ideo Apologetae exponebant, ut Christianos apud Caesares iustificarent. Etiam *Iustinus M.* noluit omnia prorsus religionis christianae mysteria ethnicis patefacere, sed solum professus est se omnia manifestare Caesaribus, quae ad depellendas calumnias necessaria erant. Denique iniuria temporum multa veterum Patrum scripta perierunt, et ignoratur, num in ipsis de confirmatione ageretur: unde neque certe affirmari potest, eos nullatenus de hoc sacramento scripsisse.

Obi. II. Patres loquuntur de confirmatione tanquam de appendice caeremoniali baptismi. Siquidem illam semper baptismo coniungunt, eique eundem ac baptismo effectum tribuunt: aut saltem intelligunt sacramentum improprie dictum. Sic *Tertullianus* l. de bapt. c. 7 de unctione, et c. 8 de impositione manus loquitur, sed c. 10 ostendit, se de solo baptismo disseruisse, dicens: « Diximus, quantum mediocritati nostrae licuit, de universis, quae baptismi religionem struunt. » Passim quoque veteres confirmationem seu manus impositionem vocant *baptismi perfectionem*, ut *Concilium Eliberitanum* can. 38, vel *baptismi supplementum*, ut *S. Cyprianus* Epist. ad Iubai. (1).

Resp. Si comfirmatio nihil aliud esset, quam caeremonia baptismi, quid necesse erat Petrum et Ioannem mitti ad Samaritanos, ut eis imponerent manus et acciperent Spiritum sanctum? Philippus, qui ha-

(1) Ep. 73.

bebat facultatem baptizandi, habebat a fortiori facultatem caeremonias baptismi adimplendi. Contra apertam igitur Scripturae auctoritatem aberrassent Patres, et confirmationem dumtaxat pro ecclesiastica baptismi caeremonia habuissent. At ab isto errore Ss. Patres longe remoti erant, ut citata eorum testimonia ostendunt. Aperte enim a sacramento baptismi sacramentum confirmationis distinguunt, dum dicunt, baptizatis a presbyteris vel diaconis Episcopum manus imponere. Ideo tantum frequenter confirmationem cum baptismo coniungunt, quia iuxta veterem disciplinam mox post baptismum confirmatio et eucharistia conferebantur: ex hac igitur coniunctione non magis sequitur, confirmationem esse caeremoniam baptismalem, quam sequitur, eucharistiam meram esse baptismi caeremoniam. Falsum etiam est, Patres eundem baptismo et confirmationi effectum tribuere; nam baptismo tribuunt vim remittendi peccata, regenerandi, renovandi, confirmationi autem virtutem roborandi ad fidem strenue profitendam. Nulla porro est ratio, ex qua dicatur, confirmationem a Patribus improprie tantum sacramentum dici, illa enim eodem modo, ut baptismum et eucharistiam, sacramentum vocant, eamque proponunt ut signum sensibile gratiae sanctificantis, quod non competit nisi sacramentis proprie dictis. — Si *Tertullianus* profitetur, se omnia quae ad baptismum spectant, pertractasse, non ideo negat reliquas veritates, quas eidem libro inseruit et praecipue illas quae baptismum proxime sequi consueverant. Denique veteres confirmationem vocant baptismi perfectionem seu complementum non ratione sacramenti, sed ratione effectus; quia vita spiritualis, quae per baptismum obtinetur, in confirmatione roboratur, ut etiam inter pericula et tentationes conservari queat.

Obi. III. Confirmatio, si antiquitus in usu fuit, a Christo tamen instituta non credebatur. *Tertullianus* enim eam repetit a veteri Testamento (1) dicens l. c.: « Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant: ex quo Aaron a Moyse unctus est. » *Irenaeus* adv. haer (2) confirmatoriam unctionem Valentinianis et Gnosticis tribuere videtur. *Cornelius* vitio vertit Novatiano, quod a morbo liberatus ea non perceperit, quae *iuxta ecclesiasticam regulam percipi debent*, quod nempe confirmationem non acceperit, quam proinde nonnisi ecclesiasticam caeremoniam reputabat. *S. Hieronymus* in dial. adv. Lucif. admittit quidem, hanc esse consuetudinem Ecclesiarum, ut baptizatis manus ab Episcopo imponantur; sed addit, nulla necessitate factum esse, ut manus baptizatis imponerentur in Spiritum sanctum, multisque in locis id factum esse ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis alicuius necessitatem. Etiam inter scholasticos nonnulli docuerunt, non a Christo nec ab Apostolis, sed ab Ecclesia institutam esse confirmationem: imo *Alex. Alensis* contendit, in *Concilio Meldensi* an. 845 institutum fuisse sacramentum confirmationis.

Resp. Cum confirmatio, ut iam probatum est, sit sacramentum N. L., necessario infertur, eam a Christo institutam esse (3). Allata ab adversariis argumenta contrarium non evincunt. Nam *Tertulliani* verba *de pristina disciplina* solum designant,

(1) Lib. de bapt. c. 7.

(2) Lib. 1, cap. 18. (3) § 496.

unctionem, quae fit in confirmatione, fuisse in lege mosaica praefiguratam in unctione sacerdotum, non autem fuisse institutam in veteri Testamento: quod absurdum adeo est, ut nec in mentem Tertulliano venire potuerit. Eodem sensu ibidem dixit, baptismum esse *de pristina originis praerogativa*, quatenus fuit etiam in V. L. praefiguratus. — S. *Irenaeus* haereticis non unctionis inventionem, sed corruptionem exprobrat; nec eos ullibi reprehendit, quod unctionem olei et balsami erga neophytos adhiberent, sed quod sanctum mysterium portentosis vocibus et profana aquae cum oleo admixtione, aut solius balsami, oleo reiecto, in unctione perverterent. — S. *Hieronymus* refellit Luciferianos, qui male sentiebant de valore baptismi ab haereticis collati, et praeterea falso putabant, in baptismo peccatorum quidem remissionem dari, non autem Spiritum sanctum aut gratiam sanctificantem conferri, ad quam obtinendam esse necessariam confirmationem dictitabant. Negat proinde S. Doctor, absolute necessariam esse impositionem manuum ad conferendum Spiritum sanctum, quo iis, qui rite fuissent ab haereticis baptizati, remitterentur peccata et gratia sanctificans infunderetur: non autem ideo negat, impositionem manuum, seu confirmationem necessariam esse ad gratiam roboris et fortitudinis acquirendam. Quia vero noverat, apud orientales etiam a presbyteris conferri solitam confirmationem, a solis vero Episcopis apud occidentales: inde ait, plurimis in locis ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis divinae necessitatem factum esse, ut Episcopi manus imponerent in Spiritum sanctum, quatenus dat robur et fortitudinem. Non igitur de confirmationis natura et dignitate disserit *Hieronymus*, sed de ipsius usu, effectu et ministro, ut virtutem baptismi iuxta ritum Ecclesiae etiam in haeresi suscepti vindicet. — *Alex. Alensis* circa institutionem sacramenti confirmationis penitus aberravit, et falsa eius opinio a theologis communi consensu reiecta fuit. Notandum porro est, unius aut alterius Patris vel theologi dissensum nequaquam argumentum Traditionis enervare, quod ex universali et constanti Ss. Patrum consensione desumitur: quae regula praecipue, dum de sacramento confirmationis sermo est, plane sufficit ad omnes cavillationes dissipandas, quibus Protestantes argumentum nostrum ex traditione petitum obscurare tentant. Sapientissime igitur cl. *Perrone* tract. de confirm. (1) dicit: « Hic porro observare iuverit, argumentum, quod ex perpetua omnium orientalium communionum consensione eruitur, quodque a recentioribus eruditis viris in illustri positum est, tanti ponderis esse, ut Protestantes penitus ab eo conterantur. Qui enim fieri potuit, ut sectae antiquissimae a se invicem discrepantes, quaeque furore, ut ita dicam, impelluntur adversus Ecclesiam romanam sive catholicam, potuerint conspirare in agnoscenda veritate huius sacramenti, perinde ac reliquorum? Ad hunc scopulum illiduntur omnes subtilitates, effugia inventa, mendacia Lutheri, Calvini, Dallaei, Basnagii caeterorumque illorum summistarum, qui constanter easdem strophas occinunt. Nunquam autem poterunt se ab illius vi subducere, eo vel maxime, quod non agatur hic de aliquo principio speculativo, sed de re practica et in usu quotidiano posita. Hae tamen communiones om-

(1) Cap. 1 in nota 7, ad n. 11.

nes unanimi consensu ab apostolica traditione confirmationem repetunt.»

Obi. IV. Si confirmatio admittitur tanquam perfectio et complementum baptismi, primo huic sacramento magna iniuria infertur; sequitur enim, baptismum sufficientem non esse ad conferendum Spiritum sanctum seu gratiam sanctificantem, et ad perfectum christianum constituendum. Perperam etiam asseritur, confirmationem requiri, ut robur ad profitendam fidem obtineatur; nam media, quibus Deus nos in fide roborat, sunt baptismus, in quo, fatentibus ipsis Catholicis, virtutes et dona Spiritus sancti infunduntur; verbum Dei, quod *Virtus Dei est in salutem omni credenti* (1); et praecipue eucharistia secundum illud: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (2). Sacramentum ergo confirmationis supervacaneum et prorsus inutile est.

Resp. Sacramenta cuncta N. L. tribuunt quidem Spiritus sancti virtutes ac dona; sed variis modis pro diversa ratione gratiarum, quae cuique sacramento conveniunt. Quare iuxta doctrinam catholicam virtutes et dona spiritualia, quae per baptismum animae infunduntur, primam gratiam iustificantem operantur, qua a peccato originali penitus mundatur, interius regeneratur et renovatur, supernaturalium virtutum habitibus exornatur, Dei filius per adoptionem efficitur, haeresque coelorum. In confirmatione vero virtutes ac dona secundam gratiam conferunt perficientem, atque in fide roborantem hominem post baptismum. Nullatenus ergo iniuriam Catholici baptismo inferunt, qui eidem magnificentiores effectus, quam Protestantes adscribunt. — Falso etiam adversarii asserunt, sacramentum confirmationis supervacaneum et prorsus inutile esse. Quamvis enim negari haud possit, per baptismum, per verbum Dei et per eucharistiam nos roborari in fide, inde tamen concludi nequit, per manuum impositionem et chrismationem non conferri peculiarem gratiam ad nos in fide firmandos. Christus enim Apostolis iam credentibus, iam baptizatis, iam evangelicum verbum edoctis, iamque eucharistia refectis (3) promisit, et (4) actu contulit Spiritum sanctum; ergo praeter allata media adhuc speciale adsignavit, quo conferretur gratia roborans; cumque aliud ex Ss. Litteris ostendi non possit quam confirmatio, recte eadem dicitur conferre specialem gratiam, qualem scilicet Apostoli die pentecostes acceperunt. — Caeterum observandum est, dum de divinis institutis agitur, non humanis ratiociniis indulgendum, sed revelationem audiendam, divinamque sapientiam et bonitatem laudandam esse, quae multiplicia nos salutis media in N. L. habere voluit.

Nota 2. Si quaeritur a quonam, et quando confirmatio instituta sit, attendenda sunt verba cl. *Drouin* (5) dicentis: « Nude et simpliciter confitendum est, confirmationem non secus ac caetera sacramenta Christo auctore sancitam, cauteque bono cuique theologo vitanda illa immediatae mediataeque institutionis, non accepta a Patribus, sed nata in scholis distinctio, cuius non tam praesidio, quam effugio et praetextu, quorumdam quidem sacramentorum institutio Christo adseritur, aliorum vero Apostolis nimia, ut verum fatear, arrogantia assignatur. Quamquam enim, omnia et singula a Christo esse praescripta ad fidem formaliter, ut aiunt, non pertineat, cum illa tamen pro-

(1) Rom. 1, 16. (2) Io. 6, 58. (3) Act. 1, 8. (4) Act. 2, 1, etc. (5) L. 3, de re sacram.

xime coniuncta est sententia : hinc *Concilium Tridentinum* nulla huius distinctiunculae facta mentione dicit (1) : *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo D. N. instituta - anathema sit.* » De sententia vero *Alex. Alensis* ait, quod sit « erroris plena, nec minus divino dogmati quam historicae veritati adversa sententia. » Quoad tempus, quo Christus confirmationem instituit, nihil certi constat, et variae hac de re dantur sententiae. Nonnulli crediderunt, confirmationis sacramentum a Christo institutum fuisse, dum (2) oblatis sibi parvulis manus imposuit : ast non omnis manus impositio, quae iam in V. T. quoad parvulos in usu fuit, est confirmatio; neque verisimile est, omnes istos parvulos fuisse baptizatos, neque decebat eos confirmari ante Apostolos. — Alii putant, confirmationem institutam fuisse in ultima coena, quia *S. Fabianus* ad Episc. Orientales scribit (3) : « In illa die Dominus Iesus, postquam coenavit cum discipulis suis, et eorum pedes lavit (sicut a Ss. Apostolis praedecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit. — Sicuti igitur ipsa diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda et de anno in annum renovanda, et vetus chrisma in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista a Ss. Apostolis et a successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. » Verum quia iuxta communem recentiorum Criticorum sententiam citata Fabiani Epistola supposititia est, solidum ex illa argumentum deduci non potest. Caeterum etiam *S. Thomas* docet, Christum confirmationis sacramentum instituisse, cum in sermone post lotionem pedum habito, Spiritum sanctum promisit : ait enim (4) : « Christus instituit, hoc sacramentum non exhibendo (i. e. alicui administrando sicut instituit ordinem et eucharistiam), sed promittendo (scilicet eius effectum, Spiritum sanctum et gratiae plenitudinem) secundum illud : *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos* (5). Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, secundum illud : *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus* » (6). — Alii tandem arbitrantur, institutum fuisse hoc sacramentum eo temporis intervallo, quo Christus post resurrectionem usque ad ascensionem cum Apostolis conversatus est *loquens de regno Dei* (7). Tunc enim illis contulit plenitudinem potestatis episcopalis in Ecclesiam dicens : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (8) : eis promisit Spiritum sanctum et gratiam, quam confert in confirmatione, inquiens : *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (9) : et iisdem diebus, ut inquit *S. Leo M.* (10) : « magna sunt confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria. » Dicere quoque licebit, confirmationem per impositionem manuum (11) fuisse praefiguratam, in ultima coena promissam, post resurrectionem institutam, et die pentecostes primo solemniter collatam. — Observandum denique

(1) Sess. 7, can. 1. (2) Matth. 19, 13.
(3) Ep. 2, c. 1. (4) 3 p., q. 72, a. 7 ad 1.
(5) Io. 16, 7. (6) Io. 7, 39. (7) Act. 1, 3.
(8) Io. 20, 21. (9) Luc. 24, 49.
(10) Serm. 1 de ascens. c. 2.
(11) Matth. 19, 13.

est, ex adducta opinionum discrepantia nihil inferri posse contra veritatem sacramenti confirmationis, sicut non dubitatur de veritate sacramenti baptismatis, quamvis circa tempus, quo istud fuit institutum, salva fide in varias abeant sententias Patres et Doctores.

ARTICULUS II.

De materia et forma confirmationis.

§ 556. Extra omnem controversiam est, in confirmatione adesse signum sensibile, per quod gratia invisibilis producitur. Hoc enim sacramentum confertur per impositionem manus iunctam orationi, et per unctionem cum chrismate, quae sub quadam verborum formula perficitur. Imo in administratione sacramenti confirmationis occurrit duplex impositio manus, et quidem prima datur, quando Episcopus, levata manu super universa confirmandorum capita, generaliter pro omnibus dicit orationem: *Omnipotens, sempiterne Deus* etc.: secunda est actio ipsa, qua Episcopus chrismate confirmandum inungit, manum fronti ungendo imponens et praescriptam verborum formam pronuntians. Cum autem omnes istae actiones sensibus subiiciantur, nemo Catholicorum dubitat, in confirmatione vere adesse signum illud sensibile, quod ad sacramentum constituendum necessario requiritur. — Ast quia in administratione sacramenti confirmationis plures res subiectae sensibus occurrunt, theologi inquisierunt, quinam ritus ad essentiam sacramenti spectant, seu in quanam praecise actione externa essentialis materia sita sit, et quaenam praecise verba essentialem formam constituant. Hinc inter theologos catholicos enata est controversia *de materia* et *forma* confirmationis, de qua aliqua hic dicenda sunt.

(1) Lib. de bapt. cap. 8.
(2) Lib. 3, de bapt. c. 16, n. 21, etc. et n. 3.

I. *De materia confirmationis.*

§ 557. Cum de confirmationis materia remota et proxima quaeritur, theologi in quatuor potissimum sententias abeunt, quarum nulla ab Ecclesia aut reprobata, aut de fide definita fuit: unde earundem rationes ponderare, eique sententiae adhaerere oportet, pro qua graviores rationes militare cognoscuntur.

1. *Prima sententia* eorum est, qui cum *Petro Aureolo* solam manuum impositionem veram perfectamque esse confirmationis materiam censent, sacram autem chrismatis unctionem pertinere quidem ad substantiam sacramenti, non tamen esse de eius essentia, sicut manus, inquit *Aureolus*, pertinet ad substantiam hominis, non tamen est de eius essentia, cum homo possit esse etiam sine manu. In hac sententia materiam remotam constituunt manus Episcopi, et harum impositio est materia proxima. Hanc sententiam defendunt *Isaacus Habert*, *Sirmondus*, *Nic. L'Herminier* aliique. Praecipua fundamenta huius sententiae sunt auctoritas Scripturarum, quae Act. VIII solam manuum impositionem memorant; silentium veterum Ritualium et Pontificalium circa chrismatis unctionem, et ea Patrum et Conciliorum testimonia, in quibus mentio fit solius manus impositionis, qualia sunt § 555 n. 2 citata ex *Irenaeo*, *Tertulliano* (1): *Cypriano*, *Hieronymo*, *Augustino* (2): ex *Concilio Eliberitano* etc. — Verum si in Sacra Scriptura nulla fit mentio unctionis, ea tamen non excluditur. Recte enim *Estius* (3) observat, quod, cum ea

(3) In 4, d. 7, § 6.

quae ad ritus sacramentorum pertinent, secretissima haberentur ac fere sola voce quasi per manus traderentur, noluit Lucas aut elementum, aut verbum huius sacramenti ex integro manifestare, ideoque usus est vocabulo manus impositionis, quae generalis quaedam caeremonia est varie adhiberi solita. Constat porro, non omnia fidei nostrae dogmata ex sola Scriptura, sed multa ex traditione haberi: ex hac autem constat, unctionem cum chrismate semper in Ecclesia adhibitam fuisse ad conferendum Spiritum sanctum, quod probant argumenta § 555 adducta. — Falso etiam opponitur silentium veterum Ritualium et Pontificalium circa chrismatis unctionem. Nam *Martenius* de antiq. ritibus(1) ingenti numero Ordinum confirmationis in medium adducto evincit, semper praescribi unctionem in illis ordinibus, in quibus ritus confirmationis ex professo describuntur; in iis vero, in quibus siletur de chrismate, ut plurimum pariter nullam mentionem haberi manuum impositionis, sed solam orationem praescribi; quia cum infantibus plerumque baptisma conferretur a sacerdotibus, qui absque delegatione confirmare non poterant, hinc sola oratio ab ipsis recitabatur, quin confirmationem administrarent. — Ss. Patres, qui impositionem manuum tanquam materiam confirmationis assignant, unctionem non excludunt, de qua alibi loquuntur, ut patet ex citatis § 555 n. 2 testimoniis *Tertulliani, Cypriani, Augustini* etc.

2. *Secunda sententia* est eorum, qui essentialem confirmationis materiam in sola chrismatis unctione collocandam esse censent, ut *Gregorius de Valentia, Bellarminus, Maldonatus, Estius* et multi alii. Hanc sententiam probant ex S. Scriptura, quae II Cor. I, 21 dicit: *Qui confirmat nos - et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris,* quae verba de confirmatione, quae unctione perficitur, exponit *S. Ambrosius* (2). Et I Io. II, 20 haec habet: *Vos unctionem habetis a Sancto:* quod *S. Augustinus* (3) interpretatur de confirmatione. Et v. 20: *Vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis:* quod iterum *S. Augustinus* (4) et *S. Cyrillus Hier.* (5) intelligunt de confirmatione; quamvis enim verba citata de effectibus spiritualibus exponi possint, recte tamen dicitur, vocabula ab externo ritu, qui illos significat, mutuata esse. Citant etiam huius sententiae patroni plurima Patrum testimonia, in quibus effectus confirmationis soli unctioni adscribuntur. Urgent praeterea euchologia Graecorum, in quibus sola chrismatis unctio praescribitur, nulla facta manuum impositionis mentione; quod idem etiam in nonnullis antiquissimis ritualibus Latinorum observatur. Insistunt quoque auctoritati *S. Thomae,* qui (6) dicit: « Chrisma est conveniens materia huius sacramenti. — In hoc enim sacramento datur plenitudo Spiritus sancti ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati. Homo autem cum ad perfectam aetatem pervenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios, antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit. Gratia vero Spiritus sancti in oleo designatur, unde Christus dicitur esse unctus oleo laetitiae propter plenitudinem Spiritus sancti, quam habuit. Et ideo oleum competit ma-

(1) Lib. 1, c. 2, art. 3, § 7.
(2) Lib. de initiand. c. 7.
(3) Tract. 3 in I Ep. Ioann. (4) L. c.
(5) Catech. 3. (6) 3 p., q. 72, art. 2.

teriae huius sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quae redundat ad alios: unde Apostolus dicit: *Christi bonus odor sumus* etc. (1). Et licet multa alia sint odorifera; tamen praecipue accipitur balsamum propter hoc, quod habet praecipuum odorem, et quia etiam incorruptionem praestat; unde Eccli. dicitur: *Quasi balsamum non mixtum odor meus* » (2). Denique nituntur auctoritate *Eugenii IV*, qui in decreto pro Armenis ait: « Confirmationis materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto. » Iuxta hanc sententiam confirmationis materia remota est chrisma, proxima vero est unctio chrismate perficienda. — Quamvis autem haec argumenta gravis ponderis sint, per ea tamen impositio manuum a confirmationis materia non excluditur. Tametsi enim admittatur, in citatis scripturae locis de unctione, quae chrismate perficitur, sermonem esse, negari tamen nequit, Act. VIII, impositionem manuum expresse pro confirmationis materia assignari. Testimonia Patrum, qui de unctione loquuntur, non expungunt illa testimonia, in quibus de manuum impositione sermo est. Falsum porro est, vetera euchologia et praxim Orientalium reiicere manuum impositionem. Etenim *Renaudotius* (3) ostendit, eam in non paucis euchologiis inveniri, atque concludit: « Impositio manuum in plerisque Graecorum libris ritualibus praescripta reperitur, quamquam ut praecipua confirmationis pars non habeatur. Quod non ideo fit, quasi Graeci et Orientales magnam in impositione manuum efficaciam non agnoscant, sed quia, cum illa in omnibus ferme sacramentis fiat, unctionem, quae paucorum propria est, principalis materiae tenere locum existiment. » Hoc idem testatur *Simon Assemanus*, qui praeterea eandem manuum impositionem invenit in rituali Nestorianorum in Chaldaea degentium (4). In ritualibus Latinorum antiquis praescribi manuum impositionem, testantur *Walafr. Strabo* (5), *Amalarius* (6), *Rabanus Maurus* (7), *Alcuinus* (8) et alii. — *S. Thomas* in citato articulo proprie non quaerit, an chrisma sit sola materia confirmationis, sed an sit materia conveniens, quod ibidem affirmat et probat. Ipsum autem non excludere manuum impositionem patet ex Lect. I, in cap. 6 Ep. ad Hebr., ubi haec habet: « Secundum sacramentum intrantium (in Ecclesiam) est in ipsa manuum impositione.... haec autem est duplex: una est miracula faciens. ... alia est sacramentalis, et haec est duplex: una in sacramento ordinis... Alia in sacramento confirmationis ad renovationem; in confirmatione enim datur Spiritus sanctus ad robur. » Denique cum *Eugenius IV* in decreto unctionem assignat pro materia confirmationis, non excludit manus impositionem, quomodo cum assignat instrumentorum porrectionem pro materia sacramenti ordinis, impositionem manuum pariter non excludit, quam constat in utraque Ecclesia semper adhibitam fuisse tanquam huius sacramenti essentialem materiam. Caeterum confitentur cordati theologi, ea, quae in decreto pro

(1) 2 Cor. 2, 16. (2) C. 24, 21.
(3) Perpet. fid. lib. 2, c. 2.
(4) Bibl. Orient. t. 3, p. 2, Dissert. de Syris Nestor. (5) De rebus eccles, cap. 26.
(6) Lib. 1, de off. eccl. c. 27.
(7) De instit. cleric. c. 30.
(8) De off. eccl.

Armenis enuntiantur, de fide non esse, quia hoc decretum non a *Concilio Florentino*, sed ab Eugenio IV, nec pro tota Ecclesia, sed tantum pro Armenis editum est (1).

3. *Tertia sententia* eorum est, qui existimant, perinde esse, sive impositio manuum sola, sive sola chrismatis unctio adhibeatur, et alterutram seorsim sumptam plenam et adaequatam confirmationis materiam esse, velut visum est *Ruardo Tappero*, et *Io. Morino*, vel potius huius editori, qui in nota ad cap. 8, Diss. de confirm. dicit, et manus impositionem et chrismationem materiam essentialem esse sacramenti confirmationis, sed nunc utramque simul, nunc alterutram tantum applicatam fuisse pro diversa locorum, temporum, Ecclesiarum consuetudine: ubi vero utraque simul adhibetur, nihil plus conferri, quam si alterutra adhibeatur; dari per utramque simul, dari per alterutram Spiritum sanctum: quod illustrat exemplo eucharistiae, qua nihil plus confertur, sive alterutra, sive utraque species distribuatur. Argumenta pro hac sententia petuntur ex variis Ss. Patrum et Conciliorum testimoniis, in quibus, dum collatio Spiritus sancti per confirmationem praedicatur, modo de sola manus impositione, modo autem de sola unctione mentio fit. Conantur porro huius sententiae patroni ostendere, ex antiquis monumentis patere, impositionem manuum, quam primo Apostoli adhibuerunt, successu temporis in chrismatis unctionem mutatam fuisse. Nam, aiunt, *Innocentius III* cap. *Cum venisset* § 7 (2) inquit: « Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio. » *Innocentius IV* (3) ad Othon. Card. scribit: « Soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur: » *Eugenius IV* in Decr. pro Arm. ait: « Loco alius manuum impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum sanctum, datur in Ecclesia confirmatio. » *Nectarius* Patr. Hieros. in confessione fidei ab aliis Episcopis approbata (anno 1662) dicit: « Haec unguenti unctio sive unctionis efficacia aevo apostolico per impositionem manus fiebat, ut habetur Act. VIII: postmodum unctione unguenti fieri coepit. » *Concilium Moguntinum* anno 1549 ita de confirmatione (4) disserit: « Hoc sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem traditione adhibita chrismatis unctione coepit conferri. Nam cum ab initio Spiritus sanctus signo visibili influeret, confirmatis unctione non erat opus: postea vero adulta Ecclesia, cum signa externa apparere non consueverunt, mox in locum visibilis signi unctio chrismatis adhiberi coepit. » — Sed adversus istam sententiam observandum est, quod Patres et Concilia de utraque quidem materia loquantur, sed nullibi asserant, arbitrio Ecclesiae commissum esse, ut unam, vel alteram materiam ad conferendum confirmationis sacramentum eligat. Citati Rom. Pontifices et *Concilium Moguntinum* nihil aliud voluerunt indicare, quam nominis immutationem adeo ut illud ipsum sacramentum, quod aetate apostolica nomine *impositionis manuum* significabatur, postea vocatum fuerit *confirmatio* sive *chrismatio*, quod sedulo singulorum verba perpendenti

(1) Cf. Lud. Habert de confirm., Berti, l. 32, c. 4, n. 10.

(2) Decret. l. 1, tit. 15. De s. unctione.
(3) In Epist. 10, cap. 4. (4) Cap. 18.

palam fiet. Itaque etiam iuxta ipsorum mentem cum chrismatis unctione impositio manus coniungenda est: sic *Innocentius III* id aperte declarat (1) cap. *Quanto*, dicens : « Sacramentum confirmationis chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre. » Et *Concilium Moguntinum* ibid. repetit : « Illinc ab Ecclesia catholica acceptam normam tradendi Spiritus sancti per manus Apostolorum. » Caeterum mens huius Concilii certo ea non est, quod aevo apostolico materia confirmationis fuerit sola impositio manus, et quod nunc sit sola unctio ; sed Concilium nihil aliud tradere videtur, nisi quod *S. Thomas* in Summa (2) docet inquiens: «Per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus huius sacramenti scilicet plenitudo Spiritus sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre : et tunc non erat necessaria nec materia, nec forma huius sacramenti. Quandoque autem (Apostoli) tanquam ministri sacramentorum hoc sacramentum praebebant, et tunc sicut materia , ita et forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in sacramentorum collatione, quae in Scripturis non sunt tradita. »

4. *Quarta sententia* est eorum, qui manuum impositionem , simulque chrismatis unctionem materiam sacramenti confirmationis constituunt, et utramque ita necessariam iudicant, ut confirmatio nulla sit et inanis, si vel haec, vel illa praetermissa fuerit. Hanc sententiam defendunt *Card. Orsi*, *Gotti*, *Natalis Alex.*, *Tournely*, *Berti*, *Billuart* et plurimi alii. Haec sententia sibi argumenta omnia vindicat, quibus patroni primae sententiae necessitatem impositionis manuum, et secundae sententiae defensores necessitatem chrismationis probant ; e contra vero haec quarta sententia omnes difficultates, quibus unaquaeque trium priorum urgetur, facile declinat, nec oppugnari potest nisi argumentis, ut vocant, negativis, quibus positiva opponuntur. Ast etiam inter illos, qui quartam sententiam sequuntur, dissentio datur. Nonnulli enim, ut *Tournely*, *Domin. Schram* etc., etiam primam impositionem manuum, quae fit ab initio generaliter super omnes confirmandos, ut necessariam confirmationis materiam reputant : alii vero cum *Billuart*, *Perrone*, et multis aliis contendunt, illam solam manuum impositionem sufficere, quae cum chrismatis unctione coniuncta est. Hanc eandem etiam veteres per illam manus impositionem intelligebant, quam ad sacramentum confirmationis necessariam esse asserebant. Sic *Ven. Beda* (3) ait: « Illa unctio, quae per manus impositionem ab Episcopis fit, confirmatio dicitur. » *Rabanus Maurus* (4) inquit: « Episcopus baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignat. » *Amalarius Fortun.* (5) haec habet: « Ut ab Episcopis solis inungantur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est. » Similia habent *Ratramus Corbei.* (6), *Ivo Carnot.* (7), *Rupertus Tuit.* (8), *Hugo Victor.* (9). His suffragatur *Benedictus XIV*, qui de Syn. dioec. (10) ostendit, veram manus impositionem in unctione contin-

(1) Lib. 1, tit. 4.
(2) 3 p., q. 72, art. 4 ad 1.
(3) In Expos. Ps. 26.
(4) Lib. 1, de instit. cler. c. 28.
(5) Lib. 1, de off. eccl. c. 27.
(6) Lib. 4, c. oppos. Graec. c. 7.
(7) Op. de conven. V. et N. T.
(8) Lib. 5, de offic. div. c. 16.
(9) Lib. 2, de sacram. p. 15, c. 1.
(10) Lib. 13, cap. 10. § 16.

gere, « quia sine admotione atque impositione manus inungi nequeat illius frons, qui confirmatur »; atque ideo non primam generalem pro essentiali confirmationis materia esse habendam, « siquidem ea manus protensio versus confirmandos, quam Episcopus habet, dum primas recitat preces, nequaquam manus impositio super eos iure ac proprie dici posse videtur. » Et (1) addit: « Cum Episcopus sub functionis exordium primam orationem recitet, simulque manus protendat super eos, qui praesentes adsunt sacramentum suscepturi, nec amplius eandem orationem repetat; manusque protendat ad eos, qui praesentes non aderant, cum primum haec praestitit, sed paulatim subingressi sunt in locum eorum, qui chrismate inuncti recesserunt; cumque huiusmodi agendi ratio communiter recepta sit, et passim servetur, nemine penitus contendente, propterea nullum irritumque esse confirmationis sacramentum: satis id est ad evincendum, manuum extensionem, quae praeindicato tempore fit ab Episcopo super confirmandos, neque reipsa esse, neque censeri eam manuum impositionem, quae ad validitatem sacramenti requiritur. » Manifestum porro est, hanc ultimam sententiam fere coincidere cum secunda; nam qui hanc defendunt, communiter impositionem manus, quae in chrismatis unctione contingit, ab essentiali confirmationis materia non excludunt.

Nota 1. Oleum ex olivis expressum necessario requiritur ad chrismatis confectionem, cum Patres ac monumenta vetera constanter olei meminerint, de hoc sacramento disserentes; olei autem nomine sine ullo addito significari illud, quod ex olivis exprimitur, theologi omnes fatentur. Sed si quaeritur, an mixtio balsami cum oleo ad chrisma conficiendum sit de necessitate sacramenti, an tantum de necessitate praecepti, theologi non conveniunt. Cl. *Tournely* putat, ad essentialem confirmationis materiam sufficere oleum; et mixtionem balsami in chrismate non esse de necessitate sacramenti, tum quia veteres saepe solius olei meminerunt, apud quos oleum chrisma dicitur, sicut *Innocentius I* oleum infirmorum chrisma vocat, tum quia *Innocentius III* (2) consultus, an confirmatio sine balsamo collata iteranda sit, respondit, nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat omissum. — E contra *Bellarminus* et *Berti* censent, balsamum esse de necessitate sacramenti, tum quia *Concilia Florentinum* et *Tridentinum* (3) in balsamo vim gratiae productivam agnoscunt, et veteres saepe chrisma a simplici oleo distinguunt; tum quia in forma huius sacramenti, chrismatis expressa fit mentio, et in consecratione chrismatis preces ad consecrandum balsamum diriguntur. His rationibus ductus cl. *Berti* suadet, ut, si balsamum omissum fuerit, confirmatio cum chrismate sub conditione iteretur (4).

Nota 2. Chrisma benedici aut consecrari oportere, universae Ecclesiae constans est et perpetua traditio. Iam *Tertullianus* lib. de bapt. (5) ait: « Egressi de lavacro perungimur *benedicta* unctione. » *S. Cyprianus* (6) inquit: « oleum in altari sanctificari. » *S. Cyrillus Hier.* (7) dicit: « Sanctum unguentum non amplius est unguentum, posteaquam consecratum est; sed Christi chrisma. » *S. Basilius* (8)

(1) N. 17.
(2) C. *Pastoralis*, De sacr. non iter.
(3) Sess. 7, de confirm. can. 2.
(4) Cf. Billuart De confirm. Dist. 1, art. 3.
(5) Cap. 7. (6) Epist. 70. (7) Catech. 3.
(8) Lib. de Spir. S. c. 7.

scribit: « Benedicimus baptismatis aquam, et unctionis oleum: quibus vero Scripturis edocti? nonne a secreta et arcana Traditione? » Etiam *Concilium Nicaenum I* consecrationis chrismatis meminit, et *Laodicenum* vocat chrisma sacratissimum: idem patet ex libris ritualibus, in quibus ritus benedicendi seu consecrandi chrisma praescribuntur. — Haec vero benedictio chrismatis fieri debet ab Episcopo tanquam ministro proprio, prout statutum est in *Conciliis Carthaginensibus* anno 370, c. 3, et anno 397, c. 36, et *Toletano I*, c. 20. Idem docent *Innocentius I* (1) et *Leo M.* (2). Quaeruntscholae, an consecratio chrismatis ab Episcopo facta sit de necessitate sacramenti? Affirmant *Gonet*, *Billuart*, *Th. ex Charmes* etc., quia in decreto pro Armenis eodem tenore definitur, materiam sacramenti confirmationis esse *chrisma benedictum ab Episcopo* quo definitur esse *chrisma confectum ex oleo et balsamo*. — Probabilius autem cum *Tournely* et multis aliis negatur, quia necessitas talis benedictionis neque ex S. Scriptura, neque ex Ss. Patribus aut Conciliis sufficienter probari potest; nam licet Patres hanc consecrationem agnoverint, nullus tamen eam ad valorem sacramenti requiri asseruit. Imo consecratio chrismatis ab apostolica Sede simplici presbytero committi potest; nam *Concilium Toletanum* prohibet quidem presbyteris confectionem chrismatis, quae in nonnullis locis in usu erat, nec tamen consecrationem a presbyteris factam irritam declaravit: et ideo Rom. Pontifices dispensarunt cum Missionariis in India, ut ipsi chrisma conficerent, ut constat ex Bulla *Eugenii IV* anno 1444, quam refert *Wadingus* t. 5. Dum Patres et Concilia pro confirmatione requirunt chrisma ab Episcopo benedictum, intelligendi sunt de sola necessitate praecepti ecclesiastici; cum pari ratione memorent, cum de baptismo scribunt aquae consecrationem, vel trinam immersionem, quas tamen esse de praecepto divino, aut de necessitate sacramenti nemo dixerit. Etiam *Eugenius IV* censendus est assignare materiam confirmationis ordinariam, et praecepto ecclesiastico conformem.

(1) In Epist. ad Decent.

(2) In Epist. ad Episc. Galliae et Germ.

II. *De forma confirmationis.*

§ 558. Forma sacramenti confirmationis sunt verba, quae Episcopus in applicatione materiae pronuntiat. Nam forma sacramenti sunt verba, quae expressius significant et determinant materiam ad designandum effectum sacramenti. Ergo etiam verba, quae profert minister, dum materiam confirmationis applicat, sunt forma huius sacramenti. — Episcopus autem tum ab initio manus super omnes confirmandos imponens orationem recitat: *Omnipotens sempiterne Deus* etc. tum chrismatis unctionem perficiens pronuntiat haec verba: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. Dubitari ergo non potest, formam in hoc sacramento nullatenus deesse. Si autem quaeritur, quaenam forma sit essentialis et de necessitate sacramenti, theologi non consentiunt, sed pro diversitate sententiarum, quas de essentiali confirmationis materia amplectuntur, in varias quoque sententias circa essentialem confirmationis formam abeunt.

1. Qui cum *Sirmondo* solam manus impositionem, et quidem primam, pro essentiali confirmationis materia habent, pro eiusdem forma essentiali orationem statuunt, quam Episcopus extendendo manus fundit, dicens: *O-*

mnipotens etc.: illa vero verba ad chrismationem dici solita : *Signo te* etc. volunt esse formam ad integritatem solum sacramenti spectantem. Sententiam suam ex S. Scriptura et Patribus probant. Nam Act. VIII legitur, quod Apostoli manus imponendo *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum:* ergo Apostoli confirmationem administrantes usi sunt deprecatoria orationis forma, qualis hodie est illa oratio : *Omnipotens* etc., non vero illa : *Signo te* etc., quae tantum est indicativa. Formam vero deprecativam semper in Ecclesia usitatam fuisse, Patres testantur. Nam *Tertullianus* (1) dicit : « manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum. » *S. Cyprianus* (2) ait : « Ut per nostram orationem et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur. » *S. Ambrosius* (3) scribit : « Ad invocationem Spiritus sanctus infunditur.» *S. Augustinus* (4) inquit : « Nos quidem pro modulo nostro hoc donum accipere possumus, effundere autem super alios utique non possumus, sed ut fiat, Deum invocamus. » Ideo forma deprecatoria seu oratio in antiquissimis Latinorum et Graecorum ritualibus praescribitur ; de verbis autem in chrismatione usitatis in monumentis Ecclesiae ante saeculum septimum mentio non occurrit.

2. Qui cum *Bellarmino* secundam sententiam defendunt, pro essentiali confirmationis forma statuunt verba in chrismatis unctione ab Episcopo prolata. In Ecclesia Latina adhibentur verba supra adducta. In Ecclesia autem Graeca haec verba in chrismatione adhibentur. *Signaculum doni Spiritus sancti* (subaudito: *tibi do*, vel *tibi datur*); quorum verborum, iuxta orthodoxam confessionem Ecclesiae Orientalis (5), sensus est: *In unctione sacri unguenti obsignaris confirmarisque in Spiritus sancti donis, quae in confirmationem christianae fidei tuae accipis :* ex qua declaratione patet, formam Graecorum a forma Latinorum quoad substantiam non differre. Verba enim in utraque Ecclesia usitata effectum sacramenti confirmationis, robur scilicet animi atque inaugurationem ad certamen christianae militiae quam optime exprimunt. Praeterea verba haec sola, saltem quoad substantiam et sensum, reperiuntur in omnibus, qui supersunt, sacramenti confirmationis Ordinibus. E contrario vero non eadem habetur constantia quoad illam orationem : *Omnipotens, sempiterne Deus* etc. quam recitat Episcopus, dum manus super omnes confirmandos protendit; in nonnullis enim Ordinibus postponitur unctioni, in aliis praemittitur, in aliis penitus omittitur, ut ostendit *Martenius* de ant. Eccl. rit. (6). Quibus invictum robur additur ex Graecorum et Orientalium Euchologiis, in quibus prima illa impositio manuum cum oratione ad invocandum Spiritum sanctum non ita communiter praescribitur, ut in ritualibus Latinorum, sed frequenter silentio praeteritur, ut commonstrat *Renaudotius* (7). — Quod autem Patres, praesertim Latini, verba, quae unctionem comitantur, non referant, facile inde explicatur, quia ipsis supra modum curae erat et religioni, ne sacramentorum formas propalarent. Hinc illud effatum *Innocentii I* (8), qui de confirmatione loquens ait : « Verba dicere non possumus,

(1) De bapt. c. 3. (2) Ep. 73.
(3) Lib. 3, de sacram. c. 2.
(4) Lib. 15, de Trin. cap. 25.
(5) P. 1, q. 104. (6) Lib. 1, c. 2, art. 3.
7) Perpet. fid. lib. 2, cap. 12.
(8) Ep. 1 ad Decent.

ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere. » Hinc quoque istud *Dionysii* (1) dicentis : « Invocationes consecratorias (in ordinatione adhibitas) nefas est scripto interpretari, et e secreto in publicum efferre. » Caeterum formam apud Graecos usitatam iam commemorat *Concilium generale CPtanum I* can. 7, ubi dicitur : *Recipimus obsignandos sive ungendos primum sancto chrismate et frontem et oculos.... et eos signantes dicimus : signaculum doni Spiritus sancti.* Tandem *Eugenius IV* diserte in decr. pro Armen. declarat: *Forma autem* (confirmationis) *est: signo te signo crucis* etc. Si autem obmovent, verba ista non esse orationem: advertendum est cum Card. *Bellarmino* (2), « formas sacramentorum esse preces mysticas, licet interdum proferantur per verbum indicantis; nam semper a Deo expectatur et petitur principalis operatio in sacramentis. » Et si orare dicitur, qui Deum laudat vel gratias agit, multo magis orare dicendus est, qui ut minister Christi verba profert ad conferendum Spiritum sanctum divinitus instituta. Caeterum singula verba formae usitatae ad Christum Dominum, seu Spiritum sanctum auctorem haud ita referimus, ac si essent ab ipso immediate ordinata: alioquin verba haec nunquam in Ecclesia varia esse potuissent, aut etiam in Ecclesia orientali et occidentali diversa. Christus ergo non determinavit formam confirmationis in specie et quoad verba, sed tantum in genere, statuendo scilicet, ut adhiberentur verba, quae huius sacramenti effectum sufficienter exprimerent, eaque ab Ecclesia determinarentur : post cuius determinationem verba formae ita sunt necessaria, ut si mutarentur quoad sensum nullum foret sacramentum.

3. Qui cum *Morino* tertiae sententiae adhaerent, existimant, validam esse confirmationem, sive per solam manuum impositionem cum oratione : *Omnipotens* etc., sive per solam chrismatis unctionem sub verbis : *Signo te* etc. conferatur. Quae autem huic sententiae opponuntur, iam § praec. n. 3 vidimus. Denique qui quartam sententiam amplexi cum *Tournely*, tum primam manuum impositionem, tum chrismatis unctionem pro essentiali confirmationis materia habent, etiam sub forma essentiali tum orationem : *Omnipotens, sempiterne Deus* etc., tum verba: *Signo te* etc. comprehendunt. Qui autem cum *Billuart* eam manus impositionem, quae fit in unctione sufficere dicunt, conveniunt cum secundae sententiae patronis, et essentialem formam consistere dicunt in verbis : *Signo te signo crucis* etc. Ecclesia controversias theologorum circa materiam et formam confirmationis dirimere noluit, sed sapientissime ordinavit, ut utraque materia et forma in collatione huius sacramenti sollicite adhibeatur.

ARTICULUS III.

De ministro confirmationis.

§ 559. Duplex debet distingui minister confirmationis, *ordinarius* et *extraordinarius*. Ordinarius est, qui vi sui ordinis habet perfectam et completam potestatem hoc sacramentum valide conferendi, et talis est Episcopus. Minister extraordinarius est, qui vi sui ordinis habet potestatem incompletam et inchoatam conferendi hoc sacramentum, quae indiget perfici et compleri per dispensationem seu delegationem, ut valide exerceatur. *Primum* est certum de fide seu dogma catholicum, quod contra hae-

(1) De ecci. Hier. c. 7, § 10.
(2) De confirm. lib. 2, c. 10, n. 5.

reticos probare oportet: circa *secundum* dissentiunt theologi, quorum variae sententiae cum argumentis, quae afferunt, ponderandae sunt.

I. *Solus Episcopus est minister ordinarius confirmationis.*

§ 560. Iam prioribus Ecclesiae saeculis nonnulli extiterunt, qui ordinariam sacramentum confirmationis administrandi potestatem sicut Episcopis ita et presbyteris adiudicarunt. Eundem errorem saeculo nono propugnavit *Photius*, Pseudo-Patriarcha CPtanus graecorum schismaticorum antesignanus, qui cum suis sectariis contendit, presbyteros esse ministros ordinarios confirmationis. Cum *Photio* hac in re consenserunt *Waldenses*, *Wicleffitae* et *Hussitae*. Mirum porro non est, istorum vestigia *Novatores* quoque saeculi decimi sexti secutos esse. Nam non tantum discrimen omne tollunt inter Episcopos et presbyteros, sed etiam inter plebem et ministros, atque sacramentum ipsum confirmationis irrident. Hinc, quando *Calvinus* consuetudinem Ecclesiae, qua soli Episcopi hoc sacramentum administrant, suo more sugillans (1) ait: « Digni sunt cornuti infulatique asini tali praerogativa: » haec ex improbi cordis thesauro profert scurrilis homo. Nobis, quae catholicae Ecclesiae doctrina sit, inquirendum est, et difficultates quaedam, quae hac in re occurrunt, enodandae sunt. Iuxta doctrinam vero catholicam Episcopi habent potestatem confirmandi, quae non est illis cum presbyteris communis, quia sacramenti confirmationis ordinarius minister est solus Episcopus, non autem quivis alius Sacerdos. Dogma hoc probatur ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, ex *Rom. Pontificum* et *Conciliorum decretis*.

1. *In S. Scriptura* (2) narratur, fuisse a Philippo diacono baptizatos viros ac mulieres; quod cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, *miserunt ad eos Petrum et Ioannem*, qui pro illis baptizatis oraverunt, *ut acciperent Spiritum sanctum*, nempe per sacramentum confirmationis. Philippus enim hoc iisdem conferre non poterat, unde (3) legitur: *Nondum enim* (Spiritus sanctus) *in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu*. De Petro autem et Ioanne (4) dicitur: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Iam vero cur Apostoli ad hoc confirmationis sacramentum neophytis conferendum missi fuerint, non vero illud contulerit ipse Philippus, qui eosdem baptizaverat, nulla alia reddi potest ratio, quam quod Christus Dominus voluerit, illud nonnisi per Apostolos dari adeoque per Episcopos, qui sunt Apostolorum successores (5). *Basnagius* quidem contendit, Dei favore demandatam esse Apostolis facultatem manus imponendi, prout erant *Apostoli*, non prout erant *Episcopi*, ad posteros propterea non transmittendam. At quibus documentis id evincit homo heterodoxus? ne unum quidem pro sua distinctione validum testimonium ex tota antiquitate proferre potest. Catholici e converso ostendunt, Apostolos manus imposuisse, prout erant Episcopi, ex sensu et praxi universae antiquitatis, ut ex mox dicendis apparebit.

2. *Ss. Patres* solis Episcopis confirmationem conferendi potestatem adiudicant. *S. Cyprianus* Ep. ad Iubai. (6) ait: baptizatos «Praepositis Ec-

(1) In Antid. Conc. Trid.
(2) Act. 8, 14, etc. (3) Ib. v. 16. (4) V. 17.
(5) V. Th. gen. § 228, etc.
(6) Epist. 73, n. 7.

clesiae offerri... ut Spiritum sanctum consequantur. » *Firmilianus* in sua ad Cyprianum Epist. dicit: « maiores natu (id est, Episcopi, qui in Ecclesia praesident), manus imponendi et ordinandi possidere potestatem. » *Cornelius* P. in cit. Epist. lamentatur, quod Novatianus *ab Episcopo consignatus* non fuerit. *S. Chrysostomus* (1), loquens de manuum impositione seu confirmatione, inquit: « Haec Apostolorum erat praerogativa, unde et praecipuos (Episcopos, qui praesident) et non alios videmus hoc facere. » *S. Hieronymus* Dial. adv. Lucif. (2) ultro admittit, « hanc esse consuetudinem Ecclesiarum, ut ad eos, qui longe a maioribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manus impositurus excurrat. » *S. Augustinus* (3) scribit: « Neque enim aliquis discipulorum eius (Christi) dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis Praepositis etiam nunc servat Ecclesia. » *Isidorus Pelus.* (4) disserens de confirmatione Samaritanorum ait: Philippus « baptizabat dumtaxat, ut discipulus: Apostoli autem gratiam explebant et perficiebant, ut qui huiusmodi muneris tribuendi potestatem atque auctoritatem divino beneficio accepissent. » *Ven. Beda* (5) inquit: « Notandum, quod Philippus, qui Samariae evangelizabat, unus de septem fuerit: si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum, hoc enim solis Pontificibus debetur. »

3. *Rom. Pontificum Urbani I, Innocentii I* et *Damasi* decreta iam citata fuerunt § 555 n. 2. Ulterius *Gelasius I* Ep. ad Episc. Lucan. (6) prohibet: « Presbyteros ultra modum suum tendere, nec episcopali fastigio debita audacter sibimet assumere; non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendae sibimet arripere facultatem. » Labente saeculo sexto, cum Ecclesiae Calaritanae presbyteri ius confirmandi usurparent, *S. Gregorius M.*, data ad Ianuarium Calaritanum epistola (7), abusum repressit dicens: « Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non praesumant, sed presbyteri baptizatos ungat in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte. » Iam saeculo praecedenti *Leo M.* (8) loquens de Chorepiscopis dixerat: « ipsis non licere nec erigere altaria, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis aut ab haeresi conversis paracletum Spiritum dare, nec chrismate baptizatorum frontes signare, quia haec solis Episcopis conveniunt. » Cum *Photius* ordinariam confirmandi potestatem presbyteris tribueret, *Nicolaus I* errorem non tulit nec dissimulavit, atque Bulgaros a Photianis presbyteris confirmatos iterum iussit confirmari, quia isti ordinariam potestatem non habuerunt, et delegari non poterant a Patriarcha CPtano, cum Bulgari subessent occidentali. Hoc factum colligimus ex Epistola *Photii* ad omnes orientis Episcopos, ubi de indicato Nicolai decreto acerbe conqueritur. Idem factum narratur in Epistola synodica ad Adrianum directa a Concilio generali VIII. — *Innocentius III* eundem graecorum abusum aetate sua damnavit: in sua

(1) Hom. 18, in Acta n. 3.
(2) N. 9. (3) L. 15, de Trin. c. 26.
(4) Lib. 1, Epist. 450
(5) Comment. in Acta Ap. cap. 8.
(6) Ep. 9, c. 6. (7) Lib. 4, al. 3, ep. 9.
(8) Epist. 88.

enim ad Lucium, Legatum CPtanum, epistola ita loquitur : « Pervenit ad audientiam nostram, quod quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta praesumant fidelibus exhibere, quae ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre... Discretioni tuae mandamus, quatenus omnibus Latinis presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne talia de caetero sua temeritate praesumant. » *Gregorius IX* in Epist. ad Barensem Episc. repetit et confirmat decretum *Innocentii III* (1). *Innocentius IV* consultus de ritibus Graecorum in Epist. ad Othonem Card. Legatum in regno Cypri de confirmatione sic respondet : « Soli Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia huius unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi ; quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur. » *Eugenius IV* in decr. pro Armen. de confirmatione loquens declarat : « Ordinarius minister est Episcopus. Et cum caeteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, ut Act. Apost. lectio manifestat. »

4. *Concilium Eliberitanum* can. 38 iubet baptizatos a laicis aut diaconis duci *ad Episcopos, ut per impositionem manuum et benedictionem eos perficiant :* et can. 77 ait : *Episcopus eos per benedictionem perficere debet.*

(1) V. lib. 1 Decretal. tit. de consuetudine.

Arelatense III anno 455 sanxit, ut Monachi Lirinenses, si neophyti fuerint, nonnisi ab Episcopo Foroiuliensi confirmentur. Cum saeculo septimo Agapius, Episc. Cordubensis, frequenter presbyteris confirmandi facultatem concesserit, hunc abusum repressit *Concilium Hispalense II* an. 619, quod can. 7 declarat : *Non licere presbyteris per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex haeresi paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare,* quia pontificatus apicem non habent. *Tridentinum* Sess. VII de confirm., can. 3 definit : *Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.* Huc etiam spectant verba Concilii, quibus, ut erroris radicem evellat, contra Protestantes discrimen inter Episcopos, et presbyteros declarat Sess. XXIII, can. 7 dicens : *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; anathema sit.* Et eadem Sess. cap. 4 ita loquitur : *Sacrosancta Synodus declarat, praeter caeteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in locum Apostolorum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, ut Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse; ac sacramentum confirmationis conferre; ministros Ecclesiae ordinare; atque alia pleraque peragere ipsos posse; quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.*

Nota 1. Quaeri potest, an de fide sit credendum, quod Episcopi soli sint ordinarii confirmationis mini-

stri *ex institutione divina?* Nonnulli theologi *negative* respondent, cum, ut ait cl. *Perrone* (1), « *Tridentinum* unice definierit, Episcopum esse ministrum ordinarium huius sacramenti, nec esse communem cum presbyteris facultatem, quam habent Episcopi, confirmandi; neque declaraverit quo iure, divino scilicet an ecclesiastico, id Episcopis competat. Nec enim desunt gravissimi theologi, qui iure tantum ecclesiastico ea facultate Episcopos pollere contendant. In hanc sententiam utpote commodiorem ad solvendas difficultates, ac traditioni magis conformem propensum se ostendit, et pluribus argumentis nisus est illam adstruere *Trombellius* (2). Iuverit saltem ea, quae de fide sunt, secernere ab iis, quae inter theologos disceptantur. » — Alii vero theologi ad praefatam quaestionem *affirmative* respondent. Sic *Thomas ex Char.*, tract. de sacr. (3) propositionem quam statuit: « Solus Episcopus est *ex institutione divina* minister ordinarius confirmationis, dicit, de fide esse credendam. » Nec rationes desunt, quae huic adsertioni suffragantur. Patres enim antiqui Ecclesiae consuetudinem, qua fit, ut soli Episcopi confirmationem administrent, non ab institutione ecclesiastica, sed ab exemplo Apostolorum repetunt; unde recte infertur, sermonem esse de tali potestate, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo acceperunt. Neque assignari potest tempus, quo vel a Rom. Pontifice, vel a Concilio ordinaria confirmandi potestas solis Episcopis adiudicata fuerit. Praeterea dogmata fidei irrefragabilia sunt: si ergo fidei dogma est, solum Episcopum ordinarium esse confirmationis ministrum, necesse est, ut id semper verum, et de fide credendum sit. Ast si ordinaria confirmandi potestas ex iure tantum ecclesiastico solis Episcopis competeret: Ecclesia quod Episcopis concessit, revocare posset, et sic dogma mutationi subiiceretur. Denique *Tridentinum* Sess. XXIII, can. 6 definit, hierarchiam, quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris, esse ex institutione divina; discrimen vero quo Episcopi superiores sunt presbyteris, tum can. 7, tum cap. 4 reponit in potestate confirmandi, sicut in potestate ordinandi, quam solis Episcopis ex institutione divina competere, omnes Catholici admittunt.

Nota 2. Doctrinae propositae variae difficultates opponuntur: neque negari potest, easdem facilius solvi aut secari, si dicatur, non esse de fide, quod *ex institutione divina* ordinarium confirmandi ius solis Episcopis competat. Necesse autem non est, ut ad talem sententiam confugiatur: difficultates enim nihilominus solvi possunt, dummodo attendatur, quod § seq. ostendetur, nempe simplices quoque presbyteros ad conferendum confirmationis sacramentum delegari posse, quod praecipue in Ecclesia Graeca iam antiquitus frequenter contigit.

Obi. I. *Ss. Patres* etiam presbyteris ius confirmandi tribuunt. Multi enim cum *Tertulliano* (4) Episcopis, presbyteris, imo et laicis « cum urget circumstantia periclitantis, » baptizandi ius tribuunt, supponentes, ab iisdem conferri confirmationem iuxta illius aetatis disciplinam, cum eam minime excipiant. S. *Ambrosius* (5) docet: « Unctionem unguenti (confirmationem) fieri a sacerdote. »

(1) Tr. de confirm. cap. 2, n. 50.
(2) De ministro confirm. Diss. 10, Sect. 1, q. 2, § 6 et seq.
(3) Diss. 3, cap. 3. (4) L. de bapt. c. 17.
(5) Lib. de Myster. c. 6.

S. Chrysostomus (1) dicit: « Sola ordinatione superiores (Episcopi) sunt, et hinc tantum videntur presbyteris praestare. » Cui assentitur *S. Hieronymus* in Epist. ad Evangel. (2) quaerens: « Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat? » — Idem in Dial. adv. Lucif. affirmat: « Ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem » factum esse, ut soli Episcopi consignarent. *Ven. Beda* (3) docet « unctionem, quae fit per manuum impositionem ab Episcopis.... et vulgo confirmatio dicitur, eandem esse cum secunda (quae fit in baptismo); propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut et multa alia. » Ad haec accedunt *Constitutiones apostolicae*, quae (4) hanc confirmandi facultatem presbytero non secus ac Episcopo inesse supponunt: dicitur enim: « De baptismo, o Episcope et presbyter; iam quidem antea constituimus, et nunc vero dicimus.... unges autem prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua; postremo signabis unguento. »

Resp. Citata testimonia argumentum nostrum ex Traditione petitum nullatenus infirmant. Nam ex iis, quae scribit *Tertullianus* cum aliis, nihil contra nos argui potest. Iuxta antiquam enim disciplinam confirmatio quidem cum baptismo iungebatur, si aderat Episcopus vel presbyter delegatus, non autem, si hic et ille defuit. Ideo legimus, Episcopos excurrisse ad manus illis imponendas, qui in urbibus minoribus a Clericis, Episcopo inferioribus baptizati fuerant. Si obiectio valeret, sequeretur, etiam Diaconos, imo et laicos cum baptismo potuisse confirmationem conferre: quod aliquando factum esse inaudi-

(1) Hom. 11 in 1 Ep. ad Tim. n. 1.
(2) Epist. 145, al. 101, n. 1. (3) In Ps. 26

tum est. *S. Ambrosius* sacerdotis nomine intelligit Episcopum, quod ex orationis serie patefit. Nam ibidem (5) scribit: « Vidisti illic (in regenerationis sacrario) levitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem, » id est Episcopum, quem ibi perhibet ministrum baptismi praesentibus testibus, diaconis nempe et secundi ordinis sacerdotibus; eundem porro conferentem confirmationem exhibet cap. 6. — *S. Chrysostomus* et *S. Hieronymus* quoad potestatem ordinis presbyteros Episcopis coaequare videntur, quia ad conferendam confirmationem etiam presbyteri delegari possunt, quod eo tempore frequenter in Oriente contigit: non negant autem, presbyteris ad conferendam confirmationem delegatione opus esse, quia ordinariam confirmandi potestatem non habent. Per verba autem citata ex Dial. adv. Lucif. *S. Hieronymus* nihil aliud intendit, quam munus ordinarium ad solos Episcopos pertinere, non ex natura rei seu ex necessitate, quasi vero Spiritus sanctus aliter accipi non possit, quam per manus Episcopi; sed propter voluntatem et institutionem Christi, qui summum sacerdotium specialiter honorare voluit certas Episcopis attribuendo praerogativas, quas non attribuit presbyteris. Textum *Ven. Bedae* nonnulli corruptum putant, alii arbitrantur, Bedam innuere, quod unctio verticalis solum quoad materiam eadem sit cum confirmatoria; sed cl. *Perrone* l. c. (6) ait: « Reor porro, verum sensum huius obscurissimi textus esse, unctionem, quae nunc reservata est iure ordinario solis Episcopis, eandem omnino esse ac secundam, quam olim passim presbyteri ex dispensatione

(4) Lib. 3, c. 22. (5) Cap. 2, n. 6.
(6) N. 62

conferebant confirmando baptizatos: quae facultas postea presbyteris ob nonnullorum arrogantiam ablata est, ac reservata soli Episcopo. » Caeterum V. Beda mentem suam clare aperit in Comment. in cap. 8 Act. Apostol., ubi praeter verba iam n. 2 citata etiam dicit: « Chrismate baptizatos ungere licet presbyteris... non tamen frontem ex eodem oleo consignare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum. » — Constitutiones apost. probabilius saeculo tertio exaratae, dum de confirmatione loquuntur, ad Episcopum et ad presbyterum sermonem dirigunt, quia eo tempore presbyteri frequenter ad confirmationem conferendam delegabantur.

Obi. II. Concilia non solis Episcopis, sed etiam presbyteris confirmationem conferendi potestatem tribuunt. *Toletanum I* can. 20 ait: *Statutum est, diaconum non chrismare, sed presbyterum, absente Episcopo, praesente vero, si ab eo fuerit praeceptum. Arausicanum I* concedit, *haereticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, a presbyteris chrismate, et benedictione consignari. Regiense* de presbytero statuit: *In Ecclesia, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi Neophytos ius habebit. Barcinonense II* can. 2 statuit, ut, *cum chrisma presbyteris dioecesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Supponit ergo Concilium, etiam presbyteros dioecesanos posse, et debere neophytos confirmare.

Resp. Haec Conciliorum decreta dogmati catholico non adversantur. Nam *Conc. Toletanum I* iuxta aliquos non loquitur de unctione confirmatoria, sed de unctione verticali in baptismo. Quod si, ut alii volunt, de unctione confirmatoria sermo est, id unum sequitur, Toletanos Patres hanc veniam fecisse presbyteris, ut possent tanquam ministri extraordinarii, absente vel iubente Episcopo, sacramentum confirmationis conferre. Iis autem temporibus, quibus Rom. Pontifices hanc delegationem sibi nondum reservarant, licitum erat Episcopis et Conciliis hanc facultatem presbyteris tribuere iusta et rationabili de causa. Hac facultate utens *Conc. Arausicanum I* pro casu necessitatis, absente Episcopo, presbyteris confirmandi potestatem concessit, hac ipsa restrictione ostendens, ordinariam confirmandi potestatem non presbyteris, sed Episcopis competere. In *Conc. Regiensi* facultatem consecrandi Virgines et confirmandi neophytos soli *Armentario* Ebsedunensi Episcopo valide quidem, sed illicite ordinato fecerunt Regienses Patres, quem ab Episcopatu suo amotum uni praefecerunt Parochiae: unde citato canoni subiungitur: *Et per omnia, ut sit indulgentiae testimonium, semper se inferiorem Episcopo, superiorem Presbytero agat. Barcinonense II* non loquitur de unctione, quae fit in confirmatione, sed de chrismate, quod soli Episcopi consecrare possunt, et quo presbyteri utuntur in unctione verticali, et quod presbyteri servare debebant, ut Episcopis venientibus ad confirmandos fideles praesto esset.

Obi. III. Haec facultas unctionis confirmatoriae Episcopis reservata fuit iure dumtaxat ecclesiastico, non divino. Prima huius reservationis epocha apparet sub *Sylvestro* R. P. in eius vita, quam exhibet *Pontificale Damasi*. Id etiam eruitur ex brevi epilogo Concilii Romae habiti anno 325 ubi dicitur, *S. Sylvestrum* constituisse, ut presbyterum arianum re-

sipiscentem nemo suscipiat, « nisi Episcopus eum reconciliaverit, et sacrosancto chrismate per Episcopalem manuum impositionem sancti Spiritus gratia, quae ab haereticis dari non potest, confirmaverit. » *Innocentius I* eandem reservationem aut renovavit, aut introduxit, quam a consuetudine ecclesiastica repetit in epistola I ad Decent., cap. 3. Nec aliter sensit *Gregorius M.* qui scribens Ianuario Ep. Calar. (1) ita decrevit: « Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in fronte chrismate non praesumant. » Cum autem audisset, quosdam ex hoc suo decreto fuisse contristatos, iterum eidem Episcopo rescripsit: « Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. » Denique *Concil. Hispalense II* can. 7 ordinarium quidem confirmandi ius Episcopis adiudicat, illud vero solum a regulis ecclesiasticis repetit; ait enim: *Quamvis cum Episcopis plurima illis* (presbyteris) *mysteriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen auctoritate veteris legis, quaedam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut presbyterorum et diaconorum ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio; siquidem nec licere eis Ecclesiam vel altare consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ab haeresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare... Haec enim omnia illicita esse presbyteris, quia Pontificatus apicem non habent, quem solis deberi Episcopis auctoritate canonum praecipitur, ut per hoc et discretio graduum, et dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur.* Ergo nonnisi *novellis et ecclesiasticis regulis, et canonum auctoritate* presbytero interdictum est confirmationem administrare, ut et alia multa praestare, quae per se et iure sibi proprio posset.

Resp. Nullius est auctoritatis *Pontificale Damasi*, quod multo post Damasum scriptum fuisse *Baronius*, *Bellarminus*, *Pagius*, *Tillemontius* et alii Critici ostenderunt. Non minus apocryphus iudicatur ille brevis Epilogus Concilii Romani. *Innocentius I* in celebri sua ad Decentium epistola ordinariam confirmandi potestatem solis quidem Episcopis adiudicat, sed hanc praerogativam non solum ex consuetudine ecclesiastica, sed ab exemplo Apostolorum Act. VIII repetit: nullam vero mentionem facit supposititi illius decreti S. Sylvestri. Ad *S. Gregorii M.* auctoritatem non una est Theologorum responsio, sed obvia et solida ea est explicatio, quam tradit *Benedictus XIV* (2), scilicet illum sanctum Pontificem voluisse abusum in Ecclesiam Calaritanam invectum omnino evellere; sed cum videret, maiora inde scandala oriri, concessisse illis presbyteris hoc privilegium ungendi frontem ex delegatione, quod concedi a summis Pontificibus posse, mox ostendetur. — Ad obiectionem ex *Concilio Hispalensi*, petitam respondet cl. *Sardagna* (3): «Hispalense *novellas regulas* vocat, quia illae in novo Testamento a Christo praescriptae sunt; *ecclesiasticas* vero, quia institutioni ac praecepto divino etiam Ecclesiae lex et praeceptum accessit, nempe *Innocentii I* in Epist. ad Decent. et anteriorum Conciliorum. Profecto si per *regulas novellas* in-

(1) Lib. 4. Epist. 9.

(2) Lib. 7, de Syn. dioec. cap. 7, n. 5.
(3) Tom. 6, art. 3, contr. 2, n. 411.

telligerentur novae seu recens inductae, sequeretur, ordinationes presbyterorum et diaconorum novo dumtaxat iure solis Episcopis fuisse reservatas, quod a veritate alienissimum esse ostendimus. » Etiam Cl. *Tournely* per *novellas regulas* intelligit divinas N. T. leges, quia immediate ante verba allata Concilium dixerat: *In divinis litteris praecipiente Domino solus Moyses in tabernaculo erexit altare* etc., manifestum igitur est, per veterem legem intelligi praecepta divina V. T. ac ideo *per novellas regulas*, quae illis opponuntur, iuxta regulas hermeneuticas intelligi leges divinas N. T. Eiusdem sententiae sunt *Billuart* et *Gazzaniga*. Caeterum etiamsi verba Concilii de antiquis et recentioribus Ecclesiae canonibus exponerentur, nihil ex eo contra nos inferri potest: multa enim alia a Rom. Pontificibus et in Conciliis statuta inveniuntur, quae non humani, sed divini iuris sunt, et nihil prohibet, aliqua divina simul et humana lege constitui.

Obi. IV. Qui potest maius, potest etiam quod est minus. Sed presbyteri iure ordinario possunt baptismum conferre, per quem obtinetur gratia sanctificans, et eucharistiam confícere, quae est sacramentum excellentissimum: ergo potestate ordinaria possunt etiam dare confirmationem.

Resp. Cum de sacramentorum ministris agitur, quorum determinatio a sola voluntate Christi dependet, non humanis ratiociniis indulgendum, sed sola revelatio divina audienda est: haec autem, ut probatum est, contestatur, ordinarium confirmationis ministrum solum Episcopum esse. Ratio quoque assignari potest, quare Christus ita ordinaverit. Baptismus enim est sacramentum summae necessitatis: unde divina providentia voluit, ut quemadmodum eius materia communis est et semper in promptu, ita etiam minister esset quilibet sacerdos, imo necessitate cogente quilibet homo. Sacramentum autem confirmationis adeo necessarium non est: quamobrem nil mirum, voluisse Deum illud per solos Episcopos administrari. Eucharistia quoque, quae ut alimentum et ut sacrificium ad frequentiorem usum destinata est, magnum ministrorum numerum exigit; non autem confirmatio, quae cuilibet Christiano semel in vita confertur, et certe minus aestimaretur, si ordinarie a quolibet sacerdote conferri posset.

II. *Simplex sacerdos potest esse minister confirmationis extraordinarius.*

§ 561. Nonnulli, ut *Hugo Victorinus*, *Durandus*, *Estius*, *L'Herminier* etc., negant hanc propositionem; sed multo plures cum *S. Thoma*, *Suarez*, *Bellarmino*, *Sylvio*, *Tournely*, etc., eandem admittunt. Et sane gravia argumenta probant, etiam simplicem sacerdotem ad conferendam confirmationem delegari posse.

1. In Ecclesia graeca iam longe ante Schisma Photianum consuetudo introducta fuit, ut presbyteri infantibus baptizatis sacram confirmationem conferrent: eademque consuetudo etiam inter Graecos Schismaticos semper continuata fuit. Certum autem est, confirmationem a presbyteris graecis legitime delegatis collatam etiam ab Ecclesia latina validam fuisse habitam: Ecclesia enim latina praxin Graecorum non reprobavit, cum in *Concilio Lugdunensi II* et *Florentino* Graecos in suam communionem admisit, nec confirmationem a eorum presbyteris collatam reiecit ut invalidam. Etiam *Benedictus XIV* (1) hac de re scribit: « Aliis in locis, in qui-

(1) Lib. 7. de Syn. Dioec. c. 9.

bus chrismatio data a sacerdotibus graecis non est a Sede apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda ob tacitum saltem privilegium a Sede apostolica illis concessum; cuius quidem privilegii praesumptionem inducit ipsamet conniventia et tolerantia Romanorum Pontificum, qui praedictum morem Graecorum scientes non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt. »

2. *Rom. Pontifices*, quamvis magna sollicitudine invigilarent, ut iuxta Ecclesiae occidentalis consuetudinem per Episcopos ipsos confirmationis sacramentum administraretur, nihilominus aliis quoque presbyteris confirmandi potestatem concessisse leguntur. Ita *Gregorius M.* (1) pro Sardinia concessit, « ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungere debeant. » Exemplum *Gregorii M.* alii Romani Pontifices secuti sunt. Teste *Wadingo* (2) potestas conferendi confirmationem concessa fuit nonnullis Fratribus Minoribus a *Nicolao IV*, *Ioanne XXI*, *Urbano V*, *Eugenio IV*, *Leone X* et *Hadriano VI*. — Plura huiusmodi exempla enumerat *Benedictus XIV* in laud. op. de Syn. (3) ubi addit, se etiam « potestatem fecisse P. Custodi et Guardiano S. Sepulcri D. N. I. Christi idem conferendi sacramentum confirmationis in locis Terrae sanctae, in quibus actu non degunt Episcopi latini, etc.

3. *Concilia* quoque in casu necessitatis presbyteris facultatem dederunt confirmationis sacramentum administrandi. *Arausicanum I* (4) can. 1 ait: *Haereticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, a presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit. Epaonense* (5), can. 16 inquit: *Presbyteros propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis et decumbentibus haereticis, si conversionem subitam petant, chrismate petimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum. Conc. Florentinum* in Decreto pro Armenis, postquam dixit, solum Episcopum ordinarium esse confirmationis ministrum, illico subiungit: *Legimus tamen, aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. Conc. Tridentinum*, dum definit, solum Episcopum esse *ordinarium* confirmationis ministrum, *extraordinarium* non excludit, sed potius innuere videtur.

Nota 1. Propositae doctrinae obstare videtur, quod *Nicolaus I* confirmatos a Graecis presbyteris iterum confirmare iusserit, *Innocentius III* (6), et *Innocentius IV* (7) presbyteris expresse confirmationem interdixerint, et *Clemens VIII* non solum presbyteris confirmationis administrationem interdixerit, sed etiam Episcopis latinis praeceperit, ut sub conditione eos iterum confirment, qui a presbyteris graecis confirmati fuerant (8). — Haec facta adsertioni nostrae non adversantur. — Nam *Nicolaus I* ideo tantum iterum confirmari iussit a *Photii* emissariis confirmatos, quia iste CPtanae Sedis invasor legitimam delegationem in Bulgaria Romanae Sedi subiecta, reclamante summo Pontifice, dare non potuit, imo nec voluit, cum contenderet, presbyteros ordinariam habere

(1) Lib. 4, Epist. 26. (2) Ad ann. 1521.
(3) Lib. 8, c. 7. (4) An. 441. (5) An. 517.
(6) C. *Quanto* de consuet.
(7) In Const. *Sub catholicae*.
(8) V. Instr. de ritibus Graecorum.

confirmandi potestatem. *Innocentii III* decretum ferit presbyteros latinos CPoli degentes, qui ad imitationem Graecorum sibi ius arrogabant confirmandi absque Pontificis delegatione, quod occidentalibus nefas erat: Constantinopolis tunc erat sub ditione Francorum atque Patriarcha Veneto. *Innocentii IV* decretum ad solos Cyprios spectabat, quibus pariter Latini dominabantur, ob peculiaria illius insulae adiuncta. Cum enim populus plura conspiceret praestari a Graecis presbyteris, quam a Latinis, hos parvi faciebat, et hinc iurgia oriebantur et simultates ad quas compescendas vetuit Pontifex, ne in posterum presbyteri graeci in insula consignarent, nihil tamen de valore confirmationis ab illis datae pronuntians. Instructio denique *Clementis VIII* respicit similiter solum Italo-Graecos Latinis subiectos, de quibus merito dubitari poterat, an legitimam habuerint delegationem, quam obtinere tantum poterant a Romanis Pontificibus, qui autem praxi Graecorum in Ecclesia occidentali iam saepius restiterant.

Nota 2. Quicumque admittunt, presbyteros ad confirmationem conferendam delegari posse, hoc ius Romano Pontifici in tota Ecclesia adscribunt. Nam, ait *S. Thomas* (1) « Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam, quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit *B. Gregorius*, quod simplices sacerdotes hoc (confirmationis) sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur. » Quaeritur autem, an, ut simplex sacerdos valide confirmet, semper requiratur delegatio summi Pontificis, an vero delegatio Episcopi sufficiat? — Non consentiunt hac in re theologi. *Benedictus XIV* (2) citat *Card. Pallavicinum*, *Thomassinum*, *Van Espen*, *Iuenin* et alios, qui asserunt, sola inspecta institutione divina, et seclusa Ecclesiae prohibitione, posse Episcopum simplici sacerdoti committere, ut chrismate a se confecto fideles consignet, ne secus degentes in locis, ad quae ipse accurrere nequit, confirmationis sacramento perpetuo careant. « Nec vero pauca nec levia sunt rationum momenta, quibus haec opinio innitur: » ait sapientissimus Pontifex, qui tamen, breviter enumeratis illorum argumentis, ita prosequitur: « Sed licet haec momentosa sint, non tamen leviora sunt, quae in contrarium proferuntur: » quorum pleraque adducit, imprimis vero auctoritatem *S. Thomae* in l. cit., ac demum ita concludit: « Caeterum quidquid sit de hac difficili et valde implexa controversia, omnibus in confesso est, irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola Episcopi delegatione collatam, quia Sedes Apostolica id iuris sibi unice reservavit; quam quidem reservationem non tantum ex consuetudine in tota Ecclesia latina iamdiu recepta tacite introductam arbitramur, sed iam ante noni saeculi finem expresse factam colligimus ex Epistola 70 *Nicolai I* ad Hincmarum et caeteros Archiepiscopos et Episcopos in regno Caroli constitutos etc. »

Nota 3. Quaerunt nonnulli, quomodo a Romano Pontifice simplex sacerdos ad conferendam confirmationem delegari possit, cum ad hanc potestas ordinis requiratur, et haec

(1) 3, p., q. 72, art. 11 ad 1.

(2) L. 7, de Syn. Dioec. c. 8, n. 3.

vi potestatis iurisdictionis aliis communicari nequeat? Quae difficultas ut solvatur, attendendum est, quod Theologi docent, nempe sacerdotes omnes in sua ordinatione etiam respectu confirmationis obtinere inchoatam, incompletam, seu, ut aiunt, radicalem potestatem, quae autem, ut valide exerceatur, perfici et compleri debet: perficitur autem et completur per consecrationem in Episcopis, et per dispensationem ac delegationem Romani Pontificis in simplicibus sacerdotibus: seu, ut dicit *Gibbon de Burgos* (1), « in simplici sacerdote potestas ordinis per illam commissionem derivatam a plenaria iurisdictione Papae reducitur de potentia remota ad proximam in ordine ad actum confirmandi, ad quem de novo extenditur. » Sic explicatur, quare potestas illa Diaconis, qui ne inchoatam quidem potestatem habent, delegari non possit, et quare confirmatio a simplici presbytero sine legitima delegatione collata non solum illicita, sed et irrita ac nulla sit. — Caeterum notandum est, totam difficultatem solum concernere modum, quo simplex sacerdos per delegationem summi Pontificis ad valide confirmationem administrandam idoneus constituatur: ignorantiam autem modi, praecipue dum de institutionibus divinis agitur, non tollere certitudinem facti, quod solidis argumentis probatur.

ARTICULUS IV.

Doctrina reliqua de confirmatione.

§ 562. Cum iam veritas sacramenti confirmationis probata, ac de eiusdem materia, forma et ministro actum sit, quaeri ulterius potest, quid hoc sacramento *operetur?* an et quomodo *necessarium* sit ad salutem? *cuinam* valide et licite conferri possit? et quid *caeremoniae* significent in illius administratione observandae? — Ad has quaestiones iam breviter respondere oportet.

I. *De effectibus confirmationis.*

§ 563. Triplex effectus confirmationis a Theologis distinguitur, nempe *augmentum gratiae sanctificantis*, *gratia sacramentalis* seu *sacramento confirmationis propria*, atque *character*.

1. Confirmatio, quae inter sacramenta vivorum numeratur, ex se instituta non est ad remissionem peccatorum, seu ad gratiam sanctificantem conferendam, sed primam hanc gratiam supponit et confert secundam, nempe gratiae sanctificantis augmentum, quoniam generatim hic est effectus sacramentorum, quae in statu gratiae sanctificantis recipiuntur (2): per accidens autem contingere potest, ut confirmatio etiam primam gratiam producat, seu hominem iustificet. Haec est doctrina *S. Thomae*, qui (3) ita loquitur: « Sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit, et ideo non debet dari his, qui non habent gratiam. Et propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita nec debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis... Et tunc per hoc sacramentum perficitur poenitentiae effectus sicut et baptismi, quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur poenitens pleniorem remissionem peccati. Et si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam

(1) Disp. de sacram. confirm. dub. ult.

(2) § 508.

(3) 3 p., q. 72, art. 7 ad 2

in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum. »

2. Gratia sacramentalis, seu propria sacramenti confirmationis, est gratia roboris ac virtutis ad fidem intrepide et fortiter propugnandam, et superandas, quae adversus eam insurgunt, daemonis ac mundi tentationes. Nam gratia propria confirmationis eadem est, quam Apostoli iuxta Christi promissiones (1) in caenaculo receperunt. Sed haec fuit gratia roborans et perficiens, qua testes dominicae resurrectionis ipsi fuerunt coram Iudaeis et Gentibus: ergo gratia roborans et perficiens praecipuus et proprius est confirmationis effectus. — Hunc effectum primario Ss. Patres et Concilia confirmationi adscribunt, ut patet ex eorundem testimoniis § 555 adductis. His addi meretur insignis locus *S. Eucherii* Lugdun., qui in Homil. de Pentec. ita loquitur: « Forte cogitat sibi aliquis: quid mihi prodest post mysterium baptismatis ministerium confirmantis? Attendat charitas vestra... Sic enim exigit militaris ordo, ut cum imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum. Ita in baptizato benedictio illa munitio est... Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum praestat ad gratiam, et quia in hoc mundo tota aetate victuris inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Ac sic continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia; victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia. » Praeclare eamdem doctrinam proponit *S. Thomas* (2) dicens: « Sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio, quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quosdam alias actiones sacras praeter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quae ad propriam pertinent salutem prout scilicet secundum seipsum vivit. Sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet ex exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in caenaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri etiam coram inimicis fidei christianae. » Et (3) addit: « Pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit: sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum, qui iam sunt perducti spiritualiter ad virilem aetatem, secundum quod dicitur: *Scribo vobis, iuvenes, quoniam fortes estis et verbum Dei in vobis manet, et vicistis malignum* (4). Et ideo character confirmationis est signum distinctivum non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur: *Sicuti*

(1) Act. I, 8. (2) 3 p., q. 72, art. 5. (3) Ibid. ad 1. (4) I Io. 2.

modo geniti infantes. » Ideo Patres gratiam in confirmatione collatam vocant cum Tertulliano *munientem*, cum S. Cypriano *consummantem*, cum Concilio Eliberitano *perficientem* etc. Et *Eugenius IV* in decr. pro Armenis ait: *Effectus autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur:* sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet *Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Conc. Maguntinum* (1) can. 17 haec habet: *Sacramentum confirmationis institutum est, ut virtute eius contra Satanae tentationes muniamur, ut gratia eius ad melius capienda fidei mysteria illuminemur, ac ad confessionem Christi fiduciam et contra vitia robur accipiamus.*

3. In confirmatione *characterem* imprimi, ac ideo hoc sacramentum iterari non posse, iam § 510 probatum est. Ideo Patres confirmationem *signaculum* aut *sigillum* appellant, ut *Clemens Alex.* (2), *S. Cyprianus* (3), *Cornelius P.* (4), *S. Ambrosius* (5), *Leo M.* (6). Eamdem *S. Augustinus characterem dominicum* nuncupat. *Conc. Toletanum VIII* (7) cap. 7 ait: *Sanctum chrisma collatum et altaris honor avelli nequeunt. Gregorius II* Ep. ad Bonifac. (8) scribit: *De homine*, qui a Pontifice confirmatus fuit, denuo illi talis iteratio prohibenda est. *Conc. Cabillonense II* can. 27 inquit: *Nobis visum est, eandem confirmationem, sicut nec baptismum iterari minime debere.*

Nota 1. Cum § 501 et 502 probatum fuerit, sacramentorum valorem non pendere a probitate et fide ministri; manifestum est, validam esse confirmationem ab haereticis collatam. Neque huic conclusioni obstant decreta Conciliorum, quibus haeretici ad Ecclesiae sinum redeuntes per manus impositionem recipi iubentur. Non enim semper per manus impositionem sacramentum confirmationis intelligitur, sed frequenter sacramentum poenitentiae, aut quandoque mera duntaxat caeremonia ecclesiasticae institutionis. Quandoque autem administratio sacramenti confirmationis praescribi debuit, quia extiterunt haeretici, ut *Novatiani*, *Ariani* et alii, qui aut confirmationem penitus neglexerunt, aut non legitimo modo contulerunt. Itaque ex istis decretis nullatenus inferri potest, confirmationem ab haereticis collatam generatim ut irritam habitam fuisse; et multo minus ex iisdem concludere licet, Ecclesiam praecepisse aut permisisse, ut confirmatio semel valide collata iteretur. Neque id *S. Augustinus* docuit, cum (9) dicit: « Manus impositio sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem? » S. Doctor enim non loquitur hic de sacramento confirmationis, sed de illa manuum impositione, qua olim haeretici cum Ecclesia reconciliabantur, de qua ibid. (10) habet: « Manus autem impositio, si non adhiberetur ab haeresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse iudicaretur » (11).

Nota 2. Protestantes usum chrismatis in confirmatione blasphemis vocibus exagitarunt, et eousque pervenerunt, ut dicerent, iniuriam inferri Spiritui sancto, cum dicitur, per chrismationem ipsius gratiam obtineri. Contra temerariam istam blasphemiam *Conc. Tridentinum*, Sess. VII de confirmat., can. 2 ita definit:

(1) An. 1549. (2) Lib. 2, Strom. c. 3.
(3) Ep. 73, n. 7. (4) Ep. 3, ad Fab. c. 4.
(5) Lib. 3, de sacram. c. 2, n. 8.
(6) Serm. 24 de Nativ. 4, c. 6.
(7) An. 653. (8) Ep. 13, an. 726.
(9) Lib. 3, de bapt. c. 16, n. 21.
(10) Lib. 5, c. 23.
(11) Cf. Tournely de confirm. q. 4, art. 2.

Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit. De fide ergo credendum est, iniurios non esse Spiritui sancto, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt. Facile etiam est post ea, quae hic praemissa sunt, propositionis huius veritatem evincere. Vel enim chrismatis unctio spectat ad essentiam huius sacramenti, prout communis fert theologorum sententia, vel habetur ut caeremonia ad magis declarandos huius sacramenti effectus, in hypothesi illorum theologorum, qui contendunt, materiam essentialem et adaequatam confirmationis in sola manuum impositione consistere. Si prius admittatur, hoc ipso evincitur propositionis veritas; si posterius, nulla profecto iniuria irrogatur Spiritui sancto, si ritus ab Ecclesia servetur in tota antiquitate receptus ad eiusmodi sacramenti mirabiles effectus uberius significandos, prout et in aliorum sacramentorum solemni administratione fieri consuevit. In hac enim sententia cum unctio nihil addat seu conferat ad sacramenti essentiam, quae sarta tecta habetur in manuum impositione, non afficit nisi rationem illud administrandi. Porro Ecclesiam praeditam esse potestate nonnullos ritus ac caeremonias instituendi ad solemnem sacramentorum administrationem, suo loco ostendimus (1).

II. *De necessitate confirmationis.*

§ 564. Sacramentum confirmationis non est necessarium necessitate medii, sed tamen adultis est necessarium in re aut in voto necessitate praecepti, quod graviter obligat.

1. Omnes theologi conveniunt docentes, confirmationem non esse simpliciter et absolute necessariam, seu, ut dicunt, eam non esse necessariam necessitate medii ad salutem. Ad hanc enim sufficit baptismus, per quem peccata delentur, et ius ad aeternam beatitudinem obtinetur dicente Christo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (2). Ideo Ecclesia semper credidit, infantes renatos fonte baptismatis coelestem consequi beatitudinem, licet non confirmati moriantur. Et non solum de infantibus, sed etiam de adultis sine confirmatione decedentibus *Concil. Eliberitanum* can. 77 inquit: *Si quis diaconus.... aliquos baptizaverit, eos Episcopus per benedictionem perficere debet. Quod si ante de saeculo recesserunt, sub fide qua quis credidit, poterit esse iustus. Hilarius* Arelatensis (3) dicit: « Continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia: victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia. » Eandem doctrinam clare proponit *Conc. Tridentinum* dum (4) declarat: *Nihil damnationis inesse iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui veterem hominem exuentes et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur.*

2. Dubitari tamen non potest, confirmationem necessariam esse necessitate praecepti, et quidem divini. Quamvis enim tale praeceptum in Ss. Litteris expressum non habeatur, colligitur tamen aperte ex illa cura et sollicitudine, quam habuerunt Apostoli, ut iis, qui baptizati iam fuerant, manus imponerent, ut Spiritum sanctum reciperent, prout legitur in

(1) § 521. (2) Marc. 16, 16.
(3) Hom. de Pentec.
(4) Sess. 5, can. 5, de pecc. orig.

Actibus Apost. (1); quam postea curam et sollicitudinem reliquerunt suis successoribus Ecclesiae praefectis, ita ut, teste *S. Hieronymo* et aliis (2), Episcopi solerent per villulas et minores urbes discurrere ad eos, qui per presbyteros et diaconos baptizati erant, confirmandos. Haec omnino persuadent, Christum Dominum una cum institutione huius sacramenti etiam praecepisse Apostolis eorumque successoribus, ut illud conferrent, adeoque etiam fidelibus, ut illud ipsum susciperent. Quod idem rationibus theologicis confirmatur. Cum enim semel vitam spiritualem quis per baptismum fuerit adeptus, ut finem ultimum attingat, ex divino praecepto ulterius contendere debet, ac pro sua conditione vitae spiritualis assequi perfectionem; *haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*, ait Apostolus (3). Sed homo per confirmationem perficitur, et ad perfectam vitae spiritualis aetatem promovetur, ut passim Patres docent. Iure ergo necessariam dicimus baptizatis omnibus confirmationem necessitate praecepti divini. Iis accedit, quod multae sint tentationes, quae ex parte mundi, carnis et daemonis in hac vita terrestri insurgunt; unde Paulus fidelibus acclamat: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli* (4): et I Petr. 5, 9 dicitur: *Cui resistite fortes in fide.* Sed ex dictis (§ praec. n. 1) patet, institutum esse a Christo confirmationis sacramentum, ut esset medium per se certum et ordinarium, quo homo roboretur non modo ad fidem coram tyrannis fortiter profitendam, sed et ad omnes tentationes contra fidem, quibus adultus quisque obnoxius est, constanter vincendas. Qui autem ad finem tenetur, obligatur etiam ad media ordinaria, facilia simul et efficacia adhibenda. Quilibet ergo fidelis, qui *non coronabitur, nisi legitime certaverit* (6), obligatur ad recipiendam confirmationem, quae ad robur conferendum a Christo ordinatur, et sicut gravem difficultatem non involvit, ita magnam efficaciam pro toto vitae decursu exserit. Hanc obligationem Ecclesia semper agnovit, unde etiam voluit et mandavit, ut qui baptizati erant, ad Episcopos deferrentur sacro chrismate perficiendi. *Concilium Eliberitanum*, can. 77 dicit: « *Baptizatos a diaconis Episcopus per benedictionem perficere debebit.* » *S. Cyprianus* (7) scribit: « Ungi necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. » *Concilium Laodicenum* can. 48 ait: « *Oportet eos, qui illuminantur, post baptisma inungi super coelesti chrismate, et esse regni Christi participes.* » *S. Petr. Damianus* (8) inquit: « Decretales paginae et Ss. Patrum instituta decernunt, non esse differendam post baptismum sacramenti huius (confirmationis) virtutem, ne nos inermes inveniat fraudolentus ille contortor, a quo nemo unquam nocendi inducias extorsit. » *Concil. Mediolanense IV* sub S. Carolo Borr., an. 1576 habitum (9), ait: *Parochi curent, ut subditi sacramentum confirmationis suscipiant. Si quis vero neglexerit confirmationem, canonicis subiaceat disciplinis. Concilium Rhemense* (10) dicit: *Moneant parochi, sacramentum confirmationis non debere negligi a vere Christianis: Episcopi autem illud frequenter confe-*

(1) Cap. 8 et 19. (2) § 555.
(3) I Thess. 4, 3. (4) Eph. 6, 11.
(5) 2 Tim. 2 5

(6) Ep. 70. (7) Serm. 1 de Eccl. dedic. c. 2
(8) P. 2, can. 3. (9) An. 1583, can. 8.

rant confessis, et si commode fieri potest, ieiunis. Similia decreta alia quoque Concilia ediderunt.

3. Quamvis theologi fere omnes necessitatem suscipiendae confirmationis admittant, aeque tamen de ipsius gravi aut levi obligatione non cohaerent. Existimant non pauci cum *S. Thoma, Suarez, Laymann* et aliis, omissionem confirmationis *per se* venialem non excedere culpam, etiamsi *per accidens* haec fieri possit lethalis, nempe si quis in periculo gravi versetur peccandi contra fidem, vel si ex contemptu hoc sacramentum praetermittat, vel si grave scandalum inde consequatur: exceptis his circumstantiis, putant isti, grave peccatum ob neglectum confirmationis sacramentum non committi, eo quod nec ex S. Scriptura, nec ex Traditione, nec ex constitutionibus Ecclesiae grave praeceptum evinci queat. — Multi autem theologi aliter sentiunt, iisque rationibus ducti, quas n. 2 adduximus, gravem pro omnibus obligationem adstruunt, sacramentum confirmationis suscipiendi. Ita *Hugo Victorin.* (1) ait: « Timendum est iis, qui per negligentiam amittunt Episcopi praesentiam, et non suscipiunt manus impositionem, id est, confirmationem, ne forte damnentur, quia festinare debuerunt, dum potuerunt. » *S. Bonaventura* (2) scribit: « Dicendum quod est necessitas simpliciter, et necessitas conditionata. Simpliciter non est gratia confirmationis necessaria, sed necessaria ex conditione, scilicet pugnanti et vincere volenti, sicut comedere necessarium est vivere volenti. » *Scotus* quoque docet, extare praeceptum divinum graviter obligans ad confirmationem suscipiendam. *S. Antoninus* (3) inquit: « Etsi nunquam occurrat confessio persecutionis, tenetur homo semel in vita confirmari; et si possit et negligat, licet sacramentum aliter non contemnat, peccat mortaliter etc. » Idem sentiunt *Estius, Natal. Alex., Iuenin, Nic. L'Herminier, Lud. Habert, Tournely, Berti, Gazzaniga* et alii. Imo *Benedictus XIV* eandem sententiam amplexus in constitut. *Etsi pastoralis* (4) ita decrevit: « Monendi sunt ab ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt » (5).

III. *De subiecto confirmationis.*

§ 565. 1. Subiectum confirmationis constituunt *soli, et omnes baptizati.* Ut enim valide confirmatio conferatur, omnino necesse est, ut baptismus chrismatis unctionem praecedat. Id potissimum ostendit exemplum Apostolorum, qui Samaritanis et Ephesiis manus non prius imposuerunt, quam noscerent, eos baptismum suscepisse. Id quoque constat perpetua praxi Ecclesiae universae, quae, sicuti auctoritates Patrum superius recensitae, nec non cuncti Latinorum libri rituales, et Graecorum Euchologia testantur, nunquam baptismo confirmationem praemisit. Idem confirmant rationes theologicae. Confirmatio enim se habet ad baptismum, quemadmodum augmentum ad generationem. Certum est autem, neminem adolescere posse, nisi prius ortum habuerit. Ergo similiter nisi primo quis fuerit baptizatus, nequit valide sacramentum confirmationis accipere. Frequenter

(1) Lib. 2, de sacr. p. 7, c. 3.
(2) In 4, dist. 7, art. 3, q. 2.
(3) In 3 p. Sum. tit. 14, cap. 14.
(4) V. Bull. constit. 57, § 3, n. 4.
(5) Cf. S. Alphonsus de Ligorio, Theol. mor. l. 6, tract. 2, c. 2, dub. 3, n. 182.

etiam Patres et Concilia confirmationem nominant perfectionem seu consummationem baptismi: id autem, quod nondum in homine est, non potest perfici et consummari: ergo homo non baptizatus etiam confirmationis capax non est.

2. Confirmatio valide omnibus baptizatis confertur sive *adulti* sint, sive *infantes*. In adultis quidem ad valorem confirmationis requiritur intentio sacramentum suscipiendi, ut dictum est § 512. — Infantes vero, quamvis intentionis eliciendae non sint capaces, valide tamen sacramentum confirmationis recipere posse, patet ex usu et praxi universalis Ecclesiae, quae antiquitus una cum baptismo confirmationem et eucharistiam parvulis etiam ministrabat. Hic usus per plura saecula permansit in Ecclesia latina, ut colligitur ex antiquis ritualibus, atque etiamnum viget in Ecclesia graeca. Caeterum quamvis spectata institutione Christi omnis aetas censeatur esse capax huius sacramenti; confirmatio tamen in Ecclesia latina iam ab aliquot saeculis differtur usque ad usum rationis, tum quia sacramentum hoc ad salutem necessarium non est necessitate medii, adeoque infantes sine illo salvari possunt; tum quia illud suscipiendo cum actuali devotione, cuius nemo ante usum rationis capax est, maiori cum utilitate suscipitur; tum denique quia sic certius vitatur periculum iterationis; huius enim sacramenti a se suscepti facile meminisse possunt, qui illud post adeptum rationis usum suscipiunt. Qua de re *Catechismus romanus* (1) ita loquitur: « Observandum est, omnibus quidem post baptismum confirmationis sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certo hoc sacramentum differre maxime convenit. » Et rationem huius addit: « Neque enim confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut eius virtute optime instructi et parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sane pugnae genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos iudicarit. » — Praeveniri tamen potest supradicta aetas iustis de causis, si nimirum parvulus vel credatur postea aut omnino non, aut nonnisi difficillime habiturus occasionem hoc sacramentum suscipiendi, aut si gravi morbo oppressus in mortis periculo versetur. Neque ideo sacramentum confirmationis negligere licet, quia infans, si ante adeptum rationis usum moriatur, gratia roborante ad profitendam fidem non indiget; per augmentum enim gratiae sanctificantis, quod confirmatio producit, gloriae quoque augmentum obtinetur, nec dubitari potest, sigillo indelebili, quod imprimitur, specialem quemdam splendorem in regno beatitudinis respondere. Ideo *S. Thomas* (2) docet, sacramentum confirmationis etiam « moribundis conferri debere, ut in resurrectione perfecti appareant. » Similiter *Hugo Victorin.* (3) animadvertit, puerum non obsignatum detrimentum pati, si decedat, non quod damnetur, sed quia gradu aliquo maioris gloriae in resurrectione privabitur.

Nota. In adulto variae dispositiones requiruntur ad sacramentum confirmationis digne percipiendum. Primo requiritur status gratiae, quia confirmatio est sacramentum vivo-

(1) P. 2, cap. 3, de sacr. confirm. n. 18.

(2) 3 p., q. 72, art. 8 ad 4.

(3) Lib. 2, de sacram. p. 3, cap. 7.

rum: gravi enim se scelere obstringeret, et sacramento magnam iniuriam inferret, qui istud gravis peccati conscius perciperet. Hinc adultus, qui post baptismum lethaliter peccavit, confirmationi sacramentalem confessionem praemittere debet. Id suadet *Conc. Aurelianense* cap. 3, statuens de adultis confirmationem suscepturis, *ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere.* Idipsum docet *S. Carolus Borrom.* in Actis Eccl. Mediol. p. 4. — Ulterius adulti ad condignam confirmationis susceptionem noscere debent praecipuos articulos fidei, orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum Apostolorum, ac praecepta decalogi, nec non ea, quae virtutem et effectus confirmationis respiciunt. Praeterea ut uberiores fructus adulti e confirmatione percipiant, ad hanc pietatis operibus disponantur ac praesertim oratione. Unde *S. Carolus Borrom.* loc. cit. dicit: « In primis frequentiori et ardentiori religiosae orationis studio devote sese exerceant exemplo Ss. Apostolorum, qui dum expectarent Spiritum sanctum, perseverantes erant in oratione et ieiunio. » Ex parte corporis congruit reverentiae tanto sacramento debitae, ut confirmandus in exteriori habitu modestiam ac pietatem ostendat, ut vestem simplicem induat, ac decenter compositam, ut frontem habeat neque capillis obtectam neque sordibus conspersam, adeo ut chrismate sacro convenienter haec valeat inungi. Antiquitus demum omnes confirmandi ieiunium servare iubebantur. Hoc praeceptum usque ad saeculum duodecimum viguisse, testantur *Gratianus* (1) et *Magister sententiarum* (2). At aevo subsequenti hac obligatione paulatim sublata, contrarius usus obtinuit dandi etiam non ieiunis confirmationem. Id vero non impedit, quin prisca ieiunii consuetudo, quamvis non amplius praecepta, confirmandis suadenda videatur, saltem si mane confirmatio sit ministranda. *Catechismus rom.* (3) renovari peroptat laudabilem veteris Ecclesiae morem, quo ieiuni tantum sacro chrismate liniebantur.

(1) De consecr. Dist. 5. (2) In 4, dist. 7.

IV. *De caeremoniis confirmationis.*

§ 566. Praecipuae, quae in confirmatione adhibentur caeremoniae, sunt sequentes:

1. Sicut in baptismo, ita et in confirmatione occurrit *assistentia patrini*, qui ipsemet iam baptizatus et confirmatus esse debet. Unus autem tantum sponsor adhibendus est in confirmatione in quo deligendo cavendum est, ne vir foeminam, aut foemina virum in hoc sacramento suscipiat. Ritus quoque est antiquus, ut compater dextera suscipiat, et teneat eum, quem offert Episcopo confirmandum: si vero qui offertur, adultae est aetatis, pedem suum supra dexterum pedem compatris, qui ipsum offert, ponit: id, quod non sine mysterii significatione fit. Nam, ait *Catechismus rom.* (4): « Si, qui gladiatoriam dimicationem subeunt, alicuius indigent, cuius arte, et consilio doceantur, quibus ictibus et petitionibus, salvis ipsis, conficere adversarium possint: quanto magis fideles, cum sacramento confirmationis, quasi firmissimis armis tecti, et muniti in spirituale certamen, cui aeterna salus praeposita est, descendunt, ducis ac monitoris indigebunt? Recte igitur ad huius quoque sacramenti administrationem patrini advocandi sunt. »

(3) P. 2, c. 3, n. 19. (4) L. c. n. 15.

2. In sacrae functionis exordio Episcopus *manus imponit* super omnes confirmandos atque recitat orationem: *Omnipotens, sempiterne Deus*, etc.: haec impositio manus iuncta orationi sicuti est humilis professio humanae fragilitatis, quae sine divina virtute nihil efficere potest, ita est etiam congrua significatio gratiae Spiritus sancti, quae in confirmatione obtinetur.

3. *Unctio chrismatis* fit in fronte, et quidem ad modum seu figuram crucis. Antiquissimum esse istum ritum, sub signo crucis chrismationem perficiendi, patet ex *S. Augustino*, qui tract. 118 in Ioan. de signo crucis loquens ait: « Quod signum nisi adhibeatur sive in frontibus credentium, sive ipsi aquae, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil horum rite perficitur. » Et Enarr. in Ps. CXLI (1) inquit: « Quia in fronte erubescitur, ille qui dixit: *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in coelis est.* » Nonnulli theologi existimant, signum crucis in chrismatis unctione non solum ratione praecepti adhibendum esse, sed et ad essentiam sacramenti pertinere, quia haec crucis figura continetur in formula ipsa seu significatione huius sacramenti, qua sublata, formula haec seu significatio vera non esset. Huius sententiae esse videntur *Alexander Alensis* (2), *S. Bonaventura* (3), *S. Thomas* (4) qui (5) praeclare etiam exponit convenientiam et significationem huius ritus: « In sacramento (confirmationis) homo accipit Spiritum sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter etiam inter adversarios fidei Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte propter duo: *primo* quidem, quia insignitur signo crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quae quasi nunquam obtegitur, et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut manifeste demonstret, se esse Christianum: sicut et Apostoli post Spiritum sanctum acceptum se manifestaverunt, qui prius in coenaculo latebant: *secundo*, quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem et propter verecundiam; utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte propter duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis, et propter hoc, quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt, unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt. Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri praetermittat. » Graeci praeter frontem etiam oculos, aures, nares, etc., inungunt: qua de re disserit *S. Cyrillus Hier.* Cat. 3 mystag. dicens: « Frons et alii sensus corporis tui inunguntur symbolice, et corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto vivificoque Spiritu sanctificatur. Ac primo quidem fronti illinitur, ut eum abstergat a vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat, simulque efficiat, ut positis vultu non velato gloriam Dei intueri. Deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis... postea nares ut divinum recipientes unguentum dicatis: *Christi bonus odor sumus Deo*

(1) N. 9. (2) 4 p., q. 9, membr. 2, § 2.
(3) In 4, dist 7, art. 1, q. 1 ad 3 et 4.
(4) 3 p., q. 72, art. 4. (5) Ibid. art 9

in iis, qui salvi fiunt. Tum vero et pectus inungitur, ut induti thoracem iustitiae fortiter adversus insultus diaboli consistatis. Ut enim Salvator post baptismum et Spiritus sancti adventum egressus in praelium devicit adversarium, sic et vos post sacrum baptismum et chrisma mysticum induti armis sancti Spiritus adversus oppositam vobis potestatem consistitis et praeliamini dicentes: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, Christo. »

3. Frons oleo sacro illita *vitta linea ac probe munda cingitur*, atque olim quidem septem diebus, vel per triduum, vel saltem per integrum diem eiusmodi vitta deferebatur, ut significetur, gratiam acceptam conservandam esse diligenter. Alicubi, ut observat *Bellarminus*, continuo abluitur et exsiccatur chrisma a sacerdotibus, ut fascia opus non sit. Consuetudo ergo est tenenda qualis in unaquaque Ecclesia viget.

4. Si cuipiam in baptismo impositum fuerit nomen aliquod profanum, turpe vel superstitiosum, hoc immutandum erit in confirmatione, « ut ille novo ac sancto suscepto nomine, virilem in sancte agendo constantiam perpetuo deinceps praestet, » ait *S. Carolus Borrom.* in *Conc. Mediolanensi IV.*

5. *Alapam* levem Episcopus infligit confirmato. Mysticam huius caeremoniae rationem optime exponit *S. Carolus Borr.* in Instruct. de sacr. conf. dicens: « Episcopus eum leviter in maxilla caedit, quem chrismate confirmat. Hunc ritum parochus ita docebit, ut sciat homo christianus, se iam militem esse, cuius pugna et victoria eluceat in patiendis iniuriis, non in illis inferendis; deinde se in christiana militia constitutum esse, in qua non huius vitae iucunditates et commoda quaerat, sed incommoda potius atque adeo mala multa patienter ferat: ac praeterea intelligat, officii sui esse in acie stare, telaque unde veniant observare, ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor opesque laedantur, anima tamen nullo pacto offendatur. »

6. Ab Episcopo tandem *pax datur* confirmato, « ut intelligat, se gratiae coelestis *plenitudinem* et pacem, quae exsuperat omnem sensum, consecutum esse, » ait *Catechismus romanus* (1).

Usus doctrinae de confirmatione.

§ 567. 1. Maximi aestimare debemus confirmationis sacramentum, per quod et excelsam dignitatem et efficaces gratias obtinemus. In hoc enim sacramento a divino Spiritu in Prophetas, Sacerdotes et Reges ungimur. « Haec hominum genera, ait *S. Chrysostomus* (2), olim ungebantur: at nos non unam tantum sed tres istas dignitates praestantiore conditione nunc obtinemus. Nam et regno potituri sumus, et cum victimae loco corpora nostra offerimus, sacerdotes efficimur: exhibete enim, inquit, *membra vestra hostiam viventem, placentem Deo*. Atque insuper Prophetae constituimur; quae enim oculus non vidit, nec auris audivit, ea nobis patefacta sunt. » Ex iis autem, quae de effectibus confirmationis dicta sunt, patet, in hoc sacramento efficaces gratias nobis communicari, quibus roborati bonum certamen certare, fidem servare et cursum feliciter consummare possumus. Gratiis vero istis maxime indigemus: quamvis enim cruentae Christianorum persecutiones desierint continuo tamen nobis contra carnis concupiscentias, contra mundi scandala, contra daemonis in-

(1) L. c. n. 26. (2) Hom. 5 in 2 Cor. cap. 1.

sidias pugnandum est. Quapropter sicut is, qui militiam adire debet, ante omnia opus habet, ut bene armetur; ita multo magis spiritualem militiam, a cuius felici exitu salus cuiusque dependet, auspicaturus curare debet, ut per hoc sacramentum spiritualem armaturam accipiat.

2. Non sufficit militi, ut arma arripiat, sed iisdem etiam strenue uti debet ad hostes debellandos. Ita pariter Christiano non sufficit, ut per confirmationem gratiam roborantem seu armaturam spiritualem obtinuerit, nisi hac utatur ad spirituales suos hostes oppugnandos et superandos. Recte igitur cl. *Contenson* (1) dicit: « Ostende fidem, Christiane, ostende confirmationem tuam ex operibus tuis. Ille dumtaxat, ille se confirmatum demonstrat, ille Christiani militis nomen iure obtinet, qui naturae infirmitatem et daemonum hostilitates fidei et gratiae vigore exsuperans, imperterritus adversus omnia vitia decertat, qui invictus ad labores, fortis ad pericula, immobilis adversus prospera, idem est animo, nec rerum mutationibus minuitur depressus, nec augetur exaltatus, nec ut parvulus fluctuat omni circumlatus vento doctrinae, sed perfectus semper manens et infractus in fide fundatur, in charitate radicatur. Ille unctus, ille in fronte signatus iure merito dicendus est, qui ad veritatem retinendam propugnandamque vires omnes suas conatusque confert; qui vinculis saeculi exsolutus uni Deo serviens, unum Deum, et quae Christi sunt in animo habens, nihil de mundo sperat, nihil in mundo timet, et per bonam et malam famam a dextris et a sinistris insidiantem Christi miles gradiens nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, nec divitiis tumet, nec paupertate confunditur, sed mente impavida laeta simul contemnit et tristia. » Quale opprobrium pro Christiano per confirmationem roborato, si cuivis levi tentationi succumbit, respectu humano vincitur, et ob insanos mundanorum cachinnos et oblocutiones aut bona negligit, aut etiam mala perpetrat? —

3. Pastores animarum — praecipue appropinquante Episcopo — populum de dignitate, effectibus et caeremoniis confirmationis instruere, parentes confirmationem suorum filiorum negligentes de suo officio monere, et confirmandos ad tantum sacramentum digne suscipiendum solerter praeparare tenentur. Sollicite etiam curare debent, ut omnes confirmandi iam in prima manus impositione, quae a nonnullis theologis ut essentialis habetur, praesentes sint, et cum Episcopo fervida oratione septem Spiritus sancti dona efflagitare studeant, quod a patrino praestandum est cum confirmando, aut pro isto, si rationis compos non fuerit.

(1) L. II, p. I, dist. 4, cap 1, refl. ult

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA

§ 568. Tertium novae legis sacramentum est *Eucharistia*, quae dignitate et excellentia omnibus praestat reliquis sacramentis, summa in se mysteria continet, saluberrimos quoque fructus producit, totius religionis christianae compendium et ornamentum constituit; a Ss. Patribus ideo miris laudibus extollitur, et ab omnibus orthodoxis piisque Christianis maximi aestimatur. Sed quod lugendum est, materiam hanc sanctam, sublimem et admodum iucundam heterodoxi tot tantisque falsitatibus contaminarunt, tot subtilibus cavillationibus veram et antiquam maiorum nostrorum doctrinam corrumpere co-

nati sunt, ut non solum valde prolixa, sed etiam admodum difficilis evaserit vera huius sanctissimi sacramenti expositio et defensio. Magna igitur solertia tractatio haec suscipienda est, ac ideo pro introductione *eucharistiae definitionem* proponere, varias *denominationes* explicare, ac postea *divinam eiusdem institutionem* ostendere oportet, ut sic via ad reliqua dogmata de hoc sacramento pertractanda aperiatur et complanetur.

1. Eucharistia est sacramentum novae legis, in quo sub panis et vini speciebus corpus et sanguis Christi vere, realiter et substantialiter continetur, ad spiritualem fidelium refectionem et ad honorem Dei a Christo Domino institutum. Dicitur *sacramentum novae legis*, quia omnia requisita ad sacramentum constituendum in ea inveniuntur. Est enim signum sensibile, quia ritibus perficitur externis: ideo dicitur, quod in hoc sacramento *sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi vere, realiter et substantialiter contineatur;* sicut enim verba, quibus consecratio perficitur, auditui, sic species panis et vini visui subiiciuntur. Per signum autem externum significatur et producitur gratia; etenim sicut per panem et vinum alitur vita hominis corporalis, ita per eucharistiam alitur vita hominis spiritualis: unde Christus dicit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (1): per quae verba collatio gratiae supernaturalis apertissime indicatur; recte igitur in definitione additur, hoc sacramentum ordinari *in spiritualem fidelium refectionem.* Ex eadem porro definitione apparet, quomodo eucharistia differat a reliquis sacramentis: differt nempe 1° in eo, quod caetera usu perficiantur, istud vero in ipsa perficiatur consecratione materiae, et propterea tamdiu perdurat, quamdiu species sensibiles panis ac vini incorruptae manent; 2° quod in aliis substantia materiae non immutetur, mutetur tamen in isto; 3° demum hoc uni sibi veluti proprium vindicat, ut non modo sit sacramentum, sed etiam verum sacrificium; ac proinde, quatenus est sacramentum, tendit primario ad hominum sanctificationem, quatenus vero est sacrificium, primario ad Deum refertur in recognitionem supremi ipsius in res creatas omnes dominii; quamobrem definitioni additum est, eucharistiam etiam specialiter seu proxime ordinari *in honorem Dei.* Denique eucharistiam a Christo Domino institutam esse, mox solide probabitur.

2. Nomen tertii sacramenti maxime frequens, et in Ecclesia graeca et latina usitatum est *Eucharistia*, quae est vox graeca, et significat gratiarum actionem. Dicitur autem hoc sacramentum gratiarum actio, quia Christus gratias agens (2), hoc sacramentum instituit; quia nobis in memoriam revocat beneficia divina (3), nosque excitat ad gratum Deo animum exhibendum. Hinc *S. Chrysostomus* (4) dicit: « Optima beneficiorum custodia est ipsa memoria beneficiorum et perpetua gratiarum actio; propterea et tremenda ac salutaria illa mysteria, quae in omni Synaxi celebramus, *Eucharistia* nuncupantur; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinae erga nos bonitatis ostendunt, nosque ad debitas semper Deo gratias exsolvendas impellunt. » *S. Thomas* vero (5) dicit, hoc sacramentum vocari eucharistiam ab εὖ et χάρις, « id est,

(1) Io. 6, 52. (2) Matth. 26, 27.
(3) Luc. 22, 19.
(4) Hom. 25 (al. 26) in Matth. n. 3.
(5) 3 p., q. 73, art. 4.

bona gratia, quia *gratia Dei vita aeterna* (1), vel quia realiter continet Christum, qui est *plenus gratia*» (2). Eucharistiae nomen iam usurparunt antiquissimi Patres, ut S. *Ignat. M.* (3), *S. Iustinus M.* (4), *S. Cyprianus* (5), *S. Cyrillus Hier.* (6). — Sed pro varietate rerum et circumstantiarum, quae in celebratione ac dispensatione augustissimi huius sacramenti occurrunt, varĭis nominibus insignitur.

3. Ab actione, quae in conficienda aut dispensanda eucharistia suscipitur, vocatur *benedictio* seu *sacramentum benedictionis*, quia Christus eucharistiam instituens, *panem benedixit* (7); et *Paulus* (8) scribit: *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* — Dicitur etiam *fractio panis*, quia Christus eucharistiam instituens *panem fregit* (9).

4. A materia, ex qua conficitur eucharistia, dicitur panis (10). — A *S. Augustino* nominatur *panis coelestis* (11), *panis mysticus* (12), *panis Christi* (13), *panis dominicus* (14), *panis animae substantialis* (15), *panis quotidianus* (16). — Ab Ecclesia nuncupatur *panis Angelorum* in officio corporis Christi; *panis sanctus vitae aeternae*, *calix salutis perpetuae* in Canone Missae. Eaedem denominationes passim in Ss. Patribus et theologis occurrunt, a quibus etiam eucharistia dicitur *panis Dei*, *panis vitae*, *panis supersubstantialis*, *panis de coelo descendens* etc. Hincinde, praecipue apud graecos scriptores, per *dona*, *sancta dona* eucharistia intelligitur, vel quia haec solebat olim confici ex iis donis seu oblationibus panis et vini, quas fideles in usum eucharistiae afferebant, vel quia ipsa caetera dona Christi dignitate et praestantia superat.

5. A re, quae continetur in eucharistia, ipsa appellatur *Corpus Christi* (17), *Sanguis Christi* (18), *Corpus Domini* a Tertulliano (19), *Sacramentum corporis et sanguinis Christi* a Theodoreto (20), *Celebratio corporis et sanguinis Christi* a *S. Augustino* (21). Hae et similes denominationes passim in graecis et latinis Patribus inveniuntur. Atque ex hac radice exurgit ineffabilis huius sacramenti dignitas, qua factum est, ut quemadmodum olim apud Iudaeos locus templi secretior et maxime venerabilis dictus fuit *sancta sanctorum*, ita sacramentum eucharistiae, quod apud Christianos summam inter omnia mysteria venerationem meretur, dictum fuerit: *Sacramentum sacramentorum*, *mysterium mysteriorum*, *sanctum Domini*, *sancta sanctorum*, *augustissimum sacramentum*, imo per antonomasiam simpliciter absolute *sacramentum*, vel *mysterium*, aut in plurali numero *mysteria*, quia infinita pene mysteria in se continet.

6. A tempore et loco institutionis dicitur *Coena dominica*, *mystica* etc., quia a Christo vespere in coena ultima fuit instituta; *Mensa Domini* (22), quia Christus mensae recumbens cum Apostolis sacramentum hoc instituit; *Pascha*, quia tempore paschali id contigit; *novum Testamentum*, quia fuit ultima Christi morituri voluntas et dispositio; *Agapa*, quia convivia charitatis Eucharistiam comitabantur;

(1) Rom. 6, 23. (2) Io. 1, 14.
(3) Ep. ad Philad. (4) Apol. 2.
(5) Epist. 10 et 11. (6) Catech. 1, Mystag.
(7) Matth. 26, 26. (8) 1 Cor. 10, 16.
(9) Matth. 26, 26.
(10) Io. 6, v. 48 et 52; I Corinth. 10, 16.
(11) Epist. 120 ad Honor.
(12) Lib. 20, c. Faustum, c. 13.
(13) Tr. 6 in Io. (14) Tr. 39 in Io.
(15) Serm. 182 (al. 185) de temp.
(16) In Epist. 130 (al. 131) ad Probam.
(17) Matth. 26, 26. (18) Ib. v. 28.
(19) Lib. de orat. c. ult. (20) Dial. 3.
(21) Lib. de doctr. christ. c. 9.
(22) I Cor. 10, 21.

Sacramentum altaris a *S. Augustino* (1) et aliis, quia in altari consecratur et offertur in sacrificium.

7. Ab effectibus appellatur *communicatio sanguinis Christi, participatio corporis Domini* (2), et usu ecclesiastico *Synaxis, Communio*, quia per eucharistiam tum cum Christo, tum inter nos coniungimur et unimur, dicente Christo: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (3); ac Apostolo: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (4): dicitur etiam *gratia, sacramentum gratiae, gratia salutaris*, quia abundantissimam gratiam confert eucharistia. Denique nuncupatur *viaticum* a Patribus Nicaenis (5) et a *Concilio Chartaginensi IV* (6). Rationem affert *S. Thomas* (7) dicens: « Quia hoc sacramentum praefigurativum est fruitionis Dei, quae erit in patria; et secundum hoc dicitur *viaticum*, quia hic praebet nobis viam illuc perveniendi. »

De divina eucharistiae institutione.

§ 569. Eucharistiam, quam ab antiquissimis temporibus in Ecclesia catholica celebrari compertum est, non humanae, sed divinae institutionis esse et Christum habere auctorem, argumenta luculentissima probant. Eucharistia enim *in veteri Testamento praefigurata, a Christo promissa*, et *in ultima coena instituta ac praecepta*, atque ut talis tum *ab Apostolis* tum *ab Ecclesia semper credita et celebrata* fuit.

1. *Variae figurae V. T.* Eucharistiam praefigurabant, quae ad tres classes reduci possunt. Nam Eucharistia, prout est res subiecta sensibus exhibens species panis et vini, praesignata fuit tum *per oblationem Melchisedech*, qui in Gen. (8) legitur obtulisse panem et vinum, cum esset sacerdos Dei altissimi, ut docent *S. Chrysostomus* (9), *S. Ambrosius* (10), *S. Hieronymus* (11); tum *per panes propositionis*, qui solum ab hominibus mundis et sanctificatis comedi poterant (12), ut observant *S. Hieronymus* (13) et *S. Cyrillus Hier.* (14); tum *per panes primitiarum*, de quibus Levit. XXIII, 10 sermo est, et ad quos alludens *S. Irenaeus* (15), eucharistiam appellat *panem primitiarum* in N. T.; tum demum *per panem subcinericium*, quem Elias (16) manducavit, et in cuius fortitudine ambulavit per 40 dies usque ad montem Dei Horeb. Christus quippe est panis vivus e coelo delapsus sub cinere nostrae mortalitatis afflictionis igne coctus, in cuius fortitudine ad Dei montem, id est, coelestem patriam pervenimus. — Eucharistiam quoad corpus et sanguinem Christi realiter sub speciebus panis et vini praesentis significarunt omnia veteris legis sacrificia, ut docet *S. Augustinus* (17): et specialiter quoad sanguinem Christi eucharistia praefigurata fuit per *sanguinem Testamenti* (18): unde in instituenda eucharistia Christus (19) iisdem fere verbis usus est, quibus Moyses vetus testamentum dedicavit: quam analogiam V. et N. T. iam observavit *Tertullianus* c. Marcion. (20). — Saluberrimi eucharistiae effectus praefigurati sunt per *arborem vitae*,

(1) Ep. 185 (al. 50.) (2) 1 Cor. 10, 16.
(3) Io. 6, 57. (4) 1 Cor. 10, 17.
(5) Can. 13. (6) Can. 77.
(7) 3 p., q. 73, art. 4. (8) Gen. 14, 18.
(9) Hom. 25 in Gen.
(10) Lib. 4, de sacram. c. 3.
(11) In cap. 26 Matth. (12) 1 Reg. 21.
(13) In cap. 1, Ep. ad Tit.
(14) Catech. 4.
(15) L. 4 adv. haer. c. 17 (al. 32).
(16) 3 Reg. 19, 8.
(17) Lib. 17 de Civ. Dei, c. 20.
(18) Exod. 24. (19) Matth. 26, 28.
(20) L. 4, c. 40

quam plantaverat Deus in paradiso quasi pharmacum immortalitatis; et per *manna*, quod datum est Hebraeis in deserto, ut vita illorum peregrinationis tempore sustentaretur, in quo proinde post Apostolum (1) *S. Chrysostomus* (2), *S. Ambrosius* (3) et alii Patres typum eucharisticum agnoverunt, quod etiam quisque facile intelliget, si ad originem mannae, eius suavitatem, salubres effectus etc. attendat. Praecipua autem eucharistiae figura fuit *Agnus paschalis*, ut docent *S. Chrysostomus* Hom. de proditione Iudae, *S. Hieronymus* in Matth. (4), *S. Augustinus* c. litt. Petil. (5), *S. Leo M.* de Pass. Dom. (6) ubi observat, ideo post manducatum agnum paschalem institutam fuisse eucharistiam, ut ostenderetur, antiquam observationem novo sacramento fuisse adimpletam atque sublatam. Facile etiam est, convenientiam huius typi explicare. Nam *Agnus* ipse significabat Christum non tantum ut hostiam, sed etiam ut cibum, quia necesse erat agnum illum non tantum immolari, sed etiam manducari: *agni sanguis* denotabat effectum redemptionis Christi applicatae nobis per istud sacramentum, quo scilicet a devastante angelo et durissima servitute peccati, sicut olim Hebraei a iugo servitutis aegyptiacae, liberamur: denique *panis azymus*, cum quo Israëlitae agnum paschalem manducare debebant, optime repraesentat materiam nostri sacramenti; atque eam ob causam *S. Thomas* (7) docet, agnum paschalem omnium praestantissimam fuisse eucharistiae figuram. His addi potest, eucharistiam a Propheta regio etiam praenuntiatam fuisse his verbis: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me: et calix meus inebrians quam praeclarus est* (8)! In hoc enim Psalmo Messias ut bonus Pastor exhibetur, eiusque beneficia describuntur: quapropter si Ss. Patres per *aquam refectionis* baptismum, per *virgam et baculum* doctrinam et protectionem, et per *oleum impinguantem* confirmationem intelligunt, rectissime per *paratam mensam* et *calicem inebriantem* cum *S. Ambrosio* (9) et *Theodoreto* (10) eucharistia intelligitur (11). — Cum autem Luc. XXIV, 44, Christus dixerit: *Necesse est implere omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et Psalmis, et Prophetis de me*, necesse quoque est, eucharistiae sacramentum admittere tanquam divinitus institutum.

2. *Christus* non solum coram discipulis suis, sed coram magna hominum multitudine institutionem eucharistiae *promisit:* ait enim Io. VI, 51 etc.: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* etc. Extiterunt quidem post lugenda reformationis tempora nonnulli, qui negare ausi sunt, citata verba de eucharistia intelligenda esse: sententiam vero suam ex eo probare studuerunt, quia Christus in citato capite Ioannis manifeste de doctrina sua loquitur, quae credenda et observanda est, ut vita habeatur aeterna, imo seipsum panem vitae vocat, qui per fidem sumendus est. Cum enim dixisset: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* (12); Iudaei autem reposuissent: *Patres nostri manducaverunt manna in deserto sicut scriptum est: Panem de*

(1) I Cor. 10. (2) In cap. 6 Ioan.
(3) Lib. 3 de sacr. cap. 1.
(4) Matth. cap. 26 Matth.
(5) Lib. 2, c. 37. (6) Serm. 7.
(7) 3 p., q. 73, art. 6. (8) Ps. 22, 6, etc.
(9) Lib. de Elia et ieiun. c. 10.
(10) Comment. in Ps. 22.
(11) V. Calmet. in h. Ps.
(12) Ib. v. 29

coelo dedit eis manducare (1): ipse quoque, ut responderet Iudaeis, doctrinam suam seu seipsum ut mundi doctorem et redemptorem panem nominat dicens: *Pater meus dat vobis panem de coelo verum. Panis enim Dei est, qui de coelo descendit et dat vitam mundo* (2): — *Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam* (3). Et cum docuisset (4) fidem (per quam pervenitur ad Christum) esse donum Dei, tandem concludit: *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam aeternam* (5). — Errant autem et vehementer errant, qui propter ista Christi verba putant, in toto capite de eucharistiae sacramento sermonem non haberi: qui ita sentiunt, tum regulis hermeneuticis, tum constanti Ecclesiae traditioni repugnant. Satis enim manifestum est, in capite sexto Ioannis *de triplici pane* sermonem institui, nempe de *pane materiali*, de *pane spirituali*, et de *pane sacramentali*. Primo narratur, Christum per quinque panes materiales, quos per miraculum multiplicavit, maximam hominum multitudinem in deserto satiasse, quae postea divinum benefactorem usque in civitatem Capharnaum secuta est. Iesus vero dixit eis: *Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis* (6). Qua occasione arrepta, Christus de pane mere materiali ad panem mere spiritualem sermonem convertit dicens: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam* etc. (7). Et satis manifestum est, Christum a v. 32-47 doctrinam suam ac seipsum panem nominare, spiritualem nempe, qui per fidem sumendus est. Ast v. 48 etc. Christus de tertio pane loquitur dicens: *Ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Verba ista nullatenus de eodem illo pane spirituali intelligi possunt, de quo antea locutus fuerat, sed apertissime panis verbis istis promissus a pane priori mere spirituali distinguitur. Nam prius loquebatur de pane, quem Pater dat (8); hic loquitur de pane, quem ipse daturus est (9): prius indigitabat panem, qui iam aderat; hic vero panem, qui nondum adest, sed quem dare promittit: prius sermonem faciebat de pane, qui est ipse, in quem credendum est (10); hic de pane, qui *manducandus* est (11), quia est eadem illa *caro*, quae tradenda est *pro mundi vita*. Homines quoque, qui sermoni Christi aderant, haec ultima verba non de pane spirituali per fidem sumendo, sed de vera carnis Christi manducatione intelligebant, curiose autem de modo, quo id fieri posset, sciscitabantur; unde legitur: *Litigabant ergo Iudaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* (12)? Tantum vero abest, ut Christus eorum sententiam de carnis manducatione correxerit, ut potius eandem approbaverit, et graphicis verbis commendaverit dicens: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam*

(1) V. 31. (2) V. 32. (3) V. 35. (4) V. 44. (5) V. 47. (6) V. 26. (7) V. 27. (8) V. 32. (9) V. 52. (10) V. 35, 36 et 47. (11) V. 50 et 51. (12) V. 53.

aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo (1). In istis porro verbis observare oportet, Christum saepius distinguere carnem et sanguinem, cibum et potum, manducare et bibere: sed distinctiones istae non solum inutiles, sed etiam absonae essent, si de pane mere spirituali, seu de fide in Christum sermo esset, in qua caro et sanguis, cibus et potus etc. perperam distinguuntur. Caeterum verba Christi adeo clara sunt, ut qui ea audierunt, minime dubitaverint, de vera carnis manducatione et sanguinis sumptione sermonem esse. Cum autem putarent, carnem Christi in frusta discindendam et manducandam esse, ideo : *Multi audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire* (2)? Christus vero, ut vacillantem eorum fidem firmaret, eisque omnipotentiam suam, qua tantum miraculum perficere possit, ostenderet, provocat ad suam ascensionem in coelum (3), ipsis declarat, quod non carnem mortuam et dilaceratam manducandam propositurus sit, sed carnem vivam cum spiritu coniunctam, ac ideo alios quoque vivificantem (4); atque demum prolatum a se sermonem confirmans concludit: *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Ast nihilominus multi fidem verbis Christi detrectaverunt, et de eius sermone indignati ac scandalizati Christi discipuli esse recusarunt; nam ibid. legitur: *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, et iam non cum illo ambulabant* (5). Quamvis autem Christus, qui *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem* (6); qui *venit quaerere et salvum facere, quod perierat* (7); imo, *qui venit in mundum, ut testimonium perhibeat veritati* (8); quamvis, inquam, Christus multos ex discipulis suis ob sermonem prolatum et in obvio verborum sensu intellectum a se recedentes videret; nullatenus tamen ut eos retineret vel revocaret, dixit, verba de manducanda carne et de sanguine bibendo figuraliter, metaphorice, aut mere spiritualiter de fide in Christum intelligenda esse, sed humilem et firmam fidem in verba prolata exigens, dixit ad duodecim: *Numquid et vos vultis abire* (9)? *Respondit ei Simon Petrus: Ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes* (10). Itaque iuxta omnes hermeneuticas regulas caput sextum Ioannis incipiendo a v. 48 et seq. de eucharistia intelligendum est. Quod confirmatur ex Traditione, quae est linea, iuxta quam S. Scripturam exponere oportet. Nam citata verba Christi de eucharistia exposuerunt *S. Irenaeus* (11), *Origenes* (12), *S. Cyprianus* (13), *S. Cyrillus Hier.* (14), *S. Hilarius* (15), *S. Basilius* (16), *S. Ambrosius* (17), *S. Chrysostomus* (18), *S. Epiphanius* (19), *S. Augustinus* (20), *S. Cyrillus Alex.* (21), *S. Leo M.* (22), *Theodoretus* (23), *S. Io. Damascenus* (24),

(1) V. 54-59. (2) V. 61. (3) V. 63.
(4) V. 64. (5) V. 67. (6) Io. 1, 9.
(7) Luc. 19, 10. (8) Io. 18, 37.
(9) V. 68. (10) V. 69.
(11) Lib. 4, adv. haer. c. 4.
(12) Hom. 16 in Num.
(13) L. de Orat. dom
(14) Catech. 4 mystag.
(15) Lib. 8 de Trin. n. 13.
(16) Lib. 1, de bapt. c. 3, et in Regulis moral. reg. 21, c. 1 et 2.
(17) Lib. de init. c. 8, et lib. 4 de sacr. c. 5.
(18) Hom. 45 in Ioan. (19) Haer. 55.
(20) Tr. 26 et seq. in Io., ac Serm. 2 de verbis Apost. (21) Comment. in Ioan.
(22) Serm. 6 de ieiun. septimi mensis.
(23) Lib. 4 Hist. eccl. c. 4.
(24) Lib. 4 orth. fid. c. 14.

Ven. Beda, *Euthymius*, *Theophylactus*, *Rupertus*, *S. Thomas* et alii in suis in Ioan. Commentariis. Accedunt quoque Concilia: nam *Conc. Alexandrinum*, Praeside *S. Cyrillo*, in sua ad Nestorium epistola ex capite sexto Ioannis probat, in eucharistia nos participes fieri sacrae carnis et pretiosi sanguinis Christi: et haec epistola lecta et approbata fuit in *Concilio generali Ephesino*. *Conc. Nicaenum II* (1) pariter ex Io. VI, 54 probat eucharistici sacrificii veritatem. *Conc. Tridentinum* ex eodem capite varia adducit testimonia ad doctrinam catholicam de eucharistia comprobandam, ut Sess. XIII, cap. 2, et Sess. XXI, cap. 1. Iam alibi autem (2) dictum est, Ecclesiam in intelligenda et exponenda Scriptura errare non posse: quapropter dubitare non licet, in capite sexto Ioannis de eucharistia sermonem haberi, et rectissime ex eodem capite testimonia adduci ad doctrinam de eucharistia comprobandam.

3. Quod Christus promisit, id etiam pro infinita sua fidelitate implevit, et in ultima coena eucharistiam instituit. Haec institutio his verbis narratur a Matthaeo: *Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (3). Iisdem fere verbis eandem institutionem refert Marcus (4). Lucas vero cum institutione eucharistiae etiam praeceptum Christi eam perpetuo celebrandi coniungit; ait enim de Christo: *Accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* (5). Similiter Paulus eucharistiae institutionem, quam speciali revelatione divina didicit, enarrat dicens: *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis; quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (6). Dubitari ergo nullatenus potest, eucharistiam a Christo institutam et praeceptam esse ita, ut in Ecclesia usque ad consummationem saeculi celebrari debeat.

4. *Apostoli* institutionis a Christo factae et praecepti dati memores eucharistiam conficiebant, et dispensabant; quod varia S. Scripturae testimonia commonstrant. Nam. Act. II, 42 de primis fidelibus dicitur: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Quia autem communicatio fractionis panis coniungitur cum doctrina Apostolorum et cum orationibus; manifestum est, per illam quoque actionem spiritualem, scilicet frequentationem eucharistiae intelligi: unde Interpres Syrus vertit: *Erant perseverantes - in fractione eu-*

(1) Act. 6. (2) Th. gen. § 236. 2a ed.
(3) Cap. 26, v. 26 et seq. (4) Cap. 14, v. 22-25. (5) Cap. 22, v. 19 etc. (6) 1 Cor. 11, 23

charistiae. Paulus de celebratione et sumptione eucharistiae praeclarum fert testimonium I Cor. X, 16 etc., dicens: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Hanc ipsam communicationem et participationem Apostolus tanquam gravissimum charitatis fraternae motivum proponit his verbis: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Et cap. XI, v. 28 monet fideles, ut conscientiam suam probent, et a peccatis purgare studeant ad eucharistiam digne sumendam; ait enim: *Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat* etc. Haec omnia ostendunt, Apostolos institutionis et praecepti Christi memores illud idem coram fidelibus peregisse, quod Christus in ultima coena coram ipsis fecerat, eucharistiam nempe sub speciebus panis et vini consecrasse atque fidelibus dispensasse.

5. *In Ecclesia Christi* eucharistiam semper tanquam sacramentum novae legis creditam, ab Episcopis et presbyteris consecratam, ac fidelibus dispensatam fuisse, omnium saeculorum Patres et rerum ecclesiasticarum scriptores, libri liturgici et plurima alia monumenta ostendunt, ut ex dicendis in hoc capite abunde constabit. Perpetua etiam fuit Ecclesiae fides, eucharistiam non ab hominibus, non ab Apostolis, sed ab ipso Christo institutam fuisse. Ideo *Conc. Florentinum* in decreto pro Armenis dicit: *Iuxta testimonia Ss. Patrum et Doctorum Ecclesiae - creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum.* Et *Conc. Tridentinum* (1) ait: *Maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse.* Et (2) addit: *Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum.*

Nota. Protestantes, Lutherani et Calviniani nobiscum profitentur, eucharistiam a Christo institutam esse, eamque perpetuo in Ecclesia celebrari debere, tum ut grata passionis et mortis pro nobis a Christo toleratae memoria recolatur; tum ut publica quaedam verorum Christi discipulorum professio habeatur; tum demum ut fideles ad virtutis exercitium et praecipue ad mutuam charitatem excitentur. Caeterum Protestantes doctrinam genuinam de eucharistia variis gravissimisque erroribus corruperunt, qui in decursu huius capitis recensebuntur et impugnabuntur. Sociniani etiam rationem sacramenti eucharistiae denegant, et in ea nihil nisi nudam mortis Christi commemorationem agnoscunt. Rationalistae et Pseudo-Philosophi clamare non cessant, doctrinam catholicam de eucharistia sane rationi repugnare, - ea, quae *supra* rationem sunt, ab iis, quae *contra* rationem sunt, non distinguentes.

Momentum doctrinae, et ordo dicendorum.

§ 570. Quidquid revelata in religione sanctum, salutare et augustum est, in eucharistia per excellentiam invenitur. Sacrosancta sunt religionis *mysteria*, quae, quantum humanam rationem superant, tantum Dei omnipotentiam, sapientiam et bonitatem

(1) Sess. 13, cap. 1. (2) Cap. 2.

exaltant: ast in eucharistia multa sunt, quae humanae rationis captum transgrediuntur, et recte Ss. Patres et doctores adseverant, Deum in eucharistia stupenda suae omnipotentiae miracula renovare, ineffabiles sapientiae suae intentiones patefacere, et inexhaustas divini sui erga homines amoris divitias velut effundere. — Saluberrima sunt novae legis *sacramenta*, quae a Propheta (1) fontes Salvatoris dicuntur, ex quibus aquae gratiarum cum gaudio hauriuntur: sed, ait *S. Thomas* (2): « Nullum sacramentum est isto (eucharistia) salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. — Suavitatem denique huius sacramenti nullus exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, et recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstravit, excellentissimae charitatis. » — Inter sacros religionis actus demum eminet *sacrificium*, per quod debitus summo Deo latriae cultus defertur: idcirco in V. T. multa et varii generis sacrificia divinitus praescripta fuerunt: at eucharistia est etiam sacrificium, quod Christus ipse, Sacerdos simul et victima, Deo offert, quod infiniti proinde valoris est, et omnia sacrificia V. T. antecellit, sicut umbram corpus, et sicut figuram veritas. — Eucharistia igitur est *mysterium altissimum*, *sacramentum efficacissimum*, et *sacrificium praestantissimum*. Sub hoc triplici respectu eucharistia iuxta doctrinam revelationis consideranda est; et hanc ipsam doctrinam summi momenti esse, nemo inficias ibit, quam idcirco triplici dissertatione clare explicare, solide comprobare, et contra temerarios adversariorum insultus strenue defendere oportet.

DISSERTATIO I.

De eucharistia, quae est mysterium altissimum.

§ 571. *Mysteria* illae vocantur religionis revelatae veritates, quas ex suis principiis evolvere non potest humana ratio, et quae, etiam facta revelatione, ita sunt humanae intelligentiae impervIae, ut, quamquam quid sibi subiectum et praedicatum velint, intelligamus, quo tamen modo praedicatum subiecto conveniat, ratione nostra assequi non possimus. Talia mysteria continet doctrina catholica de Trinitate (3), de Incarnatione (4), de Redemptione (5) etc. Talia mysteria etiam in doctrina catholica de eucharistia continentur. Dogma enim catholicum est, in eucharistia Christum, Filium Dei incarnatum, Deum et hominem, sub speciebus panis et vini vere, realiter et substantialiter praesentem esse. Dogma pariter est, in eucharistia fieri transubstantiationem, id est, substantiam panis et vini in consecratione converti in substantiam corporis et sanguinis Christi, manentibus dumtaxat panis et vini speciebus. Dogma iterum est, quod Christus praesens sit in eucharistia modo permanenti; id est, Christus non solum praesens fit, dum sumitur, sed peracta consecratione illico praesens est iam ante sumptionem, et praesens manet post sumptionem donec species resolvantur. Atque etiam praesens est in hostiis et particulis consecratis, quae post fidelium communionem reservantur vel supersunt: ex quo sequitur, Christum in eucharistia, etiam extra usum, adorandum esse cultu latriae. Dogma denique est, Christum totum praesentem esse sub utraque specie (singillatim sum-

(1) Isa. 12, 3. (2) Opusc. 57. (3) § 114
(4) § 310. (5) § 386.

pta), et sub singulis cuiuslibet speciei partibus: ex quo recte infertur, integrum Christum recipi, etiamsi sub una tantum specie sumatur. Haec dogmata catholica rationis quidem captum longe transcendunt, sed ex divina revelatione certissime constant: quod ut ostendatur, disserendum est 1° *de reali Christi in eucharistia praesentia;* 2° *de transubstantiatione;* 3° *de eucharistiae reservatione et adoratione;* et 4° *de praesentia Christi sub unaquaque specie, ac de valore et liceitate communionis sub una tantum specie factae.* Haec dogmata catholica magna solertia pertractanda sunt, tum quia in se sunt maxime sublimia; tum quia pro fidelibus summi sunt momenti; tum quia a multis adversariis impugnantur, quorum placita doctrinae catholicae opposita in quolibet articulo recensebuntur et confutabuntur.

ARTICULUS I.

De reali Christi in eucharistia praesentia.

§ 572. 1. Realem Christi in eucharistia praesentiam *indirecte* impugnarunt *Simoniani*, *Menandriani*, *Manichaei* et alii, qui negarunt, a Christo veram carnem assumptam fuisse: ex hoc enim errore necessario sequebatur, in eucharistia non adesse verum corpus et verum sanguinem Christi. Caeterum nullus primorum saeculorum haereticus reperitur, qui fidem realis praesentiae *directe* impugnasset. Saeculo IX *Ioannes Erigena Scotus*, teste *Ascelino* in Epist. ad Bereng. (1), librum de eucharistia composuit, in quo toto nisu probare studuit, hoc, quod in altari consecratur, neque vere corpus, neque vere sanguinem esse, sed omnia hic specie geri, non rei veritate. *Hincmarus* quoque testatur (2), Io. Erigenam docuisse: « Sacramenta altaris non esse verum corpus et verum sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri corporis et sanguinis. » Scoti librum proscripserunt *Conc. Vercellense* anno 1050 (3), *Parisiense* sub idem tempus (4), *Romanum* anno 1059 (5). Dantur autem qui Erigenam perperam, seu sine solido fundamento de hac haeresi accusari putant, ut *Renaudotius* (6). Idcirco multorum sententia est, primum, qui realem Christi in eucharistia praesentiam negavit, fuisse saeculo XI *Berengarium*, qui publice docuit, in eucharistia non verum corpus Christi adesse, sed umbram et figuram corporis Christi. Pluries quidem haeresin suam eiuravit, sed ad vomitum iterum reversus est. Vicit tamen gratia, ac diu reluctantem sibi animum subiecit; communis enim sententia est, eum sincere poenitentem ultimos vitae annos peregisse, et anno 1088 in fide et communione Ecclesiae diem suum obiisse. Saeculo XII plures exorti sunt haeretici, qui praeter alios errores Berengarii quoque labe infecti erant, ut *Petrus de Bruis*, a quo Petrobrusiani, et eiusdem discipulus *Henricus*, a quo Henriciani dicti sunt. Hi quidem Christum in ultima cum discipulis coena panem in corpus suum convertisse fatebantur, sed negabant, sacramentum ab eo fuisse institutum, aut eam potestatem ad Apostolos eorumque successores transiisse. Saeculo XIII *Albigenses*, teste *Bernardo Luzemb.* (de haeres.), dicebant, corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quam in alio pane et in alia re. Saeculo XIV *Wicleffus* merito inter aber-

(1) V. Mansi Coll. Conc. t. 19, c. 777.
(2) Lib. 1 de praedest. cap. 31.
(3) Mansi l. c., c. 773. (4) Ibid. c. 782.
(5) Ibid. c. 901.
(6) De perpet. fidei etc. t. 1, lib. 8, c. 12.

rantes recensetur, cuius art. 3: «Christus non est in eodem sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali; » proscriptus est in *Conc. Constantiensi* Sess. VIII. — Saeculo XVI *Carolostadius* realem Christi in eucharistia praesentiam oppugnare aggressus est, asserens, Christum illis verbis: *Hoc est corpus meum*, sine alia intentione seipsum mensae assidentem demonstrare voluisse. — *Zuinglius*, Tigurinus pastor, homo corruptis moribus et desperata audacia, Carolostadio adhaesit, et librum contra realem Christi in eucharistia praesentiam conscripsit, in quo contendit, eucharistiam meram esse et nudam corporis Christi figuram et imaginem, ita ut verba institutionis hunc habeant sensum: *Hoc significat corpus meum.* Interpretationem istam Zuinglius se didicisse fatetur a monitore quodam nocturno (« ater, inquit, an albus fuerit, non memini »), qui ipsi dixit, verba Christi intelligenda esse ut verba Exod. XII: *Est enim Phase, id est, transitus Domini;* ubi verbum *est*, accipitur pro *significat*. Hinc seposita omni simulatione, in helvetica sua confessione ait: «Christi corpus ab Ascensione esse tantum in coelo, nec alibi esse posse: esse tamen praesens in eucharistia, non autem realiter, nec per essentiam. » Eandem sententiam amplexus est et defendit *Oecolampadius*, nec non *Bucerus*, qui tamen doctrinam Zuinglii multo fuco temperavit, ne apud Lutheranos male audiret. A Bucero suam de eucharistia doctrinam hausit *Calvinus*, sed et hausit ambiguum illud locutionis genus, quo adiuvante, praesentiam realem modo admittere, modo negare videtur. Non tamen a vero procul absunt, qui statuunt, Calvini hanc esse sententiam, Christum in eucharistia praesentem dumtaxat esse *virtute*, qua e carnis substantia vitam in animas nostras inspiret, imo propriam vitam in nos diffundat, atque manducari *fide*, qua praesens, virtute scilicet, creditur, cum praeter hanc fidei manducationem alia fingi non possit. — *Sociniani* et *Arminiani* ulterius progressi sunt, contendentes, eucharistiam purum esse, sterile ac vacuum signum, nullam habens annexam promissionem gratiae, cum eius finis nullus alius sit, quam ut in memoriam revocetur mors Christi. Idem fere sentiunt *Anabaptistae, Mennonitae, Schwenckfeldiani* et alii. *Quacheri* usum sacrae coenae penitus reiiciunt. — Notandum porro est, quod omnes, qui realem Christi in eucharistia praesentiam negant, *sacramentarii* appellari consueverint, quo nomine primum a Lutheranis inusti sunt Zuingliani et Calvinistae, eo quod in eucharistia non ipsam substantiam corporis et sanguinis Christi, sed solam istorum figuram, sola symbola, seu *sacramentum nudum* agnoscerent. Quamvis autem antiquiores Lutherani realem Christi in eucharistia praesentiam contra Zuinglianos et Calvinianos defenderent, aliter tamen recentiores sentiunt, de quibus cl. *Liebermann* (1) scribit: « Illud mirandum, quod Lutheri discipuli pene omnes hodie ab illa praesentiae realis doctrina discesserint, quam Lutherus voluit absque omni verborum fuco nude et aperte praedicari, et quam ipse ad finem vitae usque acerrime defendit, ita ut omnia anathemata et dirae execrationes, quas ille contra sacramentarios vibravit, in eos nunc recidant, qui se discipulos eius esse gloriantur. Verum parum hoc curant discoli filii, qui id unum a patribus didicerunt, nullam sibi credendi regulam praefigere praeter innovandi

(1) De Euchar. cap. 1.

libidinem et superbi ingenii figmenta. In hac arte non credendi ita profecerunt protestantium sectae, ut omnes nunc in Socinianismi luto haereant, nec aliud quidquam videant in divino sacramento, quam nudum signum omni supernaturali virtute vacuum, cuius is unus fructus esse potest, ut nobis optimi Magistri amorem et eximiam in toleranda morte patientiam in memoriam reducat, nosque hac recordatione ad imitationem et melioris vitae propositum excitet. Necesse non est, testimonia quaerere in re tam nota. »

2. *Catholici* realem Christi in eucharistia praesentiam constanter crediderunt et professi sunt. Christus autem est Deus et homo, atque ut homo habet corpus et animam humanam, carnem et sanguinem: et quia: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (1); ac ideo nunquam vel corpus ab anima, vel caro a sanguine separatur, humanitas vero indissolubili nexu cum divinitate coniuncta est (2) consequenter ubi corpus Christi adest, ibi adest et eius anima humana; ubi eius caro adest, ibi adest etiam eius sanguis; et ubi eius humanitas adest, ibi adest etiam eius divinitas: quamobrem in eucharistia Christus cum tota sua divinitate et cum tota sua humanitate sub speciebus panis et vini vere, realiter et substantialiter praesens est. Hanc doctrinam clare proponit *Concilium Tridentinum* (3) dicens: *Si quis negaverit, in sanctissimae Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura aut virtute; anathema sit.* In decreto Concilii dicitur, Christum adesse *vere*, contra omnes sacramentarios, qui Christum in signo tantum et figura adesse existimant: dicitur *realiter*, propter eosdem haereticos, qui ut incautos fallerent, non raro verum Christi corpus adesse confessi sunt, sed ita, ut fide veluti praesens exhiberetur, non in re ipsa adesset: *Concilium* addit: *substantialiter*, quia Calvinus, quamvis subinde catholice loqui videretur, hoc tamen constanter docuit, corpus Christi quoad substantiam esse tantum in coelis, eius autem virtutem et vigorem exinde ad nos manare: ergo particula *vere* excludit praesentiam per figuram et imaginem, particula *realiter* excludit praesentiam tantum per fidem, particula *substantialiter* excludit praesentiam tantum per virtutem a Christo diffusam. Dogma iam catholicum ex duobus revelationis fontibus probare oportet, ex *S. Scriptura* et ex *Traditione*; nam ex ratione probari nequit, cum sit mysterium altissimum: ad rationem tamen spectat ostendere, dogma catholicum sibi non repugnare. Idcirco dogma catholicum *argumento biblico* et *ecclesiastico* probabimus, ac dein *reflexionem philosophicam* adiiciemus.

(1) Rom. 6, 9. (2) § 313.

(3) Sess. 13, can. 1.

I. *Argumentum biblicum.*

§ 573. S. Scripturam Protestantes ut unicum divinae revelationis fontem agnoscunt. Necesse igitur est, ut in primis ex isto fonte argumenta hauriamus, quibus probemus, Christum in eucharistia sub speciebus panis et vini vere, realiter, et substantialiter praesentem esse. Argumenta autem pro hoc dogmate peti possunt tum *ex verbis, quibus Christus eucharistiam promisit*, tum *ex verbis, quibus Christus eucharistiam instituit*, tum *ex*

verbis, quibus Paulus sumptionem eucharistiae commendavit.

A. *Ex verbis promissionis.*

§ 574. Christus, qui de omnibus magni momenti mysteriis stupendisque miraculis, quae patrare decreverat, uti de morte (1), resurrectione (2), ascensione sua (3), de adventu Spiritus sancti (4), suos prius discipulos commonefacere dignatus est, illorumque animos ad ea plena fide suscipienda praeparare, idipsum etiam quoad eucharistiam praestitit, quae est mysterium altissimum, et miraculum gratiae maxime insigne. Eam etenim antequam institueret, clare promisit. Matthaeus quidem, Marcus et Lucas haec promissionis verba non referunt, ipsam autem eucharistiae institutionem enarrant: e contra Ioannes, qui ubique totus est in commendanda Christi dilectione, aliisque divinae bonitatis mysteriis praedicandis, de augustissimi tamen sacramenti institutione penitus silet, quod, ut observat *S. Augustinus* (5), non alia ex ratione factum est, nisi quia de potissimo hoc Christi amoris monumento iam capite sexto evangelii sui abunde locutus est, verba referens, quibus Christus tantum sacramentum promisit. Istud autem caput, saltem incipiendo a v. 51 exponendum esse de SS. Eucharistiae promissione, iam § 569, n. 2 ex regulis hermeneuticis et ex traditione probatum fuit. Ex his autem verbis promissionis realis Christi in eucharistia praesentia invicte probatur, tum quia divinus Redemptor panem promittit, qui sit ipse seu caro ipsius; tum quia non spiritualem tantum, sed realem carnis suae manducationem, et sanguinis sui potionem perspicuis et saepius iteratis verbis commendat.

(1) Matth. 20, 19. (2) Ibid.

1. Christus arrepta occasione miraculi a se patrati in multiplicatione panum exhibuit Iudaeis cibum longe excellentiorem, nempe eucharistiam. De hac, ut observant *S. Cyrillus Alex.*, et *Theophylactus* (6), intelligenda sunt verba v. 27: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.* Ut autem conciliaret fidem sibi hunc cibum pollicenti, patefacit necessitatem fidei in suam divinitatem, quum is solus, qui Deus sit, possit talem cibum promittere et praebere. Cum autem plura ad hanc fidem stabiliendam disseruisset, v. 47 concludit: *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam aeternam.* Mox autem declarat, quomodo credens in ipsum vitam aeternam consequatur. Talem enim effectum pani adscribit, quem ipse daturus est. Qualis autem sit iste panis longe excellentior pane, per quem multiplicatum turbas saturaverat, et efficacior pane, quem Iudaei in deserto coelitus acceperant, explicat his verbis: *Ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt: Hic est panis de coelo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (7). Quibus verbis Christus clare profitetur, se esse panem, qui manducandus est, ut vita aeterna obtineatur; obvius enim eorum sensus est: In V. T. panis de coelo Israëlitis datus fuit, nempe manna, quam manducaverunt, quae autem vitam ipsis aeternam non

(3) Io. 16, 28. (4) Io. 16, 7.
(5) L. 3, de consensu evang. c. 1.
(6) Comment. in h. l. (7) V. 48-52.

tribuit: nunc autem iterum panis de coelo datur, quem sicut manna manducare oportet, qui autem manducantibus vitam aeternam tribuit: hic vero panis ego ipse sum: *Ego sum panis vitae: ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* Haec verba tunc tantum vera sunt, si Christus ipse sub speciebus panis et vini in eucharistia vere, realiter et substantialiter continetur: falsa autem aut saltem absona essent, si materialis panis et materiale vinum in eucharistia sumerentur. Ne ergo divinae sapientiae maxima iniuria inferatur dicendum est, Christum se panem vitae et panem vivum nominasse, quia sub speciebus panis et vini in eucharistia vere, realiter et substantialiter praesens est. Ne quis autem putet, se spiritualiter tantum, seu per virtutem in eucharistia praesentem esse, vel per solam doctrinam, quae fide percipitur, salutares effectus producere; ideo addit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* id est, cibus quem vobis manducandum porrigam, non est sola gratia seu virtus mea, nec doctrina mea, quam credere debetis, sed eadem illa *caro mea est*, idem illud corpus meum, quod *pro mundi vita* immolabitur. Quodsi verba Christi, qui est ipsa veritas et lux mundi, fallere nequeunt; omnino credendum est, panem eucharisticum esse carnem Christi, ac ideo in illo adesse etiam eiusdem sanguinem, corpus et animam, divinitatem et humanitatem.

2. Christus in eodem capite clarissime adseveravit, carnem suam manducandam et sanguinem suum bibendum esse. Cum enim Iudaei verba Christi proxime citata, non de spirituali, sed de reali, seu orali carnis manducatione intelligerent, inter se litigarent et dicerent: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* (1)? tantum abest, ut Christus eorum opinionem corrigeret, ut potius eandem confirmaret, eiusdem manducationis necessitatem adstrueret, utilitatem commendaret, et possibilitatem ostenderet. Addit enim: *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (2). Quae verba adeo clara sunt, ut dubiis et cavillationibus locum relinquere non videatur. Intelligi enim non possunt nec de doctrina Christi humili fide suscipienda, nec de communicatione sacrificii in ara crucis oblati, ubi corpus Christi dilaniatum et sanguis effusus fuit. Maxime enim absurdum esset, vel in doctrina, quae fide suscipitur, vel in salutaribus redemptionis effectibus, qui in gratiis internis et spiritualibus consistunt, corpus et sanguinem, manducationem et potionem distinguere. Allatis ergo verbis Christus promittit carnem suam ut vere et realiter manducandam, et sanguinem suum ut vere et realiter bibendum, non sub propriis speciebus, quia caro et sanguis Christi sub propriis speciebus non possunt habere rationem cibi et potus, atque Christus post resurrectionem, non moritur, ac ideo caro a sanguine non separatur. Igitur Christus promittit carnem ut manducandam sub specie alimenti corporalis nempe panis, et sanguinem potandum sub specie liquoris confortantis nempe vini: ac ideo sub speciebus panis et vini in-

(1) V. 53. (2) V. 54-57.

teger Christus, vere, realiter et substantialiter praesens est. — Si aliter verba Christi intelligenda essent, hic alius sensus vel a Christo, vel ab Evangelista, vel a Ss. Patribus indigitatus fuisset. At Christus, qui alias obscura nonnulla dicta sua exponere consuevit, ut Io. III, 5 etc., Matth. XVI, 6, Luc. XII, 1, Io. XV, 32 etc., hic non solum non temperat aut explicat quod de carnis suae manducatione dixerat, sed potius repetit, confirmat et inculcat, quamvis ex isto sermone multi ex discipulis scandalum sumerent et abirent. Etiam Ioannes Evangelista, qui quoties refert obscurum aliquod Christi effatum, neque ab ipso Christo explanatum, toties illud, quo sensu Salvator protulerit, exponit, hic de erronea aut falsa intelligentia Iudaeorum ac discipulorum nihil admonet, quamvis in hypothesi Protestantium obscurissima fuerit Christi loquendi ratio, et in errorem inducens. Denique Ss. Patres nullibi alium verborum Christi sensum indigitant, sed unanimi consensu illa de reali Christi in eucharistia praesentia, et de reali carnis et sanguinis Christi sumptione exponunt (1).

Nota. Adversarii omnem lapidem movent, ut vim huius argumenti effugiant, sed irrito conatu, ut ex dicendis patebit.

Obi. I. Caput sextum Ioannis ad sacramentum eucharistiae non pertinet, sed de cibo spirituali agit, seu de spirituali manducatione, quae fit per fidem in Christum incarnatum, passum et mortuum, ut ex multis locis patet: sic v. 35 dicitur: *Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam:* et v. 47: *Qui credit in me, habet vitam aeternam.* Ergo etiam subsequentia verba de fide in Christum exponenda sunt. Christus enim loquitur de sua passione et morte, in qua *pro mundi vita* corpus ipsius dilaniabitur, et sanguis fundetur; unde v. 54 etc. concludit, quod homines carnem Filii hominis manducare et eius sanguinem bibere, id est, per fidem se fructuum passionis et mortis participes reddere deberent, ut vitam aeternam nanciscantur.

Resp. Non negamus in citato capite Ioannis de fide in divinitatem Christi sermonem esse; illam enim Christus in hominibus excitare studet, ut eorum animos ad doctrinam de altissimo eucharistiae mysterio humiliter recipiendam praeparet. Ast in eodem capite, praesertim a v. 48 et seq. de eucharistia sermonem esse, solidis argumentis iam probatum est. — Christus equidem frequenter de sua passione et morte, et de saluberrimis eius fructibus locutus est, ut Io. III, 14 etc., Matth. XX, 28, Io. X, 10 etc.: an verisimile est, Christum nunquam locutum esse de necessitate et salutaribus effectibus eucharistiae, quam ut sacramentum a Christo institutam esse, ipsi sacramentarii non negant? — Ast si in citato capite de eucharistia sermo non est, nullibi in Scriptura efficacissimi sacramenti institutio praedicta, necessitas insinuata, utilitas declarata fuit. Ipsi igitur adversarii, ne tale absurdum adstruant, fateri coguntur, in citato capite de eucharistia sermonem institui. — Equidem v. 52 Christus passionem suam et mortem commemorat; sed non alia ex causa, nisi ut ostendat, eandem carnem, quae *pro mundi vita* traditur, etiam in cibum dandam et ab hominibus manducandam esse; quod probant verba subsequentia v. 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* etc., *Caro mea verus est*

(1) V. § 569, n. 2.

cibus etc. Absurdum vero penitus est, quod adversarii assumunt, *manducare carnem alicuius* perinde esse, ac *credere in aliquem*, vel alicuius doctrinam, cuius nullum suppetit exemplum neque ex philologia biblica, neque ex philologia orientali et occidentali; alioquin cum nos credimus Trinitatem, possemus dicere, nos *manducare Trinitatem*.

Obi. II. Christus in citato capite aperte declarat, se de manducatione carnis figurata et metaphorica per fidem locutum esse. Nam cum Christus vidisset, ea quae de carnis suae manducatione dixerat, male fuisse a Iudaeis intellecta, falsam eorum opinionem corrigens addit v. 62 et seq.: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* id est, quando videritis corpus hoc sursum elevari in coelum, tunc tandem intelligetis, non posse illud manducari a vobis carnaliter, adeoque spiritualiter sumenda esse, quae de manducatione carnis meae ad vos locutus sum.

Resp. Si Christus voluisset de spirituali manducatione intelligi, facillimum illi fuisset unico verbo omnem dubitationem a Iudaeorum cordibus auferre: illud autem Christus non egit, sed, quae dixerat, magis inculcavit, ut in probatione dictum est. Neque citata verba Christi illum sensum habent, quem adversarii illis affigunt. Nam ante saeculum decimum sextum nemo illa verba Christi hoc sensu interpretatus est; neque Iudaei ea ita intellexerunt, quia etiam post haec verba prolata v. 67: *Multi discipulorum eius* sermone Christi offensi *abierunt retro, et iam non cum illo ambulabant.* — Equidem in explicandis adductis Christi verbis non omnes consentiunt. Nonnulli putant, verba Christi non docentis esse, sed reprehendentis, ita ut primum augeat difficultatem, et dein solvat; quasi diceret: si hoc vos nunc scandalizat, quod carnem meam me daturum dixerim, cum tamen me praesentem cernitis, quid ergo facturi estis, cum in coelum abiero? quomodo credetis carnem meam a vobis manducari, cum eam videbitis in coelum illatam? Hoc ipsum est, quod hodie offendit haereticos. — Verum communior et solidior interpretatio est, qua dicitur, Christum adducto in medium maiori et splendido miraculo, ascensionis nempe, probare voluisse, se posse etiam id facere, de quo Iudaei dubitabant, videlicet dare carnem suam ad manducandum. Simili modo Christus iam alibi ad statum suae exaltationis provocavit, ut fidem sibi in statu exinanitionis conciliaret; ait enim: *Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis* (1). Cum ergo (2) dicitur: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* ut observat *Bernardinus a Piconio* (3), « Phrasi hebraica sibi satis familiari hic utitur Ioannes, qua Hebraei saepius usi primum comparationis membrum expresse ponunt, et per elegantiam secundum reticent. » Sensus ergo verborum Christi est: si mihi in forma hominis loquenti non creditis, quod meam carnem sub specie panis manducandam vobis porrigere possim; cum videritis vel audieritis gloriosam meam in coelum ascensionem, de mea divinitate et omnipotentia dubitare non poteritis.

Obi. III. Christus ipse profitetur, loqui se de sola manducatione spirituali, quae fit per fidem, dum v. 64 inquit: *Spiritus est qui vivificat, caro*

(1) Io. 1, 51. (2) Io. 6, 63. (3) Comment. in h. l.

non prodest quidquam: verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Non potuisset Christus clarius docere, verba a se prolata spiritualiter, id est, de manducatione, quae fit per fidem, intelligenda esse. Ita eadem intellexit Petrus, qui Christo dicenti duodecim Apostolis v. 68: *Numquid et vos vultis abire?* respondit omnium nomine: *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes; et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* De sola ergo manducatione per fidem, non vero de orali comestione Christus locutus erat.

Resp. Citata Christi verba v. 64 duplici quidem modo a Ss. Patribus et catholicis interpretibus exponi solent, sed in neutro sensu adversariis favent. Multi dicunt, Christum verbis illis: *caro non prodest quidquam*, non loqui de carne sua, sed de hominibus carnalibus et carnaliter sentientibus, ita ut sensus huius loci sit: Spiritus Dei est, qui excitat et dat fidem et intelligentiam; homo autem carnalis non potest percipere divina mysteria: haec quidem in verbis meis continentur, sed quia multi non spiritu Dei, sed sensu suo carnali aguntur, ideo credere et intelligere non possunt sicut Sapiens dixit: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam* (1); et Paulus: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei* (2). Hanc interpretationem amplectitur cl. *Maldonatus*, eamque probat ex regulis hermeneuticis dicens: « Certissima regula est, nullam habens exceptionem: quotiescumque in Ss. Litteris nomen *carnis* opponitur nomini *Spiritus*, aut alteri idem valenti, illud accipi non pro natura carnis, sed pro infirmitate et culpa, quae nascitur ex umana carne. » Hanc regulam Maldonatus demonstrat longa textuum biblicorum serie, ac tandem concludit: « Cum ergo videamus hoc loco esse opposita nomen carnis et nomen spiritus, necesse est, ut caro accipiatur pro culpa et infirmitate humana, quae non poterat in Christo esse. Quapropter non loquitur de carne sua Christus, sed de auditorum imbecillitate: sicut cum reprehendens Petrum quod non posset vigilare, dixit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (3). Eadem interpretatio confirmatur etiam auctoritate Ss. Patrum, nempe *Tertulliani* (4), *Origenis*, *S. Cyrilli Hierosol.*, et *S. Chrysostomi*, qui (5) in Ioan. scribit: « Quomodo ergo ait (Christus): *Caro non prodest quidquam?* — non de sua carne dicit, absit, sed de his, qui carnaliter accipiunt, quae dicuntur. » Alii tamen putant, Christum loqui de carne sua, et arguere ibi Capharnaitas, qui stolide putabant, Christum praecisurum esse particulas quasdam de corpore suo, quas discipuli caeterarum carnium modo absumerent. Sensus itaque eorum verborum est: Caro praecisa a Spiritu vivificante seu Divinitate non habet vim spiritualiter vivificandi, sed hanc habet a Spiritu seu Divinitate sibi unita: At vero caro et sanguis meus, quae vobis dabo, habent ratione Divinitatis sibi unitae virtutem vivificandi animam. Hanc interpretationem proponunt *S. Athanasius*, *S. Cyrillus Alex.*, et *S. Augustinus*, qui in tract. 27 in Ioan. inquit: « O Domine, Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam cum tu dixeris: nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam? et

(1) Sap. 9, 15. (2) I Cor. 2, 14.
(3) Matth. 26, 41. — Cf. Io. 3, 6; Rom. 8, 1-14; I Cor. 5, 5; Gal. 5, 13 et 26; I Petr. 5, 6.
(4) L. de resur. carnis. (5) Hom. 46.

propter quid sumus, quod sumus, nisi ut habeamus vitam aeternam, quam tua carne promittis? quid est ergo, non prodest quidquam caro? — Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est: *Caro non prodest quidquam*, quomodo dictum est: *Scientia inflat*. Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est: *scientia inflat?* Sola sine charitate; et ideo adiunxit: *Charitas vero aedificat*. Adde ergo scientiae charitatem, et utilis erit scientia non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc; caro non prodest quidquam, sed sola caro: Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. » Sive ergo prima, sive secunda interpretatio verborum Christi recipiatur, nihil contra doctrinam catholicam ex istis inferri potest. Male etiam adversarii rebuntur responsione Petri, quasi per istam declarasset, se Christi verba de sola spirituali manducatione intelligere, quae per fidem perficitur. Hac de re in verbis Petri nec verbum occurrit, sed Princeps Apostolorum compendiosa ratione per professionem explicitam Christi Divinitatis implicite confessus est, vera esse, quaecunque Christus hucusque docuerat, et praecipue quae de manducatione carnis suae dixerat, quamvis rationis captum transgrediantur. Eadem scilicet ratione hic se gessit Petrus, ac postea Martha, quam cum Christus interpellasset de eius fide circa suam potestatem extinctos ad vitam revocandi, respondit: *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* (1) Num propterea non credidit Martha, potuisse Christum mortuos excitare? Data enim Christi divinitate caetera sequuntur, *quia non est impossibile apud Deum omne verbum.*

Obi. IV. Christus loquitur de illa manducatione, quae illo tempore a Capharnaitis, fieri poterat; quia (2) dicit: *Qui manducat me, vivet propter me.* Atqui eucharistia, utpote tunc nondum instituta, ab iis manducari non poterat: ergo non loquitur de manducatione sacramentali eucharistiae, sed de fide in eius Divinitatem et doctrinam, quae iam tunc concipi poterat. — Hoc idem ea confirmant, quae (3) de necessitate manducationis dicuntur; Christus enim de illa manducatione loquitur, quae dat vitam aeternam, et sine qua nemo potest habere vitam aeternam. Atqui utrumque de manducatione tantum spirituali dici potest, non de sacramentali; nam multi corpus Christi manducant et moriuntur; multi etiam non manducant et vivunt, ut parvuli, qui ad hoc sacramentum non admittuntur. Idcirco Catholici ipsi magnificas vitae aeternae promissiones solum sub restrictione intelligunt: *Si digne, si pura conscientia, si debito modo* etc., carnem Christi manducaverint. Tales autem restrictiones non continentur in verbis Christi, quae ideo de manducatione spirituali per fidem intelligenda sunt.

Resp. Christus aperte declaravit, se loqui de pane, qui nondum adfuit, sed quem daturus erat: ait enim *Panis, quem ego dabo* etc. (4). Cum propterea Salvator in praesenti tempore, seu potius indefinite loquitur et dicit: *Qui manducat* etc., hoc tantum sibi

(1) Io. 11, 27. (2) V. 58. (3) V. 54. (4) V. 52.

proposuit, ut exponeret necessitatem, proprietates et effectus huius cibi. Caeterum iam illa verba: *Nisi manducaveritis — et biberitis* etc., tempus futurum haud obscure indigitant. Frequenter porro in Prophetis observatur, quod cum eventus futuros annuntiaverint, in istorum descriptione in praesenti, aut etiam praeterito tempore loquantur: quod cum eruditi etiam genio linguae hebraicae adscribant, satis patet, inanem prorsus esse adversariorum cavillationem. — Verba Christi: *Nisi manducaveritis* etc., ex quibus adversarii argumentantur, necessitatem quidem imponunt manducandi carnem Filii hominis, sed iis tantum, qui possunt manducare; semper enim praecepta affirmativa sic intelliguntur. Ergo homines ante eucharistiae institutionem sine illa manducatione salvari poterant, et sine eadem infantes baptizati etiam nunc vitam aeternam consequuntur. Nihil ergo cogit, verba illa de manducatione per fidem intelligere; neque hac ratione tolleretur difficultas: nam si sermo est de manducatione, quae per fidem fit, et sine ea nemo potest vitam aeternam habere, quomodo habent vitam aeternam infantes, qui moriuntur, antequam per fidem manducaverint carnem Christi? — Denique non negamus, promissionem vitae aeternae sub restrictione seu conditione intelligi, si eucharistia *digne* sumatur. Sed observandum est, quod generatim, cum in S. Scriptura actui cuidam remuneratio adscribitur, verba ipsa, quae indicant actum faciendum illum semper et essentialiter significant *rite* faciendum. Sic Luc. XI, 10 dicitur: *Omnis, qui petit, accipit*, id est, qui bene petit. Item Luc. VI, 38 legitur: *Date et dabitur vobis*, id est, date ex recta intentione, et magnam remunerationem habebitis; nam Pharisaei ex vana gloria copiosas tribuentes eleemosynas mercedem non receperunt (1). Sic pariter cum mentio fit de fide, cui praemium annexum sit, fides realis et sincera per charitatem operans semper intelligitur; nam *et daemones credunt et contremiscunt* (2). Mirum igitur non est, promissionem quoque vitae aeternae sub conditione intelligendam esse, si eucharistia digne sumatur. Quapropter, si qui sunt, qui promissionis Christi participes non redduntur, sed corpus Christi in iudicium sibi manducant, istud provenit ex indispositione suscipientis, non ex ipso sacramento, quod ex se semper est efficax.

Obi. V. Nonnulli Patres citatum caput Ioannis de manducatione corporis et sanguinis Domini spirituali, quae fit per fidem, exponunt. *Clemens Alex.* (3) per carnem et sanguinem intelligit « verbum Dei, quo reficimur, » *S. Basilius* (4), « doctrinam Christi, » *S. Hieronymus* (5), « Scripturas sacras, » et *S. Augustinus* apertissime docet, manducationem corporis Christi fieri per fidem, credendo eius Divinitatem et Incarnationem; ait enim tr. 25 in Io. (6): « Ut quid paras dentes et ventrem? crede, et manducasti. » Et (7) subdit: « Credere in eum, hoc est manducare panem vivum: qui credit, manducat. » Etiam nonnulli catholici Interpretes, ut ex gr. *Caietanus* etc., caput sextum Ioannis de sola manducatione spirituali per fidem exposuerunt.

Resp. Nos ipsi admittimus, Christum in citato capite a v. 29-49, se suamque doctrinam pani comparare, qui fide percipitur. Ad ista ergo verba Christi Patres respiciunt, dum per

(1) Matth. 6, 2. (2) Iac. 2, 19.
(3) Lib. 1 Paedag. (4) Ep. 141.
(5) In Ps. 147. (6) N. 12.
(7) Tr. 26, n. 1.

escam seu panem, qui offertur, aut verbum Dei, aut doctrinam Christi, aut Ss. Scripturas intelligunt. Sic *S. Augustinus*, ut observat Bellarminus in expositione huius capitis, nondum ad v. 52 pervenerat, sed in priori loco v. 29, et in posteriori v. 41 explanat. Mirum igitur non est, S. Doctorem manducationem spiritualem seu fidem commendare, quamdiu de divinitate seu de doctrina Christi sermo instituitur. Quod si etiam Patres inveniantur, qui integrum caput Ioannis spiritualiter exponunt, ne isti quidem doctrinae catholicae adversantur. Cum enim Scripturae verba ut plurimum literalem simul, et spiritualem seu mysticum sensum patiantur, qui unum affert, non propterea alium negare et excludere censendus est. Igitur etsi Ss. Patres sensu mystico interdum exponant ea, quae Christus de carnis suae manducatione dixit; non tamen veram, oralem et sacramentalem manducationem excludunt aut reiiciunt, sed utramque simul agnoscunt. Notandum pariter est, Ss. Patres caute observasse disciplinam arcani, ac ideo in publicis institutionibus hinc inde subobscure figuratim, aut spiritualiter verba Christi explanasse, ne catechumenis mysterium altissimum ante tempus manifestaretur. Sed quod Ss. Patres attinet, inferius fusior recurret sermo. — Verum est, quod etiam catholici interpretes extiterint, qui negarunt, in capite sexto Ioannis sermonem esse de eucharistia, sed pauci, scilicet sex, aut septem. Isti autem erronee quidem, sed tamen bono ac simplici animo talem interpretationem amplexi sunt, ut Hussitis et Lutheranis pro communione sub utraque specie tam acriter ex verbis Christi (1) pugnantibus facilius resisterent, eisque veluti arma eriperent; quod autem necesse non esse, ex inferius dicendis apparebit. Hinc *Maldonatus* de his Interpretibus (2) scribit: « Scio catholicos, scio doctos, religiosos ac probos viros esse: sed minime profecto utilem atque fidelem in hac re operam Ecclesiae navarunt, quod contra Scripturae sensum, contra Patrum omnium interpretationem, contra tacitum, imo minime tacitum, sed satis superque explicatum sensum Ecclesiae dixerint, atque contenderint, hoc loco de sacramento non agi. Quod ut benignissime dicam, est *temerarium*, gravioribusque condemnarem, nisi compertum haberem, homines bene catholicos errore magis animi, quam vitio in haereticorum sententiam impegisse. »

(1) Io. 6, 54.
(2) Comment. in cap. 6 Io. n. 53.

B. *Ex verbis institutionis.*

§ 575. Quod Christus promisit, id etiam fidelissime adimplevit. Postquam enim in ultima coena agnum paschalem cum discipulis manducaverat, et miro humilitatis exemplo pedes discipulorum suorum laverat; divinus mundi Redemptor iterum mensae accubuit et promissum eucharistiae sacramentum instituit. Matthaeus sic enarrat: *Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum* (3). Marcus inquit: *Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum* (4). Lucas dicit: *Et, accepto pane, gratias egit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem* (5).

(3) C. 26, 26.
(4) C. 14, 22.
(5) C. 22, 19.

Paulus haec habet: *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem* (1). Clarissima sunt haec verba Christi, ait enim: *hoc*, quod manibus teneo, quod vobis manducandum porrigo, et quod speciem panis praesefert, *est corpus meum*, et quidem illud ipsum corpus, quod pro vobis datur, quod in mortem tradetur, quod in ara crucis immolabitur. Narrationem suam sic continuat Matthaeus: *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (2). Marcus addit: *Et, accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* (3). Lucas prosequitur: *Similiter et calicem, postquam coenavit* (dedit eis) *dicens: Hic est calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur* (4). I Cor. XI, 25 legitur: *Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Perspicua sunt haec verba, quibus Christus dicit: Bibite ex hoc calice; nam id, quod est in calice, quod vobis bibendum trado et quod speciem vini habet, *est sanguis meus*, ille idem sanguis, qui effundetur in remissionem peccatorum, et per quem novum testamentum confirmabitur. Iuxta allata Christi verba sensu obvio, naturali et litterali intellecta, sub speciebus panis continetur corpus, et sub speciebus vini continetur sanguis Christi. Cum autem in Christo resuscitato nec caro a sanguine, nec corpus ab anima, nec divinitas ab humanitate separetur: integer Christus sub speciebus panis, et sub speciebus vini vere, realiter et substantialiter praesens est. Ipsi adversarii non diffitentur, ex his verbis litteraliter intellectis dogma catholicum recte inferri: aiunt autem, citata verba in sensu figurato, improprio seu metaphorico accipienda esse. Gravissime autem falli adversarios, et verba Christi in sensu obvio, naturali ac litterali accipienda esse, solidissimis argumentis probatur.

1. Iuxta regulas hermeneuticas non licet in S. Scripturae expositione recedere a sensu proprio et litterali, nisi ex isto aperta contradictio sequatur cum certis rationis principiis aut cum aliis S. Scripturae locis. Ast verba institutionis litteraliter intellecta non repugnant sanae rationi, quae diffiteri non potest, omnia possibilia esse apud Deum. Varios equidem conatus adhibuerunt adversarii, ut ostenderent, realem Christi in eucharistia praesentiam impossibilem, absurdam, rectae rationi repugnantem esse; ast nihil solidi proferre potuerunt, eorumque obiectiones facile diluuntur, ut ex inferius dicendis apparebit: S. Scriptura vero nullibi declarat, imo ne verbo quidem indigitat, institutionis verba in sensu improprio, figurato seu metaphorico accipienda esse. Ipsi adversarii loca biblica, quae id probent, in medium proferre non valent. Nos autem Scripturae testimonia afferre possumus, quae probant, adducta Christi verba in sensu proprio, naturali ac litterali sumenda esse. Verba enim institutionis apprime respondent verbis promissionis. Christus enim dixerat: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (5);

(1) I Cor. 11, 23, etc. (2) V. 27, etc.
(3) C. 14, 23, etc. (4) C. 22, 20.
(5) Io. 6, 52.

et: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (1). Christus ergo, quod promiserat, adimplevit, dum in ultima coena dixit: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus;* quodsi haec verba figuram tantum corporis et sanguinis Christi significarent, caro et sanguis Christi non *vere*, sed metaphorice tantum essent cibus et potus. Ne ergo verba promissionis irrita declarentur, verba institutionis in sensu proprio et litterali sunt accipienda. Idem confirmatur ex conformi Evangelistarum narratione, qui alias, quod ab uno vel obscure vel figurate expressum est, magis proprie et plenius solent explicare; hic tamen omnes iisdem utuntur verbis, et ne levissimum quidem dant indicium, Christum in eucharistiae institutione figurate locutum esse: quod certe, si vera esset sacrilega sacramentariorum opinio, in re tanti momenti, ex qua tot dissensiones aliquando orituras praevidebat Spiritus sanctus, monere non neglexisset Evangelistae.

2. Nemo inficiabitur, vetus testamentum fuisse *umbram futurorum* (2), atque Israëlitis *omnia in figuris contigisse* (3). Vetus autem testamentum vero sanguine victimae immolatae confirmatum fuit. Nam Exod. legitur: *Ille vero* (Moyses) *sumptum sanguinem respersit in populum et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum* (4): quae Moysis verba sic efferuntur a Paulo: *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus* (5). — Cum vero eadem verba recitentur a Christo in sacrae coenae institutione, ita ut novum foedus sanciendo Dominus ad illud antiquum respexerit, et inde verba coniunctiva foederalia mutuatus fuerit, discriminis causa duobus tantum vocabulis, *meus*, et *novi* additis: *Hic est sanguis meus novi testamenti;* non est dubium, quin et hic vere praesens demonstretur sanguis Christi in eucharistico poculo, et propter paritatem rationis, etiam vere praesens demonstretur corpus Christi his verbis: *Hoc est corpus meum.* Quod si in sensu adversariorum verba Christi intelligantur, maximum absurdum sequitur; nempe quod *veritas* sanguinis adfuerit in confirmatione veteris testamenti, *figura* autem sanguinis inveniatur in sanctione novi testamenti. Absit ergo, ut verba Moysis in sensu litterali, verba autem Christi in sensu figurato accipiamus, praesertim cum haec verba *emphasim* praeseferant, quae in simplicem figuram cadere non potest; sic enim iuxta graecam vim reddi ea debent: *Hic enim est sanguis ille meus, ille novi foederis, ille, qui pro multis in peccatorum remissionem effunditur:* quod nec adversarii dissimulant, inter quos *Horneus*, qui (in sua introduct. ad studium crit. et cognit. S. Script. (6)) scribere non dubitavit: « Unaquaeque syllaba in textu graeco (praecipue vero articuli) insigniter emphatica est; » qui praeterea hanc istorum verborum subnectit paraphrasin: « Hic est enim meus ille sanguis, omnibus iudaicae legis sacrificiis praefiguratus, praesertim vero effusione et aspersione sanguinis agni paschalis, ille sanguis sacrificii ad confirmandum novum foedus mactati, ille sanguis mox effundendus pro multitudine, tam pro gentibus, quam pro Iudaeis in remissionem peccatorum, peccati sive originis, sive actualis etc. » Quis non videt, tam emphatica verba a sensu figurato penitus esse aliena? —

3. Christus instituens eucharistiam

(1) V. 56. (2) Col. 2, 17.
(3) I Cor. 10, 11. (4) Exod. 24, 8.
(5) Hebr. 9, 20. (6) T. 2. p. 514. ed. 5.

dogma fidei proposuit, *sacramentum* instituit, *praeceptum* dedit, *testamentum* denique condidit: atqui haec omnia postulant, ut verba Christi sensu proprio et naturali, non autem figurato et metaphorico sumantur. *Dogmata* enim fidei, quamvis non semper verbis clarissimis in S. Scriptura proponantur, quia per traditionem explicantur aut ex hac sola hauriuntur; nunquam tamen in Ss. Litteris iis verbis proferuntur, quae proprio et naturali sensu usurpata in fraudem et errorem inducant: talia vero essent verba Christi eucharistiam instituentis, si intelligenda non essent de reali ipsius praesentia, quam tamen iuxta communem verborum significationem exprimunt: dogma igitur summi momenti ita proponeretur, ut non recta fides excitari, sed erroneus conceptus ingeri deberet. Praeterea Christus per verba in ultima coena prolata *sacramentum novae legis* instituit; de ratione autem novae institutionis est, ut efferatur verbis simplicissimis et clarissimis, ut omnes, pro quibus institutio facta est, clare intelligant quid institutum sit. Res iam aliunde longo tempore nota terminis tropicis et figuratis indigitari potest; a nova autem rei institutione tropicus seu figuratus modus loquendi abesse debet Nullibi certe in Scripturis divinis exemplum invenitur, in quo rei novae institutio per verba tropica et figurata divinitus facta sit, nisi mens instituentis praevie fuerit manifestata. Quis ergo non videt, etiam dum de institutione novi et quidem praestantissimi sacramenti sermo est, a sensu litterali nullatenus recedendum esse? — Omnes iterum admittunt, verba, quibus *leges* promulgantur, sensu obvio, naturali ac litterali accipienda esse. Lex nempe claris et propriis verbis enuntiari debet, ne detur occasio fallaciae et praevaricationis, ne incerta pro certis, falsa pro veris, noxia pro salutaribus observentur. Ipsi Calvinistae concedunt, leges divinas in utroque foedere claris verbis proponi, sensu proprio et litterali intelligendis. At Christus, dum eucharistiam instituit, etiam legem tulit, ut ipsa perpetuo in Ecclesia celebraretur; ait enim: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo etiam quae de eucharistia dicta sunt, in sensu proprio et litterali sunt accipienda. — Denique ex omnium consensu verba, quibus ultima voluntas exprimitur seu *testamentum* conficitur, debent esse clara et perspicua, ab omnibus tropis, figuris, ambiguitatibus remotissima, ne unde lites extingui deberent, inde potius pullulent. Idcirco regula certa est in omnibus tribunalibus observata, verba testatoris in sensu proprio, naturali et litterali sumenda esse. Christus autem verum testamentum in ultima coena condidit, nobis sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem relinquens. Ideo enim dixit: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Itaque verba Christi eucharistiam instituentis in sensu litterali sunt accipienda. Profecto - si Calvinistae cuipiam ab amico testante relinquatur domus vel ager, is amici voluntatem nullatenus completam esse dicet, si tabella ipsi tradatur domum vel agrum repraesentans.

4. Si Christus per haec verba: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*, significare voluisset, se corporis et sanguinis sui figuram dumtaxat dare, non verum corpus et verum sanguinem, contra proprium et naturalem sensum verborum locutus fuisset, atque gravissimi erroris occasionem praebuisset Apostolis suis,

quod certe cum eius sapientia et bonitate non cohaeret. Ut enim figura, signum seu symbolum cuiusdam rei recte ipsa res dicatur, necesse est, ut id aut ex ipsa rei natura, aut ex communi hominum usu, aut ex aperta loquentis declaratione patescat. Sic, ex. gr., si quis imaginem pictam vel sculptam Caesaris digito commonstrans diceret: *Hic est Caesar*, recte loqueretur, quia imago ex natura sua ad personam quamdam repraesentandam ordinatur, et ex communi loquendi usu notum est, per illa verba figuram Caesaris, non personam eiusdem praesentem dici. Si quis autem mente sua conciperet, venustum, quem videt, equum caesareae symbolum esse maiestatis, illumque digito commonstrans exclamaret: *Hic est Caesar!* absurde loqueretur et risu exciperetur, quia equus nec ex natura sua, nec ex usu hominum ad Caesarem repraesentandum ordinatur. Ast eodem modo panis et vinum nec ex natura sua, nec ex hominum usu ad significandum corpus et sanguinem ordinantur; absona ergo dicenda foret locutio Christi, si solum in mente sua panem et vinum ad significandum corpus et sanguinem suum destinasset, et absque ulla huius internae intentionis declaratione panem et vinum commonstrans dixisset: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Imo Apostoli hac loquendi forma necessario in gravissimum errorem inducti fuissent ab eo, qui est *via, veritas et vita*, quia a Magistro suo nullatenus praemoniti, verba ipsius in sensu obvio, naturali et litterali intelligere debuissent. Ne autem talia absurda, quae Christo maximam iniuriam inferunt, admittenda sint; aut concedendum est, Christi eucharistiam instituentis verba in sensu proprio et litterali intelligenda esse, aut probandum est, Christum de sensu verborum figurato Apostolos praemonuisse eundemque explicasse, ne cum ipsis tota Ecclesia in errorem induceretur. Ast secundum adversarii neque ex Scriptura, neque ex Traditione probare valent, quia nullibi de tali praemonitione aut explicatione aliquid legitur: ergo primum admittere tenentur.

5. Authentica S. Scripturae interpretatio ex traditione est haurienda, in qua agnoscenda et proponenda Ecclesia aberrare non potest. Certe enim Apostoli Spiritu sancto repleti, sensum verborum Christi eucharistiam instituentis recte intellexerunt, atque discipulis suis manifestarunt. Ipsa igitur sana ratio abnuere nequit, universalem veterum in exponendis Christi verbis consensum summi momenti habendum esse. Ast tum Ss. Patres, quorum testimonia inferius expendemus, tum omnes S. Scripturae Interpretes, tum universae toto orbe dispersae Ecclesiae, tum ipsi etiam priorum saeculorum haeretici et schismatici laudata Christi verba in nativo et litterali sensu semper intellexerunt, exceptis solis sacramentariis, qui post quindecim et amplius saecula novam eorundem verborum intelligentiam nobis obtrudere conati sunt. Anne ipsis solis vera huius sacramenti notio reservata erat? Anne caeteri omnes, qui christiano nomine in toto terrarum orbe comprehenduntur, hactenus ita caecutierunt, ut germanam ac veram trium Evangelistarum et S. Pauli mentem videre minime potuerint? — Sane hic universalis et perpetuus hominum consensus ad certissimam demonstrationem sufficeret, nisi cum obstinatissimo hominum genere disputaretur.

6. Si in verbis institutionis sensus

litteralis relinquendus esset, certo constare deberet qualem sensum improprium, seu figuratum amplecti oporteat, ne fides in re gravissimi momenti incerta maneat. Ast de hoc sensu nihil certo constare testes sunt ipsi adversarii in verborum Christi expositione maxime dissentientes. Nam, ait *Bellarminus* (1), « expositiones adversariorum plurimae sunt, ita ut fere numerari non possint. *Lutherus* (in lib. quod verba coenae adhuc firmiter stent) scribit, decem ferme suo tempore fuisse sacramentariorum opiniones ac sectas. Nuper etiam anno 1577 prodiit libellus, in quo ducentae numerantur haereticorum vel expositiones, vel depravationes horum paucorum verborum : *Hoc est corpus meum.* » — Praecipuae vero veterum sacramentariorum expositiones sunt sequentes. *Carolostadius* contendit, post verbum, *Comedite*, figendum esse punctum, et verba sequentia ad novam constructionem pertinere, quia Christus non panem, sed seipsum digito commonstrans ait : *hoc*, quod modo videtis, et vobiscum mensae accumbit, *est corpus meum*. *Zuinglius* propugnavit, tropum non esse in pronomine *hoc*, sed in verbo *est*, quod accipi debet pro *significat:* et sicut *Carolostadius* ut fidem faceret, coelestis Patris revelationem, ita hic spiritus cuiusdam per quietem apparitionem protulit. *Petrus Boquinus* asseruit, recte dici panem esse corpus Christi propter idiomatum communicationem, quia Christus voluit, ut panis gratiam conferat, et eandem efficaciam habeat, ac si corpus ipsius vere manducaretur; quapropter sicuti ob unionem hypostaticam de Christo recte dicitur: Hic homo est Deus; ita etiam recte dicitur: hic panis est corpus Christi ob unionem sacramentalem, qua uniuntur res distantissimae, id est, panis, qui est in terra, et corpus Christi, quod est in coelo. *Ioan. Oecolampadius* tropum non agnoscit in pronomine *hoc*, nec in verbo *est*, sed in nomine *corpus*. Vult enim panem dici corpus per figuram metonymiae, qua nomen rei significatae tribuitur signo, ut sensus sit: *Hoc est corpus meum*, id est, hic panis est signum seu figura corporis mei. *Calvinus* (2) duorum priorum expositiones coniungit; admittit enim tropum metonymiae esse in nomine corpus, sed addit, non esse panem eucharistiae nudam figuram corporis Christi, sed esse figuram, quae rem ipsam exhibeat, seu virtutem eius contineat; ac propterea Christum non dixisse: hic panis est figura corporis mei, sed corpus ipsum, ut exprimeret, signum esse efficax, et cum quo res ipsa exhibeatur etc. *Alii* tamen *Calvinistae* docent, vocabulum *corpus* sumi pro corpore mystico, id est, pro Ecclesia, ut sensus sit: *Accipite et manducate: hoc est enim corpus meum;* id est, quia vos discipuli estis corpus meum. *Nonnulli* eam interpretationem amplexi sunt, quam *Lutherus* lib. cit. ex ioco proposuit, dicens, se posse pulcriorem expositionem in sacramentariorum gratiam adferre, ut hic sit sensus: *Hoc est corpus meum*, id est, hic corpus a me factum et creatum. *Alii* iterum dixerunt, Christum per verba in ultima coena prolata nonnisi futuram suam passionem Apostolis praenuntiasse, ita ut sensus verborum Christi sit: *Hoc est corpus meum*, id est, sicut iste panis, quem vobis comedendum porrigo, dentibus a vobis comminuetur, ita etiam corpus meum dilaniabitur; et *hic est sanguis meus*, id est, sicut vinum, quod bibendum

(1) Lib. 1 de sacr. euchar. c. 8

(2) Lib. 4 Inst. . . § 21.

trado, sic sanguis meus effundetur. Ipse *Lutherus* de variis istorum verborum expositionibus conquestus est, et in sua Apologia pro coena Domini scribit: « Doctor Carolostadius ex his sacrosanctis vocabulis, *Hoc est corpus meum*, misere detorquet pronomen *hoc*. Zuinglius autem verbum substantivum *est*, macerat. Oecolampadius nomen *corpus* torturae subiicit. Alii totum textum excarnificant.» Recentiores quoque protestantes varias eorundem verborum Christi interpretationes excogitarunt, sed non minus absonas, quam illae veterum sacramentariorum fuerunt. Illas cl. *Perrone* tr. de Euchar. (1) refert, et in fine ait: « Ita quidem strenui ac magni inter suos nominis doctores omnia moliuntur, absurda quaeque devorant, sese invicem lacerant et confutant, dummodo obvium et litteralem Christi verborum sensum declinent. Praeclarus sane, si quis unquam, catholicae veritatis triumphus. »

Nota. Adversarii variis modis argumentum nostrum enervare, suumque errorem defendere conantur: quorum obiectiones refellere theologiae polemicae officium est.

Obi. I. Multa dantur S. Scripturae testimonia, in quibus verbum *est* sumitur pro *significat*, seu signum aut figura rei ipsa res appellatur. Sic Gen. XVII, 10 de circumcisione, quae Israëlitis in signum foederis cum Deo initi iniuncta fuit, dicitur: *Hoc est pactum meum.* Gen. XLI, 26 inquit Ioseph ad Pharaonem: *septem boves pulcrae et septem spicae plenae septem anni ubertatis sunt*, id est, septem annos fertiles significant. Exod. XII, 11 dicitur: *Est enim Phase* (*id est*, *transitus*) *Domini;* agnus nempe paschalis dicitur *Phase*, cum tamen solum significet, seu in memoriam revocet transitum Domini. Daniel Propheta explicans regi Nabuchodonosor somnium statuae dicebat: *Tu es caput aureum* (2). Nec desunt similia exempla in novo testamento. Nam Apostolus loquens de prodigiosa petra mosaica inquit: *Petra autem erat Christus* (3); hunc nempe significabat. Imo Christus ipse ait: *Ego sum ostium* (4) et: *Ego sum vitis vera* (5), atque: *Hic est calix novum testamentum* (6), id est, signum novi testamenti. Eodem igitur modo verbum *est* in verbis Christi: *Hoc est corpus meum*, et *hic est sanguis meus*, pro significat sumi debet, quia textus S. Scripturae obscuri per loca eiusdem parallela declarari debent.

Resp. Si sacramentarii nonnulla S. Scripturae loca afferunt, in quibus verbum *esse* pro *repraesentare* aut significare ponitur, Catholici iisdem opponunt mille alia, in quibus verbum *esse* proprie sumitur. Ex eo igitur, quod alicubi verbum *esse* sumatur *figurative*, nullatenus sequitur, istud semper in eodem sensu sumendum esse. Si id concederetur, actum esset de genuina S. Scripturae interpretatione, et ex illa ne principalia quidem dogmata probari possent. Quid enim respondebunt Sacramentarii Socinianis, quando eodem argumento utentes illam aeterni Patris vocem e coelo delapsam: *Hic est Filius meus dilectus*, ita explicant: *hic est figura Filii mei dilecti?* aut illud celebre Ioannis dictum: *Deus erat Verbum*, eadem licentia interpretantur, ut Verbum non sit nisi quaedam imago Dei? — Necessario igitur pro certa regula statuitur, verbum *esse* in sensu proprio sumendum esse, nisi aperta ratio contrarium postula-

(1) C. 1, n. 36. (2) Cap. 22, v. 28.
(3) I Cor. 10, 24. (4) Io. 10, 7.
(5) Io. 15, 1. (6) Luc. 22 20

verit, nimirum tunc tantum verbum *esse* pro *significare* usurpari censendum est, quando figuratus sensus in Scripturis aperte exprimitur, aut ex subiecta materia variisque eius circumstantiis tam aperte elicitur, ut nullus esse possit fraudi et errori locus. His praemissis, facile patebit, quam absurde adversarii ex locis citatis inferunt, quod in verbis institutionis verbum *est* pro significat sumendum sit. — Nam circumcisionem non esse ipsum foedus hominum cum Deo, sed tantum signum foederis, ex ipsa rei natura facile quisque cognoscit, ut nullus possit esse deceptioni locus; panem autem esse signum corporis Christi, nemo certe suspicabitur ex iis verbis. *Hoc est corpus meum.* Deinde Deus ipse Gen. XVII, 11 Abrahamo subdit: *Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos.* Ubinam vero Christus Apostolos docuit, panem esse sui corporis signum? cur ipsis aperte non dixit: Accipite et comedite; hoc est *signum* corporis mei, sicut Deus dixit Abrahamo, circumcidendam carnem praeputii, ut esset *signum* foederis? — Alterum exemplum ex Gen. XLI potius probat contra adversarios, verbum substantivum *est* non posse sumi in sensu figurato, nisi quando circumstantiae sermonis id omnino exigunt; cuiusmodi erat illa circumstantia somnii Pharaonis, cuius *significationem* ibi Ioseph tradebat. Exigitne circumstantia institutionis eucharistiae, ut eius verba similiter, ac verba explicantis somnium Pharaonis, figurate sumantur? Anne Apostoli a Christo quaesiverunt, quid verba illa significarent? an Christus illos admonuit, illa non esse in propria significatione sumenda? Nihil prorsus istorum omnium. — Agnum Paschalem non esse transitum Domini, sed sacrificium institutum in commemorationem eiusdem transitus, optime noverant Hebraei ex mosaica descriptione illius sacrificii Exod. XII. Adde, cum Agnus paschalis dicitur *Phase*, subintelligi *sacrificium*, ita ut agnus sit sacrificium *Phase* seu *transitus Domini;* quod Moyses in eodem loco declaravit subdens v. 26: *Et cum dixerint vobis Filii vestri: quae est ista religio? dicetis eis: victima transitus Domini est.* Observat porro *Rosenmüller* Ex. XII, 11 in textu hebraico dativum esse: *Domino pascha seu Phase hoc est*, ita ut sensus sit, agnum *Domino sacratum*, *dedicatum*, prout eadem constructio sumitur Exod. XX, 10 et alibi: ex quo patet, verbum *est* non pro *significat*, sed in proprio sensu sumi. Haec omnia debuisset Monitor Zuinglio in somnio suggerere, si albus fuisset, non ater. — Cum Daniel (1) dicebat Nabuchodonosori: *Tu es caput aureum*, necesse non habebat regem monere, quod reipsa caput aureum non erat, sed solum per illud caput aureum repraesentatus: res enim per se loquitur, cum iterum de *significatione* somnii ageretur. Necesse autem omnino erat discipulos edoceri, illum panem, quem Christus manibus gestabat et suum corpus dicebat, nonnisi figuram aut signum sui corporis esse; alias ab obvio et litterali verborum sensu fuissent decepti. — Ita etiam necesse non erat, ut Apostolus Corinthiis explicaret, illam petram, unde fluxerunt aquae in deserto, non fuisse veram Christi personam: quis enim hoc somniasset? — sed facile omnes intelligebant, in illa petra fuisse Christum tantummodo significatum, eoque facilius id intelligebant, quo ab Apostolo iam edocti cognoscebant, legem

(1) C. 22, 28.

veterem fuisse umbram futurorum, et Christum antiqui foederis figuras praesignasse. — Attamen Paulus idipsum clare explicuit, dicens de Israëlitis: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus:* et: *Haec autem in figura facta sunt nostri; Haec autem omnia in figura contingebant illis* (1). Christus autem nec ante, nec post eucharistiae institutionem declaravit, se de signo aut de figura loqui: contrarium potius asseruit, cum in eadem ultima coena dixit: *Venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis* (2): unde et Apostoli reposuerunt: *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis* (3). — Si Christus se *ostium* et *vitem* nominat, figuratus modus loquendi obvius, clarus et apertus est ex circumstantiis sacri textus, ita ut nullum erroris periculum timendum sit; designatur enim ibi aliqua virtus Christi, quae analogiam habet cum ostio et vite. *Ostium* dicitur Christus, quia per illum aditus nobis aperitur ad vitam aeternam; *vitis*, quia occulta gratiae suae subministratione animae vitam tribuit sicut vitis palmitibus: verbum autem *sum* in his et similibus locis non sumitur pro significat, sed suam propriam retinet significationem, et exprimit identitatem qualitatum, quae insunt subiecto et praedicato, ex quibus exurgit similitudo, quae enunciatur inter subiectum et praedicatum. — Quod ultimum locum nobis obiectum attinet, notandum est cum *S. Thoma* (4), quod sicut vetus testamentum fuerat sanguine victimarum confirmatum, ita novum testamentum confirmatum fuit in sanguine Christi, qui per passionem effusus est. Itaque *calix* et *testamentum* sunt quidem hic voces figuratae; sed tam aperta et popularis est figura, ut nullus sit de plebe tam simplex ac stupidus, qui eam non statim percipiat. Quis enim nesciat, communi loquendi usu calicem sumi pro re in ipso contenta, et signum testamenti, ex. gr. chartam, in qua ultima voluntas conscripta fuit, ipsum testamentum appellari? Omnem porro difficultatem tollunt duo Evangelistae Matthaeus et Marcus, qui clarius verba Christi proponunt, ita ut clare pateat, Christum de vero suo sanguine locutum esse, qui in calice continebatur, et per quem testamentum confirmabatur.

Obi. II. Christum in eucharistia realiter praesentem non esse, sed fidem in eius praesentiam excitandam esse, patet ex eo, quia Christus, cum panem eucharisticum Apostolis manducandum praebuit, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* commemoratio autem non est rei praesentis, sed absentis. Christus ergo in eucharistia praesens non est, sed de ipso commemoratio facienda, seu fides in ipsum excitanda est, dum eucharistia sumitur. Ideo etiam Paulus de Israëlitis, qui panem eucharisticum non habebant, dicit, quod: *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt* (5); quia ipsi fidem in venturum Messiam excitarunt, sicut nos in eundem credimus qui actu iam advenit.

Resp. Commemoratio quidem fieri non dicitur obiecti, quod tum menti tum etiam sensibus in statu suo naturali praesens est, sed si praesentia obiecti a sola mente, non autem a sensibus percipitur, rectissime illud

(1) I Cor. 10, v. 4, 6, 11. (2) Io. 16, 5.
(3) Ibid. v. 29.
(4) Lect. 6 in I Cor. 11, 25.
(5) I Cor. 10, 3-4. etc.

commemorari, seu fides de eius vera praesentia excitari dicitur. Ita, licet Deus sit ubique praesens, iusti tamen illius dicuntur memores, ut ex. gr. Tobias (1) laudatur, quia *memor fuit Domini in tote corde suo*. Recte ideo etiam in eucharistia commemoratio Christi praescribitur, quia Christus vere quidem et substantialiter in eucharistia praesens est, sed modo sacramentali et invisibili, ita ut non inepte praescripserit, fidem et memoriam sui in hoc sacramento excitandam esse. Denique, ut recte observat *S. Thomas* (2) verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, debent intelligi de memoria passionis et mortis Christi; quamobrem Paulus dicit: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* — Verba Apostoli (3) male exponunt adversarii: non enim dicit, omnes Israëlitas eandem quam nos, escam spiritalem manducasse, et eundem quem nos, potum spiritalem bibisse, quasi scilicet voluerit, Israëlitas fuisse in sacramentis nobis pares. Magnum enim inter nostrum et illorum cibum ac potum Christus ipse discrimen posuit dicens: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur* (4). Paulus comparationem instituit non inter Israëlitas et Christianos, sed inter Israëlitas ipsos, inter quos aliqui fidem in Messiam habuerunt, et alii non: ideo dicit: *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt*, scilicet manna; et *omnes eundem potum spiritalem biberunt* nempe aquam fluentem de petra, et tamen *non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo;* quia non omnes cum fide in Iesum Christum manducaverunt et biberunt, et propterea in deserto *prostrati sunt*.

Obi. III. Christus syriace seu syriaco-chaldaice locutus est: porro in ea lingua nullum vocabulum habetur, quo significandi, repraesentandi, denotandi idea exprimatur. Hinc fit, ut locutio illa *hoc est*, saepe numero usurpetur in Ss. Litteris non alio sensu, quam pro ista: *Hoc repraesentat* seu *significat*. Volens propterea Christus dicere: *Hoc repraesentat corpus meum*, non aliter exprimere potuit, quam dicendo: *Hoc est corpus meum*. Errant igitur, qui corpus Christi realiter praesens esse putant.

Resp. Etiamsi concederetur, quod lingua, qua usus est Christus, careat verbo *significo*, non idcirco verbum *est* semper pro verbo *significat* sumeretur, sed tantum aliquando pro subiecta materia. Christus vero in verbis institutionis verbum *est* cer'e in proprio sensu et non pro *significat* sumpsit; alioquin Marcus, Lucas et Paulus illud *graece* non reddidissent per verbum *est*, sed ad removendum a fidelibus idololatriae periculum, et ad Ecclesiam in re tanti momenti recte instruendam debuissent uti verbo *significat*, quo non caret lingua graeca. Porro autem falsum est, nullum in lingua syriaca vocabulum inveniri, quod ideam significandi aut repraesentandi exprimat. Etenim cl. *Wisemann* in erudito opere: *Horae syriacae* (5) productis auctoritatibus magno numero ostendit, in ea lingua 41 imo 54 voces haberi ad hanc ideam repraesentationis exprimendam; quin etiam ulterius progressus demonstrat auctoritate scriptorum syrorum, Christum alia omnino ratione ab ea, quam tenuit, debuisse verba proferre, si intendisset solum symbolum sui corpo-

(1) Cap. 1, 13. (2) Lect. 6 in 1 Cor. 11.
(3) 1 Cor 10. (4) Io. 6, 49-50.
(5) § 4 et seq.

ris in pane nobis relinquere exclusa realitate.

Obi. IV. Sensus obvius verborum Christi erat Apostolis sensus figuratus. Iudaei enim pascha celebrantes dicebant: *Hic est panis afflictionis* (scilicet repraesentatio seu memoria illius panis) *quem manducarunt patres nostri in terra Aegypti.* Ergo Apostoli his phrasibus audiendis assueti, eundem plane sensum verbis Christi inesse intelligebant. Item phrasis: *Corpus paschatis*, dicta de agno paschali, Apostolis speciem symboli suggerebat in verbis Christi.

Resp. Falsum est, hunc ritum iam aetate Christi obtinuisse, ut Iudaei in celebratione coenae paschalis illa verba proferrent. Nam neque in Talmude, neque apud Veteres quoscunque verbum aliquod de hoc ritu occurrit. Omnium primus saeculo tandem XII Maimonides illam formulam memorat; verum et ipse expresse testatur, hanc formulam, quae stante adhuc secundo templo nondum obtinuerat, solum post vastationem templi et magnam captivitatem usu receptam esse, (1) Ad alteram formulam quod attinet, ostendit idem *Schöttgenius* (2), *Corpus paschatis* esse syriacismum, qui perinde valet ac *veritas* seu *existentia realis alicuius rei:* ac propterea si iisdem verbis Christus usus esset in institutione eucharistiae, magis confirmaretur dogma catholicum: nam verba: *Hoc est corpus meum*, hunc sensum haberent: *Hoc sum ego ipse.*

Obi. V. Si Christus, ut Catholici volunt, per verba: *Hoc est corpus meum*, panem in corpus suum convertit, intelligi omnino nequit, ad quid pronomen demonstrativum *hoc* referatur. Non enim demonstrat corpus Christi, quod pronuntiato solo pronomine *hoc* nondum adest; non demonstrat species panis, quia istae non sunt corpus Christi, neque demonstrat substantiam panis, quia etiam substantia panis non est corpus Christi. Ergo in sententia Catholicorum pronomen *hoc* nihil demonstraret, ac ideo absona dicenda foret locutio Christi. Necesse igitur est, ut pronomen *hoc* ad panem referatur quem Christus manibus tenebat, ita ut sensus sit, hunc panem esse non ipsum corpus Christi, sed figuram corporis Christi. Eodem modo dicendum est, vinum esse figuram sanguinis Christi, ne eadem difficultas circa pronomen *hic* incurratur.

Resp. Cl. Card. *Perronius* l. 3 de Euchar. (3), recte observat, eiusmodi sophisticarum argutiarum ineptias facile deprehendi, si ad alia exempla transferantur. Si ex. gr. Moyses convertendo aquas in sanguinem, virgam in serpentem, dixisset: *Hic est sanguis, hic est serpens;* si Deus uxorem Loth in statuam salis, Christus aquam in vinum mutans dixisset: *Hic est sal, hoc est vinum*, similiter quaeri posset ab adversariis, quid pronomen in adductis propositionibus demonstret, et num ob vagum aut incertum enuntiati ab initio pronominis sensum omnipotentia divina a perficienda transmutatione fuerit impedita? — Quisque sanae mentis et modesti cordis mox responderet, huiusmodi cavillationibus locum non esse concedendum, cum de miraculis omnipotentiae agitur, quae sicut simplicissimo nutu, ita etiam per qualiacunque verba omnia perficere valet.—Nonnulli tamen, ut omnem difficultatem effugiant, dicunt, Christum omnipotentiae suae nutu panem in corpus suum transmutasse, et postea dixisse: *Hoc est corpus meum*, ita ut pronomen *hoc*,

(1) Apud Schottgen. Horae hebraicae, et Talmud. t. 1, p. 227. (2) Ibidem.

(3) L. 3, c. 27.

ipsum corpus Christi realiter praesens demonstret. Alii putant pronomen *hoc* recte ad species panis referri posse, ita ut sensus pronominis nude positi sit: *Id, quod videtis, id quod sub istis speciebus continetur;* haec est enim natura pronominum, ut ad id quod sensibus subiicitur, mentis attentionem dirigant, quin per se determinent, quid res subiecta sensibus sit. Species quidem panis non sunt ipsum corpus Christi; illae enim corrumpi possunt, istud corrumpi non potest: sed tamen corpus Christi in eucharistia species panis praesefert. Ast usitato loquendi modo species rei ipsa res, quae sub illa continetur, dici solet: sic qui dignitatem comitis Tobiae sub specie iuvenis latentis cognovisset, recte dicere potuisset: hic est Raphaël Angelus (1), quamvis visibilis species invisibilis Angelus non fuisset: sic pariter de columba, quae in baptismo Christi apparuit, recte dictum fuisset: haec est Spiritus sanctus. Iuxta communem ergo loquendi modum etiam in verbis Christi pronomen *hoc* ad species panis referri potest, id vero quod sub speciebus continetur, per complementum propositionis declaratur et efficitur. — Alii demum distinctionem ineunt et dicunt, pronomen *hoc* in ista propositione: *Hoc est corpus meum*, spectari posse duobus modis, scilicet vel in eo instanti quo profertur, necdum completa est propositio; vel in instanti quo completa est propositio. Si priori modo spectetur, neque panem, neque species panis, neque corpus Christi, neque aliud ab his distinctum clare et determinate demonstrat, sed confuse tantum et indeterminate substantiam aliquam praesentem. Ratio est, quia pronomina in eo differunt a nominibus, quod haec per se significant, illa vero ex se et sola nihil determinate demonstrant: debent igitur cum nominibus coniungi, ut significatio clara sit, distincta et determinata. Unde in hac propositione: *Hoc est corpus meum*, si pronomen *hoc* solitarie et quasi avulsum ab aliis eiusdem propositionis terminis spectetur, nihil determinate significat, sed generatim tantum et confuse substantiam praesentem. Si vero posteriori modo spectetur, nempe in eo instanti quo completa est propositio, pronomen *hoc* determinate Christi corpus demonstrat. Ratio est, quia demonstratio individui in confuso per adiectionem nominis evadit determinata, quia tunc pronomen *hoc*, quod ex se confuse tantum demonstrat, componitur cum nomine, quod significat corpus Christi (2). Nullo autem modo admitti potest, quod adversarii volunt, pronomen *hoc* ita panem demonstrare, ut hic dicatur figura corporis Christi. Vel enim pronomen *hoc* adiective sumitur, vel substantive. Si adiective, debet concordare cum substantivo; ideoque non potest demonstrare panem, quia nomen panis graece et latine masculini generis est: ergo reliquum est, ut substantivum sit σῶμα, id est, *corpus*, quod neutrum est. Similiter in altera specie vinum graece est masculini generis, et sanguis neutrius. Dominus autem non dixit: οὗτος, *hic*, sed τοῦτο, *hoc*. Latine e contrario vinum est generis neutrius, et sanguis masculini, et tamen omnes legunt: *Hic est sanguis*, non hoc, vinum scilicet est sanguis. Si pronomen hoc substantive accipitur, ita ut illud τοῦτο, *hoc*, subiectum sit totius propositionis, tunc sensus erit: hoc, quod vobis trado, aut haec res est corpus meum. Sed hoc iterum pa-

(1) Tob. 12, 15.

(2) Cf. Tournely de sacr. Euchar. q. 2, art. 3, Obi. 2, etc.

nem demonstrare non potest, ac si Christus diceret: hic panis est corpus meum; inepta enim haec locutio esset; non enim potest dici *hoc* de re aliqua, quae cernitur et aperte cognoscitur, nisi res illa generis neutrius sit. Nemo fratrem suum demonstrans diceret: *hoc* est frater meus (1).

C. *Ex verbis Apostoli Pauli.*

§ 576. Apostoli Spiritu sancto repleti certe optime intellexerunt verba Christi eucharistiam instituentis, et si haec non proprio et litterali, sed improprio et figurato sensu intelligenda essent, fideles hac de re commonere non neglexissent. Sed ne minimum quidem huiusmodi commonitionis vestigium in S. Scriptura invenitur. E contra Paulus, qui specialem de hoc sacramento revelationem obtinuit, ita de eo loquitur, ut fides de reali Christi in Eucharistia praesentia per eius verba confirmetur.

1. Paulus enim I Cor. X, 16 scribit: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* id est, nonne calicem Domini benedictum et consecratum bibentes communicamus Domino seu unimur Christo, quia, ut S. *Chrysostomus* et *Theophylactus* (2) inquiunt, id, quod in calice est, illud est, quod ex latere Christi fluxit, et ex eo accipientes intime unimur Christo? et panis, quem consecramus, offerimus Deo, oblatum frangimus, et populo fideli distribuimus, nonne vera et realis participatio corporis Domini est? ipsa porro interrogatio ostendit, Apostolum loqui de re omnibus, ad quos scribit, nota: fideles igitur iam edocti fuerant, quod in eucharistia vere et realiter corpus et sanguinem Christi sumant. Neque id solum de spirituali participatione, quae fit per solam fidem, intelligi potest. Nam κοινωνία sonat realem participationem, uti in v. 18 *participes altaris* κοινωνοί dicuntur, Iudaei vero et Ethnici non figuram carnis, sed carnem ipsam immolatam comedebant; ergo et Christiani, quibuscum illi conferuntur. Apostolus enim haec scribit, ut fideles a comestione idolothytorum retrahat. Ideo autem dicit, fideles a carnibus idolis immolatis abstinere debere, quia aliam mensam habent, in qua ipsum corpus Domini comedunt et cum Christo intime uniuntur, sicut cum daemonibus coniungerentur idolothyta manducantes: qua de causa v. 21 concludit: *Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Haec autem comparatio insulsa, et conclusio illegitima esset, si participatio corporis Christi tantum figurata esset, et per solam fidem contingeret. Ergo ex doctrina Pauli Christus in eucharistia vere ac realiter praesens est, atque nos per eam sumptam ipsi vere ac realiter coniungimur.

2. Idem Apostolus loco cit. (3) cum v. 23, 26, S. Eucharistiae institutionem retulisset, v. 27 ita pergit: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Loquitur hic de indigna communione: ex ipso autem contextu intelligitur, quid sit indigne manducare vel bibere, scilicet irreverenter et in statu peccati mortalis. Antea enim varias inordinationes Corinthiorum ad sacros coetus convenientium enumeraverat et obiurgaverat, a quibus ut illos retraheret, enormitatem et poenam indignae communionis de-

(1) Cf. Bellarminus de sacr. euchar. lib. 1, cap. 10. (2) Comment. in h. l.

(3) I Cor. 11.

scribit. Ideo dicit, quod ille, qui conscius peccati mortalis communicat, *reus erit* non panis male manducati, aut vini male hausti, sed *corporis et sanguinis Domini*, id est, ipsum corpus et sanguinem Domini vilipendit, et maxima iniuria afficit; nempe reus erit corporis et sanguinis Domini ab invicem separati, id est, reus erit mortis Domini perinde ac ipse, qui sanguinem Domini effuderit, ait *Theophylactus*; tale crimen committit, ac si Christum Dominum crucifigeret eiusque sanguinem funderet; ac proportione peccat sicut Iudas et Iudaei, tradit sicut Iudas, insultat sicut Iudaei, ait *Theodoretus*. Quis dicet, tantum crimen committere, et reum corporis et sanguinis Christi fieri, qui frustulum panis naturalis in statu peccati manducat? Nec dicant adversarii, tam enormem malitiam ex eo contrahi, quia panis est figura corporis Christi. Quis enim unquam audivit, reos esse corporis et sanguinis Domini, qui manna vel agnum paschalem, Christi figuras, in statu peccati comedissent? — Cum figurae ordinentur ad fidem excitandam, per quam iustificatio obtinetur, omnino intelligi nequit, qua ratione tam enormis criminis reus esse possit, qui symbola sumit passionem et mortem Domini menti repraesentantia. Absona ergo dicenda sunt verba Pauli, si sententia adversariorum adoptetur. Recte autem ex illis Catholici inferunt, quod revera corpus et sanguis Christi sint in sacramento, et quod etiam a malis realiter sumuntur. Id confirmatur ex probatione, quam Apostolus pro eucharistiae receptione exigit, et ex poena gravissima, quam indigne communicanti minatur. Ait enim ibidem: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini* (1); id est, qui indigne eucharistiam sumit, damnationem suam in se accersit, seu ad aeternam suam damnationem manducat et bibit. Ratio tam gravis poenae ex eo petitur, quia *non diiudicat corpus Domini*, id est, corpus Domini a pane communi non discernit: quae ratio afferri non potuisset, si vera esset sententia adversariorum; iuxta hanc enim iudicandum esset, quod non adsit corpus Christi. Num vero quemquam damnandum affirmat Apostolus propter indignam naturalis panis comestionem, et quia non discrevit illum a pane communi, si de facto panis tantum est, et non realiter corpus Christi? Sed, inquiunt Calvinistae, imago corporis Domini est: quid ergo de ipsis fiet sacrarum imaginum contemptoribus et destructoribus? — quocunque se vertant, his Apostoli verbis confodiuntur.

Nota. Remanent nonnullae adversariorum obiectiones solvendae.

Obi. I. Non potest realis Christi in eucharistia praesentia admitti, si haec cum claris et apertis pugnat S. Scripturae locis. Vere autem ista pugnat cum omnibus illis testimoniis biblicis, in quibus dicitur, humanitatem Christi in coelo esse, non autem in terra. Sic Marc. XVI, 19 de Christo dicitur: *Assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.* Act. III, 21 de eodem divino Redemptore additur: *Quem oportet coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium*, seu ut in symbolo canimus: *Donec veniat iudicare vivos et mortuos.* Hinc Paulus Col. III, 1 dicit: *Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Et Christus ipse Matth. XXVI, 11 ait: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non sem-*

(1) Ibid. v. 28, etc.

per habetis. Sed si Christus praesens esset in eucharistia, eum semper nobiscum haberemus, quod aperte ab ipso negatur.

Resp. Christus ut homo in coelo tantum est visibiliter, seu sub specie propria ac visibili et in suo statu naturali; et in hac visibili forma in terram non descendet ante diem iudicii. Sed hoc non impedit, quominus, quin coelum deserat, sit invisibiliter in statu extraordinario et supernaturali sub speciebus panis et vini consecratis realiter praesens. Sicut enim loca ab adversariis citata ostendunt, corpus Christi esse in coelo, ita verba Christi et Apostolorum a nobis adducta demonstrant, corpus Christi esse in eucharistia; non minus ergo haec praesentia, quam gloria Christi in coelo credenda est. Neque Christus realem suam in eucharistia praesentiam negat, dum dicit: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis;* his enim verbis ea occasione prolatis, qua Mariam Magdalenam super caput suum pretiosum unguentum effundentem vindicare voluit contra obloquentes, pronuntiat solummodo, se haud semper cum Apostolis futurum esse in statu suo visibili et naturali, in quo similia charitatis obsequia recipere possit; sed non ideo asserit, se in nullo omnino statu et nominatim in sacramentali, eis esse adfuturum.

Obi. II. Matth. XV, 17 dicitur: *Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur.* Sed corpus Christi fatentibus Catholicis in secessum non emittitur: ergo nec realiter in os intrat.

Resp. Verba illa Christi intelligi debent de cibis communibus, qui ad corpus nutriendum sumuntur, ex quibus id, quod facta digestione superest, in secessum emittitur. Corpus autem Christi non est cibus communis, nec sumitur ad alendum corpus, sed ad sustentandam animam, eamque in amore Dei conservandam et perficiendam: quod quidem licet in os intret, et in stomachum communicantis transmittatur, non tamen in secessum emittitur, quia corruptis in stomacho speciebus absque ulla sui laesione ibi desinit esse.

Obi. III. Id, quod in eucharistia sub speciebus panis sumitur, *frangitur;* et quod sub speciebus vini bibitur, *funditur;* nam I Cor. XI, 24 Christus ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur;* sed in textu graeco habetur: *frangitur;* et Luc. XXII, 20 inquit iuxta textum graecum: *Hic calix est novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur.* Sed in eucharistia corpus Christi non frangitur, cum nullam laesionem patiatur, et sanguis Christi realiter non funditur, cum venis inclusus maneat: ergo in eucharistia realiter non sumuntur corpus et sanguis Christi.

Resp. Christus vere de suo corpore dicere potuit: *Quod pro vobis frangitur*, nempe sub speciebus panis, quas tunc fregerat et singulis discipulis distribuerat; et similiter dicere potuit, verum suum sanguinem effusum in speciebus vini, quod e calice effundebatur in ora discipulorum. Itaque corpus Christi dicitur frangi in sacramento non ratione sui, sed ratione specierum quae franguntur, quarum singulis fragmentis subest totus Christus, et a quibus fractis corpus Christi extrinsece denominatur fractum. Notandum porro est, verbum *frangitur* apud Apostolum idem significare, ac *datur;* frangere enim panem iuxta Scripturas idem est, ac dare et distribuere, ut Isa. LVIII: *Frange esurienti panem tuum:* ideo

in Vulgata idem locus redditur: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*. Verbum autem *funditur* significat hic effusionem sanguinis in cruce faciendam, quae in graeco quidem textu per tempus praesens exprimitur, quia proxime futura erat, et moraliter iam praesens: latinus vero interpres usus est tempore futuro: *fundetur*. Sensus ergo verborum Christi est: hoc corpus, quod vobis porrigo manducandum est ipsummet corpus, quod brevi pro vobis passioni et morti tradetur, et sanguis, quem bibendum offero, est ille ipse sanguis, qui mox pro vobis copiose effundetur.

Obi. IV. Sacramentum etiam iuxta Catholicos est signum sensibile invisibilis gratiae: ergo eucharistia quoque non est nisi signum seu figura corporis et sanguinis Christi.

Resp. Admittimus sacramentum quodlibet esse signum visibile invisibilis gratiae, sed addimus esse signum efficax, id quod significat, vere continens seu producens; uti ex. gr. ablutio externa, quae fit in baptismo, non solum significat, sed actu producit ablutionem internam seu regenerationem animae. Eucharistia autem est sacramentum corporis et sanguinis Christi: signum vero externum huius sacramenti constituunt species panis et vini: hoc signum vero ita efficax sit oportet, ut sub dictis speciebus corpus et sanguis Christi realiter contineantur.

II. *Argumentum ecclesiasticum.*

§ 577. Maximi momenti est, ut cognoscatur, quid de veritatibus a Christo revelatis et ab Apostolis praedicatis semper, ubique et ab omnibus creditum sit. Haec traditio, sicuti S. Scripturam authentice interpretatur, ita etiam sola sufficit ad fidem catholicam stabiliendam. Equidem si de eucharistia agitur, testimonia biblica satis clare praesentiam realem Christi in sacramento enuntiant, dummodo prout oportet, in sensu litterali intelligantur. Adversarii vero dicunt, ea in sensu improprio et figurato intelligenda esse. Ast, ut ex dictis patet, ex S. Scriptura sententiam suam probare non valent. Num traditio ipsis patrocinatur? nequaquam, sed haec ipsis prorsus contraria est. Nam semper, ubique et ab omnibus creditum est, Christum vere, realiter et substantialiter in eucharistia sub speciebus panis et vini praesentem esse. Constans haec et universalis traditio ex *Ss. Patribus*, ex *Conciliis*, et ex *praescriptione* probatur.

A. *Ex Ss. Patribus.*

§ 578. Ex omnibus aevi christiani saeculis Patres et Doctores Ecclesiae citari possunt, qui fidem suam de reali Christi in eucharistia praesentia claris et perspicuis testimoniis contestati sunt.

1. Ex tribus primis saeculis sequentes testes afferre licet. *S. Ignatius M.* Epist. ad Smyrn. (1) de Docetis seu Phantasiastis, qui veram Christi carnem negantes eucharistiam verum esse ipsius corpus admittere non poterant, dicit: « Ab eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur, eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. » Per orationem vero, a qua Docetae abstinent, intelligit S. Pater orationem solemnem, qua corpus Christi conficitur, seu preces liturgicas, unde Theodoretus eundem Ignatii locum allegat his verbis: « Ab eucharistia et sacrificio abstinent etc. » Ex citatis autem S. Ignatii verbis clare colligi-

(1) N. 7

tur, Ecclesiam iam primo saeculo credidisse, in eucharistia eandem carnem esse praesentem, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Deus suscitavit, idque solos haereticos negasse. Idem Epist. ad Rom. (1) inquit: « Non gaudeo corruptibili nutrimento nec voluptatibus huius vitae: panem Dei volo, qui est caro Iesu Christi qui ex genere Davidis, ac potum volo sanguinem illius, qui est charitas incorruptibilis. » Quibus verbis Romanos monet, ut cum ad eos pervenerit, non de corporali, sed de spirituali alimonia praestanda solliciti sint. Atque in Epist. ad Philad. (2) scribit: « Una eucharistia utamini. Una enim est caro D. N. I. Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius: unum altare, sicut unus Episcopus. » Per quae verba fideles ad unitatem exhortatur, quia unam eandemque carnem Christi, unum eundemque sanguinem sumunt. Hunc locum Catholicis favere, fatetur ipse *Marheinecke;* addit vero, « tamen *recta* interpretatione cum symbolico sensu (Reformatorum) adhuc potest conciliari. » (3) — *Discipuli S. Andreae* seu presbyteri Achaiae in sua de martyrio Apostoli epistola haec referunt S. *Andreae* verba: « Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie sacrifico: » et infra: « Qui cum sit vere sacrificatus, et vere a populo carnes eius manducatae, integer perseverat: » in quibus verbis illud: *vere manducatae*, excludit manducationem in solo signo aut spiritu. Ac praeterea paulo infra, cum Aegeas miraretur ac peteret sibi explicari, quomodo posset fieri, ut agnus vere manducatus integer et vivus maneret, et S. Andreas recusaret homini ethnico mysterium explicare, et ille instaret ac per tormenta cogere vellet Apostolum: hic tandem subiunxit, fieri non posse ullo modo, ut sine fide in Christum ad huius mysterii notitiam perveniret. At certe si nihil est eucharistia nisi panis significans Christum, non erat difficile etiam sine fide intelligere, quomodo Christus in signo manducatus integer perseveret. — *S. Iustinus M.* Apol. 1 (4) cum declarasset, quomodo eucharistia per eum qui praeest, conficiatur, et per diaconum fidelibus distribuatur, rationem postea reddit, ob quam magna fide et reverentia suscipienda est, dicens: « Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus Salvator noster, et carnem et sanguinem habuit salutis nostrae causa; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse, edocti sumus; » quod ut probet, provocat ad historiam eucharisticae institutionis, quam Evangelistae referunt. Itaque iuxta S. *Iustinum* per verba a Christo instituta eucharistia ita verum corpus et verus sanguis fit, prout Verbum Dei veram carnem et verum sanguinem salutis nostrae causa assumpsit. — *S. Irenaeus* lib. 4 adv. haer. (5) disputans contra haereticos, qui negabant Christum Iesum esse Filium Creatoris, et Verbum corpus materiale assumpsisse, quia materiam a principio malo esse contendebant; sic eos ex eucharistia perstringit: « Quomodo constabit eis, eum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui et calicem sanguinis eius, si non ipsum

(1) N. 7. (2) N. 3.
(3) In op. Ss. Patrum de praesentia Christi in coena Domini sententia triplex.
(4) N. 66. (5) Cap. 18, n. 4.

fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum eius, per quod lignum fructificat et defluunt fontes? etc. » Et iterum (1) adversus eosdem, qui praeterea negabant futuram corporum resurrectionem, ita disputat ex eucharistia: « Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiae, et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram..... Quemadmodum enim, qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans terrena et coelesti; sic et corpora nostra percipientia eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. » Cum autem dicit, eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena et coelesti, per terrenam non intelligit, ut vult *Marheinecke*, substantiam panis, quia expresse dicit: «Tam non communis panis est; » sed iuxta aliquos intelligit accidentia panis, quae sensibus percipiuntur et terrena sunt: solidius autem *Card. Perronius* dicit, per rem terrenam ab Irenaeo intelligi substantiam corporis Christi, quod terrestre vocat S. Pater, ut explodat Valentinianorum figmentum de corpore Christi coelesti; per rem vero coelestem intelligi Spiritum Christi. Iterum (2), *S. Irenaeus* respiciens ad promissionem Christi Io. VI, 55 probat, corpus nostrum resuscitandum esse, quia in eucharistia cum corpore et sanguine Christi unitur et ab his vigorem et immortalitatem accipit; ait enim: « Eum calicem, qui est a creatura, suum proprium sanguinem confessus est, ex quo auget nostrum sanguinem: et eum panem, qui est a creatura, suum proprium corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, et fit eucharistia corporis et sanguinis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia quomodo carnem negat capacem esse donationis Dei, quae est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur et membrum eius est? » — Adeo igitur universae Ecclesiae, imo et haereticis ipsis exploratum erat secundo Ecclesiae saeculo in eucharistia realiter Christi corpus et sanguinem contineri, ut ea veritate tanquam medio uteretur S. Irenaeus ad veritatem incarnationis et futurae resurrectionis comprobandam. — *Tertullianus* l. de resur. carn. (3) ait: « Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. »Et l. de idololatr. (4) insurgens adversus idolorum artifices, qui manibus eo scelere contaminatis ad eucharistiam accedebant, dicit: « Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens, Christianum ab idolis in Ecclesiam venire..... eas manus admovere corpori Domini, quae daemonis corpora confecerunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant, quod contaminarunt. — Adleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Iudaei Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus praecidendae! » — Comparat itaque hic loci crimen eorum, qui impura manu corpus Christi contrectant, cum crimine Iudaeorum, qui violentas in idem corpus manus intulerunt: quae comparatio manifeste exigit, idem utrobique corpus verum ac reale esse

(1) Cap. 18, n. 5. (2) Lib. 5. cap. 2 (3) Cap. 8. (4) Cap. 7.

violatum. Lib. de orat. (1) docet, per *panem quotidianum* spiritualiter vel gratiam Christi, vel doctrinam Christi, vel eucharistiam intelligi: et ideo concludit: « Itaque petendo panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo, et individuitatem a corpore eius: » quibus verbis sacramentalis unio cum Christo aperte distinguitur a mere spirituali. Et ibid. (2) inquit: « Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. » Denique contra Marcion. haereticum (3) ex eucharistia probat, Christum verum corpus et sanguinem habuisse. Ideo docet, iam in V. T. corpus Christi per *panem* (4), et sanguinem Christi per *vinum* (5) figuratum fuisse. Quas figuras ut adimpleret Christus, « acceptum panem et distributum discipulis corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei (scilicet panis qui in V. L. erat figura corporis mei, in N. L. est ipsum corpus meum). Figura autem non fuisset nisi veritatis esset corpus. Caeterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. » Dein Marcionem obiurgat, qui veritatem corporis Christi negavit, « non intelligens, veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Ieremiam: *Adversum me cogitaverunt cogitatum dicentes: venite, coniiciamus lignum in panem eius* (6), scilicet crucem in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. » Panis ergo iuxta Tertullianum significavit corpus Christi, quod vere cruci affixum fuit, et vere ac realiter in eucharistia adest.

Dein ut veritatem corporis Christi pressius contra Marcionem demonstret, ita prosequitur: « Sic et in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis potest esse nisi carnis. Nam etsi qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. » Denique adductis nonnullis figuris sanguinis ex V. T. concludit: « Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit. » *Origenes* (7) agens de sollicitudine auditorum in retinendo verbo Dei, sic eos exhortatur: « Volo eos admonere religionis vestrae exemplo. Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur; reos enim vos creditis si quid inde per negligentiam decidat. Quodsi circa corpus eius tanta utimini cautela, et merito utimini: quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse quam corpus eius? » — Idem (8) inquit: « Antea in aenigmate fuit baptismus in nube et mari; nunc autem in specie est regeneratio in aqua et Spiritu sancto. Tunc in aenigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dixit: *Quia caro mea verus est cibus.* » Quae ergo prius in aenigmate seu in figura designabantur, nunc in specie et veritate complentur. Si autem corpus Christi tantum tropice existeret in euchari-

(1) Cap. 6. (2) Cap. 14.
(3) Lib. 4, c. Marcion. cap. 40.
(4) Gen. 14; Ps. 109, 4; Ier. 11, 19.
(5) Gen. 49, 11. (6) Ier. 11, 19.
(7) Hom. 13 in Exod. n. 3.
(8) Hom. 7 in Num. n. 2.

tia praesens, iam non haberemus illum in specie et veritate, sed in aenigmate duntaxat, prout habebant eum Iudaei in manna, quod et ipsum fuit figura Christi. Et iterum (1) ait: « Bibere autem dicimur sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed et cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit, sicut et ipse dicit: Verba quae locutus sum, spiritus et vita sunt: » Quibus verbis Origenes aperte duplicem distinguit sanguinis sumptionem, realem, quae fit sacramentorum ritu, et spiritualem, quae fit per fidem exhibitam doctrinae Christi. S. *Cyprianus* Ep. (2) ad Caecilium, comparans vinum commune cum calice eucharistico inquit: « Quemadmodum vino isto communi mens solvitur et anima relaxatur, et tristitia omnis expellitur, ita e potato sanguine Domini, et poculo salutari moestum pectus ac triste, quod peccatis angentibus premebatur, divinae indulgentiae laetitia resolvitur, quod tunc demum potest laetificare in Ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur, dominicam teneat veritatem. » Et (3) ad Cornel. scelus eorum nervose insequens, qui ab idolorum cultu recedentes necdum satis poenitentia purgati immature ad eucharistiam accedebant, scribit: « Corpus Domini invadunt, — vis infertur corpori eius et sanguini: plus modo in Deum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt. » Deinde refert quatuor ultionis miracula in iis, qui indignis manibus corpus Domini tractare voluerunt. Iam vero animo concipi non potest, levius peccare eum, qui coram persecutoribus Christum negaverit, quam qui cum conscientia peccati mortalis aliquam Christi figuram, puta Evangelium aut imaginem contrectaverit. — S. *Dionysius Alex.* in Ep. ad Xistum (4) cum valor baptismi in quodam, qui diu iam communione fidelium fruebatur, in dubium vocaretur, haec ad Pontificem scribit: « Non audebam de integro renovare baptisma eius, qui gratiarum actiones audiverat, qui amen una pronunciaverat, qui mensae adstiterat, qui manus ad sanctum illud alimentum capessendum porrexerat, qui tam longo tempore corporis et sanguinis D. N. I. Christi particeps fuerat. » *Auctor Constitutionum apost.* (5) hanc refert post sacram synaxin gratiarum actionem: « Gratias agimus tibi Deus... pro sancto corpore tuo, quod in nobis habitare fecisti. » Et (6): « Qui pretiosum corpus et pretiosum sanguinem Iesu Christi participavimus, agamus gratias, quia dignatus est nos communione sanctorum mysteriorum suorum. » *Dionysius* de eccl. Hier. cap. 2 eucharistiam vocat « communionem deificam, » et c. 3 ita eam alloquitur: « O divinissimum et sacrosanctum sacramentum! obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperi, et perspicue nobis fac appareas, nostrosque spirituales oculos singulari et aperto tuae lucis fulgore imple. »

2. Saeculo quarto *Eusebius Caesar.* (7) inquit: « Multi peccatores, cum presbyteri sint, sacris operantur, nec eos Deus aversatur; verum per Spiritum sanctum proposita dona consecrat. Ac panis quidem pretiosum Domini corpus efficitur, poculum autem pretiosus Domini sanguis. » S. *Athanasius* (8) ait: « Christus docuit nos, ut orando peteremus in prae-

(1) Hom. 16 in Num. n. 9. (2) Epist. 63.
(3) Ep. 54, n. 2.
(4) Ap. Euseb. lib. 7, Hist. eccl. c. 9.
(5) Lib. 7, cap. 27. (6) Lib. 8, c. 14.
(7) Ap. Io. Damasc. in Parall. lib. 3, c. 15
(8) L. de incarn. et contra Arian. n. 16.

senti saeculo panem supersubstantialem, cuius primitias in praesenti vita habemus, dum carnis Domini participes efficimur.» *S. Hilarius* (1) scribit: « Si vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem in cibo dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis (id est, divinitatis) sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est et Christus in nobis est... Non est humano aut saeculi sensu in Dei rebus loquendum; ipse enim Christus ait: *Caro enim mea verus est cibus, et sanguis meus vere est potus.* De veritate carnis et sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est. Et haec accepta et hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc, quod sumus, in Deo est. Quod autem in eo per sacramentum communicatae carnis et sanguinis simus, ipse testatur dicens: *Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, et vos vivetis: quoniam ego in Patre, et vos in me, et ego in vobis.* Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam et ordinem consummandae unitatis exposuit, nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur.» *S. Ephrem Syrus* lib. de natura Dei non scrutanda (2) ita disserit: « Fidei oculus, cum in corde cuiuspiam clare ac liquide lucis instar effulserit, pure quoque ac sincere agnum Dei contemplatur, qui pro nobis occisus et immolatus est, donavitque nobis corpus suum sanctum et immaculatum, ut iugiter eo vescamur; sitque ipsius nobis participatio in remissionem peccatorum. Hunc fidei oculum qui possidet, manifeste ac lucide intuetur Dominum, et certa plenissima fide sanctissimi agni immaculati, unigeniti Filii coelestis Patris corpus manducat, haudquaquam curiose divinam sanctamque fidem perscrutans.--Esto itaque fidelis atque innocens. Participa immaculatum corpus et sanguinem Domini tui fide plenissima, certus, quod agnum ipsum integre comedas... Abraham Patriarcha coelestibus Angelis terrenos cibos apposuit. Ingens sane miraculum est, cernere spiritus incorporeos in terra carnium cibos manducantes. Sed hoc profecto omnem excedit mentem omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus Filius Christus salvator noster. Ignem quippe et Spiritum manducandum atque bibendum praestitit nobis carne vestitis, corpus videlicet suum ac sanguinem. » Similia testimonia eiusdem Patris inveniuntur in Comment. in Isa. (3), in Ioël (4) et Serm. 24 adv. haeres. *Magnes* Ep. ad Theosthenem (5) dicit: «Christus, - cum accepisset panem et vinum, dixit: *Hoc est corpus meum* etc. Non enim figura est corporis aut sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed potius vere corpus et sanguis Christi... Christus ergo proprium corpus et sanguinem dedit credentibus immisso iis vitali pharmaco divinitatis... Caro enim Salvatoris man-

(1) L. 8, de Trinit. n. 13, etc.

(2) Cap. 5. (3) C. 25. 6. (4) C. 2, 24.
(5) Ap. Galland. t. 3, p. 541.

ducata non consumitur, nec sanguis hic potatus consumitur; quin potius qui edit ad incrementum virium divinarum venit: quod vero editur consumi non potest, quoniam naturae inconsumptibili quadam ratione cognatum et inseparabiliter est coniunctum » *S. Cyrillus Hier.* Catech. 22, Mystag. 4, relata eucharistiae institutione ita prosequitur: « Cum igitur ipse de pane pronuntiaverit et dixerit: *Hoc est corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? et cum idem ipse tam asseveranter dixerit: hic est sanguis meus, quis unquam dubitaverit, ut dicat, non esse eius sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit; et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit?... Quare cum omni persuasione tamquam corpus et sanguinem Christi (illa) sumamus. Nam in specie panis datur tibi corpus, et in specie vini datur tibi sanguis, ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguineus ipsi efficiaris. Sic etenim Christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore eius et sanguine... In N. T. panis est coelestis et calix salutaris, qui et animam et corpus sanctificant. Quamobrem non sic haec attendas velim, tanquam sint nudus et simplex panis, nudum et simplex vinum: sunt enim corpus et sanguis Christi secundum Domini asseverationem. Ne iudices rem ex gustu, sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto, quod sis dignus factus, qui corporis et sanguinis Christi particeps fieres... Isthaec edoctus, et certissima fide imbutus es, quod, qui videtur panis, panis non est, sed corpus Christi, et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis Christi.» Quisque videt, his verbis doctrinam catholicam de reali Christi in eucharistia praesentia clarissime proponi. *S. Basilius* (1) propositae interrogationi: « Quali cum timore, aut qua animi persuasione corpus et sanguis Christi nobis accipienda sint, » respondet: « Timorem quidem docet nos Apostolus, cum ait: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* Persuasio vero integra habetur ex fide verborum Domini: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in meam commemorationem. » Et Hom. de ieiun. (2), ut homines ab intemperantia retraheret, exclamat: « An nescis quis ille sit quem (tempore paschali) sumpturus es? ille est qui dixit: *Ego et Pater meus ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (3). Quare antea ebrietati aditum aperis, et Domino claudis? Ebrietas Dominum recipere non potest. » *S. Gregorius Naz.* (4) inquit: « Animo ne titubes, dum Dei sanguinem et passionem et mortem audis; quin potius sine dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitae desiderio teneris, nec sermonibus de carne fidem abrogans, nec ad eos qui de passione habentur, impingens. » *S. Gregorius Nyss.* (5) haec habet: « Quid ergo est hoc medicamentum salutare, quod veneni damnum nobis inditum per contrariam repellat affectionem? Nihil aliud, quam illud corpus, quod et morte ostensum fuit esse potentius, et nostrae vitae fuit initium. — Oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis infidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur;

(1) Reg. brev. 172.
(2) Hom. 1, versus finem. (3) Io. 14, 23.
(4) Orat. 45 in pascha, n. 19.
(5) Orat. catech. c. 37.

totum singillatim sit in unoquoque, et ipsum in se totum maneat... Corpus Dei Verbi in habitatione ad divinam transmutatum est dignitatem. Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus crede transmutari... Panis sanctificatur per verbum Dei et orationem non eo quidem, quod cibo mediante (per manducationem) in Verbi corpus evadat, sed quod statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est a Verbo: *Hoc est corpus meum*...Manifestatum autem Verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiae hominum naturae, ut communione divinitatis simul etiam deificetur humanitas: ea de causa per suae gratiae dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus, commistus et contemperatus corporibus credentium... ut unione cum eo, quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Haec autem dat virtute benedictionis transelementata eorum, quae apparent, natura. » Haec verba tam perspicua sunt, ut adversariis effugium non relinquant.— *S. Ambrosius* lib. de mysteriis (1) manna Iudaeorum comparat cum eucharistia dicens: «Panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt, ista autem esca, quam accipis, iste panis vivus, qui descendit de coelo, vitae aeternae substantiam subministrat...et est corpus Christi. Considera nunc, utrum praestantior sit panis angelorum, an caro Christi, quae utique corpus est vitae. Manna illud e coelo, hoc supra coelum; illud coeli, hoc Domini coelorum; illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione... Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo: illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in aeternum... illud in umbra, hoc in veritate... Cognovisti praestantiora; potior enim est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de coelo.» Et (2) addit: « Forte dicas: aliud video, quomodo tu mihi adseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. » Quem in finem (3) ex Moysis et Elisaei miraculis ostendit, etiam Christum panem et vinum in corpus et sanguinem suum transmutare posse. Dein (4) ita prosequitur: « Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo adstruamus mysterii veritatem. Numquid naturae usus praecessit, cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quaerimus, viro mixta foemina generare consuevit. Liquet igitur, quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est: quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? — Vera utique caro Christi quae crucifixa est, quae sepulta est, vere ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus: *Hoc est corpus meum*. Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur (i. e. praesens monstratur). Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat. » Auctor lib. de sacram. (5) dicit: « Antequam consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi... Ante verba Christi calix est vini

(1) Cap. 8, n. 47. (2) Ib. n. 50. (3) N. 51 et 52. (4) N. 53, etc.
(5) L. 4, cap. 5, n. 23.

et aquae plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit... Ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus et sanguinem. Numquid debemus de eius fide et testificatione dubitare? » — *S. Optatus Milev.* (1) Donatistarum sacrilegia gravissime reprehendens ait: « Quid enim est tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus aliquando et vos obtulistis, frangere, radere, removere? in quibus vota populi et membra Christi portata sunt: quo Deus omnipotens (in consecratione) invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus, unde a multis pignus salutis aeternae et tutela fidei et spes resurrectionis accepta est...Quid est altare, nisi sedes corporis et sanguinis Christi?... Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus et sanguis habitabat?... Hoc tam immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portatores. » — *S. Maruthas* Tangritensis Episcopus, in Commentario ad evangelia motiva institutionis SS. eucharistiae pandens ita scribit: « Praeterea etiam privati fuissent communione corporis et sanguinis fideles posteriores (nisi hoc sacramentum Christus instituisset), sed nunc quotiescunque ad corpus et sanguinem accedimus, et super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti, et nos carnis eius et ossium eius participes fieri iuxta id, quod scriptum est. Enimvero Christus illud non appellavit typum aut figuram, sed dixit: vere *hoc est corpus meum*, et *hic est sanguis meus* » (2).

3. Saeculo quinto *S. Epiphanius* in Ancorato (3) ita loquitur: « Videmus Salvatorem ipsum panem in manus accepisse, ut in evangelio legitur, quod a coena surgens haec (id est, panem) acceperit, et gratias agens dixerit: hoc est meum hoc (id est, corpus, quod nomen ob disciplinam arcani reticet). Atqui videmus, aequale illud non esse nec simile, non susceptae carnis imagini, non divinitati ipsi, quae videri non potest, non membrorum lineamentis ac notis. Illud enim rotundum est, et quod ad vim attinet, sensus expers: et nihilominus ex gratia pronunciare voluit: hoc meum est, hoc et hoc. Nec quisquam est, qui ei sermoni fidem non adhibeat; qui enim non credit verum illum esse, quemadmodum dixit, a gratia et salute prorsus excidit. » *S. Gaudentius* Brixiensis (4) ait, in V. T. agnum paschalem non fuisse eundem omnium Iudaeorum, sed multos. « Figura etenim non est veritas, sed imitatio veritatis... Ergo in hac veritate qua sumus, unus, pro omnibus mortuus est, et idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis ac vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Haec agni caro, hic sanguis est. Panis enim, qui de coelo descendit, ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro saeculi vita...* Ipse igitur naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest et promisit) efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum... *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* Pascha est Domini, hoc est, transitus Domini. Ne terrenum putes quod coeleste effectum est per eum, qui transit in illud et fecit illud suum corpus et sanguinem... Quod annunciatum est cre-

(1) Lib. 6, c. Parmenian.
(2) Ap. Cl. Wisemann in erudito opere: *Horae syriacae* § 4, et seq. (3) N. 57.
(4) Serm. 2 seu tract. 2 in Exod.

das, quia quod accipis, corpus est illius panis coelestis, et sanguis est illius sacrae vitis. Nam cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Credamus, quaeso, cui credidimus: nescit mendacium veritas. » *S. Chrysostomus* (1) ita disserit: « Cogita quantum contra proditorem indignaris, et contra eos qui Christum crucifixerunt: cave ergo, ne tu ipse reus sis corporis et sanguinis Christi. Illi sacrum corpus trucidarunt, tu post tot beneficia cum sordida suscipis anima. Neque enim satis habuit hominem fieri, alapis caedi, immolari, sed seipsum commiscet nobiscum non fide tantum, sed reipsa nos corpus suum constituit. Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quae hanc carnem secat, os, quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam? Cogita, quantum adeptus sis honorem? qua fruaris mensa? Quod angeli tremunt videntes, nec sine metu respicere audent ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur, huic commiscemur, factique sumus Christi unum corpus et una caro. *Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius* (2)? Quis pastor propriis sibi membris oves nutrit? Ecquid pastorem dico? Matres saepe sunt, quae post partum infantes aliis nutricibus dant: ipse vero id non passus est, sed nos proprio sanguine nutrit, et per omnia sibi copulat... Non sunt humanae virtutis haec opera. Is, qui tunc in illa coena haec confecit, et nunc etiam operatur. Nos ministrorum habemus ordinem, qui vero illa sanctificat et transmutat, ipse est. » Ibid. (3) fidem in realem Christi in eucharistia praesentiam commendans dicit: « Deo igitur ubique obsequamur, nec contradicamus ei, etiamsi id, quod dicit, rationi et intelligentiae nostrae contrarium videatur; sed praevaleat eius sermo rationi et intelligentiae nostrae. Sic etiam in mysteriis faciamus, non ea solum quae sub sensus cadunt, respicientes, sed verba eius retinentes. Verbum quippe eius fallere nequit, sensus vero noster facile decipitur. Verbum eius nunquam excidit, sensus vero saepe fallitur. Quoniam vero ille dixit: *Hoc est corpus meum*, obtemperemus, credamus, et spiritualibus oculis ipsum respiciamus... Quot sunt, qui modo dicunt, vellem eius formam, typum, vestimenta, calceamenta videre? Ecce illum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Et tu quidem vestimenta videre cupis: ipse vero seipsum tibi dat non videndum modo, sed tangendum, comedendum, intus accipiendum. » Idem (4) inquit: « Hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes... Quod non passus est in cruce, hoc propter te patitur in oblatione, et *frangi* patitur, ut omnes impleat... Ne nos iugulemus per impudentiam, sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus; et cum ipsum videris propositum, tibi ipsi dic: Propter hoc corpus ego non sum amplius terra et cinis, non ultra captivus, sed liber. Hoc corpus clavis confixum, flagris caesum, mors non tulit. Hoc corpus sol cum crucifixum videret, radios avertit... Hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquae. » *S. Hieronymus* Comment. in Ecclesiasten (5) aperte rea-

(1) Hom. 82 in Matth. n. 5.
(2) Ps. 105, 2. (3) N. 4.
(4) Hom. 24 in 1 Cor. n. 1, etc. (5) Cap. 3.

lem et spiritualem corporis Christi sumptionem distinguit dicens: « Hoc solum habemus in praesenti saeculo bonum, si vescamur carne eius et cruore potemur non solum in mysterio, sed etiam in Scripturarum lectione.» In Ep. ad Tit. (1) optime distinguit figuram a realitate corporis Christi, ait enim: « Tantum interest inter propositionis panes et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa, quae per exemplaria praefigurabantur.» Ep. ad Damas. (2) scribit: « Vitulus saginatus, qui ad poenitentis immolatur salutem, ipse Salvator est, cuius quotidie carne pascimur, cruore potamur. » Ep. ad Hebid. (3) dicit: « Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, et sine ipso potare non possumus, et quotidie in sacrificiis eius de genimine vitis verae rubentia musta calcamus. » — *S. Paulinus Nol.* (4) canit: « In cruce fixa caro est, qua pascor: de cruce sanguis ille fluit, vitam quo bibo, corda lavo.» *S. Augustinus* (5) dicit: «Et ferebatur in manibus suis. Hoc vero fratres, quomodo posset fieri, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud (corpus) in manibus suis.» Secundum haec ergo Christus seipsum, id est, proprium corpus ferebat, secundum litteram illud ferebat, et ferendo faciebat, quod nemo hominum facere potest. Quis autem corporis sui typum seu imaginem ferre non valeat? aut quis metaphorice ipsum suum corpus ferre non dicatur, quando suam effigiem praetulerit? Idem (6) ait: « Mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fideli corde et ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, et humanum sanguinem potare, quam fundere.» Rursum lib. 3 de Trin. (7) inquit: « Apostolus Paulus potuit significando praedicare Dominum Iesum Christum aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis et sanguinis eius. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec signa litterarum conscripta pelliculis corpus Christi et sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terrae acceptum, et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis dominicae passionis; quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei.» Et Serm. 130 de verbis evang. n. 2 dicit: « Ipse est panis, qui de coelo descendit, sed panis, qui reficit et non deficit, panis, qui sumi potest, consumi non potest. Ipsum panem etiam manna significabat. Unde dictum est: *Panem coeli dedit illis, panem angelorum manducavit homo.* Sed ut panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum factus est homo. Si enim hoc non factus esset, carnem

(1) Cap. 1, v. 8, etc. (2) Ep. 21, n. 26.
(3) Ep. 120, q. 2. (4) Poëm. 14, v. 128.
(5) Enarr. in Ps. 33, Serm. 1 in titul. Ps. Reg. 21, n. 10.
(6) Lib. 2, c. advers. leg. et proph. cap. 9, n. 33. (7) N. 10.

ipsius non haberemus; si carnem ipsius non haberemus, panem altaris non manducaremus.» *S. Cyrillus Alex.* (1) scribit: « Ratio mysterii simplex est ac vera... Credimus namque illud ex Deo Patre Verbum ipsum corpus (ex Virgine assumptum) reddidisse vivificum... ut nos non spirituali tantum, sed et corporali modo sui participes effectos corruptione praestantiores redderet.» Idem (2) addit: « In sanctis Ecclesiarum mensis proprium corpus Verbi proponitur. » Atque in explan. 11 anathem. id necessario adiiciendum esse dicit, « incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare atque ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari, utpote sacrae carnis et pretiosi sanguinis Christi participes effecti. Neque illam (eucharistiam) ut carnem communem suscipimus, - absit hoc - sed tanquam vere vivificam, ipsiusque Verbi propriam.» *Theodoretus* Comment. in I Cor. (3) haec habet: « Sanctam noctem in memoriam eis revocat, in qua et typico paschali finem imposuit et verum typi archetypum ostendit et salutaris sacramenti portas aperuit, et non solum undecim Apostolis, sed etiam Iudae proditori pretiosum corpus et sanguinem impertiit.» *S. Leo M.* (4) ait: « Dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, sic sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: et frustra ab illis, *Amen*, respondetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur. » Loquens vero de eucharistia (5) dicit: « Ut ergo umbrae cederent corpori, et cessarent imagines sub praesentia veritatis, antiqua observantia novo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, et legalis festivitas, dum mutatur, impletur. » Et in Ep. 23 ad clerum et populum CPtanum scribit: « In Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur.» *S. Petrus Chrysol.* (6) inquit: « Tetigit vestimentum (Christi) mulier (sanguinis fluxu) laborans, et curata est, et ab antiquo absoluta languore. Miseri, qui quotidie corpus Domini tractamus et sumimus, et a nostris vulneribus non curamur. » Et explicans petitionem quartam orationis dominicae (7) ait: « Ipse (Christus) est panis, qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulcri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus coelestem cibum quotidie fidelibus subministrat. »

4. Saeculo sexto et sequentibus *S. Gregorius M.* lib. 4 Dialog. c. 58 cum dixisset, Christum nunc quoque in altari immolari, ita prosequitur: « Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in salutem populi partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. » Et Hom. 14 in evang. n. 1 dicit: « Bonus pastor pro ovibus suis animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves, quas redemerat, carnis suae alimento satiaret. » *S. Isidorus Hisp.* lib. de offic. (8) dicit: « Panis, quem frangimus, corpus Christi est, qui dicit: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* Vinum autem sanguis eius est. Haec autem duo (panis et vinum)

(1) Lib. 4, c. Nestor. c. 5. (2) Cap. 6.
(3) Cap. 11, 25.
(4) Serm. 91 de ieiun. 6, n. 3.
(5) Serm. 7 de pass. Dom. (6) Serm. 33.
(7) Serm. 67. (8) Lib. 1, c. 18.

sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum sanctum in sacramentum divini corporis transeunt. » *V. Beda* (1) ad illa verba: *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se* etc., inquit: « Lavat nos Christus a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum eiusdem beatae passionis memoria replicatur ad altare, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis eius ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur, sicque corpus et sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur et occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. » *S. Io. Damascenus* lib. 4 de orthod. fide cap. 14, cum institutionem eucharistiae enarrasset, ita pergit: « Si igitur verbum Dei vivens est et efficax, et omnia quaecunque voluit Dominus fecit; si dixit: fiat lux et facta est, fiat firmamentum et factum est, si verbo Dei coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.... non potest panem sui ipsius corpus facere, et vinum et aquam sanguinem?... Quemadmodum omnia, quaecunque fecit Deus, Spiritu sancto cooperante fecit: sic et nunc Spiritus sancti operatione haec super naturam operatur, quae non potest capere nisi sola fides.... Si autem modum requiris quonam pacto fiat, sat tibi sit audire, quoniam per Spiritum sanctum quemadmodum ex S. Deipara, seipso et in seipso Dominus carnem sustentavit. Et nihil amplius cognoscimus, quam quod verbum Dei verum est et efficax et omnipotens, modus autem inscrutabilis.... Non est figura panis et vinum corporis et sanguinis Christi: absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est meum non figura corporis, sed corpus, et non figura sanguinis, sed sanguis. » *Euthymius* Comment. in Matth. (2) ita loquitur: « Non dixit Christus: haec sunt signa corporis mei et sanguinis mei, sed, haec sunt *corpus et sanguis meus.* » *Teophilactus* (3) ait: « Christus dicens: *Hoc est corpus meum*, ostendit, quod ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altari, et non respondens figura. Non enim dixit: hoc est figura, sed *hoc est corpus meum.* Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis.... panis quidem apparet, sed revera caro est. » *S. Anselmus* (4) exponens illud: *Hoc est corpus meum*, inquit: « Manducate quod tribuo, quia hoc est corpus meum. Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum. » *S. Bernardus* Serm. in vigilia nativ. (5) cum dixisset, quod ille qui in Bethlehem nascitur, « iam non in te quidem suscipi dedignetur: Bethlehem quippe *domum panis* sonat, » hoc monitum adiicit: « Tu ergo, si divini verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterque etsi non digna, certe quanta potes devotione suscipias panem illum, dominicum videlicet corpus Iesu, ut veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis caro reficiat et sustineat. » Et in vita S. Malachiae inquit: « Fuit quidam Clericus probabilis, ut fertur, vitae, sed fidei non ita: is sciolus in oculis suis praesumpsit dicere, in eucharistia esse tantummodo sacramentum, et non rem sacramenti, id est, solam sanctificationem, et non corporis veritatem. » Mox vero subnectit insigne miraculum, quo ille a B. Malachia coactus est vel invitus veritatem tandem amplecti et confiteri. *S. Petrus Damian.* Serm. de Mariae V. natali ait: « Perpendite,

(1) Hom. in Epiph. Dom. (2) Cap. 26.
(3) In Matth. 26. (4) In I Cor. 11.
(5) Serm. 1, versus finem

Dei genitrici quantas post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi, quod B. Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod fasciis cinxit, quod materna cura nutrivit, illud, inquam, absque ulla dubietate non aliud nunc de sacro altari percipimus, et eius sanguinem in sacramentum nostrae redemptionis haurimus. Hoc catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet. »

Nota 1. Adversarii eousque temeritatis venerunt, ut adlegata Patrum testimonia de figura, aut de efficacia corporis et sanguinis Christi exponere tentarent. Ast incassum laborant, dum argumentum catholicorum infirmare satagunt. Talia enim Patrum testimonia inveniuntur, quae apertissime sententiam adversariorum explodunt et dogma catholicum confirmant. Nam 1° Multi Patres eucharistiam comparant cum incarnatione, in qua Verbum divinum veram et propriam assumpsit naturam humanam: ut S. *Iustinus M.*, S. *Hilarius*, S. *Gregorius Nyss.*, qui Or. Catech. (1) docet panem eucharisticum transire per verbum Dei in corpus Christi, sicut panis, quo Christus in terris degens alebatur, in naturam ipsius corporis transibat; S. *Ambrosius*, qui lib. de myster. (2), inquit: « Incarnationis exemplo adstruamus mysterii veritatem; » *Auctor* lib. de sacr. (3) comparationem ducens ex veritate divinitatis Christi his verbis: « Sicut verus est Dei Filius D. N. I. Christus... sic vera est eius caro, quam accipimus; » et S. *Chrysostomus* (4) dicens: « Quemadmodum corpus illud unitur Christo, sic et nos ei per panem hunc unimur. » Tales comparationes in sententia adversariorum locum non haberent, aut per illas etiam veritas incarnationis dominicae negaretur. 2° Frequenter Patres asserunt, eucharistiam verum esse ac proprium Christi corpus, et hoc ipsum, quod ex B. V. Maria natum est, passum, mortuum pro nobis, et a morte suscitatum, ut patet ex citatis testimoniis S. *Irenaei*, S. *Hilarii*, S. *Ambrosii*, S. *Chrysostomi*, S. *Cyrilli Alex.*, S. *Petri Chrysologi* et aliorum. 3° Patres, dum de verbis Christi eucharistiam instituentis loquuntur, expresse typos et figuras excludunt, ut S. *Ambrosius*, S. *Hieronymus*, S. *Chrysostomus* in cap. 6 Ioann., S. *Augustinus* in qq. V. et N. T., *Cyrillus Alex.* (5) S. *Io. Damascenus*, *Euthymius*, *Theophylactus* etc. Quid autem sententiae adversariorum manifestius adversatur? 4° Saepe Patres affirmant, grande intervenire in hoc sacramento miraculum, ac divinae omnipotentiae opus modumque, quo Christus in eucharistia praesens est, incomprehensibilem esse, ut S. *Cyrillus Hier.*, S. *Ephraem*, S. *Chrysostomus*, S. *Io. Damascenus* et alii, quibus addi potest S. *Hilarius*, qui cum l. 8 de Trin. n. 13 de eucharistia disseruisset, n. 14 addit: « Non est humana aut saeculi sensu in Dei rebus loquendum. Quae scripta sunt legamus, et quae legerimus intelligamus, et tunc perfectae fidei officio fungemur. » Quale autem miraculum fieret, aut quid incomprehensibile occurreret, si panis et vinum figurae duntaxat seu symbola essent corporis et sanguinis Christi? — 5° Ex eadem ratione Patres laborant, ut persuadeant fidelibus, in hoc mysterio non esse credendum sensibus, sed verbis Christi, qui fallere non potest, et cui nihil impossibile est, ut S. *Cyrillus Hier.*, S. *Chrysostomus*, S. *Cyrillus Alex.* S. *Io. Damascenus*, S. *Anselmus* et alii. Negata autem

(1) Cap. 37. (2) Cap. 9. (3) Lib. 6, c. 1. (4) Hom. 24 in I Cor. (5) Lib. 4, in Ioan.

reali Christi in eucharistia praesentia sensus nullatenus fallerentur. 6° Quandoque Patres aperte docent, Christum in hoc sacramento non sola fide, sed reipsa nobis coniungi, nec solum per voluntatum concordiam, sed etiam per corporis sui contactum nobis copulari, ut *S. Cyprianus, S. Hilarius, S. Cyrillus Hier.* et *Alex., S. Chrysostomus, S. Augustinus* etc. 7° Patres sat frequenter talibus utuntur epithetis, quae de figura tantum corporis Christi inepte et ridicule adhiberentur; ut dum eucharistiam vocant mysterium terribile, horrendum, pretiosum corpus et pretiosum sanguinem, ut *Eusebius;* tremendum sanguinem, ut *Chrysostomus;* sanctam et per quam tremendam victimam, ut *Cyrillus Hier.;* panem vivum, inconsumptibilem cibum, sanctum et incorruptibilem etc., ut *Ambrosius, Augustinus* et alii passim, a quibus vocabulis sacramentarii penitus abhorrent. 8° Patres etiam crimen antropophagiae a christianis amoliuntur. Testantur enim *S. Iustinus M.* apol. 2, et *Tertullianus* in apologetico, Christianis obiectum fuisse quod carnes humanas manducent: quae criminatio ex male intellecta Christianorum synaxi orta est. Facilis autem fuisset pro antiquis Patribus responsio, si illo tempore creditum fuisset, panem et vinum figuras tantum et symbola esse corporis et sanguinis Christi. Omnimode tunc negare potuissent, Christianos veram carnem comedere et verum sanguinem bibere. Ast antiqui Patres nullatenus id negarunt, sed fassi sunt, Christianos carnem manducare et sanguinem bibere, non autem hominum trucidatorum, sed Filii Dei incarnati, qui sub speciebus panis et vini carnem suam manducandam et sanguinem bibendum tribuit. 9° Patres porro profitentur, corpus Christi ore percipi, vere manducari etiam ab infantibus, ut *Cyprianus* (1), *Innocentius P.* (2), *S. Augustinus* (3) *S. Cyrillus Alex.* (4). Eodem modo asserunt, etiam indignos seu peccatores vere corpus et sanguinem Christi sumere, sed deterrimum crimen committere; ut *Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus* et alii. Tantum vero crimen non committeretur, si figura tantum corporis et sanguinis Christi inhonoraretur. 10° Denique Patres docent, in eucharistia fieri transubstantiationem, seu panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi; eucharistiam porro reservari posse et adorandam esse, atque, dum eadem conficitur, veri nominis sacrificium offerri. Haec dogmata vero, de quibus inferius sermo erit, supponunt realem Christi in eucharistia praesentiam, qua negata, nec transubstantiatio nec adoratio nec sacrificium admitti potest. Testimonia igitur Patrum, quae pro praefatis dogmatibus citabuntur, invicte confirmant constantem Ss. Patrum fidem de reali Christi in eucharistia praesentia.

Nota 2. Quamvis Protestantes traditionem ut revelationis fontem agnoscere recusent, auctoritate tamen Patrum contra nos abusi et ostendere conati sunt, ipsos realem Christi in eucharistia praesentiam non credidisse. Plurima idcirco eorundem testimonia congesserunt, in quibus vel eucharistiam figuram, typum, antitypum corporis et sanguinis Christi nuncupant, vel simpliciter panem appellant, vel asserunt non idem in sacramento corpus adesse quod ex Virgine natum, passum, mortuum est; vel negant Christum corporaliter man-

(1) Ep. 63 ad Coecil.
(2) Ep. 93, inter Epist. August.
(3) L. 2 contra advers. leg. et proph. n. 33.
(4) L. 3, in Ioan. 6

ducari, vel spiritualem manducationem commendant, vel panem benedictum corpus Christi esse inficiantur etc. Mox autem insurrexerunt inter Catholicos viri doctissimi, qui singula dicta Patrum explanarunt eorumque catholicum sensum contra adversarios vindicarunt, ut *Card. Bellarminus* (1), *Card. du Perron* (2), *Petrus Nicolius, Iac. Novelius S. I., Ant. Arnaldus* in celebri opere: Perpetua fides Ecclesiae cath. circa eucharistiam defensa contra librum Claudii, *Eus. Renaudotius* in defensione perpetuitatis fidei etc., *Tournely, Billuart, Boucat, Sardagna, Perrone* et alii. Nobis sufficiat generales regulas nosse, quibus muniti adversariorum cavillationes facile diluemus atque orthodoxam Ss. Patrum doctrinam cognoscemus.

Regula I. Generatim Hermeneutae docent, loca obscura et ambigua per loca clariora exponenda et declaranda esse. Recte igitur testimoniis Patrum obscuris et ambiguis, quae ab adversariis contra nos proferuntur, opponimus testimonia clara, in quibus Patres aperte fidem suam de reali Christi in eucharistia praesentia profitentur. Nec mirum est, Patres de eucharistia hincinde obscure locutos et talibus terminis usos esse, qui primo aspectu adversariorum opinioni favere videntur. Cum enim illorum aevo dogma de reali Christi in eucharistia praesentia non impugnaretur, tanta in seligendis terminis accuratione opus non erat; sciebant enim, se a fidelibus nulla dubitatione pulsatis recte intelligi. Pleno iure igitur contra Calvinianos de Patribus quos obiiciunt, illud idem reponimus, quod *S. Augustinus* (3) de S. Chrysostomo dixit: « Disputans in catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur; tali questione nullus pulsabatur; vobis nondum litigantibus securius loquebatur. »

Regula II. Patres primorum praesertim saeculorum de eucharistia parce et obscure hincinde locutos esse, ex eo vel maxime repetendum est, quia caute observabant *disciplinam arcani*, vi cuius sacratiora religionis mysteria, ne irriderentur et profanarentur, non solum Ethnicis ac Iudaeis occultabant, sed etiam Cathecumenis non manifestabant, quia ad illa recte intelligenda ante sacramentum illuminationis vel impares vel indigni habiti sunt. Huius disciplinae arcani multos testes habemus. Tertullianus in Apolog. (4) ait: « Omnibus mysteriis silentii fides debetur.... Orc vos, extraneis unde notitia? cum etiam iusta et licita mysteria omnem arbitrii extraneum caveant. » Idem testatur *Origenes* l. 1 c. Celsum; *S Cyrillus Hier.* (5) inquit, ministros Ecclesiae « multa saepe loqui obtecte seu obscure, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, et qui non tenent non laedantur. » *S. Basilius* (6) inter Arcana, « quae fas non est intueri nondum initiatis, » comprehendit, fatente Calvinista Albertino, eucharistiam. *S. Ambrosius* de mysteriis scripturus (7) ait: « Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius, quam edidisse aestimaremur. » *S. Epiphanius* haer. 42 Marcionitis vertit vitio, quod perficerent mysteria videntibus Catechumenis, quod et in Arianis apud *S. A-*

(1) De sacr. euchar. l. 2.
(2) In tract. de sacr. euch.
(3) Lib. 1, c. Iulian. c 6

(4) Seu lib. 1 ad Nationes, cap. 7.
(5) Catech. mystag. 6.
(6) Lib. de Spir. S. cap. 27. (7) Cap. 1, n 2.

thanasium Apol. 2 damnat Synodus *Alexandrina*. *Iulius R. P.* Epist. 3 ad Orientales eos reprehendit, qui praesentibus Catechumenis, et, quod peius est, Ethnicis et Iudaeis Christianismum blasphemantibus, quaestionem de corpore et sanguine Christi habuerant. » *S. Chrysostomus* (1) inquit: « Scitis, quid dicatur, vos qui participatis mysteriis. » Et hom. de prodit. Iudae recitatis illis verbis: *Hoc est corpus meum*, addit: « Norunt initiati, quae dicuntur, - norunt initiati calicem istum, scietis vos (Cathecumeni) infra paucos dies. » *S. Augustinus* frequenter in suis sermonibus disciplinae arcani observantiam manifestat, et tract. 11 in Ioan. n. 3 in illa verba: *Iesus non se credebat eis*, scribit: « Tales sunt omnes Catechumeni. Ipsi crediderunt in nomine Christi, sed Iesus non se credidit eis. Intendat et intelligat charitas vestra. Si dixerimus Catechumeno: Credis in Christum? respondet: Credo, et signat se: ecce credidit in nomine eius. Interrogemus eum: manducas carnem Filii hominis et bibis sanguinem Filii hominis? Nescit quid dicimus, quia Iesus non se credidit ei. » — *S. Cyrillus Alex.* (2) contra Iulian. Apostatam sacrosancta religionis christianae mysteria impetentem, cum varia ad istorum defensionem scripsisset, adiungit: « Plurima de his alia et vera dicerem.... nisi profanorum aures metuerem. » Per hanc disciplinam arcani facile declaratur, quare nonnulli Patres pauca de eucharistia scripserint, alii vero de eadem disserentes obscurioribus terminis usi fuerint.

Regula III. Quando Patres eucharistiam nominant figuram, signum, imaginem etc. corporis Christi, non ideo realem Christi praesentiam negant. Nam etiam hac, ut oportet, admissa, eucharistia nuncupari potest figura, signum vel imago corporis Christi. Et *primo* quidem ratione specierum panis et vini, quae ex institutione divina sunt signum, figura corporis et sanguinis Christi non absentis, sed praesentis et sub iis contenti: nihil quippe obstat, quin detur signum rei praesentis, sicut halitus et pulsus arteriae sunt signa vitae praesentis; quod tunc vel maxime admittendum est, si res significata sub sensus non cadat, sicut columba in baptismo Christi, et linguae igneae in die Pentecostes erant figurae et signa Spiritus sancti praesentis. Eodem igitur modo in eucharistia species panis et vini dici possunt figurae et signa corporis, et sanguinis Christi praesentis. Unde de consecr. dist. 2, cap. 89 legitur: « Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est dum panis et vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interius creditur. » Iam Tertullianus observavit, haec vocabula: formam, figuram, similitudinem, imaginem et similia substantiam praesentem non excludere; nam c. Marcion. (3) demonstrat, Paulum scribentem de Christo: *In similitudinem hominem factus* (4) veritatem assumptae carnis adstruere, sicuti dum ait: *Qui est imago Dei invisibilis* (5) nequaquam ei detrahi divinitatem. Ex Tertulliano deprompta est ingeniosa illatio cl. *Estii* (6) asserentis: « Qui ergo dicunt, eucharistia est signum corporis Domini, ergo non est corpus Domini, argumentantur more veterum haereticorum dicentium: Christus in similitudinem hominum factus est, et habitu seu figura inventus ut homo: ergo non erat verus ho-

(1) Hom 20 in 2 Ep. ad Cor. (2) Lib. 7. (3) Lib. 5, c. 20. (4) Phil. 2, 7. (5) Col. 1, 15. (6) Dist. 8, § 15.

mo. » — *Secundo*, eucharistia appellatur signum, symbolum etc. ratione sacramenti, quod ex natura sua est signum sensibile invisibilis gratiae. Unde sicuti Veteres, ubi commemorant signa et sacramenta aquae et olei, internam ablutionem et unctionem demonstrant; ita commemorantes signum et sacramentum panis aut corporis Christi, innuunt spiritalem gratiae coelestis effectum sive animae nutrimentum. Praeclare hanc in rem loquitur *Hugo Victorinus* (1) scribens : « Quare ergo sacramentum altaris similitudo esse non potest et veritas, alio quidem modo similitudo, et alio veritas? Nam cum unum sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, species scilicet visibilis, et veritas corporis, et virtus gratiae spiritualis. Aliud est enim visibilis species, quae visibiliter cernitur, aliud est veritas corporis et sanguinis, quae sub visibili specie invisibiliter creditur; atque aliud spiritualis gratia, quae cum corpore et sanguine invisibiliter et spiritualiter percipitur. » Hinc infert Hugo, « speciem visibilem esse sacramentum veri corporis et veri sanguinis » adeoque signum, imaginem et figuram simul adesse cum significati seu figurati veritate, quod variis exemplis illustrat. — *Tertio*, corpus Domini occultatum in eucharistia est vere signum et figura suipsius, quatenus Christus inter nos versabatur, et quatenus pro nobis obtulit semetipsum in cruce. Ita *Tertullianus* (2) *S. Augustinus* (3) et alii eucharistiam vocant figuram Christi, patientis nempe et morientis. Cum enim proferimus consecrationis verba, signum est, Dominum obtulisse corpus suum in sacrificium; dum extollitur hostia, signum est, fuisse elatum in cruce; dum consecratur calix, sanguinem profudisse; dum panis frangitur, lancea fuisse perfossum; dum in os ingeritur, reclusum sepulcro. Ita ergo Christus sub speciebus panis et vini sui ipsius pro nobis truci et cruento sacrificio immolati figura est. — *Quarto* demum eucharistia hincinde dicitur figura, signum, seu symbolum corporis Christi mystici, quod est Ecclesia seu coetus fidelium, quorum moralis unio in eucharistia significatur, quia ex multis granis triticeis unus panis, et ex multis acinis vinaceis unum liquidum efficitur. In hoc sensu *S. Augustinus*, cuius fides de reali Christi in eucharistia praesentia ex testimoniis sat luculentis extra omne dubium posita est, tract. 26 in Ioan. eucharistiam figuram corporis Christi vocat. Ita pariter intelligendus est, cum serm. 272 ad infantes, ait: « Corpus ergo Christi vis intelligere? audi Apostolum dicentem fidelibus: *Vos estis corpus Christi et membra* (4). Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium in mensa dominica positum est... Sicut enim, ut sit species visibilis panis, multa grana in unum conspergunturtanquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura sancta: *Erat illis anima una et cor unum in Deum:* sic et de vino. Fratres, recolite unde sit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unum confunditur. Ita et Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis et unitatis nostrae in sua mensa consecravit. » Quamvis igitur Patres eucharistiam quandoque signum, figuram vel imaginem corporis Christi nominent, nullatenus tamen realem huius praesentiam negant: quae res

(1) Lib. 2. in cap 1 Dionys. de coel. Hier.
(2) Lib 3, c. Marcion. c. 19.
(3) Enar. in Ps. 3.
(4) I Cor. 12, 27.

ex eo vel maxime patet, quod ipse *Paschasius Corbeiensis* in libro de corpore et sanguine Domini eucharistiam signum corporis Christi appellaverit, licet realem eiusdem in ea praesentiam ita defenderit, ut ab adversariis auctor huius dogmatis putaretur.

Regula IV. Consimili ratione Patres, dum eucharistiam nominant typum vel antitypum corporis Christi, realem huius praesentiam nequaquam negant. Nam, ut erudite observat cl. *Perrone* de euch. (1): « *Typus* proprie est instrumentum quodcunque obsignans : sic litterae metallicae sunt typi : *antitypon* est figura per typum obsignata. Istud porro antitypon potest iterum fieri typus respectu alterius, ut patet ex lithographia, in qua littera seu figura in lapide per typum expressa fit typus respectu papyri, in quo eadem figura rursus imprimitur. Haec transferendo ad sensum figuratum in argumento, de quo disserimus, eucharistiae typi fuerunt figurae et symbola huius sacramenti, quae in V. T. praecesserunt, ex. gr. manna in deserto, agnus paschalis etc.: respectu harum figurarum eucharistia est antitypon. Rursus species eucharisticae sunt typus et symbolum rei praesentis, at latentis, nempe Christi corporis; et typus rei futurae et absentis, nempe gloriae futurae, cuius ipsa pignus in se continet; quo sensu eucharistia ex antitypo fit typus. » — Hinc facile colligitur, ex his eucharistiae denominationibus nihil contra Patrum fidem de reali Christi in eucharistia praesentia inferri posse. Caeterum Graecos panem et vinum ante consecrationem duntaxat typos vocasse, testatur *Concilium Nicaenum II* Act. VI dicens: *Antequam sanctificata fuerint, vocata sunt typi; post sanctificationem corpus proprie et sanguis Christi dicuntur, sunt et creduntur*. Observat etiam *Elias Cretensis*, quod vox *antitypon* saepe non figuram, sed rem ipsam quae per figuram significatur, denotet; ait enim in Orat. 1 apologeticam Nazianzeni : « Per antitypum autem isotypum intelligit, siquidem de magnis illis mysteriis hoc est, de sanctissimo Christi corpore et pretioso sanguine istud accipias (sic enim magnus quoque Basilius hoc appellavit) : praepositio enim ἀντί nonnunquam aequalitatem significat » (2).

(1) N. 73, in nota 1.

Regula V. Si eucharistia sicut in Scriptura, ita etiam a Patribus vocatur panis, nullatenus tamen realis Christi in eucharistia praesentia aut transsubstantiatio negatur. Utraque enim admissa, eucharistia panis nominari potest tum ratione accidentium seu specierum panis, quae remanent, et sub quibus corpus Christi sensibus subiicitur, tum ratione materiae, quae conversa est in corpus Christi, quo sensu virga Aaron iam in serpentem conversa vocabatur virga: *Devoravit virga Aaron virgas eorum* (3). Porro sub nomine panis quodlibet alimentum intelligi solet, ut in oratione dominica: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* cum autem eucharistia verum alimentum sit, frequenter panis dicitur etiam a catholicis scriptoribus, de quibus nemo dubitat, quod tum realem praesentiam tum transsubstantiationem profiteantur. Communiter autem eucharistia non appellatur panis simpliciter, sed panis coelestis, panis de coelo descendens, panis supersubstantialis, panis vivus, panis Angelorum etc.

Regula VI. Interdum Patres negant *sacramentum* esse corpus et sanguinem Domini, sed nomen sacra-

(2) C. Berti, lib 33, c. 9; Reg. 3. (3) Exod. 7.

menti stricto sensu accipiunt, prout species sensibiles sunt signum, typus aut symbolum rei latentis, nempe ipsius corporis et sanguinis. Sane species sacramentales non sunt ipsum Domini corpus aut sanguis ; sed quia sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi continentur, ideo ipsae species corpus et sanguis Christi dicuntur. Hoc sensu S. *Augustinus* (1) scribit : « Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam earum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est : » quibus verbis S. Doctor solum docet, sacramentales species non esse quidem ipsum corpus et sanguinem Christi, sed secundum quemdam modum recte dici corpus et sanguinem Christi, quia utrumque continent.

* Regula VII. Quando quidam dicunt in eucharistia non esse idem corpus, quod de Virgine natum est et nobiscum conversatum, passum, mortuum etc., intelligunt tantum, quod non sit idem corpus quoad externum et visibilem statum, et quantum ad affectiones; non negant autem, quod sit idem corpus quoad substantiam. Ita *Ratramnus*, Monachus Corbeiensis, quamvis in lib. de corpore et sanguine Domini neget in eucharistia corpus Christi reperiri, quod de Virgine natum est, in eodem tamen libro affirmat, « quae fidelium ore percipiuntur, figuram esse secundum speciem visibilem; at vero secundum invisibilem substantiam verum corpus et sanguinem Christi » (2).

Regula VIII. Dum Patres negant, Christum corporaliter manducari, et illa verba citant : *Caro non prodest quidquam*, non negant sub speciebus panis et vini corpus Christi sumendum esse, sed solum crassum illum comestionis modum excludunt, quo Capharnaitae existimabant manducandam esse Christi carnem ut sectam membratim, aut assam, aut elixam ad instar carnium, quae in macello venduntur. Qua de re S. *Augustinus* (3) scribit : « O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris : Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam? et propter quid sumus, quod sumus, nisi habeamus vitam aeternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo, non prodest quidquam caro ? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt ; carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur... Sic caro non prodest quidquam, sed sola caro : accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. » Similia habent *Tertullianus* (4), *S. Chrysostomus* (5), *Theophylactus* (6).

Regula IX. Patres cum verba sacramentalia transferunt ad spiritualem doctrinae divinae manducationem per fidem, faciunt hoc non secundum sensum verborum Christi litteralem, sed mysticum, qui secundum Patrum sententiam minime excludit litteralem de reali manducatione, sed eo potius

(1) In Epist. 98 ad Bonifacium Episc.
(2) Cf. Tournely de euchar. q 2, art. 7.
(3) Tract. 26 in Io. n. 5.
(4) Lib. de resur. carnis, c. 37.
(5) Hom. 46 in Io. (6) In cap. 6 Ioan.

tanquam fundamento nititur. Ita pariter dum Patres in eucharistiae celebratione *memoriam* Christi commendant, aut cum *S. Augustino* l. c. Faust. (1) dicunt, per sacramentum eucharistiae recoli memoriam illius sacrificii, quod in V. T. per victimas promittebatur, et quod in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur; id minime significat, in hoc sacramento ipsum Christi corpus et sanguinem non contineri. Nam etiam Ecclesia ita solemniter orat: *Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti* etc., nec tamen aliquis inde concludet, Ecclesiam in sacris istis mysteriis non credere et venerari Iesum Christum reipsa praesentem. Imo ipse *Augustinus* in eodem libro (2) iam dixerat, « Christianos peracti eiusdem sacrificii memoriam celebrare sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi. »

Regula X. Patres quando dicunt, in ipso etiam usu sacramenti manducari oportere spiritualiter corpus Christi per fidem, minime idcirco volunt, non debere ibi etiam ipsum corpus Christi manducari realiter ore corporis in sacramento: sed docent tantum, realem manducationem tunc demum esse proficuam, quando cum ea spiritualis quoque manducatio coniungitur. Ita *S. Augustinus* declarat, quid sit eucharistiam spiritualiter sumere (3) dicens: « Panem coelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate: » et iterum (4): « Carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et faciunt multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut eius spiritu vegetemur et non scandalizemur, etiamsi multi modo nobiscum manducant et bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine aeterna tormenta. » Ita pariter, cum Patres aiunt, corpus Christi esse cibum spiritualem non corporalem, significare volunt, non esse cibum, quo nutriatur corpus nostrum more consueto, sed quo spiritualiter anima reficitur: non negant autem, hunc cibum spiritualem ore etiam corporali in eucharistia sumendum esse.

(1) Cap. 21. (2) Cap. 17.
(3) Tract. 26 in Io. n. 11.

B. *Ex Conciliis et Liturgiis.*

§ 579. Quid Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, de eucharistia semper senserit, luculentissime ex *Conciliis* et ex *Liturgiis* publico Ecclesiarum usu consecratis dignosci potest.

1. *Concilium Nicaenum I* non obscure fidem de reali Christi in eucharistia praesentiam profitetur, dum can. 14 ait: *Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi* (Diaconi), *qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt corpus Christi* (scilicet presbyteris) *porrigant. Concilium Alexandrinum* sub S. Cyrillo habitum in Epist. synod. ad Nestorium inquit: *Ad mysticas benedictiones accedimus, eaque ratione sanctificamur, utpote sacrae carnis, et pretiosi sanguinis Christi participes effecti; non enim illam carnem ut communem sumimus, sed tanquam vere vivificam ipsiusque Verbi propriam. Concil. Nicaenum II* ex laudatis iam S. Scripturae testimoniis realem Christi in eucharistia praesentiam probat, asseritque, nec ab Apostolis nec a Ss. Patribus eucharistiam nominatam fuisse imaginem corporis Christi, ita ut eius realis praesentia

(4) Tract. 27, n. 11.

negaretur; ac demum Act. VI concludit: *Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per sacerdotem offertur, sed ipsum corpus et ipsum sanguinem* etc. *Conc. Lateranense IV* cap. 1 in professione fidei haec habet: *Credimus et confitemur, corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina. Concilium Tridentinum* Sess. XIII can. 1 definit: *Si quis negaverit, in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo vel figura aut virtute; anathema sit.* Nec immerito hic affertur *Synodus Constantinopolitana* a Graecis schismaticis anno 1672 in causa Protestantium habita, in qua can. 2 definitum est: *Credimus, corpus D. N. I. Christi vivum reali praesentia invisibiliter praesens esse in tremendo eucharistiae sacramento: cum enim sacerdos celebrans post verba dominica haec dicit: Fac panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui* etc. *Tunc supra omnem naturae modum operante Spiritu sancto panis quidem realiter, vere ac proprie in ipsummet Christi Salvatoris corpus, vinum vero in sanguinem eius animatum transmutatur, ipsumque totum credimus esse Christum, qui et offert et offertur, et integer a singulis impassibiliter manducatur.* Et *Synodus Hierosolymitana* a Graecis eodem anno in eadem causa habita can. 17 dicit: *Credimus, in S. divinae Eucharistiae Sacramento D. N. I. Christum esse praesentem, non secundum figuram aut imaginem, neque secundum quamdam, uti caeteris in sacramentis, gratiae excellentiam..... sed sub minima panis et vini consecrati particula totum ac integrum Christum secundum substantiam, animam et divinitatem Deum perfectum et perfectum hominem esse.*

2. *Liturgiae* omnes a primordiis Ecclesiae usque ad saeculum decimum sextum editae in eo conveniunt, ut adstruant realem Christi praesentiam. In Liturgia Ecclesiae *Hierosolymitanae S. Iacobo* fratri Domini adscripta dicitur: « Rogamus, ut Spiritus sanctus adveniens sancta, bona et gloriosa sua praesentia sanctificet et efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, et calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui, ut sit omnibus ex his sumentibus in remissionem peccatorum. » In Liturgia Ecclesiae *Aethiopicae D. Matthaeo* adscripta sacerdos orat: « Benedic, sanctifica, munda et transfer panem in carnem tuam immaculatam, et vinum hoc in sanguinem tuum pretiosum. » In Liturgia *Coptica S. Basilii* nomine inscripta legitur: « Transfer eos (panem et calicem), ita ut panis quidem hic fiat corpus tuum sanctum, et hoc mixtum in hoc calice sanguis tuus pretiosus, ut sint nobis in praesidium etc. » In Liturgia *graeca Alexandrina S. Basilii* et *S. Gregorii* haec habentur: « Tu, Domine, voce tua commuta haec, quae sunt proposita (scilicet panem et vinum). Tu coram nobis positus, perfice nobis hoc ministerium plenum mysteriis, mitte super nos gratiam Spiritus sancti, qui sanctificet et transferat haec dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostrae, et hunc quidem panem facias corpus tuum sanctum... hunc calicem sanguinem pretiosum testamenti tui novi etc. » In Liturgia *S.*

Io. Chrysostomi sacerdos orat: « Emitte spiritum tuum super nos et super proposita dona haec, et fac panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui, et quod est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi Filii tui, transmutans spiritu tuo sancto. » In Missali *Gothico* seu *Gallicano* perantiquo sic legitur in Missa de Epiphania: « ut, qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum vina convertat. » Et in Missa dominicali sic habetur in oratione secreta: « Precamur mente devota te, Maiestas aeterna, ut operante virtute panem mutatum in carnem, poculum versum in sanguinem, illum sumamus in calice, qui de te fluxit in cruce ex latere. » Post orationem vero dominicam prosequitur sacerdos: « Libera nos a malo, Christe Iesu! Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus. » In Liturgia *Romana* antiquissima sacerdos super panem et vinum benedictionem divinam advocat, « ut nobis corpus et sanguis fiat D. N. I. Christi. » Plura huiusmodi librorum liturgicorum testimonia proferunt et illustrant *Card. Bona* (1), *Card. Thomasius* (2), *Renaudotius* (3), *Assemanus* (4), *Mabillonius* (5) et *Muratorius* (6). Argumentum autem, quod ex liturgiarum consensu eruitur, est plane ineluctabile; etenim praeterquamquod illae ab apostolica traditione saltem quoad rei substantiam ad nos pervenerunt, in iisdem etiam de cultu publico agitur, et fides patefit non unius aut alterius privati doctoris, sed ipsius Ecclesiae. Accedit usus antiquissimus et universalis, qui per plura saecula in Ecclesia viguit, ut sacerdos administraturus eucharistiam diceret, hostiam ostendens: *Corpus Christi*, et unusquisque responderet: *Amen*, id est, *verum est*, *ita est*. Cuius usus repeti debet ex haeresi Docetarum, qui cum veram carnem in Christo non agnoscerent, eamque ideo etiam in eucharistia adesse negarent, Ecclesia constituit, ut a fidelibus responderetur *Amen*, ad profitendam veram carnem Christi in hoc sacramento. — Merito propterea *Hugo Grotius* in voto pro pace contra Rivetum ait: « Consensus Liturgiarum per omnia loca et tempora in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum sanctum sanctificet, eaque faciat corpus et sanguinem Christi, me dubitare non sinit, venire hoc a prima Apostolorum institutione. »

(1) Rerum liturgicarum lib. 1, c. 8, etc.
(2) De liturgia, et psalm. antiqua.
(3) Liturg. Orientalium collectio.
(4) Codex liturgicus Ecclesiae universae.
(5) De liturgia Gallicana.
(6) Liturgia Romana vetus.

C. *Ex praescriptione.*

§ 580. Argumentum praescriptionis sic breviter enuntiatur: Quando saeculo decimo sexto Sacramentarii impios et nefandos circa eucharistiam errores spargere coeperunt, is erat universae Ecclesiae sensus, corpus et sanguinem Domini vere et realiter in eucharistiae sacramento contineri: ergo haec fides eadem semper fuit, neque alium praeter Christum habere potuit auctorem.

1. Saeculo decimo sexto universalis fuit fides de reali Christi in eucharistia praesentia tum in Ecclesia occidentali, tum in Ecclesiis orientalibus. Quoad Ecclesiam occidentalem seu romano-catholicam id non diffitentur sacramentarii, qui palam professi sunt, se hac in re a fide Ecclesiae Romanae recedere, eandemque, ut dictitabant, *reformari* debere. Eadem autem fides viguit in Ecclesiis

orientalibus. De Ecclesia graeca ipsi Lutherani in Apologia augustanae Confessionis (1) profitentur: « Comperimus, non tantum Ecclesiam Romanam affirmare corporalem Christi praesentiam, sed idem et nunc sentire et olim sensisse Ecclesiam graecam, ut testatur canon Missae apud Graecos. » In hac fide constanter permanserunt Graeci omnes, quamvis a Novatoribus multis artibus tentati fuerint et pellecti. Imo hac occasione nova dederunt fidei suae praeclara argumenta. Sic *Ieremias* Patriarcha CPtanus anno 1570 haec rescripsit novis haereticis: « Multa de vobis referuntur, quae a nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiae igitur sanctae illud iudicium est, in sacra coena post consecrationem et benedictionem panem in illud ipsum corpus Iesu Christi, et vinum in illum sanguinem virtute Spiritus sancti transire et immutari. » Eandem fidem professi sunt Graeci anno 1672 in Synodis CPtana et Hierosol. Cum Graecis consentiunt etiam *Russi* seu *Moscovitae*. Haec Ecclesia Graecae propago est, et quamvis hodie propriam Synodum habeat, cuius auctoritate res ecclesiasticae reguntur, ritus tamen et doctrinam Graecorum constanter retinet, neque a fide quam ab illis didicit, avelli se unquam passa est. Dubia mota fuerunt circa fidem *Armenorum*, sed ex imperitia et sine solido fundamento. Nam *Clemens Galanus*, qui magnam vitae suae partem in Armenorum conversione consumpsit, in Conciliat. Eccl. Armenae cum Rom. (2) probat, falsam esse criminationem impactam Armenis, quod in eucharistia typum dumtaxat corporis et sanguinis Christi agnoscant; et contrarium ostendit allatis multis testimoniis ex ipsorum liturgiis, et potissimum ex illis sacerdotis verbis, quibus se communicans dicit: « Credo, me manducare sanctum et vivificans corpus tuum, D. I. Christe, Deus meus, in remissionem peccatorum; credo me bibere purificantem et sanctificantem sanguinem tuum, D. I. Christe, Deus meus, in remissionem peccatorum meorum. » Imo sectae omnes eaeque antiquissimae, cuiusmodi sunt *Marcosiani*, plures *Gnosticorum* familiae, deinceps *Nestoriani*, *Eutychiani*, *Syri*, *Iacobitae*, *Copti* et alii, uno ore hunc fidei articulum cum Ecclesia Romana profitentur; quod ex Actis authenticis, publicis confessionibus, Liturgiis etc. invicte probarunt Auctor perpetuitatis fidei et alii, qui de Liturgiis Orientalium scripserunt.

2. Consensus igitur totius Ecclesiae realem Christi in eucharistia praesentiam profitentis est factum certum, quod maxima sine temeritate negari non potest. Huius autem facti ratio seu causa nulla alia assignari potest, quam Revelatio ab ipso Christo facta et ab Apostolis annuntiata. Nam quod semper, ubique et ab omnibus creditum est, id merito ad divinam traditionem refertur. Hinc optime *Tertullianus* (3) ait: « Ecquid enim verisimile est, ut tot et tantae Ecclesiae in unam fidem erraverint! Nullus inter multos eventus unus exitus est; variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. » Inconcussum hoc principium praesertim ad hanc materiam applicandum est. Dogma enim de reali Christi in eucharistia praesentia est mysterium altissimum, quod rationis captum longe superat, quod sensus omnes fallit, et quod iuxta ob-

(1) Art. 10. (2) Tom. I P. ult. q. 1, § 6.

(3) De Praescript. cap. 28.

vium iudicandi modum maximas difficultates involvit. Quomodo fieri potuisset, ut hoc dogma a fidelibus crederetur, et a cunctis Ecclesiis reciperetur, si neque a Christo revelatum, neque ab Apostolis traditum fuisset? — Si, ut sacramentarii volunt, in primordiis Ecclesiae creditum fuisset, panem et vinum in eucharistia esse figuram dumtaxat corporis et sanguinis Christi; quomodo et quando haec fides immutata est, aut etiam immutari potuit, praecipue cum agatur de doctrina non solum speculativa, sed ad quotidianum usum et praxin pertinente? — Omnis caeteroquin in avita fide immutatio sua novitate semper perturbavit, et universam commovit Ecclesiam. Ubi primum Arius Christo, Macedonius Spiritui sancto divinitatem detrahere, Nestorius duas in Christo personas, Eutyches unam naturam contra publicam et receptam fidem praedicare tentarunt, universa statim insurrexit ac reclamavit Ecclesia, commoti Episcopi, divisi ab haereticis Catholici, rupta non sine magno animorum aestu inter illos communio, excitata odia, dissidia, iurgia, coacta denique Praesulum Concilia, quibus et repressa novitas fuit, et veritas fidei asserta. Atqui usque ad saeculum decimum sextum nihil tale contigit ob dogma de reali Christi in eucharistia praesentia creditum et praedicatum. Contrarium potius evenisse legimus. Cum enim saeculo nono *Ioann. Scotus Erigena* realem Christi in eucharistia praesentiam et transsubstantiationem negaret, mox ab *Hincmaro*, Archiepiscopo Rhemensi, ab *Ecclesia Lugdunensi*, a *S. Prudentio* et aliis confutatus, a *Conciliis Carisiaco I* et *II*, ac a *Valentino* damnatus, et ex Gallia in Britanniam se recipere coactus fuit. Et cum *Berengarius* Erigenae errores defendere tentaret, undique Catholici contra ipsum insurrexerunt, eundemque praecipue ex communi Ecclesiae fide confutarunt. Ita *Lanfrancus* in suo Dialogo adv. Berengarium, hunc fidenter provocat ad omnes, quae christiano nomine veniunt nationes dicens: « Interroga Graecos, Armenos, denique omnes Christianos, cuiuscunque sint nationis, et respondebunt, se esse eiusdem fidei nobiscum. »

3. Adversarii hoc fortissimo argumento ad incitas redacti epocham huius incredibilis mutationis quaesierunt, et aliqui, ut *Blondellus* et *Albertinus* eam invenisse sibi visi sunt in *Anastasio* Monacho Sinaita saeculo VII, quem in suo opere *Dux viae*, aut dogma ipsum eucharistiae, aut saltem consuetas de eo loquendi formulas immutasse dicunt; addunt porro, hanc mutationem a *Germano*, Patr. CPtano, tum a *Io. Damasceno*, ac demum a *Conc. Nicaeno II* probatam fuisse, unde postea non solum Orientem totum infecerit, sed sensim migraverit etiam in Occidentem adeoque in Ecclesiam universalem. *Claudius* tamen hunc transitum ab una Ecclesia in aliam admodum difficilem sentiens, aliquanto serius huius mutationis epocham in Ecclesia latina constituit, nempe saeculo IX, quando *Paschasius Radbertus* Abbas Corbeiensis librum edidit *de corpore et sanguine Domini:* vult autem novam ipsius doctrinam beneficio ignorantiae et impietatis, quae eo et sequenti saeculo in Ecclesia grassabantur, facile potuisse irrepere et dilatari. Caeterum non paucos fuisse illius novitatibus commotos Paschasius ipse fatetur, eidemque palam restitisse scimus *Rabanum Maurum*, *Ratramnum* aliosque. — Ast quae ab adversariis temere proferuntur, ne uno quidem solido argumento probari possunt,

quinimo eorundem argutiis obsistant difficultates propositae, quomodo *Anastasius* simplex Monachus nullaque ecclesiastica dignitate insignitus tantum valuerit, ut sine ulla contradictione novum dogma, aut saltem novas illius explicandi formulas non solum in privatum suum monasterium, sed in totam, qua late patet, Ecclesiam graecam invexerit; qua via postea in latinam Ecclesiam huius Monachi doctrina nemine repugnante penetraverit, ac denique quomodo eadem propagari potuerit ad remotissimas ab utraque Ecclesia iam tunc discordes communiones orientales? Sane qui historiae ecclesiasticae ieiunus non est, optime novit, solitos non fuisse Episcopos et Concilia fidei dogmata eorundemque declarationes a Monachis recipere, quae nonnisi a S. Scriptura et Traditione petebantur. Eadem difficultas militat contra novitatem, quae *Paschasio Radberto* in re tanti momenti tribuitur. Sane *Paschasius* ita erat de suae doctrinae veritate securus, ut lib. 11 Comment. in Matth. iure mirari se dixerit, *quosdam* eidem contradicere; et in Epist. ad Frudegardam scripserit: « Quamvis quidam ex ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis confitetur et credit; » quibus apparet, nonnisi quosdam obscuri nominis et ignorantes latenter de doctrina Paschasii obmurmurasse, sed neminem ipso vivente id palam et in aperto ausum fuisse. Non equidem negaverim, post eius mortem aliquos insurrexisse eiusdem reprehensores, non tamen circa dogma praesentiae realis aut transsubstantiationis, in quo excepto Erigena (quem forte Paschasius in citatis locis sugillabat), omnes conveniebant, sed solummodo circa incidentes quasdam quaestiones, de quibus non tam rerum, quam verborum tota discordia erat. Quaerebatur enim potissimum: an in eucharistia idem Christi corpus contineretur, quod ex Virgine natum est, passum et crucifixum? Affirmantem sententiam Paschasius tuebatur, innixus iis Christi verbis: *Hoc est corpus meum*. Illi adversabantur Rabanus, Ratramnus et alii, qui contendebant, corpus Christi in sacramento non habere illam molem, extensionem localem aliasque qualitates naturales, quibus donatum erat naturale illud corpus, quod ex Virgine natum est, passum et crucifixum. Utraque pars facile conciliari poterat dicendo, idem esse corpus Christi quantum ad substantiam, non autem quantum ad modum existendi, molem, extensionem localem etc. Reipsa *Lanfrancus* in Dial. adv. Berengar. (1), utramque sententiam ita conciliabat dicens: « Vere dici potest et ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, et tamen non ipsum; ipsum quidem quantum ad essentiam veraeque naturae proprietatem et virtutem; non ipsum autem, si spectes panis vinique species. » Caeterum Rabanum, Ratramnum aliosque illius aevi scriptores catholice omnino sensisse de reali Christi praesentia in eucharistia, late ostendunt *Tournely* (2) et *Natalis Alex.* (3). — Inepte porro huc affertur et plus aequo exaggeratur illorum saeculorum ignorantia aut impietas, in quibus non pauci floruerunt viri et religionis zelo et sanctitate morum insignes, et litteris quoque ecclesiasticis non mediocriter exculti, qui sine dubio tantae huius mysterii corruptioni se fortiter opposuissent. — Denique neque Anastasium Sinai-

(1) Cap. 18. (2) De eucharistia q. 2, art. 7. (3) Diss. 11, 12 et 13 in Hist. eccl. saeculi 9 et 10.

tam, neque Paschasium Radbertum dogmatis de reali Christi in eucharistia praesentia auctorem fuisse, patet ex Liturgiis antiquissimis, et ex citatis Patrum primorum sex saeculorum testimoniis. Notandum est, quod etiam inter Protestantes extiterint, qui fidem de reali Christi praesentia Paschasio et Anastasio longe antiquiorem esse confessi sunt. Sic *Zuinglius* I. de vera et falsa relig. ait: « tempore S. Augustini opinionem de carne corporali iam victricem fuisse. » *Radulphus Hospinianus* fatetur, « sibi suisque omnino Patres adversari, cum conspirent in admittenda reali Christi praesentia in eucharistia. » *Grabius* in adnot. ad lib. 5 Irenaei c. 2 adstruit, iam a tempore Concilii Nicaeni tum realem Christi praesentiam, tum etiam transsubstantiationem agnitam et admissam fuisse, eamque praesertim a Cyrillo Hieros., a Gregorio Nyss., a Io. Damasceno « aliisque fortasse pluribus Patribus » propugnatam esse.

III. *Reflexio philosophica.*

§ 581. Cum eucharistia sit mysterium altissimum, quod rationis captum longe superat, realis Christi in eucharistia praesentia argumentis philosophicis probari nequit. Quamvis autem ultro fateamur, dogma istud catholicum *supra rationem* esse, fidenter tamen adseveramus, illud non esse *contra rationem*. Officium quoque rationis per fidem illustratae est difficultates solvere, quas adversarii ex philosophia doctrinae revelatae opponunt. Quinimo etsi religionis mysteria non humana ratione, sed sola revelatione divina innotescant, hoc tamen non obest, quin eorundem mysteriorum post divinam revelationem aliqua conveniens ratio afferri possit.

(1) 3 p., q. 75, art. 1.

Cohaerenter ad haec S. *Thomas* (1), postquam observavit, « verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento neque sensu neque intellectu deprehendi posse, sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur, » mox rationes theologicas affert, quibus summum hoc mysterium *conveniens* ostenditur. Angelicum hunc Magistrum secuti reflexiones quasdam rationis per fidem illustratae praemittimus, ut facilius atque solidius adversariorum obiectiones diluamus.

1. Zuinglianis et Calvinianis fatentibus, eucharistiae mysterium perinde ac reliqua religionis nostrae mysteria humanae rationis captum superat. Iam vero implicat, ostendi posse quidquam rectae rationi adversari, quod eam excedit. Etenim ut ostendi posset aliquid rationi adversari, deberet ostendi repugnantia intrinseca duarum idearum seu terminorum, quorum clara cognitio habeatur, ut comparari inter se possent ad eorum evincendam intrinsecam repugnantiam, circuli ex. gr. atque quadrati, quae sese in eodem subiecto simultanee excludunt; comparari autem inter se nequeunt quae mentis aciem fugiunt et excedunt. Haec porro applicantes casui nostro sic progredimur: Ut ostenderent adversarii, realem Christi in eucharistia praesentiam repugnare, deberent probe cognoscere intimam corporis essentiam et statum seu modum, quem dicimus sacramentalem, quo Christi corpus existit in eucharistia, ut ex eorum collatione repugnantiam evincere possent. Atqui, etsi daremus eos optime callere naturam corporis, nullam adaequatam ideam aut cognitionem habent status seu modi sacramentalis, quo Christi corpus praesens est in eucharistia: impossi-

bile propterea ipsis est instituere comparationem horum duorum terminorum; nequeunt proinde a fortiori ostendere eorum intrinsecam repugnantiam. Hinc fit, ut nullius ponderis sit quaevis difficultas ab ipsis proposita, neque ulla prorsus sit, quae hac indirecta ratione solvi non possit.

2. *Sociniani* et *Rationalistae* mysteria nulla admittunt, et omnia a religione eliminant, quae a ratione comprehendi non possunt. Quam absurda autem et impia eorundem sit sententia, iam alibi demonstratum est (1). Isti perpetuo clamitant, realem Christi in eucharistia praesentiam admitti non posse, quia ratione comprehendi nequit, quia naturae vires superat, imo et notis naturae legibus contradicit. — Ast non tam inepte isti ratiocinarentur, si ageretur de re mere naturali, seu de effectu iuxta naturae vires et leges commensurando; quamvis confiteri necesse est, dari etiam effectus mere naturales quorum intrinseca ratio perfecte comprehendi et explicari non potest. In praesenti autem causa non agitur de re mere naturali, sed de effectu supernaturali, qui proinde legibus physicis non subiacet, et non per vires naturae, sed per immediatum divinitatis influxum producitur. Tota igitur quaestio inter nos et adversarios ad hoc reducitur, an Deus panem et vinum in corpus et sanguinem ita convertere *possit*, ut Christus in eucharistia realiter sit praesens? et an id efficere velit? — Utrumque autem sine maxima aut stupiditate, aut impietate negari non potest. Nam qui asserere non veretur, Deum haud efficere posse, ut sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi contineantur, contra clarissima revelationis effata et sanae rationis principia omnipotentiae divinae limites ponit (2), et sic Deum ipsum e medio tollit (3). Qui autem divinae voluntati quasi regulas praescribit, et a priori determinare nititur, quid Deum velle et nolle deceat, turpissime voluntatem divinam cum humana confundit, atque ideo tum rationi tum revelationi contradicit. Voluntas enim divina, quae est prima, liberrima et independens omnium rerum causa, non a priori, sed solum a posteriori cognosci potest, et quidem ex sola revelatione, si de effectibus supernaturalibus sermo est. Revelatio autem, ut ex probatis constat, clare nos docet, Deum omnipotentem realem Christi in eucharistia praesentiam efficere velle. Quapropter qui eandem negat, tum revelationi, tum ipsi etiam rationi contradicit.

3. Realis Christi in eucharistia praesentia est convenientissima *Deo*. Deo enim convenit quidquid infinitas eius perfectiones manifestat. In summo autem hoc mysterio Deus manifestat suam *omnipotentiam*, qua efficit, ut substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertantur, ut accidentia panis et vini remaneant post factam consecrationem sine proprio subiecto, et ut idem corpus Christi simul sit in pluribus locis, in coelo et in omnibus hostiis consecratis. Haec sunt totidem prodigia, quae divina tantum virtute perfici possunt, et per ea Deus se auctorem et Dominum naturae ostendit, qui sicut totius creatae universitatis vires longe superat, ita legibus eidem statutis nequaquam subest. Ex eodem mysterio elucet immensa Dei bonitas et charitas, qua seipsum, quo nihil praestantius cogitari potest, cum carne et

(1) V. Th. gen. § 54, et § 59, et 220.

(2) § 42. (3) § 16.

sanguine, cum corpore et anima, cum divinitate et humanitate, cum gratiis et meritis suis nobis donat, nostrumque alimentum fit, ut intime cum ipso coniungamur. Idcirco *Concilium Tridentinum* (1) de eucharistia dicit: *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum.* Et *S. Thomas* l. c. ait: « Eucharistiae sacramentum competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostrae naturae assumpsit; et quia maxime proprium amicitiae est convivere amicis, ut Philosophus dicit (2), sui praesentiam corporalem nobis promittit in praemium, dicens: *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilae* (3). Interim tamen nec sua praesentia corporali nos in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis et sanguinis sui, nos sibi coniungit in hoc sacramento; unde ipse dicit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* (4). Unde hoc sacramentum est maximae charitatis signum et nostrae spei sublevamentum ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. » Denique ex eucharistiae sacramento resplendet *sapientia divina.* Cum enim homines per escam, quam instigante daemone gustarunt, misere lapsi, quoad intellectum obscurati, quoad voluntatem corrupti, et vita spirituali privati fuerunt, Filius Dei incarnatus, qui ad reparandam humanam naturam venerat, aliam praeparavit alimoniam, quam homines ipso invitante sumentes, quoad intellectum illuminentur, quoad voluntatem emendentur, et in vita spirituali confirmentur. Quinimo sapientia divina in hoc altissimo mysterio conspicua redditur, non solum quia in ipsa efficacissimum, et maxime congruum *medium* ad reparandam humanam naturam exhibetur, sed etiam quia in eodem, perpetuo immensae caritatis divinae monumento, urgentissimum amoris *motivum* proponitur, quo homines ex purissimo fine ad recte agendum impellantur (5).

4. Realis Christi in eucharistia praesentia convenientissima est *indoli religionis christianae.* Generatim enim homo per religionem moraliter coniungi debet Deo (6). Cum autem natura humana ex anima et corpore constet, et post lapsum ad sensibilia deflexerit; maxime eidem exoptatum et consentaneum est, ut Deus se eidem etiam externo quodam et visibili modo communicet. Hinc iam in religione patriarchali frequentes fuerunt Theophaniae aliaque signa extraordinaria, quibus Deus praesentiam suam manifestavit. Eandem Deus in religione mosaica conspicuam reddidit per columnam nubis et ignis in deserto, per fulgura et tonitrua in monte Sinai, per varia signa et prodigia a Moyse et Prophetis patrata, ac porro publice declaravit; se speciali modo habitare primum in tabernaculo ac dein in templo, ibique preces exauditurum, et sacrificia suscepturum esse. Hinc iam Moyses dixit: *Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris* (7). Ast inter religionem mosaicam et christianam ea distantia est, quae inter figuram et veritatem. *Lex enim* promissa ac figuras continens *per*

(1) Sess. 13, cap. 2. (2) 9 Ethic. cap. 12.
(3) Matth. 24, 28.
(4) Io. 6, 57.
(5) Cf. § 260. (6) V. Th. gen. § 23, et § 44.
(7) Deut. 4, 7.

Moysem data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est (1). Congruum proinde est, ut visibilis Dei praesentia in templis christianis perfectior sit, quam in tabernaculo fuit et in templo V. T. — Atqui si panis et vinum nonnisi figuram corporis et sanguinis Christi exhiberent, quis dicet, perfectiori modo Deum in novo, quam in veteri foedere praesentem esse, cum in isto plurimae figurae venturi Messiae extiterint? Ipsa igitur indoles religionis christianae exposcit, ut Christus non in figura tantum, sed vere, realiter et substantialiter in eucharistia praesens sit. Audiamus *S. Thomam*, qui l. c. cum dixisset, verum corpus Christi in eucharistia praesens esse, ita prosequitur: « Hoc conveniens est perfectioni novae legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura secundum illud Hebr. X, 1: *Umbram habens lex futurorum, non ipsam rerum imaginem*. Et ideo oportuit, ut aliquid plus haberet sacrificium novae legis a Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum non solum in significatione vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet, ut Dionysius dicit (2), est perfectivum omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. »

5. Realis Christi in eucharistia praesentia convenientissima est *hominibus*, quorum moralitas per hoc mysterium promovetur et vita spiritualis perficitur. Huius quippe perfectio in perfectione fidei, spei et charitatis consistit. *Fides* autem eo perfectius exercetur, quo minus ea, quae ob Dei revelantis auctoritatem creduntur, a sensibus percipi, et a ratione comprehendi possunt. Dubitari ergo nequit, fidem perfectissime in eucharistiae mysterio exerceri, quod a ratione nullatenus comprehendi potest, et in quo omnes sensus falluntur. Hinc *S. Thomas* de eodem mysterio dicit: « Hoc convenit perfectioni fidei, quae sicut est de divinitate Christi, ita est de eius humanitate secundum illud Io. XIV, 1: *Creditis in Deum, et in me credite*. Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo. » — *Spes* maxime roboratur per eucharistiae sacramentum, in quo auctor et dominus gratiae sumitur, intima cum ipso unio initur (3), et pignus vitae aeternae accipitur (4). — *Charitas* denique inflammatur, tum quia memoria passionis et mortis Christi recolitur, tum quia animus a terrenis affectibus purgatur et cum Deo coniungitur, dicente Christo: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (5).

Nota 1. Varias difficultates tum sacramentarii, tum Sociniani et Rationalistae dogmati catholico opponunt, ut hoc rectae rationi adversari ostendant. Obiectiones istas diluere, officium est theologiae polemicae. Probe autem notandum est, difficultates praedictas non ita enodari posse, ut ratio intrinsecum perspiciat modum, quo Christus in eucharistia praesens est. Agitur enim de mysterio, quod humanus intellectus comprehendere nullatenus valet. Sufficit ergo, ut contra adversarios ostendamus, dogma catholicum non esse contra ratio-

(1) Io. 1, 17.
(2) Eccl. Hier. cap. 4.
(3) Io. 6. 57.
(4) Ibid. v. 55.
(5) Io. 6, 58.

nem, seu evidentem cum certis rationis principiis haud involvere contradictionem, atque ideo ob Dei revelantis auctoritatem credendum esse. Generatim enim de possibilitate vel impossibilitate rerum iudicandum non est ex infirmo et angusto naturae lumine, ac philosophiae humanae placitis, sed ex summa Dei virtute et potentia, cuius abyssos rimari et tentare non possumus, qui multo plura facere potest, quam mente assequi valeamus. *Apud homines*, inquit Christus, *hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt* (1). « Dandum, ait S. *Augustinus* (2), Deo aliquid posse, quod fatemur nos investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.» « Si, inquit cl. *Tournely* (3), in rebus naturalibus cognoscendis adeo caeci et ignorantes sumus (ut multa phaenomena quoad intrinsecum modum explicare non valeamus, et hinc inde naturales eventus admittere teneamur, qui vires naturales superare, imo et legibus naturae adversari videntur): quae ista temeritas est, velle res divina sensu nostro metiri, easque, nisi capiamus, negare? Etsi igitur pro tenuitate nostra praetensas impossibilitatis rationes, quas adversus realem Christi in eucharistia praesentiam opponunt Novatores, solvere non possemus, an idcirco neganda veritas? minime, sed nostra potius confitenda tenuitas, ac divinae potentiae magnitudo praedicanda. In hoc quippe totum est fidei nostrae meritum, quod ea credamus, quae non intelligimus. »

Obi. I. Non potest unum et idem corpus simul esse in pluribus locis: atqui iuxta dogma catholicum idem Christi corpus foret in pluribus locis, nempe in coelo et in terra ac in omnibus terrae angulis, in quibus sunt hostiae consecratae: id vero impossibile est, et apertam contradictionem involvit.

Resp. Fatemur, per vires naturales fieri non posse, ut idem corpus simul sit in pluribus locis, sed fidenter asserimus, id fieri posse per omnipotentiam divinam. Ille etenim, qui efficere potest, ut id, quod non est, fiat; efficere etiam potest, ut id, quod est, in pluribus locis sit: hoc quippe illo facilius est. Sicut autem limitata nostra ratione non intelligimus, quomodo id, quod non est, fiat, et tamen Creatoris potentiam non negamus: ita pariter modum quidem ignoramus, quo fieri possit, ut idem corpus sit in pluribus locis, Deum vero id efficere posse, nullo modo negare possumus. — Quis est, qui intelligit, quomodo Deus, simplicissimus Spiritus, totus ubique praesens sit? imo cui contradictorium non esse videtur, ut id, quod sine omni extensione est, coelum et terram impleat, ac ubique totum sit? Omnes tamen non solum revelationis, sed etiam solius rationis lumine illustrati firmissime credunt, Deum ubique totum praesentem esse. Cur igitur, Christum etiam quoad humanitatem non quidem ubique, quia omnipraesentia est solius divinitatis attributum, sed tamen in pluribus locis praesentem esse, ideo tantum negabimus, quia limitata nostra ratio modum non perspicit, quo omnipotentia divina id operatur? — Infinita quidem distantia est inter Deum et creaturam; sed etiam exempla naturalia dantur, quae ostendunt, unum idemque in variis locis adesse posse. Ita conceptus humanus, qui cum voce quasi circumvestitur, unus et idem eodem tempore totus est in

(1) Matth. 19, 26.
(2) Ep. 137 (al. 3) ad Volusian.
(3) De euchar. q. 2, art. 5.

mente concipientis, et totus in auribus atque animis multorum auditorum: ita pariter anima rationalis tota est in toto corpore, et tota in qualibet eius parte. Non igitur repugnat, ut etiam corpus Christi pluribus in locis adsit. — Nobis quidem impossibile videtur, ut eodem tempore in uno et in alio loco simus, quoniam ex uno in alium locum transire non possumus nisi per motum: in motu autem unum locum necesario relinquimus, ut ad alium transeamus, quia motus continuam loci mutationem involvit. Prior locus autem non esset deserendus, si absque motu ad alium pertingere possemus. Quis autem negabit, Deum efficere posse, ut corpus aliquod sine motu, id est, sine loci mutatione alteri presens fiat? Deus utique in creatione per solum voluntatis nutum effecit, ut corpora creata in determinato loco existant: idem ergo omnipotentis voluntatis divinae nutus etiam efficere potest, ut idem corpus, quod iam existit, in pluribus locis adsit. Voluntas enim Dei ita efficacissima est, ut omnia entia existant, quae vult, et modo, quo vult, et in loco, ubi vult.— Perperam porro adversarii clamitant, intrinsece impossibile esse, ut idem corpus in pluribus locis adsit, atque ideo neque per omnipotentiam divinam id perfici posse. Nam ratio loci non consistit nisi in relatione corporis ad res externas. Nullatenus autem repugnat, quod unum idemque corpus plurimas et diversissimas relationes habeat. Ita nemo numerare potest relationes praesentiae, quas habet unus idemque sol ad corpora terrestria: ita etiam unus idemque homo e suggestu in magno templo loquens, sicut duabus aut tribus personis, ita etiam pluribus millibus hominum praesens esse potest, quin ipsius substantia vel minimum alteretur. Nullatenus igitur repugnat, etiam corpus Christi plurimas, imo innumeras relationes ad res externas habere, seu in plurimis locis praesentem fieri, quod ideo per virtutem divinam effici potest.

Obi. II. Contradictionem apertam implicat, ideoque impossibile iudicare debet, quod corpus in loco sit, et tamen spatium non occupet; quod totum adsit cum omnibus suis partibus, et tamen absque dimensione et extensione adsit: atqui haec admittere necesse est in sententia realis Christi in eucharistia praesentiae: proponitur itaque credendum, quod est contra rationem.

Resp. Heterodoxi de corporum natura philosophantur iuxta consuetum naturae ordinem, et eas affectiones corporum, quae illis naturaliter insunt. At fides mysteriorum ad philosophicas rationes exigi non potest; non enim hic quaeritur, quid naturaliter fieri possit, sed quid Deus possit efficere ut creaturarum dominus; nos autem scimus, non esse impossibile apud Deum omne verbum. Hic ergo Calvinianis respondere possumus, quae in simili causa *S. Augustinus* respondit philosophis ethnicis: « Sicut non fuit impossibile Deo, quas voluit naturas instituere; ita ei non est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas (1). » — Nihil ergo evincunt adversarii, nisi probent, ad essentiam corporum pertinere, ut determinatum spatium occupent, atque illas quoque corporis dotes, quas extensionem, impenetrabilitatem et divisibilitatem nominamus, esse unum quid et idem cum essentia, et quidem extensionem externam et visibilem, ex qua fluit actualis impenetratio. Verum id evin-

(1) Lib. 21 de Civ. Dei. cap. 8

cere nunquam potuerunt. Id potius consentientibus multis philosophis a nostris theologis solidis argumentis probatur, eiusmodi proprietates naturaliter quidem corporibus inesse, ad essentiam autem non pertinere. Et certe corpus concipi potest absque dimensionibus, et quin simul concipiatur determinatum occupare locum. Quod autem ad essentiam rei non pertinet, id Deus potest ab ea avellere: ergo Deus potest avellere corpus physicum a dimensione, et impedire, ne determinatum locum seu spatium occupet. Porro quod Deus illas proprietates avellere possit a corporibus, quae illis ex naturali eorum conditione insunt, etiam Calviniani negare non possunt, nisi velint Deo potestatem denegare patrandi miracula. Certe enim non magis essentiale est corpori quanto locum occupare, quam gravi ponderare, colorato videri, lucido lucere, calido calefacere, sed potest Deus efficere, et revera effecit, ut grave non ponderet, nam Matth. XIV, super aquas ambulavit Christus; ut coloratum non videatur, nam Luc. IV Christus medius inter Iudaeos non videtur; ut lucidum non luceat, nam sol in morte Christi lucem non dedit; ut calidum non calefaciat, nam Dan. III ignis non consumpsit tres pueros in ardentem fornacem iniectos. Ergo Deus efficere etiam potest, ut corpus sua actuali, externa et visibili extensione ac impenetratione privetur. Exempla sunt Christi ex utero virginali illaeso virginitatis claustro exeuntis (1), de sepulcro grandi lapide clauso resurgentis, et in cubiculum ianuis clausis penetrantis (2), haec autem certe sine penetrationis miraculo contingere non potuerunt. Ergo idem miraculum virtute divina etiam in eucharistia contingere potest. — Notandum porro est, quod species non sint ipsum corpus Christi, sed sub speciebus corpus Christi vere, realiter et substantialiter continetur. Corpus autem Christi in se non alteratur, non comprimitur, sed status eius naturalis per virtutem divinam invisibilis redditur, atque solas panis et vini species praesefert, quae ad rationem sacramenti requiruntur, sed et minimae sufficiunt; ubi tamen putandum non est, etiam corpus Christi ad tam exiguum spatium compressum esse. Ideo S. *Thomas* (3) docet, « quod corpus Christi non est eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur; sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento. » Et ibid. (4) ait: « Quantitas dimensiva corporis alicuius non separatur secundum esse a substantia eius; sed in hoc sacramento est tota substantia corporis Christi: — ergo tota quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento. » Quod ut probet, in corpore articuli dicit: « Dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramento: uno modo ex vi sacramenti, alio modo ex reali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti, quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento. Ex vi enim sacramenti est in hoc sacramento illud, in quod directe conversio terminatur. Conversio autem, quae fit in hoc sacramento, directe terminatur ad substantiam corporis Christi non autem ad dimensiones eius: quod patet ex hoc, quod quantitas dimensiva panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia tamen substantia corporis Christi realiter non distinguitur a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est, quod ex

(1) § 287. (2) Io. 20, v. 19 et 26.

(3) 3 p., q. 75, art. 1 ad 3. (4) Q. 76, art. 4.

vi realis concomitantiae est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi et omnia accidentia eius. » Itaque sub speciebus panis consecrati etiam minimis, adest integrum corpus Christi, in se nec alteratum, nec compressum, quod autem a nobis non videtur, sicut visum non est a Iudaeis Luc. IV, et quod in cor nostrum ingreditur, sicut ianuis clausis ingressum est ad Apostolos. — Caeterum semper fatendum est, modum, quo Christus *sacramentaliter* praesens in eucharistia est, nec ratione comprehendi, nec exemplo declarari posse: unde Tridentini Patres (1) dixerunt, Christum in eucharistia *sacramentaliter* praesentem esse *ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus.*

Obi. III. Admissa doctrina Catholicorum, de uno eodemque corpore Christi dici potest: nunc manducatur et non manducatur; incipit sacramentaliter existere in consecratione, et eodem momento desinit existere corruptis speciebus; eodem tempore inclusum est in tabernaculo, et circumfertur in processione. Haec vero perfectam contradictionem involvunt.

Resp. Ad veram contradictionem requiritur, ut non solum de eodem subiecto, sed etiam ut sub eodem respectu idem simul affirmetur et negetur. Quamvis autem de eodem corpore Christi sermo sit, non tamen sub eodem respectu idem affirmatur et negatur. Christus enim dicitur sub his speciebus manducari, sub aliis non manducari; sub his esse in tabernaculo, sub aliis circumferri etc. Quia ergo affirmatio et negatio non fit sub eodem respectu, nulla adest contradictio.

Obi. IV. Si Christus vere ac realiter praesens foret in eucharistia, multa sequerentur absona et Deo indigna. Nam Christum, Filium Dei, in pyxide concludi, manducari, corrumpi, imo aliquando conculcari, igne consumi, a muribus corrodi, in terram cadere etc., dedecent Maiestatem divinam. Praeterea si verum corpus Christi, ut Catholici volunt, in os intrat et in ventrem vadit, iuxta effatum Christi apud Matth. (2) etiam in secessum emittitur: quid incarnato Filio Dei magis probrosum enuntiari potest?

Resp. Similibus cavillis iam Gentiles et Iudaei mysterium Incarnationis et Redemptionis negare tentarunt; dicebant enim, Deo indignum esse, in utero foeminae portari, in cunis vagire, esurire, flagellari, crucifigi, mori. Sed eorum cachinnos spreverunt Patres, et cum *Tertulliano* (3) responderunt: « Assumpsit Deus quaedam indigna, nobis autem necessaria, et ideo iam Deo digna; quia nihil tam Deo dignum est, quam salus hominis. » Ipseque Apostolus scripsit: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam* (4). Sicuti ergo motae a Gentilibus et Iudaeis difficultates veritatem mysterii Incarnationis et Redemptionis non tollunt; ita etiam allatae sacramentariorum obiectiones dogma de reali Christi in eucharistia praesentia non labefactant. Et sane iam supra probavimus, per mysterium eucharistiae varias perfectiones divinas clarissime manifestari: quidquid autem Dei gloriam promovet, Deo di-

(1) Sess. 13, cap 1. (2) C. 15, 17.
(3) Lib. 2, c. Marcion. cap. 27.
(4) I Cor. 1, 23, etc.

gnum et conveniens rectissime censetur. — Quae autem ab adversariis obiiciuntur, haec omnia dici possunt de speciebus sacramentalibus, quae manducantur, franguntur, corrumpuntur etc., non de ipso corpore et sanguine Domini, quae sub illis continentur. Quemadmodum enim Deus non inficitur, nec inquinatur sordibus, quibus per immensitatem suam est praesens: ita corpus gloriosum Christi in eucharistia modo spirituali et impassibili existens, immediate in se non frangitur, non corrumpitur, non corroditur, non consumitur; et si sub speciebus eucharisticis indigne tractetur, nihil de suis perfectionibus et de sua gloria perdit. Quod attinet verba Christi (1) haec intelligenda sunt de omni cibo communi, ordinario et mere materiali, cuius conditio est, ut quidquid crassum superest et impurum, post factam corporis nutritionem in secessum mittatur. At vero eucharistia non est cibus communis neque ad corporis, sed ad animae nutrimentum destinatur. Igitur obnoxia non est caeterorum ciborum legi et conditioni, et si quid corruptionis accidat, totum id in species recidit, non in ipsum Christum, qui sicut post consecrationem ibi incipit esse sub speciebus, ita desinit ibi esse post earum corruptionem sine ulla ex parte sui laesione aut detrimento.

Nota 2. Lutherani in famosa lite sacramentaria quam habuerunt cum Zuinglianis et Calvinianis, ut facilius realem corporis Christi in pluribus locis praesentiam defenderent, dixerunt, Christum utpote Deum et hominem, etiam quoad humanitatem ubique praesentem esse. Quam falsa autem et absona sit talis sententia, iam alibi (2) probatum est.

(1) Matth. 15, 17. (2) § 319.
(3) De euchar., cap. 2, n. 133.

ARTICULUS II.

De transsubstantiatione.

§ 582. Transsubstantiationis nomine intelligunt Catholici conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini, remanentibus dumtaxat panis et vini speciebus seu accidentibus, ita ut post verba consecrationis non adsit substantia panis et vini, sed illa conversa sit in substantiam corporis et sanguinis Christi. Ad transsubstantiationem itaque requiritur primo, ut aliquid adsit, quod desinat: quo transsubstantiatio differt a creatione; deinde ut aliquid illius loco, quod esse desinit, esse incipiat: quo transsubstantiatio discernitur a mera corruptione seu annihilatione; denique ut sit quaedam connexio seu dependentia inter illum prioris rei desitum, et hanc alterius inceptionem, ita ut unum desinat, quia alterum esse incipit aut succedit, et alterum succedat, quia prius desinit. Varia circa transsubstantiationis modum et conditiones disseruerunt scholastici. Verum sapienter monet cl. *Perrone* (3) iuxta definitionem *Concilii Tridentini* (4), « solam transsubstantiationem spectare ad fidem, minime vero varias illas ac multiplices rationes a scholasticis excogitatas ad eam explicandam; multo minus ad fidem pertinere plures paucioresve illas conditiones, quas iidem postulant ad veram proprieque dictam conversionem constituendam. Caeteris proinde omissis, nobis valde probatur sententia *Vasquezii* (5), quam adoptavit *Franciscus Veronius* in regula fidei (6), utpote quae simplicitate sua se commendet, et faciliorem reddat huius dogmatis

(4) Sess. 13, can. 2.
(5) In 3 p. S. Thomae, disp. 181, c. 11, etc.
(6) § 12, n. 5.

vindiciam. Censet itaque Vasquez, transsubstantiationem in suo conceptu formali consistere in relatione (et quidem extrinseca et solius rationis) ordinis inter substantiam, quae desinit, et eam, in quam desinere dicitur vi verborum Christi, ita ut transsubstantiatio nihil aliud addat reali praesentiae, nisi *cessationem panis in ordine ad realem Christi praesentiam*, quo verba Christi sint vera. Desinit autem panis substantia per destructionem. » — Transsubstantiationem istam, quam in eucharistia fieri semper credidit Ecclesia aperte negavit *Wicleffus*, cuius vestigia secuti sunt *Lutherani*, qui, licet realem Christi in eucharistia praesentiam admitterent, asserunt tamen, una cum corpore et sanguine Domini etiam substantiam panis et vini in eucharistia adesse. In declaranda autem hac coniunctione maxime inter se dissentiunt. Aliqui enim, ut *Osiander*, docuerunt cum antiquis quibusdam memoratis ab *Algero* (1), substantiam panis ac vini *hypostatice* uniri corpori et sanguini Christi, unde *assumptionis* vocabulo utebantur: quam monstruosam sententiam *Bellarminus*, *Becanus*, aliique theologi catholici *Luthero* ipsi non sine fundamento tribuerunt, qui propterea in sua *Magna fidei confessione* eucharistiam appellabat « panem carneum et vinum sanguineum. » Alii admittunt sic dictam *impanationem*, seu localem corporis Christi in pane et sanguinis in vino tanquam in receptaculo, inclusionem. Alii *consubstantiationem* adstruunt, seu corporis et sanguinis Christi cum pane et vino commixtionem. Alii vocant *concomitantiam*, qua duae illae substantiae in eucharistia sic uniuntur, ut neuter in altera contineatur. Ad varias hasce Lutheranorum explicationes irridendas sacramentarii illum propudiosum excogitarunt versiculum: *In, cum, sub totum fallunt monosyllaba mundum.* Maior tamen Lutheranorum pars repudiatis hisce explicationibus unionem duarum substantiarum vocant *sacramentalem*, quia nempe « modo quodam soli Deo cognito, nobis vero incomprehensibili, pani eucharistico et vino corpus Christi et sanguis substantialiter unitur, ut cum illo pane et vino verum corpus et sanguinem Christi manducemus et bibamus. » Ita *Io. Gerhardus* (2), qui tamen non reiicit transsubstantiationem tanquam impossibilem, sed solum, quia ut ipse putat, fundamentum in Ss. Litteris non habet. Has Lutheranorum dissensiones recenset *Io. Franc. Buddaeus* in Sylloge recentissima de S. coena controver., qui (3) hanc unionem sacramentalem in eo consistere dicit, «quod una cum pane et vino vere et realiter, unoque actu verum corpus verumque sanguinem Christi citra omnem conversionem vel transmutationem accipimus. » Itaque etiam Lutherani circa doctrinam de eucharistia gravissime aberrant, dum dicunt, in eucharistia permanere substantiam panis et vini. Contra ipsos iam probandum est, quod in eucharistia vera fiat transsubstantiatio, seu quod tota substantia panis et vini in eucharistia per consecrationem convertatur in substantiam corporis et sanguinis Christi. Dogma hoc ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus* et ex *Conciliis* probatur.

1. *S. Scriptura* verba Christi eucharistiam tum promittentis tum instituentis referens satis clare docet, in eadem fieri transsubstantiationem. Nam Io. VI, 52 Christus ait: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro*

(1) L. 1 de S. corp. et sang. c. 6.

(2) Loco 22, cap. 11, § 98.

(3) Lib. 5, instit. theol. c. 1, § 15.

mundi vita: ergo ipse panis seu ipsum alimentum speciem panis praeseferens, dicitur *caro* Christi tradenda pro mundi vita. Haec autem sententia falsa esset, si in eucharistia substantia panis remaneret; sicut enim hoc posito non posset dici, substantiam panis esse substantiam corporis Christi, quod ipsi Lutherani asserere non audent, ita pariter dicere non liceret: panis est caro Christi. Itaque si transsubstantiatio in eucharistia non fieret, sed corpus Christi in pane vel cum pane praesens esset, Christus dicere debuisset: in pane, vel cum pane, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quia autem Christus absolute dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, apertissime declaravit, alimentum a se dandum non continere substantiam panis, sed esse carnem suam, ideoque veram fieri transsubstantiationem. — Quod idem probatur ex verbis institutionis, quae in sensu litterali intelligenda esse nobiscum fatentur Lutherani. Atqui haec verba in sensu litterali accepta apertissime probant, transsubstantiationem fieri. Legitur enim, Christum in ultima coena panem accepisse, et facta benedictione Apostolis porrexisse dicendo: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum* (1), id est, *hoc*, quod in manibus meis videtis, quod species panis praesefert, quod vobis manducandum trado, *est corpus meum*. Itaque si Christus vera locutus est, id, quod in manibus tenebat, et Apostolis manducandum porrigebat, nihil aliud erat, quam corpus ipsius; ex quo necessario infertur, substantiam panis desiisse, et in substantiam corporis Christi conversam esse. Nam si substantia panis remansisset, et corpus Christi vel hypostatice cum illa unita, vel localiter in illa inclusa, vel cum illa inclusa aut consociata fuisset, Christus, ne Apostolos deciperet, dicere debuisset: in hoc pane, vel cum hoc pane est corpus meum, quia tunc falsa esset haec propositio; *hoc*, quod videtis, et quod est naturalis panis, est corpus meum. Id iam observavit *S. Thomas* (2) dicens: « Haec propositio (quod remaneat substantia panis) contrariatur formae huius sacramenti, in qua dicitur: *Hoc est corpus meum:* quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret; numquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potius esset dicendum: *hic* est corpus Christi. » Ipsi etiam sacramentarii *Zuinglius*, *Beza*, *Calvinus* et alii id agnoverunt, et publice contra Lutherum professi sunt, quod, si verba institutionis in sensu litterali intelligantur, non solum realis Christi in eucharistia praesentia, sed etiam transsubstantiatio admittenda sit.

2. *Ss. Patres* dogma de transsubstantiatione sat claris verbis tradunt. *S. Iustinus M.* Apol. 1, n. 66 cum negasset, in eucharistia communem panem et communem potum adesse, mox subiungit, eum cibum, ex quo carnes nostrae aluntur, id est, panem prece verbi Dei sanctificatum, carnem Domini esse. *S. Irenaeus* (3) inquit: « Quomodo constabit eis (haereticis), eum panem, in quo gratiae actae sunt, esse corpus Domini sui, et calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicunt?» Uterque igitur vult, hanc propositionem esse veram: Panis consecratus est corpus Domini: atqui haec vera esse non potest sine mutatione panis in corpus Domini; neque enim panis manens panis esse potest corpus Domini: igitur mutatio fit, et eo modo panis mutatus vere est corpus Domini. — *Ter-*

(1) Matth. 26, 26. (2) 3, p., q. 75, art. 2.

(3) L. 4 adv. haer. c. 18, n. 4

tullianus (1) ait: « Acceptum panem - corpus illum suum fecit - *hoc est corpus meum* - dicendo : » non dicit : in, vel cum accepto pane, sed ipsum acceptum panem corpus suum fecit, quod sine transsubstantiatione fieri non potuit. — *S. Cyprianus*, vel alius antiquus Auctor Sermonis de coena Domini scribit: « Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro. » *Eusebius Caes.* l. c. dicit: « Panis quidem pretiosum Domini corpus efficitur, poculum autem pretiosus Domini sanguis. » *S. Cyrillus Hier.* (2) iam § 578, n. 2 citatus clarissime transsubstantiationis dogma tradit. *S. Gregorius Nyss.* (3) inquit : « Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: *Hoc est corpus meum:* » haec autem fieri docet, « cum Deus Verbum substantiam rerum apparentium transmutat. » Idem Orat. in diem Luminum seu in baptismum Christi, addit: « Panis item panis est initio communis; sed ubi eum mysterium sanctificaverit, corpus Christi nominatur, et est. » *S. Ambrosius* l. de Myster. (4) ita loquitur: « Forte dicas: aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremque vim esse benedictionis quam naturae, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur.... Quodsi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt, in id mutare quod non erant? » (5) — *S. Ephraem.* Comment. in Ezech. (6) haec habet: « Dum alter Angelus manum porrigit, prunas legit et viro lineis induto mox tradit, mysterium innuit, non ab ipso sacerdote *ex pane fieri posse corpus*, sed ab alio; hic autem est Spiritus sanctus. — Sacerdotem itaque veluti mediatorem solummodo manus attollere, labiisque preces et orationes quasi supplicem servum offerre. » *S. Chrysostomus* (7) inquit: « Qui haec dona sanctificat et transmutat, ipse est (scilicet Christus). » Et serm. 2 de prodit. Iudae n. 6: « Non homo est qui facit, ut in mensa (eucharistica) propositae res fiant corpus et sanguis Christi; sed verbum Christi transmutat res in mensa propositas. » *S. Gaudentius* (8) scribit: « Ipse naturarum Creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest et promisit) efficit proprium corpus: et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum. » *S. Augustinus* (9) dicit; « Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei corpus est Christi. Calix ille, imo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. Per ista voluit D. Christus commendare corpus et sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. » Idem (10): « Non enim omnis

(1) Lib. 4 c. Marcion. cap. 40.
(2) Catech. Mystag. 4.
(3) Or. catech. cap. 37. (4) Cap. 9.
(5) Cf. in ed. maur. de Myster. n. 50 et seq. item de fide lib. 4, n. 124. (6) C. 10, 2.
(7) Hom. 82 al. 83 in Matth. n. 5.
(8) Serm. 2 in Exod. (9) Serm. 227 in die Paschae 4. (10) Serm. 234, n. 2.

panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi. » Et alibi (1): « Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur : ubi Christi verba deprompta fuerint iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica-*panem* quidem dixit, sed *supersubstantialem?* non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit. » *S. Cyrillus Alex.* in Epist. ad Calosyrium scribit: « Ne horreremus carnem et sanguinem apposita ss. altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitae, convertens ea in veritatem propriae carnis, ut corpus vitae quasi quoddam semen inveniatur in nobis. » *S. Eucherius Lugdun.* Hom. 5 de Pascha praeclare hac de re disserit: « Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam est testis veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens: *Accipite et edite: hoc est enim corpus meum:* et sanctificatione repetita: *Recipite et bibete: hic est sanguis meus....* Novum et impossibile non debet videri, quod in Christi substantiam terrena et mortalia commutentur: quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis ac vini; post verba autem Christi corpus et sanguis est Christi. Quid autem mirum, si ea, quae verbo creare potuit, verbo possit creata convertere? imo iam minoris videtur esse miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. » *S. Nilus* (2) haec habet: « Ante sacerdotis verba et Spiritus sancti descensum nudus panis et vinum commune, quae proponuntur, existunt; ast post tremendas illas invocationes et adorandi Spiritus adventum non sunt amplius nudus panis et commune vinum, quae apposita sunt in sacro altari, sed corpus et sanguis pretiosus et immaculatus Christi. » *S. Isidorus Pelus.* (3) scribit: « Spiritus sanctus in mystica mensa communem panem proprium incarnati Christi corpus reddit. » *S. Gregorius M.* (4) inquit: « Praescius Conditor infirmitatis nostrae, ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, et corpus sibi ex carne semper Virginis operante sancto Spiritu fabbricavit; panem et vinum aqua mixtum manente propria specie in carnem et sanguinem suum-spiritus sui sanctificatione convertit. » *S. Io. Damascenus* (5) ait: « Panis et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutatur. Si requiras, quonam pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum sanctum, quemadmodum ex S. Dei Genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit. » Et inferius docet, « panem, vinum, item et aquam per Spiritus sancti invocationem et adventum modo, qui naturae viribus et conditione sublimior est, in Christi corpus et sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, sed unum et idem. » *V. Beda* (6) addit: « Panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis eius infallibili Spiritus sanctificatione transfertur. » *Photius* in Epist. Ad Nicolaum I de eucharistia loquens exclamat: «O miraculum! communis panis in corpus Christi mutatur, et commune vinum sanguis eius

(1) Serm. 28 de verbis Domini.
(2) Lib. 1, Epist. 44. (3) Lib. 1, Epist. 109.
(4) Ap. Paul. Diac in vita S. Greg. M. c. 23.
(5) Lib. 4 de orth. fide, cap. 13.
(6) In Serm. de Epiph.

fit, quem in redemptionem pro nobis de proprio latere cum aqua effudit. » *Hugo Victorin.* (1) dicit: «Videtur species panis et vini, et substantia panis et vini non creditur: creditur autem substantia corporis et sanguinis Christi, et tamen species non cernitur. »

3. *In Conciliis* dogma catholicum de transsubstantiatione definitum est. *Conc. Romanum* sub *Gregorio VII* anno 1079 celebratum Berengarium profiteri iussit, *panem et vinum per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam et vivificatricem carnem et sanguinem D. N. I. Christi. Lateranense IV* an. 1215 cap. 1 profitetur: *Credimus...* quod Iesu Christi *corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina. Constantiense* anno 1414 damnavit duos articulos Wicleffi: «*Primum:* Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis manet in sacramento altaris: et *secundum: Accidentia panis non manent* sine subiecto in eodem sacramento. » *Florentinum* in instruct. pro Armenis dicit: *Verborum Christi virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur.* Denique *Tridentinum* Sess. XIII, can. 2 decrevit: *Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. I. Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit.* — Eandem fidem Ecclesia sicut in Conciliis, quovis tempore publice professa est *in Liturgiis,* in quibus Deus rogatur, ut *panem et vinum per Spiritum sanctum transmutet, transferat, convertat in corpus et sanguinem Christi,* aut *faciat corpus et sanguinem Christi proprium,* seu *ut fiat nobis corpus et sanguis D. N. I. Christi.* Accedit etiam argumentum ex praescriptione petitum. Negare enim adversarii non possunt, eo tempore, quo Novatores emerserunt, universalem fuisse Ecclesiae fidem sicut de reali Christi in eucharistia praesentia, ita etiam de transsubstantiatione. Recte ideo concludimus, hanc fidem idem habuisse cum religione christiana initium, quia serius sine tumultibus vix in unam Ecclesiam particularem potuisset introduci, et multo minus per integram Ecclesiam catholicam propagari. Irrita etiam fuerunt conamina, quibus Protestantes ostendere studuerunt, dogma de transsubstantiatione serius inventum et ab Ecclesia romana acceptatum fuisse. Sic nonnulli dixerunt, hoc dogma a scholasticis, duce potissimum S. *Thoma,* in Ecclesiam introductum fuisse. Quam absona autem sit talis sententia, ostendunt testimonia Patrum ex primis duodecim saeculis adlegata. Idem figmentum penitus conterit consensus Graecorum schismaticorum, qui certe dogma recenter a Latinis inventum non acceptassent, sed de violata fide Latinos accusassent. Ast nunquam hanc Latinorum fidem reprehenderunt, sed potius in dogmate de transsubstantiatione cum ipsis perfecte consentiunt. Nam *Ieremias*, Patr. CPtanus, in responsione ad replicam theologorum Würtenbergensium ait: « Hic panis fit corpus Iesu Christi, et vinum aqua

(1) Lib. 2 de sacr. p. 8, c. 7.

mixtum fit eius sanguis per adventum Spiritus sancti facientis hanc rerum mutationem modo intellectum nostrum et omnes cogitationes nostras longe transcendente. » *Cyrillus* Berrhaeensis anno 1638 CPoli Synodum convocavit, in qua dictum est « Anathema Cyrillo Lucari, (Calvinianae sectae erroribus imbuto), dogmatizanti et credenti, non transmutari panem et vinum per sacerdotis benedictionem et Spiritus sancti adventum in verum corpus et sanguinem Christi. » Idem decisum est in *Conc. CPtano* (1) citato. *Conc. Hierosolymitanum* sub *Dositheo* Patriarcha dicit: « Panis et vini substantia, facta consecratione, transmutatur, transsubstantiatur, convertitur; transit panis quidem in ipsum Domini corpus verum - vinum vero in ipsum Domini sanguinem verum... Item, facta panis et vini consecratione, nec panis nec vini manere substantiam credimus, sed ipsum corpus et sanguinem Domini sub panis et vini speciebus, id est, sub panis accidentibus. »

Nota 1. Lutherani sequentibus argutiis sententiam suam defendunt nostramque impugnant.

Obi. I. Verba institutionis non supponunt transsubstantiationem, sed vera sunt remanente substantia panis. Nam ad veritatem harum propositionum: *Hoc est vinum, hoc est aurum* etc., sufficit, si in dolio sit vinum, et aurum in crumena: ergo etiam ad veritatem huius propositionis: *Hoc est corpus meum*, non requiritur, ut panis mutetur in corpus Christi, sed sufficit, istud in pane contineri. Praeterea haec propositio de Christo facta: *Hic homo est Deus*, vera est absque mutatione hominis in Deum vel Dei in hominem. Ergo etiam haec propositio: *Hic panis est corpus meum*, vera est, quamvis panis non mutetur in corpus Christi. Etiam de Angelo apparente in forma humana recte dici potest: *Hic est Angelus*, et de columba, quae apparuit in baptismo Christi: *Hic est Spiritus sanctus* etiamsi nulla substantialis mutatio contigerit: ergo etiam vere dici poterit: *Hoc est corpus meum*, etiamsi remaneat panis, eo quod de signo rem significatam continente proprie affirmetur res significata. Christus ipse (2) dixit: *Ego sum panis*, et hoc dicendo non se in panem mutavit; ergo neque panem in corpus suum mutavit dicendo: *Hoc est corpus meum*. Denique Paulus frequenter eucharistiam *panem* appellat (3), ut ostendat, substantiam panis in ea permanere.

Resp. Magna disparitas est inter propositiones ab adversariis adductas, et inter verba a Christo in eucharistiae institutione prolata. Nam ex indole sua dolium ad fluidum, et crumena ad metallum continendum ordinantur; unde iuxta receptum loquendi morem sola res contenta nominatur, quin periculum confusionis cum re continente oriatur. Panis autem neque ex natura sua, neque ex usu quodam recepto ad corpus continendum ordinantur; Christus igitur dicere non potuisset: *Hoc*, quod videtis, *est corpus meum*, si id, quod videbant, panis fuisset, et transsubstantiatio non contigisset. — Male tunc Christus locutus fuisset, quod etiam per exempla allata illustrari potest. Nam si plures res in una contineantur, ex. gr. in crumena aurum et cuprum, vere quidem dici poterit: *Hoc est metallum*, sed absque deceptione dici non poterit: *Hoc est aurum*, quia iuxta usum communem, qui rem contentam per pronomen *hoc* demonstrat, rem unam tantum cum exclusione alterius

(1) § 579, n. I. (2) Io. 6, v. 48 et 51. (3) I Cor. 10, 16, et 11, 26, etc.

cuiuscunque demonstrat. Quare si finita hac propositione: *Hoc est corpus meum*, substantia panis mutata non fuisset in corpus Christi virtute divina, Christus Apostolos decepisset; dicere enim debuisset: *Hic panis continet corpus meum*, vel *in hoc pane est corpus meum*, quemadmodum iuxta omnes decipere censeretur, qui de crumena auro et plumbo plena diceret: *Hoc est aurum.* — Recte de Christo dicitur: *Hic homo est Deus*, propter unionem hypostaticam, quam vero inter panem et Christum ipsi Lutherani non admittunt. Quamvis autem propositio in concreto enuntiata vera sit, quia ad personam refertur, quae divina est; falsa tamen esset propositio in abstracto enuntiata, nec dicere licet: *Humanitas est divinitas*, vel *natura humana est natura divina;* unde etiam minus recte loqueretur, qui corpus Christi demonstrans diceret: *Hoc est Deus;* ex eadem porro ratione inepte et falso Christus substantiam panis commonstrans dixisset: *Hoc est corpus meum.* — Reliqua exempla adversarios non iuvant, sed iis potius contraria sunt. Ideo enim de Angelo apparente recte dicitur: *Hic est Angelus*, quia formam seu speciem hominis habet non autem substantiam, prout etiam Spiritus sanctus formam seu speciem columbae praesetulit; non substantiam induit. Spiritus sanctus utique inhabitat animam iusti; et tamen falso quis diceret infantem baptizatum commonstrans: *Hic est Spiritus sanctus.* — Christus non absolute se panem nominavit, sed per additionem: *Ego sum panis vitae, ego sum panis vivus;* ideo se figurate loqui clare ostendit; in verbis autem consecrationis, Lutheranis fatentibus, adhibuit locutionem in sensu litterali proprio. Denique Paulus eucharistiam etiam facta transsubstantiatione panem nominat, tum quia speciem panis praesefert, tum quia quodlibet alimentum in Scriptura panis vocari solet.

Obi. II. Patres non admittunt transsubstantiationem, sed docent, substantiam panis in eucharistia remanere. Hanc enim frequenter *panem* nominant, et eandem comparant cum incarnatione ut ostendant, substantiam panis integram permanere, sicut natura humana in unione hypostatica inconfusa permansit. — *S. Chrysostomus* aperte docet, in eucharistia naturam panis permanere; nam in Epist. ad Caesarium monachum scribit: « Panis divina illum sanctificante gratia mediante sacerdote liberatus est quidem ab appellatione panis; dignus autem habitus dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit et non duo corpora, sed unum corpus Filii praedicamus. » *Theodoretus* Dial. 2 qui dicitur *inconfusus*, scribit: « Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. Manent ergo in priore substantia et figura, et forma, et videri tangique possunt, sicut et prius. » *Gelasius P.* in lib. de duabus Christi naturis ait: « Certe sacramenta, quae sumimus, corporis et sanguinis Christi, divina res est, propter quod et per eadem divinae efficimur consortes naturae, et tamen esse non desinit substantia vel natura panis et vini. »

Resp. Qua ratione Patres admissa transsubstantiatione eucharistiam panem nominent, iam § 578, n. 2, Reg. 5 declaratum est. Patres eo tantum fine eucharistiam cum incarnatione comparant, ut ostendant, haec duo mysteria aliquam inter se proportionem habere et convenientiam, ac unum per aliud salvis tamen utriusque differentiis, aliquo modo explicari: as-

serunt nempe, idem corpus in eucharistia adesse, quod Filius Dei in incarnatione assumpsit, et carnem Christi eadem omnipotentia, qua in utero Virginis formata est, in eucharistiae sacramento praesentem fieri.—Quoad loca ex Patribus citata observandum est, veteres Patres saepius per naturam intelligere congeriem proprietatum sensibilium, quae externam veluti naturam rei constituunt ac referunt. Sic *Tertullianus* lib. de anima (1) scribit, aliud esse substantiam, aliud naturam substantiae: «Siquidem, ait, substantia propria est rei cuiusque; natura vero potest esse communis; ex. gr. substantia est lapis, ferrum etc., duritia lapidis et ferri est natura substantiae: duritia communicat, substantia discordat.» *S. Ambrosius* (2) inquit: «Naturas mutatas fuisse, quando e petra aqua fluxit, et ferrum aquae supernatavit.» *S. Chrysostomus* (3) dicit: «Pietas iuvenum (in fornace Babylonis) rerum naturam mutavit,» cum tamen ignis non quoad substantiam, sed tantum quoad accidentia seu quoad effectus mutationem subierit. Citati ergo Patres nomen naturae aut substantiae in sensu latiori accipiunt, ac per illud accidentia duntaxat seu species intelligunt, quae etiam post consecrationem remanent. Id clarissime patet de *S. Chrysostomo*, qui expresse ait, in eucharistia « non duo corpora, sed unum corpus Filii » praedicari; quibus verbis suam de transsubstantiatione fidem professus est, quoniam illa negata in eucharistia duae naturae et duo corpora, nempe substantia panis et substantia corporis Christi praedicari deberent. Accedit, plures criticos, ut Sc. Maffeium, M. Lequien, Nat. Alex. etc., solidis argumentis ostendere, Epistolam ad Caesarium falso S. Chrysostomo adscribi, atque etiam librum de duabus naturis Gelasio abiudicandum esse. Centuriatores denique Magdeburgenses Cent. V, cap. 10 fatentur, Theodoretum sibi adversari et periculose legi.

Obi. III. Nomen barbarum *transsubstantiationis* novum est, cuius neque in Ss. Litteris, neque in Ss. Patribus ante *Concilium Lateranense IV* ullum reperitur vestigium: ergo hoc ipso reiiciendum est.

Resp. Nec *impanationis*, nec *consubstantiationis*, nec *concomitantiae*, vel *assumptionis*, aut demum *unionis sacramentalis* mentionem ullam in Ss. Litteris inveniri, quibus tamen vocibus utuntur Lutherani. Praeterea quidquid sit de voce *transsubstantiationis*, postquam ex Scripturis et Traditione ostensum est, totam substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi, puerile est litigare de voce, et semper licuit, semperque licebit Ecclesiae ad praecludenda haereticorum effugia novas cudere voces, ut factum est in *Concilio Nicaeno I* consecrata voce *Consubstantialis*, et in *Ephesino* adhibita voce, *Theotocon*, *Deipara*, ad Arianorum et Nestorianorum haereses profligandas. Horum Conciliorum exemplo *Conc. Tridentinum* (4) definivit, conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini *convenienter et proprie* a sancta catholica Ecclesia *transsubstantiationem* fuisse appellatam. Iam *S. Thomas* id probe cognovit; nam (5) postquam ostendisset, hanc conversionem non esse similem conversionibus naturalibus, quia « tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Chri-

(1) Cap. 32. (2) In Hexaem. l. 3, c. 2, et de myster. c. 9. (3) Hom. 4 ad pop. Antioch.

(4) Sess. 13, cap. 4, et can. 2.
(5) 3 p., q. 75, art. 4.

sti,» concludit: « Unde haec conversio non est formalis, sed substantialis; nec continetur intra species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici *transsubstantiatio*.

Obi. IV. Omnes sensus nostri in eucharistia panem et vinum percipiunt: dum autem de rebus materialibus agitur, testimonio sensuum insistendum est, qui ad obiecta externa recte cognoscenda a Deo nobis dati sunt. At si substantia panis et vini deesset, omnes sensus fallerentur; quo posito de nulla re externa certi esse possemus.

Resp. Iam antiqui Philosophi fassi sunt, sensus nostros non corporum substantias penetrare, sed solum eorum species seu apparentiam percipere. Hinc *Lucretius* cecinit: « Nec possunt oculi naturam noscere rerum. » Officium ergo sensuum praesertim vero visus, non versatur circa corporis naturam aut essentiam, sed solum circa existentiam, et ea, quae apparent in eodem corpore; imo in hoc ipso corrigendi quandoque sensus sunt a ratione, sic ex. gr. baculus rectus quoad dimidiam partem immersus aquae oculis incurvatus apparet, quem tamen ratio etiam in aqua rectum permansisse cognoscit. Itaque etiam in eucharistia sensus proprie loquendo indicant tantum, vere adesse accidentia panis et vini seu apparentiam, neque in hoc decipiuntur. At vero iudicare de substantia, quae his accidentibus subest, non pertinet ad sensus, sed ad mentem humanam seu rationem. Si igitur intellectus ex praesentia accidentium panis et vini inferat etiam ipsius substantiae panis et vini praesentiam, fallitur, quin culpa in sensus refundi queat; accidentia enim panis et vini, quae sunt in eucharistia, solum significant, ibi substantiam panis sub se latere, spectato cursu et ordine naturae; atqui non adesse in eucharistia substantiam panis et vini, id fit supra naturae ordinem, Deo scilicet per miraculum panis et vini substantiam in Christi corpus et sanguinem convertente. Ideo *S. Thomas* (1) dicit: « In hoc sacramento nulla est deceptio; sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia, quae sensibus diiudicantur: intellectus autem, cuius proprium obiectum est substantia, per fidem a deceptione praeservatur.» Hinc Patres docent, in eucharistia non soli testimonio sensuum insistendum, sed Deo revelanti credendum esse. Praeclare loquitur *S. Chrysostomus* (2) dicens: « Deo igitur ubique obsequamur, nec contradicamus ei, etiamsi id quod dicit, rationi et intelligentiae nostrae contrarium videatur: sed praevaleat eius sermo rationi et intelligentiae nostrae. Sic etiam in mysteriis faciamus, non ea solum, quae sub sensum cadunt, respicientes, sed verba eius retinentes. Verbum quippe eius fallere nequit, sensus vero noster facile decipitur. Verbum eius nunquam excidit, sensus vero saepe fallitur. Quoniam vero ille dixit: *Hoc est corpus meum*, obtemperemus, credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. » Neque inde sequitur, nos de nulla re externa certos esse posse. Nam seposita peculari Dei auctoritate nos tuto iudicare possumus de obiectis iuxta id, quod de iis nobis sensus referunt. Neque Catholici, qui dogma de transsubstantiatione profitentur, minori certitudine de obiectis externis iudicant, quam Lutherani, qui illud negant: neque isti de existentia verorum hominum dubitant, quia angelus Tobiam in forma hominis comitatus est, neque de exi-

(1) 3 p., q. 75, art. 5 ad 2.

(2) Hom. 82 in Matth. n. 4.

stentia verarum columbarum, quia Spiritus sanctus sub specie columbae in baptismo Christi apparuit.

Obi. V. Certum est vel ipso sensuum testimonio, remanere in eucharistia panis et vini accidentia seu species, quantitatem, qualitatem, figuram, colorem, saporem etc., qualia erant ante consecrationem. At certum etiam est, accidentia esse non posse sine suo proprio subiecto, cui inhaerent. Quid enim est accidens, nisi ens alteri inhaerens? Atqui aliud esse non potest horum accidentium panis et vini subiectum, quam ipsa substantia panis et vini: ergo remanet in eucharistia substantia panis et vini.

Resp. Concedimus, accidentia non posse esse sine subiecto iuxta legem ordinariam et naturalem, sed negamus, id fieri non posse per legem extraordinariam et supernaturalem, seu per omnipotentiam divinam. Deus enim, qui accidentia cum subiecto coniunxit, certe etiam efficere potest, ut accidentia sine suo subiecto subsistant. Idipsum autem in eucharistia vere fieri, certa et indubitata revelatio docet, quod sine haesitatione credere debemus, quamvis modum, quo id fiat, explicare non valeamus. Nam ait *S. Thomas* (1): « Effectus plus dependet a causa prima, quam a causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest, ut remaneant posteriora (scilicet accidentia) prioribus sublatis (nempe substantia panis et vini). » — Et alibi (2): « Nihil prohibet, aliquid esse ordinatum secundum communem legem naturae, cuius tamen contrarium est ordinatum secundum speciale privilegium gratiae... Et ita enim licet sit secundum communem naturae ordinem quod accidens sit in subiecto, ex speciali tamen ratione secundum ordinem gratiae accidentia sunt in hoc sacramento sine subiecto. » Alii tamen theologi dicunt, ipsum Christi corpus esse subiectum accidentium, quod autem non sic concipi potest, quasi accidentia corpori Christi inhaereant, sicut naturaliter inhaerent substantiae panis; sed quod corpus Christi eadem accidentia sustentet et praeseferat, ita ut quemadmodum panis ante consecrationem, ita fere Christi corpus post consecrationem dicatur videri, aliisque sensibus percipi, quia nempe dictas species praesefert. Horum sententia confirmatur ex *Concilio Tridentino*, quod dicit, Christum praesentem esse *sub qualibet specie*, et ex Patribus, qui aiunt, corpus Christi in eucharistia videri, frangi etc. (3).

Obi. VI. Eucharistia si in magna quantitate sub specie panis sumatur, corpus nutrit, et sub specie vini inebriat, hincinde etiam putrescit, ita ut ex ea vermes nascantur; et si comburatur, in cineres abit. Isti autem effectus non speciebus panis et vini, et multo minus corpori et sanguini Christi adscribi possunt; unde necesse est admittere, substantiam panis et vini in eucharistia permanere.

Resp. Indigitati effectus etiam admissa transsubstantiatione sufficienter declarantur per omnipotentiam divinam. Cum enim Deus in mysterio altaris nullum sensibile miraculum operari voluerit, sed totus latere ad fidei nostrae exercitium; necesse fuit, ut decerneret, symbola eucharistica easdem omnino in sensus nostros impressiones facere, eosdemque effectus ex iis sequi, ac ante consecrationem. Porro divinae potentiae non deest modus eosdem effectus producendi, quos ipsa produceret pa-

(1) 3 p., q. 75, art. 5 ad 1.
(2) Q. 77, art. 1 ad 1.
(3) Cf. Tournely, q. 2, art. 5.

nis et vini substantia, si adesset. In modo autem isto declarando theologi non consentiunt. Nonnulli putant, per actionem immediatam omnipotentiae divinae supradictos effectus produci; ex. gr. Deum per se ad praesentiam symbolorum eucharistiae corpora nostra nutrire, quoniam qui omnia ex nihilo produxit, sine dubio etiam corpus per se sine substantia panis nutrire valet. *S. Thomas* vero (1) ait: « In ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivae panis et vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc est autem proprium materiae, et ideo ex consequenti datur praedictae quantitati dimensivae omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex praedicta quantitate panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti. » Alii demum dicunt, certum esse, quod species corrumpi possint, et corruptis speciebus recedere corpus Christi, et redire substantiam panis et vini, ex qua omnes effectus supradicti declarari possunt. Caeterum observandum est, totam difficultatem solum concernere modum, quo haec fiant; hunc vero, cum agatur de mysterio, nobis incomprehensibilem esse, libenter fatemur; sed ignorantia modi non tollit certitudinem facti. De modo igitur, quo haec et illa fiant, curiose scisitanti recte dicimus cum *S. Cyrillo Alex.* Comment. in Io. (2): « Si perstas, o Iudaee, usurpare illud *quomodo?* ego vicissim a te requiram, quomodo in serpentem conversa est virga mosaica? » — Sed quae a nobis intelligi et explicari nequeunt, omnipotentiae divinae facillima sunt. Unde *S. Io. Damascenus* (3) postquam asseruerat, « panem et vinum in corpus et sanguinem Domini transmutari, » ita prosequitur: « Si requiras, quonam pacto istud fiat, sat tibi sit, id fieri per Spiritum sanctum; quemadmodum et ex S. Dei Genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quae in semetipso subsisteret; nec amplius quidquam nobis perspectum est et exploratum, quam quod sermo Dei verax efficaxque est, atque omnia potest; modus vero investigari prorsus nequit. »

Nota 2. Cum immutatio seu conversio aut ita fieri possit, ut illud alterum demum producatur, aut vero ut iam alibi existens dumtaxat adducatur, ideo scholastici transsubstantiationem *productivam*, et *adductivam* distinguunt. Priorem in eucharistia fieri defendunt *Thomistae;* nam, aiunt, transsubstantiatio formaliter dicit conversionem; atqui adductio non est conversio, cum solum dicat translationem de loco in locum; quapropter admittenda est vera reproductio, vi cuius corpus Christi, quamvis iam alibi existat, tamen ex conversione certae substantiae panis reproducitur, et sub certis speciebus existere incipit (4). *Scotistae* autem, quibus adsentit *Bellarminus* (5) contendunt, in eucharistia non haberi *productionem*, sed *adductionem*, cum corpus Christi iam existat, et solum vi verborum consecrationis adducatur in locum panis, qui destruitur, ideoque conversionem esse adductivam, non autem productivam. Caeterum neutra sententia ad fidem spectat; et cum allata distinctio ad dogma illustrandum non conferat, me-

(1) 3 p., q. 77, art. 5.
(2) Cap. 6, 52.
(3) Lib. 4 de fide c. 13.

(4) V. Billuart de euch. Diss. 1, art. 7.
(5) De euch. lib. 3 cap. 18.

lius est, ait cl. *Liebermann* (1) « Patrum sequi vestigia, qui fidem divina auctoritate stabilitam firmiter tenuerunt, de illis argutiis et difficultatibus, quae ex humana philosophia emergebant, parum solliciti. »

ARTICULUS III.

De eucharistiae reservatione et adoratione.

§ 583. 1. Quamvis Lutherani nobiscum realem Christi in eucharistia praesentiam profiteantur, a nobis tamen non solum in dogmate de transsubstantiatione, sed etiam circa tempus realis praesentiae discordant. Nam iuxta Catholicos Christus praesens fit per verba consecrationis, et praesens manet, donec species corrumpantur; quapropter in eucharistia etiam extra usum cultu latriae adorandus est; utrumque autem non admittunt Lutherani. — *Lutherus* quidem ab initio factae scissionis a catholico dogmate in hac etiam parte non recessit, ut ex libro, quem ad Waldenses scripsit, perspicuum est; et in thesibus, quas Lovaniensibus opposuit, eucharistiam *adorandum sacramentum* appellavit. Ast anno 1536 *Bucerus* ad Lutheranos cum Zuinglianis facilius conciliandos hanc excogitavit opinionem, ut Christi corpus in ipsa sumptione adesse diceret, non item extra usum aut sumptionem. Hinc Bucerus primus huius sententiae auctor dicitur, quam Lutherus et omnes deinde Lutherani amplexi sunt ea potissimum ratione, quod viderent, per eam destrui adorationem eucharistiae et alia nonnulla, quae in usu erant apud Catholicos. Notandum tamen est, *Chemnitium* aliosque ex Lutheri discipulis, ut Patrum testimonia facilius eluderent, nonnihil hanc sententiam temperasse. Docent enim, corpus Christi praesens esse in tota coenae actione, dum benedicitur, frangitur, distribuitur, manducatur, imo cum statim ad aegrotos defertur manere sacramentum, sed non item, cum in pyxide asservatur.

(1) De euch. c. 1, art. 2.

2. Ecclesiae Catholicae doctrinam nusquam melius, quam a *Concilio Tridentino* discimus, quod Sess. XIII, cap. 3 dicit: *Commune hoc quidem est sanctissimae eucharistiae, cum caeteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem: verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod praebebat. Et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis et vini speciebus una cum ipsius anima et divinitate existere.* Ex hoc autem dogmate sponte fluit, Christum in sacramento eucharistiae etiam extra sumptionem adorandum esse: unde idem Concilium ibidem cap. 5 haec habet: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Ecclesia catholica semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant; neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei* (Hebr. 1), *quem magi procidentes adoraverant* (Matth. II), *quem denique in Galilaea ab*

Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur (1). Iuxta hanc doctrinam Concilii duae propositiones probandae et contra adversarios defendendae sunt, nempe *Christum in eucharistia modo permanente ante, et post sumptionem praesentem*, atque ideo *ibidem cultu latriae adorandum esse.* Istae duae propositiones intime cohaerent et se invicem sustentant; quidquid enim probat, Christum extra sumptionem praesentem esse, etiam eundem adorandum esse evincit; et quidquid demonstrat, eucharistiam ante et post sumptionem in hostiis reservatis adorandam esse, ostendit pariter permanentem Christi in eucharistia etiam extra sumptionem praesentiam.

I. *Christus in eucharistia praesens est modo permanente, etiam extra sumptionem.*

§ 584. In admirabili eucharistiae sacramento peracta consecratione statim Christus vere, realiter et substantialiter praesens est, et non tantum in usu, sed ante et post, ita ut remaneat verum Christi corpus in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt. Hoc dogma catholicum probatur ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, ex *praxi Ecclesiae* et ex *Conciliis.*

1. Christus ait: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (2). Eucharistiam ergo instituere decrevit per modum cibi et potus; est autem indoles tum cibi tum potus, ut existat antequam manducetur et bibatur, ut reservari possit, et in suo statu permaneat, donec putredine consumatur. Recte igitur etiam de carne et sanguine Domini in cibum et potum nobis relictis dicimus, quod iam ante sumptionem existant, quod reservari possint, et in suo statu permaneant, donec species corrumpantur. Clarissime hoc idem patet ex verbis institutionis. Nam Christus prius dixit: *Hoc est corpus meum*, et *hic est sanguis meus*, quam discipulis porrexerit corpus ad manducandum, et sanguinem ad bibendum. Quod si vera sunt verba Christi, quod ipsi adversarii negare non audent, ergo prius fuit corpus sub specie panis et sanguis sub specie vini, quam discipuli illud manducarent et istum biberent, adeoque ratio sacramenti non consistit in illa actione, qua manducatur corpus et sanguis bibitur; quod enim prius est, non pendet ab eo, quod est posterius. Id confirmatur, tum quia iuxta *S. Augustinum* (3) « accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, » tum quia verba Domini statimac prolata fuere, plenam et integram suam habuere significationem et efficaciam, adeoque illud ipsum effecerunt, quod significabant; sunt enim verba Christi ex seipsis operativa et efficacia etiam seposito usu seu sumptione, quae ad effectum quidem sacramenti percipiendum necessaria est, non ad veritatem ipsam realis praesentiae comprobandam. Si vera esset adversariorum sententia, falsa essent verba Christi, qui non potuisset recte dicere: *Hoc est corpus meum*, sed debuisset dicere: *Hoc erit seu fiet, dum manducabitis, corpus meum.* — Asserunt quidem adversarii, Christum verba consecrationis non ante manducationem, sed in ipsa manducatione protulisse; sed contrarium manifeste colligitur ex sacro textu. Ratio enim, qua Christus suos discipulos invitat ad manducandum et bibendum, haec est, quia sub specie panis corpus, sub specie vini sanguis continetur, particulam siquidem cau-

(1) Matth. 28; Luc. 24. (2) Io. 6, 56. (3) Tr. 80 in Io.

salem *enim* usurpat Christus dicens: *Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus* (1); quo dicto, unus post alterum manducavit et bibit, quin Christus verba consecrationis repeteret. Quin imo Lucas ita refert verba Christi: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine* (2); qua loquendi ratione innuit, sanguinem Christi *in calice esse*, non in ore sumentis. Ita ex S. Scripturae auctoritate dogma catholicum probamus: Lutherani, qui se omnia ex Scriptura haurire iactitant, pro sua sententia ne unum quidem textum citare valent.

2. *Ss. Patres* cum doctrina *Conc. Tridentini* perfecte concordant. *S. Irenaeus* (3) inquit: « Panis percipiens invocationem Dei iam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti; » docet ergo, peracta consecratione statim panem transmutari, et Christi corpus praesens fieri. *Tertullianus* (4) ait, scelus nefandum committere, « qui eas manus corpori Christi admovent, quae daemoniis corpora conficiunt. » Hinc maxima sollicitudo necessaria credebatur, ne panis eucharistici particula, aut ex calice gutta decidat, aut quocunque modo inhonoretur. Ideo Tertullianus de coron. mil., c. 3 testatur, fideles anxie pati, calicis aut panis aliquid in terram decuti. *Origenes* (5) ait: « Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur. Reos enim vos creditis et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. » *S. Cyrillus Hier.* (6) docens, qua ratione ad S. Synaxin accedendum sit, inter alia dicit: « Postquam autem *oculos tuos sancti corporis contactu* sanctificaveris, illud percipe advigilans, ne quid ex eo tibi depereat; quod enim intercidere patieris, id tibi tanquam ex propriis membris diminutum puta. Dic enim, quaeso, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cautione ac diligentia teneres providus, ne quid horum tibi periret, ac damnum paterere? nonne multo cautius ac vigilantius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat, quod est auro et gemmis longe pretiosius? » — Rationem huius moniti assignat Catech. 19, n. 7, dicens: « Panis et vinum eucharistiae ante sanctam adorandae Trinitatis invocationem nudus panis et vinum erat; invocatione autem peracta, panis fit corpus Christi, et vinum sanguis Christi. » *S. Gregorius Nyss.* (7) inquit: « Panis sanctificatur per verbum Dei et orationem, non eo quidem, quod cibo mediante (per manducationem) in Verbi corpus evadat, sed quod statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est a Verbo: *Hoc est corpus meum.* » *Optatus Milev.* lib. 6 c. Parmen. vocat altare sedem corporis Christi, et calices sanguinis Christi portatores: ac n. 1 exprobrans Donatistis, quod altaria destruxerint, dicit; « Quid est enim altare nisi sedes corporis et sanguinis Christi? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus et sanguis habitabat? hoc modo Iudaeos estis imitati; illi iniecerunt manus Christo in cruce, a vobis percussus est in altari. » *S. Ambrosius* (8) ait: « Panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de

(1) Matth. 26, 27. (2) C. 22, 20.
(3) Lib. 4 adv. haer. c. 18, n. 5.
(4) De idol. c. 7. (5) Hom 13 in Exod. n. 3.
(6) Catech. Mystag. 5, n. 21.
(7) Orat. catech. c. 37.
(8) Lib. 4 de sacram. cap. 4, n. 14.

pane Christi fit caro Christi..... Ergo sermo Christi conficit hoc sacramentum.» *S. Chrysostomus*(1) docet: «puriorem radiis solaribus manum esse debere, quae hanc carnem (Christi in eucharistia) dividit. » Et in Epist. ad Innocentium I de militibus ab imperatore missis scribit: « Locum, in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, et viderunt omnia, quae intus erant; quin et testes sumus, quod Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in praedictorum militum vestes effusus est. » *S. Augustinus* (2) dicit, quod Christus obstupescendo quodam modo corpus suum in manibus suis portaverit. *S. Cyrillus Alex.* in Ep. ad Calosyrium scribit: « Audio aliquos esse, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem iuvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem: insaniunt vero, qui haec asserunt; neque enim alteratur Christus, neque sanctum corpus eius immutatur, sed benedictionis vis ac facultas et vivificans gratia perpetua in illo existit. »

3. *Praxis Ecclesiae* antiquissima reservandi eucharistiam probat constantem eius fidem de permanenti Christi praesentia etiam extra sumptionem. Nam 1° eucharistia etiam ad absentes transmissa fuit, et quidem per diaconos, qui certe eam in ipsa sumptione consecrare non poterant: id testatur *S. Iustinus* (3) dicens: « deinde eucharistia ad absentes per diaconos defertur. » *Irenaeus* quoque ap. Eusebium (4) testatur, Romanos Pontifices consuevisse in paschate eucharistiam ad alios Episcopos mittere « pacis et honoris ergo. » 2° Etiam fideles laici consueverunt hoc sacramentum domum asportare illudque servare, ut in necessitatibus in promptu haberent. *Tertullianus* (5) dicit, mulierem christianam ducere non debere maritum infidelem, ne eucharistia, quam secum habet et ante omnem cibum gustat, contemptui exponatur. *S. Cyprianus* tract. de lapsis refert historiam cuiusdam mulieris tempore persecutionis lapsae, « quae cum arcam suam, in qua sanctum Domini fuerat, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. » *S. Basilius* Epist. ad Caesaream Patriciam (6) eiusdem praxis Origenem repetit ex persecutionibus, quae cum fidelibus non permitterent, ut sacras synaxes publice celebrarent, cogebant eos in cryptis latere, et asportare secum eucharistiam, quam premente periculo possent sumere. Refert ibidem, Monachos in desertis degentes pro inopia sacerdotis habere domi sacram communionem eamque propriis sumere manibus. *S. Ambrosius* in orat. funebri fratris sui Satyri narrat: « Cum esset in naufragio constitutus, ne vacuus mysterii (scilicet eucharistiae) exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium sacramentum poposcit, et ligare fecit in orario (seu linteo) et orarium involvit in collo, atque ita se deiecit in mare... nec deseruit spes, nec fefellit opinio, denique primus servatus ex undis. » *S. Gregorius M.* (7) narrat, puerum in paterna domo defunctum sepeliri non potuisse, quia terra corpus eius reiiciebat; quo facto perterriti parentes ad S. Benedictum recurrerunt, « quibus vir Dei manu sua protinus communionem dominici corporis dedit dicens: Ite, et hoc dominicum corpus super pectus eius ponite e

(1) Hom. 82 in Matth. n. 5.
(2) Enarr. 1 in Ps. 33. (3) Apol. 1, n. 67.
(4) Lib. 5 Hist. eccl. c. 24.
(5) Lib. 2 ad uxor. c. 5. (6) Epist. 289.
(7) Lib. 2, dial. c. 24 (Cf lib. 3, c. 36.)

sepulturae eum tradite; quod dum factum est, susceptum corpus eius terra tenuit. » 3° Constat ex antiquis monumentis, eucharistiam in templis asservatam fuisse in pastophoriis, ciboriis, aut aliis repositoriis formam columbae aut turris habentibus. De pastophoriis iam loquuntur constitutiones apostolicae (1) dicentes: « Cumque universi et universae communicaverint, accipientes diaconi, quae supersunt, in pastophoriis reponunt. » Idem testantur *S. Chrysostomus* Ep. ad Innoc. cit., *Gregorius Turon.* (2), *Conc. CPtanum* anno 536 sub Menna habitum etc. 4° Imo eucharistia reservari debuit, ut ad infirmos urgente periculo mortis deferri posset. Nam Ecclesia semper praeceptum divinum agnovit instante morte viaticum sumendi. Ideo *Concilium Nicaenum I* (3) dicit: *Generaliter omni cuilibet in exitu posito et poscenti, sibi communionis (seu eucharistiae) gratiam tribui, Episcopus (postquam probaverit) ex oblatione dare debebit:* verbis autem immediate praecedentibus Concilium declarat, se non novam legem cudere, sed antiquam renovare et confirmare. Haec lex etiam sollicite servata fuit. Narrat Eusebius (4) sacerdotem aegrotantem eucharistiam per puerum misisse Serapioni in extremis posito. Paulinus refert, S. Ambrosium morti proximum eucharistiam, administrante S. Honorato Vercellensi Episcopo, accepisse. 5° Demum antiquissima est praecipue in Ecclesia graeca disciplina celebrandi *Missam praesanctificatorum*, in qua nulla fit consecratio, sed sacerdos sumit hostiam pridie consecratam et reservatam. Haec Missa in Ecclesia latina celebratur in Parasceve, frequenter autem apud Graecos; et de eadem iam loquitur *Concilium Laodicenum* (5) can. 49, et *Trullanum* can. 52. Tanta autem fuit persuasio, Christum in consecrata et reservata hostia praesentem manere, ut non solum haud necessarium, sed ne licitum quidem reputatum fuerit, consecrationis verba a sacerdote repeti, quamvis, quod apud Graecos saepe contigit, hostia die dominica consecrata et feria sexta sequenti sumpta fuerit.

4. *Concilium Turonense II* (6) statuit, *ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine* (id est, non inter sacras imagines) *sed sub crucis titulo componatur:* ergo panis consecratus iam ante sumptionem est corpus Domini. *Lateranense IV* (7) haec habet: *Statuimus, ut in cunctis Ecclesiis chrisma et eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi. Concilium Tridentinum* (8) definit: *Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. I. Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Christi; anathema sit.* Eandem fidem profitentur Graeci schismatici in *Concilio Hierosolymitano* anno 1672 can. 17 inter alia, quae de eucharistia decernunt, dicentes: *Credimus ante usum statim a consecratione, ac post usum id, quod in sacris pyxidibus communioni moribundorum asservatur, corpus esse Domini verum.*

Nota 1. Tam luculenta sunt traditionis argumenta, ut *Calvinus* eorum

(1) Lib. 8 c. 13.
(2) L. 1 de glor. Mart. c. 86. (3) Can. 13.
(4) Lib. 6 Hist. eccl. c. 44. (5) An. 363.
(6) An. 567, can. 3. (7) Can. 20
(8) Sess. 13, can. 4.

pressus auctoritate (1) scripserit: « Qui sic faciunt (id est, qui eucharistiam asservant) habent, fateor, veteris Ecclesiae exemplum; verum in re tanta, et in qua sine magno periculo non erratur, nihil tutius est, quam veritatem sequi. » Tanta nempe fuit istius hominis arrogantia, ut sibi persuadere potuerit, se tandem veritatem invenisse, universam autem Ecclesiam per 16 saecula in errore cubasse. Modestius sensit et solidius disseruit cl. *Leibnitzius*, qui in syst. Theol. hac de re scribit: « Certum est, antiquitatem tradidisse, ipsa consecratione fieri conversionem, quemadmodum apparet ex verbis Ambrosii paulo ante allatis; neque unquam veteribus auditum est novum quorundam dogma, quod in momento perceptionis demum adsit corpus Christi. Certum enim est, nonnullos sacrum hunc cibum non statim consumpsisse, sed aliis misisse, ac secum domum, imo in itinera, in deserta tulisse eumque morem aliquando fuisse commendatum, quamquam postea abrogatus sit maioris reverentiae causa. Et profecto aut falsa sunt, quae a sacerdote pronuntiantur, verba institutionis, quod absit; aut necesse est, quod bene dictum est, esse corpus Christi, etiam antequam manducetur. Ut taceam, qui sic sentiunt, in tricas incidere, utrum in labiis aut in ore aut in gula aut in stomacho primum incipiat, an ne in hoc quidem, si vitio eius symbola non consumantur. » Quo sane nihil praeclarius in rem nostram dici potest.

Nota 2. Breviter ad difficultates, quas movent adversarii, respondendum est.

Obi. I. Verba consecrationis Christus non protulit ante manducationem, sed cum Apostoli manducarent et biberent. Legitur enim Matth. XXVI, 26: *Coenantibus autem eis accepit Iesus panem* etc.: imo Marc. XIV, 23 etc. dicitur: *Et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus:* ergo dum biberent, verba consecrationis protulit.

Resp. Matthaeus Apostolos exhibet manducantes, non eucharistiam utique, antequam illa a Christo institueretur, sed cibos communes a Iudaeis ordinarie in coena comedi solitos: tum demum narrat, eucharistiam fuisse institutam, atque Apostolis distributam. S. Marcus ordinem rei gestae non observavit, quem reliqui Evangelistae observarunt, sed per anticipationem dixit: *Biberunt ex illo omnes.* Quare, ut recte observat *Bellarminus*, apud S. Marcum non attendendus est verborum ordo, sed sensus, ex quo aperte colligitur, verba illa: *Hoc est corpus meum*, et *hic est sanguis meus*, ante a Christo fuisse prolata, quam panem et vinum consecratum Apostolis porrigeret. Nisi enim praemisisset verba illa, et praemonuisset, id esse corpus et sanguinem suum, quod porrigebat, Apostoli illud sine fide et tanquam cibum ac potum communem sumpsissent. Dein iuxta Marcum verba consecrationis, postquam biberunt, prolata fuissent: ergo Lutherani admittere deberent, sanguinem Christi adesse ante verba consecrationis. Insistendum ergo est lineae traditionis, per quam certi reddimur, verba consecrationis ante sumptionem a Christo prolata fuisse, et semper proferenda esse.

Obi. II. Omnia reliqua sacramenta consistunt in usu: ergo etiam eucharistia, quam instituit Christus, ut a fidelibus sumatur, non ut reservetur, circumferatur etc.

(1) Lib. 4 instit. c. 17.

Resp. In iis, quae sunt iuris positivi, male adhibentur argumenta ex analogia ducta, cum illa solum dependeant a voluntate institutoris: mirum igitur non est, quod in sacramentis, quae ex sola Christi voluntate dependent, uni aliquid competat, quod non competit alteri. Discrimen adesse, ipsa forma indicat. Caeterorum enim sacramentorum forma actionem transeuntem importat, ut *te baptizo, te confirmo* etc.; eucharistiae vero forma statum permanentem; *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Christus quidem eucharistiam instituit, ut sumatur: sed ratio cibi exposcit, ut adsit prius quam manducetur. Christus autem etiam ad alios fines eucharistiam instituit, nempe ut offeratur, nobiscum conversetur, adoretur etc., ut ex infra dicendis apparebit.

Obi. III. Veritas debet respondere figurae. Sed *Agnus paschalis*, qui erat figura sacramenti eucharistiae, totus debebat consumi, ut nihil superesset pro sequenti die (1). Similiter *manna*, quae pariter eucharistiae figura erat, reservari non poterat (2). Ergo etiam eucharistia reservari non potest.

Respondet S. Thomas (3) quod, « licet veritas figurae respondeat, tamen figura non potest eam adaequare. » Potest ergo aliquid esse in figurato, quod non fuit in figura. Agnus paschalis figura Christi fuit immolandi in cruce et in altari, in quo etiam reficit manducantes (4): ita Christus hanc figuram implevit. Exinde autem inferri nequit, omnia, quae de agno paschali leguntur, etiam in eucharistia observanda esse. Alioquin tum succinctis renibus, tum baculum gestantes inter coenandum deberemus eucharistiam sumere; quod certe nemo contendet. Manna non modo tota die sabbati, sed pluribus saeculis in arca asservatum esse Scriptura testatur. Accedit, quod etiam panes propositionis eucharistiae fuerint figura: illi autem super altare tota hebdomada repositi steterunt: haec porro figura in eucharistiae reservatione impletur.

Obi. IV. Multis variarum Ecclesiarum monumentis constat, nullam eucharistiae partem antiquitus asservatam fuisse; sed si quid ex communione publica supererat, vel a clericis consumebatur, vel igne cremabatur, vel pueris innocentibus manducandum distribuebatur. Ita observatum fuisse in Ecclesia romana testis est *Clemens rom.* (5) ad Iacobum scribens: « Tanta in altari holocausta offerentur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore clericorum diligentia consumantur. » Ecclesia Hierosolymitana, teste *Hesychio* (6), igne solebat comburere, quod supererat ex eucharistia. In Ecclesia CPtana, teste *Evagrio* (7) et *Nicephoro* (8), innocentibus pueris superfluae eucharistiae particulae manducandae tradebantur, quod et in Ecclesia Gallicana factum esse, testatur *Conc. Matisconense II* anno 585 celebratum. Imo in Hispania *Concilia Caesaraugustanum* an. 381, et *Toletanum I* an. 400 reservationem eucharistiae prohibuerunt.

Resp. Allatis monumentis opponimus ea, quae n. 3 et 4 adducta fuerunt. Ad summum ergo ex adversariorum obiectione, si solida esset, inferri posset, non eandem in omnibus Ecclesiis viguisse disciplinam.

(1) Exod. 12. (2) Exod. 16.
(3) 3 p., q. 76, art. 6 ad 2.
(4) V. Th. gen. § 153, nota 1. Ed 2.
(5) Epist. 2. (6) Lib. 2 in Levit. c. 8.
(7) Lib. 4 Hist. c. 36. (8) Lib. 17, c. 25.

Notandum porro est, varias adfuisse causas, cur in nonnullis Ecclesiis diu non servaretur eucharistia. Hincinde id factum est, ne ingruente persecutione impiorum profanationi exponeretur: quandoque idem contigit, quia locus decens pro eucharistiae reservatione non aderat, sicut nunc quoque in Ecclesiis, in quibus tabernaculum non habetur, particulae post communionem fidelium reliquae consumi debent. Interdum ex reverentia erga eucharistiam ordinatum est, ut hostiae reservatae post aliquot dies, ne putrescant, absumantur et renoventur, quod per innocentes pueros optime fieri posse, antiquitus nonnullis Pastoribus visum est: si quae autem ita corruptae erant, ut possint sumentibus stomachum movere, bene visum fuit, eas igne utpote elemento omnium purissimo consumere. Quodsi etiam omnes eucharistiae particulae post communionem fidelium superfluae consumendae dicuntur, id semper intelligendum est post sepositas eas, quae in gratiam infirmorum reservandae sunt. Id patet ex citata Epistola *S. Clementis*, quae supposititia est, in qua autem etiam legitur: « Presbyteri... cum timore et tremore reliquias fragmentorum corporis dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis iniuria inferatur. » *Hesychius* ipse ibidem addit: « Est locus sanctus altare; ibi enim sanctus sanctorum requiescit. » *Nicephorus* l. c. ita rem refert: « ut, cum plusculum de partibus immaculati divinique corporis Domini reliquum esset, sacerdotes pueros incorruptos... accerserent: » ubi vox *plusculum* aperte significat superfluas particulas. Si in *Matisconensi Concilio* praescriptum fuit, ut quarta vel sexta feria ab innocentibus ac ieiunis superstites ex missa reliquiae perciperentur, evidens est, reliquis diebus fuisse asservatas. A Conciliis vero in Hispania celebratis prohibita fuit reservatio eucharistiae, ne sese Priscillianistae obtegerent non communicando in Ecclesia, eamque, secum domum deferrent et profanarent. Notandum denique est, quod monumenta ab adversariis adducta nullatenus probent, non adesse corpus Christi statim a peracta consecratione, et post fidelium communionem. Ipsa sollicitudo Ecclesiae pro particulis superstitibus potius argumentum praebet de eius fide in permanentem Christi in eucharistia praesentiam.

(1) § 321. (2) § praec.

II. *Christus in eucharistia cultu latriae adorandus est.*

§ 585. Haec propositio fluit ex dogmatibus iam probatis. Christus enim, Deus et homo, cultu latriae adorandus est (1). Christus autem vere, realiter et substantialiter praesens est in eucharistia, et quidem non solum in sumptione, sed ante illam statim peracta consecratione, et post illam in particulis, quae reservantur (2): ergo Christus in eucharistia etiam extra sumptionem cultu latriae est adorandus. Legitimam esse hanc conclusionem, semper et ubique et ab omnibus creditum est, quod ex *Ss. Patribus* et ex *consensu Ecclesiae latinae et graecae* probatur.

1. *Ss. Patres* Christum in eucharistia cultu latriae adorandum esse docent. *Origenes* (3) ait: « Quando sanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem, et dicito: Domine, non

(3) Hom. 5 in div. loc. N. T.

sum dignus. » *S. Cyrillus Hier.* (1) inquit: « Tum vero post communionem corporis Christi accede, et ad sanguinis poculum non extendens manus, sed pronus et adorationis ac venerationis in modum dicens: Amen. » *S. Gregorius Naz.* Or. funebr. in laudem Gorgoniae de hac sua sorore (2) narrat: « Desperatis (in gravi sua aegritudine) omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempesta nocte captata, cum morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit, eumque, qui super eo honoratur, cum ingenti clamore invocans omnibusque nominibus appellans... ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfundens (id est, S. Synaxin recipiens) ... statim liberatam se morbo sentit etc. » *S. Chrysostomus* (3) dicit: « Hoc corpus in praesepi iacens reveriti sunt Magi.... et venientes cum timore et tremore multo ipsum adoraverunt... Tu vero non in praesepi respicis, sed in altari... Excitemus itaque nos ipsos... et multo maiorem quam barbari illi pietatem exhibeamus. » Idem (4) habet: « Considera, quaeso, mensa regalis est apposita: Angeli mensae ministrantes: ipse rex adest, et tu adstas oscitans? igitur adora et communica. » *S. Ambrosius* (5): « Videamus tamen, ait, ne terram illam dicat adorandam Propheta (6), quam dans Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et Apostoli in Domino Iesu adorarunt. » Etiam *S. Hieronymus* (7) per scabellum adorandum intelligit carnem Christi. Et *S. Augustinus* (8) exponens verba, *Adorate scabellum pedum meorum*, ita disserit: « Anceps factus sum; timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit coelum et terram; rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi dicit: *Adorate scabellum pedum eius.* Quaero, quod sit scabellum pedum eius, et dicit mihi Scriptura: *Terra scabellum pedum meorum* (9). Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic, et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum eius; suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem suscepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. » *Theodoretus* de eucharistia loquens (10) ait: « Symbola mystica... et creduntur et adorantur. »

2. *Ecclesiam* semper credidisse, Christum in eucharistia adorandum esse, ex antiquissimis Liturgiis patet. Singulae quippe mandant, ut sacerdos aliique ministri, consecratione peracta, Dominum Iesum in eucharistia humillime adorent. Iuxta antiquissimam Liturgiam romanam statim post consecrationem sacrosancta hostia elevatur, ut omnes fideles genuflexi Christum adorent. Idem fit post consecrationem calicis. Ast iuxta ritum Graecorum immediate ante communionem corpus Christi sub specie panis, et sanguis sub specie vini populo ostenduntur, et adoranda

(1) Cat. Mystag. 5, n. 2. (2) Or. 8, n. 18.
(3) Hom. 24 in I Cor. n. 5.
(4) Hom. 3 in Epist. ad Ephes.
(5) L. 3 de Spir. S. c. 11, n. 79.
(6) Ps. 98, 5.
(7) Comment. in Ps. 98, 5.
(8) Enar. in Ps. 98, n. 8. (9) Is. 66, 1.
(10) Dialog. 2.

proponuntur. Sic in Liturgia S. Chrysostomi praescribitur: « Dehinc adorat sacerdos et diaconus, in quo est loco, ter secreto dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori. Et populus similiter cunctus cum devotione adorat. Cum autem viderit diaconus sacerdotem manus extendentem, et sanctum panem tangentem, ut faciat sanctam elevationem, exclamat: *Attendamus:* et sacerdos: *Sancta sanctis:* et chorus: *unus sanctus, unus Dominus Iesus Christus* etc. « Similis adoratio Christi sub speciebus panis et vini iam ante sumptionem praesentis praescribitur in aliis Liturgiis, quas collegerunt *Renaudotius*, *Goarius*, *Richardus Simon*, *Witasse* aliique. Constanti et universali huic traditioni insistens *Concilium Tridentinum* (1) definit: *Si quis dixerit, in sancto eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum; atque ideo non festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras; anathema sit.* Eadem est fides Ecclesiae Orientalis. Nam *Petrus Mogilas* in confessione Russicae Ecclesiae, quam Graeci in *Conc. CPtano* anno 1642 approbarunt (2), scribit: « Honor, quem debes reddere terribilibus his (eucharistiae) mysteriis, idem debet esse, ac quem reddis Iesu Christo. Sicut enim Petrus loquens loco Apostolorum omnium dicebat ad Iesum Christum: *Tu es Christus, Filius Dei vivi:* sic et quilibet nostrum debet reddere cultum latriae his mysteriis. » In *Conc. Hierosolymitano* anno 1672 Graeci can. 17 de eucharistia inter alia profitentur: « Credimus, supremo colendum honore, cultuque latriae idem Domini corpus et sanguinem esse adorandum; quippe sanctissimae Trinitatis et corporis sanguinisque Domini una est adoratio. » Idem definitum est in *Conc. CPtano* sub Dionysio eodem anno habito.

Nota 1. Cum sacramentarii realem Christi in eucharistia praesentiam non admittant, consequenter etiam eius adorationem negant. Fatentur tamen, quod recte Catholici inferant, eucharistiam adorandam esse, si in ea realis Christi praesentia asseratur. Sic *Zuinglius* (3) ad Luth. scribit: « Si Christus hic est, cur non peccent, qui non adorant? » *Calvinus* in tract. theol. de vera participatione Coenae ait: « Nos semper sic ratiocinati sumus: si Christus est in pane, esse sub pane adorandum. » *Beza* lib. de coena Domini ait: « Id si ita esse crederem, adorationem illius profecto non modo tolerabilem et religiosam, sed etiam necessariam arbitrarer. » Ita etiam alii Protestantes confessi sunt, eucharistiae adorationem esse consequentiam logicam dogmatis de reali Christi praesentia. — Quoad modum vero exterioris cultus eum determinare ac moderari ad Ecclesiam spectat, quae iuxta diversa et temporum et locorum et rerum adiuncta statuere potest, quod communi utilitati magis conferre iudicaverit. Hinc apposite *Leibnitzius* in syst. Theol. scribit: « Adoratio sacratissimi eucharistiae sacramenti, tametsi non semper aeque usitata fuerit, laudabili tamen pietate recepta est. Primi enim Christiani in omnibus, quae ad externam cultus demonstrationem pertinent, christiana

(1) Sess. 13, can. 6. (2) P. 1, q. 107. (3) In Exeg. euchar.

simplicitate utebantur, quae quidem reprehendi non potest; intus enim animi vera pietate flagrabant. Cum vero paulatim refrigesceret zelus, necessarium fuit adhibere exteriora signa, ritusque solemnes instituere, quae officii admonerent, ardoremque devotionis excitarent, praesertim ubi magna ratio aut occasio esset. Nulla autem facile maior praeberi Christianis potest, quam quae se offert in divino hoc sacramento, ubi Deus ipse nobis praesentiam assumpti corporis praestat.... Itaque si unquam, tum certe maxime conveniens fuit adorationem institui; recteque adeo institutum est, ut in sacramento eucharistiae externi Christianorum cultus quasi summum fastigium collocaretur, quod ad supremum etiam cultum Christianorum internum, hoc est, divinum amorem inflammandum, et charitatem testandam atque nutriendam a Salvatore est institutum.» Ex his patet, nullatenus Ecclesiam reprehendi posse, si certum aliquem et publicum cultum praescribat, et modum determinet, quo hoc ipsum ex intimis fidei principiis deductum adorationis obsequium Christo exhibeatur. Neque putandum est, Ecclesiam eiusmodi aliquid nisi gravissimis motam rationibus statuisse. Ita solemne festum SS. Corporis Christi *Urbanus IV* anno 1264 instituit, commotus tum revelatione a *B. Iuliana* Virgine Leodiensi habita (1) tum miraculo, quod Vulsinii prope Urbem veterem contigit; sacerdoti enim Belgae Romam petenti, et in missae celebratione de reali Christi praesentia subdubitanti contigit, ut in hostiae fractione sanguinis guttae diffluerent, quibus respersum est corporale et altare (2). Probabilius etiam tunc solemnis processio incepit, quamvis solum legatur, iubente *Urbano IV*, corporale sanguine Christi conspersum in Urbe veteri circumgestatum esse. Ex quo facto *Benedictus XIV* processionem solemnem derivandam esse putat. Et sane *Martinus V* in constit. quae incipit: *Ineffabile sacramentum*, supponit iam olim institutam fuisse processionem, dum elargitur indulgentias annorum centum iis, « qui processiones, in quibus ipsum vivificum sacramentum iuxta ritus Ecclesiarum defertur, continuo secuti fuerint. » Divino autem consilio tribuendum est, quod tali cultu, in quo maxime splendet fides catholica, instituto et universim recepto Ecclesia Christi victricem de mendacio et haeresi triumphum ageret, eiusque adversarii in conspectu tanti splendoris et in tanta universalis Ecclesiae laetitia debilitati et fracti tabescerent. Ipse Lutherus in processione SS. Sacramenti repentino terrore occupatus contremuit frigidissimumque sudorem emisit, ut ipse fatetur apud Aurifabrum (3).

Nota 2. Lutherani admittunt, Christum in eucharistiae sumptione praesentem fieri: an vero in ipso usu adorandus sit, minime inter se conveniunt. Negant *Lutherus* in lib. de euchar. ad Waldenses, *Melanchthon* in iudicio suo de coena Domini (4), *Flaccius Illyricus* (5) etc. Affirmant *Lutherus* pro sua levitate et inconstantia in lib. de formula missae, et in libro de verbis: *Hoc est corpus meum; Bucerus* (6), *Brentius* (7), *Chemnitius* (8). — Qui eucharistiae adorationem penitus excludunt, Catholicis sequentia opponunt.

(1) V. Bolland. Acta Ss. ad diem 5 aprilis.
(2) V. Benedict. XIV de festis, cap. 13, n. 6.
(3) Cf. Conc. Trident. Sess. 13, cap. 5.
(5) In confessione Antverpiensi.
(6) In Actis, colloq. Ratisbon.
(7) In Apologia.
(8) In 2 P. exam. Conc. Trid. Sess. 13, c. 5.

Obi. I. Apostoli in ultima coena eucharistiam sumpserunt, non autem adorarunt: et quidem recte quia Christus adorationem non praecepit, neque dixit: Adorate, sed: Comedite et bibite. Eucharistia ergo instituta fuit, ut corpus Christi manducetur et sanguis bibatur: unde adoratio repugnat fini primario institutionis.

Resp. Non omnia in evangeliis scripta sunt, quae Christus locutus est, et quae Apostoli egerunt. Quodsi isti non speciali externa adoratione, ex. gr. procumbendo in genua, eucharistiam prosecuti sunt, certe tamen interna devotione Christum, quem verum Deum esse cognoscebant, etiam sub speciebus panis et vini praesentem adorabant. Neque opus est mandato speciali et expresso, sed sufficit generale et implicitum, quo iubemur Deum adorare: implicitum autem adorationis praeceptum Christus vere dedit, cum se sub speciebus panis et vini praesentem esse declaravit. Haec vero adoratio certe non impedit finem primarium institutionis, sed potius efficit, ut maiori cum fructu et ferventiori devotione eucharistia a fidelibus percipiatur.

Obi. II. Si eucharistia adoranda esset, quia in ea Christus sub speciebus panis et vini praesens est, sequeretur, adorandos etiam esse fideles statim post acceptam eucharistiam, imo adoranda esse etiam animalia et reliqua entia, quia Deus omnibus creaturis intime praesens est vi immensitatis suae.

Resp. Eucharistia a nobis adoratur, quia Christus in ea continetur solus nulla alia praesente substantia, quae simul adorari videretur, et quia species sacramentales, quibus modo prorsus admirabili in eucharistia velatur Christus, sunt aliquid Christi, ut in sacramento existit, et apprehenduntur ut unum quid in statu sacramentali. Haec ratio autem minime pugnat pro fidelibus a sacra communione statim recedentibus, aut pro creaturis, quibus Deus vi immensitatis suae inest.

Obi. III. Catholici ab artolatria seu adoratione panis excusari nullatenus possunt, quia, sin minus panem, saltem panis species una cum Christo adorant, iuxta tridentinorum Patrum doctrinam, qui Sess. XIII, cap. 5 affirmant: *Latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento exhiberi.* Saltem fideles verae idololatriae periculo exponuntur, cum sive incuria sive malitia sacerdotis, sive ordinationis defectu fieri possit, ut hostia quae adoranda proponitur, consecrata non sit.

Resp. Catholicorum adoratio dirigitur in Christum Iesum: igitur nec panem adorant nec species panis. Quomodo enim ipsi adorare possunt panem, cuius substantiam per consecrationis verba conversam in Christi corpus esse profitentur? neque species adorant, quia probe norunt, species non esse ipsum corpus Christi, sed sub speciebus istud contineri. Tridentini Patres docent, a fidelibus latriae cultum exhiberi sacramento, non prout tantum dicit signum, sed prout dicit rem signatam seu Christum ipsum, ut ex toto contextu patet. Magi, Apostoli, Magdalena, coecus natus et alii Christum adorarunt pannis involutum aut vestibus indutum: sed ne protestantibus quidem in mentem venit, eos de crimine idololatriae accusare quia probe noverunt, adorationem non ad pannos aut vestes, sed ad Christum Deum directam esse. Multo minus Catholici de idololatriae crimine accusari possunt, qui Christum sub speciebus pa-

nis praesentem adorant. Ipse *Marc. Ant. de Dominis* (1) id agnovit scribens: « Obiiciet aliquis, adorationem panis idololatricum quemdam ferre secum reatum, et artololatras esse in religione catholica vitandos. Respondeo me nullum idololatricum crimen in illa adoratione, si recte dirigitur intentio, agnoscere. Qui enim docent panem non esse amplius panem, sed corpus Christi, illi profecto panem non adorant, sed solum ex suppositione licet falsa (ita apostata sacramentarius) Christi corpus vere adorabile adorant. » Ita pariter *Hier. Taylor* Episc. protestans anglicanus in opere de libertate prophetandi (2) dicit: « Obiectum eorum (Catholicorum) adorationis in ven. Sacramento est unicus verus et aeternus Deus hypostatice coniunctus cum sua sancta humanitate, quam humanitatem ipsi credunt actualiter praesentem sub velo signorum sacramentalium, et si putarent ipsum non esse praesentem, tantum absunt ab adorando pane in hoc casu, ut profiteantur, id praestare esse idololatriam. » — Vana igitur etiam est obiectio ex idololatriae periculo deducta. Quando enim eucharistiam adoramus, intentionem nostram semper dirigimus ad Christum, hostiam rite non consecratam minime adoraturi. Ergo etiamsi hostia non esset consecrata, nullum tamen daretur periculum idololatriae formalis, sed mere materialis, quae ad peccatum imputari non potest: imo tale periculum est valde remotum, quia rarissime contingit, ut sacerdos vel non rite ordinatus sit, vel nolit consecrare. Idcirco tamen neutiquam sequitur, eucharistiam nobis sub conditione adorandam esse, si nimirum hostia rite consecrata sit; sed absolute omnino est adorandam, quia certitudo moralis negativa una cum providentia divina, quae in re tanti momenti non facile permittit fideles decipi, sufficit ad hoc, ut dubitare non liceat, an etiam sub hac determinata hostia Christus sit praesens, sicut certitudo moralis negativa, quod hi sint nostri parentes, sufficit, ut illos prudenter colamus absolute, veneremur eisque obedientiam praestemus.

(1) Lib. 7 de republ. christ. cap. 11.

ARTICULUS IV.

De praesentia Christi, et communione sub una vel utraque specie.

§ 586. Christus eucharistiam instituens panem et vinum consecravit, et Apostolis corpus suum sub speciebus panis manducandum, et sanguinem suum sub speciebus vini bibendum dedit. Ecclesia quoque semper docuit docetque, non licere eucharistiam nisi sub utraque specie conficere, sed semper primo panem ac deinde vinum consecrari debere, quia id necessarium est, ut ratio sacrificii habeatur, de quo inferius sermo erit. Et quia sacrificium offerens de sacrifici participare debet, ideo Ecclesia semper docuit, docetque, Sacerdotem sacrificantem sub utraque specie eucharistiam sumere debere. Per multa porro saecula disciplina in Ecclesia viguit, ut etiam fidelibus laicis, communio sub utraque specie concederetur. Nunquam vero Ecclesia credidit, hoc de necessitate praecepti divini esse; sed fides Ecclesiae haec semper fuit, sub unaquaque specie integrum Christum contineri, atque ideo eucharistiae sacramentum etiam sub una tantum specie integre, valide et licite percipi. Iuxta constantem hanc et universalem fidem primo, ut testatur *S. Thomas* (3), in quibusdam Ecclesiis particulari-

(2) Cap 20 (3) 3 p., q. 80, art. 12.

bus, ac deinde in universa Ecclesia usus calicis sublatus fuit, ita ut fidelibus laicis et etiam Clericis non sacrificantibus sacra communio sub speciè tantum panis distribueretur. Quamvis autem gravissimae et iustissimae rationes Ecclesiam ad hanc disciplinae immutationem impulerint, graves tamen exinde tumultus enati sunt. Primus, qui asserere praesumpsit, communionem sub utraque specie iure divino praeceptam esse; ac proinde non potuisse ab Ecclesia laicis prohiberi, fuit *Petrus Dresdensis*, Pragae in Bohemia ludimagister, qui, teste Aenea Sylvio (1), post saeculi XV initium *Iacobellum Misnensem* seduxit, ut in concionibus publicis contra subtractionem calicis ab Ecclesia factam declamaret; quibus postea se coniunxit *Ioann. Huss* in *Conc. Constantiensi* damnatus, atque ut in errore pertinacissimus flammis combustus. Ex funestis eius cineribus duae Hussitarum sectae exortae sunt, *Thaboritarum* nempe et *Calixtinorum*, qui postremi ita appellati sunt, quia calicem passim in parietibus, vexillis, templis, in foro, in vestibus et ubique pingere solebant; unde illud insulsum contra illos fanaticos distichon: *Tot pingit calices, Bohemorum terra per urbes, ut credas Bacchi numina sola coli.* Calixtinorum clamores auxere saeculo XVI Protestantes. *Carolostadius*, Lutheri primum discipulus, postea hostis implacabilis anno 1521 in Ecclesia Wirtembergensi communionem sub utraque specie invexit, contra eos, qui eam negabant, atrociter debacchatus. *Lutherus* diu haesit incertus, imo in declaratione sermonis de eucharistia asseveravit, usum calicis non esse restituendum, « nisi ita instituetur ac praeciperetur in aliquo generali Concilio. » At vero paulo post sententia mutata in assertione art. XVI dixit: « Consultum mihi nunc videtur, ut non modo per Concilium, sed per quamque dioecesin quilibet Episcopus etiam invito Papa Christum secutus in evangelio rursus utramque speciem laicis daret. » Denique cum se a generali Concilio damnandum praevideret, increbili petulantia scribere ausus est in lib. de form. missae: « Si quod Concilium statueret aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utraque uti vellemus, sed in despectum Concilii eiusque statuti aut una aut neutra et minime utraque uti vellemus, maledicturi universos, qui ex potestate aut statuto Concilii utraque uterentur. » *Calvinus* de more caeteris protervior (2) ita scribebat: « Ex eadem prodiit officina (Satanae) et altera constitutio, quae dimidiam coenae partem meliori Dei populi numero vel furata est vel eripuit, nempe symbolum sanguinis, quod laicis et profanis (his scilicet titulis Dei haereditatem insigniunt) interdictum paucis rasis et unctis in peculium cessit. Edictum aeterni Dei est, ut omnes bibant: quod homo nova et contraria lege antiquare et abrogare audet edicens, ne omnes bibant etc. » Ad exemplum antesignanorum suorum Protestantes nunc quoque Ecclesiam catholicam propter calicis usum abrogatum vellicare non cessant, atque communionem ex Christi institutione sub utraque specie sumendam esse clamitant. Contra ipsos iam vindicanda Ecclesiae catholicae doctrina et praxis, atque ostendendum est: 1° *In venerabili eucharistiae sacramento sub unaquaque specie totum Christum contineri*, 2° *communionem sub utraque specie laicis nullatenus praeceptam seu neces-*

(1) In Hist. Bohem., c. 35.

(2) Lib. 4 Inst., c. 17, § 47.

sariam esse, et 3° *Ecclesiam non errare, dum iustis causis et rationibus adducta iubet laicos atque etiam Clericos non conficientes sub una tantum specie communicare.*

I. *Totus et integer Christus sub unaquaque specie eucharistica continetur.*

§ 587. Dogma hoc catholicum ex *ratione theologica*, ex *Ss. Patribus*, ex *Ecclesiae praxi* et ex *Conciliis* probatur.

1. *Ratio theologica* petitur ex dogmatibus iam demonstratis de reali Christi in eucharistia praesentia et de transsubstantiatione, iuxta quae per consecrationem panis et vinum convertuntur in corpus et sanguinem Christi. Dubitari autem non potest, corpus Christi post resurrectionem vivum esse, impassibile et immortale. Nam, ait Apostolus, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (1). Ergo panis per consecrationem convertitur in corpus Christi vivum, quod non est separatum a sanguine et ab anima, sed est cum sanguine et anima unitum; ex quo sequitur, sub speciebus panis totam humanitatem Christi contineri; sed cum humanitate indissolubili nexu est coniuncta divinitas, atque ideo totus et integer Christus sub specie panis continetur. Eodem modo sanguis, in quem vinum convertitur, Christo vivente unitus est corpori, animae et divinitati. Itaque totus et integer Christus sub unaquaque specie eucharistica continetur. Ipse *Leibnitzius* hanc conclusionem approbavit in suo *Syst. theol.* dicens: « Negari non potest, sub alterutra specie integrum sumi Christum vi concomitantiae, ut loquuntur theologi; neque enim caro eius a sanguine separata est. » — Si totus Christus sub unaquaque specie non contineretur, id ex eo tantum inferri posset, quia vi verborum sub specie panis solum corpus, et sub specie vini solus sanguis ponitur. Ast si in eucharistia nihil aliud perciperetur, nisi quod verba directe et immediate exprimunt, etiam sub utraque specie non integer Christus sumeretur, quia totus et integer Christus non est corpus et sanguis tantum, sed complexum ex corpore, sanguine et anima cum divinitate unitis. Itaque si Lutherani cum Catholicis non admittunt, Christum sub unaquaque specie et integre praesentem esse, quomodo contra Sacramentarios realem Christi in eucharistia praesentiam defendent? quomodo ostendent se sub utraque specie totum Christum utique non mortuum, sed vivum recipere?—

2. *Christus* ait: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (2); ergo qui sumit speciem panis consecrati, sub qua sola propria ac stricte dicta manducatio datur, non modo corpus, sed etiam totum Christum cum carne et sanguine, cum anima et divinitate recipit. Quod confirmatur ex eo, quia vers. antec. Christus dixerat: *Qui manducat meam carnem* etc., et ibi dicit: *Qui manducat me* etc. (3), ergo manducare carnem et manducare Christum, idem est; nam per *me* Christus suam personam designat, quae indissolubili nexu in duabus naturis subsistit. *Paulus* I Cor. XI, 27 disiunctive loquitur inquiens: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Sicuti ergo qui sub una tantum specie eucharistiam sumit, corporis et sanguinis Domini reus fit, ita qui sub una tantum specie communicat, corporis et sanguinis Domini

(1) Rom. 6, 9. (2) Io 6 58 (3) Ibid. v. 57 58

participeps fit, et totum sacramentum recipit. Neque facile probabunt adversarii, hoc in loco particulam *vel* sumi non *disiunctive*, sed *coniunctive* pro *et*, cum Apostolus utramque particulam et coniunctivam et disiunctivam usurpet non alia de causa, nisi ut nos doceat, totum Christum sub alterutra specie contineri.

3. *Ss. Patres*, ut constat ex locis § 578 citatis, ita semper realem Christi in eucharistia praesentiam intellexerunt, ut sub speciebus panis totus Christus, et sub speciebus vini totus Christus contineretur, neque unus locus adduci potest, in quo dicant, unam partem Christi in una, et alteram in altera specie contineri. Asserunt potius, in eucharistia adesse corpus Christi vivum, ideoque cum sanguine, anima et divinitate unitum. Ita *S. Ignatius M.* in Ep. ad Smyrn. ait, nos in eucharistia comedere carnem, « quam Pater suscitavit ; » et *S. Cyrillus Alex.* in Epist. ad Nestorium, quam Ephesina Synodus ratam habuit, eucharistiam vocat, « vivificam Verbi carnem. » *S. Cyrillus Hier.* (1) eos, qui sumunt eucharistiam, vocat *Christiferos*, id est, non carnem tantum, sed ipsum Christum ferentes. — *S. Ambrosius* (2) inquit: « In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi. » *S. Ephraem* in serm. de iis, qui Filii Dei naturam scrutantur, asserit, in eucharistia nos « Agnum ipsum integre » comedere. *S. Hieronymus* in Epist. ad Hedibiam (3) scribit: « Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. » Et ad Pamach. (4), loquens de iis, qui eucharistiam non audebant in Ecclesia sumere, domi autem sumebant eam, inquit: « An alius in publico, alius in domo Christus est? » *S. Hilarius* (5) docet, per manducationem fieri, ut « ipse Christus, Dei Filius, naturaliter maneat in nobis. » *S. Augustinus* ait, Christum « seipsum in manibus gestasse, » quando in ultima coena panem consecravit.

4. *Ecclesia*, ut § 585 probatum est, supremum et absolutum latriae cultum atque adorationem eucharistiae semper detulit, et in Liturgiis frequenter adorandum corpus et adorandus sanguis dicitur etc. At cultus hic supremus latriae deferri non potest corpori aut sanguini Christi, nisi sint unita cum divinitate (6). Ergo Ecclesia semper credidit, sub speciebus eucharisticis non corpus tantum et sanguinem, sed totum ac integrum Christum latere.

5. *Concilium Constantiense* Sess. XIII ait: *Cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Florentinum* in decreto pro Armenis inquit: *Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini. Tridentinum* Sess. XIII, cap. 3 tradit: *Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter*

(1) Cat. Myst. 4. (2) L. de myster., cap. 9. (3) Q. 2. (4) Ep. 48. (5) Lib. 8 de Trin., n. 13. (6) § 391.

admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri; totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus existit. Et can. 3 contrarium asserenti anathema dicitur. Etiam Graeci cum Ecclesia catholica hac in re consentiunt; nam in *Conc. Hierosolymitano* anno 1672, cap. 17 de eucharistia profitentur: *Credimus... sub minima panis et vini consecrati particula totum ac integrum D. Christum secundum substantiam, animam et divinitatem Deum perfectum et perfectum hominem esse.*

Nota 1. Totus ac integer Christus continetur in qualibet parte specierum sensibili panis et vini non tantum separatione iam facta, sed antequam etiam fiat separatio. Prima conclusionis pars est dogmatica et de fide; quia enim tota substantia panis et vini convertitur in substantiam corporis et sanguinis Christi, hoc de omnibus illius partibus dicendum est: ergo si ex. gr. hostia dividatur, haec divisio substantiam non mutat, sed Christus praesens manet et quidem integer, quia Christus ipse dividi nequit. In ultima coena calix divisus fuit inter Apostolos, et tamen non partem Christi, sed totum Christum quilibet recepit. Ss. Patres (1) fideles communicaturos monent, ne vel minimam sacrae hostiae micam patiantur in terram dilabi, quia persuasum et exploratum ipsis fuit, corpus Christi sub qualibet sensibili parte specierum contineri. Ex eadem ratione Ecclesia graves poenas statuit in sacerdotem, cuius negligentia de sanguine Domini aliquid stillaverit.

(1) § 584, n. 2.

Conc. Florentinum in decreto pro Armenis ait: *Sub qualibet quoque parte hostiae consecratae et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.* Et *Trident.* Sess. XIII, can. 3 definit: *Si quis negaverit, in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* Dogma hoc paritate illustrari solet; manente enim speculo integro, una imago videtur, et tamen si frangatur speculum, in qualibet parte divisa tota imago cernitur. — Altera pars conclusionis, qua dicitur, totum Christum in qualibet sensibili parte specierum contineri etiam ante separationem, non quidem de fide est, tam certa autem theologis videtur, ut contrariam sententiam errori proximam esse merito censeant. Quia enim Christus totus continetur in qualibet parte sensibili specierum post factam divisionem, certe etiam, antequam haec fieret, ita continebatur: nam divisio illa neque est nova consecratio, neque aliquid operatur circa corpus Christi; ergo post divisionem hostiae corpus Christi non potest esse in aliquo loco, in quo non erat ante divisionem: Hinc *Concilium Tridentinum* Sess. XIII, cap 3 declarat absolute, totum Christum contineri sub qualibet specierum parte, nulla facta mentione separationis aut continuationis (2).

Nota 2. *Calvinus* contra doctrinam catholicam clamavit: Si Christus se totum esse sub qualibet specie significare voluisset, dixisset: *Ego sum*, minime vero: *Hoc est corpus meum*, neque distincta symbola panis et vini adhibuisset, si sub una iam specie corpus et sanguis continerentur. Sed mirum non est, Calvinum eiusque

(2) Cf. S. Thomas 3 p., q. 76, art. 3.

sectarios talia deblaterare, quia consilium Christi in eucharistiae institutione perfecte agnoscere recusant, et in illa sacramentum quidem, non autem sacrificium profitentur. Christus autem, ut inferius ostendetur, voluit, ut eucharistia sit etiam sacrificium, in quo mors ipsius incruento modo repraesentetur et renovetur. Ideo Christus talia verba elegit, vi quorum corpus a sanguine separatur, et distincta symbola, per quae eadem separatio repraesentatur.

Nota 3. Quaerunt theologi, an in eucharistiae speciebus non solum totus et integer Christus, sed etiam Pater et Spiritus sanctus per concomitantiam contineantur? et respondent affirmative. Pater enim et Spiritus sanctus propter summam identitatem omnium divinarum personarum in natura inseparabiles sunt a Verbo iuxta illud Christi: *Pater in me est, et ego in Patre* (1). Ergo, facta consecratione, tota sacrosancta Trinitas incipit esse in eucharistia, non absolute, quia, cum ubique sit, non potest absolute incipere esse alicubi; sed specialiter et novo quodam modo, ita ut, si fieri posset, sanctissimam Trinitatem non esse ubique, necessario tamen esset in sacramento eucharistiae ob summam divinarum personarum in natura identitatem.

II. *Communio sub utraque specie laicis neque praecepta, neque necessaria est.*

§ 588. Protestantes acerrime contendunt, communionem sub utraque specie iure divino praeceptam esse; et quia praecepta divina immutabilia sunt, exinde inferunt, Ecclesiam gravissime aberrasse, cum ab usu calicis laicos exclusit, hisque necessarium salutis medium eripuit. Haec saepissime a Protestantibus recocta, sed nunquam solidis argumentis probata fuerunt, ut ex solutione obiectionum patebit. Nos autem Catholici solidis argumentis probamus, nullum extare praeceptum divinum, ut laicis et etiam clericis non conficientibus communio sub utraque specie porrigatur, sed etiam communionem sub una specie validam et licitam esse; quod quidem ex *ratione theologica*, ex *S. Scriptura* et ex *Traditione* probatur.

1. *Ratio theologica* petitur ex dogmate § praec. probato. Eucharistia enim est sacramentum corporis et sanguinis Christi: ergo qui corpus et sanguinem Christi recipit, totius sacramenti particeps fit. Atqui sub unaquaque specie corpus et sanguis una cum anima et divinitate Christi continentur: ergo etiam sub una specie id totum recipitur, quod pertinet ad rationem eucharistici sacramenti. Ad rationem sacrificii quidem omnino necesse est, ut panis et vinum consecrentur, quoniam vi verborum in distincta symbola prolatorum separatio corporis a sanguine significari et mors Christi mystice renovari debet. Haec autem necessitatis ratio nullatenus militat pro eucharistia, si ut sacramentum dumtaxat consideretur; atque ideo valide et licite etiam sub una tantum specie recipitur.

2. *S. Scriptura* varia argumenta suppeditat, quae clarissime probant, nullum extare praeceptum, quo laici et clerici non conficientes ad eucharistiam sub utraque specie sumendam obligentur. Id iam ex ipsa eucharistiae institutione colligi potest. Nam *Paulus*, I Cor. XI, 24 cum narrasset, Christum panem consecrasse, et sub speciebus panis corpus suum manducandum distribuisse, absolutum refert Christi praeceptum: *Hoc facite in meam commemorationem;*

(1) Io. 10.

cum autem v. 25 dixisset, Christum etiam sanguinem suum in calice bibendum tradidisse, hypotheticum adnecut mandatum v. 26: *Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* Fideles ergo laici, quos *Paulus* circa eucharistiam instruit, sub una, non autem sub utraque specie eucharistiam sumere obligantur. — Praeterea Christus ipse declaravit, totum eucharistiae sacramentum cum saluberrimis ipsius effectibus illum recipere, qui sub sola specie panis corpus Domini manducat. Quo argumento iam *Concilium Tridentinum* usum est, Sess. XXI, cap. 1 dicens: « Neque ex sermone illo apud Ioannem cap. 6 colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse.— Namque qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (1), dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (2). Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*(3), dixit etiam: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique, qui dixit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*, dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum:* » quibus locis a Concilio citatis addi possunt verba Christi: *Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur* (4); et: *Qui manducat me, vivet propter me* (5). Ex his Christi verbis clarissime patet, quod laici non teneantur iure divino communicare sub utraque specie; nam si praeceptum ad hoc obligans extaret, sub una tantum specie communionem recipientes graviter peccarent, adeoque non vitam, sed mortem haurirent. Licitam et salubrem esse communionem sub una tantum specie, ex eo quoque patet, quia Christus ipse duobus discipulis in Emmaus sub sola specie panis eucharistiam porrexit. Nam Luc. XXIV, 30 etc. legitur: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem et benedixit ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum: et ipse evanuit ex oculis eorum.* Hunc locum intelligendum esse de pane eucharistico, asserunt *S. Hieronymus* in Epitaphio Paulae ad Eustochium, *S. Augustinus* (6), *Hesychius Hier.*(7), *V. Beda, Euthymius, Theophylactus* et alii scripturarum interpretes. Satis etiam id innuere videtur salutaris manducati panis effectus; non enim oculi corporis, sed oculi mentis aperti sunt per interiorem gratiam, quam ex divino convivio hauserunt. Perperam autem dicunt adversarii, non esse verisimile, quod Christus panem absque calice consecrarit, adeoque in fractione panis per synecdochen intelligi totum sacramentum sub utraque specie. Nam Christus sacramentorum auctor et dominus potuit panem sine calice consecrare; et ex adiunctis patet, quod noluerit ibi sacrificium offerre, sed tantum eucharistiam sub speciebus panis discipulis administrare. Porro synecdoche illa absque ratione confingitur, Scriptura enim ita coniungit distributionem panis benedicti cum Domini recessu, ut nullum relinquat locum benedicendo vel distribuendo calici. Denique tempore Apostolorum usurpatam fuisse a laicis unicam speciem, testatur Scriptura. Nam in Act. Ap. dicitur: *Erant autem perseveran-*

(1) V. 54. (2) V. 52. (3) V. 55.
(4) V. 50. V. 58.

(6) Lib. 3 de consensu Evang. cap. 25.
(7) Lib. 2 in Levit. c. 9.

tes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis, et orationibus(1). Hic agi de eucharistia fatentur Protestantes, comprobatque orationis contextus; iungitur quippe illa fractio panis cum doctrina et sacris precibus; unde interpreti Syro res adeo clara visa est, ut pro fractione panis *eucharistiae* vocabulum poneret. Accedit, haud honorificum fuisse Christianis, quod perseverantes essent in epulis et communium ciborum comestione. Cum autem fideles perseverantes dicantur *in communicatione panis*, nulla facta calicis mentione, recte infertur, ipsos sub panis tantum specie eucharistiam recepisse. Neque est, quod dicant Novatores, solum panem per synecdochen appellari, nempe ut partem pro toto, quia, ut aiunt, alias sequeretur, solum panem fuisse ab Apostolis consecratum. Namque adversariorum est probare, ibi partem pro toto sumi; quod neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione probare possunt, atque ideo iure negamus. Rationem vero afferre possumus, ex qua Apostoli eo tempore, quo legalia Moysis inania quidem, sed non mortifera facta sunt, et Synagoga cum honore sepelienda erat, eucharistiam sub specie tantum panis distribuerint. Constat enim, tunc temporis plurimos Iudaeos fuisse conversos, qui permittebantur servare adhuc quaedam legalia, ut colligitur ex Act. XXI, 20. Similiter constat, aliquos eorum fuisse Nazaraeos, *qui non bibebant vinum usque ad finem dierum voti sui* (2). Probabile vero est, eiusmodi homines non bibisse de calice Domini contra votum, neque etiam abstinuisse ab eucharistia, cum asserat S. Lucas, omnes perseverantes fuisse in fractione panis. Ne igitur Nazaraei a suscipienda fide deterrerentur, ne pusilli scandalizarentur, et ut uniformitas inter fideles conservaretur, Apostoli ab initio eucharistiam sub specie tantum panis distribuerunt. Neque vero sequitur, quod adversarii opponunt, solum panem ab Apostolis consecratum fuisse; non enim quid consecrarent Apostoli, narrat Lucas, sed quid fidelibus distribuerent. Locus parallelus, in quo iterum de sola fractione panis sermo est, occurrit Act. XX, 7: *Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat* etc. Tandem recte hic referuntur verba Apostoli I Cor. XI, 27: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini;* frustra enim Doctor gentium usus fuisset particula disiunctiva *vel*, si, ut sectarii contendunt, numquam fuisset una species ab altera separata.

3. *Traditionem*, quam caeteroquin Protestantes vilipendunt, nihilominus nobis opponunt, dum de communione sub utraque specie agitur. Clamitant enim, per multa saecula eucharistiam non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini fideli populo distributam esse. Neque nos negamus, hanc disciplinam diu in Ecclesia viguisse. Sed disciplina Ecclesiae ab eius fide distinguenda est; illa mutabilis est, haec mutari non potest. Quamvis autem per plura saecula communior usus fuerit, eucharistiam sub utraque specie etiam laicis distribuendi, Ecclesia tamen semper credidit, nullum extare praeceptum divinum, ut laicis eucharistia sub utraque specie distribuatur, sed etiam sub una tantum specie communionem valide et licite recipi. Hanc autem fuisse perpetuam Ecclesiae fidem, patet *ex communione infirmo-*

(1) Act. 2, 24. (2) Act. 18, 8, et 21, v. 23.

rum, infantium, ex communione domestica et *publica, ex praxi celebrandi Missam praesanctificatorum*, et *ex Conciliis.*

a) Si quod esset tempus, quo divinum praeceptum de sumenda eucharistia sub utraque specie urgeret, et quo nihil esset negligendum ex iis, quae necessaria sunt ad salutem, illud foret, quo instat mortis periculum. Atqui ubique terrarum et quavis aetate consuevit Ecclesia graviter decumbentibus eucharistiam sub una specie panis distribuere, nemine contradicente et conquerente. *Eusebius* narrat, Serapionem quemdam in extremis positum misisse de nocte puerum ad sacerdotem, ut ab eo eucharistiam perciperet; presbyterum vero aegrotantem, cum ipse venire non potuisset, misisse ad Serapionem per eundem puerum « exiguam eucharistiae partem, ac iussisse, ut madefactam seu, ut vertit *Valesius*, aqua intinctam seni in os instillaret, qua ille paulatim absorpta continuo animam exhalavit » (1). *Paulinus* Diaconus in vita S. Ambrosii narrat (2), S. Honoratum Episcopum Vercellensem, cum in superiori tabulato decumberet, coelesti voce de nocte admonitum fuisse, ut cito descenderet et Ambrosio iam morituro subveniret; « qui descendens obtulit Sancto Domini corpus, quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum. » Graeci feria V maioris hebdomadae panem consecrant, consecratumque Christi sanguine leviter humectant, utque per annum a corruptione immunis servari queat, omnem humorem exprimunt sacro disco ignem subiicientes. Panem hunc in exiguas particulas comminutum cum aegrotis porrigunt, vino communi eum perfundunt et humectant, ut facilius a moribundis deglutiri queat. Ita *Goarius* in notis ad Rit. Graec. et *Arcudius* lib. 3 de Concordia Ecclesiae Orient. et Occid. (3).

b) Per plura saecula mos in Ecclesia viguit, ut infantibus tum post baptismum et confirmationem, tum aliis quoque temporibus eucharistia porrigeretur. Id autem sub sola specie vini factum esse, varia monumenta ostendunt. *S. Cyprianus* (4) narrat, infantulam panem vino mixtum de idolotitis comedisse, postea vero ad Ecclesiam de more ductam fuisse, in qua sacra ab ipso S. Cypriano peragebantur: ubi vero, ait S. Pater ut testis oculatus, « solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre praesentibus coepit, et accipientibus caeteris locus eius advenit, faciem suam parvulam instinctu divinae maiestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, et reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus: in corpore atque ore violato eucharistia permanere non potuit. » Puella haec eucharistiam sub specie panis sumere potuisset, quia etiam panem idolis dicatum comedit; et tamen solius calicis puellae ministrati mentio fit, qui eidem porrectus non fuisset, si iam panem consecratum per vomitum reiecisset. — Solius quoque sanguinis infantibus dati in Ecclesia graeca quinto et sexto saeculo meminit *Iobius* Monachus lib. 3 de incarn. Verbi c. 18 (5). Ibi quippe narrans, quo ordine Christiani divinis informantur mysteriis, inquit: « Primo baptizamur, deinde unguento ungimur, inde pretioso sanguine dignamur. » Eundem usum in Ecclesia latina viguisse, testis est *Hugo a S. Victore* (6) scri-

(1) Lib. 6 Hist. eccl. c. 44. (2) N. 47.
(3) Cap. 55 et 56. (4) Lib. de lapsis, n. 17.
(5) Ap. Photium Bibl. Cod. 222.
(6) De sacram. lib. 1, c. 20.

bens : « Pueris recens natis idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt. » Iste mos autem sub sola vini specie infantibus eucharistiam administrandi in Ecclesia latina abrogatus fuit, in Ecclesia vero graeca retinetur, ut testantur *Arcudius* (1), *Allatius*, *Goarius* et alii. His accedit, quod in veteri Ecclesia etiam mos viguerit, innocentibus parvulis eucharistiam sub solis speciebus panis distribuendi, si particulae consecratae ex publica fidelium communione supererant; ut testantur *Evagrius* (2), *Nicephorus* (3), *Concilium Matisconense III* anno 585 can. 6.

c) Primis Ecclesiae saeculis consueverunt fideles, ut contra saevientes persecutiones munirentur, eucharistiam domum deferre, et quidem sub sola specie panis, ut Patres aperte testantur. *Tertul.* ad uxor. (4) ait: « Non sciat maritus (infidelis), quid secreto ante omnem cibum gustes : et si sciverit, panem non illum esse credet, qui dicitur. » *S. Cyprianus* (5) narrat: « Cum quaedam (mulier) arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius qui et ipse maculatus sacrificio a sacerdote celebrato partem cum caeteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere et contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit. » *S. Basilius* (6) ad Caesariam Patriciam scribit: « Tempore persecutionis fideles, absente presbytero vel diacono, corpus Domini licite percipere, necesse non est probare, cum vetusta consuetudine approbatum sit. Illi enim omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit sacerdotis, cum habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriae autem et per Aegyptum unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domui suae communionem... Nam et in Ecclesia ipse sacerdos partem aliquam in manus tradit, et illam apprehendit, qui percipit cum omni libera potestate, atque ita suis propriis manibus eandem suo ori admotam ingerit. » *S. Zeno* Veronensis (7) inquit: « Omnibus peraeque unus panis cum ligno (id est, arca lignea, in qua eucharistia domum deferenda condebatur) datur. » *S. Ambrosius* in Orat. fun. de fratre suo Satyro narrat, quod eucharistiam tempore naufragii in linteo circa collum ligato secum sumpserit. *S. Augustinus* (8) dicit : « Omnes viri quando communicare desiderant, lavant manus suas; et omnes mulieres nitida exhibent linteola, ubi corpus Christi accipiant. » Eiusdem praeterea consuetudinis exempla reperimus in Actis *Ss. Indis* et *Domnae* apud Surium (9), et in Actis *S. Eudoxiae* apud Bolland. (10) ubi haec leguntur: « Verum antequam traderet ultro se lupis agna Christi, brevi mora impetrata prodeundi accurrit in sacram aedem, reseratoque illic arcula, in qua divinum donum reliquiarum sancti corporis Christi servabatur, inde particulam acceptam sinu recondidit, et sic statim cum militibus abiit. » His adiici debent monachi in vastis solitudinibus degentes, qui secum eucharistiam asportabant sub unica specie, ut de eadem decurrente tempore participarent; quod praeter *S. Basilium* testantur

(1) De consensu Eccl. Occid. et Orient. lib. 3, c. 40. (2) Lib. 4 Hist. eccl. c. 36.
(3) Lib. 17, c. 25. (4) Lib. 2 ad uxorem c. 5.
(5) De lapsis, n. 18. (6) Epist. 93 al. 90.
(7) Lib. 1, tr. 14, n. 4.
(8) Serm. 229 al. 252 de tempore.
(9) Ad diem 26 sept.
(10) Mense mart. c. 12, n. 44, t. 1, p. 19.

Theodorus Studita (1) et biographus *S. Lucae* Eremitae (2). Communio ergo domestica sub sola specie panis fieri consuevit, quod patet tum ex eo, quia citati Patres unius tantum speciei meminerunt, tum quia plerique nonnisi de unica specie intelligi possunt: quis enim credat, sanguinem Christi sub speciebus vini a fidelibus perlatum esse in manibus, aut absconditum in arca lignea vel linteolo? Hinc nullibi commemorantur vasa, quibus pretiosus sanguis sub specie vini domum a fidelibus delatus fuit. Usus vero calicis ad solas Ecclesias restrictus fuit; quod iam *S. Athanasius* testatus est (3) scribens: « Mysticum poculum..... nusquam nisi apud legitimos Ecclesiae praesules invenies: hic enim unicus usus est calicis et praeter eum nullus est. » — Tot monumentis pressi Protestantes respondent, se non disputare de privata, sed de publica communione, et privatam illam fuisse idiotarum abusum, ab Ecclesia postea proscriptum. Falluntur autem adversarii, dum praefatam communionem domesticam inter idiotarum abusus referant, cum eadem non solum nullibi illicita aut invalida declaretur, sed et a Patribus commendetur et in Ecclesia graeca et latina in usu fuerit eo tempore, quo vigilantissimi pastores sedes episcopales occupabant. Quodsi communio sub una specie licita et usitata fuit in privatis laicorum domibus, recte inferimus, divino praecepto prohibitam non esse publicam quoque communionem sub una specie; quod enim simpliciter a Deo prohibitum est, nec privatim nec publice recte fieri potest. Privata communio proscripta fuit in Hispania a Synodis *Caesaraugustana* et *Toletana I*, non quia de se mala fuerit; sed ob Priscillianistas, qui sacrilege eadem abutebantur, et ita pariter post plura saecula ob varios abusus in tota Ecclesia abrogata fuit.

c) Quamvis per multa saecula eucharistia etiam laicis sub utraque specie distribueretur, nunquam tamen Ecclesia credidit, ex praecepto id fieri divino, atque ideo liberum fidelibus reliquit, sub utraque specie, vel sub sola specie panis communicare. Sic a *Sozomeno* (4) et a *Nicephoro* (5) narratur, feminam quandam macedonianam, cum vellet haeresin suam tegere, accepisse in manus, S. Chrysostomo sacrum faciente, panem eucharisticum, quasi paulo post illum manducatura esset; sed clam illum dedisse ancillae suae et ab ea sumpsisse panem communem, quem e domo afferri iusserat, ut illum loco eucharistiae publice comederet: verum panem illum, cum feminae dentibus atterebatur, in lapidem fuisse mutatum, qui ad fidem miraculo faciendam longo tempore in Ecclesia CPtana asservatus est. Porro huic mulieri datum non fuisse calicem manifeste patet, tum quod nulla eius mentio fiat, tum quia si omnes coacti fuissent sumere de calice, non potuisset illa mulier dissimulare suam fraudem; calix enim non dabatur communicantibus in manum, sed a Diacono eorum ori admovebatur. *S. Hieronymus* (6) scribit, Romae quasdam fuisse virgines ita abstemias, ut in ipsa, quam frequentabant, communione speciem vini non sumerent, easque propterea a maledicis et a mutieribus vino deditis miseras et Manichaeas vocatas fuisse; Manichaei enim, teste *S. Augustino* (7), etiam in

(1) Lib. I Epist. 57.
(2) Apud Bollandum die 7 febr. n. 42.
(3) Apol. 2. (4) Lib. 8 Hist. eccl. c. 5.
(5) Lib. 13 Hist. eccl. c. 7.
(6) Ep. 22 ad Eustoch.
(7) Lib. de haer. c. 46

sumptione eucharistiae ab usu calicis abstinebant, eoquod vinum utpote iuxta ipsos fel principis tenebrarum, omnibus execrationibus detestarentur. Temporibus *S. Leonis M.* Manichaei, relicta Africa, quam Gensericus Vandalorum rex depopulabatur, Romam perfugii causa se contulerunt. Quapropter *S. Leo* Romanum populum docuit, quo indicio latitantes Manichaei detegi possent, iussitque eos notari, qui semper abstinerent a calice, ita enim (1) loquitur: « Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno corpus Christi accipiant, sanguinem autem redemptionis nostrae haurire omnino declinent. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis huiuscemodi homines et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati et proditi a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur. » Ex quibus verbis manifeste colligitur, Romanos modo sub una, modo sub utraque specie eucharistiam percepisse; secus non longa observatione opus fuisset, ut deprehendi possent Manichaei, quos vel unica communio insolens sub sola panis specie contra Christi praeceptum et constantem fidelium morem usurpata statim prodiisset. *S. Gelasius* Papa cum cerneret, Manichaeos difficulter a caeteris fidelibus unam dumtaxat panis speciem frequenter sumentibus secerni posse, ad praecludendam illis omnem fraudis et effugii viam solemni lege sancivit, ut quotquot ad sacram mensam deinceps accederent, utramque perciperent speciem. Hac lege autem pontificia opus non fuisset, si iam praeceptum divinum fideles ad communionem sub utraque specie obligasset. Ecclesia enim nunquam consuevit ea praecipere, quae iam per praeceptum divinum satis determinata sunt, sed tantum poenas pro transgressoribus statuere.

(1) Serm. 4 de quadr.

e) Missa praesanctificatorum frequenter in Ecclesia graeca celebratur. Solent nempe Graeci per quadragesimam solis tantum diebus sabbati et dominicis ac in festo Annuntiationis B.V.M. sacrificium missae offerre eucharistiam sub gemina specie conficiendo; reliquis vero diebus, omissa consecratione, sumunt speciem panis in ultimo sacrificio consecrati absque speciebus vini, quemadmodum apud Latinos moris est die Parasceves, atque ideo missam praesanctificatorum vocant. Hac de re sic olim statuit *Conc. Trullanum* can. 52: *In omnibus S. Quadragesimae ieiunii diebus, praeterquam sabbato et dominica, et S. Annuntiationis die fiat sacrum praesanctificatorum ministerium.* Populum autem ex eodem pane praesanctificato absque sanguine Christi sub speciebus vini communicasse, testantur eorum Euchologia, atque probant *Goarius*, v. *Arcudius* et *Leo Allatius* in speciali Dissert. de missa praesanct. Ex quibus patet, Graecos, quamvis extra quadragesimam eucharistiam sub utraque specie percipiant, numquam existimasse, fideles praecepto divino obligari ad communionem sub utraque specie. — Reponunt quidem Protestantes, Graecos in missa praesanctificatorum panem madefacere sanguine Christi. Sed observandum est, Graecos tingere quidem sanguine Domini species panis pro missa praesanctificatorum reservandas, sed statim eas exsiccare supponendo ignem sacro disco, ut ne minimum quidem specierum vini vestigium maneat; hinc falso dicitur, pa-

nem praesanctificatum sumentes utramque speciem recipere. Praeterea hic ipse ritus species panis tingendi sanguine Domini, qui nunc a Graecis adhibetur, minime antiquus est, ut patet ex can. 101 Trullanae Synodi, ubi statuitur, eucharistiam esse dandam in manus fidelium; quod sane ostendit, species panis non fuisse madidas sanguine Domini; tum etiam ex schismatis instauratore *Michaële Caerulario*, qui in libro in defensionem praesanctificatorum a se scripto saec. XI diserte ait, nullam in panibus reservatis infundi guttam sacri sanguinis. Quodsi calix adhibebatur, et panis vino tingebatur, vinum hoc commune non vero consecratum erat. Nam etiam in sacramentario *Gregorii M.*, ubi ritus pro missa praesanctificatorum praescribitur, inter alia legitur: « Subdiaconus tenet ante ipsos calicem *cum vino non consecrato*, et alter patenam cum corpore Domini... Cum Pontifex dixerit: Amen, sumit de sancto et ponit in calicem nihil dicens. Et communicant omnes cum silentio, et expleta sunt universa. » Id admiserunt nonnulli eruditiores Protestantes, at dixerunt, pani consecrato superinfundi quidem vinum naturale, hoc vero consecrari praesanctificatae oblationis contactu. Respondemus autem, conversionem vini in sanguinem Christi non per contactum eucharistiae, sed per sola Christi verba fieri eius nomine a sacerdote prolata; unde vinum non consecratum speciebus panis infusum solam quamdam sanctificationem exteriorem obtinere potest.

f) Certum est, iam saeculo decimo tertio in variis Ecclesiis usum calicis in communione publica abrogatum fuisse. Nam *S. Thomas* (1) dicit: Provide in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur. » Sed tamen saeculis XIII et XIV propter sublatum calicem nulla commotio aut reclamatio facta est, quae certe omissa non esset, si Ecclesiae fides fuisset, fideles ex praecepto divino ad communionem sub utraque specie obligari. Ipsum igitur silentium duorum saeculorum, in quibus doctissimi et piissimi viri extiterunt, nobis pro argumento est, numquam Ecclesiam credidisse, quod praeceptum divinum extet, quo laici ad communionem sub utraque specie obligentur. Saeculo demum decimo quinto in Bohemia perturbationes excitatae sunt, ut iam narratum est; ac propterea *Concilium Constantiense* Sess. XIII illos reprobat, qui temerarie asserere praesumunt, populum christianum debere sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere; ac deinde inquit: *Cum huiusmodi consuetudo* (laicis sub una panis specie eucharistiam administrandi) *rationabiliter introducta et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiae auctoritate pro libitu mutare: quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum tamquam haeretici arcendi sunt. Basiliense* Sess. XXX decernit et declarat, *quod fideles laici, sive clerici communicantes et non conficientes, non adstringuntur ex praecepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie, panis scilicet et vini, sacrum eucharistiae sacramentum. Tridentinum* Sess. XXI, can. 1 ait: *Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucha*

(1) 3 p., q. 80, art. 12.

ristiae sacramenti sumere debere, anathema sit. Et can 3: *Si quis negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem sub una specie panis sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit.*

Nota. Adversarii magno conatu probare student, omnes fideles sub utraque specie communionem ex praecepto divino sumere debere; sed vana eorum dicteria facile exploduntur.

Obi. I. Christus praecepit communionem sub utraque specie; ait enim: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (1): ad salutem ergo necessarium est, ut caro Christi manducetur et sanguis eius bibatur, id est, ut eucharistia sub utraque specie sumatur.

Resp. Verba Christi ex eius scopo et orationis contextu explicanda sunt. Occasio nempe et ratio movens Christum ad illa verba proferenda fuit incredulitas litigantium inter se Capharnaitarum, ac inter se dicentium: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* (2)? At Capharnaitae non de modo sumendi sub una specie vel duabus, sed de re sumenda, scilicet de manducanda carne Christi litigabant. Christi igitur responsum et praeceptum non importat modum sumendi utramque speciem divisim, sed necessitatem rei sumendae nempe eucharistiae inculcat. Et sane in verbis Christi de speciebus panis et vini nulla prorsus mentio occurrit, et solum adseveratur, ad vitam in se habendam necesse esse, ut caro et sanguis Christi tanquam animae nutrimentum sumantur. At quando fideles sub una tantum panis specie eucharistiam percipiunt, integrum praeceptum Christi adimplent; manducant enim carnem Christi, simulque bibunt eius sanguinem, non quidem sub speciebus vini, sed sub speciebus panis, quia corpus et sanguis per concomitantiam simul continentur sub una specie. Neque illud *biberitis* evincit necessitatem sanguinis proprie ac stricte *bibendi*, et sub specie propria, nempe vini; S. Scriptura enim manducationem et potum saepe pro eodem sumit: sic I Cor. IX dicitur: *Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat?* et Ps. LXVIII: *Dederunt in escam meam fel.* — Porro plures interpretes animadvertunt, particulam *et* in verbis Christi disiunctive accipiendam esse, et aequivalere particulae *vel*. Verba enim: Nisi manducaveritis etc., et nisi biberitis etc. aequivalent verbis: *si neque* manducaveritis, neque biberitis etc. Constat enim ex Scripturis, particulam *et* quandoque disiunctivum habere sensum. Sic Exod. XXI in hebraico textu legitur: *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur:* quae sane in sensu disiunctivo accipienda sunt atque ab Ecclesia in Vulgata accipiuntur; neque enim necesse est, ut quis utrumque parentem percutiat, quo reus mortis censeatur. Et Act. III, 6 Petrus dixit claudo: *Argentum et aurum non est mihi*, id est, neque argentum, neque aurum habeo. Denique omnem haesitationem tollit tum dictum Christi: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (3), quibus verbis idem salutaris effectus, qui manducanti carnem et bibenti sanguinem promittitur, etiam sub una specie panis eucharistiam sumenti tribuitur; tum sensus Ecclesiae, quae in citatis verbis numquam praeceptum divinum agnovit omnes ad eucharistiam sub utraque

(1) Io. 6, 54. (2) V. 53. (3) Io 6, 59.

specie sumendam obligans, sed eandem etiam sub una tantum specie quovis tempore distribuit, ut ex allatis argumentis patet.

Obj. II. Christus eucharistiam Apostolis distribuit sub utraque specie: ergo idem ritus in communione fidelium perpetuo servandus est, tum quia exemplum Christi imitari debemus (1), tum quia Christus expresse praecepit, ut Apostoli et eorum successores idem faciant, quod ipse fecit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (2); quae verba, teste Paulo (3), etiam ad calicis distributionem referenda sunt: quod confirmatur ex eo, quia sicut Christus ait: *Accipite et manducate*, ita etiam dixit: *bibite ex hoc omnes* (4). Imo, ut observat *Lutherus*, praevidens Christus aliquos aliquando futuros, qui vellent fideles a calice arcere, in sola porrectione calicis praecepit, ut *omnes* bibant. Ergo etiam laici de calice participare debent.

Resp. Christus in institutione eucharistiae plurima egit, quae tamen minime sunt praecepta. Sic duodecim tantum Apostolis, exclusis foeminis, eucharistiam sub utraque specie porrexit, communioni coenam praemisit, pedes discipulorum lavit etc. Si igitur Christi exemplum per omnia sequi teneremur, deberent etiam Protestantium ministri non pluribus quam duodecim ministrare, iisque iam corporali cibo refectis; et praecipue gravissimis illis Christi verbis permoti: *Si ego Dominus et Magister lavi pedes vestros, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (5), deberent laicorum discumbentium pedes lavare, et coenam suam non matutino, sed vespertino tempore celebrare. Haec autem non sub praecepto cadere, Protestantes fatentur; Christus enim in citatis verbis verum praeceptum dedit Apostolis et eorum successoribus, ut idem faciant, quod ipse fecit, ut nempe panem et vinum consecrantes eucharistiam conficiant, eamque sub utraque specie sumant. Hoc praeceptum Ecclesia semper agnovit, et fidelissime adimplevit, quia quovis loco et tempore sacerdotes catholici panem et vinum consecrantes eucharistiam conficiunt, et sub utraque specie sumunt. Praeceptum vero etiam laicis eucharistiam sub utraque specie distribuendi in verbis Christi contineri non potest, quia laici in ultima coena non adfuerunt, sed soli Apostoli, quos tunc Christus sacerdotes constituit. Laicis et clericis non conficientibus sub una specie eucharistiam administrari posse, Christus ipse declaravit, cum discipulis in Emmaus eucharistiam sub una tantum specie distribuit. Hinc Paulus, cum de participatione calicis sermo est, verba Christi hypothetice refert: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem* (6). Falluntur porro adversarii, dum praeceptum divinum agnoscunt, etiam laicos obligans in illis verbis: *Bibite ex hoc omnes;* etenim praeter contextum, qui clare ostendit, haec verba ad solos Apostolos convivantes dirigi, aperte id habemus apud Marcum, qui executionem dominici mandati refert dicens: *Et biberunt ex illo omnes* (7), id est, omnes Apostoli, qui soli aderant. Quapropter sicuti verba Christi: *Euntes docete omnes gentes* etc. (8); et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc., (9) ad solos Apostolos pertinent, ita in citatis Chri-

(1) Io. 13, 15. (2) Luc. 22, 17.
(3) I Cor. 11, 25. (4) Matth. 26, 27.
(5) Io. 13, 14, etc. (6) I Cor. 11, 25.
(7) C. 14, 23. (8) Matth. 28. (9) Io. 20.

sti verbis per *omnes* non intelliguntur omnes fideles indistincte, sed omnes tantum Apostoli. Christus nempe porrigens Apostolis panem non dixit, manducate ex eo *omnes*, quia non dedit illis integrum panem dividendum inter se, sed panem eucharisticum ipse divisit in plures partes, et singulis singulas porrexit. At vero calicem plenum uni Apostolorum dedit cum hac cautione, ut non putaret, totum sibi ebibendum esse, sed aliquid inde degustandum ac deinde reliquis ordine porrigendum.

Obi. III. *Paulus* de Patribus V. T. scribit: *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt* (1): ergo cum figuris veritas succedat, necesse est, ut omnes fideles de calice bibant. Idcirco idem Apostolus de eucharistia loquens semper esum et potum coniungit dicens: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (2). Doctrinam vero suam de eucharistia a revelatione immediate divina repetit dicens ibid.: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis* (3).

Resp. Non negamus, figuram, de qua loquitur Apostolus, ad eucharistiae sacramentum referri, in quo fideles corpore et sanguine Christi reficiuntur. At vero cum Christus Dominus sub panis specie totus et integer contineatur, constat, ab eo, qui speciem panis sumit, simul etiam sanguinem bibi, atque adeo potum illum salutarem ex hac petra fluentem percipi, qui spiritualem sitim restinguit. Scopus Apostoli poster. loc. cit. (4) est ostendere necessitatem probationis, quam quisque praemittere debet, non autem inculcandi utriusque symboli sumptionem, ut constat ex orationis serie. Monet nimirum ibi fideles, ne peccati gravis sibi conscii participes fiant corporis et sanguinis Domini sive sub una, sive sub utraque specie, ut ipsis liberum erat, eucharistiam percipiendo. Rationem iam vers. praec. attulerat disiunctive loquens: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (5). Fatemur, doctrinam Pauli de eucharistia immediate revelatam esse; sed in illa praeceptum pro laicis continere eucharistiam sub utraque specie sumendi, prorsus negamus.

Obi. IV. Patres tradunt, ex dominico praecepto quemlibet teneri ad calicis sumptionem. Ita *Iustinus M.* in Apologia I n. 66 communionem sub utraque specie commemorat, cum dicit: « Apostoli in commentariis suis, quae Evangelia dicuntur, ita praecepisse sibi Iesum, tradiderunt. » *S. Cyprianus* (6) ad Caecilium ait: « Quidam vel ignoranter vel simpliciter in calice Domini sanctificando, et plebi ministrando non hoc faciunt, quod Iesus Christus Dominus et Deus noster, sacrificii huius auctor et doctor fecit et docuit. » Auctor Sermonis de coena Domini inquit: « Lex esum sanguinis prohibet: Evangelium praecipit, ut bibatur. » *S. Gelasius I* apud Gratianum de consecr. (7) dicit: « Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo sacri corporis portione, a calice sacri cruoris abstinent: qui procul dubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur adstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. » Ipse ergo romanus Pontifex sacrilegum

(1) I Cor. 10, 3 et 4 (2) I Cor. 11, 28.
(3) I Cor. 11, 23. (4) I Cor. 11, 28.
(5) I Cor. 11, 27. (6) Ep. 63.
(7) Dist. 2, c 12.

esse declarat, communionem sub panis tantum specie percipere.

Resp. Patres cohaerenter ad disciplinam tunc temporis vigentem hortabantur fideles, ut sumerent eucharistiam prout administrabatur, a qua recedere privatis hominibus fas non erat. Ut fideles propterea compellerent ad utriusque speciei participationem, urgebant praeceptum Christi, quale praesumebatur ex eius exemplo et institutione, eadem ratione ac urgebant praeceptum Christi, cum commendarent sive baptismi collationem per immersionem, sive pedum lotionem aliaque eiusmodi, quae nonnisi latiori sensu poterant dici a Christo praecepta, uti adversarii nostri ultro concedunt. Non igitur rigorosum ac proprie dictum praeceptum Patres agnoverunt, quo Christus omnes obligaverit ad communicandum sub utraque specie; alioquin neque Patres neque fideles unquam recessissent ab eiusmodi sumptione, cum tamen constet, contrarium passim ab ipsis factum esse, uti certissimis documentis ostendimus. Quodsi Patres rigorosum et proprie dictum praeceptum utramque speciem in eucharistia adhibendi affirmant, loquuntur de sacerdotibus, qui sub utraque specie eucharistiam conficere et sumere obligantur. Sic verba *S. Iustini*, in quibus commemoratur Christi praeceptum, non pertinent ad communionem, sed ad consecrationem; immediate enim ante verba citata ait S. Martyr, panem per verbum Dei prolatum in consecratione fieri eucharistiam, et non esse amplius communem panem, sed ipsius Iesu carnem et sanguinem. Quod vero etiam de communione fidelium loquens utramque speciem commemoret, mirum esse non debet, cum aetate illius in usu esset communio sub duplici specie. *S. Cyprianus* l. c. non disputat de necessitate utriusque speciei in communione fidelium, sed contra Aquarios invehitur, qui in calice eucharistico solam aquam offerebant sine vino, et sic rationem sacrificii e medio tollebant: ideo sane ad exemplum Christi, *sacrificii* auctoris et doctoris appellat. *Auctor* sermonis de coena Domini nullibi dicit, praecipi in Evangelio, ut sanguis bibatur ab omnibus, sed tantum, ut bibatur, quod fit etiamnum apud nos a sacerdotibus sacrificium offerentibus; neque vim ponit praecise in bibendo, sed in sumendo sanguine; promiscue enim loquitur de esu et potu sanguinis, ut patet ex loco in obiectione allato, ubi cum opponat tanquam contraria bibere sanguinem, et non edere sanguinem, aperte significat, se pro eodem accipere esum et potum. *S. Gelasius* vel loquitur de solis sacerdotibus sacrificantibus, ut dicit *S. Thomas*(1), eo quod apud Ivonem et Gratianum capiti *Comperimus*, hic titulus praefigatur: *Corpus Christi sine eius sanguine sacerdos non debet accipere:* vel ut communius eruditi arbitrantur, decreto illo suo solos ferit Manichaeos Romae latitantes, qui ut alias a vino, ita etiam in eucharistica mensa a speciebus vini impia superstitione abstinebant. Ad Manichaeorum ergo sensum dividere unum et idem mysterium grande est sacrilegium, non vero ad sensum Catholicorum, qui cum credant, integrum Christum aeque sub una ac sub utraque specie esse, non sub duplici, sed sub una specie communicant. *Anastasius* in vita S. Gelasii refert, hunc Pontificem praeceptum dedisse, ut omnes fideles sub utraque specie communicent ad latitantes Manichaeos facilius detegendos. Hoc decretum igitur pro nobis

(1) 3 p., q. 80 art. 12 ad 1.

probat, Ecclesiam tunc non credidisse extare praeceptum divinum, quo omnes fideles ad communionem sub utraque specie obligentur.

Obi. V. Eucharistiae administratio sub una tantum specie sacramentum facit mutilum tum ex parte signi, tum ex parte causalitatis. Eucharistia enim ex voluntate Christi est signum passionis et mortis Christi, quam, qui communicant, omnes commemorare tenentur: atqui species una hanc mortem non exprimit, exprimunt vero disertissime duae, quarum una corpus ut avulsum a sanguine, altera sanguinem ut separatum a corpore repraesentat. Eucharistia porro convivium est, in quo potus et cibus adesse debent: totam igitur huius sacrificii efficaciam non experitur, qui eucharistiam sub una tantum specie sumit.

Resp. Protestantes ideo haec obiiciunt, quia in eucharistia solam rationem sacramenti, non autem rationem sacrificii agnoscunt. Christus vero, ut inferius probabitur, eucharistiam etiam ut sacrificium instituit, atque ideo duas species elegit, ut tenore verborum et specierum corpus a sanguine separetur, mors ipsius in cruce tolerata repraesentetur, et mystice renovetur. Utraque species idcirco necessaria est ad rationem sacrificii, non ad rationem sacramenti. Unde *S. Thomas* (1) dicit: « Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus consecrari sine sanguine. Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi; nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit, et sub utraque specie Christus continetur. » Permisceri nullatenus debent *repraesentatio* mortis Christi, quae fit in sacrificio, et *commemoratio* eiusdem, quae facienda est in communione; minus quippe requiritur ad commemorationem, quam ad repraesentationem alicuius rei. Caeterum etiam in una specie sufficienter exprimuntur passio et mors Christi, quia tenore verborum et specierum corpus ut separatum a sanguine ponitur. Illud quidem concedimus, non ita distinctam haberi et expressam in una, quam in duplici specie significationem: verum maior illa ac magis distincta significatio ad naturam sacramenti non attinet, sicut in baptismo triplex immersio distinctius haud dubie significat mortem et sepulturam Christi; neque tamen idcirco invalidus est baptismus infusione aut aspersione collatus. Eucharistia porro etiam convivium est, sed convivium spirituale; alia vero est ratio convivii communis, alia convivii spiritualis; illud enim sine potu mutilum est, non item vero convivium sacramentale, in quo sub unaquaque specie cibus et potus, corpus et sanguis Christi tribuuntur. Neque tandem ex duplici specie maior capitur fructus quam ex una, quia Christus nec magis sub duplici specie quam sub una praesens est, nec maiores gratias promittit sumenti sub utraque specie, quam sumenti sub sola specie panis (2). Sicut enim baptizatus per trinam immersionem maiorem non percipit gratiam, quam baptizatus per infusionem, licet immersio expressius significet mortem et sepulturam Christi, quam infusio: ita communio sub utraque specie maiorem gratiam non confert, quamvis illa expressius significet passionem et mortem Domini. Ratio est, quia sub qualibet specie totus et integer Christus continetur, ratione cuius species

(1) 3 p., q. 80 art. 12 ad 3.

(2) Cf. n. 2.

significant et operantur gratiam. Atque haec assertio nostra est longe communior inter Catholicos, quamvis contraria etiam sententia aliquos habeat in scholis patronos, ideoque a *Conc. Tridentino* minime decisa fuerit, quod (1) solummodo docet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Quod si, ut nonnulli autumant, uberiorem quamdam, sed accidentalem gratiam ex communione sub utraque specie perciperent, utilitati tamen suscipientium praeferenda est reverentia huic sacramento debita; minus enim malum est, ut laici careant bono aliquo non necessario, quam ut sacramentum Dei evidenti periculo irreverentiae exponatur.

III. *Iure prudenterque Ecclesia usum calicis non sacrificantibus sustulit.*

§ 589. 1. Potuisse Ecclesiam usum calicis abolere, manifeste sequitur ex eo, quod hactenus demonstravimus, nullum esse hac de re a Christo divinum impositum praeceptum, atque adeo sumptionem eucharistiae sub utraque specie non pertinere ad huius sacramenti substantiam, ut proinde hic locum habeat illa *Concilii Tridentini* declaratio Sess. XXI, cap. 2: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis tum in hoc ipso sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa eius usum, caetera, inquit, cum venero, disponam.* Haec regula semper in Ecclesia observata fuit, nemine contradicente, ubi nullum erat divinum praeceptum, sed solum Christi vel Apostolorum aut primaevae Ecclesiae exemplum. Sic decretum est, ut eucharistia nonnisi a ieiunis sumatur, non obstante quod Christus eam Apostolis distribuerit post coenam; et ut pueris statim post baptismum porrigeretur, quod nec Christus, nec Apostoli fecisse leguntur; quem postea morem Ecclesia latina abrogavit. Iuxta eandem regulam Ecclesia tali potestate instructa a Christo potuit prohibere calicis usum, prout reipsa in *Conciliis Constantiensi* et *Tridentino* prohibuit, seu potius lata lege confirmavit inolitam iamdiu consuetudinem communicandi sub sola specie panis. Ideo *Patres Constantienses* Sess. XIII dicunt: *Licet in primitiva Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. Conc. Tridentinum* cit. ita prosequitur: *Quare agnoscens sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis, latissime iam mutata illa consuetudine, gravibus et iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habenda decrevit; quam reprobare aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate vel*

(1) Sess. 21, cap. 3.

libito mutare non licet. Et Sess. XXI can. 2 definit: *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.*

2. Prudenter iustisque de causis fuisse laicis usum calicis sublatum, vel ex eo solum coniicere possumus et debemus, quod non temere ac praecipitanter id factum sit, sed post diutinas considerationes ac disputationes, in tribus *Conciliis Constantiensi, Basileensi* ac *Tridentino* habitas, post auditas et mature perpensas non solum haercticorum querelas, sed catholicorum etiam theologorum rationes, ac demum magnorum Principum pias supplicationes. Praeterea non semel Ecclesia experiri voluit, an concessio tam ardenter a nonnullis expetita fidei restituendae aut saltem conservandae prodesset; sed infelici rerum exitu edocta eandem concessionem iam factam revocavit. Sic cum *Patres Basileenses* anno 1434, in ita dictis *Compactatis*, usum calicis sub certis conditionibus concessissent, debuit postea haec concessio aboleri; ut ea pariter quam *Pius IV* anno 1563, enixis Ferdinandi imperatoris precibus, inclinatus dederat, ob infaustos eiusdem effectus ab eius successoribus *Pio V* et *Gregorio XIII* revocata fuit.

3. Ecclesia utpote mater nobis a Deo data et a Spiritu sancto semper directa non tenetur Filiis suis rationem reddere, cur hac potius vel illa ratione se in suis determinationibus gerat. Quapropter licet eas causas, quibus inducta fuit ad talem legem ferendam, minime patefecerit, pro certo a nobis tenendum est, eas iustissimas et gravissimas fuisse. Theologi tamen praecipue ex concertationibus, quae agitatae sunt in congregationibus *Concilii Tridentini*, varias rationes collegerunt, ex quibus Ecclesia adducta fuit ad usum calicis in communione laicorum abrogandum. Prima ratio fuit periculum irreverentiae erga SS. Sacramentum. In magno enim fidelium concursu, inter quos senes tremuli et iuvenes imcompositi ad sacram mensam accedunt, difficillime cavetur, quin calix uniuscuiusque labiis quantalibet dexteritate admotus aliquantisper aut in faciem, aut in vestes, aut in ipsam terram effluat, atque ita profanationi sanguis nostrae redemptionis exponatur. Secunda ratio fuit nausea et repugnantia, quam multi sentiunt ex eodem vase aut eodem calamo biben · metuentes, ne aut contagio m rbo inficiantur, aut sordes a vil bus hominibus contrahant foetidosque halitus excipiem: atque ex hoc praecip capite existimandum est, fide es multos, propria sponte et nulla praeeunte lege ecclesiastica, iam ante plura saecula a ca lice abstinuisse. Tertia ratio fuit multitudo abstemiorum, qui vini odorem et saporem ferre nequeunt, et quibus quovis tempore licitum erat a specie vini abstinere, ne provocati ad vomitum sanctissimum sacramentum profanarent. Quarta ratio fuit maxima difficultas in asservanda specie vini pro aegrotis, in regionibus praesertim calidioribus, in quibus vinum facile acescit, aut in nimis frigidis, in quibus frequenter congelascit. Quinta ratio fuit inopia vini non solum in regionibus septentrionalibus, in quibus ipsum non crescit et non sine magnis sumptibus et difficultatibus advehitur, sed etiam in plerisque pagis regionum vini feracium ob tenuitatem et paupertatem incolarum. Sexta ratio fuit duplex haeresis convellenda:

una eorum, qui communionem sub una specie ut sacrilegam damnabant, et altera eorum, qui negabant sub qualibet specie integrum Christum contineri. Ecclesia igitur, partim ne fideles a communionis frequentia retardarentur, partim ut in hoc unitatis sacramento externa quoque fidelium uniformitas procuretur, partim ut dogmata catholica de integri Christi praesentia sub unaquaque specie, et de liceitate communionis sub una tantum specie contra haereticos stabilirentur, sapientissime decrevit, ut a laicis et a clericis non conficientibus eucharistia sub una tantum panis specie percipiatur.

Nota 1. De praesenti materia copiose et erudite tractarunt *Bellarminus* lib. 4 de euch. (1), *Bossuet* in tractatu de communione sub una eius specie, et in eiusdem defensione, *Pellicia* de Ecclesiae politia (2). — Adversarii vero ultimae nostrae propositioni sequentia opponunt.

Obi. I. Si concedatur, Christum non praecepisse, ut omnes eucharistiam sub utraque specie sumant, certum tamen est, Christum eucharistiam sub utraque specie pro omnibus instituisse, ac ideo omnibus ius tribuisse sanguinem divinum sub specie vini bibendi. Ecclesia ergo iniuste egit, cum calicem interdicendo fideles iure divinitus acquisito privavit.

Resp. Christus eucharistiam instituit sub duplici specie, ut sit sacrificium, quod a sacerdotibus pro omnibus fidelibus offertur. Christus vero eucharistiam instituit etiam ut sacramentum, sed ita, ut integrum sacramentum etiam sub una specie percipiatur. Quodsi fideles omnes etiam laici, tenore institutionis ius acquisierunt eucharistiam etiam sub specie vini sumendi, hoc ius non est absolutum, sed dependens ab ordinationibus Ecclesiae, cui Christus sacramentorum dispensationem reliquit. Ecclesia igitur nullum fidelium ius violavit, sed iure proprio prudenter usa est, cum calicis usum in communione laicorum abrogavit.

Obi. II. Ex ipsa nostra confessione communio sub utraque specie usitata fuit in Ecclesia Occidentali per duodecim fere saecula, et in Ecclesia Orientali etiamnum viget, quin ulla aut haberetur aut habeatur ratio periculi irreverentiae, aut scandali, aut caeterorum incommodorum: aequum ergo erat, ut tam antiqua et universalis consuetudo etiam in posterum servaretur, ne fideles speciali gratia et consolatione ex sumptione divini sanguinis redundante privarentur.

Resp. Ex dictis patet, numquam fuisse hanc consuetudinem ita universalem et constantem, ut nulla contraria exceptio fieret tum ratione infirmorum, tum ratione infantium, tum aliis de causis, quin tamen illi, qui sola specie panis contenti esse debebant, ullas moverent querelas; rursus communionem calicis versus saeculum duodecimum cessasse, quin ideo turbines excitarentur, quia semper et ubique creditum est, non ex praecepto divino fideles ad communionem sub utraque specie obligari, sed distributionem eucharistiae sub una vel utraque specie ad disciplinam pertinere ab Ecclesia ordinandam. Quare autem Ecclesia per 12 saecula usum calicis in communione laicorum adhibuerit et postmodum abrogaverit, non est hominum privatorum examinare et iudicare, qui varias concurrentes rationes, et rerum, temporum locorumque adiuncta inquirere, iuste ponderare et perfecte perspicere nequeunt Fatendum potius humiliter est, iu-

(1) Cap. 20 et seq. (2) Tom. 3 dist. 1.

stam atque prudentem tum veteris tum recentioris Ecclesiae disciplinam dicendam esse. Et sane prioribus saeculis, in quibus canones Ecclesiae poenitentiales pleno in vigore erant, per graviores poenas statutas improvidae sanguinis effusiones et irreverentiae erga SS. sacramentum praecaveri poterant. Cum autem pedetentim ob infirmitatem fidelium canones poenitentiales mitigandi essent, et potestas Ecclesiae usque magis vilipendi coeperit, aliis modis periculis irreverentiae et scandali obviandum erat. His accedit, quod prioribus saeculis fideles ad maximos sumptus religionis ac devotionis causa faciendos paratissimi fuerint; quo fervore decrescente, inopia vini gravis ratio facta est, ex qua usus calicis abrogaretur, praecipue quando plures populi septentrionales ad religionem christianam conversi sunt. Ex his rationibus usus calicis in variis Ecclesiis particularibus sublatus est. Ecclesia tamen catholica illum nunquam positivo aliquo decreto abrogavit, donec saeculo XV homines inquieti novarumque rerum cupidi dogmatizare coeperunt, Ecclesiam in re gravissima errare, et singulos Christi fideles ex divino praecepto ad calixtinam communionem teneri, quorum temerariam praesumptionem necesse fuit solemnibus definitionibus coërcere, ut factum est in *Conciliis Constantiensi*, *Basileensi* et *Tridentino*. Fideles autem Ecclesiae praecepto obsequentes, et sub una specie corpus et sanguinem Christi sumentes, eandem imo ex obedientiae merito maiorem gratiam et longe solidiorem consolationem sibi comparant, quam illa esset, quam sibi ex communione sub utraque specie contra decreta ecclesiastica imaginantur.

(1) Lib. 1 adv. Marcion. c. 28.

Usus doctrinae de eucharistia, altissimo mysterio.

§ 590. 1. Cum mysteria omnia comprehendi nequeant, sed propter Dei revelantis auctoritatem credenda sint, id praecipue de eucharistia dicendum est, quae a Tertulliano (1) *Sacramentum fidei*, et ab Ecclesia *mysterium fidei* nuncupatur. Humili ergo fide dogmata de eucharistia recipienda sunt, non curiose inquirenda. Ideo S. *Ephraem* (2) inquit: « Esto fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi: noli temere ea scrutari, ne in ipsorum perscrutatione comburaris. » Ignis enim caute ad se accedentes illuminat et calefacit: temere sibi adpropinquantes cruciat et comburit. Ita pariter qui dogmata revelata humiliter credit, maxima emolumenta capit; qui autem nimis iusto speculationibus philosophicis indulget, et ea, quae rationi humanae impervia sunt, curiosius indagare praesumit, facile in dubiorum et infidelitatis barathrum demergitur. Maxime igitur necesse est, ut, dum de eucharistia agitur, simus, ut Apostolus nos monet: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei* (3). Rationabile autem esse hoc obsequium nostrum, dubitare non licet. Nam ait S. *Thomas a Villanova* (4): « Magnum hoc est fidei nostrae meritum, quod incomprehensibilia credimus non alio quidem testimonio, quam solo veritatis dicto, non per intelligentiam fidem adhibentes, sed per fidem ad intelligentiam adscendentes; sicut

(2) De nat. Dei non scrut. c. 5.
(3) 2 Cor. 10, 5.
(4) Conc. 2 in festo corp. Chr.

scriptum est: *Credidi, propter quod locutus sum* (1); et: *nisi credideritis, non intelligetis* (2). Sed quid, obsecro, magnum est, si Christo Domino creditur? Christus ait: *Hoc est corpus meum*, et super hoc quispiam audeat dubitare? Nam etsi ea quae dicuntur, ardua et difficilia sunt ad credendum, fidei tamen minuitur difficultas, ubi dicentis consideratur auctoritas. Noli considerare quod dicitur; sed quis dicat, attende. »

2. Eucharistiae institutio luculentissimum est divinae charitatis argumentum. Nam, si *tempus* institutionis adtendamus, *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*, etc. (3). O immensa charitas! cum traditur ad mortem, semetipsum nobis tradit ad vitam, cum ei parantur vincula, ludibria, flagella, spinae, clavi et crux, ipse nobis parat panem de coelo omne delectamentum in se habentem; cum homines crudelissima suae impietatis consilia complent, tenerrima suae erga homines charitatis consilia Christus manifestat. Si *obiectum* institutionis inspiciamus, Christus se totum nobis tradit cum carne et sanguine, cum corpore et anima, cum divinitate et humanitate, cumque omnibus meritis vitae, passionis et mortis suae, ita ut maius donum nec sapientia divina invenire, nec omnipotentia producere, nec bonitas immensa concedere possit. Si *modum* indagemus, multa sunt, quae summopere admirari debemus. Nam si Apostolus stupore abreptus unigenitum Dei Filium laudat: *Qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* (4): quid dicemus, si eundem sub speciebus panis et vini latere videmus? Imo novo stupore abripi debemus, si miracula perpendimus, quae a Christo patrantur, ut non solum divinae maiestatis suae splendorem, sed etiam visibilem humanitatis suae formam sensibus nostris subducat, et quovis loco et tempore charitatis suae consilia exequatur. Si *finem* institutionis consideremus, ideo potissimum eam factam esse cognoscimus, ut Christus nobis charitatis suae praeteritae memoriam relinqueret, praesentis certissimum signum praeberet, et futurae pignus daret. Recte igitur hoc amoris mysterium credentibus perpetuo acclamatur: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* (5).

3. Permanet Christus in eucharistia: ergo inibi permanenter, et si fieri posset, indesinenter adorandus foret. Hinc animae sanctae, singularis pietatis laude insignes, divinissimum hoc sacramentum haereticorum impietate tantopere inhonoratum praecipua sibi pietate colendum elegerunt, eiusque perpetuo sese cultui dicarunt, devoverunt, consecrarunt. Quis talis interni atque externi cultus aequitatem, necessitatem et utilitatem negabit? — Certe si exinanitioni exaltatio iure merito respondeat (6), quid iustius est, quam ut in eo sacramento Christus iugiter adoretur, ubi propter nos a suae maiestatis fulgore pallescens, ita se humiliat, ita Deo, ita hominibus se supponit, ut poenitentis et agni occisi personam iugiter gerat, et pro nobis impleat? Recte igitur Ecclesia catholica cultum Christo in eucharistia debitum externa pompa, solemnibus expositionibus et processionibus promovere satagit. Recte etiam fideles frequenter et devote eucharistiam visitant, non solum ut Christo debitum hono-

(1) Ps. 115, 1. (2) Is. 2 (ex vers. 70.
(3) I Cor. 11, 23. (4) Phil. 2, 7.
(5) I Io. 4, 19. (6) Phil. 2, 9 etc

rem referant, sed etiam ad omnipotentis et benignissimi Redemptoris pedes provolvuntur, ut asylum in calamitatibus, consolatorem in tristitia, defensorem in malis, patrem in necessitatibus inveniant, et donis coelestibus repleantur. Recte denique Sacerdotes non solum summum charitatis mysterium populo solerter declarare, sed etiam exemplis et verbis cultum eucharisticum promovere student, atque omnem conatum adhibent, ut fideles a cunctis irreverentiis retrahant, quae eo graviores et atrociores sunt, quo magis Christo in altari praesenti verba Ioannis applicanda sunt: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem* (1).

DISSERTATIO II.

De eucharistia, quae est sacramentum efficacissimum.

§ 591. 1. Eucharistiam esse sacramentum, ex antiquis soli negarunt *Archontici*, qui, testibus *Epiphanio* (2) et *Theodoreto* (3), S. Scripturam et sacramenta reiiciebant. Ineunte saeculo XI, *Gundulphiani* cum baptismo respuebant eucharistiam qua sacramentum, ut liquet ex Synodo *Atrebatensi* an. 1025. Nunc eucharistiae sacramentum negant soli *Sociniani* cum recentioribus *Pantheistis* et *Rationalistis*, quod nec ullam gratiam donet, sed iam donatae obligationem adumbret. Reliqui autem omnes, quotquot Christiano censentur nomine, eucharistiam verum esse novae legis sacramentum admittunt, et quidem rectissime. Omnia enim in eucharistia inveniuntur, quae ad novae legis sacramenti proprie dicti rationem requiruntur. Constat enim eandem esse institutam a Christo (4), adest res subiecta sensibus; sicut enim verba consecrationis auditui, ita species panis et vini reliquis sensibus subiiciuntur: promissa quoque est gratia, quae per externam eucharistiae sumptionem significatur et producitur (5). Sicuti enim per naturalem cibum et potum corpus, ita per cibum et potum eucharisticum anima reficitur.

2. Eucharistia igitur recte definitur novae legis sacramentum, in quo sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi continentur, ad spiritualem animae refectionem divinitus institutum. Duae autem species, quae in eucharistia occurrunt, nullatenus duplex sacramentum constituunt. Nam, ait *Catechismus romanus* (6): « Licet sint duo elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum eucharistiae sacramentum conficitur, non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse Ecclesiae auctoritate docti confitemur; aliter enim septenarius sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum atque a *Conciliis Lateranensi*, *Florentino* et *Tridentino* decretum est, constare non poterit. » Rationem theologicam affert *S. Thomas* (7) dicens: « Unum dicitur non solum quod est indivisibile vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum, sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum in perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia, quae requiruntur ad finem eiusdem: sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animae, et domus integratur ex omnibus partibus, quae sunt necessariae ad inhabitandum: et sic hoc sacramen-

(1) Apoc. 5, 12. (2) Haer. 34.
(3) Lib. 1 haer fab. c. 12, etc. (4) § 569.
(5) Io. 6, 57 et seq. (6) P. 2, cap. 4, n. 10.
(7) 3 p., q [illegible]

tum dicitur unum. Ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quae corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus secundum illud Io.: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (1). Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective.» Dubitari igitur non potest, eucharistiam unum esse sacramentum, quia duae species unum Christum continent, unum convivium seu unam animae refectionem constituunt, unam passionem et mortem Christi repraesentant, et unum corpus mysticum, quod est Ecclesia, significant.

3. Eucharistia, quamvis in requisitis essentialibus cum caeteris sacramentis conveniat, in multis tamen ab iisdem differt. Reliqua enim sacramenta gratiam conferunt, eucharistia non solum gratiam confert, sed ipsum continet gratiae auctorem. In aliis sacramentis materia, quae adhibetur, in aliam substantiam non mutatur: id vero contingit in eucharistia, cum panis et vinum in corpus et sanguinem Christi trasmutantur. Reliqua sacramenta usu perficiuntur, et in actione transeunte consistunt; eucharistia vero praeter actiones transeuntes, quibus conficitur et consumitur, etiam rem fixam et permanentem habet, quia Christus per consecrationem praesens fit et praesens manet, donec species consumantur. — Cum autem multa in hoc mysterio occurrant, quibus a Ss. Scriptoribus aliquando nomen sacramenti tribuitur, quaesitum est a scholasticis, quid habeat proprie rationem sacramenti? — Quidam ergo propriam rationem et essentiam sacramenti reposuerunt in consecratione. Quidam in sumptione, quidam in speciebus consecratis, quidam in ipso corpore Christi, quidam in corpore et speciebus simul. Communior autem theologorum sententia est, rationem eucharistiae sacramenti proprie in speciebus panis et vini, ut continent corpus et sanguinem Christi, sitam esse, quoniam hae proprie et vere sunt, quae significant et efficiunt gratiam nos reficientem. Facile autem variae theologorum sententiae conciliantur, si dicatur, eucharistiam tum in re fixa et permanenti, tum in actionibus transeuntibus consistere, nempe in consecratione, qua hoc sacramentum conficitur, et in sumptione, qua hoc sacramentum fidelibus applicatur et species consumuntur.

4. Ut doctrina de eucharistia, ut est sacramentum efficacissimum, plene cognoscatur, *de materia et forma*, *de ministro*, *de effectu*, *de necessitate* et *de subiecto eucharistiae* agendum est.

(1) C. 6, 56.

ARTICULUS I.

De materia et forma eucharistiae.

§ 592. Iuxta dictum *S. Augustini*: « Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, » seu ut loquuntur scholastici, ad quodlibet sacramentum conficiendum materia et forma necessaria est; illa vero in remotam et proximam recte distinguitur. Cum vero Christus Dominus corpus suum in eucharistia per modum cibi, sanguinem vero per modum potus fidelibus dare voluerit, necesse fuit, ut aliam materiam, ex qua corpus, et aliam materiam, ex qua sanguis conficiatur, constitueret. Hinc duplex

est materia remota eucharistiae, et duplex et correspondens forma. A materia vero remota, ex qua conficitur eucharistia, distinguenda est materia proxima, per quam intelligitur id, quod, facta consecratione, sub speciebus panis et vini continetur. — Iam vero iuxta doctrinam catholicam *prima materia remota eucharistiae est panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus; altera est vinum de vite, aqua miscendum · materia proxima sunt species, ut continent corpus et sanguinem Christi:* denique *formam constituunt verba dominica,* id est verba a Christo in eucharistiae institutione prolata.

I. *Prima materia remota eucharistiae est panis triticeus.*

§ 593. Circa materiam remotam eucharistiae errarunt. *Autotyritae,* qui, testibus *S. Epiphanio* (1) et *S. Augustino* (2), ad celebranda mysteria sua panem et caseum adhibebant dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terrae et de gregibus ovium fuisse celebratas. *Cataphryges,* ut narrat *S. Augustinus* (3), ex infantium sanguine minutis punctionum vulneribus elicito et farina eucharistiam sibi praeparabant. Imo *Gnostici* quidam, ut refert *S. Epiphanius* (4), infantem abortivum in mortario contundebant, cui diversa aromata admiscebant, et ex quo delibabant digito, « atque id perfectum pascha esse existimabant: » alii vero, eodem teste, nefando modo panem parabant. *Calvinus* (5) cum *Theodoro Beza* (6) docuit, pro pane et vino in casu necessitatis substitui posse omnia, « quae, etsi non panem, similem tamen alimoniae analogiam habent. » Sententia catholica his erroribus opposita est, materiam eucharistiae esse panem ex tritico confectum.

1. Primam materiam remotam eucharistiae esse *panem,* patet ex S. Scriptura. Christus enim eucharistiam instituens primo panem pro materia adhibuit: legitur enim Matth. XXVI, 26: *Accepit Iesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum* (7). Christus autem mandatum adiunxit: *Hoc facite in meam commemorationem:* ergo panis semper pro materia eucharistiae adhibendus est. Apostolos quoque ad conficiendam eucharistiam panem adhibuisse, constat ex Act. II, 42, I Cor. X, 16 etc. Patres uno ore testantur, panem per verba consecrationis in corpus Christi transmutari (8), quod idem Concilia definierunt (9). Imo Ecclesia catholica constanti et perpetua praxi pro prima eucharistiae materia nihil aliud adhibuit quam panem, atque usum nonnullorum contrarium tanquam errorem semper damnavit.

2. Ad materiam eucharistiae non sufficit panis quilibet, sed requiritur panis ex tritico confectus. Quod iterum probatur exemplo Christi, qui panem triticeum consecravit, quo Iudaei communiter praecipue ad festum paschale et ad esum agni utebantur. In Palaestina enim, ut et in aliis regionibus calidioribus panis usualis est triticeus, ita ut sub generali panis denominatione semper panis triticeus intelligatur. Hinc in utraque Ecclesia Orientali et Occidentali consecratus fuit semper, et adhuc consecratur solus panis triticeus Hinc A-

(1) Haer. 40. (2) Lib. de haer. c. 28.
(3) Lib. de haer. c. 26 (4) Haer. 26.
(5) Inst. lib. 4, c. 17.
(6) In Epist. 2 Tit. Ep. theol.
(7) Cf. Marc. 14, 22; Luc 22, 19; I Cor. 11, 23.
(8) § 582, n. 2. (9) Ibid. n. 3.

ctione III *Concilii Chalcedonen.* Diaconus *Ischirion* Alexandrinus conqueritur in libello contra Dioscorum: « Eius avaritia factum esse, ut incruentum missae sacrificium in Lybia non offerretur, defectu scilicet tritici, quod cum rarum esset, ab illo Dioscoro maximo pretio divendebatur. » *Conc. Florentinum* in decr. pro Armenis ait: *Tertium est eucharistiae sacramentum, cuius materia est panis triticeus et vinum de vite.* In rubricis missalis romani, ubi agitur de defectibus in celebratione missarum § 3 dicitur: « Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacramentum.

Nota. Ex demonstratis pro praxi nonnulla consectaria deducuntur: 1° Nequit esse panis eucharisticus, qui ex hordeo, alica, oryza, siligine, fabis, milio caeterisque frugibus conficitur. Licet enim nonnulla ex hisce granis formam tritici praeseferant, ab ipso tamen specie diversa sunt. Disputatur quidem de pane siligineo. Censet *S. Thomas* (1) aptam esse posse materiam, quia siligo ex vero tritico in malis terris seminatur, nascitur, et speciem a frumento distinctam non constituit: alii vero negant, siliginem seu secale non esse nisi frumentum in mala terra degeneratum, et ideo volunt, secale a frumento specie differre, et panem ex illo confectum non esse aptam eucharistiae materiam: unde talis panis saltem materia dubia est, ideoque ea uti non licet, quia nefas est uti materia dubia in iis sacramentis, quae ad salutem hic et nunc necessaria non sunt. 2° Neque panis triticeus valida est materia eucharistiae, si farina sit ovis, butyro, lacte, melle, oleo aut alia quavis re fluida praeter aquam naturalem delibuta; tunc enim panis, quamvis confectus ex tritico, vel erit placenta, vel aliud quid a pane communi realiter diversum. 3° Idipsum dicatur sive de massa triticea non decocta, sive de pane corrupto: illa quippe non adhuc panis est, hic vero naturam panis ob corruptionem amisit. 4° Nec panis erit materia sacramenti, si partim e triticea substantia, partim ex aliena constet, nisi tritici quantita salteram sibi admixtam adeo excedat, ut panis inde confectus vere ac proprie triticeus possit appellari.

(1) 3 p., q. 74, art. 3 ad 3.

II. *Panis triticeus, sive azymus sit sive fermentatus, est materia valida eucharistiae.*

§ 594. Gravis saeculo XI exarsit contentio Graecos inter et Latinos circa accidentalem panis consecrandi conditionem. *Michaël Caerularius* Patr. CPtanus, et *Leo* Archiepiscopus Acridanus in Bulgaria ausi sunt circa annum 1053 *S. Leonem IX* R. P. omnesque Latinos, quos per contemptum *Azymitas* vocabant, erroris accusare, quod consecrarent in azymo: quam insanam Graecorum temeritatem luculenta gravique Epistola ad Michaëlem et Leonem data *S. Leo IX* castigavit. Ast summi Pastoris vocem arrogantia Graecorum audire recusavit, Caerulario suffragantur hodierni etiam Graeci schismatici. Unde *Ieremias* Patr. CPtanus in censura adversus Augustanam confessionem cap. 10 asserit, Christum panem fermentatum consecravisse, nec posse in Azymo hoc sacramentum confici. Protestantes fatentur quidem, azymum panem esse materiam eucharistiae sufficientem, sed contendunt fermentatum panem esse aptiorem,

atque illo ut plurimum utuntur in sua coena, ut vocant. Ecclesiae vero catholicae perpetua fides fuit et etiamnum est, panem triticeum, sive azymus sit sive fermentatus, esse materiam validam eucharistiae. Quoniam autem de valore panis fermentati nemo est qui dubitet, dogma catholicum praecipue respectu panis azymi contra Graecos schismaticos probandum est. Probatur autem *ratione theologica, exemplo Christi*, ex *Traditione* et ex *definitione Conc. Florentini*.

1. Panis triticeus duplici modo confici solet, dum vel fermentum miscetur, et dicitur fermentatus; vel sine fermento paratur ex farina triticea aqua naturali subacta et puro igne cocta, et vocatur azymus. Modus autem praeparandi seu conficiendi panem eiusdem naturam et essentiam non mutat. Idcirco non solum fermentatus, sed etiam azymus in Ss. Scripturis simpliciter vocatur *panis*. Sic panes propositionis, qui erant certo azymi, dicuntur simpliciter *panes* (1), iisque vescebantur singulis hebdomadibus. Panis, quem Christus fregit duobus discipulis in Emmaus (2), vocatur simpliciter panis, et tamen certo erat azymus, cum tunc dies essent azymorum, quibus Iudaeis nefas erat vesci fermentato. Idem obtinet apud profanos scriptores. Nam *Ciampinus* (diss. de perpetuo azymorum usu in Ecclesia latina vel saltem romana cap. 2), plura congessit testimonia tum medicorum tum historicorum, quibus ostendit, azymum semper ut verum panem spectatum fuisse, imo interdum prae fermentato commendatum; illius praeterea usum invaluisse per plura saecula in republica romana, ita ut non solum milites, sed etiam ingenui et cives ipsique imperatores non modo Curiorum tempore aut Fabriciorum, verum etiam Antoninorum non alio pane quam azymo vescerentur. Dubitari igitur non potest, sicut fermentatum ita etiam azymum esse verum panem triticeum, atque ideo validam materiam eucharistiae. Haec conclusio a Graecis negari nequit, nisi ostendant, Christum etiam modum pro eucharistia panem praeparandi determinasse et praecepisse, ut pani consecrando fermentum admisceatur. Sed tale praeceptum in sacra Scriptura prorsus non invenitur, nec ex Traditione repeti potest, cum ex hac, ut mox ostendetur, contrarium constet. Quia ergo Graeci tale praeceptum nunquam in lucem protulerunt nec proferre possunt, fateri omnino debent, sicut fermentatum ita etiam azymum panem validam esse eucharistiae materiam.

2. *Christus* ipse pane azymo in conficienda eucharistia usus est. Tres enim Evangelistae testantur, Christum pasca manducasse et eucharistiam instituisse prima die azymorum, eo nimirum tempore, quo Iudaeis non licuit pane fermentato uti; quem ideo ex domibus penitus removere consueverunt. Legitur enim: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* etc. (3): *Et prima die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi pascha?* etc. (4): *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha* etc. (5). Cum ergo Christus prima die azymorum pascha celebraverit, et instituerit eucharistiam, nullus remanserat panis fermentatus, in quo potuerit eam conficere; adeo-

(1) I Reg. 21, 4. (2) Luc. 24, v. 30 et 36.
(3) Matth. 26, 17. (4) Marc. 14, 12
(5) Luc. 22, 7.

que in pane azymo consecravit. Temerarium porro est dicere, Christum pascha legale non celebrasse, ritum Iudaeorum non observasse, et ut ostenderet, se novi testamenti auctorem esse, in ultima coena pane fermentato usum esse. Id enim sine omni fundamento asseritur. Patres enim testantur, Christum celebrasse pascha tempore et ritu per legem praescripto, ut *Origenes* (1), *S. Chrysostomus* (2) et *S. Epiphanius*, qui (3) inter errores Marcionis hunc recenset, quod negaverit, Christum pascha legale celebrasse. *Photius* in bibliotheca (4) scribit, universam Ecclesiam graecam cum Chrysostomo credere, quod Christus in ultima coena pascha legale celebrarit. Cum vero saeculo undecimo controversia exarserit Graecos inter et Latinos, azymus ne, an fermentatus panis sit, in quo eucharistia confici debeat, nonnulli Graeci, quos commemorant *Theophylactus* et *Euthymius*, eandem Marcionis sententiam amplexi sunt, universa Ecclesia graeca reclamante. Ecclesia latina usque ad recentiora tempora semper in hac fide fuit, Christum pascha legale celebrasse; atque ideo optime Leo IX in citata Epistola contra Graecos calumniatores ad exemplum Christi provocat dicens: « Qui non venerat solvere legem sed adimplere, iuxta ipsius legis praeceptum et azymis et vino vetus pascha adimplevit, et protinus ex azymis et vino novum, sicut aperte Lucas narrat, discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israël; et apud quemcunque inveniebatur, peribat anima eius de populo suo. Quod si in coena Domini Iesu apparuisset, aut ipse seu discipuli eius quoquo modo gustassent, iuste sicut praevaricatores legis perirent; nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* nec opus esset falsos testes ad perdendum eum quaerere, cum hoc solo perderetur iuste, etc. » Si autem Christus ipse eucharistiam in pane azymo instituit, quis hunc validam eucharistiae materiam esse negabit? — Graeci potius reprehensione digni videntur, quod ab exemplo Christi recesserint. Ecclesia autem catholica nunquam propter usum fermentati reprobavit, quia constanter credidit, Christum quidem in azymo eucharistiam consecrasse, sed nullum praeceptum dedisse, ut in solo azymo consecraretur. Hinc *Algerus* (5) inquit: « Quamvis Christus de azymo pane corpus suum fecerit, forsitan non quia res, quae fiebat, hoc exigebat, sed quia coena, in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat; panem tamen fermentatum non prohibuit. »

3. Certum est, usum adhibendi panem azymum ad eucharistiam conficiendam *in Ecclesia Occidentali* antiquissimum esse. Id patet ex declaratione legatorum, quos *Agatho* Papa anno 680 CPolim misit, ut sextae Synodo generali praesiderent. Hi ab Imperatore *Constantino Pogonato* interrogati (ut refert *Humbertus* card. in responsione adversus Nicetam Pectoratum), « qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis et sanguinis D. N. I. Christi ordinem teneret, » responderunt: « Oblatio, quae in sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut B. V. Maria absque omni corruptione Christum concepit et peperit... Sic

(1) Tract. 35 in Matthaeum.
(2) Hom. 8, 82 et 83 in Matth.
(3) Haer. 42. (4) Cod. 116.
(5) De corp. et sang. Dom. lib. 2, cap. 10.

et oblatio munda debet esse a fermento. » Quibus verbis recitatis, Nicetam ita urget *Humbertus:* « Tunc placuit piissimo Principi Constantino haec traditio apostolicae sedis. Ecce istius et caeterarum sex Synodorum omnibus Ss. Patribus et orthodoxis Imperatoribus per omnia placuit fides et traditio Apostolicae Sedis. Et tu quis es, cui displicent? » — Equidem haec in Actis sextae Synodi, quae adhuc supersunt, haud amplius inveniuntur; neutiquam tamen dubitandum est, ea in iisdem extitisse, neque enim in suspicionem fraudis trahi, aut tam crassae inscitiae accusari potest *Humbertus* vitae probitate et doctrina excellens, ut Graecorum cachinnis se exponeret ea citans, quae in Actis sextae Synodi tunc temporis non invenirentur. In *Concilio Toletano XVI* can. 6 praescribitur, *ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer et nitidus, qui ex studio fuerit praeparatus; neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat.* Ostendit porro *Mabillonius* (1) tum ex usu Mozarabum et Gothorum, tum ex opuscolo Eldephonsi Episcopi, haec verba de solo pane azymo intelligi posse. *Alcuinus,* qui saeculo VIII floruit, ad Lugdunenses (2) scribit: « Panis, qui in Christi corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus. » *Rabanus Maurus,* qui anno 819 adeoque 46 saltem annis ante schisma Photianum opus conscripsit *de Institutione Clericorum* (3), dicit: « Panem infermentatum et vinum aqua mixtum in sacramentum corporis et sanguinis Christi sanctificari oportet... Credimus, et panem illum, quem primum Dominus in coena mystica in mysterium sui corporis consecravit, infermentatum esse. » Et (4) addit: « Istum ergo ordinem ab Apostolis et apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia; et per totum pene Occidentem omnes Ecclesiae eandem traditionem servant. » Hoc idem probat modus, quo in Ecclesia latina panis eucharisticus praeparari consuevit; coctus enim fuit *in ferramento characterato,* in quo panis fermentatus, qui elevatur, parari non potest. Ita *S. Udalricus* in op. Consuetud. Cluniac. (5) scribit: « In Quinquagesimâ solere apponi ea, quae in ferramento characterato de conspersione farinae tenuissimae fiunt, et ab hominibus romanae linguae *nebulae,* a nostratibus appellantur oblatae. » Porro has oblatas in usum sacrificii adhibitas esse, constat ex Epistola 52 *Eginhardi,* quâ Vicedomino, aliisque fidelibus suis praecipit, « ut Eulogias praeparari faciant secundum consuetudinem, sicut solet homo ad opus Dominici facere. » Vixit Eginhardus sub Carolo M. eiusque filio Ludovico Pio; ea proinde aetate hostiae inter ferrum characteratum et absque fermento fiebant. Item in lib. 2 de miraculis *S. Wandregesili* Abbatis cap. ult. legitur, quamdam sanctimonialem seu devotam foeminam, quae meritis eiusdem sancti anno 891 sanata fuerat, « Oblatas, quas oblatura Domino in crastinum erat, formasse; tum accessisse ad ignem et ferrum, quo comprimendae ac decoquendae erant oblatae, arripuisse. » *S. Radegundis* Regina saeculo sexto, ut refert *Venantius Fortunatus,* iam fa-

(1) In diss. de pana euchar. azymo vel ferm. c. 8. (2) Epist. 69. (3) Lib. 1, cap. 31. (4) Can. 33 (5) Lib. 1, cap. 40.

cta sanctimonialis « more S. Germani in Quadragesima frumentum sua manu commolebat, et exinde oblationes suis manibus faciens locis venerabilibus incessanter dispensabat.» Idipsum legitur de matrona romana in vita *S. Gregorii M.* — In *Missa Ambrosiana*, quam *Pamelius* cum Codice Mss. melioris notae contulit et vulgavit, hic titulus legitur: *Oblatio panis azymi cum patena facienda.* Huius Missae auctorem *Walafridus Strabo* (1) agnoscit *S. Ambrosium*; at eam S. Ambrosio esse antiquiorem et ab apostolica traditione repetendam, ostendit cl. *Petr. Mazzuchelli* in speciali dissertatione anno 1828 Mediolani edita. — Ita generatim usus azymi in Ecclesia latina a multis ab apostolica traditione repetitur. *Leo IX* Epist. ad Mich. Caerul. (2) scribit, Romanam Ecclesiam iam a mille et viginti annis sacrificium in azymo conficere, B. Petri Apostolorum Principis institutione edoctam. *Humbertus* card. in Resp. ad Nicetam azymorum usum in Ecclesia latina vocat, traditionem apostolicae Sedis. *Algerus* (3) ait: « Omnis autem Ecclesia praeter graecam a primordio sui ex traditione Principum Ecclesiae, Petri scilicet et Pauli, azymis celebravit.» *Hugo Etherianus* (4) inquit: « Latinorum sancta Ecclesia aeternaliter azyma offert et immolat.» Veteres scholastici cum *Alexandro Alensi* et *S. Thoma* existimarunt, Ecclesiam graecam et latinam pane azymo usam esse usque ad exortam haeresin Ebionitarum, qui cum Evangelio legalia observanda esse dictitabant, et ideo panem fermentatum ut illicitum a sacris Mysteriis excludebant; in odium huius haeresis utramque Ecclesiam panem fermentatum in Ss. Mysteriis adhibuisse, extincta vero haeresi Ecclesiam latinam ad usum azymi rediisse, graecam vero usum fermentati retinuisse. Sententia haec communis fuit in scholis, donec anno 1651 doctissimus *Sirmondus* opusculum emisit de azymo, in quo multis rationibus probare conatus est, Ecclesiam graecam et latinam per octo circiter saecula fermentato pane fuisse usam, nec ante aetatem Photii usum azymi inductum fuisse. Card. *Bona* (5) contendit, ante saeculum nonum in Ecclesia occidentali utriusque panis usum promiscuum fuisse, abiectum vero fermentatum post schisma Photianum. Ast *Io. Mabillonius*, ordinis Benedictini immortale decus, in praefatione ad saeculum tertium Benedict. et in dissertatione de pane eucharistico azymo et fermentato anno 1674 edita Syrmondi et Bonae sententiam aggressus, solidis argumentis usum azymi perpetuis temporibus in Ecclesia obtinuisse, ostendit. Mabillonio adhaeserunt, eamdemque sententiam defenderunt *Christianus Luvus, P. Macedo, Io. Cabassutius, Io. Ciampinus* et alii.

4. Ex Ecclesia Orientali quoque exempla adduci possunt, quae argumentum traditionis confirmant. Nam *Armeni* tam Catholici, quam Eutychiani nunquam ad hanc usque diem ab adhibendo pane azymo destiterunt ex traditione, quam acceptam referunt *S. Gregorio* Illuminatori primo Armeniae Episcopo, qui sub initium saeculi IV iussu Tiridatis Regis martyrio coronatus est. Hanc Armenorum traditionem, et praxin testantur *Nicephorus* (6) et *Demetrius* Graecus

(1) De rebus eccles. c. 22.
(2) Epist. 1, c. 5.
(3) Lib. 2 de sacr. corp. et sang. D. c. 10.
(4) Lib. 2 de haeres. c. 17.
(5) Lib. 1 rer. liturg. c. 23.
(6) Lib. 18 Hist. eccl. c. 54.

schismaticus, agens de haeresi Iacobitana. Neque Armeni ob hanc suam praxin in *Conc. CPtano II* generali V, cui interfuerunt, a Graecis reprehensi sunt. *Maronitae* quoque pane azymo in Ss. Mysteriis utuntur, et hunc morem suum antiquissimum esse testantur. Ipse *Michaël Caerularius* in Epistola ad Petrum Antiochenum conqueritur de Patriarchis Hierosolymitano et Alexandrino, quod in missae sacrificio Romani Pontificis nomen recitent, eisque in crimine ponit, quod azymis utantur, scribens: « Etiam ad aures nostras pervenit, quod praedicti duo Patriarchae non solum alios azymis vescentes recipiant, sed etiam ipsi aliquando conficiant sacrificium; » quae verba significant, noluisse Alexandrinam et Hierosolymitanam Ecclesiam ab avita fide recedere, quae etiam azymum panem ut licitam et validam eucharistiae materiam declarat. Imo valde probabile est, etiam Graecos primis temporibus pane azymo usos esse. Iure enim praesumitur, veteres illos Asiaticos, qui tam religiose Pascha celebrandum contendebant luna decima quarta propter legis mandatum, azymos quoque panes, quos lex eadem praescribit, adhibuisse. Constat praeterea, Patres graecos magno consensu docuisse, Christum Pascha legale cum discipulis celebrantem in pane azymo instituisse: unde valde probabile est, Graecos quoque propter exemplum Christi interdum saltem panem azymum usurpasse, sicut de Aethiopibus *Ludolphus* (1) testatur, eos feria V in Coena Domini ad Christi imitationem in azymis eucharistiam conficere. Graecos hanc saltem fidem semper habuisse quod etiam panis azymus sit valida et licita eucharistiae materia, ex eo manifestum est, quod usque ad sacculum undecimum Ecclesiam latinam propter usum panis azymi non reprehenderint, ne Photius quidem, qui ceteroquin nil intactum reliquit, ut Latinos in invidiam traheret, et a fide apostolica eos descivisse probaret. Imo cum Caerularius usum azymi reprobaret, inter ipsos Graecos inventi sunt, qui illi contradicerent, et hac in re Latinos defenderent.

(1) Comment. in hist. Aethiop.

5. Denique in *Concilio Florentino* Latinorum et Graecorum consensu dogma catholicum definitum, et lex ecclesiastica promulgata est his verbis: *Definimus... in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Domini veraciter confici, et sacerdotes in alterutro ipsum conficere debere, unumquemque iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.*

Nota 1. Cum in pane azymo et fermentato eucharistia confici possit, quaesitum est, qualis panis pro Ss. Mysteriis convenientior sit dicendus? Negari profecto non potest pro utroque pane rationes congruentiae afferri posse. Graeci pro pane fermentato sequentes adducunt: 1° In admixtione tritici cum fermento ineffabile Incarnationis mysterium ex unione divinae naturae cum humana repraesentatur. 2° Fermenti usu, quo panis in altum tollitur, optime significatur illius, qui eucharistiam conficit aut recipit, mentem ad coelum attolli oportere, ut spiritualia et coelestia contempletur. 3° Fermentum efficit panem sapidiorem, ideoque congruenter maximam sacramenti eucharistici suavitatem designat. 4° Panis fermentati usu in Ss. Mysteriis discrimen inter legem et Evangelium manifestatur, et obviatur errori Ebionitarum et aliorum putantium, cum Evangelio etiam legalia observanda

esse.–Latini pro pane azymo sequentes rationes convenientiae afferunt: 1° Christus eucharistiam in pane azymo confecit; huius ergo usus divino ipsius exemplo sacratur. 2° In azymo Mysterium Incarnationis exhibetur; quia enim ad panem azymum conficiendum farina triticea, aqua et ignis applicantur, per farinam Christi corpus, per aquam anima, per ignem Verbum divinum significatur, quod per unionem hypostaticam humanitatem assumptam ad maximam dignitatem elevavit. 3° Cum eucharistia sit sacramentum corporis Christi, quod in purissimo B. M. Virginis utero sine ulla corruptione conceptum fuit; conveniens omnino est, ut panis, qui ad eucharistiae consecrationem adhibetur, corruptionis ac fermenti expers sit. 4° Panis azymus, cui nihil est corruptionis admixtum, eximiam repraesentat carnis Christi quae offertur, puritatem et sanctitatem. 5° Idem indicat porro tum corporis tum animae puritatem, quae in fidelibus ad digne suscipiendum corpus Christi postulatur. 6° Idem magis congruit sinceritati fidelium, quae ad usum huius sacramenti requiritur, dicente Paulo: *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (1). 7° *Card. Humbertus* generatim recte observat, in Ss. Litteris azymum nunquam in malo sensu sumi, sed potius commendari: secus dicendum esse de fermento; Christus enim ait: *Cavete a fermento Pharisaeorum* (2). Paulus ad Cor. scribit: *Expurgate vetus fermentum* (3); et ad Gal.: *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (4). Recte ideo *S. Thomas* dicit: « Consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est (5); » et pessime agunt Graeci, Latinos propter usum azymi reprehendendo.

Nota 2. Graeci sententiae Catholicorum sequentes difficultates opponunt:

Obi. I. Christus in pane fermentato eucharistiam instituit, quia ultimam coenam habuit non in festo Paschatis seu luna decima quarta, sed in vigilia Paschatis seu luna decima tertia, in qua usus panis fermentati adhuc licitus erat. Id patet ex Evangelio S. Ioannis; nam cap. XIII, v. 1: *Ante diem festum Paschae, sciens Iesus quia venit hora eius* etc., *coenam fecit*, hanc propter praevisam suam passionem anticipans. Et c. XVIII, v. 28 refert, Iudaeos non introisse in praetorium, *ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha:* manducabatur autem Pascha luna decima quarta: ergo Christus mortuus est hac die, et coenam habuit die praecedenti. Quod confirmatur ex eo, quia Io. XIX, 14 dicitur: *Erat autem parasceve Paschae*, id est, vigilia, cum Pilatus Christum morti addixit, quod iam Iudaei decreverant dicentes, Christum occidendum esse *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo* (6). Idem patet ex eo, quod cum Christus dixisset Iudae proditori: *Quod facis, fac citius* (7), Apostoli haec verba intellexerint de iussione a Christo facta ea emendi, quae *opus erant ad diem festum*, qui itaque nondum incepit. Denique Christus die mortis suae a cruce depositus et sepultus fuit: haec vero opera a Iudaeis in die festo suscepta non fuissent.

Resp. Si certo constaret, Christum coenam paschalem anticipasse, non inde probatum foret, Christum in

(1) I Cor. 5, 8. (2) Marc. 8. 15.
(3) I Cor. 5, 7. (4) Gal. 5, 9.
(5) 3 p. q. 74 a. 4. (6) Matth. 26, 5.
(7) Io. 13, 4.

pan fermentato eucharistiam instituisse; certe enim etiam in coena anticipata legem de adhibendo pane azymo adimplevisset, tum quia venit non solvere legem, sed adimplere; tum quia Iudaeis noluit accusationis causam praebere: quapropter ipsi etiam graeci Patres testantur, Christum more legali pascha manducasse. Nullatenus autem admitti potest, Christum coenam paschalem anticipasse, quia tres Evangelistae testantur, Christum *prima die azymorum* agnum paschalem manducasse, et quia traditio huic sententiae suffragatur; certe enim Episcopi Asiae non putassent, die decima quarta celebrandum esse Pascha, si constitisset, Christum ipsum hanc legem in celebrando Paschate non observasse. Quae autem ab adversariis obiiciuntur, talia non sunt, ut allata argumenta enervent. Evangelistae enim facile inter se conciliantur. Observandum quippe est, sacros Iudaeorum dies seu festa legalia a vesperis unius diei incepisse, et usque ad vesperas alterius diei perdurasse, iuxta Lev. XXIII, 32: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*, hoc est, dies sacros et solemnes. Iam vero solemnitas paschalis incepit eo anno ad vesperas feriae quintae, in qua, ingruente nocte, Christus ultimam coenam habuit; et ideo recte tres Evangelistae eam *prima die azymorum*, id est, incepto iam festo Paschatis celebratam fuisse dicunt. Ioannes vero intelligendus est de die Paschatis *naturali*, quae incipiebat a media nocte, et usque ad dimidium alterius noctis protrahebatur; et ante hanc diem naturalem Paschae, id est, post vesperas feriae quintae Christus suam coenam iam peregerat. — Io. XVIII, 28 per *Pascha* iuxta nonnullos non intelligitur agnus paschalis, sed cibi paschales seu hostiae pacificae, quae toto septiduo immolabantur et ab immundis manducari licite non poterant (1): iuxta alios Iudaei manducationem agni paschalis distulerunt usque ad secundas vesperas eiusdem lunae decimae quartae, quia, ut ait *S. Chrysostomus* (2), per proditionem Iudae occasionem nacti erant Christum capiendi. *Parasceve* ab Hebraeis communiter sumptum fuit pro feria sexta seu pro sabbati pervigilio, quia in eo parari debebant, quae die sabbati peragere fas non erat. Id Marcus XV, 42 clare exprimit, inquiens de die qua Christus mortuus est: *Erat parasceve, quod est ante sabbatum:* dicitur autem haec dies *parasceve Paschae*, sicut a nobis dicitur dominica Paschae: non ergo dies praecedens festum Paschae, sed praecedens sabbatum significatur. — Quamvis autem ante biduum Iudaei dixerant, Christum morti tradendum non esse *in die festo*, attamen id vere contigit, vel quia eorum, qui sic loquebantur, non praevaluit opinio, vel quia ob Iudae proditionem consilium mutarunt. Verba Christi ad Iudam Apostoli intellexerunt de emptione eorum, quae necessaria erant *ad diem festum*, id est, ad imminens sabbatum, de quo Ioannes dicit: *Erat magnus dies ille sabbati.* Denique diei festo non repugnant pia virorum ac mulierum erga Christum officia; ut patet exemplo Tobiae, qui in die festo Pentecostes hominem mortuum domum asportavit (3), ut postea eius sepulturam curaret; quod indicat, in diebus festis non fuisse opera charitatis interdicta. Certum pariter est, in festis ipsis solemnioribus non fuisse omnia opera tam severe prohibita sicut in

(1) 2 Par. 30, 21; et Deut. 16, 2.

(2) Hom. 86 in Matth. (3) Tob. 2.

die sabbati. Quoad Iudaeos vero mirum non est, nullam eos habuisse rationem legis mosaicae de quiete in diebus festis servanda, quia tanto erga Christum odio obcaecati erant, ut omnia divina et humana iura conculcarent.

Obi. II. Panis, qui a Christo fuit consecratus, dicitur ἄρτος, id est, elevatus: elevationem autem nonnisi ex fermento panis habere potest: ergo ad exemplum Christi panis fermentatus usurpandus est.

Resp. Nihil refert, quod panis a Christo adhibitus vocetur ἄρτος, cum notum sit, voces quae in usu sunt, saepe longe alia significatione usurpari, quam postularet etymologia. Etiam panis, quem Christus in Emmaus distribuit, et qui certe azymus fuit, Luc. XXIV, 30 et 36 ἄρτος vocatur. Panem azymum, de quo Moyses Deut. XVI, 3 loquitur, Septuaginta nominant ἄρτον ταπεινώσεως, id est, *panem afflictionis*.

Obi. III. Apostoli eorumque primi successores in domibus privatis et furtim obtulerunt sacrificium, ubi panis azymus in promptu non erat. Fideles quoque diu panem pro consecratione offerebant, sed panem, quem ipsi manducare consueverunt, nempe fermentatum. Hinc Patres passim panem, ex quo conficiebatur eucharistia, *communem et usitatum* vocant. Imo Romani Pontifices *Melchiades*, *Siricius* ac *Innocentius I* oblationes ad absentes missas fermentum vocant.

Resp. Apostoli et eorum primi successores verisimilius pro opportunitate tum in azymo tum fermentato pane sacrificium obtulerunt, cum uterque panis materia idonea sit ad consecrationem. Antiquis vero temporibus, ut iam dictum est, apud Graecos et Romanos panis azymus in usu frequenti erat; unde ex denominatione panis *communis et usitati* nihil contra nos inferri potest, praecipue cum Patres panem consecrandum vocent *usitatum*, non quatenus pani azymo, sed quatenus pani consecrato opponitur. — Quid Pontifices intellexerint per *fermentum*, incertum est, Criticis inter se dissentientibus. Alii enim cum *Baronio* vocem illam interpretantur de Eulogiis sive de pane benedicto, qui coelesti pane non refectis distribuebatur post missam. Alii cum Benedicto XIV (1) eam exponunt quidem de eucharistia, ita tamen, ut *fermentum* diceretur, non quod ex pane fermentato confecta fuerit, sed quia Ecclesiis, ad quas mittebatur, fermenti vim praestaret, eisque inter se unionis vinculum esset sicut fermentum massae qui commiscetur. Haec sententia a *Pagio* et *Mabillonio* et Card. *Thomasio* adoptata et solidis argumentis probata fuit.

Obi. IV. Dato etiam quod Christus in azymis consecraverit non exinde sequitur, posse nos in azymis missam celebrare; usus enim azymorum spectabat ad legalia, quibus Christus oeconomiae gratia se subiecit: iam vero per Christi mortem legalia primum mortua, deinde mortifera evaserunt, ita ut nemo licite nunc se circumcideret, quamvis Christus fuerit circumcisus. His accedit, quod azyma, quae sunt signa doloris, non conveniant eucharistiae, quae est mysterium laetitiae maximae.

Resp. Non omnia legalia mortua vel mortifera evaserunt, sed ea tantum, quae cum professione christiana componi non poterant. Nam abstinentia a sanguine et suffocato etiam pertinebat ad legalia; attamen ab Apo-

(1) De sacr. missae lib. 2, c. 20, § 15

stolis retenta est, et per plura saecula in Ecclesia perduravit. Id ipsum dicatur de pluribus usibus, qui a veteri synagoga in Ecclesiam christianam pervenerunt. Unde recte Card. *Humbertus* quaerit a Graecis; quandoquidem omnia mosaica per Christum abolita fuisse velint: « Unde, inquit, vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cortinae, sanctum chrysma et thymiama, aspersionis aqua, thuribulum et caetera sancti ministerii vasa seu ornamenta aut vestimenta sacerdotalia? unde vobis Encoenia, Pentecostes et Pascha? unde vobis Pontifices, Sacerdotes, Levitae? etc. » Itaque illa sola legalia abolita sunt, quae cum christiana professione consistere non poterant, cuiusmodi erant, quae Christi adventum et gesta praefigurabant, aut quae professionem iudaismi includebant, ut circumcisio. Usus autem azymorum est ritus indifferens, qui bonus aut malus esse potest iuxta animum seu intentionem eum adhibentis. Iam vero nunquam Ecclesia azymo adscivit animo iudaizandi. Optime *S. Thomas* (1) ait: « Conficientes ex azymo non intendunt caeremonias legis servare, sed conformare se institutioni Christi. Et ideo non iudaizant. Alioquin et celebrantes in pane fermentato iudaizarent, quia Iudaei panes primitiarum fermentatos offerebant » (2). — Denique Moyses vocat azymum *panem afflictionis*, quia ad Hebraeorum memoriam revocabat vexationes, quas in Aegypto passi fuerant, at insuper argumentum ingentis erat laetitiae, propterea quod ab iisdem angustiis fuerint liberati. Utrumque pariter significant eucharistica azyma; dolorem quidem, dum recolunt memoriam passionis Christi, laetitiam vero, quia conferunt gratiam, et amoris Christi dant pignus certissimum. Quare Apostolus (3) ait: *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis* (4).

(1) 3 p., q. 74, art. 4 ad 2. (2) Levit. 7.
(3) I Cor. 5, 8.
(4) Cf. Berti lib. 33, cap. 4; Gazzaniga, de sacram. diss. 5, cap. 2, prop. 2; Perrone de euchar. c. 3, prop. 1. (5) Haer. 46 et 47.
(6) Epist. 25.
(7) Ibid. prop 2 in nota ult. ad n. 348.

III. *Altera materia eucharistiae remota est vinum de vite.*

§ 595. *Ebionitae* importunam sobrietatis laudem quaerentes panem quidem ex Christi praescripto in suis mysteriis offerebant, sed aquam vini loco substituebant. *Tatianus* atque ex eo progeniti *Encratitae*, teste *S. Epiphanio* (5), etiam in sacris Mysteriis à vino abstinebant tanquam a foetu diaboli. Hanc insaniam imitati sunt *Manichaei*, qui vinum utpote a malo principio procreatum reiecerunt. Non defuerunt inter Protestantes, qui docuerint, in casu necessitatis, ad conficiendam eucharistiam inservire posse ut aptam materiam, quidquid vini loco bibi solet. Sic, teste *Beza* (6), *Calvinus* docuit, « nihil a Christi consilio ac voluntate alienum facere videri, qui non contemptu neque temeritate, sed ipsa necessitate adacti pro vino aliud in iis regionibus usitatae potionis genus adhiberent. » Idipsum tenuit *Melanchthon*, qui in libro *De usu integri sacramenti* scribit, Ruthenos ob vini inopiam recte facturos, si pro eo aquam mellitam adhiberent. *Vossius* pariter hanc sententiam amplexus est. Quibus erroribus adductis, adaequate cl. *Perrone* (7) subiungit: « Ita isti (Protestantes) *pro suprema potestate*, qua pollent seu quam sibi arrogant, qui nihil volunt esse admittendum, nisi quod in Scriptura conceptis ver-

bis continetur, quique acriter insectarentur hanc sententiam in Catholicis, si ipsam adoptassent. Sed Protestantibus omnia licent. » Quibus erroribus opponimus doctrinam catholicam, iuxta quam solum vinum de vite est altera materia necessaria ad conficiendam eucharistiam, quod ex *S. Scriptura* et *Traditione* probatur.

1. Matth. XXVI, 27 et seq. legitur de Christo : *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus... Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei;* quibus verbis luculenter indicat, se vinum naturale, *genimen vitis*, seu vinum ex fructu vitis in sanguinem suum convertisse, et vinum de vite ab Apostolis eorumque successoribus in sui commemorationem consecrari voluisse. Equidem iuxta Lucam Christus ante consecrationem calicis de alio poculo dixit : *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat* (1). Sed nihilominus ex iisdem verbis colligitur, etiam in calice, quem (2) pro consecratione accepit, *generationem vitis* seu vinum de vite adfuisse. Christus enim coenam paschalem habuit more Hebraeorum, qui in illa vino de vite utebantur. Imo ex traditione talmudica constat, quatuor solemnes vini calices in coena paschali bibi consuevisse ; postquam vero quartus calix haustus esset, usque ad diem 15 bibi amplius vinum non potuisse. Hinc intelligitur sensus verborum Christi dicentis, se de genimine vitis bibiturum non esse, donec per resurrectionem in statum gloriae transferatur. Sane cum ei oblatum est de more, *vinum myrrhatum non accepit* (3), *noluit bibere* (4).

2. *Ss. Patres* uno ore fatentur, alteram materiam, ex qua eucharistia conficitur, esse vinum (5). Sub generali autem *vini* denominatione non alius liquor, quam vinum de vite intelligitur. Idem patet ex *Conciliis* § 578 et § 582, n. 3 adductis. Hinc omnes ab Ecclesia damnati sunt, qui pro vino in sacris Mysteriis aquam adhibebant. Ita saeculo III cum ignavi quidam Episcopi et sacerdotes in Africa veriti, ne odorem vini efflando in christianae religionis suspicionem et in mortis discrimen venirent, in matutinis sacrificiis solam aquam absque vino consecrarent, vehementer reprehensi sunt a *S. Cypriano* in Epist. 63 ad Caecilium, qui autem nullam eis haeresis notam inussit, quia non ex errore hoc faciebant, sed ex timore. Qui autem ex perversis principiis aquam pro vino adhibebant, *Aquarii* seu *Hydroparastatae* dicti inter haereticos numerati sunt; de quibus *S. Augustinus* (6) inquit : « Aquam offerunt in poculo sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia. » Id autem, quod omnis Ecclesia in calice consecrat, esse vinum de vite, ex Conciliis constat. *Carthaginense III* an. 397, cap. 24 decernit : *Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum: nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis et frumentis. Aurelianense IV* an. 541 can. 4 praecipit : *Ut nullus in oblatione sacri calicis nisi quod ex fructu vineae speratur, et hoc aqua mixtum offerre praesumat, quia sacri-*

(1) C. 22, v. 17 et 18. (2) V. 20.
(3) Marc. 15, 23.
(4) Matth. 27. 34. — Cf Pesachin. cap. 10, § 8, in Talmud Maimonides tract. de azymis, cap. 8, § 9. (5) Cf. § 578, et 582 n. 2.
(6) Lib. de haeres haer. 64.

legum iudicatur aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit. Antisiodorense an. 578 can. 8 inquit : *Non licet in altari in sacrificio divino mellitum, quod mulsum appellant, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre, quia ad grandem reatum et peccatum pertinet presbytero illi, quicunque aliud poculum extra vinum in consecrationem sanguinis Christo offerre praesumpserit. Florentinum* in decreto pro Armenis ait : *Tertium est eucharistiae sacramentum, cuius materia est panis triticeus et vinum de vite.*

Nota 1. Obiiciebant *Aquarii* verba Christi: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae* (1). Quibus respondebat S. *Cyprianus*, his verbis non eucharistiae, sed baptismi significatum esse sacramentum, seu potius collationem Spiritus sancti prout ea exponit ibidem Evangelista. — Protestantes in suae sententiae subsidium afferebant decretum *Innocentii VIII* quo facultatem concessisse perhibetur Norvegis, ut sine calice sacrificium offerant. Ast notum est, illud privilegium esse commentitium, atque a *Dominico Viterbiensi* et *Franc. Maldente* Norvegis obtrusum ; quorum fraus ut detecta est, capitali poena ambo mulctati sunt, ut refert Rainaldus ad an. 1490.

Nota 2. Si ex institutione Christi vinum de vite est materia necessaria ad conficiendam eucharistiam, itaque 1° non erit valida sacramenti materia omphacium, cerevisia, aqua pura vel mellita, aut liquor e fructibus expressus, cum haec naturam vini non habeant. 2° Nec vinum eucharisticum illud esse potest, quod aromatibus ita conditum est, ut moraliter loquendo vini speciem amiserit. 3° Idem de aceto concludimus, hoc enim fit e substantiali vini corruptione. 4° Nec ad eucharistiam conficiendam valet succus uvis adhuc inclusus, quia vinum non est, et per modum potus non sumitur. Sed 5° mustum, etiamsi sit ex uvis recens expressum, valida est eucharistiae materia, quia vini speciem et naturam habet : hoc tamen utpote non defaecatum, extra casum urgentis necessitatis adhibere vetat Ecclesia.

Jo 7 37 etc

IV. *Aqua miscenda est vino in calice offerendo.*

§ 596. *Lutherus* in primo scripto contra Regem Angliae edito an. 1522 fatuos et stolidos vocat eos, qui peccatum esse putant sine aqua celebrare, atque subdit : « Meo sensu melius et tutius foret, aquam non miscere vino, cum sit merum figmentum humanum, et sinistram, imo pessimam habeat significationem. » *Chemnitius* in exam. Conc. Trid. (2) docet, aquae mixtionem in calice rem esse omnino indifferentem, nec eam ab Ecclesia praecipi posse. Atque haec videtur esse nunc sententia Lutheranorum et Calvinistarum, qui solo vino in coena sua utuntur. Praeierant Protestantes iam *Monophysitae* et *Armeni schismatici*, qui vinum purum in usum sacrificii adsciverunt ad suum errorem de unica in Christo natura confirmandum. — Ecclesia vero catholica constanter docuit, aquam miscendam esse vino in calice offerendo. Commixtio quidem aquae ad essentiam sacramenti aut sacrificii non pertinet, quia materia essentialis calicis salvatur in solo vino ; quod patet ex S. Scriptura, in qua solum vinum commemoratur, et ex Conciliis, quae assignando materiam

(2) Par 2 Sess. 22. c. 7.

calicis aliter loquuntur de vino, et aliter de aqua, ut ex. gr. in decreto pro Armenis solum *vinum de vite* nominatur. Ideo *Catechismus rom.* ait: «Quamvis aquae admiscendae ita graves sunt rationes, ut eam sine mortali peccato praetermittere non liceat ea tamen si desit, sacramentum constare potest» (1). Praeterea Catholici non contendunt, dictam aquae mixtionem necessariam esse ex praecepto divino, quod ex solo facto Christi desumi nequit, cum alias panis azymus aliaque non pauca dicenda essent a Christo praecepta, quod nemo dixerit. Catholici ergo obligationem aquae vino in calice offerendo miscendae ex praecepto ecclesiastico repetunt, et hanc praxin rectissime retinent, quia *Christi exemplo sacrata*, *in Ecclesia semper observata*, *in liturgiis praescripta*, et *a Conciliis praecepta fuit*.

1. *Christum*, dum eucharistiam instituit, aqua vinum temperasse, ex antiquissima traditione constat. *S. Irenaeus* (2) ait: « Accipiens panem suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit. » *S. Cyprianus* (3) scribit: « Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit. » *S. Basilius* in Liturgia haec habet: « Similiter etiam calicem post coenam miscuit vino et aqua. » *S. Hieronymus* comment. in Marc. 14 inquit: « Christus format sanguinem suum in calice, vino et aqua mixtis. » *S. Io. Damascenus* (4) dicit: « Similiter etiam calicem post coenam acceptum, ex vino et aqua constantem, impertivit eis. » Idem testatur *Conc. Carthaginense III* supra citatum, et *Florentinum* in decreto pro Armenis dicens: *Aqua autem ideo (vino) admiscetur, quia iuxta testimonia Ss. Patrum et Doctorum Ecclesiae - creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum.* Hoc idem testatur *Tridentinum* (5).

2. *Ecclesiam* semper in Ss. Mysteriis vinum aqua temperasse, testes sunt Ss. Patres. Iam *S. Iustinus M.* Apol. I (6) de eucharistiae celebratione loquens ait: « Deinde ei, qui praeest, panis offertur, et poculum aquae et vini. » *S. Irenaeus* (7) dicit: « Quando ergo et mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis et corporis Christi. » *S. Cyprianus* (8) scribit: « A Domino admoniti et instructi sumus, ut calicem dominicum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus: » cuius mixtionis causam assignans ait: «Sic autem in sanctificando calice Domini offerri sola aqua non potest, quomodo nec vinum solum potest; nam si vinum quis tantum offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur - tunc sacramentum spirituale et coeleste perficitur. » S. Pater ergo consecrationem vini sine aqua validam quidem agnoscit, sed illicitam declarat, quia debita significatione spirituali destituitur. — *S. Ambrosius* (9) inquit: «Ante verba Christi calix est vini et aquae plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. » *S. Augustinus* (10) docet, aquam ex latere Christi profluentem non solum ad baptismi, sed etiam ad eucharistiae pertinere sacramentum; nam, ait, « aqua illa salutare temperat poculum, haec et lavacrum prae-

(1) P. 2, c. 4, n. 16. (2) Lib. 4, c. 33 al. 57.
(3) Ep. 63 ad Caecil.
(4) Lib. 4 de fide, c. 14.
(5) Sess. 22, cap. 7. (6) N. 55.
(7) Lib. 5 adv. haer. c. 2.
(8) Ep. 63 ad Caecil. n. 12.
(9) Lib. 4 de sacram. c. 4.
(10) Tract. 12[illegible]

stat et potum. » *Gennadius* (1) ita loquitur : « In eucharistia non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum aqua mixtum. » *S. Ioannes Damascenus* (2) ita disserit: « Panis ac vinum et aqua per sancti Spiritus invocationem et adventum mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur. »

3. *Liturgiae* commixtionem vini cum aqua praescribunt. Sic in liturgia *S. Chrysostomi* (Interprete Erasmo) haec ordinantur : « Ad infusionem vini dicit sacerdos: *Et unus militum lancea latus aperuit, et exivit sanguis;* et addens aquam dicit: *et aqua.* » Eandem mixtionem aquae praescribunt antiquissimae liturgiae *Ss. Iacobi, Marci, Basilii, Cyrilli* aliaeque orientales omnes apud *Renaudotium*, qui de hac mixtione aquae loquens : « quam, inquit, omnes ecclesiasticae orientalium leges praescribunt. » Idem de liturgiis antiquissimis occidentalibus testantur cum *Le Brun* et *Assemano*. *Muratorius*, et *Martene* (3).

4. Praefatam mixtionem ab Ecclesia praescriptam esse, patet *ex Conciliis* § praec. n. 2 citatis. Praeterea *Conc. Braccarense* an. 675 cap. 2 ait: *Calix dominicus vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. — Trullanum* an. 692 Armenos vinum purum offerentes (4) redarguit, et auctoritate *S. Iacobi*, *S. Basilii* et *S. Chrysostomi* probat, aquam vino miscendam esse, ac demum concludit: *Si quis ergo Episcopus vel presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, deponatur ut imperfecte ac simpliciter mysterium enuncians, et quae tradita sunt innovans.* Idem praescribunt *Conc. Wormatiense* an. 868 et *Triburiense* an. 895. Denique *Conc. Tridentinum* Sess. XXII can. 9 definit: *Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit;* quibus verbis de fide esse declaratur, Ecclesiae potestatem competere hunc ritum praescribendi, eundemque institutioni Christi contrarium non esse. Tres porro huius ritus rationes affert Tridentina Synodus Sess. XXII cap. 7 dicens: *Monet sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christus Dominus ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere eius aqua simul cum sanguine exivit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi B. Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.*

Nota 1. Aqua in modica quantitate vino miscenda est, tum quia si multum aquae admisceretur, periculum esset, ne vinum corrumperetur, maxime si sit debile; tum etiam quia decet, ut ipse Christus caput expressius repraesentetur, quam populus. *Conc. Triburiense* sup. cit. can. 19 ait: *Duae sint partes vini, quia maior est maiestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aquae, per quam intelligitur infirmitas humanae naturae;* quibus verbis, ut monent theologi, non praecipitur, ut tertia pars aquae sumi debeat, sed potius cavetur, ne quantitas aquae tertiam partem excedat. *Honorius III* (5) declarat, quod « secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiae generalis

(1) De dogm. eccl. c. 75.
(2) Lib. 4 de fide, c. 14.
(3) De ant. eccl. rit. lib. 1, c. 3, a. 7.
(4) Can. 32.
(5) C. Perniciosus Dec. lib. 3, tit. 41 de celebr. miss.

plus in ipso (sacrificio) sit de vino, quam de aqua ponendum. » *Florentinum* in decr. pro Armenis ait: *Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet.*

Nota 2. Aquam vino in calice mixtam reipsa in sanguinem Christi converti, theologi omnes admittunt, quia de fide est, post consecrationem id, quod est in calice et speciem habet vini, esse sanguinem Christi. Sed scholastici disputarunt, an aqua *mediate* vel *immediate* in sanguinem Christi convertatur. *Thomistae* dixerunt, id fieri *mediate*, ita ut aqua prius convertatur in vinum, et deinde in sanguinem Christi, quia Pontificale romanum (1) dicit: « Aqua, quae in calice vino admiscetur, debet esse in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet; » et *Innocentius III* (2) huic opinioni suffragari videtur (3). Alii autem theologi contendunt, sicut vinum, ita etiam aquam *immediate* in sanguinem Christi converti, quia Patres nullum plane discrimen afferunt inter modum, quo vinum, et eum, quo aqua convertitur, sed simpliciter affirmant, id quod est in calice, in sanguinem Christi converti, et quia nullo modo admitti potest, naturam aquae per mixtionem in naturam vini commutari (4). Quia autem ipsi *Thomistae* non admittunt, ante verba consecrationis veram transsubstantiationem aquae in vinum fieri, sed conversionem, de qua loquuntur, dicunt « fieri posse 1° per divisionem aquae in minimas partes (ut patet ad oculum) sub quibus remanere non potest forma aquae, cui proinde succedit forma vini eam dividentis et undequaque circumdantis: 2° quatenus vinum agit in aquam per calorem virtualem » (5). Prima sententia a secunda vix dissentire videtur, quia huius quoque sententiae patroni talem commixtionem admittunt, ut species aquae evanescant, et unum fluidum constituatur.

(1) P. 1, tr. 10, cap. 12.
(2) Cap. *Cum Marthae*, lib. 3 decret. tit. 41.
(3) Cf. Billuart de euchar. diss. 3, art. 4.
(4) Cf. Tournely de euchar. q. 4, art. 7.
(5) Cf. Billuart l. c. resp. ad obj. 5.

V. *Materia eucharistiae proxima sunt species, ut continent corpus et sanguinem Christi.*

§ 597. Eucharistia duplici ratione spectari potest, nempe in *fieri*, dum actu transeunte seu consecratione conficitur; et *in facto esse*, dum habet esse fixum et permanens. Sicut autem eucharistiae in fieri consideratae materia remota sunt panis et vinum, sic eiusdem materia proxima dici potest transsubstantiatio, quae per verba consecrationis efficitur, et per quam fit, ut substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertantur, remanentibus duntaxat speciebus panis et vini. Ita etiam in eucharistia accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Si autem eucharistia consideretur in facto esse, materiam eius proximam non constituunt solae species, quia species non sunt ipsum corpus et sanguis Christi, eucharistia autem est sacramentum corporis et sanguinis Christi: nec materiam proximam constituit solum corpus Christi, quod sine speciebus sensibus non subiicitur. Materia ergo proxima, seu ipsa ratio sacramenti consistit in speciebus cum corpore Christi, seu in speciebus, ut continent corpus et sanguinem Christi. Qua ratione autem subtiliter in hac materia distingui possit, ex his cl. *Bellarmini* propositionibus intelligimus: « Etsi tam species panis et vini, quam corpus et sanguis Domini ad essentiam sacramenti eucharistiae pertineant, ratio

»amen sacramenti magis convenit speciebus, ut continent corpus, quam corpori Christi ut est sub speciebus.» Prop. 6. « Ratio sacrificii, nec non pignoris et alimenti divini magis convenit corpori Domini, ut est sub speciebus, quam speciebus, ut continent corpus Domini (1). Ratio primi est, quia sacramentum praecise ut tale, est signum sensibile rei sacrae, nempe vel gratiae, ut in caeteris sacramentis, vel auctoris gratiae, ut in eucharistia: ex quo sequitur, solas species ut corpus Christi continent, proprie rationem habere sacramenti; solae enim species sunt signum sensibile realis sed invisibilis praesentiae Christi. Ratio secundi est, quia id quod offertur Deo Patri, non sunt species panis, sed id quod in cruce fuerat oblatum; et similiter pignus amoris et alimentum non in significatione, sed in re ipsa consistunt.

VI. *Formam eucharistiae constituunt verba dominica.*

§ 598. *M. Bucerus* nullis ad eucharistiam conficiendam verbis opus esse, contendit. *Calvinus* (2) requirit quidem verba, sed per modum concionis ad instruendam fidem, non ad consecrandum elementum, cum Christus non alloqueretur panem, sed Apostolos, dum ait: *Hoc est corpus meum*, et *hic est sanguis meus*. Cui sententiae adhaerent *Calviniani*. Eidem praelusit *Lutherus*, qui ait (3) parum referre, quibus verbis conficiantur sacramenta, modo adsit in accipientibus fides. Ab hac tamen sententia iamdiu recessere *Lutherani*, imprimis *Chemnitius*, qui omnia et sola verba Christi requirit, quae non historice tantum seu ad instruendum, sed etiam ad consecrandum adhibeantur: cum autem Lutherani transsubstantiationem non admittant, de vera consecratione sermo esse nequit; sed iuxta ipsos Christus pani alligatur aut panis fit, et quidem non tam per verba ministri, quam per actum sumentis (4). Ecclesia catholica constanter credidit et docuit, sicut ad reliqua sacramenta, ita etiam ad eucharistiam conficiendam requiri formam seu verba, quibus consecratio perficiatur; essentialem vero formam consistere in verbis dominicis, id est, in verbis a Christo eucharistiam instituente prolatis: *Hoc est corpus meum*, et *hic est sanguis meus*, seu *hic est calix sanguinis mei*. Communis est etiam Catholicorum doctrina, praefata verba sufficere ad consecrationem valide perficiendam, quamvis ex praecepto Ecclesiae etiam alia verba recitanda et orationes proferendae sint. Essentialem autem formam in praefatis verbis dominicis consistere ex *S. Scriptura*, *Ss. Patribus*, *Conciliis* et *ratione theologica* probatur.

1. *S. Scriptura* testatur, Christum, quamvis, quod nemo negabit, solo omnipotentiae suae nutu transsubstantiationem efficere potuisset, in institutione tamen eucharistiae verbis usum esse, quia accepto pane dixit: *Hoc est corpus meum*, et accepto calice: *Hic est sanguis meus* (5). Christus autem Apostolis et eorum successoribus etiam dixit: *hoc facite in meam commemorationem* (6); ergo quovis tempore sacerdotes ad conficiendam eucharistiam verbis Christi uti tenentur, alias enim non facerent quod Christus fecit.—Equidem etiam inter Catholicos extiterunt, qui *cum*

(1) Lib. 4 de euchar. cap. 6, prop. 5.
(2) Lib. 4 instit. c. 17, n. 39.
(3) Lib. de capt. babyl. c. de bapt.
(4) V. Buchmann symb. popul. P. 2, § 65.
(5) Matth. 26, v. 26 et 28.
(6) Luc. 22, 19.

Durando et *Ambr. Catharino* putarunt, Christum non verbis, sed arcana tantum benedictione ac voluntatis imperio eucharistiam consecrasse. Huic autem opinioni obsistunt *S. Thomas* (1), *Franc. Suarezius* (2), omnesque fere theologi docentes, Christum praefatis verbis eucharistiam consecrasse. Huic sententiae suffragantur Patres. Nam *Tertullianus* (3) ait: Christus « acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo. » Et *S. Io. Damascenus* (4) inquit: « Sicut Deus dicendo: *fiat lux*, fecit lucem, ita dicendo: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, perfecit hoc sacramentum. »

2. *Ss. Patres* docent, consecrationem fieri per verba Salvatoris. *S. Irenaeus* (5) scribit: « Quando ergo et mixtus calix, et fractus panis percipit Verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi. » *S. Gregorius Naz.* (6) inquit: « Inter sermones de carne praecipui sunt illi Christi: *Hoc est corpus meum;* illisque prolatis a sacerdote, qui non credit, verum esse corpus Christi, sine dubio fidem derogat. » Idem docet *S. Gregorius Nyss.* orat. cathec. dicens: « Panem statim per verbum in corpus transmutari, sicut dictum est a Verbo: *Hoc est corpus meum.* » *S. Ambrosius* (7) ait: « Si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. » — Auctor lib. de sacram. (8) haec habet: « Consecratio autem cuius verbis est, et cuius sermonibus? Domini Iesu... Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi conficit hoc sacramentum. » *S. Chrysostomus* (9) ita loquitur: « Isto verbo (hoc est corpus meum) munera proposita consecrantur; et sicut illa vox, quae dixit: *Crescite et multiplicamini*, semel quidem edita est, sed omni tempore sentit effectum; ita et vox illa: *Hoc est corpus meum*, semel quidem a Christo dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiae usque ad hodiernam diem et usque ad eius adventum praestat sacrificio firmitatem. » *S. Augustinus* (10) ait: « Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, imo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. » *S. Thomas* de forma eucharistiae ita disserit: « Forma huius sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi, quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi » (11).

3. In *Concilio Florentino* Graeci confessi sunt, *verba dominica esse illa, quae mutant et transsubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem* (12). *Eugenius IV* in decreto pro Armenis definivit: *Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem*

(1) 3 p., q. 18, art. 1. (2) Disp. 57, sect. 1.
(3) Lib. 4 c. Marcion. c. 40.
(4) Lib. 4 de fide, c. 13.
(5) Lib. 5, c. 2, al. 4.
(6) Or. 2 de Paschate.
(7) Lib. de myst. c. 9, n. 54.
(8) Lib. 4, c. 4.
(9) Hom. 1 de prodit. Iudae n. 6.
(10) Serm. 227, al. 83 de divers.
(11) 3 p., q. 78, art. 1.
(12) V. Mabillon in Musaeo ital. tom. I.

convertuntur. Tridentinum Sess. XIII, cap. 3 inquit: *Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verum eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere.* Etsi autem expresse ibi minime dicatur, quibusnam verbis haec consecratio fiat, facile tamen constat, Concilium loqui de illa eadem consecratione, qua Christus Dominus hoc tam mirabile sacramentum in ultima coena instituit, *cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Ita enim habet ibidem cap. 1.

4. *Rationem theologicam* affert *Catechismus rom.* dicens: « Forma ea est, qua illud significatur, quod in hoc sacramento efficitur; cum autem haec verba id, quod fit, significent ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri corpus; sequitur, formam in illis ipsis verbis constituendam esse » (1). Idem eruitur ex praxi Ecclesiae. In latina quamprimum sacerdos verba protulit: *Hoc est corpus meum,* hostiam primus adorat, eamque elevat, ac populo adorandam ostendit. In graeca Ecclesia verba Christi alta voce proferuntur a sacerdote, ac mox latriae cultus eucharistiae exhibetur. Nam in liturgia S. Chrysostomi praescribitur, ut sacerdos et diaconus statim post verba dominica pronuntiata eucharistiam adorent, et ut populus respondeat: *Amen,* nempe « vere ita est, seu corpus et sanguinem Christi adesse confitemur, et ut omnes mox latriae cultum eucharistiae deferant.» Idem fere in aliis quoque liturgiis Graecorum praecipitur. Ergo Ecclesia graeca censet, preces, quae consecrationem subsequuntur, non pertinere ad essentiam consecrationis; alias antequam illae recitentur, non exhiberet eucharistiae latriae cultum (2).

Nota 1. Inter Catholicos nonnulli theologi fuerunt, qui etiam verba: *Qui pridie quam pateretur* etc. ad consecrationem ideo necessaria esse putabant, quia nonnisi ex illis recitatis adparet, sacerdotem verba consecrationis non in sua, sed prout eum oportet, in Christi persona proferre. — Attamen ad hoc, ut praefata verba ex persona Christi proferantur, satis est intentio ministri, ut docet *S. Thomas* (3), et post eum fere omnes reliqui theologi, et per se ex natura rei facile intelligitur. Forma enim in verbis consistit, quae ad exemplum Christi proferenda, non in actionibus, quae ad exemplum Christi suscipiendae sunt, et quae ab Evangelistis et a S. Paulo non iisdem terminis narrantur. Accedit, quod rubricae missalis praecipiant, ut si in missa defectus essentialis contigerit, nil repetatur praeter verba consecrationis. Porro verba Christi: *Accipite et manducate,* usum spectant, non consecrationem, seu praeceptum sumendae eucharistiae exhibent, non transsubstantiationem significant. In consecratione panis Graeci addunt: *Quod pro vobis tradetur;* sed haec verba apud Matthaeum et Marcum non leguntur, et ideo ad consecrationem necessaria non sunt, quod confirmat Traditio, quia Ecclesia graeca nunquam ob haec verba omissa Latinorum consecrationem invalidam habuit. In consecratione calicis iuxta communem sententiam theologorum verba essentialia sunt: *Hic est calix sanguinis mei,* reliqua vero: *Novi et*

(1) P. 2, c. 4, n. 19.
(2) Cf. Goar in notis ad liturg. Chrysost. Allatius, lib. 3 de cons. orient. et occid. c. 15; P. Arcudius, lib. 3, c. 26.
(3) 3 p., q. 78, art. 1 ad 4.

aeterni testamenti etc., ad consecrationis valorem necessaria non sunt. Aliam vero sententiam *S. Thomas* propugnasse videtur, qui (1) dicit: «Quod omnia sequentia sunt de *substantia* formae usque ad hoc, quod postea sequitur: *Haec quotiescunque feceritis* etc., quod pertinet ad usum huius sacramenti, unde non est de substantia formae.» Sed plerique theologi dicunt cum *Dom. Soto*, *S. Thomam* distinguere inter *essentiam* et *substantiam*, et per hanc id intelligere, quod ad consecrationem quidem concurrit, sine quo tamen haec valide perfici potest: ideo ipsemet ibidem dicit, quod sola verba: *Hic est calix sanguinis mei*, significent conversionem, et transsubstantiationem efficiant, sequentia vero significent Christi passionem et eiusdem sanguinis effusionem. Caeterum nemini licet sine gravi piaculo quidquam in forma consecrationis contra praeceptum et constantem usum Ecclesiae omittere, quamvis absolute ad essentiam formae haud requiri videatur.

Nota 2. Inter Graecos schismaticos extiterunt, qui contenderent, verba dominica non sufficere ad conficiendam eucharistiam, sed necessario coniungenda esse cum precibus, quae apud Latinos praecedunt, apud Graecos vero subsequuntur verba Christi, quia his iam prolatis sacerdos graecus Deum rogat, *ut mittat Spiritum sanctum suum super proposita dona, et panem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem eius, immutans ea Spiritu suo sancto*, inutiliter vero haec peterentur, si transsubstantiatio iam per verba dominica facta esset. Ast haec opinio Graecorum satis confutatur per argumenta iam allata. Ad rationem vero, quam Graeci pro se afferunt, respondet Card. *Bessarion*, inusitatum non esse orare pro donis iam sanctificatis et consecratis, ut constat ex liturgiis orientalis et occidentalis Ecclesiae: quod idcirco fit in sacro mysterio, ut postquam factum est corpus Christi verum, fiat mysticum, illud scilicet, quo fideles Christo participatione sacramenti uniuntur. Ita etiam *P. Arcudius* observat, non praecise Graecorum presbyteros deprecari, ut fiat Christi corpus, sed ut fiat suscipientibus, seu ut Graeci ipsi in *Concilio Florentino* professi sunt: «Oramus dicentes, ut Spiritus sanctus descendat super nos et efficiat *in nobis* panem hunc pretiosum corpus Christi... ut fiant communicantibus in purgationem animae, in remissionem peccatorum, non vero fiant in iudicium aut condemnationem nostram.» Et paulo post aiunt: «De mysteriis autem fatemur, ea consecrari per Domini voces, licet nos postea invocando dicamus: fiat corpus et sanguis Christi.» Imo Graeci professi sunt, eandem esse de efficacia verborum Christi Graecorum et Latinorum fidem; quapropter restiterunt, ne haec veritas insereretur in decreto unionis, eo quod in ignominiam Graecorum eiusdem insertio cessura esset (2).

(1) 3 p., q. 78, art. 3.
(2) Cf. Berti lib. 33, cap. 7; Gazzaniga, diss. de euchar. cap. 4.

ARTICULUS II.
De ministro eucharistiae.

§ 599. Iuxta *S. Irenaeum*, *Marcosiani* cuivis etiam mulieri conficiendae eucharistiae potestatem concedebant (3). Iuxta *S. Epiphanium* (4), *Pepuziani*, et *Collyridiani* eandem insaniam adoptarunt. *Waldenses*, teste *Rainero* c. 5, probis moribus imbutum laicum quemvis ad conficien-

(3) Lib. 1 adv. haer. c. 9.
(4) Haer. 49 et 79.

dam eucharistiam admittebant, improbum vero sacerdotem ad id officii ineptum esse putabant. *Lutherus* (1) sustinuit, Christianis omnibus sacerdotii ius munusque competere, illudque quemvis exercere posse in casu necessitatis, ad avertendas autem confusiones rectum ordinem postulare, ut nemo illud exerceat, qui non sit publico iudicio probatus et legitime vocatus. Eadem est sententia *Zuinglii* (2); *Chemnitius* (3) propius ad Catholicos accedit, ut et *Calvinus* (4), *Hugo Grotius* in libro de S. Coenae administratione ostendere aggressus est, laicos in casu necessitatis sicut baptismum, ita etiam eucharistiam conficere et administrare posse; quem solide confutavit cl. *Petavius*.— Contra recensitos aberrantes doctrina catholica de ministro eucharistiae propugnanda est. Minister vero huius sacramenti duobus modis considerari potest, vel quatenus eam conficere, vel quatenus eam distribuere debet. Solis autem Episcopis et sacerdotibus inest potestas eucharistiam conficiendi, et iisdem etiam competit ordinarium ius et officium eam dispensandi; diaconi tamen ut ministri extraordinarii eam dispensare possunt.

I. *Soli Episcopi et sacerdotes sunt ministri eucharistiae conficiendae.*

§ 600. Certum est, eos tantum eucharistiam conficere posse, qui sublimem hanc et omnes naturae vires longe excedentem potestatem a Christo obtinuerunt. At Christus hanc potestatem solis Apostolis dedit, quibus post eucharistiae institutionem et distributionem dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* quae verba potestatem traditam, et praeceptum iunctum continent, unde Apostoli eucharistiam conficere et distribuere poterant et debebant. Eucharistia vero celebranda est, ut Paulus docet, *donec veniat* (5) Christus ad iudicandum seu usque ad finem mundi: ergo etiam potestas eucharistiam conficiendi debuit ex voluntate Christi transire ad successores, qui primo et praecipuc loco sunt *Episcopi* (6). Idcirco legimus, Episcopos ab Ecclesiae primordiis in sacris coetibus eucharistiam confecisse, et per se vel per alios populo fideli distribuisse; neque de hac Episcoporum potestate dubium movetur. Sed eadem certitudine constat, etiam presbyteros seu sacerdotes, quamvis sint Episcopis inferiores, potestate tamen gaudere eucharistiam conficiendi et distribuendi. Id quoque semper, ubique et omnibus creditum esse, ex plurimis monumentis constat.

1. Semper in Ecclesia creditum est, Episcopos esse presbyteris superiores; et qui hoc dogma negarunt, ut saec. IV *Aetius*, haereticis adnumerati et strenue a Patribus oppugnati sunt. Ast quoad potestatem ordinis hoc unicum discrimen adductum fuit, quod nempe Episcopi, non autem sacerdotes sacramenta confirmationis et ordinis conferre possunt. Nunquam autem in hac controversia dictum et propugnatum fuisse legitur, solos Episcopos, non vero presbyteros eucharistiam conficere posse. Haec ergo potestas semper sicut Episcopis ita et presbyteris adiudicata fuit.

2. *Ss. Patres* solis Episcopis et presbyteris potestatem eucharistiam conficiendi tribuunt. *S. Iustinus M.* (7) ait, «eum, qui fratribus praeest (nempe Episcopum vel presbyterum).. Eucharistiam exequi.» *Tertullianus*

(1) De capt. babyl. c. de ordin.
(2) Lib. de vera et falsa relig.
(3) 2 p. exam. (4) Lib. 4 inst. c. 22.
(5) I Cor. 11, 25. (6) Cf. Th. gen. § 248, etc
(7) Apol. 1, n. 65.

lib. de praescript. c. 41 ea maxime de causa haereticos perstringit, quod laicis sacerdotalia munera concrederent; et lib. de corona, c. 3 testatur, eucharistiam « non sumi de aliorum manu quam praesidentium » episcoporum vel presbyterorum. *S. Cyprianus* Epist. 4 commendat presbyteris, qui in carceribus detentos martyres invisunt, ut hoc non glomeratim faciant, sed caute, « ita ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent, - ne ex hoc invidia concitetur, et introëundi aditus denegetur.» *S. Athanasius* Apol. 2 c. Arian. refert Epistolam Synodi Alexandrinae, in qua probant Patres, *Ischiram* Arianum non potuisse sacro calice uti, eo quod a vero Episcopo non esset presbyter ordinatus. *S. Basilius* Epist. ad Caesariam Patric. (1) morem Christianorum tempore persecutionis communionem, sacerdote aut diacono absente, propria manu sumendi vindicat; nam, ait, « postquam sacerdos sacrificium obtulit (id est, eucharistiam confecit), et distribuit, de hac a presbytero accepta quotidie participare potest.» *S. Epiphanius* in Epist. ad Ioan. Hieros. se excusat, quod in eius dioecesi, nempe in monasterio S. Hieronymi, presbyterum ordinaverit, ne multitudo Ss. fratrum ibidem degentium sacris privarentur mysteriis, cum non haberent, qui divina sacramenta conficeret. *S. Chrysostomus* variis in locis (2) adseverat, ob hanc unam potestatem consecrandi eucharistiam Angelos a sacerdotibus superari. *S. Ambrosius* (3) inquit: « Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.» *S. Hieronymus,* Dial. adv. Lucifer. (4) hoc argumento potissimum ostendit, apud ipsos veram Ecclesiam non esse, quod sacerdotes non habeant, qui corpus Christi conficiant, sed diaconum duntaxat: « Hilarius, ait, cum diaconus de Ecclesia recesserit - neque eucharistiam conficere potest, Episcopos et presbyteros non habens.» Et Epist. ad Evang. (5) scribit: « Cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbyteros, quos Episcopos (quoad potestatem conficiendae eucharistiae), quid patitur mensarum et viduarum minister, ut supra eos se tumidus diaconus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur.» *Origenes* (6) loquens de sacrorum mysteriorum ministris, ait: « Ad illa, quae mystica sunt, et in secretis recondita et solis sacerdotibus patent, non solum nullus animalis homo accedit, sed ne ipsi quidem, qui habere aliquid exercitii et eruditionis habentur, nondum tamen meritis et vita ad sacerdotalem gratiam ascenderunt... Quia igitur huiusmodi dispensatio est mysteriorum Dei et ministerii, quod habetur in sanctis, tales nos exhibere debemus, ut digni efficiamur ordine sacerdotii, ne velut irrationabilibus nobis onera gravia imponantur, sed tanquam rationabiles et sancti sacerdotalibus officiis deputemur. »

3. Dum ordinantur sacerdotes, iuxta antiquissimos libros rituales, et pontificales Ecclesiae graecae et latinae ipsis in hac ordinatione confertur potestas conficiendi eucharistiam, quae potestas in collatione inferiorum ordinum non communicatur: ergo soli sacerdotes eucharistiam conficere possunt.

(1) Ep. 93 al. 90.
(2) Lib. 3 de sacerd. n. 4, et lib. 6, n. 4; ac Hom. 82 in Matth. n. 5.
(3) Lib. 4 de sacram. c. 4, n. 14.
(4) N. 21.
(5) Epist. 101, n. 1.
(6) Hom. 4 in Num. n. 3.

4. *Conciliorum definitiones* idem confirmant. *Nicaenum I* can. 18 haec habet: *Pervenit ad sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus presbyteris gratiam communionis diaconi porrigant: quod nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant.* *Lateranense IV* cap. 1 de eucharistia dicit: *Hoc utique sacramentum nemo conficere potest nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.* In *Florentino Eugenius IV* edocens Armenos inquit: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.* *Tridentinum* Sess. XXII, can. 2 definit: *Si quis dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.*

Nota 1. *Lutherus* asseruit, verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, ad omnes fideles dicta esse; sed hac sua sententia a S. Scriptura recedit, quae in ultima coena solos Apostolos praesentes fuisse testatur. Dein verba Christi: *Hoc facite* etc., fatente etiam Luthero, vim praecepti habent; ergo si omnibus dicta fuissent, sequeretur, etiam pueris et feminis mandatum fuisse, ut consecrent; quo nil absurdius dici potest. Indirecte tantum praefata Christi verba ad omnes fideles pertinent; nam quia Apostoli iubentur consecrare et distribuere, consequens est, fidelibus praecipi, ut accipiant. — Alii dicunt, omnes fideles sacerdotio fungi posse, quia I Petr. II, 9 dicitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta;* et Apoc. I, 6: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Sed Petrus et Ioannes eo modo Christianos singulos appellat sacerdotes, quo Reges; atqui fatentibus adversariis reges nonnisi spirituali quodam modo appellare potuit; ergo eodem sensu sacerdotes appellavit. Sacerdotes scilicet nuncupantur improprie et latiori significatione, quatenus Christiani omnes, si digni hoc nomine esse velint, sacrificia spiritualia et interna offerre tenentur. Interpres sit sui ipsius Petrus ipse v. 5 dicens: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum.* Petrus aperte alludit ad illud Exod.: *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta* (1). Quae verba a Moyse nomine Dei ad Israëlitas dicta sunt; et tamen praeter sacerdotes nulli, ne Regibus quidem, sacrificium offerre licuit.

Nota 2. Extant canones antiquissimi Conciliorum, *Arelatensis* an. 314, *Ancyrani* eiusdem anni, et *Laodiceni* an. 320, ex quibus adversarii probare nituntur, diaconos olim habuisse et exercuisse potestatem offerendi seu consecrandi eucharistiam. — Ast etiamsi de vera consecratione agerent canones illi, nihil aliud probarent, quam diaconos quosdam hoc ius sibi arrogasse, sed ab Ecclesia mox repressam fuisse tantam temeritatem. Verum nihil cogit citatos canones de consecratione eucharistiae intelligere; verbum enim *offerre* saepe etiam significat ministrare, sacerdoti porrigere, aut fidelibus distribuere. — *Tertullianus* quidem (2) dicit: «Laicos et tingere et offerre posse, ubi ecclesiastici ordinis non est consessus.» Attendenda autem non sunt eius verba, quae post lapsum in haeresin scripsit. Nonnulli vero dicunt,

(1) Exod. 19, 6.

(2) Lib. de exhort. castit. c. 7

quod τὸ offerre non pro consecranda, sed pro dispensanda eucharistia sumpserit Tertullianus; quod ius secundum antiquam Ecclesiae consuetudinem variis in casibus etiam laicis competebat (1).

II. *Eucharistiam dispensant sacerdotes ut ordinarii, diaconi ut extraordinarii ministri.*

§ 601. 1. Minister *ordinarius*, cui ex officio ac iure divino competit eucharistiam fidelibus dispensare, est solus sacerdos. Id probat *S. Thomas* (2) triplici ratione: « Primo quidem, quia ipse consecrat in persona Christi: ipse autem Christus, sicut consecravit corpus suum in coena, ita et aliis sumendum dedit; unde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo, quia sacerdos constituitur medius inter Deum et populum; unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. Tertio, quia in reverentia huius sacramenti a nulla re attingitur nisi consecrata; unde et corporale et calix consecrantur, et similiter manus sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum; unde nulli alii tangere licet nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in alio necessitatis casu. » Hinc *Conc. Tridentinum* Sess. XIII, cap. 8 ait: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent; qui mos tanquam ex apostolica traditione descendens, iure ac merito retineri debet.* Et Sess. XXIII, cap. 1 ait: *A Christo Domino Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, ministrandi corpus et sanguinem eius... Ss. Litterae ostendunt et semper docuit Ecclesiae catholicae traditio.*

2. Minister *extraordinarius*, distributionis eucharistiae diaconus est, quatenus ex delegatione hoc ministerium in casu dumtaxat necessitatis exercet. Etenim a primis Ecclesiae temporibus tum in Oriente tum in Occidente diaconis munus eucharistiam dispensandi commissum est. *S. Iustinus M.* (3) ait: « Qui apud nos dicuntur diaconi, panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt. » *S. Cyprianus* (4) scribit: « Diaconum praesentibus calicem offerre, » id est, porrigere. *Apostolicae Constitutiones* (5) decernunt: « Oblatione ab Episcopo vel presbytero facta, ipse diaconus (synaxin) dat populo non tanquam sacerdos, sed tanquam qui mynistrat presbyteris. » *Conc. Carthaginense IV* can. 38 inquit: *Diaconus praesente presbytero eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget. Conc. Nicaenum I* prohibens, ne diaconi presbyteris eucharistiam administrent, clare docet, posse hanc ab iisdem sive laicis sive inferioribus etiam clericis administrari. *S. Gelasius P.* in Epist. ad Episc. Lucan. c. 8 scribit: « Diaconi... sacri corporis Christi prorogationem sub conspectu Pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus, ius non habeant exercendi. »

Nota. Si Ecclesia semper credidit, etiam diaconis nonnisi ex delegatione et urgente necessitate ius competere eucharistiam administrandi, multo minus inferioribus clericis et laicis ordinarium ius adiudicavit, sibi aut

(1) Cf. Tournely de euchar. q. 5, art. 2.
(2) 3 p., q. 82, art. 3. (3) Apol. 1, n. 65.
(4) Lib. de lapsis, n. 17.
(5) Lib. 8, c. 28.

aliis eucharistiam ministrandi. Id ex indulgentia tantum Ecclesiae tempore persecutionum laicis concessum fuit. Cessantibus autem persecutionibus, in Ecclesia latina saltem a saeculo IV exeunte laicis administratio eucharistiae haud amplius concessa fuit.

ARTICULUS III.

De effectibus eucharistiae.

§ 602. Ad rationem sacramenti vel maxime pertinet, ut per signum externum interna gratia significetur, et producatur. Dubitari autem non potest, hanc internae gratiae significationem et productionem in eucharistia praecipuo quodam modo reperiri. « Quanta enim, praeclare dicit cl. *Liebermann* (1), in sacrosancto eucharistiae sacramento bonorum omnium affluentia et copia inclusa sit, satis iam ex eius dignitate et excellentia intelligitur; nam si caetera sacramenta totidem rivuli sunt gratiarum in Ecclesia iugiter manantes, eucharistia fons omnium gratiarum merito dicitur, cum fontem ipsum coelestium charismatum et donorum, omniumque sacramentorum auctorem Christum Dominum admirabili modo in se contineat. Haec quidem generatim ostendunt, immensas utilitates ex hoc sacramento in fidelem populum redundare. » Non obiter igitur, sed magna cum assiduitate tractatio de eucharistiae effectibus suscipienda est, tum ut summam beneficii excellentiam, cuius per eucharistiae sumptionem seu per S. communionem participes reddimur, magis magisque cognoscamus, tum ut contra Novatorum errores praemuniamur. Ad quem duplicem finem ostendendum est, quod eucharistia seu S. Communio *non quidem per se et directe peccata mortalia remittat*, sed tamen *peccata venialia, et temporales peccatorum poenas diluat, fideles intime cum Christo et inter se uniat, gratias copiosas ad peccata vitanda et virtutes exercendas conferat*, et *pignus aeternae gloriae tribuat*.

(1) De euchar. cap. 2, art. 4, § 2.
(2) V. Bellarmin lib 4 de euchar. c. 17.

I. *Eucharistia per se et directe peccata mortalia non remittit.*

§ 603. *Lutherus* effectum eucharistiae primarium ponit in remissione mortalium peccatorum, ac tanto aptiorem aliquem esse ad eucharistiam dicit, quo plurium et graviorum peccatorum sibi conscius est. Idem fere *Chemnitius* sentit (2). *Calvinus* (3) dicit quidem : « Cibus hic spiritualis, si in animam inciderit malitia nequitiaque pollutam, maiore eam ruina praecipitat; » sed mox (4) aperte Catholicos reprehendit, quod digne manducare eos dicerent, qui in statu gratiae essent, in statu autem gratiae esse idem ipsis significaret, ac purum purgatumque ab omni peccato esse. Catholici vero adversus Novatores docent, eucharistiam per se, et directe non remittere peccata mortalia, ac proinde necessariam esse in suscipiente praeviam sanctificantem gratiam, ut digne ac cum fructu ad hoc sacramentum accedat : quam doctrinam veritati consonam esse, ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, ex *praxi Ecclesiae* et ex *ratione theologica* probatur.

1. *S. Scriptura* doctrinam catholicam luculenter demonstrat. Matth. VII, 6 Christus generalem regulam Apostolis praescribit dicens : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.* Quicunque vero realem Christi in eucharistia prae-

(3) Lib. 4 inst. cap. 17, n. 40. (4) N. 41.

sentiam admittunt, negare nequeunt, per *sanctum* et per *margaritas* praecipue corpus Domini intelligendum esse, quo nil pretiosius cogitari potest. Per *canes* autem et *porcos* peccatores obstinati, et immunditiis dediti designantur (1). Christus porro, ut S. Scripturae Interpretes passim observant, ante sacrosanctae eucharistiae institutionem Apostolorum pedes lavit (2) ut ostendat, quanta cordis puritate ad S. Synaxin accedendum sit. Matth. XXII, 11 etc. severissime punitus est, qui sine veste nuptiali convivium ingressus est. Ibi vero adumbrari eucharisticum convivium, et vestis nuptialis nomine gratiam sanctificantem intelligi, concors est Ss. Patrum et Interpretum sententia. Paulus I Cor. XI, cum institutionem eucharistiae enarrasset, et in ea corpus et sanguinem Christi adesse ostendisset, v. 27 etc. ita pergit: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Itaque iuxta Apostolum, qui *indigne*, id est, in statu peccati mortalis eucharistiam sumit, reus est mortis Christi, parque crimen facit, ac si corpus Christi crucifigeret, eiusque sanguinem funderet, ac propterea tremendum iudicium et horrendam damnationem in se accersit. Idcirco Apostolus fideles monet, ut ante eucharistiae sumptionem seipsos probent. Haec autem probatio iuxta doctrinam Patrum et Conciliorum in eo consistit, quod si communicaturus post diligens examen conscientiae suae reum se alicuius peccati gravis deprehendit, sacramentalem praemittat confessionem, aut si istius copia non detur, per contritionem perfectam iustificetur. Ergo sacramentum eucharistiae per se et primario institutum non fuit ad remittenda peccata gravia; alias praeviam illam praeparationem perperam praecepisset Apostolus.

2. *Ss. Patres* in eadem doctrina consentiunt. *S. Iustinus M.* (3) ait: « Alimentum hoc apud nos appellatur eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, et lavacro propter remissionem peccatorum, et regenerationem abluto et secundum Christi mandata viventi. » *Clemens Alex.* (4) ab iis, qui ad S. Synaxin accedunt « conscientiam puram et vitam Evangelio conformem » exigit, ac ideo provocat ad I Cor. XI, 27. *Origenes* (5) inquit: « Cum anima tua aegrotet et peccatorum languoribus urgeatur, securus es!.... communicare non times corpus Christi, accedens ad eucharistiam quasi mundus et purus, quasi nil in te sit indignum; et in his omnibus putas, quod effugias iudicium Dei? Non recordaris illud, quod scriptum est, quia *propterea in vobis infirmi et aegri et dormiunt multi* (6)? Quare multi infirmi? quoniam non seipsos diiudicant, neque seipsos examinant nec intelligunt, quid est communicare Ecclesiae, vel quid est accedere ad tanta et tam eximia sacramenta. Patiuntur hoc, quod febricitantes pati solent, cum sanorum cibos sumunt, sibimet ipsis inferentes exitium. » Et Hom. 13 in Levit.: « Lex ista proponitur....., ne in anima contaminata et peccatis polluta dominici corporis sacramenta

(1) II Petr. 2, 22; Ps. 21, 17; Prov. 26, 11.
(2) Io. 13, v. 5-11. (3) Apol. 1, n. 66.
(4) Lib. 1 Strom. (5) Hom. 2 in Ps. 37, n. 6.
(6) I Cor 11, 30.

percipias (1): *Sancta enim sanctorum sunt* (2): Vides quomodo non dixit *sancta* tantum, sed *sancta sanctorum*, ut si diceret, cibus iste sanctus non est communis omnium nec cuiuscunque indigni, sed sanctorum est. » *S. Cyprianus* Epist. 10 ad martyres, reprehendit quosdam presbyteros, qui lapsos ad eucharistiam praepropere admittebant, dicens: « Nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo et clero imposita eucharistia illis datur, cum scriptum sit: *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* » *S. Basilius* (3) dicit: « Si tales minae adversum eos positae sunt, qui (in V. T.) temere ad ea sacra accedunt, quae ab hominibus sanctificantur, quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium (eucharistiam) temerarius est? quanto enim maius Christus est templo secundum Domini vocem, tanto gravius et terribilius est in animae impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quam sit accedere, ad arietes vel tauros. » Propterea ibidem monet: « Mundemus nos ab omni inquinamento, et ad sancta sic accedamus ut iudicium eorum, qui Christum occiderunt, effugiamus. » *S. Ephraem* de extr. iudicio et compunct. ait: « Qui anima indigna ad divina participanda mysteria accesserit, seipsum condemnat non purificans se, ut te Regem ac Dominum in pectoris sui thalamum suscipiat. » *S. Ambrosius* (4) scribit: « Omnem immundum a Christi secernamus Altaribus, ut emundet et corrigat lapsus suos, quo ad sacramenta Christi redire mereatur. » Et alibi (5): « Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus, et illi, qui vocantur ad coenam, prius vocando sanantur... Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimoniae mensae coelestis exuberet. » *S. Chrysostomus* (6) inquit de S. eucharistia: « Si pure accesseris, ad salutem accessisti; sin prava conscientia, ad poenam et supplicium. » Et Hom. 6 in S. Philogon. cum frequentem et dignam communionem commendasset, subiungit: « Qui peccatis occupatus est, nec poenitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus; quin potius auget damnationem..... Quapropter exhortor vos... ut si quando huius sacrae hostiae futuri participes estis, multis ante diebus repurgetis vos ipsos per poenitentiam, precationem et eleemosynam, perque spiritualem exercitationem. » *S. Augustinus* (7) ita loquitur: « Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur! Unde dicit Apostolus: *Iudicium sibi manducat et bibit.* Non enim buccella dominica venenum fuit Iudae. Et tamen accepit, et cum accepit, inimicus in eum intravit, non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo fratres, panem coelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate: peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. » Enar. in Ps. n. 16: « Quam multos Iudas implet Satanas, indigne accipientes buccellam ad iudicium suum? *Qui enim manducat et bibit indigne,*

(1) I Cor. 11, 27, etc. (2) Lev. 24, 9.
(3) Lib. 2 de bapt. c. 3.
(4) Lib. de Elia et ieiun. c. 22, n. 82.
(5) Lib. 6 in Luc. cap. 9, n. 71.
(6) Hom. 46 in Io. 6.
(7) Tract. 26 in Io. n. 11.

iudicium sibi manducat et bibit. Non malum est, quod datur, sed bonum malo in iudicium datur. Bene esse non potest male accipienti, quod bonum est. » *S. Leo M.* (1) ad Theodorum Foroiul. haec habet: « Christus Iesus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.» *S. Isidorus Hisp.* (2) scribit: « Qui scelerate vivunt in Ecclesia, et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant, nihil sibi ad emendationem proficere, dicente Propheta: *Quid est, quod dilectus meus facit in domo mea scelera multa? nunquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas?* et Apostolo: *Probet autem seipsum homo* etc. »

3. Doctrinae Patrum concors fuit semper *Ecclesiae universae consuetudo.* Perspicuum est enim ex antiquis canonibus poenitentialibus et ex *Conciliis Eliberitano* (3), *Ancyrano* (4), *Nicaeno I* (5), ac *Arausicano I* (6) participationem sacrae mensae iis interdictam fuisse, qui ob patrata crimina publicam poenitentiam agebant. Hinc alta voce inter missarum solemnia clamabat Diaconus: *Exite, cathecumeni, poenitentes, indigni!* Et in liturgia graeca ante distributionem eucharistiae etiamnum a Diaconis dicitur: *Sancta sanctis!* quam praxin iam refert *S. Cyrillus Hier.* (7). Quamvis porro rigor pristinae disciplinae temporum lapsu decreverit, constans tamen est Ecclesiae doctrina et praxis peccatoribus eucharistiam denegandi, donec de eorum conversione et iustificatione moralis certitudo habeatur. Hinc *Concilium Tridentinum* Sess. XIII, can. 5 adversus Lutherum et alios aberrantes definit: *Si quis dixerit, vel praecipuum fructum eucharistiae esse remissionem peccatorum; vel ex ea non alios fructus provenire; anathema sit.* Et ibidem canoni ultimo adiicit: *Ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sacra Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

4. Eucharistiae sacramentum institutum est, ut sumatur per modum cibi et potus, dicente Christo: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (8). Atqui cibus non datur mortuis, sed viventibus, et ex natura sua ordinatur ad conservandam et roborandam vitam, non ad eam posteaquam amissa est, recuperandam. Ergo eucharistia ex institutione sua per se et primario ordinatur non ad reddendam vitam animae, delendo nimirum peccata gravia, sed ad animam vita gratiae iam viventem, reficiendam et nutriendam.

Nota 1. Si Christus Matth. IX, 12 etc. dicit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus...: non veni vocare iustos, sed peccatores:* non loquitur hic de invitatione ad eucharistiam, sed de vocatione ad fidem evangelicam, per quam peccatores iustificari et salutem consequi possint. Eodem sensu accipienda sunt verba

(1) Ep. 82, al. 91.
(2) Lib. 1 de summo bono, cap. 24.
(3) Can. 75 et 79. (4) Can. 4, 5 et 7.
(5) Can. 11. (6) Can. 3.
(7) Catech. 23, n. 19. (8) Io. 6, 56.

Christi apud Ioann.: *Panis, qui de coelo descendit, dat vitam mundo* (1), quia doctrinam suam panem spiritualem nominat, qui per fidem sumitur. Eucharistia vero panis vivificus nominatur, non quod mortuis det vitam, sed quod in iustis spiritualem vitam conservet et augeat, eosque ad aeternam vitam praeparet. Ecclesia quidem in missa orat, *ut hoc sacramentum sit ablutio scelerum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum;* sed haec verba intelligenda sunt de eucharistia ut est sacrificium quod propitiatorium esse inferius ostendetur; saepe enim Veteres nomine sacramenti ipsum sacrificium intellexerunt.

Nota 2. Quamvis eucharistia *per se et directe* peccata mortalia non remittat, non pauci tamen Theologi censent, per eucharistiam etiam peccata gravia *per accidens et indirecte* illi remitti, qui reapse quidem peccati mortali reus est, sed cuius nec conscientiam habet, nec affectum, quique bono ac simplici animo eucharistiam percipit, quin sacramentalem confessionem aut perfectam contritionem praemiserit. Nam, aiunt, qui post diligentem sui excussionem eucharistiam sumit, ignorans se esse in statu peccati mortalis, implet praeceptum Apostoli: *Probet autem seipsum homo*, indigne non communicat, et nullum obicem ponit: ergo cum fructu percipit eucharistiam, quia non ponentibus obicem gratia confertur, quae ipsum iustificat, quia cum peccato consistere nequit. Addunt, hinc intelligi posse, quare Patres hincinde dicunt, per eucharistiam mundari et lavari animam, ablui scelera etc., quae de indirecta tantum peccatorum gravium remissione intelligenda sunt; et quare *Concilium Tridentinum* solum definierit, remissionem mortalium *non esse praecipuum eucharistiae effectum*. Denique sententiam suam probant auctoritate *S. Thomae*, qui in 4 Dist. 9, q. 1, art. 3 ait: « Si quis facta diligenti discussione suae conscientiae... ad corpus Christi accedat, aliquo mortali in ipso manente, quod eius cognitionem subterfugiat, non peccat, imo magis ex vi sacramenti (eucharistiae) remissionem consequitur. » Et in Summa (2) dicit: « Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primo iustificatur a peccato: alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati ». — Contrariam quidem sententiam nonnulli Theologi defendunt, ut *Tournely*, *Sardagna* etc., rationibus ducti, quibus generatim probatur, per eucharistiam peccata mortalia non remitti. Notandum vero est, omnes theologos admittere, per contritionem perfectam peccatorem iustificari: ast eucharistiam efficacissimum medium esse ad charitatem et contritionem perficiendam, quis negabit? —

(1) Io. 6, 33. (2) 3 p., q. 79, art. 3.

II. *Eucharistia peccata venialia et temporales peccatorum poenas diluit.*

§ 604. 1. Peccata venialia per S. communionem remitti, non obscure Ss. Patres indigitant. S. *Ambrosius* (3) ait: « Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est coeleste ac venerabile (eucharistiae) sacramen-

(3) Lib. 5 de sacram. c. 4.

tum, » quod ibidem vocat panem nostrum quotidianum, per quem non quidem a peccatis mortalibus, sed tamen a venialibus liberamur, in quae etiam iusti ex infirmitate labuntur. *S. Augustinus* (1) dicit: « Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet a quotidiana medicina dominici corporis separare: » quotidianam appellat medicinam, quia quotidianis morbis seu peccatis venialibus sanandis destinata est, *S. Thomas* docet (2) quod eucharistia remissionem peccatorum venialium dupliciter operetur; *primo* immediate et directe, quatenus est cibus animae: sicut enim cibus corporalis restaurat vires, quae quotidie deperduntur per actionem caloris naturalis, ita cibus spiritualis restaurat vires spirituales, quae quotidie deperduntur per calorem concupiscentiae: *secundo* mediate et indirecte, quia auget habitum charitatis ac reparat eiusdem fervorem, adeoque tollit peccata venialia, quibus ille fervor minuitur et impeditur. Qua de causa *Conc. Tridentinum* (3) eucharistiam appellat *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur.*— Caeterum cum remissio venialium non fiat nisi dependenter a libera arbitrii nostri cooperatione, requiritur, ut obex huic effectui non ponatur affectum ad venialia retinendo. Ideo *Catechismus romanus* cum dixisset, eucharistiae devoto usu restitui, quidquid ardore cupiditatis ad leves offensas pertrahentis amisimus, subdit: « verum haec de iis peccatis intelligenda sunt, quorum sensu et delectatione animus non permovetur» (4).

2. Eucharistiam ut *sacrificium* sum-

(1) Epist. 54, al. 118, cap. 3.
(2) 3 p., q. 79, art. 4.
(3) Sess. 13, can. 2. (4) P. 2, c. 4, n. 53.
(5) Ibid. art. 5.

mam pro peccatis satisfaciendi et poenas delendi vim habere, inferius ostendetur. Si autem eucharistia consideretur *ut sacramentum* non remittit poenam directe, quia non est instituta ad satisfaciendum, sed ad nutriendum et uniendum cum Christo, quod non impeditur per poenam dimissa culpa: unde sub hac ratione non remittit poenam nisi consequenter et indirecte, quatenus auget et inflammat charitatem, « ex cuius fervore, ait *S. Thomas* (5), aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae; inde est quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem poenae non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et fervoris. » Etiam Ss. Patres eandem doctrinam tradiderunt. *S. Ambrosius* (6) inquit: « Tunc itaque paratus adsiste, ut corpus edas Domini Iesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio divinae reconciliationis et protectionis aeternae. » *Auctor* lib. de sacr. (7) scribit: « Quotiescunque (eucharistiam) accipimus, mortem Domini annuntiamus. Si mortem annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.» Et ibid. (8): « Quotiescunque enim bibis, accipis remissionem peccatorum. » *S. Io. Damascenus* (9) docet: « Fit igitur iis qui fide digne assumunt, in remissionem peccatorum, — comburit peccata nostra — curat morbos et omnimoda damna. »

(6) Exp. in Ps. 118, n. 48.
(7) Lib. 4, cap. 6, n. 28.
(8) Lib. 5, c. 3, n. 17.
(9) Lib. 4 de fide, c. 15

III. *Eucharistia fideles cum Christo et inter se unit.*

§ 605. 1. Nobilissimum et suavissimum hunc effectum Christus ipse expressit dicens: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (1), id est, intime mihi unitur, et quidem ita, ut non me mutet in se, sed in me mutetur. Quamvis autem in S. communione Christi corpus vere, realiter et substantialiter in corpus nostrum intret, unio tamen, de qua Christus loquitur, non physica sed moralis, non corporalis, sed spiritualis est; non enim corporaliter Christus manet in nobis, sed corruptis speciebus eius praesentia desinit; unio igitur animam concernit, quam Christus per affectus intime sibi coniungit. Unde *S. Cyprianus* vel alius Auctor serm. de coena Dom. ait: « Nostra et ipsius coniunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat et confoederat voluntates. » Hanc fidelium cum Christo unionem Ss. Patres magnis extollunt encomiis. *S. Cyrillus Hier.* (2) asserit, per eucharistiam fideles cum Christo « concorporeos et consanguineos » fieri. *S. Ephraem* de extr. iudicio et compunctione haec habet: « Anima nostra sponsa sancta facta est immortalis sponsi. Nuptiarum autem copulae divina sunt sacramenta, per quae sancta anima iungitur sponso, dum cum timore ac tremore digne sumuntur. » *S. Chrysostomus* (3) inquit: « Sicut si quis in liquefactum aurum manum vel linguam iniiciat, si tamen id fieri possit, statim inauratam reddit, id proposita (eucharistiae) mysteria longe melius animae praestant. Fluvius enim (divini sanguinis) igne ferventius ebullit; at non urit, sed abluit tantum... Ut enim qui servos emit, aurum dat, et illos si ornare velit, auro ornat: ita et Christus nos sanguine suo et emit et ornavit. Qui huius sanguinis participes sunt, cum Angelis stant et Archangelis et supernis potestatibus, regia Christi stola induti et armis spiritualibus instructi. Sed nihil magnum hactenus dixi; nam ipso sunt induti rege. » *S. Cyrillus Alex.* (4) scribit: « Sicut si quis cerae liquefactae aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est, sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur. » *S. Leo M.* (5) dicit: « Non enim aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus. »

2. Dubitari non potest, eucharistiam etiam ad hoc institutam esse, ut fideles per charitatem inter se uniantur. Quod Christus ipse satis perspicue innuit, dum in suavissimo sermone, quem eucharistiam instituens in ultima coena habuit (6), dilectionem proximi maxime commendavit. Eucharistiam porro ut *convivium* instituit; quid autem convivis convenientius magisque necessarium est, quam charitas, pax et concordia animorum? Iucundissimo nexu inter se uniuntur de una mensa participantes. Unde Paulus charitatem inter fideles commendans ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* (7) Ipsa materia, ex qua eucharistia conficitur, symbolum unionis est, qua fideles per charitatem inter se colligantur. Nam ait *S. Chrysosto-*

(1) Io. 6, 57. (2) Catech. 22, n. 3.
(3) Hom. 46 (al. 45) in Ioan. n. 3.
(4) Lib. 4 in Ioan. cap. 17.
(5) Serm. 63 de pass. Dom. 12, c. 7.
(6) Io. 13, 31 - cap. 15. (7) I Cor. 10, 17.

mus: « Sicut panis ex multis granis constans unitus est, ita ut grana nusquam appareant, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit illorum differentia propter coniunctionem: sic nos et mutuo et cum Christo coniungimur. Non enim ex altero corpore hic, ex altero ille nutritur, sed ex eodem ipso omnes. Ideo adiecit: *Omnes enim ex uno pane participamus.* Si autem ex eodem, et idipsum efficimur omnes, cur non eandem charitatem exhibemus, et ea ratione unum efficimur? Nam olim maiorum nostrorum tempore hoc erat: *Multitudinis enim credentium*, inquit, *cor unum et anima una erat* » (1). *S. Augustinus* tract. in Io. (2) cum dixisset, quod fideles per S. communionem fiant corpus Christi, ut sic etiam vivant de spiritu Christi, ex quo iuxta I Cor. X, 17 perfecta unitas repetenda est, exclamat: « O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis! » Et serm. in die Pentec. postrem. (3) inquit: « Sicut ut sit species visibilis panis, multa grana in unum consperguntur, tamquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura sancta: *Erat illis anima una et cor unum in Deum:* sic et de vino. Fratres recolite, unde sit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita et Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis et unitatis nostrae in sua mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. » *Conc. Tridentinum* Sess. XIII, mox ab initio dicit: *Eucharistiam Salvator noster in Ecclesia sua tanquam symbolum reliquit eius unitatis et charitatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos et copulatos esse voluit.* Et cap. 2 ait, Christum voluisse, ut eucharistia sit *Symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus nec essent in nobis schismata.*

(1) Hom. 24 in 1 ad Cor. n. 2

IV. *Eucharistia gratias copiosas ad peccata vitanda, et exercendas virtutes confert.*

§ 606. Si omnia sacramenta gratiam internam supernaturalem significant et producunt, a fortiori id de praestantissimo eucharistiae sacramento dicendum est, cum in eo auctor sacramentorum fonsque omnium gratiarum contineatur, et intima spiritualis unio per sacram synaxin cum ipso ineatur. Dubitari igitur non potest, per istam magnum gratiae sanctificantis augmentum et copiosas gratias actuales obtineri, quibus intellectus illustratur, voluntas ad bonum inclinatur, contra carnis, mundi, et daemonis tentationes roboratur, et sic a futuris peccatis praeservatur et ad exercendas virtutes excitatur. Istos esse saluberrimos eucharistiae digne et devote sumptae effectus ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus* et ex *Conciliis* constat.

1. *In S. Scriptura V. T.* spirituales eucharistiae effectus praefigurati et praenuntiati fuerunt (v. § 569, n. 1). Christus autem ipse eosdem nobis patefacere dignatus est. Nam Io. VI, 48 etc. ait: *Ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis quem ego*

(2) Tract. 26 in Io. n. 13 (3) Serm. 272.

dabo, caro mea est pro mundi vita. Non loquitur Christus de vita et morte corporis, sed de vita et morte animae. Non enim Christus homines liberare voluit a morte temporali, quam ipsemet in cruce sustinuit, et cui etiam in novo foedere omnes homines subiiciuntur, dicente Paulo: *Statutum est hominibus semel mori* (1). Voluit autem homines liberare a morte spirituali et aeterna ; atque ideo non solum in ara crucis semetipsum obtulit, et sanguinem suum fudit, sed etiam corpus suum et sanguinem ut cibum et potum reliquit. Ut autem huius alimenti praestantiam ostenderet, comparationem inter manna et eucharistiam instituit dicens, antiquos Patres panem quidem de coelo descendentem manducasse, sed tamen a Deo defecisse et spiritualiter mortuos esse, panem autem vivum a se dandum praestantiorem effectum productu rum esse, *ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, id est, a Deo per peccatum non deficiat, et spiritualem mortem non incurrat: quibus verbis sat luculenter declaratur, per eucharistiam homines a peccatis praeservari, atque ideo contra carnis, mundi et daemonis tentationes praemuniri, ita ut bonum certamen certantes fidem servent, et coronam iustitiae mereantur. Eodem modo Christus clare innuit, per eucharistiam vitam spiritualem non solum conservari, sed etiam augeri, et perfici. Ideo dixit v. 51 : *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum;* v. 58, *qui manducat me, et ipse vivet propter me :* quibus verbis edocemur, per eucharistiam in fidelibus etiam fidem, spem, charitatem, caeterasque virtutes produci, sine quibus vita spiritualis conservari, nutriri et perfici non potest. Insignes isti eucharistiae effectus manifestati sunt tum in discipulis euntibus in Emmaus, quia sumpta eucharistia *aperti sunt oculi eorum* (2), ipsique in fide confirmati, spe roborati et charitate accensi ad Apostolos redierunt: tum etiam in primis fidelibus, qui : *Erant perseverantes - in communicatione fractionis panis* (3), et ideo omnibus virtutibus collucebant (4).

2. *Ss. Patres* de spiritualibus eucharistiae emolumentis insignia testimonia ferunt. *S. Ignatius M.* (5) eucharistiam nominat, « pharmacum immortalitatis et antidotum, ne moriamur, sed semper vivamus in Iesu Christo . » *Clemens Alex.* (6) dicit : « Eucharistia bona est gratia, cuius qui per fidem sunt participes, sanctificantur et corpore et anima. » *Tertullianus* (7) ait : « Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » *Origenes* (8) haec habet: « Actis gratiis, oblatis panibus vescimur, qui utique per preces efficiuntur corpus sanctum et sanctificans eos, qui sano proposito et recta mente ipso utuntur.» *S. Cyprianus* (9) ad Cornelium scribit: « Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad praelium et mens deficit, quam non recepta eucharistia erigit et accendit.» Et ad Coecil. (10) inquit: « Calix dominicus sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat, ut a sapore isto saeculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat, — ut exponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinae sae-

(1) Hebr. 9, 27.
(2) Luc. 24, 31.
(3) Act. 2, 42.
(4) Act. 2, v. 44-47.
(5) Epist. ad Ephes. n. 20.
(6) Paedagog. lib. 2.
(7) Lib. de resurrect. n. 8.
(8) Lib. 8, c. Celsum.
(9) Epist. 54.
(10) Epist. 63.

cularis, et moestum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinae indulgentiae laetitia resolvatur. » *S. Cyrillus Hier.* (1) docet : « Panis iste substantialis est, quasi dicas, ad substantiam animae directus, ad corporis et animae emolumentum. » *S. Basilius* Ep. ad Caesariam inquit : « Communicare per singulos dies, et participare de sacro corpore et sanguine Christi, pulcrum est et valde utile, ipso manifeste dicente : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Quis enim ambigit, quin frequens vitae participatio nihil aliud sit, quam pluribus modis vivere. » — *S. Ambrosius* (2) de eucharistia dicit : « Cor nostrum esca ista confirmat, et potus iste laetificat cor hominis. » Idem (3) : « De hoc pane dictum est : *Omnes, qui elongant se a te, peribunt.* Si te elongaveris ab eo, peribis : si appropinquaveris ad eum, vives. Hic est panis vitae; qui ergo vitam manducat, mori non potest. Quomodo enim morietur, cui cibus vita est? quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam ? Accedite ad eum et satiamini, quia panis est : accedite ad eum et potate, quia fons est : accedite ad eum et illuminamini, quia lux est: accedite ad eum et liberamini, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. » Audiendus autem prae caeteris est *S. Chrysostomus*, quem non immerito quidam *Doctorem eucharistiae*, sicut *S. Augustinum doctorem gratiae* appellant: ille Hom. 46 (4) in Ioan. n. 3 et 4 cum dixisset, quod Christus se nobis comedendum dederit « ad maiorem nos amicitiam inducens et suum nobis demonstrans amorem, » ita pergit : « Ab illa ergo mensa recedamus tanquam leones ignem spirantes, diabolo terribiles, cogitantes, quod (Christus) sit caput nostrum, et quantam nobis dilectionem exhibuerit. Parentes saepe liberos suos aliis alendos tradunt, ego e contra carnibus illos meis alo, me ipsum appono : vos omnes nobiles esse volo et bonam de futuris spem adfero. Nam qui in hac vita se vobis tradidit, multo magis in futura favebit.... Hic sanguis in vobis regiam floridamque exhibet imaginem, pulcritudinem parit incredibilem, animae nobilitatem marcescere non sinit, dum frequenter irrigat et nutrit. Sanguis enim non statim in nobis fit ex cibo, hic vero sanguis confestim irrigat animam, et magnam vim indit... Hic sanguis salus animarum nostrarum est; hoc abluitur anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne splendidiorem mentem nostram reddit... Ex hac mensa fons scaturit fluvios emittens spirituales. Ad hunc fontem eriguntur non salices infructuosae, sed arbores ad ipsum coelum pertingentes, quae fructus semper producunt tempestivos, qui nunquam marcescunt. Si quis aestuat, hunc adeat fontem, et ardorem temperet. Nam aestum fugat, et adusta omnia refrigerat, non quae e solis ardore aestuant, sed quae igneis sagittis exusta sunt. Supernum enim habet principium et radicem, unde et irrigatur. Ex hoc fonte multi rivi manant, quos emittit Paracletus, Filiusque mediator est, non bidente viam parat, sed affectum nostrum aperit. Hic fons lucis est veritatis radios diffundens. » Et Homil. 50 in Matth. VIII, 36 inquit : « Accedamus *itaque* cum fide (ad S. synaxin) singuli aegrotantes. Nam si ii, qui fimbriam vestimenti eius tangebant, tantam

(1) Catech. 23, mystag. 5, n. 15.
(2) Lib. de myster. cap. 9, n. 58.
(3) Expos. in Ps. 118, n. 28.
(4) Al. 45.

sibi attraxere virtutem; quanto magis ii, qui totum ipsum tenent (1)? » *S. Augustinus* in Ps. XXXIII(2) ait: «In corpore et sanguine suo voluit esse salutem nostram.» Et(3) in eund. Ps. « Accedamus ad eum et illuminemur, non quomodo accesserunt ad eum Iudaei, ut tenebrarentur. Accesserunt enim ad illum, ut crucifigerent; nos autem ad eum accedamus, ut corpus et sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt; nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur.» — *S. Cyrillus Alexand.* (4) scribit: « Quare pie apud te statuas, recte honesteque degere, atque ita Eulogiae particeps fias credens, eam non mortis solum, verum etiam morborum nostrorum depellendorum vi pollere. Christus enim existens in nobis sopit saevientem in nostris membris carnis legem, et pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, delicta, in quibus sumus, nobis non imputans, sed potius ut aegrotos sanans. Confractum enim alligat, erigit lapsum ceu bonus pastor, et qui animam suam ponit pro ovibus suis.» *S. Io. Damascenus* (5) ita de eucharistia loquitur: « iis, qui fide digne sumunt, in remissionem peccatorum et in vitam aeternam et in custodiam animae et corporis... Accedamus cum desiderio ardenti et divinum carbonem percipiamus, ut ignis in nobis desiderii assumens eo ex carbone ignitionem comburat peccata nostra, et illuminet corda nostra, et participatione divini ignis igniamur et deificemur... Corpus et sanguis Christi (sumitur) in stabilimentum animae nostrae... (est enim) iens in nostram substantiam et conservationem, omnimodi nocumenti reparatio, sordis omnis purgatio... Curat morbos et omnimoda damna. » *S. Bernardus* (6) inquit: « Duo sacramentum eucharistiae operatur in nobis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae aut caeterorum huiusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo, et gaudeat, quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem. »

3. *Concilium Florentinum* in decr. pro Armen. de eucharistia ait: *Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum, et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, sequitur, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur; omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem et hoc sacramentum operatur. Tridentinum* Sess. XIII, cap. 2 dicit: *Salvator noster... sumi voluit sacramentum hoc tanquam spirituale animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, et ipse vivet propter me: et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur.* Et cap. 8 fideles ad eam fidem et animi devotionem exhortatur, *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita, et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati, ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum,*

(1) Cf. Hom. 85 in Io. n. 3.
(2) Enar. 1, n. 6. (3) Enar. 2, n. 10
(4) Comment. in Ioan. cap. 6, v. 57.
(5) Lib. 4 de fide, cap. 14.
(6) Serm. de coena Dom. n. 3.

quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

V. *Eucharistia pignus aeternae gloriae tribuit.*

§ 607. 1. Homines iam per baptismum ius ad aeternam gloriam consequuntur, quae in beatitudine animae et in gloriosa corporis resurrectione consistit. Ut autem tantae felicitatis participes reddantur, necesse est, ut gratiam sanctificantem conservent, peccata devitent virtutesque exerceant, dicente Christo: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (1). Ut autem homines infirmi variis periculis tentationibusque obnoxii in bono perseverent, eucharistia instituta est, per quam copiosae et efficaces gratiae ad peccata vitanda et virtutes exercendas conferuntur. Vere igitur eucharistia frequenter, digne et devote sumpta pignus aeternae gloriae tribuit. Hinc Christus ipse ait: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (2); et: *qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (3). His verbis Christi conformia sunt Ss. Patrum effata. *S. Ignatius M.* (4) ait: « Panem unum frangimus, qui est pharmacum immortalitatis, et antidotum, ne moriamur, sed semper vivamus in Iesu Christo. » *S. Irenaeus* (5) inquit: « Nostra corpora ex ea (eucharistia) nutrita, et reposita in terram, et resoluta in eam (sicut granum, ex quo conficitur eucharistia), resurgent suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circumdat, et corruptibili incorruptelam gratuito donat, quoniam virtus Dei in infirmitate perficitur, ut non quasi ex nobis metipsis habentes vitam inflemur aliquando et extollamur, adversus Deum ingratam mentem accipientes, experimento autem discentes, quoniam ex illius magnitudine, et non ex nostra natura habemus in aeternum perseverantiam. » Similia habent *Tertullianus* (6), *S. Gregorius Nyssenus* (7), *S. Ambrosius* (8). Ideo *Concil. Tridentinum* Sess. XIII, cap. 2 de sacramento eucharistiae dicit: *Salvator noster-pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis.*

2. Certum quidem est, etiam infideles sacro eucharistiae cibo nunquam pastos, aliquando resurrecturos esse. Sed notandum est, duplicem esse resurrectionem, aliam in vitam aeternam, et aliam in opprobrium sempiternum (9). Non ergo qualiscunque resurrectio, sed sola beata et gloriosa divinae eucharistiae fructus est salutaris; nam, ait *S. Cyrillus Alex.* (10) « resurgere ad poenam et ad sola supplicia excitari, morte ipsa longe acerbius esse iudico. » Equidem etiam parvuli mox post baptismum decedentes nec vitali eucharistiae cibo unquam pasti, gloriosi in fine saeculorum resurgent: sed haec quoque ipsorum resurrectio quodam modo eucharistiae adscribi potest, quia per baptisma viva Christi membra redduntur, ius ad eucharistiam percipiunt eandemque non propria quidem voluntate, sed Ecclesiae matris votis concupiscunt. Denique recte dici potest, gloriosam quidem resurrectionem etiam sine actuali eu-

(1) Matth. 10, 22. (2) Io. 6, 55.
(3) V. 59. (4) Ep. ad Ephes. n. 20.
(5) Lib. 5 adv. haer. cap. 2, n. 3.
(6) De resurr. carnis, n. 8.
(7) Or. catech. n. 37.
(8) Exp. in Ps. 118, n. 28.
(9) Dan. 12, 2; Io. 5, 28.
(10) Lib. 4 in Io. cap. 2.

charistiae sumptione recipi posse, maiorem tamen in resurrectione gloriam per eucharistiam actualiter perceptam obtineri. Unde *Contensonius* (1) contendit, « ex carne Christi nobis per eucharistiam unita vim quamdam et supernaturalem qualitatem in corpora nostra manare, quae ad beatam et gloriosam corporis resurrectionem efficiendam evehetur, vel in ipsa resurrectione quadantenus explicabitur, sicut granum frumenti in terra aliquamdiu latens erigitur deinde, atque in uberiores fructus assurgit. Sane si ab Angeli vice Dei loquentis conspectu tantam lucem Moyses derivavit, ut Apostolo testante, *non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius* (2); quidni a divina eucharistia, quam *fontem lucis* et *arcam luminum*, duo clarissimi eiusdem civitatis Episcopi, *Chrysostomus* et *Germanus* appellarunt, splendoris radii effluent, qui in hac quidem mortali vita latent, sed in futura aperientur, hiabunt, dehiscent, diffundentur? valet enim argumentatio Apostoli: *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quae evacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?.... Si enim quod evacuatur per gloriam est, multo magis quod manet, in gloria est*» (3); id est: si ministerium legis, quae mortem causabat, sed digito Dei scripta erat, tantam gloriam Moysi attulit, quantam afferet corporis et sanguinis communicatio tum animae tum corpori?

(1) Lib. 11, p. 2, diss. 3, c. 2, eff. 9.
(2) 2 Cor. 3. (3) 2 Cor. 3, 7, etc.
(4) Sess. 13, cap. 8.

ARTICULUS IV

De necessitate eucharistiae, eiusque subiecto.

§ 608. Declaratis eucharistiae effectibus recte quaeritur, quinam debeant, et quinam possint valide, digne, et utiliter eucharistiam percipere? — Has autem quaestiones proxime ad theologiam practicam seu moralem spectare, manifestum est. Interim tamen quaedam de iis etiam in Theologia theoretica dicenda sunt, ut errores doctrinae catholicae hac in re oppositi confutentur. Nam inter Graecos schismaticos nonnulli, ut *Simeon Thessalonicensis* lib. de sacram. *Nicolaus Cabasilas* orat. 1 de vita in Christo, et *Ieremias* Patr. CPtanus in secunda censura Apologiae eo prolapsi sunt, ut intolerabili errore contenderent, eucharistiae sumptionem etiam parvulis necessariam esse necessitate medii et praecepti divini: extiterunt quoque, qui *S. Augustinum, Innocentium I* et *Gelasium I* idem sensisse propugnarunt. Novatores autem docuerunt, solam fidem sufficientem praeparationem esse ad sumendum Ss. eucharistiae sacramentum. Contra istos aberrantes doctrina catholica *de necessitate eucharistiae eiusque subiecto* exponenda est.

I. *Nemini actualis eucharistiae perceptio necessaria est necessitate medii, sed solis adultis necessaria est necessitate praecepti.*

§ 609. Ut doctrina catholica de necessitate eucharistiae rite intelligatur, observandum est, hoc sacramentum vario modo accipi posse. Unde *Conc. Tridentinum* (4) ait: *Quoad usum autem recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere ut pecca-*

tores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum panem coelestem edentes fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt: tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. Etiam S. *Thomas* (1) quaerens: « Utrum eucharistia sit de necessitate salutis? » duplicem distinguit modum eucharistiam percipiendi, actualem nempe, et mere spiritualem, atque ita praeclare disserit: « In hoc sacramento duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum, et rem sacramenti: dictum est autem, quod res huius sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus; nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noë, quae significat Ecclesiam, ut habetur I Petr. III. Dictum est autem supra (2), quod res alicuius sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti ex ipso voto sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem huius sacramenti potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum, sicut et ante baptismum ex voto baptismi, sicut supra (l. c.) dictum est. Est tamen differentia quantum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitae et ianua sacramentorum; eucharistia vero est quasi consummatio vitae spiritualis et omnium sacramentorum finis, ut supra dictum est (3); per sanctificationes enim omnium sacramentorum fit praeparatio ad suscipiendam vel consecrandam eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam; perceptio autem eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam: non ad hoc, quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione. Alia differentia est, quia per baptismum homo ordinatur ad eucharistiam, et ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad eucharistiam; et sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud praecedens sacramentum, et ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti; unde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc (eucharistiae) sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus. » Iuxta hanc doctrinam necessaria quidem est spiritualis eucharistiae perceptio in sensu declarato necessitate medii ad salutem, quatenus hanc nemo consequi potest, nisi per gratiam sanctificantem Christo unitus sit. Actualis vero perceptio eucharistiae nemini necessaria est necessitate medii ad salutem, sed solis adultis necessaria est necessitate praecepti divini et ecclesiastici.

1. Nemini actualem eucharistiae perceptionem necessariam esse necessitate medii ad salutem, ex S. Scriptura manifestum est, quae testatur, per baptismum deleri omnia peccata (§ 538), conferri gratiam sanctificantem (§ 540) et ius acquiri ad coelestem haereditatem (§ 541). Et sane Apostolus dicit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui* (per baptismum) *sunt in Christo Iesu* (4). *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et*

(1) 3 p., q. 73, art. 3. (2) Q. 68, art. 2. (3) Q. 65, art. 2. (4) Rom. 8. 1.

renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae (1). Et Christus ipse inquit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ideo etiam Patres unanimi consensu docent, infantes per solum baptismum iustificari et salutem aeternam consequi posse. *S. Augustinus* (2) ad Bonifacium scribit: « Tantum valebit (baptismus parvulo collatus), ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum sacramentum, commendante Ecclesiae charitate, ab illa condemnatione, quae per unum hominem intravit in mundum, christiano adiutorio liberetur. Hoc qui non credit, et fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est, etsi habeat fidei sacramentum. » Idem (3) ait: « Veruntamen si (parvulus), percepto baptismate, de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in aeternum iustificatos praesentia Creatoris illuminat. » *S. Fulgentius* in Epist. ad Ferrandum diaconum, a quo interrogatus fuit, quid de salute Aethiopis cuiusdam sentiendum esset statim post baptismum demortui, antequam eucharistiam percepisset, his verbis respondit: « Arbitror, sancte frater, disputationem nostram praeclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. » Certum porro est, Ecclesiam nunquam credidisse, actualem eucharistiae perceptionem omnibus necessariam esse necessitate medii ad salutem: id patet ex eo, quia Ecclesia pluribus martyribus religiosum cultum detulit de aeterna illorum felicitate secura, quamvis illi eucharistiam nunquam perceperint, utpote per baptismum Ecclesiam nondum ingressi, quia nunquam constituit laicos aut mulieres eucharistiae ministros sicut baptismi, quia cum olim in particularibus quibusdam Ecclesiis obtinuerit lex aut consuetudo denegandi lapsis S. Synaxin etiam in articulo mortis, nemo unquam dubitavit de salute illorum, qui sola absolutione rite percepta ex hac vita decessissent; ac denique quia, cum in desuetudinem abierit parvulorum communio, nemo ne ex Graecis quidem reprehenderit disciplinam noviter introductam, quasi haec esset parvulis perniciosa. Huic constanti traditioni insistens *Concilium Tridentinum* Sess. XXI, cap. 4 declarat, *parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem; siquidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt.* Et can. 4: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem; anathema sit.*

2. Pro adultis eucharistiae suscipiendae positivum extat praeceptum. Christus enim inquit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (4). Haec porro verba

(1) Tit. 3, 5, etc. (2) Epist. 98 (al. 23.)
(3) Lib. 1 de peccat. mer. et remiss. c. 19.
(4) Io. 6, 54.

necessitatem medii non indicant, quia non agitur de sacramento primam gratiam conferente. Indicant ergo tantum necessitatem divini praecepti, quod quidem obligat sub gravi, nempe sub aeternae damnationis comminatione. Voluntas Christi, quae homines ad frequentandam eucharistiam obligat, etiam ex eo cognoscitur, quia hoc sacramentum per modum cibi et potus instituit (1). Quapropter sicut ad conservandam vitam corporalem necesse est non semel, sed saepius sumere cibum terrenum; ita ad conservandam vitam spiritualem necesse est non semel, sed saepius sumere cibum coelestem. Et sane ex praecepto divino quilibet tenetur perfecte vivere (2), Deum ex toto corde diligere (3), et salutem suam promovere (4); atque ideo ex eodem praecepto divino tenetur etiam media a Christo instituta adhibere, ut praedicta officia implere possit. Medium autem salutis efficacissimum esse sacrosanctum eucharistiae sacramentum, iam § 605 et seq. probatum est: ergo fideles assidue illud percipere tenentur. Praecipue urget praeceptum divinum S. eucharistiam sumendi in articulo et periculo mortis, quia cum cibus iste coelestis institutus sit ad roborandum contra hostium impugnationes, tunc ille sumendus est, cum vehementius impugnamur. Ideo theologi omnes grave praeceptum agnoscunt, in mortis articulo et periculo S. Synaxin seu Viaticum sumendi: Ecclesia semper maxime sollicita fuit, ut istud graviter infirmis administretur; imo iam *Conc. Nicaenum I* iubet, *antiquam hanc regulam* adamussim esse servandam. — Praeceptum autem divinum eucharistiam percipiendi ad solos adultos pertinet. Coena enim eucharistica celebranda est in commemorationem passionis et mortis Christi (5); et *Paulus* (6) praecipit, ut homines, antequam de ipsa participent, seipsos probent. Itaque illi tantum ad sumendam eucharistiam obligantur, qui passionem et mortem Christi commemorare atque seipsos probare possunt, nempe adulti.

3. Praeceptum ecclesiasticum indictum fuit a *Conc. Lateranensi IV* cap. 21 his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteatur..... suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eiusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* Gravis haec poena gravem indicat obligationem, quam etiam *Conc. Tridentinum* inculcat dicens Sess. XIII, can. 9: *Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae; anathema sit.*

Nota. Primae propositioni, quae de fide est credenda, sequentia obiiciunt adversarii:

Obi. I. Ex verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (7), colligitur, baptismum in re esse necessarium necessitate medii ad salutem: ergo etiam ex verbis: *Nisi manducaveritis* etc. colligi de-

(1) Io. 6, 56. (2) Matth. 5, 48.
(3) Matth. 22, 37. (4) Luc. 13, 24.
(5) Luc. 22, 19. (6) I Cor. 11, 28.
(7) Io. 3, 5.

bet, eucharistiam esse necessariam necessitate medii ad salutem, cum utriusque sacramenti necessitas iisdem fere verbis adstruatur.

Resp. Non eadem ratione Christus locutus est; cum de necessitate baptismi, et cum de necessitate eucharistiae disseruit. Loquens enim Christus de baptismo verbis generalissimis usus est dicens: *Nisi quis* etc. cum vero de eucharistia sermonem habet, loquitur in secunda persona: *Nisi manducaveritis* etc., quibus insinuavit se alloqui praesentes adultos, ideoque praecepti capaces. Praeterea Christus ab ingressu in regnum coelorum eum penitus excludit, qui non est baptizatus: Eucharistiae vero necessitatem commendans haud dicit: *Non intrabitis in regnum coelorum*, sed: *Non habebitis vitam in vobis*, nimirum permanentem. Eucharistia itaque ad diu in gratia perseverandum adultis tantummodo necessaria est, non vero parvulis, qui spirituali refectione non indigent nec ex statu gratiae excidere queunt: ideoque ad solos adultos verba illa Christus direxit. Ita Ecclesia haec verba Christi semper intellexit.

Obi. II. Ecclesia per duodecim priora saecula etiam infantibus eucharistiam administravit, ideoque credidit, etiam infantibus eucharistiam necessariam esse necessitate medii ad salutem.

Resp. A disciplina ad dogma hac in re non tenet illatio; non enim Ecclesia conferebat infantibus eucharistiam, quia putaret iis esse necessariam, sed quia putabat utilem. Sic iis conferre etiam solebat confirmationem; nullus tamen ex haereticis inde concludet, etiam confirmationem necessariam habitam fuisse, necessitate medii ad salutem. Falsum praeterea est, quod antiquitus ubique infantibus communio tribueretur; nam illa consuetudo in quibusdam tantum locis fuit recepta, ut testatur *Catechismus rom.* (1).

Obi. III. *Innocentius I* in Epist. ad Patres *Conc. Milevitani* baptismum pro infantibus necessarium declarat dicens: « Illud vero, quod eos (Pelagianos) vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum praedicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum.» Idem propugnavit *S. Augustinus* c. Iulianum lib. 1, c. 4 hunc ita perstringens: « Innocentio vide, quid respondeas... qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imo ipsi Domino, cuius ille Antistes usus est testimonio.» Et lib. 1 de peccat. mer. et remiss. c. 20 citatis verbis Christi: *Nisi manducaveritis* etc. ita prosequitur: « An vero quisquam et hoc dicere audebit, quod ad parvulos haec sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis huius et sanguinis vitam in se habere? — Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore et sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam aetas maior id curat. » Idem defendit *S. Gelasius* in Epist. 7 ad Episc. in Piceno.

Resp. Citati Patres loquuntur de necessitate sumendi eucharistiam, non quatenus sacramentum est, sed

(1) P. 2, c. 4, n. 62

quatenus dicit incorporationem in corpus Christi mysticum, quatenus scilicet quis in Ecclesiae gremium per baptismum cooptatur; seu intelligendi sunt, ut innuit S. *Thomas* (1), non de manducatione eucharistiae sacramentali, sed de mystica et spirituali, quae fit in baptismo, per quod homines velut viva membra corpori Christi uniuntur ac compaginantur, ius acquirunt ad percipiendum eucharistiae sacramentum, et Christum ipsum spiritualiter manducare censendi sunt. Et vero postrema *Innocentii* verba hanc interpretationem mire confirmant, cum ibi exprimat talem manducandi corporis Christi rationem, quae per baptisma conferatur. Nec aliter censuit *Augustinus*, qui sui interpres est, nam Tract. 26 in Ioan. n. 15 explanans illa verba: *Qui manducat meam carnem, habet vitam aeternam*, scribit: « Qui eam non sumit, non habet vitam; et qui eam sumit, habet vitam, et hanc utique aeternam. Hunc itaque cibum et potum *Societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum*, quod est sancta Ecclesia. » Et mox addit, manducationem actualem « quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium vergere; res vero ipsa (id est, spiritualis unio cum Christo), cuius sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit; » et n. 18 ait: « Hoc est ergo manducare illam escam, et bibere illum potum, in Christo manere et illum manentem in se habere. » Mens S. Doctoris etiam aperte dignoscitur ex lib. 3 de peccat. merit. et rem. cap. 4, ubi ait: « Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam aeternam posse habere praeter Christi corpus, cui, ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur. » Eodem modo intelligendus est *S. Gelasius*, qui Augustinianae doctrinae studiosus sectator fuit. — Sunt tamen theologi alii, qui putant, S. Doctorem, illosque Pontifices nimium clare loqui de eucharistiae manducatione sacramentali, ac proinde traditae responsioni minime acquiescunt, et eius mentem ex scopo eruendam esse censent. Pugnabat nempe cum Pelagianis negantibus Adamiticae labis propagationem. His obiiciebat Augustinus sententiam Christi: *Nisi quis renatus fuerit* etc. Regerebant illi, baptismi carentiam efficere, ut infantis anima ante baptismum corpore soluta Regno Christi privetur, non autem vita aeterna. Cum autem tunc consuetudo vigeret, ut collato infantibus baptismate statim eisdem et manus imponerentur, et daretur eucharistia: — *S. Augustinus*, assumpta vana illa Pelagianorum distinctione inter Regnum coelorum et vitam aeternam, in illorum hypothesi ita argumentatur eosque premit: Sicut dictum est a Christo: *Nisi quis renatus... non intrabit in Regnum coelorum*, ita pariter dictum est: *Nisi manducaveritis... non habebitis vitam in vobis*. Per baptismum datur coeleste Regnum, per eucharistiam datur vita aeterna. Ergo si carentia baptismi expertem facit infantem coelestis Regni, carentia eucharistiae eum expertem vitae aeternae constituere debet. Atqui hoc secundum vos, Pelagiani, non admittitis; nec igitur primum admittere debetis. Ita nonnulli putant, *S. Augustinum* argumentum ad hominem adversus Pelagianos instruxisse. Cf. cl. *Perrone* (2).

(1) 3 p., q. 73, art. 3 ad 1.

(2) De euchar. cap. 4, n. 232.

II. *Ad eucharistiam digne et cum fructu sumendam non sufficit sola fides, sed aliae quoque dispositiones requiruntur.*

§ 610. Si de subiecto eucharistiae quaestio movetur, non de eo quaeritur, quis eucharistiae recipiendae *materialiter* capax sit, qualis est sine dubio omnis homo etiam non baptizatus, dummodo cibum aut potum sumere possit, sed de eo, quis eucharistiam sacramentaliter recipere queat. Capax autem hocce sensu omnis, et solus homo baptizatus est. Et quidem eiusdem capax est *solus homo baptizatus*, quia nonnisi per baptismum homo ingreditur Ecclesiam, ius nanciscitur ad reliqua sacramenta, eisque recipiendis idoneus efficitur: attamen simul *omnis baptizatus*, quia per baptismum ius ad eucharistiam percipiendam acquisivit, et vita spiritualis, qua fruitur, nutriri et augeri potest. Hinc ex antiquo Ecclesiae usu eucharistia etiam infantibus dabatur. Certum autem de fide est, actualem eucharistiae perceptionem infantibus non esse necessariam ad salutem, neque divinitus praeceptam (§ praec.): ideo iisdem sacra communio ex iustis causis negari potest, quod et Ecclesia fecit, tum quia pro laicis usum calicis abrogavit, ex quo divinus sanguis infantibus propinari consuevit, tum quia pro locorum temporumque circumstantiis credidit, reverentiam sacramento debitam praevalere accidentali infantium bono, quo nullatenus indigent. Infantibus autem etiam perpetuo amentes aequiparantur. Iuxta hodiernam igitur Ecclesiae disciplinam subiectum eucharistiae constituit omnis, et solus homo baptizatus, viator et rationis capax. Ut autem iste digne et cum fructu eucharistiam sumat, non sufficit sola fides, sed aliae quoque dispositiones requiruntur. Nam *Conc. Tridentinum* Sess. XIII, can. 11 contra Novatores definivit: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimum eucharistiae sacramentum; anathema sit.* Praecipuae autem dispositiones praeter fidem ad digne et salutariter eucharistiam percipiendam requisitae sunt *puritas conscientiae*, *devotio cordis*, et *ieiunium naturale*.

1. *Puritatem conscientiae* seu immunitatem a peccato mortali ad dignam et licitam eucharistiae perceptionem requiri, ne per indignam communionem maximum crimen committatur, et horrenda poena incurratur, iam § 603 probatum est. Recte ideo *S. Chrysostomus* (1) exclamat: « Nullus ergo Iudas adsit, nullus avarus. Si quis discipulus non est, recedat: non recipit haec mensa eos, qui tales non sunt. *Cum discipulis meis*, inquit, *facio pascha*... Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? Quanto radiis solaribus puriorem oportet esse manum illam, quae hanc carnem secat, os, quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam? etc. » Quamvis autem peccata venialia sacrilegam non reddant communionem, immensa tamen sacramenti sanctitas exigit, ut fideles ad S. Synaxin accedentes etiam de venialibus peccatis commissis conterantur, omnemque ad illa affectum deponere satagant. Idcirco *S. Gregorius M.* (2) ait: « Qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sint peccata quae congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internae saturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans ait: *Probet seipsum homo, et sic de pane illo*

(1) Hom. 22. in Matth. n. 5.

(2) Lib. 2 in I Reg. cap. 1.

edat, et de calice bibat. Quid est enim hoc loco probare, nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum ad dominicam mensam et purum exhibere? » — Et *S. Bonaventura* lib. de praepar. ad missam scribit: « Proba teipsum, ex quanta charitate et quali fervore accedis. Non enim sola mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam et otium multiplicata, et etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissolutae vitae et malae consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem et obnubilatum et indispositum et ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres et stipulae venialium per afflatum Spiritus et flammam charitatis ventilentur et consummantur exardescente igne cordis et ex consideratione propriae vilitatis. Ideo cave, ne nimis tepidus et inordinatus accedas, quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte et considerate. »

2. *Devotionem cordis* et internos virtutum actus ad S. communionem requiri, innuit *Conc. Tridentinum* Sess. XIII, cap. 7 dicens: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte; certe, quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat.* Et *Catech. rom.* (1) haec habet: « Fideles intelligant, quemadmodum, si optime affecto et praeparato animo eucharistiam aliquis sumat, amplissimis coelestis gratiae muneribus ornatur; ita e contra, si imparatus accipiat, non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda et detrimenta eum accipere. » Ad eucharistiam igitur cum magno fructu percipiendam variae virtutes requiruntur et imprimis *viva fides*, nam, ait *Catech. rom.* (2): « Primam illam praeparationem fideles adhibeant, ut discernant mensam a mensa, hanc sacram ab aliis profanis, coelestem hunc panem a communi. Atque hoc fit, cum certo credimus, praesens esse verum corpus et sanguinem Domini, quem in coelo Angeli adorant, ad cuius nutum columnae coeli contremiscunt et pavent, cuius gloria plenum est coelum et terra... Praeterea taciti cum animis nostris cogitemus, quam indigni simus, quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. » Quare illud Centurionis dicendum est: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* (3). Cum profunda autem *humilitate* etiam coniungenda est *firma confidentia*, quam Christus semper a miseris ad se confugientibus exegit, et cui omnia bona spopondit dicens: *Omnia possibilia sunt credenti* (4). Praesertim vero ardenti charitate *ad sacramentum amoris* accedendum est; atque ideo devota facienda est commemoratio passionis et mortis Christi, quoniam ad hunc finem eucharistia instituta fuit (5). Recte ideo *S. Bonaventura* in Brevil. (6) ait: « Mens Christum non attingit nisi per cognitionem et amorem, per fidem et charitatem, ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, et charitas inflammat ad devotionem: ideo ad hoc ut aliquis digne (ad eucharistiam) accedat, oportet, quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, et per devotionem amoris suscipiat, per quae non in se transformet Christum, sed ipse

(1) P. 2, c. 4, n. 56. (2) L. c. n. 57.
(3) Matth. 8, 10. (4) Matth. 9, 22.
(5) 1 Cor. 11, 26.
(6) P. 6, cap. 9.

potius traiiciatur in ipsum mysticum corpus. »

3. *Ieiunium naturale* requiritur ex praecepto ecclesiastico ad communionem, ita ut sumptio cuiuscunque rei quantumvis in minima quantitate per modum cibi aut potus aut medicinae post mediam noctem, arceat sub peccato mortali a S. communione, nisi haec in gravi morbo sumatur per modum viatici, vel urgeat necessitas perficiendi sacrificii, vel immineat periculum profanationis, scandali aut gravis infamiae. Haec lex divina quidem dici non potest, cum notum sit, Christum eucharistiam discipulis distribuisse non ieiunis; verum constat, eam in Ecclesia constanter fuisse observatam. Id testantur *Tertullianus* (1), *S. Cyprianus* (2), *S. Basilius* (3), *S. Chrysostomus* (4), et *S. Augustinus*, qui (5) ad Ianuarium scribit: « Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos; numquid propterea calumniandum est Ecclesiae universae, quod a ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Domini corpus intret, quam caeteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur. » De eodem more ab Ecclesia praescripto loquuntur *Concil. Carthaginense III*, *Trullanum* can. 27, *Toletanum VII* quod can. 2 dicit: *Nullus post cibum potumve quemlibet minimum sumptum missas faciat. Constantiense* Sess. XIII, inquit: *Sacrorum canonum auctoritas laudabilis, et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debeat confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a iure vel ab Ecclesia concesso vel admisso.* Eiusdem legis observantiam graviter inculcat *Catechismus romanus* loc. cit. (6).

(1) Lib. 2 ad uxor. cap. 5.
(2) Ep. 58 ad Caecilium.
(3) Hom. 1 de ieiun. (4) Hom. 27 in I Cor.

Usus doctrinae de efficacissimo eucharistiae sacramento.

§ 611. 1. Si salutares eucharistiae effectus perpendamus, dubitare profecto non possumus, frequentem huius efficacissimi sacramenti usum summopere commendandum esse. Ad aevum apostolicum si regrediamur, hanc frequentiam ut laudabilem insinuat praxis priorum Christi fidelium, qui: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (7). Pro temporibus quoque hoc aevo posterioribus usum communionis fere quotidianum veteres Patres testantur, probant et commendant. *S. Ignatius M.* Epist. ad Ephes. (8) scribit: « Convenitis omnes in una fide et uno Iesu Christo - frangentes unum panem, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum, ne moriamur, sed semper vivamus in Iesu Christo. » *S. Cyprianus* tract. de Orat. domin. ait, verba: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, non solum de terrestri, sed praecipue de spirituali seu eucharistico intelligenda esse, et addit: « Hunc autem panem spiritualem donari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et eucharistiam quotidie ad cibum salutis sumimus, intercedente aliquo graviori delicto.... a coelesti pane prohibeamur. » *S. Basilius* in Epist. ad Caesariam scribit: Communicare singulis diebus et Sanctum Christi corpus percipere praeclarum est et valde utile, cum ipse

(5) Epist. 54 (al. 118.) (6) N. 58.
(7) Act. 2, 42. (8) N. 21.

dicat: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam...* Nos idcirco quater in singula hebdomada divina sacramenta participamus, in die dominica, in quarta die hebdomadae, in parasceve, in sabbato ac in aliis diebus, si qua memoria fuerit alicuius Sancti.» *S. Ambrosius* (1) ait: « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie mererearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere (si mores non mutet). » *S. Chrysostomus* de S. Philogon. Hom. 6 c. Anom. n. 4 lamentatur: « Nunc multi fidelium in tantam vecordiam tantumque venere contemptum, ut cum innumeris scateant malis, nullamque vitae suae curam habeant, in diebus festis negligenter ac temere ad mensam hanc accedant haud intelligentes, quod communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura vitaque a peccatis repurgata. Sicut enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere; sic qui in peccatis occupatus est nec poenitet, eum ne in festis quidem accedere datum est. » Hom. 17 in Ep. ad Hebr. n. 4 inquit: « Quinam erunt nobis magis accepti, an qui saepe, an qui raro, an qui semel (ad eucharistiam accedunt?) Nec hi, nec illi, sed ii, qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehensibile (ad S. mensam) veniunt. Qui sunt huiusmodi, semper accedant, qui non sunt huiusmodi, ne semel quidem... Haec dico non ab uno eodemque annuo accessu vos arcens, sed volens vos perpetuo ad sancta accedere. » *S. Hieronymus* (2) ad Pamach. scribit: « Scio Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles semper corpus Christi accipiant, quod nec reprehendo nec probo: unusquisque enim in suo sensu abundat. » Et (3) ad Lucinium: Quaeris de eucharistia, an sit accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia et Hispania observare perhibentur..... Illud breviter admonendum puto, traditiones ecclesiasticas ita observandas, ut a maioribus traditae sunt... Atque utinam... Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri et pungente conscientia semper accipere possimus et Psalmistam audire dicentem: *Gustate et videte, quam suavis est Dominus!* » — *S. Augustinus* tract. 26 in Ioan. n. 13 eucharistiam *sacramentum pietatis* vocat et addit: « Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, non sit putre membrum, quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur; sit pulcrum, sit aptum, sit sanum, vivat Deo de Deo: nunc laboret in terra, ut postea regnet in coelo. » Idem alibi (4) inquit: « Intelligitur etiam hoc valde bene: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles, quid accipiant, et bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant, ut boni fiant, ut in bonitate et fide et vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant, quia si non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo pane. » *Gennadius* lib. de eccles. dogmat. (5) haec habet: « Quotidie eucharistiae communionem percipere nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen do-

(1) Lib. 5 de sacr., c. 4, n. 25.
(2) Ep. 50. (3) Epist. 28.
(4) Serm. 58 in Matth. 6, cap. 4, n. 5.
(5) Cap. 53.

minicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. » Cum Patribus antiquis consonat *Conc. Trident.* (1) dicens: *Paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur... haec S. Mysteria corporis et sanguinis eius (Christi) ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.*

2. Circa frequentem eucharisticae mensae participationem duplicem scopulum animabus peraeque noxium opus est in praxi devitare. Theologi quidam rigidiores a frequentia communionis generatim deterrent fideles, cum ad eam dispositiones exigant, quae perfectissimae tantum virtuti competunt. Horum aspera doctrina explosa fuit ab *Alexandro VIII*, qui propositionem hanc n. 23 damnavit: *Arcendi sunt a communione, quibus nondum inest amor purissimus et omnis mixtionis expers.* Eucharistia utique in remedium humanae infirmitatis instituta est. Apostoli humanas fragilitates in ultima coena praesetulerunt (2) et tamen excepto Iuda *mundi* vocati (3), et divino convivio pasti sunt. Fideles ad S. mensam accedere debent, non quia se perfectos et dignos reputant, sed quia se debiles et superno auxilio indigentes reputant, ita ut S. communio eis tum motivum, tum medium sanctitatis fiat. — In oppositum scopulum prolabuntur, qui spiritum et carnem simul iungere studentes ad frequentem communionem fideles admittunt, quin de requisitis eorum dispositionibus solliciti sint. Quorum abusum proscripsit *Innocentius XI* damnando hanc n. 56 propositionem: *Frequens confessio et communio etiam in iis, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.* Et *Benedictus XIV* de Synod. dioec. (4) docet: « Praecipue monendi sunt (confessarii), ne frequentem ad eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant, qui in gravia peccata saepe labuntur, nec de poenitentia peragenda suaque vita emendanda sunt solliciti; sicut nec illis qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem. » *S. Thomas* (5) frequentem accessum ad eucharistiam non omnibus convenire docet, sed solum iis, quibus inest congrua reverentia et devotio ad tantum sacramentum pie utiliterque sumendum. *S. Franciscus Sales.* (6) pro octiduana communione requirit, ut quis a peccatis mortalibus et ab affectu ad venialia immunis sit; et pro quotidiana ut malas inclinationes maxima ex parte superaverit. — Verum equidem est, frequentem communionem fidelibus necessariam esse, tum ut a peccatis mortalibus praeserventur, tum ut peccata venialia diminuant et in virtutibus crescant. Sed probe indagandum est, an in hunc finem ad S. mensam accedant, an se devote disponant, et debitum fructum referant. Nam, ait *Gennadius* l. c. « habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico eucharistiae perceptione, quam purificari: » loquitur autem de illo, « quem capitalia et mortalia peccata non gravant. »

(1) Sess. 13, cap. 8.
(2) Luc. 22, 24.
(3) Io. 13, 10.
(4) Lib. 7, cap. 12, n. 9.
(5) 3 p., q. 80, art. 10.
(6) Philoth. p. 2, c. 20.

DISSERTATIO III.

De eucharistia quae est sacrificium praestantissimum.

§ 612. Eucharistia hoc peculiare habet, quod non tantum sacramentum sit omnium, quae Christus instituit, longe sanctissimum et efficacissimum, sed sacrificii insuper rationem habeat, quo sacrificium illud cruentum, quod semel in ara crucis peractum est, repraesentetur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneat, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicetur, ut docet *Conc. Tridentinum* (1). Novum igitur in eucharistia beneficium divinum detegimus, per quod tum Deo debitum cultum praestare, tum pro peccatis nostris satisfacere, tum uberes gratias consequi possumus. Sed, quod maxime dolendum est, hanc quoque doctrinam catholicam, in qua summum religionis decus et suavissimum hominum solatium continetur, Novatores impiis conatibus oppugnare et obscurare tentant. Quamobrem magna solertia haec tractatio suscipienda est. Quod ut fiat, 1° *generatim de sacrificiis agendum*, 2° *veritas sacrificii eucharistici comprobanda*, *et* 3° *doctrina reliqua de missae sacrificio proponenda est.*

Nota. Abstinere non possum, quin verba cl. *Liebermanni* hic adducam, qui tractatum de missae sacrificio exorsus ita loquitur: « Cum magnum hoc et amplissimum argumentum tractandum sumimus, timor iterum mentem occupat; nam breves esse polliciti sumus, et iam ultra, quam sperabamus, excrevit operis moles. Sed moram affert et vel invitos retardat rerum abundantia et gravitas. Prodesse volumus non novis institutis, et modernae levitati consulere. Vehementer enim dolemus, hoc nostro saeculo ita neglectum iacere theologiae studium, ut vix inveniri possit compendium, quod sua brevitate satis esset docentium et discentium usibus accommodatum. Ita ex levi compendiolo leviores instituuntur theologi, qui ne id quidem sciunt, quaenam illa sint, quae scire oporteret. Igitur quo coepimus pede pergimus ad id tantum intenti, ut non exsurgat infelix operis summa, in qua aut partes quaedam deessent, aut non omnes inter se essent apte et iusta proportione connexae » (2).

(1) Sess. 22, cap. 1.
(2) Lib. 6, p. 3, cap. 3.

ARTICULUS I.

De sacrificiis generatim.

§ 613. Nomen *sacrificii* et verbum *sacrificare* in multiplici sensu accipiuntur. Quaelibet enim abdicatio unius rei ex amore alterius illo nomine insigniri consuevit. Sic enim parentes quietem et bona sua ex amore filiorum, milites vitam suam ex amore patriae sacrificare dicuntur. Communi tamen usu factum est, ut nomen sacrificii solis oblationibus supremo Numini factis applicaretur, quod et nominis etymon indicare videtur. Nam, ait *S. Thomas* (3) « *Sacrificium* dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid sacrum ». Ast etiam sub hoc respectu nomen sacrificii sensu latiori et strictiori sumi potest. Sensu latiori ac improprio sacrificium dicitur quivis actus honestus sive internus sive externus, Dei causa susceptus; quo sensu *S. Thomas* (4) docet, « omne illud, quod Deo exhibetur, ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, posse dici sacrifi-

(3) 2 2, q. 85, art. 2 ad 3.
(4) 3 p., q. 22, art. 2

cium, » et *S. Augustinus* (1) ait: « Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. » In eodem sensu latiori et improprio nomen sacrificii etiam in S. Scriptura occurrit, ut Ps. IV, 6: *Sacrificate sacrificium iustitiae.* Ps. XLIX, 14: *Immola Deo sacrificium laudis.* Ps. L, 19: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Eccli. XXXV, 2: *Sacrificium salutare est, attendere mandatis et discedere ab omni iniquitate.* — Ast eadem Scriptura sacra nomen sacrificii etiam in sensu strictiori et proprio sumit, et satis manifeste declarat, non omnes actus virtutum, nec omnes caeremonias in honorem Dei susceptas veri et proprii nominis sacrificia esse, sed ad hoc speciales conditiones requiri. Nam in Scripturis multarum virtutum opera sacrificiis opponuntur, ut Osee VI, 6: *Misericordiam volui, et non sacrificium;* ut I Reg. XV, 22: *Melior est obedientia, quam victimae:* porro quomodo vult Deus misericordiam, et non sacrificium, si ipsa misericordia est verum ac proprie dictum sacrificium? quomodo melior est obedientia quam victimae, si ipsa obedientia vere ac proprie victima est? Praeterea verum sacrificium in solo virtutis actu, aut in sacra caeremonia consistere nequit; sed necessaria est quaedam res externa et sensibilis; quapropter Isaac dicebat patri suo: *Ecce ignis et ligna: ubi est victima holocausti* (2)? Et Apostolus scribit: *Omnis Pontifex ad offerenda munera et hostias constituitur; unde necesse est, et hunc habere aliquid, quod offerat* (3). At si sacrificium, ut *Melanchthon* (4) voluit, esset quaelibet caeremonia, vel opus ad honorem Dei factum, nihil obstaret, quominus in sola actione sacrificium consisteret, et qui voce psallit, aut genua flectit, aut aliquid huiusmodi facit, is proprie sacrificium offerre diceretur. His accedit, opera virtutum in divinis Litteris non simpliciter et absolute sacrificia vocari, sed cum addito: *Sacrificium iustitiae, sacrificium laudis, sacrificium spiritus contribulati* etc. Illa vero quae sunt proprie sacrificia, simpliciter et absolute talia dicuntur. Denique, ut infra videbimus, in mosaica lege solis sacerdotibus sacrificia offerre licuit: anne actus virtutum elicere, et actiones sacras in honorem Dei, suscipere caeteri non poterant? — Haec utique sole clarius ostendunt, non omnes actus virtutum et caeremonias in honorem Dei susceptas veri nominis sacrificia esse; sed ad sacrificium in sensu stricto et proprio constituendum speciale quid requiri. De tali iam sacrificio stricte et proprie sumpto *genuinam definitionem statuere, divisiones declarare*, ac *necessitatem probare* oportet, ut nobis plana ad tractatum de sacrificio eucharistico via sternatur.

(1) Lib. 10 de Civ. Dei. cap. 6.
(2) Gen. 22, 7.
(3) Hebr. 8, 3.
(4) In Apol. conf. art. de missa.

I. *Definitio sacrificii in sensu stricto et proprio accepti.*

§ 614. Theologi catholici, quamvis sacrificii proprie dicti definitione non iisdem omnes terminis utantur, quoad notas tamen eiusdem essentiales penitus inter se conveniunt. Communiter enim sacrificium proprie dictum definitur: *Oblatio rei sensibilis soli Deo facta per legitimum ministrum ad recognoscendum supremum eius in res omnes dominatum, quae ritu mystico consecratur*

et immutatur. Haec definitio per partes declaranda est.

1. *Oblationis* voce non res oblata significatur, sed actio ministri sacrificium offerentis. Haec autem vox genus proximum continet, vi cuius sacrificium cum reliquis oblationibus Deo factis convenit; omne enim sacrificium proprie sumptum oblatio est, non tamen omnis oblatio sacrificium est. Id ostendit S. *Thomas* (1) exemplo primitiarum, quae in veteri lege Deo quidem offerebantur, sed rationem non habebat sacrificii, quia nihil sacri circa illa fiebat.

2. Requiritur oblatio *rei externae et visibilis*, quia verum ac proprium sacrificium actus est religionis ad cultum Dei externum pertinens; et sic distinguitur ab actibus virtutum mere internis, quibus homines se suaque Deo offerunt. Quamvis enim talis interna oblatio sit nobilior et melior mere visibili, Deoque placeat interna sine externa, non autem vicissim; nomen tamen et ratio sacrificii proprie dicti non convenit internae et invisibili oblationi, sed solummodo visibili externaeque. Oblatio mere interna semper invisibilis manet, occulta et privata; nomine autem sacrificii proprie dicti omnes intelligunt publicum et manifestum honorem Deo non verbis tantum, sed facto exhibitum, quum homo, qui totus a Deo pendet etiam se totum, id est, omnem suam efficaciam Deo dicare, et cultum ei debitum non tantum cogitatione et verbo, sed et facto seu opere singulari praestare teneatur.

3. Haec oblatio fit *soli Deo*, quem tantummodo decet supremus latriae cultus, qui per sacrificium exhibetur. Tam late patet haec veritas, ut S. *Augustinus* (2) scripserit: « Sacrificium certe nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Deo... Quis sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit? » Et ibid. (3) de daemonibus inquit: « Nec ob aliud fallaces illi (Spiritus) superbe sibi hoc (sacrificium) exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. » Et S. *Thomas* (4) ait: « Sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam soli ei debemus offerre exteriora sacrificia. » Hinc legimus Exod. XXVI, 20 tanquam in reum violatae maiestatis divinae poenam mortis indictam adversus illum, qui de populo Israël maximum sacrificii honorem alteri praeter Deum exhibuisset.

4. Quoniam sacrificium praecipuus est religionis actus, hinc non ab omnibus indiscriminatim, sed *a legitimo ministro* ad id deputato est offerendum. Iam in periodo patriarchali fuisse ministros Dei nutu ad sacrificia destinatos, vel ex eo liquet, quod Melchisedech sacerdos Dei altissimi dicatur, quod utique non diceretur, si omnibus promiscue licuisset sacerdotis officio fungi. Qui vero tunc temporis sacerdotes fuerint, S. Scriptura aperte non declarat, ex ipsa tamen colligi potest, id muneris primitus quidem etiam protoparentum filiis, postmodum autem illis tantum concessum fuisse, qui cuiusque familiae caput essent. In lege scripta hoc munus dumtaxat erat filiorum Aaron, qui ad sacerdotium debita consecratione promovebantur (5). Unde Saul (6) et Ozias (7) qui reges erant, non sacerdotes, cum sacrificium praesumpserint offerre, poenas criminis dederunt. Pariter in evangelica lege minister sacrificii legitimus ille solus est, qui, ut inquit Apostolus: *Ex ho-*

(1) 2 2, q. 85, art. 3, ad 3.
(2) Lib. 10 de civ. Dei, cap. 4
(3) Cap. 19. (4) 2 2, q. 85, art. 2.
(5) Exod. 29. (6) I Reg. 13. (7) 2 Paral. 26.

minibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia... Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron (1), qui nempe ab Episcopo ritu peculiari sacerdos valide ordinatur.

5. Sacrificium Deo offertur *ad recognoscendum supremum eius in res omnes dominatum.* Nam externo sacrificio homo servitutem suam, infirmitatem, indigentiam solemniter profitetur, simulque contestatur, quidquid boni habet, se ab illo accepisse, a quo omne datum optimum donumque perfectum procedit. Nec enim offert Deo res externas tanquam huiusmodi muneribus et officiis indigenti, quod cogitare perfatuum et sacrilegum esset, sed quia ipse Deo undequaque obligatus est, ac eodem in omnibus et perpetuo indiget. Unde inquit *S. Thomas* l. c. (2), Deo tanquam supremo rerum omnium Domino quasdam sensibiles res in signum debitae subiectionis et honoris offerendas esse, « quemadmodum dominis temporalibus aliqua offeruntur in recognitionem dominii. » Hinc manifestum est, sacrificium et sacramentum inter se maxime differre, cum illud per se ac directe divinum latriae cultum respiciat, hoc vero per se et directe ad hominum sanctificationem ordinetur.

6. Necessarium denique est, ut res, quae offertur, *ritu mystico consecretur et immutetur;* non enim sufficit ad sacrificium, ut res externa et visibilis adsit, sed etiam ritu mystico et sensibili ostendi debet, eandem rem ex profana sacram et Deo dicatam fieri; id etenim significat verbum *sacrificare*, id est, *sacra facere.* Id autem variis modis effici potest. In V. T. id frequenter fiebat per rei oblatae destructionem, animalia nempe Deo oblata occidebantur una eorundem pars concremabatur, alia vero ab offerentibus consumebatur. Non semper autem rei destructio necessaria est, sed immutatio rei oblatae ritu mystico et externo peracta sufficit, ut videre est in sacrificio hirci emissarii, qui non occidebatur, sed tanquam exul in desertum eiiciebatur. Hinc S. *Thomas* (3) ait: « Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur, et benedicitur etc. » Errant ergo, et vehementer errant, qui putant, actualem rei oblatae destructionem semper ad rationem sacrificii necessariam esse, cum iam in V. T. sacrificia cruenta, et incruenta distincta fuerint, et cum varii modi dentur, quibus res oblata ritu mystico et externo consecretur, et Deo dicata ostendatur ita, ut in hominibus sensus reverentiae et devotionis erga supremum Numen sat efficaciter excitentur, atque sic honor Dei promoveatur, qui est principalis omnis sacrificii finis.

(1) Hebr. 5, 1. (2) 2 2, q. 85, art. 1.
(3) L. c. art. 3 ad 3.

II. *Sacrificii proprie dicti divisiones.*

§ 615. 1. Ratione *originis* sacrificia vel ex mere humana, vel ex divina institutione repetuntur: illa *arbitraria,* haec vero *legalia* nuncupari possunt. Hanc divisionem innuit S. *Thomas* (4) dicens: « Aliqua in communi sunt de iure naturali, quorum determinationes sunt de iure positivo; sicut quod malefactores puniantur, habet lex naturalis, sed quod tali poena vel tali puniantur, est ex constitutione divina vel humana. Similiter etiam oblatio sacrificii in communi est de lege naturali, et ideo in hoc

(4) 2 2, q. [illegible] art. 1 ad 1

omnes conveniunt: sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina, et ideo in hoc differunt.» Divisio haec magni momenti est, et probe attendenda. Sicuti enim generatim in iis, quae divinitus instituta sunt omnia iuxta ordinationes divinas definienda sunt; ita etiam in sacrificiis legalibus res externa, quae offerenda est, minister, cui offerendi potestas competit, modus, quo oblatio perfici debet, et caetera quae ad essentiam sacrificii spectant, ab ordinatione divina dependent, et non iuxta humanae rationis dictamina, sed iuxta divinae revelationis doctrinam definienda sunt.

2. Ratione *temporis* recte distinguuntur sacrificia *legis naturae*, sacrificia *legis mosaicae*, et sacrificium *legis evangelicae*. Nonnulli putant, sacrificia legis naturae arbitraria fuisse, ab ipsis Patriarchis pro suo beneplacito determinanda: sed quia etiam religio patriarchalis a Deo revelata fuit, recte alii contendunt, saepius saltem ab ipso Deo determinatum fuisse, quid, a quibus et quomodo sacrificandum sit. Dubitari autem non potest, sacrificia legis mosaicae a Deo ipso determinata et praescripta fuisse; quod idem de sacrificio perenni legis evangelicae dicendum esse, infra ostendetur.

3. Ratione *materiae* sacrificia V. T. dividuntur in *victimas seu hostias*, quae erant ex animalibus, agnis, ovibus, bobus etc.; in *immolationes*, quae erant ex rebus inanimis, sed solidis, ut farina, pane etc.; et in *libamina*, quae erant ex rebus liquidis, ut vino, oleo etc.

4. Ratione *formae* eadem sacrificia distinguuntur in *cruenta*, in quibus vel res oblata tota cremabatur, ut in *holocausto*, vel pars cremabatur, altera cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur, ut in *hostia pro peccatis;* vel una pars cremabatur, altera cedebat in usum tum sacerdotum, tum offerentium, ut in *hostia pacifica:* et in *incruenta*, quae absque effusione sanguinis peragebantur, cuius generis erant sacrificium similae, sacrificium hirci emissarii pro peccatis totius populi, et sacrificium passeris in libertatem emissi, quibus addi possunt immolationes thuris et thymiamatum et libamina vini, quae singulis sacrificiis miscebantur.

5. Ratione *finis* quadruplex distinguitur sacrificium, *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium* et *propitiatorium*. Latreuticum dicitur ob cultum latriae seu perfectae servitutis, qui Deo supremo rerum omnium domino exhibetur, quod in V. T. per *holocaustum* perfectissime praestabatur. Eucharisticum fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; impetratorium vero pro accipiendis; utrumque in lege veteri dicebatur *hostia pacifica*. Propitiatorium dicitur, quod Deum nobis propitium et placatum reddit, et offertur pro peccato et pro peccatorum poenis et flagellis avertendis; hoc idem est, quod *hostia pro peccatis*. Cultus autem latriae in quolibet sacrificio invenitur. Nam per latreuticum suprema Dei Maiestas honoratur, per eucharisticum divina bonitas grato animo exaltatur, per impetratorium omnipotentia et benignitas divina praedicatur et invocatur; per propitiatorium divina iustitia placatur eique satisfactio praestatur.

Nota. Cl. *Vasquez* (1), reiecta communi sacrificii definitione, aliam substituit, dicens: «Sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis.» Quo po-

(1) In 3 p. S. Thomae disp. 220 222.

sito fundamento, duplex distinguit sacrificium, alterum *absolutum*, alterum *relativum* seu *commemorativum*. Absolutum illud dicitur, quod tale est per se absque relatione ad alterum, nec est alterius commemoratio, veluti mactatio pecudis vel alterius rei consumptio; relativum seu commemorativum vocatur illud, quod tale tantum est ob relationem, quam habet ad alterum, cuius commemorationem seu repraesentationem continet; cuiusmodi est sacrificium missae, quod refertur ad sacrificium crucis, cuius commemorationem, imo et repraesentationem praesefert per duarum specierum consecrationem, seu mysticam immolationem. In sacrificio absoluto ex parte materiae necessario requiritur rei immutatio, ut idem prosequitur; non item vero in sacrificio relativo seu commemorativo. Ad huius enim commemorativi sacrificii rationem sufficit immutatio, quae in absoluto sacrificio praecessit; nam commemorativum sacrificium ad absolutum refertur, illudque exhibet atque commemorat. Siquidem cum ratio sacrificii in significatione omnipotentiae Dei auctoris vitae et mortis formaliter posita sit, si detur oblatio aliqua, per quam absque rei oblatae immutatione vera et reali Deus auctor vitae et mortis denotari et coli possit, vere et proprie sacrificium illa dici debet. Sic ut eidem exemplo sacrificii missae inhaereamus, per distinctam utriusque speciei consecrationem Christus ipse praesens sistitur absque reali sui immutatione, attamen ut victima. Per hanc enim hostiae veluti immolatae praesentiam Deus ut vitae et mortis auctor colitur; in quo vera sacrificii ratio, ut innuimus, consistit. Enimvero hac mystica immolatione Christus illud idem exhibet sacrificium, quod reali sanguinis effusione in cruce consummavit. Accurate autem animadvertit idem auctor, ad constituendum veri nominis sacrificium, etiamsi commemorativum illud fuerit, non sufficere simplex signum rei oblatae, sed insuper rem ipsam requiri. Si enim signum tantummodo adesset, non sacrificium haberetur, sed sacrificii imago. Hinc in sacramentariorum hypothesi Christus vere se ipse immolatum non exhiberet, sed immolationis, in cruce olim peractae, figuram tantum nobis reliquisset, adeoque verum non haberetur sacrificium. - Proposita hac Vasquezii doctrina, cl. *Perrone* (1) haec observat: «Nos minime contendimus, hanc unicam viam esse ad veritatem sacrificii nostri adstruendam, sed hoc unum dicimus, eam nobis videri commodiorem ad propositum finem obtinendum, sive quia tollit praecipuam difficultatem, qua eadem veritas impugnatur, sive quia Patrum effata optime cum ea conciliantur, sive demum, quia Protestantes ea semel constituta nihil amplius habent, quo a doctrina catholica circa hunc articulum admittenda retrahantur. Duo siquidem tantum in hac sententia requiruntur et sufficiunt, ut adstruatur veritas sacrificii missae, realis scilicet Christi praesentia in eucharistia, quam superius constituimus, et repraesentatio sacrificii crucis, quam nec ipsi adversarii inficiari possunt inesse in eucharistiae celebratione. Tantum porro abest, ut exposita doctrina fidei nostrae aliqua ratione adversetur, ut non pauci theologi in *Concilio Tridentino* eam proposuerint ad constabiliendam catholicam veritatem huius sacrificii» (2).

(1) De euch. p. post. de sacrif. n. 250.

(2) Cf. Pallaviciui, hist. Conc. Trid. lib. 23, cap. 2.

— Sententia tamen Vasquezii a difficultatibus immunis non est. Quaeri enim potest, quomodo victimae V. T. quae destruebantur, sacrificia absoluta dici possint, cum *absque relatione* non fuerint, sed mortem Christi praefigurarent? quaeri pariter potest, quale fuerit sacrificium in ultima coena a Christo oblatum, cum morsipsius ut praeterita commemorari non poterat? — Deinde Vasquez, ne sacrificium in sola mortis Christi commemoratione et repraesentatione reponat, Christum realiter praesentem requirit, et quidem ut victimam, quae nempe ritu mystico consecratur, et immutatur, aut saltem cuius immutatio seu destructio ritu externo repraesentatur, et sic ad caeterorum theologorum sententiam redire videtur. Attamen non spernenda est eiusdem divisio, quae certe ad doctrinam dilucidandam et difficultates solvendas inservit.

III. *Necessitas sacrificii proprie dicti.*

§ 616. Necessitas haec tum *ex parte Dei*, tum *ex parte hominis*, tum *ex usu perpetuo omnium gentium* deducitur.

1. Deo supremus debetur adorationis cultus tum interior, qui praecipuus est, tum exterior, qui interioris signum est et protestatio. Spiritus enim religionis, quo quivis homo se totum Deo dicare tenetur, praecipue quidem interius residere, sed etiam exterius se manifestare debet (1), quod praecipue per sacrificium contingit, quod est nobilissimus religionis externae actus. Ideo *S. Thomas* (2) ad quaestionem: « Utrum omnes teneantur ad sacrificia offerenda? » affirmative respondet, et ait: « Duplex est sacrificium, - quorum primum et principale est sacrificium interius, ad quod omnes tenentur; omnes enim tenentur Deo devotam mentem offerre. Aliud autem est sacrificium exterius, - quod ex hoc solum laudem habet, quod Deo aliquid exterius offertur in protestationem divinae subiectionis; et ad hoc aliter tenentur illi, qui sunt sub lege nova vel veteri, aliter illi, qui non sunt sub lege. Nam illi, qui sunt sub lege, tenentur ad determinata sacrificia offerenda secundum legis praecepta. Illi vero, qui non sunt sub lege, tenebantur ad aliqua exterius facienda in honorem divinum secundum condecentiam ad eos, inter quos habitabant, non autem determinate ad haec vel ad illa. »

2. Ex parte hominis, ita *S. Thomas* (3) necessitatem sacrificii probat: « Naturalis ratio dictat homini, quod alicui superiori subdatur propter defectus, quos in seipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adiuvari et dirigi. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei, quod est supra hominem, subiectionem et honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subiectionis et honoris secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii, et ideo ratio sacrificii pertinet ad ius naturale. » His accedit, quod homo nonnisi signis quibusdam externis ac sen-

(1) V. Th. gen. § 47. (2) 2 2, q. 85, art. 4. (3) L. c. art. 1.

sibilibus in unitatem religionis cum aliis sociari possit. Nam, ait *S. Augustinus* (1): « In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquorum signaculorum aut sacramentorum visibilium consortio colligentur. »

3. Omni aetate et ab omnibus Gentibus, quibus fuit, alicuius numinis ac religionis sensus ab ipsa natura inditus, oblata semper fuere sacrificia. Hinc *S. Augustinus* (2) ait: « Quam porro antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres, Cain et Abel satis indicant, quorum maioris Deus reprobavit sacrificium, minoris aspexit. » Et *S. Thomas* (3) ait: « In qualibet aetate, et apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. » Et sane non solum de Graecis et Romanis, sed etiam de barbaris gentibus idololatriae deditis historici testantur, quod sacerdotes et sacrificia habuerint. Sive igitur ex naturali rationis lumine, sive ex revelatione Patriarchis facta origo sacrificiorum repetatur, hic perpetuus et universalis usus eorundem necessitatem probat. Nam, ut ait *Tullius:* « Omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat » (4).

ARTICULUS II.

De veritate seu existentia sacrificii eucharistici.

§ 617. Quotquot ex Novatoribus realem Christi in eucharistia praesentiam reiiciunt, ut *Petrobrusiani*, *Albigenses*, *Zuingliani*, *Calviniani* et *Sociniani*, consequenter verum ac proprie dictum sacrificium ab Ecclesia removent tanquam noxium et iniuriosum sacrificio crucis, cuius virtuti et efficaciae, ut ipsis videtur, multum detrahit. *Lutherus* cum fide in realem Christi in eucharistia praesentiam ab initio etiam missae sacrificium retinere visus est; nam Tom. 1 Opp. Ienens. (5) scribit, Christum, ut pararet sibi populum acceptabilem, abrogata tota lege mosaica, unicum missae sacrificium instituisse, quod in nova lege rectum Deum externe colendi modum continet. Mox autem animum mutavit, et pluribus in locis (6) furiose invehitur in missam catholicorum, eamque *abominationem*, *summam idololatriam et impietatem*, sacrificium mendacii et erroris, et inauditum monstrum appellat; atque in lib. de missa privata et unct. sacerd. sollicitus, qua tandem via posset et realem admittere praesentiam et sacrificium reiicere, scribere non erubuit, « tandem sibi *a daemone* suggestum et persuasum fuisse, missae sacrificium abrogandum esse. » *Melanchthon* sibi visus est invenisse medium efficax ad expungendum sacrificium, et simul retinendam realem praesentiam; nempe si dicatur, Christi praesentiam non permanentem, sed transeuntem esse in usu tantum, cum sumitur; quod ubi rescivit Lutherus, teste Hospiniano (7), in conventu Ratisbonensi exclamavit: « Macte virtute et pietate, mi Philippe! tibi debetur gratia, qui pontificiae missae potuisti sacramentum adimere, quod ego tentavi, et aggredi non sum ausus. » Ita apud Protestantes omnes, missa abrogata, atque negatum est, rationem sacrificii in eucharistia inveniri. — Contra istos aberrantes probandum est,

(1) Lib. 19 c. Faustum cap. 11.
(2) Lib. 10 de civ. Dei cap. 4.
(3) 2 2, q. 85, art. 1.
(4) Lib. 1 quaest. Tuscul. cap 13.
(5) F. 96, art. 330, a.
(6) In formula missae pro Eccl. Wittemb lib. de captiv. babyl et de abrog. missae.
(7) Pag. 2.

in missa Deo verum et proprium sacrificium offerri: id vero ex *S. Scriptura* et ex *Traditione* probatur.

1. *Argumenta ex S. Scriptura petita.*

§ 618. Protestantes S. Scripturam ut unicum revelationis fontem agnoscunt, seque ex illa omnem fidei doctrinam haurire profitentur. Ast cum effata divina iuxta spiritum suum privatum exponant, aut potius iuxta sua praeiudicia contorqueant, longe a S. Scripturae doctrina recedunt. Quod praecipue manifestum est, cum de agnoscendo sacrificio eucharistico quaeritur. Adversarii istud nullibi indigitatum inveniunt. Ast si S. Scripturam sine praeiudiciis et passionibus attenta mente perscrutemur, facile comperimus, missae sacrificium iam *in V. T. praefiguratum et praenunciatum*, *a Christo institutum* et *ab Apostolis frequentatum* fuisse.

A. *Missae sacrificium in V. T. praefiguratum et praenuntiatum fuit.*

§ 619. Certum est, in V. T. plurima sacrificia oblata fuisse partim cruenta, partim incruenta. Ast quia Apostolus legem veterem appellat *umbram futurorum* (1), et *paedagogum nostrum in Christo* (2), imo de Israëlitis diserte pronunciat, *omnia in figuris contingebant illis* (3), necesse est, ut etiam in nova lege sacrificia dentur, in quibus figurae V. T. impleantur. In confesso quidem est apud omnes, sacrificia cruenta praefigurasse mortem Messiae, et in sacrificio cruento a Christo in ara crucis oblato adimpleta fuisse. Quoniam autem in V. T. etiam sacrificia incruenta extiterunt, necesse est, ut etiam in N. T. sacrificium incruentum existat, ne figuram sine complemento admittere cogamur. Nullum autem aliud sacrificium stricte et proprie dictum in nova lege assignari potest, quam sacrificium missae, quod praecipue per sacrificium *Melchisedechi*, et *per agnum paschalem* praefiguratum, et *per Malachiam* praenuntiatum fuit.

1. Cum Abraham post debellatos quatuor reges victor rediret, *Melchisedech, Rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit coelum et terram, et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt* (4). Quibus verbis veri nominis sacrificium exhibetur. Oblatio enim rei externae et sensibilis nempe panis et vini, facta est a legitimo ministro, scilicet a Melchisedech sacerdote, et facta est Deo in gratiarum actionem pro victoria reportata, uti verba Melchisedechi manifeste ostendunt. Non legitur quidem in Scriptura, qualis destructio seu immutatio circa panem et vinum contigerit: sed id quod reticetur, non ideo negatur: probabilius post oblationem Deo factam pars aliqua panis et vini Abrahamo et pueris eius ad comedendum et bibendum tradita fuit. Caeterum Melchisedechum verum sacrificium obtulisse iam ex adiunctis patet. Abraham enim post quodlibet singulare Dei beneficium sacrificare consuevit (5). Certe ergo etiam post insignem victoriam sacrificasset nisi sacrificium in gratiarum actionem iam a Melchisedecho oblatum fuisset. Idem confirmatur ex eo, quia Melchisedech dicitur protulisse panem et vinum ut *sacerdos Dei altissimi:* nec obstat, quod loco particulae *enim*, ut habet vulgata, in

(1) Col. 2, 17. (2) Gal. 3, 24.
(3) I Cor. 10, 11. (4) Gen. 14, 18, etc.
(5) Gen. 12, 6, etc.; cap. 13, 18; c. 15, v. 9-17; cap. 22, v. 1 et v. 22.

hebraico legatur: *et erat sacerdos* etc. Nam S. Hieronymus et plures Rabbinorum vertunt *enim*, imo particula *et*, quae in textu originali occurrit, saepius sumitur in sensu causali pro *enim*, vel *quia*, ut Isa. LXIV 5: *Ecce tu iratus es, et peccavimus* (1). Et quidquid sit de significatione huius vocis, certum est, Melchisedechum sacerdotem fuisse: sacerdotis autem est, sacrificia offerre; nam, ait Apostolus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus... constituitur... ut offerat dona et sacrificia* (2). Ast in tota S. Scriptura nullum aliud Melchisedechi sacrificium commemoratur, quam hoc unicum, quod in pane et vino obtulit. Dubitare autem nullatenus licet, Melchisedechum, tanquam sacerdotem offerentem figuram fuisse in Messia adimplendam. Nam Ps. CIX, 4 dicitur: *Iuravit Dominus et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Hic Psalmus autem semper de Messia iam a Iudaeis intellectus fuit; unde Christus confidenter Matth. XXII, 43 etc. ad eundem provocavit. Et Paulus Hebr. V, 10 dicit, quod Christus sit *appellatus a Deo pontifex secundum ordinem Melchisedech;* et Hebr. VII, 20 etc.: *Alii quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt; hic autem* (Christus) *cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Tu es sacerdos in aeternum.* Messias ergo debuit sacerdos esse secundum ordinem seu ritum Melchisedech, ideoque sacrificium in pane et vino offerre: Christus autem est verus Messias, qui omnes figuras et cuncta vaticinia V. T. implevit: ergo sacrificium in pane et vino obtulit, ac idem ita in Ecclesia instituit, ut recte iuxta vaticinium dicatur *sacerdos in aeternum.* Conclusio haec Ss. Patrum consensu firmatur. Nam *Clemens Alex.* (3) ait: «Melchisedech, Rex Salem, sacerdos Dei Altissimi, vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum eucharistiae.» *S. Cyprianus* (4) scribit: « In sacerdote Melchisedech sacrificii dominici sacramentum praefiguratum videmus, secundum quod divina Scriptura testatur et dicit: Melchisedech protulit panem et vinum ..... Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens ..... Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis sacerdos Dei summi, quam D. N. I. Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit? et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem. » - *Eusebius Caesar.* (5) inquit: « Quemadmodum Melchisedech, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed solo vino ac pane: ita Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt sacerdotes in omnibus gentibus..... vino ac pane corporis illius ac salutaris sanguinis mysteria repraesentat: quae sane mysteria Melchisedech tanto ante Spiritu divino cognoverat, et rerum futurarum imaginibus usus fuerat. » *S. Chrysostomus* (6) de Melchisedech dicit: « Alioquin et typus Christi futuri erat... Vide quomodo per honorem in Patriarcham

(1) Cf. Gen. 20, 3; 22, 12; 44, 22; Ps. 94, 5.
(2) Hebr. 5, 1.
(3) L. 4 Strom. versus finem.
(4) Epist. 63 ad Caecilium.
(5) Lib. 5 dem. evang. c. 3.
(6) Hom. 35 in Gen. n. 5.

collatum mysterium aliquod nobis insinuatur. Protulit enim panem et vinum. Videns typum, cogita et veritatem, et admirare divinae Scripturae vim, quomodo superioribus saeculis et ab initio futura praesignificavit. » *S. Hieronymus* in Epist. ad Marcellam scribit: « Recurre ad Genesim, et Melchisedech Regem Salem huius principem invenies civitatis, qui iam tunc in typo Christi panem et vinum obtulit, et mysterium christianum in Salvatoris corpore et sanguine dedicavit » (1). *S. Augustinus* (2) ad Innocentium haec habet: « Melchisedech, prolato sacramento mensae dominicae, novit aeternum eius sacerdotium figurare. » Et lib. 16 de Civ. Dei (3) loquens de oblatione Melchisedech ait: « Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longe post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne : *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech:* non scilicet secundum Aaron, qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quae illis umbris praenotabantur. » *Theodoretus* (4) de Melchisedech ait: « Siquidem dominici sacerdotii figuram gerebat: ideo panem Abrahamo vicissim et vinum dedit, ut qui fortasse solitus esset, talia Deo omnium offerre; oportebat enim figuram in illo monstrari. » *S. Leo M.* Serm. 2 de annivers. assumptionis suae ad Pontif. ita loquitur: « *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, hoc est, non secundum ordinem Aaron, cuius sacerdotium per propaginem sui ordinis currens, temporalis ministerii fuit, et cum veteris Testamenti lege cessavit; sed secundum ordinem Melchisedech, in quo aeterni Pontificis forma praecessit. » Idem testantur *S. Epiphanius* (5), *S. Ambrosius* (6), *Eusebius Emiss.* (7), *Euthymius* (8), *S. Io. Damascenus* (9) et alii. Constanti huic traditioni insistens *Conc. Tridentinum* (10) ait: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.*

2. Immolatio agni paschalis praecepta fuit Israëlitis his verbis: *Decima die tollat unusquisque agnum per familias et domus suas. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum universa multitudo Israël ad vesperam* (11). Hanc immolationem verum fuisse sacrificium patet ex Num. IX, 13 ubi dicitur: *Si quis mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.* Duplicem in finem institutum est sacrificium Agni paschalis, primo in memoriam liberationis Iudaeorum ex servitute Pharaonis (12), et secundo in typum et figuram Christi, qui tanquam agnus innocens immolandus erat et occidendus, ut homines a servitute daemonis ac peccatis liberaret, de quo Apostolus ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur... in azymis sinceritatis et veritatis* (13). Ast Agnus paschalis figura fuit, non tantum immolationis cruentae in ara crucis, sed etiam incruentae ac mysticae in ultima coena;

(1) Cf. lib. 4, Comment. in Matth. 26, 26.
(2) Epist. 177 (al. 95.) (3) Cap. 22.
(4) Q. 64 in Gen. (5) Haer. 55.
(6) Lib. 5 de sacram. cap. 1.
(7) Serm. de paschate. (8) In Ps. 109.
(9) Lib. 4 de fide cap. 14.
(10) Sess. 22, cap. 1. (11) Exod. 12, 3.
(12) Ex. 12, v. 14 et 26. (13) 1 Cor. 5, 7. — Cf. Th gen. § 133 nota 1 ed. 1.

imo magis immediate ac principalius eucharistiae, quam passionis figura fuit, quod probant sequentia momenta. Nam 1° constat ex evangelio Apostolos ante Christi passionem in ultima coena verum Agnum paschalem, qui Christus est, comedisse: ergo iam erat immolatus in coena eucharistica; necesse quippe est, prius hostiam immolari, quam manducetur: atqui immolatus Christus nondum erat immolatione cruenta; ergo immolatione incruenta et mystica. 2° Christus post caeremoniam Agni paschalis continuo subiunxit celebrationem eucharistiae, neque distulit in aliud tempus aut locum, ut aperte ostenderet, se nova ista caeremonia veterem implere figuram, eique ut et caeteris omnibus legis mosaicae finem imponere. 3° Ex circumstantiis utriusque celebrationis perspicuum est, nullam figuram a Christo manifestius impletam, quam istam, Agnus paschalis die decima quarta primi mensis ad vesperam immolari debuit (1); eucharistiam autem hoc ipso tempore a Christo institutam fuisse, supra probavimus. Deo agnus paschalis immolabatur in memoriam transitus Domini, et liberationis populi ex Aegypto: at eucharistia celebratur in memoriam transitus Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem, et nostrae liberationis de servitute peccati et potestate daemonis. 4° Agnus immolabatur, ut manducaretur et esset quasi viaticum peregrinorum; idcirco manducabatur a Iudaeis accinctis renibus, cum baculis et calceis etc. Quid porro est eucharistia nisi refectio et viaticum ad veram et coelestem patriam peregrinantium? Denique 5° Agnus manducari non poterat nisi a circumcisis et mundis, et in urbe Ierusalem: ita eucharistia sumi non potest nisi a baptizatis et mundis, et intra Ecclesiam catholicam existentibus. Quam egregie isthaec omnia concordant inter se, ac figura rei figuratae respondet! — Idcirco etiam Patres in agno paschali figuram sacrificii in eucharistia oblati agnoverunt. *Tertullianus* (2) explicans verba Christi: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (3), inquit: « Professus, se concupiscentia concupiscere edere Pascha ut suum: indignum enim, ut quid alienum concupisceret Deus, acceptum panem corpus suum fecit. » *S. Cyprianus* lib. de unit. Eccles. probat, non posse extra Ecclesiam manducari utiliter eucharistiam, quia scriptum est de Agno paschali: *In domo una comedetur*. *S. Ambrosius* in cap. 1 Lucae inquit: « Quando sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. » *S. Hieronymus* (4) scribit: « Postquam typicum Pascha fuerat impletum, et Agni carnes cum Apostolis comederat, assumpsit Panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschae transgreditur sacramentum. » *S. Gaudentius* (5) totam celebrationem Agni paschalis de eucharistia exponit dicens: « In umbra illius legalis Paschae non unus agnus occidebatur, sed plures. Singuli enim occidebantur per domos; nam sufficere unus non poterat universis..... Idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis et vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus, haec agni caro, hic sanguis est. » *S. Chrysostomus* (6) de institutione eucharistiae loquens dicit: « Veritatem (Christus) figurae adiunxit » et inferius:

(1) Exod. 12.
(2) Lib. 4, c. Marcion. versus finem.
(3) Luc. 22, 15. (4) Comment. in Matth. 26.
(5) Tract. 2 in Exod. (6) Hom. 83 in Matth.

« Si figura a servitute liberavit, multo magis veritas orbem terrarum vindicabit. » *S. Augustinus* (1) ait: « Aliud est Pascha, quod illi de ove celebrant, aliud, quod nos in corpore et sanguine Domini accipimus. » *S. Leo M.* (2) inquit: « (Christus in ultima coena) vetus testamentum consummabat, et novum condebat Pascha: discumbentibus enim secum discipulis etc. » *S. Gregorius M.* (3) ita loquitur: « Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. » Similia habent *V. Beda* (4), *S. Anselmus* (5), *Rupertus* (6), *Bellarminus* (7).

5. Figuris accedunt vaticinia: nam ut recte ait *S. Augustinus* (8): « Nostrum sacrificium non solum evangelicis, sed etiam propheticis libris demonstratum est. » Prov. IX, 1 etc. legitur: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et posuit mensam suam;* quo in loco interpretes per sapientiam intelligunt Verbum incarnatum, per domum Ecclesiam per Apostolos aedificatam, per victimas non solum sacrificium in ara crucis oblatum, sed et, quia in plurali effertur, sacrificium missae, quod in omni loco et tempore offertur, et in quo miscetur vinum, et sic mensa dominica paratur. Hinc *S. Cyprianus* Ep. 63 ad Caecil. (9) eadem verba ponderans ait: « Per Salomonem Spiritus sanctus typum dominici sacrificii praemonstrat, immolatae hostiae, et panis et vini, sed et altaris et Apostolorum faciens mentionem. » Et *S. Augustinus* (10) eadem Proverbiorum verba refert et addit: « Hic certe cognoscimus, Dei Sapientiam, hoc est, Verbum Patri coaeternum... mensam in vino et panibus praeparasse, ubi apparet etiam sacerdotium secundum ordinem Melchisedech... Nam et in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes VIII, 15 ubi ait: *Non est bonum homini, nisi quod manducabit et bibet;* quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensae huius pertinet, quam Sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quae immolabantur in umbra futuri » (11). Isa. XIX, 21 legitur: *Cognoscetur Dominus ab Aegypto, et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus. Eusebius* lib. 1 demonstrat. evang. c. 6, et *S. Hieronymus* Comment. in Isa. ex hoc loco probant, legem esse translatam, quandoquidem sacerdotium est translatum, id est, apud Gentiles sacrificia Deo vero offeruntur. Nec valet responsio Calvini, Isaiam loqui de sacrificiis spiritualibus, quae a Christianis omnibus offeruntur. Nam in eodem capite v. 19 fit mentio altaris Domini in loco visibili constituti: *In die illa erit altare Domini in medio Aegypti:* ad sacrificia autem spiritualia nullum altare visibile necessarium est. Demum Isa. LXVI, 21 dicitur: *Et assumam ex eis* (cunctis Gentibus) *Sacerdotes et Levitas, dicit Dominus;* et Ierem. XXXIII, 18: *Et de Sacerdotibus et de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata.* Haec loca *S. Hieronymus* in Isaiam, et *Theodoretus* in Ieremiam exponunt de sacerdotibus Christi, qui perpetuo in N. T. permanebunt. Nec possunt

(1) Lib. 2, c. litter. Petiliani, c 37.
(2) Serm. 7 de pass. Dom.
(3) Hom. 22 in evang. (4) In cap. 22 Lucae.
(5) In cap. 26 Matthaei. (6) In lib. 2 Exod.
(7) De missa, cap. 7. (8) Epist. 49, q. 3.
(9) Al. lib. 2, Ep. 3.
(10) Lib. 17 de civ. Dei, cap. 20.
(11) Cf. S. Ambrosium, lib. 1 de fide, c. 15.

aliter exponi, cum apertissime uterque Propheta loquatur, de conversione gentium et aedificatione Ecclesiae. Ast si in N. T. Sacerdotes dantur, necesse est, ut etiam sacrificium existat, quod iugiter offeratur (1).

4. Insigne est vaticinium Malachiae, qui cap. I, v. 10 et 11 dicit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Sensus vaticinii est, reiicienda et abroganda fore Iudaeorum sacrificia, hisque in nova lege substituendum esse sacrificium omnino purum ac mundum, quod in omni loco et tempore offeratur. Novatores frustra reponunt, sacrificium, de quo Malachias loquitur, esse illud, quod a Christo in ara crucis oblatum est; nam Propheta loquitur de sacrificio, quod *in omni loco offertur*, sacrificium vero crucis cruentum semel, et in unico loco oblatum fuit; Christus vero semel mortuus non amplius moritur. Perperam etiam contendunt, per sacrificium a Malachia praedictum intelligenda esse sacrificia spiritualia, quae in actibus virtutum internis, precibus et bonis operibus posita sunt. Verum id minime admitti potest; nam hebraea vox, quae hic redditur *oblatio*, proprie significat tritici, similae, panis et vini oblationes, quae visibili modo in altari fiebant (2). Dein indubium est, vera sacrificia externa a Iudaeis oblata fuisse, et de istorum reiectione et abrogatione loqui Prophetam: cum igitur his sacrificiis V. T. externis et proprie dictis opponat sacrificia in nova lege offerenda, contra omnes regulas hermeneuticas peccaretur, si haec sacrificia solum in sensu improprio et metaphorico pro precibus et actibus virtutum intelligerentur. Imo Malachias opponit *mundam* Christianorum *oblationem* pollutis Iudaeorum sacrificiis; oppositio porro ista vel spectat offerentes, vel rem oblatam. Prius dici non potest, quia in lege nova non minus quam in veteri, qui offerunt sacrificia, mali et impii esse possunt: ergo ex illa parte stare non potest oppositio. Stat ergo ex altera, rei scilicet oblatae, quia nempe panes et animalia, quae in veteri lege offerebantur, in eo polluta saepius erant, quod non secundum legis praescriptum (3) offerrentur, de quo conqueritur Deus per Malach.: *Offertis mihi super altare meum panem pollutum;* et: *Si offeratis caecum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est* (4)? Oblatio vero munda et pura, quam his Iudaeorum pollutis sacrificiis opponit Malachias, est corpus et sanguis Christi: caetera quippe omnia, quae offerri possunt a Christianis, pollutioni sunt obnoxia, id est vitiari possunt et pollui. Denique non obscure Propheta indigitat se loqui de sacrificio novo in veteri lege ignoto, per quod nomen Domini inter gentes glorificetur; ast sacrificia spiritualia, quae in precibus et actibus virtutum consistunt, etiam in veteri lege Deo offerebantur a iustis, quorum aliqui quovis tempore exstiterunt; et sacrificia mere spiritualia latere possunt et ignota manere. Malachias autem de sacrificio externo et visibili loquitur, per quod nomen Domini publice glorificetur. Hinc Ss. Patres vaticinium Malachiae de missae sacrificio interpretati sunt. *S. Iu-*

(1) Hebr. 5, 1. (2) V. Lev. c. 2, v. 1; c. 7, v. 9; c. 14, v. 10; c. 23, v. 26.

(3) Lev. cap. 6 et 7.
(4) Malach. 1, v. 7 et 8.

stinus M. Dial. c. Tryphone n. 41 post citata verba Malachiae inquit: « De nostris vero gentium sacrificiis, quae in omni loco offeruntur, hoc est, de pane eucharistiae et poculo similiter eucharistiae, iam tum locutus praedixit (Malachias), nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare. » *S. Irenaeus* (1) ait: « Eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: *Hoc est corpus meum.* Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. » Tum adductis Malachiae verbis addit: « Manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum; nomen autem eius glorificatur in gentibus. » *Eusebius Caesar.* (2) citato loco Malachiae haec subiungit: « Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum et odorem adferens et sacrosanctum sacrificium; sacrificamus novo more secundum novum testamentum hostiam mundam. » *S. Chrysostomus*, vel alius auctor Hom. in Ps. XCV, n. 2 in verba Malachiae dicit: « Vide, quam luculenter atque dilucide mysticam interpretatus est mensam, quae est incruenta hostia. » Idem argumentum versat S. Doctor in Hom. 5 c. Iudaeos n. 12 ubi probat, verba Malachiae referenda esse ad sacrificium a Christo institutum, quod ubique offertur, et de hoc dicit: « Si quis hoc ipsum sacrificium cum illo (in V. T. oblato) conferat, ingens immensumque discrimen inveniet, ut iuxta comparationem rationis solum hoc purum dici mereatur. » *S. Augustinus* (3) tractans hunc locum Malachiae ait: « Ecclesia per successiones Apostolorum immolat in corpore Christi sacrificium laudis. » Et lib. 18 de civ. Dei (4) docet, vaticinium Malachiae impleri per sacrificium secundum ordinem Melchisedech ubique oblatum. Idem docent *S. Hieronymus*, et *Theodoretus* (5). Denique *S. Io. Damascenus* (6) ait: « Hoc nimirum est purum et incruentum sacrificium, quod ab ortu solis usque ad occasum offerri sibi per Prophetam Dominus dixit: corpus est et sanguis Christi, quod ad animae nostrae corporisque conservationem conceditur. »

Nota. Allatis argumentis sequentia opponunt adversarii.

Obi. I. Melchisedech qua rex protulit panem et vinum ad reficiendos Abrahae milites: qua Sacerdos autem impertitus est benedictionem; de sacrificio autem oblato non fit sermo. Unde si Ps. CIX Messiae dicitur: *Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*, haec verba ita intelligenda sunt, quod Messias sit eadem regia dignitate insignitus, seu quod sit rex pacis benedictionem adferens, ut Melchisedech. Ipse Paulus Hebr. VII comparationem instituit inter Melchisedechum et Christum, non autem mentionem facit de oblatione panis et vini.

Resp. Cavillationibus istis opponimus argumenta iam allata, quibus probatur, Melchisedechum verum sacrificium obtulisse; sacerdos enim dicitur, ac ideo sacerdotali munere functus est, quod praecipue in sacrificando consistit; nam benedicere et-

(1) Lib. 4 adv. haer. cap. 14 (al. 32.)
(2) Lib. 1 dem. evang. cap. ult.
(3) L. c. advers. leg. et proph. cap 20.
(4) C. 35, n. 3.
(5) Comment. in cap. 1 Malachiae.
(6) Lib. 4 de fide, cap. 13.

iam illi possunt, qui non sunt Sacerdotes, quod apparet exemplo Salomonis et aliorum. In Ps. CIX versiculis praecedentibus summa Messiae dignitas praedicatur; sed v. 5 non dicitur Messias *sacerdos* secundum nomen aut dignitatem, sed *secundum ordinem*, id est, ritum Melchisedech, ubi apertissime ordo Melchisedechi ordini Aaronis opponitur; quam oppositionem etiam agnoscit et declarat Paulus in Epistola ad Hebraeos. De oblatione vero panis et vini silet, quia ipsius scopus erat commendare praecellentiam sacrificii novi, non enarrare ordinem sacrificii; nimirum Hebraeorum animos a sacrificiis Aaronis, quibus adhuc capti erant, avertere studens praefiguratum in Melchisedecho sacrificium commendare voluit, et in eo latens mysterium, non similitudinem rei oblatae indigitare aliqua ratione; hinc ait Hebr. V, 11: *De quo nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum:* et v. seq. addit: *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo:* quae verba innuunt mysterium, quod Apostolus infirmis explicare noluit.

Obi. II. Immolatio Agni paschalis cruenta fuit; ergo non potuit esse figura sacrificii incruenti eucharistiae. Dein Agnus paschalis non a sacerdotibus, sicut eucharistia, sed a multitudine immolabatur: tandem non erat sacrificium propitiatorium, quale nos esse dicimus sacrificium eucharistiae: ergo huius figura non fuit.

Resp. Variae figurae in V. T. dantur, quae non ex omni, sed ex aliqua tantum parte ad figuratum referuntur. Ita Agnus paschalis refertur ad eucharistiam non quoad modum immolationis, sed quoad rem ipsam, quae offertur et manducatur. Ex figura nempe Agni paschalis habemus in eucharistia veram carnem et sanguinem Christi. Agni immaculati, sed modo incruento, et in specie panis et vini, atque ita oblatio et manducatio Agni ad figuram eucharistiae pertinet, non autem modus cruentae mactationis, sicut nec minister, nec effectus propitiatorius; quia nunquam omnia sunt in figura, quae sunt in figurato. Caeterum sacrificium Agni paschalis institutum fuit, priusquam familia Aaron ad sacerdotium vocata fuisset, et ideo quantum ad hoc sacrificium mansit antiquum privilegium, ut non quidem indiscriminatim tota multitudo, sed omnes patresfamilias sacerdotio fungerentur, reliquis per istos immolantibus et voluntate ac participatione in sacrificium consentientibus, quod etiam in Ecclesia circa eucharistiam observatur. Presbyteri enim, qui in Christi familia Patres sunt, proprie et per se immolant; populus autem per illos immolat, et simul voluntate et participatione in sacrificium consentit. Denique sacrificium eucharistiae quatenus est propitiatorium, per alia sacrificia V. T. praefiguratum fuit; quatenus autem est commemorativum liberationis a servitute daemonis excellentissimam in Agno paschali figuram habuit.

Obi. III. Malachias loquitur in tempore praesenti: *Magnum est* etc. *sacrificatur, offertur:* ergo non praedicit sacrificium futurum, sed loquitur de sacrificiis eo tempore inter gentes vero Deo oblatis, et praecipue intelligit Persas, inter quos iam tempore Cyri nomen Dei magnificatum est (1), ita ut etiam Persarum reges sacrificia vero Deo offerrent (2).

Resp. Non obstat vaticinio de sacrificio eucharistiae intelligendo, quod Malachias loquitur in praesenti, non in futuro; id enim Prophetae faciunt,

(1) 2 Paral. 36, 23. (2) I Esdr. 6, 10.

quia res futuras ita certo norunt, Deo eis indicante, ac si praesentes intuerentur. Reges Persarum propter vaticinia in se adimpleta Deum quidem Iudaeorum admirati sunt, sed tamen a recta fide et religione suscipienda longe remoti erant; unde et in illis dictum Apostoli verificatum est: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* etc. (1), unde *oblationem mundam* offerre non poterant; neque tunc *in omni loco* sacrificabatur in honorem veri Dei, cum ipsi reges Persarum se tantum commendaverint in sacrificia Hierosolimae offerenda (2).

1. *Sacrificium missae a Christo in ultima coena institutum fuit.*

§ 620. Christus in ultima coena: *Accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam coenavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* (3). Protestantes admittunt, Christum hic sacramentum eucharistiae instituisse: Catholici vero contendunt, Christum hac eadem actione sacrificium quoque obtulisse, quia in ea omnia requisita ad sacrificium constituendum inveniebantur. Adfuit enim *oblatio rei externae et visibilis*, quia sub visibilibus speciebus panis et vini, corpus et sanguis Christi continebatur, et de corpore dicitur l. c.: *Pro vobis datur*, et I Cor. XI, 24 iuxta graecum: *Pro vobis frangitur:* et de sanguine iuxta graecum: *Pro vobis funditur;* et Matth. XXVI, 28: *Pro multis effunditur*, seu *effunditur in remissionem peccatorum*. Verba ista praesentis temporis *datur, frangitur, funditur*, non significant dari vel effundi Apostolis ad manducandum et bibendum, sed dari et effundi in sacrificium; non enim ait Dominus: *Vobis datur, frangitur et funditur*, sed *pro vobis*. Et vero non dabatur aut effundebatur cibus ille et potus tunc nisi Apostolis praesentibus: et tamen Dominus ait: *Pro multis effunditur* (4); sensus igitur est « pro vobis et multis datur et libatur in sacrificium propitiatorium, in remissionem videlicet peccatorum. » Adfuit etiam *legitimus minister*, quia Christus iam in terra vivens Sacerdos fuit (5). Oblatio autem facta est *soli Deo*, et quidem *ad recognoscendum supremum eius in omnes res creatas dominium;* legitur enim, quod Christus: *Gratias agens fregit (panem) et dixit: Accipite,* etc. (6); et: *Accipiens calicem gratias egit, et dedit illis* (7); quibus verbis ostenditur, Christum totam actionem in honorem Patris sui coelestis suscepisse; ideo porro, ut observatum est, non dixit de corpore et sanguine suo: *Vobis datur, vobis funditur*, sed *pro vobis* aeterno Patri *datur*, *pro vobis funditur* sanguis ut eius iustitiae satisfiat, et ab eius misericordia remissio peccatorum obtineatur. Actualis quidem victimae destructio non contingit; sed haec necessaria non est, sed sufficit, ut alio externo et visibili modo res, quae offertur, Deo dicata esse ostendatur (8). Talis autem externus et visibilis modus in missae sacrificio invenitur. Iuxta verba enim, quae in consecratione proferuntur, sub speciebus panis solum adest corpus Christi, et sub speciebus vini solus adest sanguis Christi; ita ergo, ut theologi dicunt, gladio verborum corpus Christi

(1) Rom. 1, 21. (2) I Esdr. 6, 10.
(3) Luc. c. 22, 19, etc.
(4) Matth. 26, 28. (5) § 366 et seq.
(6) I Cor. 11, 24. (7) Matth. 26, 27.
(8) § 614, n. 6.

ab eius sanguine separatur, et sic Christus sub speciebus panis et vini realiter praesens mystice immutatur et immolatus repraesentatur. Haec autem mystica immutatio, cum externo et sensibili modo indigitetur, plane sufficit ad rationem sacrificii; quod facilius intelligitur, si cum Vasquesio distinctio in sacrificium absolutum et commemorativum applicetur, atque attendatur, ad posterius genus spectare sacrificium, quod Christus in ultima coena obtulit, istudque relativum fuisse ad sacrificium cruentum in cruce peragendum, sicut nunc est commemorativum eiusdem sacrificii in cruce iam oblati. Consecrationem porro duplicis symboli seorsim factam, ad significandam separationem sanguinis a corpore, quae contigit in Christi morte, referri omnes Protestantes non solum admittunt, sed et defendunt: cum autem haec repraesentatio, ac proinde relatio ad immolationem, quae facta est in cruce, ipsi consecrationi intrinseca sit, intrinseca pariter ipsi est ratio formalis sacrificii veri et proprie dicti. — Christum in ultima coena verum sacrificium obtulisse, alia quoque ratione probatur. Nam quo tempore Christus eucharistiam instituit, novum foedus seu testamentum condidit, dicens: *Hic est sanguis novi testamenti:* testamentum autem et foedus ex Apostoli doctrina (1), sacrificio et sanguine dedicari oportuit. Quare sicut Moyses de sanguine vituli dixit: *Hic est sanguis foederis, quod pepigit vobiscum Deus* (2), seu, ut haec verba refert Apostolus: *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus* (3); ita ad haec Christus alludens, imo iisdem pene utens verbis in novo suo foedere sanciendo ait: *Hic est sanguis novi testamenti.* At Moysis verba dicta sunt de sanguine oblati sacrificii; ergo et Christi verba de oblato sacrificio in sanguine suo prolata esse intelliguntur. Dubitari ergo nequit, Christum in ultima coena, dum eucharistiam instituit, verum sacrificium obtulisse. Sed Christus Apostolis eorumque successoribus praecepit, ut idem faciant, quod ipse fecit; ait enim post eucharistiae institutionem: *Hoc facite in meam commemorationem* (4), et quidem (5) usque ad secundum suum adventum: ergo sacrificium missae pro omni loco et tempore instituit.

Nota 1. Haud arduum est difficultates solvere, quae ab adversariis nostrae argumentationi opponuntur.

Obi. I. In eucharistiae institutione nulla vox occurrit, quae vel leviter insinuet, oblatum esse a Christo sacrificium; nuspiam siquidem legitur, Christum dixisse: *Offero, sacrifico,* aut aliquid huiusmodi.

Resp. Si Christus adducta verba in eucharistiae institutione non protulit, ex aliis tamen ipsius verbis et actionibus patet, ipsum verum sacrificium obtulisse. Cum enim ratio sacrificii non in verbis, sed in rebus ipsis, seu in ipsa actione consistat Deum ut auctorem vitae et mortis significante, hinc opus non est, ut in eius oblatione dicatur, *Offero,* aut *sacrifico,* prout neque verba haec proferebantur a sacerdotibus mosaicis in immolatione victimarum, neque prolata sunt a Christo ipso, cum in cruce moreretur, attamen adversarii non inficiantur, Christum in cruce verum obtulisse sacrificium.

Obi. II. Admittunt Catholici eucharistiam esse sacramentum, et in ea Christum condidisse testamentum.

(1) Hebr. 9, 17, etc. (2) Exod. 24, 8.
(3) Hebr. 9, 20. (4) 1 Cor. 11, 24.
(5) V. 26.

Repugnat autem, quod unum idemque sit sacrificium simul et sacramentum. Nam sacrificii ratio in eo posita est, ut nos aliquid Deo offeramus, contra vero per sacramentum nobis aliquid a Deo datur. Ita pariter natura testamenti evertit rationem sacrificii. Sicuti enim non dicitur per testamentum aliquid dari testatori ab haerede, cum potius testator haeredi relinquat rem suam; sic etiam fieri nequit ut per eucharistiae sacramentum Deo aliquid offeramus.

Resp. Optime in una eademque re notio sacrificii consistit cum notione sacramenti. Etenim quatenus eucharistia conficitur, et gladio verborum corpus Christi ab eius sanguine separatur, ratio habetur sacrificii, et dicitur a nobis Deo offerri, quia per illud potentiam eius significamus. Quatenus vero eadem eucharistia suscipitur a nobis, est signum et causa gratiae sanctificantis ac propterea sacramentum, et dicitur a Deo nobis donari, quia Deus per illud nos sanctificat Ipsimet adversarii fateri coguntur, idem corpus Christi verum, quod in coena ultima Apostoli comederunt tanquam sacramentum, oblatum deinde fuisse in cruce tanquam sacrificium. Etiam in V. T. sacrificia offerebantur Deo, et postea fideles de illo participabant: ergo non repugnat, ut etiam in N. T. sacrificium Deo offeratur, et postea fideles de illo participent, ut haec participatio cum gratia coniuncta sit (1), et sic rationem sacramenti habeat. Multo minus notio testamenti evertit rationem sacrificii. Sicut enim Christus ut homo et redemptor noster in ara crucis pro nobis sacrificium Deo Patri obtulit, ita eadem charitate impulsus nobis corpus suum et sanguinem sub speciebus panis et vini pro testamento reliquit, ut perenne haberemus sacrificium, quod Deo offeramus.

Obi. III. Si Christus in ultima coena sacrificium obtulisset, fatentibus Catholicis, hoc fuisset infiniti valoris, et ad nostram redemptionem suffecisset, ac ideo supervacanea fuisset mors Christi in cruce. Contrarium vero docet Apostolus, qui humani generis redemptionem sacrificio in ara crucis oblato adscribit. Ait enim de Christo: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa* (2); et: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (3). Ergo non potest in nova lege aliud sacrificium admitti, ne merito infinito sacrificii unius in cruce oblati detrahatur.

Resp. Quamvis non solum sacrificium in ultima coena oblatum, sed et omnes actiones Christi fuerint valoris simpliciter infiniti, quem ex infinita Dei Verbi excellentia trahebant, ac ideo suffecissent ad condigne, imo superabundanter satisfaciendum divinae iustitiae pro peccatis totius mundi; voluit tamen Christus, ut perfectissimam suam erga Patrem obedientiam et flagrantissimam erga nos charitatem ostenderet, salutis nostrae negotium in cruce absolvere secundum consilium suum et voluntatem Patris. Si enim generatim ad offensum spectat modum determinare, quo placari velit, multo magis id de Deo dicendum est, a cuius liberrima voluntate omnia pendent. Deus autem ab hominibus offensus per cruentam Filii sui incarnati mortem placari voluit, unde scriptum est: *Sine sanguinis effusione non fit remissio* (4); et Christus ipse profitetur (5), se animam ponendi seu mortem sustinendi *mandatum* a Patre

(1) § 606. (2) Hebr. 9, 12.
(3) V. 28. — Cf. Hebr. 10, 10 et 14. (4) Hebr. 9, 22. (5) Io. 10, 18.

accepisse: quod ut exsequeretur, crucem ascendit, sanguinem fudit, mortem sustinuit, et sic homines redemit. Merito igitur sacrificio in ara crucis oblato sicut Apostolus, ita omnes Catholici redemptionem generis humani et plenam ac superabundantem satisfactionem pro omnibus peccatis adscribunt. Sicuti autem propter hoc sacrificium cruentum ea negari non possunt, quae Christus iam in vita sua pro salute nostra fecit et pertulit, et per haec pretium mortis Christi non imminuitur nec obscuratur: ita etiam negari non potest sacrificium, quod ipse in ultima coena obtulit, et quod nobis pro omni tempore reliquit; neque per istud meritum sacrificii cruenti imminuitur nec obscuratur. Nam iuxta doctrinam catholicam per unicum sacrificium crucis Christus omne redemptionis nostrae pretium abunde solvit, nec alio ad id opus est sacrificio; sacrificium quippe missae idem omnino est quoad substantiam cum sacrificio crucis, quia idem est utrobique Sacerdos et eadem hostia nempe Christus, ac differt tantum quoad modum offerendi; neque offertur in supplementum aut defectum sacrificii crucis, absit; sed tantum, ut applicetur nobis illius fructus: quod docet *Concilium Tridentinum* (1) sacrificium missae cum sacrificio crucis comparans et dicens: *Una est eademque hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa: cuius quidem oblationis cruentae, in quam, fructus per hanc* incruentam *uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.*

Obi. IV. Docet Apostolus, praeter summum et aeternum Pontificem Christum, qui semetipsum obtulit, et per proprium sanguinem introivit semel in sancta, nullum esse in nova lege Sacerdotem agnoscendum, qui offerat in sanguine alieno. Ait enim ad Hebr. scribens: *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eoquod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium..... qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes... hostias offerre... Hoc enim fecit semel seipsum offerendo* (2). Quodsi Christus nullum habeat successorem in terris, nec ulla in terris adsunt sacrificia, quae sacrificio illius succedere possint.

Resp. Docet Apostolus, nullos esse praeter Christum Sacerdotes, qui Christo succedant et offerant sacrificium cruentum redemptionis; non autem negat, dari in nova lege Sacerdotes, qui tanquam Christi ministri eius nomine et vice ipsius offerant sacrificium incruentum, quo sacrificii eius cruenti merita nobis applicentur. Sicuti enim in Christo agnoscit *sempiternum sacerdotium*, vi cuius quovis tempore sacrificium secundum ordinem Melchisedech sub speciebus panis et vini offert; ita etiam profitetur, Christum in terris habere ministros, qui vices ipsius agunt, cum: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (3). Doctrina ergo Apostoli consentit cum doctrina Ecclesiae catholicae, quae dicit, in missae sacrificio Christum esse primarium, hominem vero sacerdotem secundarium dumtaxat ministrum. Eo enim modo quo Proreges et Episcoporum Vicarii ex persona, nomine et auctoritate aut regis aut Episcopi agunt, atque nullatenus ideo iis suc-

(1) Sess. 22, cap. 2. (2) Hebr. 7, 23, etc.

(3) 1 Cor. 4, 1 dict.

cedere dicuntur; ita sacerdotes ut ministri Christi ex nomine, persona et auctoritate Christi iuxta eius institutionem et mandatum offerunt sacrificium, et reliquis sacerdotalibus ministeriis funguntur, etsi propterea nec dicantur, nec sint eius successores.

C. Sacrificium missae ab Apostolis frequentatum fuit.

§ 621. Apostolos sacrificium eucharistiae a Christo institutum agnovisse et frequentasse, varia loca probant.

1. Act. XIII, 2 de Prophetis et doctoribus antiochenis legitur: *Ministrantibus autem illis Domino, et ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos;* pro *ministrantibus* autem in textu graeco habetur: λειτουργούντων, quam vocem vertit *Erasmus: Quum illi sacrificarent*, etc., et certe haec vox non de praedicatione evangelii, nec de precibus intelligi potest, sed de oblato sacrificio exponi debet. Nam verbo λειτουργέω nunquam S. Lucas usus fuit nisi ad sacrificium significandum, ut ex eius Evangelio et Actibus Apost. constat. Praeterea nullibi haec vox in Ss. Scripturis orationem significat; ex propria enim etymologia idem sonat, ac opus sacrum et publicum facere. Neque significatur ministerium verbi aut sacramentorum; quia ista publica quidem sunt at non Deo exhibentur, sed populo; neque S. Lucas observationem ieiunii huiusmodi ministerio coniunxisset, cum praedicatio etiam a non ieiunantibus perfici queat. Id confirmatur ex eo, quia sacerdotes certe idem Antiochiae, quod Apostoli Hierosolymae peregerunt. De Apostolis vero dubitari nequit, quod missae sacrificium frequenter obtulerint. Nam (1) legitur, quod fideles *erant perseverantes - in communicatione fractionis panis:* ergo etiam Apostoli erant perseverantes in panis et vini consecratione, in qua essentia sacrificii consistit.

2. Paulus I Cor. X fideles retrahere conatur ab idolothytorum comestione, quam idolorum cultum vocat (2); et ideo ibid. dicit *Videte Israël secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?... Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum: non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum: non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum* (3). Scopus Apostoli est probare, eos, qui de victimis daemoni consecratis comedunt, realiter cum daemoniis communicare, sicut apud Christianos (4), qui calicem sacrum bibunt, et panem consecratum manducant, realiter communicant corpori et sanguini Christi: et sicut apud Iudaeos, qui de hostiis comedunt, participant realiter altari et sacrificio et omni Iudaico cultui. Patet ergo, sacrificium eucharisticum Divo Paulo ita certum esse et incontestatum, ut illud assumat tanquam argumentationis suae principium omnibus notum. Confert enim mensam seu altare Christianorum cum mensa et altari Iudaeorum et Ethnicorum: atqui mensa et altare referuntur ad sacrificium: ergo sacrificium Christianorum confert Apostolus cum sacrificiis Iudaeorum et Ethnicorum. Iam vero Iudaei, fatentibus Protestantibus, vera et proprie dicta sacrificia offerebant; victimae autem Ethnicorum, etsi falsis diis

(1) Act. 2, 4. (2) V. 14. (3) V. 18, etc. (4) V. 16.

seu malignis spiritibus oblatae, sacrificia tamen erant proprie dicta: igitur ex mente Apostoli verum ac proprie dictum censendum est sacrificium Christianorum. Rursus idem Apostolus revocaturus pariter eosdem fideles ab usu sacrificiorum iudaicorum ait: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt* (1). Ut ergo Iudaei, sic et Christiani habebant altare (graece: θυσιαστήριον, sacrificatorium), de quo ederent. Cum vero Christiani de altari suo nil aliud edant, quam eucharistiam, plane inde consequitur, eucharistiam iuxta Apostolum in sacrificium offerri; alioquin perperam meminisset *altaris*, si cibus ille, qui dicitur de altari sumptus, Deo in sacrificium oblatus antea non fuisset.

II. *Argumenta ex traditione deprompta.*

§ 622. Traditio pro veritate sacrificii eucharistici tot exhibet monumenta, ut in plena luce caecutire debeat, qui negare praesumit, semper, ubique et ab omnibus creditum fuisse, in eucharistia verum et proprie dictum sacrificium offerri: hanc fidem *Ss. Patres*, *Liturgiae*, *Concilia* et ipsa *praescriptio* contestantur.

A. *Ex sanctis Patribus.*

§ 623. Plura Ss. Patrum testimonia iam ad confirmanda argumenta biblica adducta fuerunt, quibus sequentia accedunt, quae fidem omnium saeculorum de veritate sacrificii eucharistici invictissime probant.

1. Iam ex tribus primis saeculis praeclaros testes adducere licet. *S. Andreas* Apostolus, ut refertur in eius martyrii Actibus, sic Aegeam Proconsulem allocutus est: « Ego immaculatum Agnum in altari offero, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui immolatus est, integer perseverat et vivus. » *S. Ignatius M.* (2) ait: « Una est caro D. N. I. Christi, et unus calix - unum altare, sicut unus Episcopus. » Et in Ep. ad Smyrn. (3) ita de haereticis loquitur: « Eucharistias et oblationes non admittunt, eo quod non confiteantur, eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Iesu Christi. » *S. Iustinus M.* (4) inquit: « In omnibus oblationibus laudamus Creatorem omnium per Filium eius Iesum Christum et per Spiritum sanctum. » Et in dialogo cum Tryphone (5) haec habet: « Verum genus sacerdotale Dei sumus, ut Deus ipse testatur, cum sibi in omni loco in gentibus grata et pura sacrificia offerri dicit. A nemine autem Deus accipit sacrificia nisi per ipsius sacerdotes. Qui ergo per illius nomen sacrificia ipsi offerunt ea quae a Iesu Christo praescripta, id est, quae in eucharistia panis et calicis a Christianis in omni terrarum loco offeruntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur. » *S. Irenaeus* (6) scribit: « Suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum, qui ex natura panis est, accepit et gratias egit dicens: *Hoc est corpus meum;* et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo; » et citato Malachiae vaticinio addit: « Prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco offeretur ei, et hoc purum; nomen

(1) Hebr. 13, 10. (2) Ep. ad Philad. n. 4. (3) Ap. Theodoret. Dial. 3.

(4) Apol. 1, n. 67. (5) N. 116 et 117. (6) Lib. 4 adv. haer. c. 17, n. 5.

autem eius glorificatur in gentibus. » *Tertullianus* (1) inquit: « Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro et ipsius. » Et alibi (2): « Similiter et stationum diebus non putant plerique *sacrificiorum* orationibus interveniendum (autumantes per eucharistiae sumptionem ieiunium frangi), quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium eucharistia resolvit? an magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si et ad *aram Dei* steteris? Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii et executio officii. » S. *Cyprianus* (3) ad Cornel. scribit: « Episcopatus nostri honor grandis et gloria est pacem dedisse martyribus, ut sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo et victimas praeparemus. » Idem (4) ad Caecilium: « Unde apparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni. Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Christo in regno Patris bibemus, si in sacrificio Dei Patris et Christi vinum non offerimus, nec calicem Domini dominica traditione miscemus? » Et ibidem (5): « Si Iesus Christus... ipse est summus Sacerdos Dei Patris et *sacrificium*, Patri se ipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem praecepit; utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui et id quod Christus fecit, imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat (in ultima coena) obtulisse. » In Constit. apost. (6) haec in consecratione Episcopi oratio praescribitur: « Da ipsi (Episcopo)... potestatem, quam Apostolis dedisti, placendique tibi in mansuetudine et corde mundo, offerendo tibi sine culpa semper et sine crimine sacrificium mundum et incruentum, quod per Christum constituisti mysterium novi Testamenti, in odorem suavitatis per sanctum tuum Filium Iesum, etc. »

2. Saeculo quarto et quinto *Eusebius Caes.* (7) inquit: « Merito sane illius memoriam, corporisque eiusdem et sanguinis recordationem quotidie celebrantes, et ad longe praestantius sacrificium et munus assumpti, quam illud antiquius fuerit, non amplius fas esse putamus in prima illa et infirma elementa recidere, signa quaedam et imagines, non ipsam veritatem continentia. » *S. Cyrillus Hier.* (8) ait: « Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus super illam propitiationis hostiam, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace:... pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus... Deinde et pro defunctis... maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima. » *S. Basilius* in hac plane persuasione fuit, etiam in nova lege sacrificia offerri; nam in orat. 19 in *S. Gordium M.* diram describens persecutionem tempore S. Gordii saevientem inquit: « Domus orationis profanorum manibus vastabantur, arae sanctissimae evertebantur, nec erat oblatio ulla

(1) Lib. ad Scapulam, c. 2.
(2) Lib. de orat. c. 14 (3) Ep. 54.
(4) Epist. 63. (5) N. 10.
(6) Lib. 8, cap. 5.
(7) Lib. 1 demonstr. evang. c. 10.
(8) Catech. 23, myst. 5, n. 8, etc

nec thymiama. Non erat locus relictus, in quo sacrificium posset offerri. » *S. Gregorius Naz.* orat. 2 (1) aperte sacrificium externum ab interno distinguit, docetque sacrificium internum cordis contriti praecedere debere, ut sacrificium externum digne offeratur, ait enim: « Quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem, aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem ? » etc. Orat. 4 invect. in Iulian. (2) docet, « nos per sacrificium incruentum Christo ipsiusque passionibus et divinitati communicare. » In Epist. ad Amphilochium (3) scribit: « O Dei cultor sanctissime ! ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem dominicum, vocem adhibens pro gladio. » Et lib. 2 poëm. (4) ad Episcopos exclamat: « O qui victimas emittitis incruentas, sacerdotes ! » — *S. Gregorius Nyss.* orat. 1 in Christi resurr. ita praeclare loquitur: « Qui potestate sua cuncta disponit, - non iniquam Pilati sententiam exspectat... sed consilio suo antevertit, et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit ? - cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum exhibuit ; tunc aperte declaravit, agni sacrificium iam esse perfectum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat. » *S. Ephraem* Paraenes. 74 (5) inquit: « Tu (Domine) immolaris super altaria nostra, tu etiam (sanguis tuus) instillaris labiis nostris. » *S. Chrysostomus* (6) dicit: « Erat autem, ut nostis, sacrificium Iudaeorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, et hoc in mysterio : nondum erat sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod fideles norunt, et qui Evangelium legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. » Et ib. (7): « Sublatum est ergo sacrificium Aaron, et coepit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. » Hom. 17 in Ep. ad Hebr. n. 3: « Quid vero ? an non nos quotidie offerimus? offerimus quidem, sed eius mortem revocamus in memoriam, et ipsa hostia una est, non multa. - Eundem enim semper offerimus, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eandem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi ? Nequaquam, sed unus ubique Christus : qui et hic est plenus et illic plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus unum est corpus, ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quae nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata, quae non potest consumi. Hoc fit in recordationem eius, quod tunc factum est. » *S. Cyrillus Alex.* (8) ad Nest. scribit: « Illud quoque necessario adiiciam, nempe dum Iesu Chri-

(1) Al. 1, n. 95. (2) Al. 3, n. 52.
(3) 171, al. 240 in append.
(4) Sect. 1, carmen 13.
(5) T. 3, syr. p. 555.
(6) Enarr. 1 in Ps. 33, n. 5. (7) N. 6.
(8) Epist. 15.

sti mortem et ex mortuis resurrectionem annuntiamus, - incruentum in Ecclesia sacrificium, atque id ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari, utpote sacrae carnis et pretiosi sanguinis Christi participes effectos. » *Isidorus Pelus.* (1) accurate distinguit sacerdotium generale omnium fidelium, et « sacerdotium speciale eorum, qui per ordinationem ius consecuti sunt offerendi sacrificium incruentum. » *S. Ambrosius* (2) inquit: « Sequimur (Principem sacerdotum) ut possumus sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio; quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; imo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo (consecrationis scilicet) sanctificat sacrificium, quod offertur. » *S. Hieronymus* adv. Pelag. (3) ait: « Sic docuit Apostolos suos (Christus), ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audiant loqui: Pater noster etc. » Et lib. adv. Vigilantium, sacrarum reliquiarum contemptorem ironice perstringit cap. 4: « Male ergo (si tua sententia vera sit) facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli ossa veneranda, secundum te pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum arbitratur altaria; idque non solum unius urbis, sed totius orbis faciunt Episcopi. » *S. Augustinus* (4) inquit: « Iesus Christus sacerdos est ipse offerens, ipse et oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium. » Et ibidem(5): « Perrexit unus (ex presbyteris), obtulit sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio; Deo protinus miserante cessavit. » Tract.adv. Iudaeos n. 13 ut ostenderet, etiam post abolita sacrificia Iudaeorum, sacrificia ubique offerri, citat vaticinium Malachiae I, 11 et addit: « Quid ad haec respondetis? Aperite oculos tandem et videte, ab oriente sole usque ad occidentem non in uno, sicut vobis constitutum erat, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum, non cuilibet Deo, sed ei qui ista praedixit, Deo Israël... nec secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. » Et c. Faustum (6) dicit: « Unde iam Christiani peracti eiusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi. » *S. Leo M.* Serm. 8 de pascha ait: « Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio » (7).

3. Saeculo sexto et sequentibus *S. Fulgentius* de fide ad Petr. (8) dicit: « Firmissime tene et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum, Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis; cui cum Patre et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, a Patriarchis, Prophetis et Sacerdotibus tempore V. T. animalia sacrificabantur, et cui nunc, id est, tempore novi Testamenti, cum Patre et Spiritu sancto sacrificium panis et vini in fide et charitate sancta catholica Ecclesia per universum orbem terrae offerre non cessat. » *S. Isidorus Hisp.* (9) haec habet: « Sacrificium, quod a Christianis Deo offertur, primum Christus Dominus noster instituit, quando

(1) Lib. 3 Epist. ep. 75. (2) In Ps. 38, n. 25.
(3) Lib. 3. (4) De civ. Dei, l. 10, c. 20.
(5) Lib. 20, c. 8, n. 18 (6) L. 20, c. 8, n. 18.
(7) Cf. Epist. 81 ad Dioscorum
(8) Cap. 19, seu regula 16.
(9) Lib. 1 de offic. cap. 18.

commendavit Apostolis corpus et sanguinem suum, priusquam traderetur... Hoc sacrificium Christianis celebrari praeceptum est, relictis ac finitis Iudaicis victimis, quae in servitute veteris populi celebrari imperatae sunt. » *S. Gregorius M.* (1) dicit: « Debemus quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius et sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur; tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem Unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus iungi, unumque ex visibilibus et invisibilibus fieri? » — *S. Io. Damascenus* (2) scribit: « Abrahamum ex alienigenarum strage redeuntem ille summi Dei sacerdos Melchisedech pane ac vino excepit. Mensa illa mystica m hanc adumbrabat, quemadmodum et sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram et imaginem praeseferebat. *Tu enim*, inquit, *es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Panem hunc panes propositionis adumbrabant. Hoc videlicet est purum et incruentum sacrificium, quod Dominus a solis ortu usque ad occasum oblatum iri per Prophetam praedixit. »

Nota. Lutherus evidentia rei coactus fuit fateri totam antiquitatem sibi adversari. Hinc in lib. de missa privata scribit: « Hic non moramur, si clamitent Papistae usque ad ravim: Ecclesia, Ecclesia! Patres, Patres! quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus; scimus enim, Prophetas lapsos esse, atque Apostolos. Verbo Christi iudicamus Ecclesiam, Apostolos atque ipsos Angelos. » Et lib. de captiv. babyl. ait: « Si nihil habetur, quod dicatur (id est, qua Patrum auctoritati satis fiat), tutius est omnia negare, quam missam sacrificium esse concedere. » Quis non exhorreat impudentis hominis fastum, qui verbum Christi se melius intelligere putat, quam praestantissimi Doctores, suumque privatum iudicium totius antiquitatis consensui praeponit? — Modestius procedere videntur *Calvinus*, *Chemnitius* et alii Protestantes, qui dicunt, missam a Patribus vocari sacrificium ob preces et eleemosynas, quae in missa a fidelibus fiebant; tum etiam quia consecratio et distributio eucharistiae est quaedam actio sacra: tum denique, quia missa est commemoratio quaedam et repraesentatio veri sacrificii in cruce semel peracti. At inanem et pravam esse hanc Patrum expositionem ex eo patet, quia Patres de eucharistia loquentes passim has voces usurpant, *sacrificium*, *oblatio*, *immolatio*, *hostia*, *victima*; quia requirunt *altaria* ad celebrandam eucharistiam, quae non eriguntur nisi ratione sacrificii, quia ministros, qui eucharistiam offerunt, vocant *sacerdotes*, quali nomine non omnes insigniuntur, qui alias sacras

(1) Lib. 4 dial. cap. 58.

(2) Lib. 4 de fide, c. 14.

actiones suscipiunt; quia saepe dicunt, Christum ipsum sub speciebus panis et vini sacrificare, et sic figuram Melchisedechi implere; et quia oblationi, quae fit in eucharistia, cultum latriae adscribunt, qui soli Deo exhiberi potest. Caeterum moderatiores Protestantes ipsimet fassi sunt, negari non posse, quod iuxta Patrum doctrinam in eucharistia verum et proprie dictum sacrificium offeratur; inter quos eminent *Leibnitius* et *Io. Ernest. Grabius* (1).

B. *Ex Liturgiis, Conciliis et praescriptione.*

§ 624. 1. Ad ostendendam perpetuam Ecclesiae fidem aptiora magisque opportuna documenta esse non possunt, quam eiusdem antiquissimi libri euchologici, liturgici, et rituales, in quibus modus praescribitur sacrificium eucharistiae offerendi. Porro eucharistiae oblationem verum esse novae legis sacrificium, demonstrant vetustissimae *Liturgiae latinae*. Sacramentarium *Gelasianum* in vigilia Theophaniae haec habet: «Tribue, quaesumus, Domine, ut eum praesentibus immolemus sacrificiis, quem venturae solemnitatis pia munera praeloquuntur. » Similia inveniuntur in sacramentariis *Leoniano*, *Gregoriano*, in missali *Gothico* edito per Thomassinum, et in antiquissimo Francorum apud Muratorium (2). In Liturgia Ecclesiae *Hierosolymitanae* S. Iacobo adscripta sacerdos orat: « Domine, qui visitasti nos in misericordia... ac indignis servis tuis concessisti, ut confidentes accederemus ad sanctum altare tuum, et offerremus tibi verendum hoc et incruentum sacrificium pro peccatis nostris etc. — Placeat tibi, Domine, ut nos ministri simus tui novi Testamenti ac sacrificii immaculatorum tuorum mysteriorum etc. » In Liturgia coptica *S. Basilii* haec occurrunt: « Filii tui dispensationem nobis exhibuisti, et sacrum ritum istius sacrificii incruenti; nec enim illud est sanguis legalis ac iustitiae corporeae, sed agnus est spiritualis gladiusque rationalis et incorporeus in hoc sacrificio, quod tibi offerimus. » In Liturgia *S. Chrysostomi* Sacerdos orat: « Fac nos dignos offerendo tibi preces et hostiam incruentam pro universo populo tuo... Offerimus tibi rationabile et incruentum sacrificium... Propter infinitam clementiam tuam inconvertibiliter et inalterabiliter homo factus es, et Pontifex noster extitisti, et mysterii huius ac incruentae hostiae sacramentum nobis tradidisti, ut omnium Deus... Tu enim es, qui offers et offereris, assumis et distribueris. » In eadem fide convenire omnes Liturgias Orientales et Occidentales invicte probarunt *Le Brun* in explicatione missae (3), *Renaudotius* Liturg. Orient. (4), *Muratorius* Liturgia vetus romana, Io. Al. *Assemanus* Codex liturgicus universae Ecclesiae, *Martenius* et alii.

2. Concilium *Nicaenum I* can. 18 vetat, ne diaconi eucharistiam presbyteris porrigere praesumant, quia *nec canon nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Christi:* ergo presbyteris potestatem adiudicat offerendi corpus Christi seu sacrificandi. *Ephesinum* in declaratione Anathematismi 11 haec habet: *Sanctum ac vivificum incruentumque in Ecclesia sacrificium peragimus: corpus, quod proponitur, similiter et pretiosum sanguinem.... credentes esse proprium corpus effectum, et sanguinem etiam Verbi, quod omnia*

(1) Cf. Perrone de euch. n. 270, etc. (2) Diss. de rebus liturg. cap. 16. (3) Tom. 3, diss. 12, art. 1. (4) Diss. 1.

vivificat: ubi habes et sacrificii nomen, et rem nomine expressam, nempe corpus et sanguinem Christi incruento modo oblatum. In *Concilio Chalcedonensi*, nemine Patrum reclamante, ab Ischyrione eucharistia vocatur (1), *terribile et incruentum sacrificium*, quod *offerri et celebrari* non permiserit avaritia Dioscori nimio pretio frumenta distrahentis. *Carthaginense III* (2) cap. 24 ordinat, *ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum: nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis et frumentis. Toletanum X* (al. XII) (3) can. 5 necessarium declarat, ut sacerdos de sacrificio, quod offert, participet, dicens: *Toties illi vero et singulari sacrificio participandum est, quoties corporis et sanguinis D. N. J. Christi immolatio facta fuerit. Nam ecce Apostolus dicit: Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sanguinis... Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur? Trullanum* can. 32 dicit: quod *S. Chrysostomus aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet ex pretioso et honorando nostri Redemptoris sanguine. Lateranense IV* cap. 1 definivit: *Una est fidelium universalis Ecclesia... in qua idem ipse sacerdos et sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur. Constantiense* damnavit Sess. VIII sequentem articulum Wicleffi n. 4: « Non est fundatum in Evangelio, quod Christus missam ordinaverit. » *Conc. Tridentinum* Sess. XXII, cap. 1 declarat, quod Christus *in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicuti hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur... Corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit.* Conformiter ad hanc doctrinam definit, can. 1: *Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.* Et can. 2: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.* Graeci *in Conc. CPtano* an. 1672 profitentur can. 2 et 3: *In eucharistiae sacramento... totum credimus esse Christum, qui et offert et offertur, et integer a singulis impassibiliter manducatur. Idem vero sacramentum cultus Dei est; nam et cultu Deo competente Christi Salvatoris deificatum corpus adoratur in illo, et pro fidelibus Christianis omnibus tum vivis tum defunctis ceu hostia immolatur.* Et in *Synodo Hierosolymitana* eiusdem anni dicunt, in eucharistia *verum ac propitiatorium*

(1) Act. 3. (2) An. 397. (3) An. 681.

esse sacrificium, quod pro fidelibus omnibus tum vivis tum defunctis, nec non et pro utilitate omnium offertur.

3. Accedit *argumentum praescriptionis.* Nam idem est consensus omnium Ecclesiarum non apud Latinos tantum, sed etiam apud Graecos omnesque haereticorum sectas, quae mature iam a vera Ecclesia avulsae et per orientem diffusae sunt. Omnes, quotquot ante saeculum decimum sextum in orbe extiterunt christianorum societates, aras habuerunt, in quibus immolarent, et sacerdotes, qui sacrificabant, et liturgias, quae ritum offerendi et immolandi continebant. Ipsi Protestantes non negant, eucharistiam seu coenam sacram semper a Christianis fuisse celebratam. Sed eadem certitudine constat, semper creditum fuisse, in eucharistia verum et proprie dictum sacrificium offerri, quod ex argumentis iam allatis patet. Aut ostendant adversarii, quandonam haec fides inceperit, et missa ut N. T. sacrificium introducta fuerit? — Nihil solidi hac in re proferre valent, in dicto tempore determinando incassum laborant, et per vetustissima monumenta plenissime confutantur. Recte ideo *Io. Ernest. Grabius* (1) cum candide fassus esset, Patres apostolicos s. eucharistiam pro novae legis sacrificio agnovisse, atque hanc non privatam particularis Ecclesiae vel Doctoris, sed publicam universalis Ecclesiae doctrinam et praxin fuisse, quam illa ab Apostolis, et Apostoli ab ipso Christo edocti acceperant, demum his verbis notatu dignis concludit: « Utinam, quoniam plures doctores Protestantes cognoverunt circa hoc punctum veram doctrinam Ecclesiae apostolicae, et errorem Lutheri et Calvini, omnes convenire possent ad resolutionem reddendi Maiestati divinae hunc supremum honorem, qui ei debetur, et ad hoc restituerent usum sacrarum liturgiarum, quas male reiecerunt, et in quibus modus patet, quo Deo offerri debet hoc sanctum sacrificium. »

(1) Ad lib. 4 S. Irenaei adv. haer. c. 17 al. 32.

ARTICULUS III.

Doctrina reliqua de missae sacrificio.

§ 625. Ex dictis patet, in eucharistia verum et proprie dictum sacrificium offerri, quod communiter missa appellatur. Circa praestantissimum hoc sacrificium variae quaestiones solvendae supersunt. Quaeritur enim: *In qua actione essentia sacrificii missae consistat? quem in finem, cui, a quo* et *pro quibus hoc sacrificium offeratur?* ac demum *an licitae sint missae privatae*, seu missae illae, in quibus praeter sacerdotem nemo alius de sacrificio participat seu communionem percipit?

I. *De essentia sacrificii missae.*

§ 626. Sex sunt actiones, de quibus inter Catholicos controvertitur, an in ipsis consistat essentia sacrificii: *prima* est oblatio panis et vini ante consecrationem; *secunda* est consecratio ipsa; *tertia* est oblatio corporis et sanguinis Christi post consecrationem, dum dicitur: *Unde et memores... offerimus praeclarae Maiestati tuae* etc.; *quarta* est fractio et commixtio cum sanguine; *quinta* est communio sacerdotis, et *sexta* est distributio eucharistiae fidelibus facta. Iuxta communem autem theologorum sententiam in nulla harum actionum consistit essentia sacrificii, nisi in consecratione.

1. Essentia sacrificii missae *primo* non consistit in oblatione panis et vini ante consecrationem, tum quia non a Christo, sed ab Ecclesia est instituta; tum quia essentia sacrificii

missae consistere debet in oblatione et immutatione solius victimae sacrificii; atque panis et vinum non sunt victima sacrificii missae, sed solus Christus, ut dicit *Concilium Tridentinum: Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa* (1): dicta igitur oblatio non est nisi simplex praeparatio ad sacrificium, unde sacerdos mox post oblationem dicit: *Benedic hoc sacrificium, tuo sancto nomini praeparatum:* sed mera praeparatio ad sacrificium nec sacrificium dici potest, nec eius pars essentialis. *Secundo* essentia sacrificii non consistit in oblatione corporis et sanguinis Christi post consecrationem, tum quia Christus nullibi legitur eam oblationem adhibuisse, sed potius statim post verba consecrationis eucharistiam discipulis distribuisse; tum quia verba oblationis non dicuntur in persona Christi, sed ministri ac totius Ecclesiae, tum quia in hac oblatione nulla fit realis victimae mutatio, quae ad rationem sacrificii requiritur. *Tertio* essentia sacrificii non consistit in fractione panis et commixtione specierum; nam fractio panis est quidem immutativa specierum, sed non corporis Christi, nec versatur circa utramque speciem, cum tamen utraque species ingrediatur rationem sacrificii, et si casu hostia ante fractionem caderet in calicem, subsisteret sacrificium sine fractione. *Quarto* non consistit in communione sacerdotis; haec enim est participatio de sacrificio iam peracto, et praeterea actio sacrificativa est propria sacerdotis, communio autem non est talis actio, quia et laici communicant, et diaconi tanquam ministri extraordinarii eucharistiam distribuunt: ergo communio sacerdotis non constituit essentiam sacrificii, sed est duntaxat pars integrans ex praecepto divino ponenda: atque ideo Ecclesia vult, ut si contingat, celebrantem repentino morbo corripi ante sumptionem utriusque speciei, alius sacerdos etiam non ieiunus, si alter desit, utramque speciem sumat, sicque sacrificium perficiat. *Quinto* demum non consistit in communione fidelium, tum ex rationibus praecedentibus, tum quia eucharistiam sumens non agit in persona Christi nec aliquid offert, sed sibi et in propriam utilitatem recipit; tum quia *Tridentinum* (2) definit, missam esse validam et licitam, quamvis nulli distribuatur corpus Christi.

2. Si essentia sacrificii missae in praefatis actionibus non consistit, necessario sequitur, eam consistere *in consecratione*, per quam panis et vinum convertuntur in corpus et sanguinem Christi. Haec sententia auctoritate Patrum firmatur. *S. Iraeneus* (3) ait: « Christus dicendo: *Hoc est corpus meum*, docuit novam novi testamenti oblationem. » *S. Chrysostomus* (4) inquit: « Haec vox (*hoc est corpus meum*) semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo usque ad hodiernum tempus et usque ad adventum eius sacrificium perfectum efficit. » *S. Thomas* (5) dicit: « Sacerdotes teneri ad sacrificandum... principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius sacramenti sacrificium offertur; » et ib. (6): « Hoc sacramentum perficitur in consecratione hostiae, in qua sacrificium Deo offertur. » — Idem ratione theologica probatur. Nam essentia sacrificii missae

(1) Sess. 22, cap. 2. (2) Sess. 22, can. 8.
(3) Lib. 4 adv. haer. c. 17 al. 32.
(4) Hom. 1 de Prodit. Iudae, n. 6.
(5) 3 p., q. 82, art. 10. (6) Ad 1.

in ea actione consistit, quae fit in persona Christi, qui est principalis offerens (1), quam Christus adhibuit in institutione huius sacramenti; iussit enim fieri quod fecit; quae est repraesentativa passionis, quia ad id institutum est hoc sacrificium ; et in qua demum contingit victimae immutatio ad rationem sacrificii requisita. Atqui haec omnia in consecratione verificantur. Nam consecratio fit in persona Christi, cuius verbis ad eam perficiendam utitur Sacerdos; eandem Christus ipse adhibuit, ut ex evangeliis patet: ipsa est repraesentativa passionis Christi, quia separatio illa mystica, quae vi verborum fit, corporis et sanguinis Christi apte significat et repraesentat cruentam separationem sanguinis a corpore, quae in cruce peracta fuit. Ex eadem ratione per verba consecrationis satis fit hostiae immutatio, quae requiritur et sufficit ad sacrificium, non tantum per hoc, quod mystica fiat separatio corporis a sanguine, sed etiam quia Christus sub speciebus panis et vini ad cibum et potum ac ideo ad veram, realem et externam mutationem et destructionem ordinatur. Audiatur card. *Bellarminus* de eucharistia (2) ita disserens: « In consecratione eucharistiae tria fiunt, in quibus sacrificii veri et realis ratio consistit. Primum res profana fit sacra; panis enim, res alioquin terrena et communis, per consecrationem vertitur in corpus Christi, rem videlicet omnium sacratissimam. Secundo in consecratione res illa sacra ex profana effecta Deo offertur, dum in altari collocatur. Nam.... victimam in altari ponere est reipsa illam Deo offerre; et quia vi consecrationis fit, ut corpus Christi et sanguis incipiat reipsa esse super altare mediante nutu sacerdotis, ideo verbis consecrationis vera et solemnis oblatio celebratur. Tertio per consecrationem res, quae offertur, ad veram, realem et externam mutationem et destructionem ordinatur, quod erat necessarium ad rationem sacrificii. Nam per consecrationem corpus Christi accipit formam cibi, cibus autem ad comestionem, et per hoc ad mutationem et destructionem ordinatur. Neque obstat, quod corpus Christi nullam in se laesionem, neque esse suum naturale amittat, cum manducatur eucharistia; nam amittit esse sacramentale, et proinde desinit realiter esse in eucharistia. » Conformiter ad hanc explicationem cl. *Billuart* (3) ait: « Essentia sacrificii missae adaequate consistit in consecratione corporis et sanguinis cum ordine ad sumptionem tanquam ad partem integrantem. » Ita pariter cl. *Tournely* essentiam sacrificii missae reponit in consecratione, sed pro parte essentiali habet etiam consummationem victimae, quae fit per communionem sacramentalem sacerdotis sacrificantis; ait enim (4): « Sacrificium missae omnium perfectissimum est, ac holocaustum: in holocausto autem victima tota consumebatur ac destruebatur: nulla autem sacrificio missae consummatio ac perfecta destructio assignari potest praeter consumptionem, quae fit a sacerdote; quae ita necessaria semper iudicata fuit ab Ecclesia, ut si forte sacerdos ante consumptionem moriatur, vel alio modo a consumptione impediatur, oportet alium sacerdotem, etiamsi ieiunus non esset, illi succedere et sacrificium consummare. »

Nota 1. Ex dictis colligitur, quod ad essentiam sacrificii missae conse-

(1) C. Trid. Sess. 22, cap. 2.
(2) T. 3, controv. 3 de euchar. lib. 5, c. 27.
(3) De euchar. diss. 8, art. 2.
(4) Tr. de euchar. q. 8, art. 2, concl 4.

cratio utriusque speciei requiratur. Valide quidem una species sine altera consecratur, quia, prolatis his verbis: *Hoc est corpus meum*, statim adest corpus Christi sub speciebus panis; locutio enim est vera, et efficit quod significat; ideoque, consecrato pane et non calice, proponitur adorandum corpus Christi. Sed iure divino illicitum est consecrare unam speciem sine altera. Christus enim per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, praecepit, ut hoc sacramentum non conficiatur, nisi simul offeratur Deo sacrificium incruentum: quod docet *Conc. Tridentinum* (1) dicens: *Quod Christus Dominus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini obtulit Deo Patri, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis... ut offerrent praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia catholica intellexit* (2). Atqui sacrificium offerri nequit sine consecratione utriusque speciei. Nam de essentia huius sacrificii incruenti est, ut sanguis mystice separetur a corpore, sicut de ratione sacrificii cruenti crucis, cuius est repraesentatio, fuit, ut sanguis realiter separaretur a corpore: atqui haec separatio mystica fieri non potest, nisi quatenus vi verborum corpus tantum ponitur sub specie panis, et sanguis tantum sub specie vini; si enim solus panis consecraretur, sanguis esset cum corpore per concomitantiam et sic nulla fieret separatio. Necessario ergo et ex praecepto divino utraque semper species consecranda est; et ipse summus Pontifex dispensare non potest, ut in aliquo casu Sacerdos licite unam tantum speciem consecret; dispensationes vero quae a Pontificibus concessae dicuntur, plane fictitiae sunt. Neque obstat exemplum Christi in castello Emmaus solum panem consecrantis. Nam incertum est, an Christus tunc panem vere consecraverit cum nonnulli dicant, fuisse tantum panem benedictum, qui habebat vim illuminandi, quam habebat eucharistiam. Incertum pariter est, an Christus tunc vinum non consecraverit; id enim certo colligi non potest ex silentio evangelistae; non enim omnia, quae fecit Iesus, scriptis mandata esse, testatur Ioannes (3). Et esto, Christum in Emmaus panem, et solum panem consecrasse, nihil inde contra propositam sententiam infertur; id enim fecit Christus ex plenitudine potestatis ut sacramentorum et legis auctor.

(1) Sess. 22, can. 1. (2) Cf. can. 2.

Nota 2. Ex dictis pariter patet, intimam esse relationem sacrificii missae ad sacrificium crucis. Nam tam in cruce, quam in altari una eademque est hostia Iesus Christus, Deus-homo: ac porro tam in cruce, quam in altari idem est Sacerdos, rursus Iesus Christus, quia non suo, sed Christi nomine consecrat Sacerdos ex hominibus constitutus, Salvatoris ipsius ministerio fungens: atque sub hoc utroque respectu sacrificium missae cum sacrificio crucis identicum est: unde Tridentinum (4) ait: *Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Differt enim sacrificium missae a sacrificio crucis, quia 1° in cruce Christus oblatus est iuxta modum existendi naturalem; in altari offertur sacramentaliter sub velamine specierum panis et vini praesens; 2° in cruce oblatus est mortalis et passibilis, in altari offertur immortalis et impassibilis; 3° in cruce morte cruenta pro nobis mactatus est, in altari vero incruento

(3) Cap. 21, 2. (4) Sess. 22, cap. 2.

modo pro nobis immolatus sistitur; 4° in cruce solutum est pretium redemptionis nostrae, per missae sacrificium nobis communicatur.

II. *De fine seu effectibus sacrificii missae.*

§ 627. Missae sacrificium ad quadruplicem finem offertur, nempe ut Deo summus latriae cultus seu perfecta adoratio praestetur, ut ei pro acceptis beneficiis condigna gratiarum actio referatur, ut divinae iustitiae pro commissis peccatis satisfiat, remissio peccatorum et poenarum obtineatur, aliaque beneficia a divina bonitate impetrentur. Iuxta hunc quadruplicem finem, ad quem dirigitur, seu iuxta quatuor effectus, quos producit sacrificium missae, *latreuticum, eucharisticum, propitiatorium* et *impetratorium* dicitur; atque omni iure dici potest, per missae sacrificium nos omnia Deo dare, quae ipsi debemus, et omnia ab ipso obtinere, quibus indigemus.

1. Cum quodlibet sacrificium Deo ad recognoscendum supremum eius dominium offeratur (1), patet, quod ex natura sua *latreuticum* sit, seu in cultum latriae et summam Dei adorationem dirigatur. Hunc in finem omnia sacrificia V. T. offerebantur, praecipue vero *holocaustum*, in quo tota victima comburebatur. Eundem in finem etiam sacrificium missae offertur, neque dubitari potest, per istud Deum multo magis honorari, quam per omnia veteris legis sacrificia. In istis enim animalia aliaeque res terrenae offerebantur, et Sacerdotes offerentes meri homines erant variis infirmitatibus subiecti. Ast in missae sacrificio victima infiniti pretii, nempe ille idem est, cui vox de coelis dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (2): et Sacerdos infinitae est dignitatis, *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus* (3). Idcirco iam in V. T. praedictum est, per sacrificium N. T. summum Deo honorem deferendum esse; nam per Malach. dicitur: *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum* (4). Cuius rei ratio manifesta est. Nihil enim est, per quod magis divina Maiestas palam glorificata fuerit, quam per mortem Christi, qua nempe ipse Filius Dei in cruce pendens vitam profudit, ut manifestum fieret, infinitam esse Dei, summi boni, sanctissimi legislatoris atque iustissimi iudicis dignitatem, ita ut iniuriam ac offensam ei per peccatum illatam nonnisi satisfactio infinita auferre queat: nihilque simul est, quod Deo possit esse acceptius ac probatius. Ast eadem mors Christi in missae sacrificio repraesentatur et mystice renovatur: idem enim Filius Dei, qui in cruce pependit, in altare descendit, se externo et visibili modo humiliat, non solum splendorem divinitatis, sed etiam gloriam humanitatis abscondens, gladioque verborum iterato seipsum mystice immolat, ut summum aeterno Patri honorem deferat. Certe igitur per hoc sacrificium Deus infinite ideoque magis honoratur, quam per omnia V. T. sacrificia, magis quam per omnes Angelorum adorationes, magis quam per omnia bona iustorum opera, quae utcunque excellentia, tamen finita sunt.

2. Iam in periodo patriarchali frequenter pro acceptis beneficiis sacrificia in gratiarum actionem offerebantur, ut a *Noë* (5), ab *Abrahamo* (6),

(1) § 614. (2) Matth. 3, 17. (3) Hebr. 7, 26. (4) Cap. 1, 10. (5) Gen. 8, 20. (6) Gen. 15, 9, etc.; et Gen. 22, 13.

a *Melchisedecho* (1), a *Iacobo* (2) etc. In periodo mosaica *hostia pacifica* in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis offerebatur. In periodo christiana sacrificium habemus ab ipso Christo institutum, quod per excellentiam *eucharisticum* dicitur. Legitur enim, quod Christus hoc sacrificium instituens: *Accepit panem et gratias agens fregit* etc. (3); et: *Accipiens calicem gratias egit, et dedit illis* etc. (4). Quoniam autem idem fit in altari, quod Christus in ultima coena gessit, dubitari sane non potest, Christum in perenni sacrificio a se instituto divinae bonitati pro collatis redempto generi humano beneficiis continuo gratias agere, adeoque sacrificium istud vere *eucharisticum* esse. Ad quod Paulus respicere videtur, dum Col. III, 17 nos monet: *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum*, se in gratiarum actionem pro vobis continuo offerentem. Et iterum Ephes. V, 19 etc.: *Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo et Patri.* Sicuti ergo in nomine Christi gratiae petendae sunt, id est, per eius merita et interpellationem (5); ita etiam in nomine Christi, nempe per eius oblationem et gratiarum actionem, quam in altari perficit, grati animi obsequium praestandum est. Idcirco S. *Chrysostomus* (6) ait: « In tremendis mysteriis ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit... Ea oratio, qua Deo gratiae aguntur, utriusque communis est. Neque enim ipse solus gratias agit, sed plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id iuste ac digne fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur. » Et S. *Augustinus* (7) scribit: « Gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio novi Testamenti. » Hisce auctoritatibus penitus concordant liturgiae omnes tum veteres tum recentiores, graecae et latinae, in quibus clare exprimitur, sacrificium novi Testamenti in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis offerri, ut ex gr. in Praefatione liturgiae romanae canitur: *Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere...: per Christum Dominum nostrum.*

3. Sacrificia quovis tempore oblata fuerunt etiam ad Deum per peccata offensum placandum, et ad remissionem peccatorum et poenarum obtinendam; et respectu huius finis et effectus *propitiatoria* dicuntur. Iam in periodo patriarchali Iob (cap. I) pro singulis liberis holocausta obtulisse dicitur ad expianda eorum peccata: et cap. ult. amici Iob iubentur offerre holocaustum pro peccato suo, et Deum per istud placatum fuisse. In periodo mosaica plurimae hostiae pro peccatis offerebantur, et licet in se Deum placandi virtutem non haberent, quia tamen sacrificium in cruce offerendum praefigurabant, et fidem in Messiam excitabant, vere propitiatoria erant. In periodo christiana sacrificium missae est verum et proprium sacrificium, ut iam probatum fuit. Iam vero de ratione veri et proprii sacrificii est, ut Deum cui offertur, placet, reddatque propitium, ac ab eo impetret aut veniam pecca-

(1) Gen. 14, 1, etc. (2) Gen. 31, 54.
(3) I Cor. 11, 24. (4) Matth. 26, 27, etc.
(5) Io. 16, 23. (6) Hom. 18 in 2 Ep. ad Cor.
(7) Ep. 40 ad Honoratum, n. 48.

torum, aut poenarum remissionem : ergo etiam sacrificium missae vere propitiatorium est. Id ex ipsis verbis institutionis colligi potest; Christus enim ait: *Hic est sanguis meus..... qui pro multis effundetur* (*gr. funditur*) *in remissionem peccatorum* (1). Si autem verbis Christi credimus, cum ait, corpus suum tradi, sanguinem effundi, quod idem est ac offerri; cur non credamus, cum ait, illud tradi et effundi *in remissionem peccatorum?* Apostolus inquit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (2); quibus verbis describit Paulus munus sacerdotis generatim, ut inde colligat, Christum eodem modo assumptum fuisse et pro hominibus a Deo constitutum sacerdotem: sed Christus constitutus est a Deo *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech:* qua talis ergo etiam in altari perpetuo offert dona et sacrificia pro peccatis. His accedit, quod Christus etiam sacerdotes in Ecclesia sua constituerit: sed isti iuxta effatum Pauli ad offerendum dona et munera constituti sunt, nullum autem aliud sacrificium in nova lege datur, quam sacrificium missae: ergo necesse est, ut istud ab eis pro peccatis offeratur. Hanc perpetuam fuisse Ecclesiae fidem, *Ss. Patres, Liturgiae* et *Concilia* testantur. *S. Cyrillus Hier.* (3) inquit: « Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut et nobis et illis (defunctis) eum, qui est benignissimus, propitium reddamus. » *S. Ambrosius* (4) scribit: « Ante agnus offerebatur, offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. » *S. Chrysostomus* (5) de Christo in altaribus nostris oblato ait: « Eum, qui pro tota civitate et quid dico civitate? imo pro universa terra oratorem agit Deo supplicans, ut omnium peccatis sit propitius non vivorum tantum, sed et eorum, qui obierunt, qualem, quaeso, oportet esse? » — *S. Hieronymus* (6) dicit: « Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? » *S. Augustinus* (7): « Illis (V. T.) sacrificiis unum hoc sacrificium (eucharisticum) significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam. » Et in Enchir. (8) ait: « Cum ergo sacrificia altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis, etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt. » *S. Gregorius M.* (9) inquit: « Haec namque (carnis et sanguinis) singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter et incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis

(1) Matth. 26, 28. (2) Hebr. 5, 1.
(3) Catech. myst. 5, n. 10.
(4) Lib. 1 de offic. c. 48, n. 248.
(5) Lib. 6 de sacerd. n. 4.
(6) Comment. in Tit. 1, 8.
(7) Lib. 3 quaest. in Lev. q. 57
(8) Cap. 110, n. 29.
(9) Lib. 4 Dial. c. 58.

immolatur. » — Ex Liturgiis quoque patet, sacrificium missae iam antiquissimis temporibus ad placandum Deum, et ad remissionem peccatorum et poenarum obtinendam oblatum fuisse. Ita in liturgia antiquissima, quae *S. Iacobi Apostoli* nomine inscribitur, sacerdos orat: « Offerimus tibi verendum hoc et incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi. » In liturgia *S. Basilii* haec verba recitantur: « Dignos effici nos, qui puro corde... offeramus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra etc. » Et in illa *S. Chrysostomi* dicitur: « Idoneos nos redde ad offerenda tibi dona et sacrificia pro peccatis nostris et populi ignorantiis. » — Accedunt *Concilia: Braccarense III* (1) cap. 3 ait: *Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur quid de caetero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in oblatione sacrificii erratur? — Tridentinum* Sess. XXII, can. 3 definit: *Si quis dixerit missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* Doctrinam vero catholicam praeclare exponit idem *Concilium* in eadem sessione cap. 2 his verbis: *Docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.* Iuxta hanc igitur declarationem missae sacrificium non eodem sensu propitiatorium est, quo crucis sacrificium; neque nos eodem modo Deo reconciliat, ut sacramenta baptismi et poenitentiae. Nam sacrificium crucis meritorium fuit redemptionis seu remissionis peccatorum et gratiarum omnium, quae nobis conferuntur, et in eo meritum omne Christi Domini consummatum fuit; missae vero sacrificium Christus voluit esse veluti instrumentum, quo meritum passionis suae nobis applicaretur, uti applicatur per sacramenta aliaque salutis nostrae subsidia; seu, ut loquitur Concilium, *oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur.* Praeterea probe animadvertendum est, reatum culpae per sacramenta baptismi, et poenitentiae *immediate* remitti, per sacrificium autem missae *mediate* tantum, quatenus intuitu huius sacrificii Deus peccatori gratias elargitur, quibus ad poenitentiam movetur disponiturque ad sacramentum sive baptismi sive poenitentiae, per quod immediate remissionem culpae consequitur. Quemadmodum itaque sacrificium crucis *immediate* peccatores non iustificavit, sed placavit Deum impetravitque, ut per debita media peccatores ad salutem perducerentur: sic etiam sacrificium missae non iustificat homines immediate, sed impetrat, ut ex merito sacrificii crucis detur homi-

(1) An. 675

nibus gratia et donum poenitentiae. Imo iuxta doctrinam catholicam pii motus fidei, spei, contritionis etc. requiruntur, ut adstantes fructum ex sacrificio capiant. Inde patet, quam imperite et inique Protestantes cum Chemnitio dictitent, Catholicos credere per missae sacrificium, quia propitiatorium est, remissionem peccatorum haberi posse sine ullo labore, periculo, et absque sacramentis. Tales calumniae aut ex ignorantia doctrinae, aut ex spiritu mendacii oriuntur. — Denique notandum est, quod iuxta communem theologorum doctrinam sacrificium missae vim et efficaciam habeat impetrandi remissionem peccatorum *ex opere operato*, mediate quoad culpam, immediate quoad remissionem poenae temporalis, plus aut minus de poena relaxando iuxta minorem aut maiorem devotionem illius, a quo offertur. Ratio est quia in sacrificio missae Christus non solum est res oblata, sed etiam principalis offerens. Ergo sacrificium missae independenter a fide, probitate et merito sacerdotis secundarii offerentis, adeoque *ex opere operato* vim habet movendi Deum ad condonanda peccata, seu ad dandam gratiam, qua homo adiutus peccata sua rite detestetur, et ad remittendam poenam peccatis debitam. Quamvis autem de fide non sit, per sacrificium missae certo semper, seu certa lege poenam temporalem ex opere operato remitti, est tamen *certa* theologorum doctrina ex opere operato poenam eiusmodi per sacrificium remitti. Ideo Card. *Bona* de sacrif. missae (1) scribit: « Constans semper fuit Catholicorum sententia, habere hoc (sacrificium) infallibiles et determinatos effectus ex opere operato, nisi ille, pro quo offertur, obicem ponat, remissionem videlicet alicuius poenae peccatis iam remissis debitae, vel donum alicuius gratiae praevenientis ad obtinendam commissorum remissionem. »

4. Sacrificium missae etiam *impetratorium* est. Per illud enim *bona spiritualia* consequimur, tum quia sacrificium missae est applicativum meritorum sacrificii crucis, Christus autem in cruce bona quaecunque spiritualia nobis promeritus est; tum quia valet ad peccata remittenda, et ideo multo magis valere debet ad gratias pro virtutum augmento obtinendas. Nam, ait *Bellarminus:* « Si Deus hoc sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit; quanto facilius ob idem sacrificium adducetur, ut amicis (suis uberiores gratias elargiatur, imo et) *bona temporalia* tribuat, si eis utile fuerit (2)? » Etiam per vetera sacrificia, quae totidem erant sacrificii eucharistici figurae, temporales quoque gratiae impetrabantur. Sic David, ut luem a populo averteret, *obtulit holocausta et pacifica ..... et cohibita est plaga ab Israël* (3). Iudaei sacrificia offerebant pro vita Darii regis et liberorum eius (4). Onias hostiae salutaris oblatione pristinam sanitatem Heliodoro restituit (5). Quanto magis haec beneficia profluere debent e sacrificio N. T. quo non symbolice, sed vere ac realiter ipse bonorum omnium largitor, *mediator Dei et hominum Christus Iesus* immolatur, et in quo non solum in nomine Christi petimus, sed Christus nobiscum et pro nobis petit, merita sacrificii sui cruenti Patri ostendens et nobis applicans? — Idcirco iam priscis temporibus missae sacrificium offerri consuevit non solum ad spiritualia, sed etiam ad

(1) Cap. 1, § 3. (2) Lib. 2 de missa, c. 3. (3) II Reg. c. ult. v. 25. (4) I Esdr 6, 16. (5) II Mach. 3, 32, etc.

temporalia beneficia impetranda. *Tertullianus* (1) inquit: « Sacrificamus pro salute imperatoris. » *S. Cyrillus Hier.* (2) ait: « Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro omnium Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro aegrotis, pro afflictis, pro omnibus, qui egent auxilio. » *S. Chrysostomus* (3) in Acta Apost. meminit sacrificii peragendi morem « pro fructibus terrae aliisque necessitatibus. » *S. Augustinus* de civ. Dei (4) domum commemorat, quam vix oblatum sacrificium corporis Christi a vexatione daemonum liberavit. *S. Gregorius M.* Hom. in evang. (5) narrat, captivum in alia regione gementem et nescium, quid ab amicis suis alibi fieret, a vinculis ipsa sacrificii hora expeditum fuisse. Similia exempla referuntur a *V. Beda* lib. 4. hist. anglic. c. 22. — Accedunt liturgiae omnes antiquae, in quibus praecipue quidem oratur pro fide et iustitia, sed et simul pro pace, pro salute infirmorum, pro fructuum ubertate etc. Huic constanti traditioni insistens *Conc. Tridentinum* (6) definivit, incruentum sacrificium N. L. *pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere.* Dubitari autem non potest, per ultimam vocem generalem et indefinitam omnes veras necessitates spirituales et temporales intelligi.

Nota 1. Quaerunt theologi, an sacrificium missae infiniti, aut finiti valoris dicendum sit? — Ut haec quaestio dirimatur, valor sacrificii missae intrinsecus ab extrinseco seu ab eius effectu distingui debet. Valor sacrificii missae intrinsecus est infinitus; nam in missa eadem offertur victima, quae in ara crucis oblata est, idem sacerdos est, idem sacrificium, *sola offerendi ratione* diversum. Atqui victima in cruce oblata fuit infiniti valoris ac meriti, plenissime de se sufficiens ad innumerabiles homines redimendos: ergo in se eiusdem valoris est sacrificium missae. Valor autem missae extrinsecus, ex parte efficaciae et quoad applicationem consideratus, est finitus et determinatus. Sacrificium enim missae a Christo institutum est, ut per illud nobis applicetur virtus sacrificii in ara crucis modo cruento oblati: atqui sacrificium crucis, licet sufficientiam infiniti valoris habuerit, effectum tamen non habuit infinitum, quia non omnes salvantur, et qui salvantur finitas et suis dispositionibus conformes gratias recipiunt: « Christus nempe, ut ait cl. *Thomas ex Charmes* (7), in hoc sacrificio contentus, non operatur ut agens naturale, quod secundum totam virtutis suae latitudinem operatur, sed ut agens liberum, quod non operatur nisi quantum vult: atqui Christus non vult meritum passionis suae applicare secundum totam latitudinem virtutis suae, tum ut magis excitetur pietas fidelium, tum ut procuretur frequentior huius sacrificii celebratio, sine quo stare religio non potest. Ergo etc. Idem confirmatur tum ex praxi Ecclesiae, quae plures missas ad eandem rem impetrandam celebrari permittit; tum ex damnatione huius propositionis ab *Alexandro VII: Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et unicum sacrificium offerre;* quae pro-

(1) Lib. ad Scapulam, cap. 2.
(2) Catech. myst. 5. (3) Hom. 18 et 21.
(4) Lib. 22 de civ. Dei, c. 8, n. 6.
(5) Hom. 37. (6) Sess. 22. can. 3.
(7) Tr. de sacram. diss. 4, cap. 2, q. 5.

positio fundata est in hoc falso principio, quod nempe unicum sacrificium aeque prosit ac plura. » Haec omnia facilius intelliguntur, si attenditur, quod in religione christiana omnia ad finem hominis, et praesertim ad moralitatem promovendam sapientissime dirigantur (1), et quod hominis adulti, rationis capacis et liberi conatus requirantur, ut de fructibus sacrificii crucis participet, et efficaciam mediorum salutis experiatur (2).

Nota 2. Protestantes clamitant, sacrificium incruentum non posse propitiatorium esse, quia scriptum est Hebr. IX, 22: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* — Sed totus contextus attendendus est; Paulus enim ibi ait: *Et omnia pene in sanguine secundum legem* (mosaicam) *mundantur, et sine sanguinis* etc., ubi ad contradictionem vitandam necesse est, ut vox limitativa *pene* utramque versiculi partem afficiat. Sensus ergo est, secundum legem mosaicam fere semper per sanguinis effusionem remitti peccata; non negatur autem, etiam incruenta sacrificia propitiatoria esse posse, quale fuit sacrificium hirci emissarii. Dein etiam Catholici fatentur, peccata nobis remittenda non fore, si Christus sanguinem non effudisset; sed fructus huius sacrificii cruenti nobis etiam per sacrificium incruentum applicari possunt, sicuti, fatentibus adversariis, homo per baptismum iustificatur, in quo nulla sanguinis fit effusio. Praecipue vero Protestantes extollunt infinitam satisfactionem praestitam a Christo in cruce, aiuntque meritum huius cruenti sacrificii per doctrinam Catholicorum imminui, obscurari et opprimi. Verum futilis et iniqua est haec obiurgatio, quia Catholici non minus quam Protestantes pretium infinitum sacrificii cruenti agnoscunt, et tantum dicunt, illud per sacrificium incruentum nobis communicari, sicut nobis communicatur per baptismum et alia sacramenta. Recte ideo *Melchior Canus* Protestantibus reposuit: « Si agnus, qui tollit peccata mundi, sine adiutrice et socia causa ipse per se expiavit nostra delicta, baptisma tollatur, poenitentia absit, sacerdotia sileant, ministeria facessant, atque adeo omne salutis nostrae et sacramentum removeatur et instrumentum. Praeceptum illud vanum sit: *Baptizate in nomine* etc.; gratia illa vana: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc.; inanis sermo ille: *Poenitentiam agite* etc.; sit denique ille falsus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Quin etiam si ita libet, quia oravit pro nobis Christus, non oremus; quia ieiunavit, non ieiunemus; quia lacrymatus est, non ploremus... Sicut ergo compatimur, ut passionis eius participes simus, ita etiam offerimus, ut oblationis ipsius partem capiamus » (3). Denique Protestantes non negant, quod S. Scriptura dicit: Christum intercedere et semper vivere ad interpellandum pro nobis. Quodsi haec interpellatio Christi Patrem, ostendendo merita sua, nobis propitio reddentis, fructibus sacrificii cruenti non derogat, etiam sacrificium incruentum eos nec opprimit, nec obscurat.

III. *De obiecto sacrificii missae.*

§ 628. 1. Si quaeritur, cui sacrificium missae offeratur, omnes Catholici de fide sua rite instructi respondent, illud *soli Deo* offerri posse. Sacrificium enim est cultus latriae ad

(1) § 360. (2) § 378.

(3) V. Gazzaniga, de sacram. diss. 5 c. 9, num. 508.

protestationem supremi, quod Deus habet in omnes res creatas dominii: talis vero latriae cultus uni tantum Deo manifeste debetur, et sine sacrilegio naturae finitae praestari non potest. Idipsum semper Ecclesia quoque tenuit et docuit. Ideo S. *Augustinus* (1) ait: « Nec nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, sacrificia constituimus... Quis audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare... dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit. » Et ibid. (2) inquit: « Nec erigimus altaria in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostro: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. » Iuxta hanc perpetuam fidem in antiquissimis, sicut in recentioribus liturgiis oblationes, gratiarum actiones et orationes semper ad Deum ipsum diriguntur.

2. Recte tamen in missa commemoratio fit sanctorum. Nam si Ps. CL, v. 1 dicitur: *Laudate Dominum in Sanctis eius*, rectissime in missae sacrificio Deus ut exemplar, fons et auctor omnis sanctitatis laudatur, adoratur, ipsique gratiae aguntur pro donis spiritualibus, quibus servos suos vocavit, iustificavit et glorificavit; rectissime etiam Sancti ceu electi amici Dei, commemorantur, ut eorum exemplis ad pietatem excitemur, et eorum intercessionibus adiuvemur. Atque in hoc sensu missae in honorem sanctorum celebrari dicuntur. Antiquissimum esse hunc morem, Patres et Liturgiae testantur. *Tertullianus* (3) dicit: « Oblationes pro natalitiis (martyrum) annua die facimus. » *S. Cyrillus Hier.* (4) inquit: « Postea recordamur eorum quoque, qui obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. *S. Cyprianus* (5) scribit: «Laurentius et Ignatius... palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis (in gratiarum actionem) semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus. » *S. Augustinus* (6) ait: « Ad ipsam mensam non sic eos (martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus), sed magis ut ipsi (orent) pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus. » Et lib. 8 de civ. Dei (7) rationem, cur apud memorias sanctorum sacra celebrentur, hanc reddit, « ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium, ex illorum renovatione adhortemur. » In liturgia *S. Basilii* haec leguntur: « Nunc, Domine, ex praecepto Filii tui unigeniti communicamus memoriae Sanctorum tuorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum etc., quorum precibus et supplicationibus miserere nostrum omnium et libera nos propter nomen sanctum tuum, quod invocatum est super nos. » In liturgia *S. Chrysostomi* fit commemoratio « honorandi

(1) Lib. 8 de civ. Dei, c. 27, n. 1.
(2) Lib. 22, c. 10.
(3) Lib. de coron. milit. n. 3.
(4) Catech. myst. 5, n. 9. (5) Epist. 34, n. 4
(6) Tr. 84 in Ioan. n. 1. (7) C. 27, n. 1.

Prophetae, Praecursoris et Baptistae Ioannis, sanctorum, gloriosorum et percelebrium Apostolorum - Sancti illius, cuius est dies festus et omnium Sanctorum tuorum, quorum precibus protege nos, Deus.» Et infra: « Custodi vitam nostram, tutos fac gressus nostros precibus et supplicationibus gloriosae Deiparae et semper Virginis Mariae et omnium Sanctorum.» Huic antiquae fidei firmiter insistens *Conc. Tridentinum* Sess. XXII, cap. 3 declarat: *Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.* Et ibid. can. 5 definit: *Si quis dixerit, imposturam esse, missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.*

IV. *De ministro sacrificii missae.*

§ 629. Iuxta doctrinam revelationis triplicem sacrificii missae ministrum distinguere oportet, scilicet *Christum Dominum*, qui est principalis in missae sacrificio offerens, *Episcopos et Presbyteros*, qui vice Christi, vere tamen et proprie sacrificium missae peragunt, et *Ecclesiam discentem seu fideles*, qui non quidem per se et immediate, verum cum sacerdote et per sacerdotem eucharistiae sacrificium offerunt.

1. *Christum* principalem missae sacrificii ministrum esse, ex S. Scriptura patet. Vocatur enim Christus a Propheta et ab Apostolo: *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (1); cuius alia non potest assignari causa quam quod ipse per sacerdotes sacrificium a se semel in ara crucis oblatum usque ad consummationem saeculi in mensa eucharistiae iterat ac continuat. Ss. Patres iam § 623 citati disertis verbis tradunt, Christum in eucharistia esse hostiam et sacerdotem, uti nominatim *S. Cyprianus*, *S. Gregorius Nyss.*, *S. Ambrosius* et *S. Augustinus*, qui lib. 10 de civ. Dei c. 20 ait, de eucharistiae sacramento loquens: « Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. » Idipsum definiunt Concilia. *Lateranense IV* cap. 1 de eucharistia tractans declarat: *Idem ipse sacerdos, et sacrificium Iesus Christus.* Et *Tridentinum* Sess. XXII, cap. 2: *Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* Hoc idem ipsa rei natura necessario postulat. Ille enim absque dubio in hoc sacrificio principalis est minister, cuius omnipotente virtute transsubstantiatio fit, et panis in corpus, ac vinum in sanguinem convertitur, quia in hac ipsa consecratione essentia sacrificii consistit (2). Sed transsubstantiatio omnipotente dumtaxat Christi virtute fieri potest, et ideo eius nomine et verbis a sacerdote ut instrumento prolatis consecratio perficitur. Ergo Christus est principalis offerens.

2. Cum Christus visibili modo non amplius in terris ita existat, ut actiones suas externo et humano modo perficiat, necesse est, ut adsint, qui ministerio sacerdotali vices ipsius gerentes visibili modo fungantur. Tales ex divina institutione sunt illi, qui consecrandae eucharistiae potestatem habent, quia uno eodemque conse-

(1) Ps. 109, 5. — Hebr. 7, 17.

(2) § 626.

crationis actu et sacramentum conficitur, et offertur sacrificium. Sed eucharistiae sacramenti conficiendi ministri sunt sacerdotes, nempe Episcopi et Presbyteri, quod iam probatum fuit § 600, ergo iidem sunt etiam ministri secundarii sacrificii missae. Iisdem etiam competit facultas fructum sacrificii missae applicandi. Triplex autem sacrificii missae fructus distinguitur; nempe *generalis* qui toti Ecclesiae advenit et principaliter omnibus in canone missae expressis, *medius*, qui iis advenit, pro quibus sacerdos celebrare intendit, et *specialis* qui ipsi celebranti advenit, licet accepto stipendio pro aliis celebret. Certum iam est, sacerdotem de fructu generali non posse disponere, quia a Christo ipso, qui est principalis offerens, applicatur. Fructus autem medius ita a sacerdotis beneplacito pendet, ut possit illum cuilibet voluerit applicare, et pro applicatione stipendium accipere. Fructum autem specialem non potest sacerdos alteri applicare, quia talis fructus natura sua pertinet ad sacerdotem, sicuti fructus generalis pertinet ad Ecclesiam. Haec veritas auctoritate roboratur *Alexandri VII* qui sequentem damnavit propositionem: « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem. »

3. Cum sacerdos vices Christi agens, Ecclesiae atque fidelis populi, speciatim adstantium nomine sacrificium peragat, quorum vota et necessitates tanquam mediator Deum inter et homines Deo repraesentat: fideles quoque non quidem immediate, sed mediate, per sacerdotem scilicet, sacrificium offerre dicendi sunt. Ideo in Liturgia romana sacerdos dicit: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris... Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie... Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat...sacrificium laudis, quod tibi offerimus, vel quod tibi offerunt* etc. Quibus verbis sacerdos innuit, quod pro fidelibus sacrificium offerat, qui idcirco vota sua et preces cum ipso coniungere et per ipsum sacrificare tenentur. Idcirco fideles in sensu latiori et improprio *regale sacerdotium* dicuntur (1), ac eodem sensu *S. Irenaeus* (2) scribit: « Omnes iusti sacerdotalem habent ordinem; » *S. Hieronymus* Dial. adv. Lucif. n. 4 commemorat « sacerdotium laici; » *S. Petrus Damiani* (3), inquit: « Luce clarius constat, quia sacrificium, quod a sacerdote sacris altaribus superponitur, a cuncta Dei familia generaliter offertur; » et *Guericus* Abbas (4) ait: « Non solum sacerdos sacrificat, sed totus conventus fidelium, qui adsunt, cum illo sacrificant. »

Nota. Extiterunt Neoterici nonnulli, qui asserere non sunt veriti, etiam fideles laicos in missae sacrificio immediatos et proprie dictos offerentes esse, quia iuxta ipsos essentia sacrificii non in consecratione consistit, sed in sola consummatione seu participatione de victima; quae cum sit tam sacerdoti, quam populo communis, inferunt, communem ex aequo utrique esse actionem sacrificialem, adeoque utrosque eadem ratione esse offerentes, ac celebrantes. Sed qui ita sentiunt, a veritate longe aberrant. Iam enim probatum est (5) essentiam sacrificii in consecratione consistere: communionem vero populi ad essentiam sacrificii non spectare, declaravit *Con-*

(1) I Petr 2, 9.
(2) Lib. 4 haer. c. 8, n. 8.
(3) In opusc. Dominus vobiscum, cap. 8.
(4) Serm. de purific. (5) § 626.

cil. Tridentinum (1). Praeterea idem Concilium (2) definivit, ad offerendum corpus et sanguinem Christi Apostolos et Sacerdotes institutos esse. Quod si fideles essent proprie dicti offerentes, veri quoque essent sacerdotes, cum Hebr. V, 1, offerre sacrificia et munera proprium sit sacerdoti. Tribuere autem laicis sacerdotium proprie dictum, haereticum est, atque a Tridentino anathemate confixum (3).

V. *De subiecto sacrificii missae.*

§ 630. Ii omnes, in quorum gratiam sacrificium offerri potest, eiusdem appellantur subiectum: ad hoc autem tam *vivi*, quam et *defuncti* pertinent.

1. Certum imprimis est, pro catholicis cunctis viventibus *tum iustis tum peccatoribus*, missam licite offerri. Cum enim sacerdos divinitus sit constitutus, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*, iam patet, ab eo tanquam mediatore Deum inter et homines pro fidelibus non tantum iustis, sed etiam peccatoribus offerendum esse sacrificium, quod idcirco etiam propitiatorium est. — Non licet autem *directe ac nominatim* pro infidelibus, pro haereticis, pro schismaticis, ac praesertim pro excommunicatis non toleratis missam offerre, quoniam id prohibetur *ab Innocentio III* cap. *A nobis* de sentent. excomm. — Id vero non impedit, quominus indirecte saltem id fiat. Reapse hac ratione sacerdotem in sacrificii oblatione precari, manifestum est. In eo namque perficiendo, cum ille orat pro totius mundi salute, pro Ecclesia pacificanda, unienda et propaganda, cum petit a Deo Patre, ut ipsius nomen sanctificetur, et regnum adveniat, et voluntas fiat, dubitandum non est, huiusmodi obsecrationes, quae in missa funduntur, ad eos *indirecte* et *implicite* referri, qui sunt extra Ecclesiam, ut gratiae divinae lumine perfusi Ecclesiam ipsam agnoscant, eiusque membra efficiantur. Imo si Ecclesiae leges et consuetudo non adversarentur, pro iis etiam, qui ab eo segregati sunt, fieri posset oblatio. Id patet ex ipsa natura missae, quae eadem est cum sacrificio crucis, in quo Christus non pro credentibus tantum, sed generatim pro omnibus mortuus est. Id patet exemplo veteris legis, in qua nedum pro electo populo, verum etiam pro ethnicis, quales erant *Darius* (4), *Spartiatae* (5), ac *Heliodorus* (6), victimae immolabantur. Id patet ex Apostolo, qui I Tim. II, 1 etc. vult, *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones fieri pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt;* et Hebr. V, 1 dicit, quod et in nova lege omnis Pontifex offerre tenetur *sacrificia pro peccatis*, nulla posita inter culpas fidelium et infidelium distinctione. Id denique patet ex praxi priorum Ecclesiae saeculorum, in quibus missae sacrificium pro fidelibus et infidelibus offerebatur. Id testatur *Tertullianus* (7) dicens: « Sacrificamus pro salute Imperatoris (gentilis). » *S. Chrysostomus* (8) ait, sacerdotem sacrificantem « pro universa terra oratorem agere Deoque supplicare, ut omnium peccatis sit propitius. » In antiquis porro liturgiis preces pro totius mundi salute, et pro omnium hominum peccatis continentur. Licitum ergo, imo aequum et salutare est, ut sacerdos sacrificans occulta intentione ac privatim pro infidelibus,

(1) Sess. 22, c. 6, can. 8. (2) Ibid. can. 2.
(3) Sess. 23, cap. 4, can. 1 et 8.
(4) II Esdr. 6, 10. (5) I Mach. 12, 11.
(6) II Mach. 3, 32.
(7) Lib. ad Scapul. c. 2.
(8) Lib. 6 de sacerd. n. 4.

haereticis et schismaticis oret, ut ipsi viam deserant erroris, ut convertantur et vivant. Sed ut recte et sapienter introducta Ecclesiae disciplina observetur, explicita et publica de illis mentio facienda non est, excepta feria sexta in Parasceve, ubi speciatim in missa praesanctificatorum a celebrante pro Iudaeis et Paganis, pro haereticis et schismaticis solemnes canuntur preces in commemorationem passionis Christi, qui sanguinem suum pretiosum ea ipsa die pro redemptione universi humani generis effudit.

2. Qui ex hac vita migrarunt, vel iam ad aeternam felicitatem pervenerunt, vel aeternis suppliciis in inferno addicti sunt, vel poenis purgatorii ad tempus torquentur. Certum est, quod pro beatis in coelo non offeratur sacrificium, ut est propitiatorium et satisfactorium, quia carent omni culpa et poena; neque ut impetratorium gloriae essentialis quia illam invariabiliter possident. Nonnullis autem theologis videtur, quod pro illis possit offerri ut impetratorium gloriae accidentalis, quia possunt acquirere novum gaudium, novam gloriam accidentalem, quae de facto illis accrescit ex eo, quod sacrificium in eorum memoriam offeratur Deo; per hoc enim significatur, illos multum aestimari: unde Ecclesia orat, *ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.* Alii autem contendunt, quod hoc non sit proprie impetrare pro sanctis, sed potius impetrare pro nobis gratiam, ut sanctos debito honore prosequamur, et ut nos suis precibus iuvent, quod docet *Tridentinum* Sess. XXII, cap. 3, sicut non oramus pro Deo, ut aliquid ipsi impetremus, dum quotidie dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, sed petimus gratiam, qua tum nos tum alii ipsum debite honoremus; unde ipsi honor quidam extrinsecus resultat (1). Certum pariter est, neque directe neque indirecte pro daemonibus et animabus damnatorum fas esse missam peragere. Daemones enim et damnati, ut inferius ostendetur, ita sunt a facie Dei repulsi, et immutabili decreto aeternis poenis addicti, ut nullam gratiam accipere nec ex tristissimo suo statu liberari possint. Ideo de fructibus sacrificii nullo modo participare possunt: quapropter Ecclesia nunquam pro illis aut oravit aut sacrificavit. *S. Augustinus* (2) ait: « Nulla sunt adiumenta mortuorum, » idest damnatorum. Et *Concilium Triburiense* (3), can. 31 inquit: *Si inventus fuerit quis furtum aut rapinam exercere, et in ipso diabolico actu mortem mereatur incurrere, nullus pro eo praesumat orare* etc. Quod si pro tali orare non licet, multo minus sacrificandum est. — Certum denique est, pro animabus in purgatorio detentis posse sacrificium missae pie et utiliter offerri. Id patet exemplo Iudae, qui *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans . . . . . sancta ergo et salubris est cogitatio et pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (4). Quod autem pie et religiose in veteri lege fieri potuit, cur aeque fieri non poterit in lege evangelica, quae veteris est perfectio? — Et si salutare est pro defunctis exorare, certe utilius et efficacius pro iisdem missae sacrificium erit. Idcirco Ecclesia semper pro defunctis sacrificium offerebat. Id testatur *Tertullianus* de cor. milit. (5) dicens: « Oblationes pro defunctis annua die facimus. » *Eusebius*

(1) V. Billuart de euchar. Diss. 8. art. 4.
(2) Enchir. c. 110, n. 29. (3) An. 895.
(4) II Mach. 12, 43, etc. (5) Cap. 3.

lib. 4 Vit. Const. M. (1) narrat, pro anima Constantini M. sacrificium eucharistiae fuisse oblatum. *S. Cyrillus Hier.* (2) ait: « Postea recordamur eorum quoque, qui obdormierunt, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima. » *S. Chrysostomus* (3) inquit: « Non frustra haec ab Apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverunt, hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. » *S. Augustinus* (4) dicit, pro matre sua sacrificium pretii nostri oblatum fuisse. Hinc *Conc. Tridentinum* Sess. XXII, cap. 2 docet, missae sacrificium *non solum pro fidelium vivorum peccatis..... sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Et can. 3 ait: *Si quis dixerit, missae sacrificium..... neque pro vivis neque pro defunctis... offerri debere; anathema sit.*

VI. *De missis privatis.*

§ 631. Nomine *missae privatae* Protestantes potissimum intelligunt tum illam, quae in privato loco, v. gr. in privato sacello aut oratorio celebratur, tum illam, in qua solus sacerdos communicat, quamvis in templo, atque etiam coram frequenti populo celebret. *Lutherus* ex praeconcepto errore suo, quod eucharistia non habeat rationem sacrificii, sed solum sacramenti, in libro *De abroganda missa privata* stulte debacchatur in eas missas, in quibus solus sacerdos participat, easque *solitarias, singulares, angulares* appellat, aliisque contumeliosis nominibus afficit. Eodem modo Lutheri et Calvini sectatores missas privatas, in quibus solus sacerdos communicat, ut inutiles non solum, sed et ut illicitas suggillare non cessarunt. Notandum vero est, quod proprie loquendo sacrificium privatum illud dici nequeat, quod offertur in gratiarum actionem pro beneficio publico, cuiusmodi est mors Christi, quodque a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus offertur: usus tamen invaluit, ut aliae missae *privatae*, aliae *publicae* et *solemnes* vocentur. Adversarii vero ideo missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut illicitas criminantur, quia putant, vel communionem populi ad sacrificii essentiam spectare, vel dispensationem sacramentalem adstantibus factam ex praecepto divino obligare. Falluntur autem, qui ita sentiunt. Nam *Concilium Tridentinum* Sess. XXII, can. 8 definivit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas non esse, neque abrogandas. Cuius dogmatis veritatem haud arduum est probare. Nam illicitae illae missae non sunt, ideoque nec abrogandae, in quibus *finis ille obtinetur, ad quem praecipue institutae sunt*, quaeque *non dissentiunt ab usu in tota antiquitate recepto, nec ullo Christi praecepto adversantur.* Tales autem esse missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, facile ostenditur.

1. Primarius et praecipuus finis sacrificii eucharistici manifeste est, Deo supremum cultum latriae exhibendi, eumque nobis propitiandi, Christifidelibus tum vivis tum defunctis gratiam, peccatorum veniam,

(1) Cap. 71. (2) Catech. myst. 5, n. 9.
(3) Hom. 3 in Ep. ad Phil. n. 4.
(4) Lib. 9 conf. c. 12, n. 32.

pacem ac requiem, omniaque alia bonorum genera impetrandi, atque pro collatis beneficiis gratias agendi (1). Haec autem omnia sacerdos praestat sacrificium offerendo independenter a communione populi sive sacramentali sive spirituali. In missae enim sacrificio actionem suam sacerdos non ut in concione ad plebem, neque ut in baptismo ad aliquem ex plebe, sed per modum efficacissimae orationis ad Deum dirigit: orationem autem etiam nemine praesente fieri posse, ne ipsi quidem Novatores ambigunt. Porro in missa utcunque privata non deest oblatio exterior, quae fit soli Deo in supremi eius dominii recognitionem, neque deest minister legitimus, quia sacerdos vice Christi actionem perficit, neque deest consecratio, in qua essentia sacrificii consistit, neque deest consummatio et destructio, quia sacerdos communionem percipit. Haec autem sunt essentiales veri et proprie dicti sacrificii conditiones, ut ex eius definitione liquet (2). Cuncta ergo in missa privata concurrunt, quae verum et proprie dictum sacrificium constituunt, quod ideo nec invalidum nec illicitum, sed Deo acceptum nobisque utile dicendum est. Recte ideo cl. *Leibnitzius* in suo system. theol. (3) scribit: « Cum iugis sacrificii tanta sit dignitas atque utilitas, receptum denique est, ut creberrime Deo offeratur pro fidelium necessitatibus, etiamsi non semper accederet dispensatio... Non ideo tamen honori divino aliquid detrahendum fuit, quia communicantes non semper habentur. Quare ex quo sanctissimum sacrificium in omnibus Ecclesiis quotidie celebrari laudatissima pietate institutum est, consequens fuit, ut sufficere iudicaretur perceptio offerentis sacerdotis; atque haec missarum, quas privatas vocant, origo est; quare fructu sane maximo privari Ecclesiam cum divini honoris detrimento aequum non est. »

2. Quamvis primis Ecclesiae temporibus fideles quotidie s. communionem perciperent, iste tamen fervor succedentibus saeculis decrevit, ita ut iam Patres saeculi quarti et quinti de neglecta seu nimis dilata communione lamentarentur, quin tamen sacerdotes idcirco a celebrando abstinerent. *S. Chrysostomus* Hom. in Ep. ad Ephes. (4) illos increpans, qui tantum in quadragesima participabant s. mysteria, inquit: « Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari; nemo est, qui participet. » Testatur ergo, quotidie offerri sacrificium, quamvis hinc inde contingat, ut praeter sacerdotem nemo sit, qui de sacrificio participet. Porro, ut observat *Benedictus XIV* (5), non eo progreditur S. Doctor, ut dicat, missam non esse quotidie celebrandam, quod quotidie adstantes non communicent. Ait quidem *S. Chrysostomus* frustra est etc.; sed vox *frustra* non ad sacrificium, sed ad communionem refertur, nec increpantur sacerdotes, qui sacrificium in honorem Dei et salutem populi offerunt, sed laici, qui ex vecordia communionem negligunt. *S. Ambrosius* (6) hortatur populum, ut in quadragesima die saltem dominica offerat et communicet: ibidem tamen omnes admonet, ut qui non fuerit legitime impeditus, quotidiano sacrificio intersit. Ergo sine communione populi missa Mediolani fiebat, et licita habebatur. *S. Augustinus* Ep. ad Ianuar. (7) docet, non esse ad salutem necessarium

(1) § 627. (2) § 614. (3) Pag. 292.
(4) Hom. 3, n. 4.
(5) Lib. 2 de sacrif. missae, c. 22, § 14.
(6) Serm. 34. (7) Ep. 54, n. 3.

ut fideles quotidie ad s. communionem accedant, cum tamen saepius testetur, quotidie sacrificium offerri, ut Ep. 98 ad Bonif. et de Civ. Dei lib. 22, c. 8, n. 6. — *Conc. Agathense* an. 506, can. 18 ait: *Saeculares, qui natale Domini, pascha et pentecosten non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur;* et nihilominus can. 21 praecipit, ut omnes die dominico missae intersint; et can. 47 statuit: *Missas die dominico a saecularibus totas teneri speciali ordinatione praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat. Conc. Toletanum XII* an. 681, cap. 5 graviter reprehendit quosdam sacerdotes, qui sacrificium offerentes non communicabant; dicit enim: *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse dignoscitur?* Quae verba satis aperte indicant, in eiusmodi sacrificio nullum omnino fuisse qui communicaret; et tamen Concilium non requirit, nisi ut sacerdos ipse communicet, ac proinde rata habet ea sacrificia, in quibus solus communicat sacerdos. Dein antiqua monumenta testantur, etiam prioribus saeculis missas non modo solemniter, sed privatim quoque celebratas fuisse, et quidem in locis et circumstantiis, in quibus vix credibile est, aliquem praeter sacerdotem offerentem communicasse. Nam *Marcellus* Pontifex s. mysteria fecit in domo Lucinae, *Gregorius Naz.* senior in domestico cubiculo, *S. Ambrosius* Romae in quadam domo trans Tyberim, *S. Paulinus Nol.* instante morte in altari ante lectulum suum parato (1), *S. Augustinus* (2) narrat, Presbyterum quemdam a se missum fuisse in domum rusticam, ut ibi offerret sacrificium ad fuganda spectra, et, hoc celebrato, malum quievisse. *S. Gregorius M.* (3) narrat, S. Cassium Narniensem Episcopum aliquando in Episcopii oratorio missam celebrasse, eoquod morbo impeditus ad Ecclesiam descendere non potuerit (4). Idem (5) Ioanni Syracusano Episcopo praecipit, ut in domo Venantii missas celebrari permittat. Cum hisce priscis moribus fidelium apprime consentit Ecclesiae catholicae doctrina. *Concilium* enim *Tridentinum* Sess. XXII, cap. 6 inquit: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat. Siquidem illae quoque missae vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.* Et can. 8 definit: *Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse adeoque abrogandas; anathema sit.*

3. Missae privatae nulli praecepto Christi adversantur. Tale enim praeceptum, quod illas illicitas redderet, neque ex scriptura, neque ex traditione probari potest. Protestantes ipsi, qui omnia ad S. Scripturae libellam expendenda esse volunt,

(1) Cf. Pellicia de Polit. Eccl. lib. 2, c. 10.
(2) Lib. 22 de Civ. Dei, c. 8.
(3) Lib. 4 Dial. c. 56.
(4) Cf. Hom. 37 in Evang. n. 9.
(5) Lib. 5 Epist. 43.

quam solam fidei nostrae regulam esse dicunt, frustra in tali praecepto inveniendo laborant. Aiunt quidem, Christum in ultima coena eucharistiam dispensasse, et Apostolis, ut idem facerent, praecepisse his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed haec verba non referuntur ad distributionem eucharistiae, sed ad facultatem, quam Christus dedit Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus eucharistiam conficiendi, ac propterea sacrificium offerendi, in quo praescripta fit commemoratio, cum mors Christi repraesentatur et mystice renovatur. Quod si adversarii contendant, citata verba referenda etiam esse ad distributionem, reponimus, hoc etiam dato, verba ea non continere nisi praeceptum affirmativum, cui parendum est, uti scholae loquuntur, pro tempore, loco et circumstantiis. Obligantur nempe Ecclesiae ministri etiam ad eucharistiam tribuendam fidelibus rite dispositis, dum illam deposcant; et obligantur etiam fideles, ut quandoque ad sacram Synaxin accedant. At praeceptum hoc nequaquam obligat populum sacrificio adstantem ad eucharistiae participationem, quoties illud conficitur. Secus duo contingerent absurda: primum illud est, quod eucharistia danda esset praesentibus licet indignis aut invitis: alterum in eo consistit, ut omnino praetermitti deberet sacrificium, si nunquam plebs vellet de oblatione sacramentaliter participare. Ad quod absurdum praecavendum grave praeceptum pro omnibus fidelibus adesse deberet eucharistiam percipiendi, quoties ea conficitur; quia enim ratio ex scriptura peti nequit hoc praeceptum ad aliquos tantum restringendi, ad omnes fideles extendi deberet. Sed Protestantes ipsi tale praeceptum non agnoscunt, quia ipsi quoque coenam celebrant, licet non omnes fideles communicent: implicite ergo confitentur, nullum praeceptum Christi violari, dum fideles eucharistiam, quae conficitur, non semper sacramentaliter percipiunt. — Multo minus ex eo, quia eucharistia *fractio panis* (1) *et participatio ac communicatio corporis et sanguinis Domini* (2) dicitur, inferri potest, in missa necessario aliis eucharistiam distribuendam esse: per istas enim denominationes solum declaratur, quid in eucharistiae distributione fiat, et quid illa operetur, non autem praeceptum proponitur: imo quamvis in missa solus sacerdos communicet, vera tamen fractio panis, et vera communicatio et participatio corporis et sanguinis Domini contingit. Denique Apostolus, dum Corinthios increpat dicens: *Convenientibus vobis in unum, iam non est dominicam coenam manducare; unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum* (3), per coenam dominicam non intelligit sacram eucharistiae perceptionem, sed convivia illa, quae vel praecedebant vel subsequebantur eucharisticam communionem, quaeque *agapae* dicebantur; ut constat ex *S. Chrysostomi, S. Augustini* et *Oecumenii* expositione, verum etiam ex ipsa orationis serie, in qua S. Paulus divites carpit, qui pauperes excludebant a participatione eorum, quae ipsi secum afferebant, quo fiebat, ut alii quidem esurirent, alii autem ebrii essent; quare concludebat: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis et confunditis eos, qui non habent?* Gravissime igitur aberrat *Chemnitius* putans, per ci-

(1) Act. 2, 42. (2) I Cor. 10. (3) I Cor. 11, 20.

tata verba Pauli missas, in quibus solus sacerdos communicat, seu, ut ait, suam coenam praesumit ad manducandum, illicitas declarari. Sicut autem in S. Scriptura non invenitur praeceptum Christi, quod missae privatae adversaretur, ita illud multo minus ex traditione repeti potest. Nunquam enim Ecclesia credidit, quod ex praecepto Christi in qualibet missa fidelibus s. communio dispensanda sit, et quod sine hac dispensatione missa illicita reddatur. Nam si hoc credidisset, sacerdotibus praecipere debuisset, ut sedulo ante oblationem indagent, num quis s. communionem percepturus sit, et sacerdotes reprehendere ac punire, sacrificium offerentes, quin alicui ex fidelibus s. communionem tribuerint. Sed de neutro vestigium quoddam in tota antiquitate invenitur. Ss. Patres quidem socordiam fidelium in recipienda communione increparunt, et variis motivis eos ad frequentandam communionem excitarunt, sed nunquam dixerunt, fideles ad frequentem communionem teneri, ne ipsa sacrificii celebratio illicita reddatur. Et concilia, quae omnibus inordinationibus, praecipue cultum divinum ac eucharistiam respicientibus, strenue se opposuerunt, nunquam tamen leguntur aut sacerdotes reprehendisse missas privatas celebrantes, aut populum obligasse, ut in quolibet sacrificio s. communionem percipiat. — Adversarii quidem contra nos citant canonem 10 (1) apostolicum, quo excommunicari iubentur ii, qui ingrediuntur Ecclesiam, *nec sacram eucharistiam percipiunt;* et canonem 2 *Conc. Antiocheni*, et decretum *Anacleti*, in quibus similia statuuntur. Sed notandum est, quod canones apostolici genuini non sint, quod etiam de decreto Anacleti dicendum est. Dein observant nonnulli theologi, citatum canonem et decretum solos clericos sacerdoti offerenti inservientes spectare, qui gravi lege ecclesiastica ad communionem obligabantur, quia illo tempore sine gravi scandalo ab ea abstinere non poterant. Denique attendendum est, citatum canonem apostolicum in versione corruptum esse; nam iuxta rectam versionem, quam exhibet *Io. Ger. Vossius*, ita sonat: « Quicunque fideles Ecclesias ingrediuntur et scripturas audiunt, neque apud preces et sanctam communionem permanent, eos, tanquam qui ordinis perturbationem inducunt, a communione arceri oportet: » ex quo ipse *Vossius* concludit: « Itaque sententia canonis erit, non ut quisque quoties adest, communicet, sed ne necdum peracta communione discedat. Nempe etiam illi, qui non communicant, ipsi remanere iubentur, usquedum alii, non clerici tantum, sed etiam laici perceperint panem sanctum. » Hunc ipsum ostendit esse sensum canonis secundi *Concilii Antiocheni*, qui, ut observat *Cotelerius*, idem est cum citato canone apostolico, sed in antiqua collectione eodem modo corruptus. Nonnulli ex Protestantibus etiam ad Graecos provocarunt, quos sine communicantibus missas non celebrare dictitarunt: sed id falsum esse, testatur *Allatius* de consensu Eccl. Occid. et Orient. (2) dicens: « Qui non credit, adeat ipsas Graecorum Ecclesias ubicunque terrarum constitutas; in omnibus sacerdotes ut plurimum, nulla interveniente communione, tum privatim tum publice celebrant. »

Nota 1. Protestantium errori non parum favet Synodus *Pistoriensis*, quae cum statuisset « victimae participationem esse partem sacrificio es-

(1) Al. 7. (2) Lib. 3, c. 15, n. 3.

sentialem, » subiungit, « non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte de ipsa victima spiritu illam recipiendo. » Quae propositio (n. 28) « quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritaliter de victima participant, et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus solo sacerdote communicante nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet, » *a Pio VI* in Constit. *Auctorem fidei* proscripta est *ut falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens*. Et sane doctrina *Conc. Pistoriensis* aperte adversatur doctrinae *Conc. Tridentini;* cum enim hoc definierit, non solum validas, sed et licitas esse missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, victimae participatio, seu populi communio ad sacrificii essentiam pertinere nequit. Ex quo, ait cl. *Perrone* (1), « colligitur, sive communio fiat in missa, sive extra missam ex praesanctificatis, rem non esse dogmaticam, sed plane disciplinarem, circa quam proinde Ecclesia ex potestate sibi a Christo concessa in administratione sacramentorum potest id statuere, quod magis opportunum e re esse iudicaverit. » Recte propterea ac sapienter *Benedictus XIV* in Encyclica *Certiores effecti* (2), ex occasione controversiae Cremensis, laudat quidem tanquam rem exemplo Christi commendatam, et eucharistiae institutioni atque ecclesiasticae disciplinae consentaneam, ut eucharistia administretur adstantibus, qui eam suscipere parati sunt; sed illud etiam monet, nihil nisi bene et rite ordinatum in Ecclesia esse debere; unde fit, ut si in quibusdam circumstantiis minime expedire arbitrentur Episcopi, eucharistiam in missa hoc vel illo altari celebranda ministrari adstantibus, non idcirco adversus Episcoporum iussa turbae sint excitandae. In rituali quidem romano legitur: *Communio populi statim post communionem sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quando ex rationabili causa post missam sit facienda, cum orationes, quae post communionem dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent:* unde non desunt theologi, qui eos culpae reos omnino pronunciant, qui, nulla habita ratione ritualis romani, sine gravi causa communionem extra missae sacrificium adstantibus ministrant. Rationabilis autem causa certe adest, si tanta sit communicantium multitudo, ut missa nimis longe protrahatur, et altera in eodem altari dicenda impediatur. Rationabilem causam etiam supplet iuxta declarationem Benedicti XIV contraria ordinatio Episcopi et longaeva consuetudo legitime introducta.

Nota 2. Novatores Ecclesiam catholicam criminarunt, eoquod missae sacrificium lingua latina celebret, quam populus non intelligit; ex quo fit, ut ex Scripturae lectionibus et orationibus nullam aedificationem nullumque fructum haurire queat. Perpetuo ideo clamarunt, in publico divino cultu non ignota, sed vernacula lingua utendum esse. Ast *Conc. Tridentinum* perniciosis huiusmodi innovationibus fortiter restitit, et Sess. XXII, cap. 8 declaravit: *Etsi missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est*

(1) De euch. n. 320.

(2) Data an. 1742

Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cuiusque Ecclesiae antiquo, et a sancta romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre, et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis, mandat S. Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent diebus praesertim dominicis et festivis. Et can. 9: *Si quis dixerit..... lingua tantum vulgari missam celebrari debere; anathema sit.* Merito igitur in Const. *Unigenitus* proscripta fuit propositio 86 Quesnelli, quae ita sonat: « Eripere simplici populo hoc solatium iungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei. » Merito pariter in Const. *Auctorem fidei* proscripta est « propositio Synodi (Pistoriensis n. 33), qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et alta voce proferendo. » Ex quibus Ecclesiae definitionibus facile colligitur, nec licitum nec expediens esse lingua tantum vulgari missam celebrare. Caeterum istae Ecclesiae definitiones antiquae Ecclesiae praxi consentaneae, et iustissimis ex causis conceptae sunt. Certum enim est, Ecclesiam in toto occidente ab ipso Apostolorum tempore in peragendis divinis mysteriis latina lingua semper usam esse absque variatione usque ad tempora Lutheri et Calvini, et adhucdum uti. Cuius rei invictissimum argumentum est, quod nullae apud nos nisi latinae dumtaxat liturgiae inveniantur, quamvis tot inter se diversis linguis populi catholici in occidente uterentur. Sic in Africa, praeterquam in Coloniis romanis punica lingua in usu erat, et latina lingua, teste *S. Augustino* (1), a populo africano non intelligebatur. Nihilominus tamen, ut ostendunt rei liturgicae scriptores, non solum catholici Afri, sed etiam Germani, Franci, Angli, Hispani, Sarmatae, Dani, Sueci et ii quoque, apud quos latina lingua vulgaris esse desierat, latine sacrificium offerebant. In Ecclesiis verò orientalibus adhuc celebratur missa aut lingua graeca antiqua, aut antiqua syriaca, coptica, armena etc., quamvis omnes linguae istae vulgares esse a pluribus saeculis desierint, ut ostendit *Renaudotius* (2). — Ex quibus apparet, maxime commendabilem esse Romanae Ecclesiae plenam sapientissimo consilio constantiam, retinendi conservandique usum latinae linguae praesertim in sacrificio missae. Praecipuae autem rationes, quae hanc praxin commendant, sunt sequentes: 1° In una eademque Ecclesia divina auctoritate pro omnibus hominibus totius orbis constituta conveniens omnino est, ut in sacris una etiam eademque ubivis lingua adhibeatur, et sic etiam unitas illa quodammodo designetur. Mediante hac una lingua etiam diversorum populorum Episcopi inter se communicare, et in declaranda doctrina revelata non solum quoad sensum, sed etiam quoad verba convenire possunt. Sublato vero in liturgia latinae linguae usu, eiusdem linguae notitia cum maximo tum

(1) Ep. 219 al. 261 ad Coelestin. et lib. 2 Retract. c. 3.

(2) Liturg. orient. collect. tom. 1, Dissert. de liturg. orient. origine et auctoritate, c. 6

scientiae tum pietatis detrimento negligeretur. 2° Ex eo, quod vulgares linguae firmiter constitutae non sint ac per singulas fere aetates mutationem subeant, ut quotidiana experientia docet; si liturgia vulgari lingua perageretur, vel risus in audientibus ob stili diversitatem excitaretur, vel liturgiae saepissime mutandae essent ob perpetuas linguae vernaculae vicissitudines, quod absque gravi periculo fieri non potest, ut patet ex versionibus, quas sectarii identidem dederunt, S. Scripturarum, in quibus errores suos obtruserunt. 3° Accedit, nullam linguam adeo vulgarem esse, ut in omnibus villis et pagis vernacula dici possit, cum in variis unius eiusdemque nationis regionibus variae dialecti esse soleant: unde, si liturgia ita celebranda esset, ut ab omnibus intelligeretur, tot deberent fieri versiones, quot sunt linguarum dialecti, cum saepe rustici linguam vulgarem iuxta grammaticas leges enuntiatam non intelligant: quot autem incommodis et inordinationibus talis praxis obnoxia esset? 4° Preces liturgicae etiamsi lingua vernacula prolatae, nisi probe explicentur, a rudioribus non recte intelligerentur ac ideo vilipenderentur, aut etiam abusibus et erroribus occasionem praeberent: ast si preces etiamsi latine prolatae cum reliquis caeremoniis iuxta mandatum *Concilii Tridentini* rite explicentur, fideles mentem suam cum sacerdote orante coniungere, et devotionis sensus optime excitare possunt, praesertim cum dictarum precum versiones habeantur. Ideo *Leibnitzius* in Syst. Theol. de lingua et caeremoniis Missae agens ait: « Constat, de his statuendi potestatem penes Ecclesiam esse, modo decor servetur, et eorum, quae submisse et lingua sacra dicuntur, notitia et interpretatio fideli populo non desit. Atque nunc certe nihil in eo genere desiderari potest, ex quo complures libelli vernaculi prodiere, in quibus canon missae et quidquid ad rem divinam pertinet, abunde explicatur. » 5° Disciplina Ecclesiae etiam exemplis firmatur. Nam in V.T. quamvis populus iudaicus post captivitatem babylonicam Syro-Chaldaice loqueretur, Psalmi tamen et Scripturae hebraice semper cantari et legi consueverunt, quem morem Hebraei etiam hodie in Synagogis observant. Quin et Romanis ea cura fuit conservandi in sacris sermonis antiquitatem; nam carmina saliorum vix a sacerdotibus suis intellecta, ut ait *Quintilianus* (1) numquam mutarunt, quia vetabat religio, et consecratis utendum erat. Ita pariter Ecclesia catholica et vetus et nova intellexit, quantum id valeret ad sacrarum rerum maiestatem, si non in ea lingua, quae passim per vicos et popinas auditur, sacra fierent, sed sacro quodam et a primis Ecclesiae fundatoribus tradito sermone. — Non obstant Ecclesiae disciplinae verba Apostoli: *Qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur* etc. (2), tum quia non de sacrorum celebratione, sed de iis, qui dono linguarum praediti erant, prolata sunt, tum quia in Ecclesia dantur pastores, qui interpretantur et explicant, quae a fidelibus non intelliguntur. Nulla denique contradictio datur inter *Conc. Tridentinum* et eos Romanos Pontifices, qui iustis de causis disciplinae universaliter receptae derogarunt, et missam in lingua vernacula recitari permiserunt. Nam Tridentinum edixit, quid caeteris paribus expediat: Romani Pontifices,

(1) Lib. I instit. c. 6.

(2) I Cor. 14, 13.

quid in nonnullis casibus aliter expediat fieri (1).

Nota 3. Tractationem de loco, tempore et caeremoniis missae remittimus ad theologiam moralem et pastoralem. Multi praeclare hac de re et praecipue de caeremoniis missae scripserunt, ut *Card. Bona* (2), C. *Bellarminus* (3), *Tournely* (4), cl. *Perrone* (5).

Usus doctrinae de praestantissimo eucharistiae sacrificio.

§ 632. 1. *Sinecessario fatemur*, ait *Conc. Trid.* (6), *nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur: satis etiam appareat omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.* Puritas conscientiae exigit, ut sacerdos celebrans a culpa mortali, cuius sibi conscius est, non solum per contritionem, sed, ut iubet Concilium, etiam per confessionem mundetur, ne horrendi sacrilegii reus constituatur. Et si sancti Doctores a saecularibus, ut frequentius ad S. Synaxin accedere possint, exigunt, ut ab affectu ad peccata venialia immunes sint; multo magis id a sacerdotibus quotidie SS. corpus Christi tractantibus et sumentibus postulandum est. Nam, ait *S. Chrysostomus* (7): « Cum (sacerdos) — horrendum illud sacrificium offerat et communem omnium Dominum assidue tractet, — quamnam ab illo puritatem, quam pietatem exigemus! Cogita, quales oporteat esse manus illas, qualem eam linguam, quae illa verba effundat, qua denique non puriorem, sanctioremque illam animam, quae tantum spiritum suscipiat? » — Ast praeter conscientiae puritatem magna quoque in missae celebratione reverentia et cordis devotione opus est. Qua de re *Card. Bona* (8) scribit: « Duplex est reverentia, interna et externa. Interna in timore et tremore, in humilitate et compunctione cordis consistit. Ad externam pertinent totius hominis compositio et gravitas, omniumque caeremoniarum ac praescriptorum rituum observantia. Quanta vero cura adhibenda sit, ut hoc augustissimum sacrificium omni veneratione ac reverentia celebretur, facile intelliget sacerdos, si ex una parte consideraverit, nullum opus sanctius ac divinius a Christi cultoribus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium: ex altera vero perpendat, *maledictum* vocari in Ss. Litteris, *qui facit opus Dei negligenter* (9). Quodsi regem allocuturus magno metu stat coram illo, nec audet oculos ab eo divertere: quanto maiori trepidatione, humilitate ac sollicitudine in conspectu divinae maiestatis adstare oportet tota mente in ipsum Deum intenta, qui non solum externum aspectum, sed intima etiam penetralia cordis intuetur? Quid turpius et poena dignius, quam quod peccator s. altari irreverenter assistat, ubi Sancti metuunt, pavent Angeli, tremunt Potestates, et supremi Spiritus faciem velant suam prae verecundia et confusione? Accedit nox ad lucem, infirmus ad Omnipotentem, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem; et non for-

(1) Cf. cl. Perrone de euchar. pars post. c. 4, prop. 1. (2) De reb. liturg.
(3) Lib. 2 de missa cap. 12-27.
(4) De euch. q. 8, art. 11-13.
(5) L. c. prop. 2 et 3.
(6) Decr. de observ. et evit. in celebr. missae. (7) De sacerd. lib. 6, n. 4.
(8) Tract. ascet. de missa c. 3 § 4.
(9) Ier. 48, 10.

midat, non contremiscit? — Sacerdos non debita reverentia et devotione celebrans saluberrimis huius sacrificii fructibus privatur, imo magnae culpae et scandali reus fit. Nam, ait *S. Alphonsus de Ligorio* (1): « Culpandus utique est haereticus, qui non credit, reipsa Iesum Christum inter sacrum praesentem esse; at magis culpandus est, qui cum credat, debitum tamen ei honorem non defert, ac eius praeterea incommodi causa est, ut qui sacro faciendo intersunt, non ea, quae tanti sacrificii maiestati debetur, reverentia et cultu mysteria prosequantur. Populus quidem iudaicus magna cum veneratione Iesum Christum excipere instituerat; simulac vero illum a sacerdotibus despectum vidit, et ipse eundem despectui habuit: idem apud nos contingere solet; quippe cum videat populus tanta cum negligentia et irreverentia sacra tractari, eadem venerari desistit. »

2. Si saluberrimos sacrificii missae effectus consideremus, maxima ad altare confidentia repleri et a Redemptore pro nobis immolato omnia bona sperare debemus (2). Sacerdotum porro officium est, ut de maxima sacrificii missae excellentia et de summa eius utilitate fideles instruant, eosque ad missam frequenter et devote audiendam continuo excitare satagant, quoniam per illam tum officia sua erga Deum implere, tum omnia bona a Deo impetrare possunt. Ideo *Conc. Trid.* loco cit. sacerdotibus praecipit ut *doceant populum, quis sit et a quo potissimum proveniat sanctissimi huius sacrificii tam pretiosus ac coelestis fructus.* Eadem de causa Sess. XXII, cap. 8 iisdem mandat, *ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quae in missa leguntur aliquid exponunt, atque inter caetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent diebus praesertim dominicis et festis.* Docendi sunt etiam fideles, quomodo ad altare adstantes passionis et mortis Christi memores esse debeant, tum quia sacrificium missae quoad essentiam cum sacrificio crucis unum est, tum quia caeremoniae passionem Christi repraesentant, tum quia fructuum sacrificii crucis participes redduntur. Monendi autem sunt, ne per negligentiam, indifferentiam aut irreverentiam iniurias illas renovent, quas Christus in cruce pendens pertulit.

3. Optima dispositio ad missam digne celebrandam vel audiendam est perfectus Dei amor, seu generale decretum se totum Deo impendendi, universam iustitiam explendi, sive quod idem est, omnem Dei voluntatem, quantum facultas nostra fert, per totam vitam exequendi. Sic enim homo se totum Deo dat, et quadam ratione ipsum, quod frequentat, sacrificium imitatur, quo Christus se totum Patri offert plenissime. Haec iam oblatio erit perfectissima, et in eiusmodi mente vis infiniti sacrificii nullum iam obicem inveniens se copiosissime exerit. Hinc in aureo de imitatione Christi libello (3) ita Christus ad missam celebrantem vel audientem loquens inducitur: « Sicut ego me ipsum expansis in cruce manibus et nudo corpore pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtuli, ita ut nihil in me remaneret, quin totum in sacrificium divinae placationis transiret; ita debes et tu teipsum mihi voluntarie in oblationem puram et sanctam quotidie in missa cum omnibus viribus et affectibus tuis, quanto intimius vales, offerre. Quid magis a te requiro, quam ut

(1) De praep. ad missam praef.

(2) § 627.

(3) Lib. 4, cap. 8

studeas mihi te ex integro resignare? —Quidquid praeter teipsum das, nihil curo, quia non quaero datum tuum, sed te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis praeter me; ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis te non oblato. Offer te mihi et da te totum pro Deo, et erit accepta oblatio. Ego me totum obtuli Patri pro te, dedi etiam totum corpus et sanguinem in cibum, ut totus tuus essem, et tu meus permaneres. Si autem in te ipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio. » Quapropter ad sacrificium digne celebrandum nihil maius aut efficacius conferre poterimus, quam ut nos totos una cum Christo Deo offeramus, idest, omnes affectus totamque voluntatem nostram cum divina omnino conformemus. Talis enim actus reliquos omnes complectitur et perfectus Dei amor est: cumque sacrificium ipsum ex sua natura sit summus et consummatus Christi in Patrem amor, utique ex parte nostra nihil tam apte, nihil tam propinque facere potest, quam similis amor. Et licet quandoque ad tantam spiritus generositatem eluctari nequeamus, res tamen tentanda erit, quantum poterimus. Si enim totum aliquando non dederimus, pro rata tamen oblationis nostrae nunquam non multum praestabimus, copiosam semper et conatus nostros singulis vicibus excedentem gratiarum mensuram capientes.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

§ 633. 1. Quamvis fideles renati in baptismo, roborati in confirmatione, et nutriti per eucharistiam vitam suam spiritualem non solum conservare, sed et perficere possent et deberent; attamen, quia libero arbitrio praediti manent, ac mundi scandalis, daemonis insidiis, et concupiscentiae illecebris expositi sunt, nisi quovis tempore vigilaverint et oraverint, facile intrant in tentationem, et non solum in venialia, sed etiam in mortalia peccata prolabuntur. Maxime autem lugenda esset istorum conditio, si nullum existeret remedium, quo perditam post baptismum innocentiam recuperare, et ope divina adiuti denuo eniti possint ad palmam. At Deus, qui dives est in misericordia, in hoc quoque deesse noluit humano generi, et ideo baptizatis quoque in peccata lapsis poenitentiam dedit tanquam secundam post naufragium tabulam. « Ut enim, ait *Catechismus rom.* (1), confracta navi unum vitae servandae perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere : ita post amissam baptismi innocentiam, nisi quis ad poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de eius salute desperandum est. » Pulcre etiam *Tertullianus* (2) inquit : « Pervicacissimus hostis nunquam malitiae suae otium facit, atque tunc maxime saevit, cum hominem sentit plane liberatum... Non scandalis, non tentationibus deficit. Haec igitur venena eius providens Deus, clausa licet innocentiae ianua et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat. Pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes : habes cui satisfacias, et quidem volentem. Ille est scilicet, ille est qui misericordiam mavult, quam sacrificium. »

2. Poenitentia quatenus est virtus,

(1) Cap. 5 de poenit. n. 1.

(2) Lib. de poenit. cap. 8.

etiam in V. T. extitit, et semper necessaria fuit ad hominem peccatorem Deo reconciliandum : *Fuit quidem*, ait *Concilium Tridentinum*, *Poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, et iustitiam assequendam necessaria* (1). Recte autem definitur poenitentia sub hoc respectu considerata: Virtus supernaturalis, qua homo movetur ad detestationem sui peccati, ad firmum melioris vitae propositum, ac ad sui vindictam in compensationem iniuriae Deo per peccatum illatae. Ast iam in hac virtutis poenitentiae notione a nobis dissentiunt Novatores. Duce enim *Luthero* poenitentiae nomine non aliud quiddam, quam emendationem vitae aut resipiscentiam significari contendunt ; et si qui videntur dolorem aliquem admittere et peccati detestationem, omnes tamen vindictam et poenas de peccatis sumendas quam maxime perhorrescunt. Nos autem dicimus, poenitentiam praeter erroris pristini cognitionem et mutationem propositi etiam dolorem animi continere et facti ipsius punitionem : hanc quippe notionem Ss. Scripturarum usus et omnium saeculorum consensus probant. Deus ipse Israëlitis dicit: *Convertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio et in fletu et in planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (2). Iob ait: *Idcirco ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere* (3). Sap. V, 3 impii *dicent intra se poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes*. Christus quoque apud Matth. inquit: *Si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent* (4). Et ibid. *Viri Ninivitae... poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae* (5). Quam aspera autem et quam dura fuerit Ninivitarum poenitentia, describit Ionas cap. III, nempe *in ieiunio, sacco et cinere*. Eandem poenitentiae notionem Patres tradunt. *Tertullianus* (6) scribit: « Poenitentiam passionem esse norunt, quae venit ex offensa sententiae prioris; » unde ait, prodere illam se precibus, lacrymis ac carnis maceratione, et subdit: « De ipso enim habitu et victu mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus deiicere, illa quae peccavit, tristi retractatione mutare, ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire ad Dominum Deum dies noctesque, presbyteris adgeniculari, omnibus fratribus legationis suae preces adiungere. » *S. Cyprianus* (7) ait: « Si quem de tuis charum mortalitatis exitu perdidisses ingemisceres dolenter et fleres: facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto indicia moeroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, et ipsa ambulans funus tuum portare coepisti, et non acriter plangis, iugiter ingemiscis ? non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis ? Ecce peiora adhuc peccandi vulnera, ecce maiora delicta, peccasse nec satisfacere, deliquisse, nec delicta deflere. » *Lactantius* (8) habet: « Nec tamen deficiat aliquis, aut de seipso desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus ad iniustitiae viam lapsus est. Potest enim reduci et liberari, si eum poeniteat actorum, et ad meliora conversus sa-

(1) Sess. 14, cap. 1. (2) Ioël 2, 12, etc.
(3) Cap. 42, 6. (4) Matth. 11, 21.
(5) Matth. 12, 41. (6) Lib. de poenit. cap. 12.
(7) Tract. de lapsis. (8) Lib. 6 Instit. c. 24.

tisfaciat Deo. » Et cum notasset, graecam vocem μετάνοιαν posse latine *resipiscentiam* dici, ita subdit: « Resipiscit enim et mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiae, confirmat animum suum ad melius vivendum; tum illud ipsum maxime cavet, ne in eosdem laqueos inducatur. » *S. Ambrosius* (1) inquit: « Plena est definitio poenitentiae, commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata sua veluti quodam quotidiani sermonis flagello castiget, et commissa sibi flagitia condemnet. » *S. Augustinus* (2) ita loquitur: « Non sufficit ad poenitentiam mores in melius mutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis. » *S. Gregorius M.* (3) haec habet: « Poenitentiam agere est perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. » *S. Isidorus Hisp.* (4) dicit: « Ille poenitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet et deflendo, quod possit. » *S. Thomas* (5) docet: « Poenitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei. Emendatio autem offensae contra aliquem commissae non fit per solam cessationem offensae, sed exigitur ulterius quaedam recompensatio, quae habet locum in offensis in alterum commissis. » Imo non solum a Patribus, sed ab ipsis ethnicis sententia Novatorum erroris arguitur, nam illi quoque anteactae vitae criminum detestatione et punitione poenitentiam consistere iudicarunt. Noti sunt versus *Ovidii* l. 1 de Ponto Ep. 1, v. 59:

« Poenitet, o! si quid miserorum creditur ulli; poenitet et facto torqueor ipse meo. » *Ausonius* Epigram. 11 sic poenitentiam loquentem inducit: « Sum Dea, quae facti, non factique exigo poenas: Nempe ut poeniteat; sic Metanoea vocor. » Nec aliam notionem de poenitentia habuit Tullius, qui l. 4 Tusculan. scribit: « Alexandrum regem vidimus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit; tanta vis fuit poenitendi. » Ipsa sana ratio doctrinae catholicae suffragatur. Nam poenitentia non tam specialis virtus, quam potius omnium virtutum neglectarum aut officiorum laesorum reparatio est; ad praeterita igitur refertur, et non innocenti, sed peccatori competit. Sed ad propositum recte vivendi, seu peccata vitandi et bona opera perficiendi, etiam innocens tenetur: ad plura ergo peccator obligatur, nempe ad peccata commissa deflenda ac punienda: in hoc igitur poenitentia consistit, quae ideo *virtus* dicitur quia ad eius officia adimplenda fortitudine animi opus est. Quamobrem rectissime *Concilium Tridentinum* Sess. XIV, cap. 4 declarat, poenitentiam seu *contritionem non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere iuxta illud: Proiicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis; et facite vobis cor novum et spiritum novum* (6). *Et certe qui illos sanctorum clamores consideraverit: Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (7); *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum* (8); *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae* (9); *et alios huius generis, fa-*

(1) Cons. 1 in Ps. 37. (2) Serm. 351, n. 12.
(3) Hom. 34 in evang. n. 15.
(4) Lib 2 sent. cap. 13
(5) 3 p., q. 85, art. 3. (6) Ezech. 18.
(7) Ps. 50. (8) Ps. 6. (9) Is 38.

cile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum detestatione manasse. — Frustra nobis obiiciunt, quod in Scripturae locis ubi latine *poenitentia* dicitur, textu graeco μετάνοια, legatur, quae vox resipiscentiam tantum, seu consilii mutationem significat. Non negamus enim, resipiscentiam seu firmum propositum recte vivendi ad poenitentiae actus pertinere: frequenter autem rerum denominationes ex una earundem parte desumuntur. Caeterum etiam profani scriptores citatum nomen graecum pro dolore accipiunt et errati punitione, ut patet ex distico *Ausonii*, et aliis testimoniis, quae refert *Morinus* (1). Unde *Bellarminus* (2) arguit stultitiam doctorum illorum, qui potius grammaticos, quam theologos agentes, vocum significationes ex etymologia maluerunt ducere, quam ex Scripturae, et probatissimorum auctorum usu. Certum autem est, in Scripturis et ecclesiasticis scriptoribus dictam vocem graecam idem significare, quod nos per poenitentiam significari supra ostendimus, resipiscentiam nempe cum dolore animi et vindicta peccatorum coniunctam. Et sane, qui vere resipiscit, omnia efficacia implere debet, etiam quae sibi ratione praeteritorum peccatorum incumbunt.

3. Poenitentia in nova lege etiam *sacramentum* est, et passim a theologis definitur: *Sacramentum* a Christo Domino institutum quo per iuridicam sacerdotis absolutionem homini contrito et confesso remittuntur peccata post baptismum commissa. In qua definitione summa doctrinae catholicae circa poenitentiae sacramentum continetur. Dicitur 1° *sacramentum a Christo Domino institutum*, quae verba genus proximum exprimunt, in quo poenitentia cum reliquis N. L. sacramentis convenit. Dicitur 2° *quo per iuridicam sacerdotis absolutionem remittuntur peccata*, quibus verbis et minister et modus ministerii, et effectus sacramenti poenitentiae significatur: minister, nempe sacerdos, modus ministerii iuridicus, ex vera scilicet potestate peccata remittendi, non vero declarandi tantum, ea esse remissa: effectus denique, nempe remissio peccatorum, seu iustificatio peccatoris. Dicitur 3° *quo remittuntur peccata post baptismum commissa*, quae verba innuunt, solis baptizatis sacramentum poenitentiae dispensari posse, atque in ea dumtaxat peccata vim suam exserere, quae post baptismum patrata sunt; praecedentia enim per baptismum perfecte deleta et expuncta supponuntur. Dicitur 4° *quo remittuntur peccata homini contrito et confesso*, quibus verbis conditiones exprimuntur ad remissionem peccatorum obtinendam requisitae, scilicet contritio et confessio: contritio autem, sub quo nomine hic perfecta et imperfecta intelligitur, includit odium peccati, propositum melioris vitae, et satisfactionis persolvendae. In eadem definitione indigitatur sacramenti poenitentiae materia remota in peccatis post baptismum commissis, materia proxima in actibus poenitentis, et forma in absolutione sacerdotis.

4. Novatores saeculi XVI praeter illos, quia omnia respuebant sacramenta, omnium primi erant, qui veritatem sacramenti poenitentiae adorti sunt. Nam *Montanistae* et *Novatiani* potestatem quidem Ecclesiae remittendi peccata inique restrinxerunt, sed non penitus negarunt. Etiam *Waldenses*, *Wicleffitas* et *Hussitas* sacramentum poenitentiae non reiecis-

(1) Lib. 1, cap. 1.

(2) Lib. 1 de poenit. cap. 7.

se, ostendit cl. *Bossuet* de variat.(1). *Lutherus* itaque omnium primus contra huius sacramenti veritatem et existentiam vexillum erexit. Quamvis enim lib. de captiv. babyl., poenitentiam inter vera sacramenta reponere videatur, dum ait: « Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, poenitentia, panis; » in eiusdem tamen libri fine pro sua in rebus fidei inconstantia, quod ante affirmaverat, revocat scribens: « Si rigide loqui velimus, tantum duo sunt in Ecclesia Dei sacramenta, baptismus et panis... Nam poenitentiae sacramentum, quod ego his duobus accensui signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi, quam viam et reditum ad baptismum. » *Melanchthon*, magistro suo minime constantior, poenitentiam verum esse novae legis sacramentum modo asserit, modo negat. Negat id in locis commun. (2), asserit in apologia confessionis Augustanae; ibi enim poenitentiam sacramentum appellat, aitque, eam habere ritum divinitus institutum et gratiae promissionem, eamque cum baptismo et coena Domini coniungit, quae duo sunt omnium consensu sacramenta vere et proprie talia. *Calvinus* poenitentiam e sacramentorum albo diserte expungit velut manifeste superfluum ac a baptismo non distinctum, quum, ut ait(3) « per peccatum non deleatur baptismus, sed potius in memoriam revocandus sit peccatori, quoties de peccati remissione cogitat, ut illinc sese colligat animumque recipiat, et fidem confirmet, peccatorum remissionem se impetraturum, quae sibi in baptismo promissa sit. — Aptissime itaque dixeris, si baptismum vocaveris poenitentiae sacramentum, cum in confirmationem et fiduciae sigillum iis datum sit, qui poenitentiam meditantur. » Eandem sententiam tum Lutheri, tum Calvini sectatores amplexi sunt, ita ut in eo fere conveniant, poenitentiam non aliud esse, quam recordationem baptismi, nec illam ab isto distingui. Et sane nonnisi haec sententia cum ipsorum doctrina de sola fide iustificante cohaeret. Nam si sola fides iustificat, sacramenta non conferunt gratiam, nec delent peccata, sed solum fidem excitant, per quam efficitur, ut peccata non imputentur: sicut porro in eorum systemate unum est peccatum, nempe peccatum originale, cuius dumtaxat manifestationes seu formae particulares sunt peccata actualia, quodque cum hisce suis formis iugiter perseverat in homine; ita quoque fides una, quae per baptisma excitatur vel confirmatur, et deinde per eius recordationem restauratur, sufficit ad illa nobis non imputanda. Ex hoc intulerunt, poenitentiam non esse speciale sacramentum a baptismo distinctum, et per huius recordationem peccata post baptismum commissa eadem facilitate quoad culpam et poenam remitti ac illa, quae baptismum praecesserunt. Iisdem falsis principiis obcaecati nullam contritionem, nullum dolorem de peccatis commissis requisierunt, confessionem auricularem sustulerunt, satisfactionem non superfluam tantum, sed et satisfactioni a Christo praestitae iniuriosam dixerunt, atque indulgentias ut inutiles et absonas sugillarunt.

5. Doctrina catholica cui tot Protestantium errores adversantur, magna solertia pertractanda, et contra adversariorum cavillationes vindicanda est. Agitur profecto de re summi momenti, quoniam fidelibus

(1) P. 3 lib. 2. (2) An. 1522 editis. (3) Lib. 4 Instit. c. 19.

non utilissimum tantum, sed et perquam necessarium est, ut sciant, quid in gravia peccata lapsi, et gratia sanctificante privati agere debeant, ut Deo reconcilientur et viam salutis iterum ingredi possint. Ut autem doctrina catholica de sacramento poenitentiae debito modo et ordine tradatur, 1° *de existentia sacramenti poenitentiae*, 2° *de contritione*, 3° *de confessione*, 4° *de materia, forma et ministro, de subiecto et effectu huius sacramenti*, 5° *de satisfactione*, ac demum, 6° *de indulgentiis* disserendum est.

Nota. Quartum N. L. sacramentum variis nominibus insignitur. Apud Latinos pervulgatum est *poenitentiae* vocabulum, quod *S. Isidorus Hisp.* (1) deducit a poena, seu punitione. Apud Graecos idem plane significat μετάνοια quod apud Latinos poenitentia, quamvis etymologice resipiscentiam, seu mentis mutationem tantum exprimat. Graeci nomine *Exomologesis* frequenter utuntur, ut significent et confessionem et totam poenitentiae actionem : hincinde eadem vox etiam apud Latinos invenitur, sic *Tertullianus* (2) ait : « Exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est. » A Latinis nonnunquam poenitentia dicitur manus impositio, quia poenitentes frequentibus Episcopi et totius cleri manuum impositionibus in decursu poenitentiae subiacere consueverant, et etiam per solemnem et publicam manuum impositionem Ecclesiae reconciliari (3). — Poenitentia etiam nominatur *baptismus laboriosus*, vel *baptismus lacrymarum* a *Gregor. Naz.* (4), *Io. Damasceno* (5), et ab aliis. Vocatur quoque *secunda post naufragium tabula* a *Tertulliano* (6), a *S. Hieronymo* (7), a *Conc. Tridentino* Sess. VI, cap. 14, et Sess. XIV, can. 2. Dicitur denique *absolutio, confessio, reconciliatio, sacramentum reconciliationis*, quae nomina ex partibus poenitentiae, aut eius effectibus desumuntur.

(1) Lib. 6 Etym. (2) Lib. de poenit. c. 6.
(3) V. Conc. Carthag. 3, can. 32, et 4, can. 76.
(4) Orat. 29.
(5) Lib. 4 de fide, c. 9.
(6) De poenit. c. 4. (7) Ep. ad Demetriad.
(8) Rom. 3, 30. (9) § 376. (10) § 377.
(11) I Tim. 2, 5. (12) Col. 1, 14.
(13) Act. 4, 12.

ARTICULUS I.

De existentia sacramenti poenitentiae.

§ 634. Sicuti per peccatum Deus offenditur, ita solius Dei est peccata remittere. Dum enim peccatum remittitur, tollitur decretum infligendi poenam peccato respondentem, et concipitur decretum restituendi vel augendi gratiam: utrumque vero tale decretum a Deo ceu auctore principali dependet; unde Apostolus dicit : *Unus est Deus, qui iustificat...*(8). Homines autem sicut Deo infinito pro offensa illata satisfacere nequeunt, ita suis viribus relicti commissorum peccatorum remissionem promereri non possunt. Ast Filius Dei unigenitus, homo factus, pro offensis Deo ab hominibus illatis abunde satisfecit(9), et nobis remissionem peccatorum, gratias supernaturales, et aeternam beatitudinem promeruit (10). Igitur per merita Christi, et solummodo per merita Christi praescripto nobis modo applicata remissionem peccatorum accipere valemus; nam, *unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* (11): *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum* (12): *Et non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*(13). Quaeritur autem, quomodo nobis merita Christi applicanda sint, ut

remissionem peccatorum consequamur? Certum est, modum hunc a Deo dependere, seu a Christo dependere, *cui data est omnis potestas in coelo et in terra* (1), qui *est caput Ecclesiae* (2), et cui Deus Pater *omne iudicium dedit* (3). Certum pariter est, Christum, ut homines a peccato originali, et a peccatis ante ingressum in Ecclesiam commissis liberarentur, baptismum instituisse, ab hominibus administrandum. Quaeritur ergo, an non Christus simile medium instituerit, ut fideles etiam peccatorum post baptisma commissorum remissionem consequantur? Profecto, uti Pater voluit, ut nemini obtingeret remissio peccatorum, nisi cui applicata fuerint merita Filii, ita Filius velle potuit, ut nemini merita mortis suae applicarentur, nisi quos tali applicatione dignos constituti ab ipso vicarii iudicarent. Ergo fieri potuit, ut Apostoli et eorum successores acciperent potestatem, conscientia poenitentium rite discussa et statu morali eorum agnito, ex Christi auctoritate merita ipsius illis applicandi ad remissionem peccatorum. Quodsi talis institutio a Christo facta est, nemo dubitare potest, existere poenitentiae sacramentum, quia deinde per signa sensibus subiecta ex institutione Christi confertur gratia quam remissio peccatorum semper involvit (4). Tota ergo quaestio de existentia sacramenti poenitentiae ad hoc revocatur, an Christus reipsa Apostolis eorumque successoribus potestatem dederit, per sententiam iudicialem peccata remittendi? — Ast ex ipsa revelatione divina luculentissime constat, 1° *Christum potestatem clavium, seu potestatem remittendi peccata Ecclesiae tradidisse,* et quidem 2° *remittendi sine exceptione omnia peccata*, adeoque 3° *poenitentiam esse verum sacramentum, a baptismo distinctum.*

(1) Matth. 28, 18. (2) Col. 1, 18.
(3) Io. 5, 22. (4) § 462.

I. *Christus Ecclesiae potestatem remittendi peccata tradidit.*

§ 635. Christum Ecclesiae potestatem clavium, seu potestatem remittendi peccata tradidisse, ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, ex *praxi Ecclesiae et Conciliis* probatur.

1. *Ex S. Scriptura* constat, Christum veram remittendi peccata potestatem Apostolis iam ante mortem suam *promisisse*, et post resurrectionem suam clarissimis verbis *contulisse*. Nam Matth. XVI, 19 Christus Petro dicit: *Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Iam alibi (5) ostensum est, Christum per haec magnifica verba S. Petro primatum, seu supremam in tota Ecclesia potestatem iurisdictionis promisisse. Sed sub metaphora clavium etiam remittendi vel retinendi peccata, et sic aperiendi vel claudendi coelum potestas Petro et in eius persona toti Ecclesiae promittitur. Ita hunc locum intellexit *Tertullianus* in Scorpiaco cap. 10 scribens: « Si adhuc clausum putas coelum, memento claves eius hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse. » Matth. XVIII, 18 Christus eandem potestatem peccata remittendi omnibus Apostolis promittit dicens: *Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Amplissimam hic Christus Apostolis promittit potestatem tum ligandi homines

(5) Th. gen. § 230.

per leges, iudicia et poenas (1), tum illos solvendi, qui per leges latas, aut per praevaricationes commissas ligata sunt. Nam haec vox: *Solvere* in Ss. Bibliis frequenter significat liberare captivos a vinculis, ut Iob XXIX, 5; Ps. CI, 21; Ps. CIV, 20; Is. XIV, 17; Ier. XLV, 11 (Cf. v. 70). Dubitari vero non potest, Christum non de corporalibus, sed de spiritualibus vinculis solvendis loqui, quae per peccatum contrahuntur. Ideo citatis verbis Christi usi sunt olim Patres Africani anno 252 in Epistola synodica (inter Epist. S. Cypriani 54) ut decernerent, nulli lapso poenitentiam agenti pacem et communicationem denegandam esse. Eadem Christi verba de potestate iudiciaria Apostolis et Ecclesiae concessa exposuerunt *S. Hilarius* (2), *S. Chrysostomus* (3), *S. Augustinus* (4). Potestatem autem remittendi peccata, quam Christus Apostolis promiserat, de facto ipsis post resurrectionem suam contulit. Nam Io. XX, 19 legitur, Christum Apostolis apparuisse, et eis manus et latus ostendisse, et additur: *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis* (5): per quam repetitam salutationem Christus luculenter ostendit, se rem magni momenti Apostolis dicturum esse. Prosequitur deinde: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (6): quibus verbis Christus iam abiturus ex hoc mundo potestatem, quam iuxta voluntatem Patris ut caput visibile Ecclesiae exercuit, in Apostolis transtulit. Certum est autem, Christum potestatem remittendi peccata in terris habuisse et exercuisse. Christus enim paralytico dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* (7). Cum autem quidam de scribis intra se dicerent, Iesum blasphemasse, eos ita affatus est: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam* (8). Hic de vera remissione peccatorum a Christo concessa sermonem esse, dubitari nequit. Nam Christus accurate inter potestatem peccata remittendi et potestatem miracula patrandi discernit, atque illam huic opponit, ita ut ergo utraque una eademque esse prorsus non possit. Porro praesentes verba Christi de potestate peccata remittendi sensu proprio intelligunt, et Christus tantum abest, ut eos corrigat, ut potius sibi hanc potestatem revera datam esse, miraculo patrato demonstret. Aliud exemplum legitur Luc. VII, 47 etc., de muliere peccatrice, cui Christus peccata remisit; nam v. 48 dixit ad illam: *Remittuntur tibi peccata;* et cum simul accumbentes intra se dicerent: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Christus sententiam suam confirmans, *dixit ad mulierem: Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Christus ergo potestatem remittendi peccata in terris habuit et exercuit, eandemque Apostolis contulit dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Hanc fuisse mentem Christi ex iis, quae immediate sequuntur, liquido constat. Nam Io. XX, 22 subiungitur: *Haec cum dixisset, insufflavit* ostendens, se non quidem novam animam (9) producere, sed novam spiritualem potestatem ad aliorum vivi-

(1) Cf. Th. gen. § 225, etc.
(2) Com. in Matth. cap. 18.
(3) Lib. 3 de sacerd. n. 5. etc.
(4) Lib. 20 de civ. Dei, c. 9. (5) V. 21.
(6) V. 22. (7) Matth. 9, 2.
(8) Ib. v. 4, etc. (9) Gen. 2, 7.

ncationem conferre velle, *et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum;* v. 23, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quoniam nempe remissio peccatorum actus divinus est, opus omnino fuit, ut Apostoli *Spiritum sanctum*, seu virtutem Spiritus sancti acciperent. Verba ergo Christi hunc sensum habent: Eo fine Spiritum sanctum vobis largior, ut potestatem habeatis, peccata hominibus vere poenitentibus remittendi, sicut et iis retinendi, qui impoenitentes fuerint et indurati. Manifestissime ergo Christus Apostolos Iudices instituit, qui statu hominis moraliter discusso peccata vel auctoritate divina remittere, vel etiam retinere possunt. Quam potestatem Apostolos exercuisse exemplo Pauli probatur, qui incestuosum Corinthium tradidit satanae (1), contritum vero et resipiscentem absolvit dicens: *Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi* (2). Aperte hic sermo est de remissione culpae et poenae, illamque Paulus concessit *in persona Christi*, id est, auctoritate a Christo concessa. Ideo inquit: *Posuit in nobis verbum reconciliationis* (3), id est, ministerium reconciliationis. Nam vox hebraica et graeca, quae in Vulgata redditur per *verbum*, saepe in sensu stricto sumitur et quandoque in sensu lato et significat *rem, negotium, aliquid;* ut: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum* (4). *Videamus hoc verbum, quod factum est* (5). *Convenerunt videre de verbo hoc* (6). Paulus ergo citatis verbis testatur, non solum evangelii praedicationem, sed et negotium seu ministerium reconciliationis Apostolis a Christo concessum fuisse.

2. *Ss. Patres* unanimi consensu docent, Ecclesiae, nempe Episcopis et presbyteris, potestatem remittendi peccata traditam fuisse, ad quod probandum frequentissime ad verba Christi Io. XX, 21 etc. provocant. Ipse *Tertullianus*, in haeresin Montani lapsus, illam Ecclesiae potestatem restrinxit quidem, sed non negavit; imo fidem sui aevi contestatur, dum lib. de pudic. (7) Catholicum ita loquentem inducit: « Sed habet potestatem Ecclesia delicta (post baptismum patrata) sanandi. » *S Cyprianus* (8) ait: « Confiteantur singuli, quaeso vos, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et *remissio facta per sacerdotes* apud Deum grata est. » Et ad Cornel. de pace lapsis danda scribit: « Nec enim fas erit..... Ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de saeculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in coelis ligata essent, solvi autem possent illic, quae hic in Ecclesia prius solverentur » (9). *Firmilianus* Ep. ad Cyprian. n. 12 (10) haec habet: « Potestas peccatorum remittendorum Apostolis data est, et Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt. » *Origenes* (11) inquit: « Pontifice opus est, ut remissionem (laicus) accipere possit. » Et de oratione (12): « Habemus omnes potestatem remittendi peccata in nos commissa, ut manifestum est ex his: *Sic-*

(1) I Cor. 5, 5. (2) II Cor. 2, 10.
(3) II Cor. 5, 19. (4) Luc. 1, 37.
(5) Luc. 2, 15. (6) Act. 15, 6.
(7) Cap. 21. (8) Lib. de lapsis n. 20.
(9) Epis.. 54. (10) Inter Cyprianas Ep. 75
(11) Hom. 10 in Num. n. 1. (12) Cap. 28.

ut et nos dimittimus debitoribus nostris. - Sed is, in quem Iesus insufflavit, dimittit quae dimitteret Deus, et insanabilia peccata retinet ministrans, ut Prophetae ministrabant loquentes non sua, sed quae divinae erant voluntatis, sicut et ipse soli dimittendi potestatem habenti Deo. » *Lactantius* (1) ait: « Quia singuli quique coetus haereticorum se potissimum Christianos et suam esse catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram, in qua est religio, confessio et poenitentia, quae peccata et vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. » *S. Athanasius* Tract. in illud: euntes in pagum (2) ita loquitur: « Si nondum soluta sunt vincula tua, trade te ipsum discipulis Iesu; adsunt enim, qui nos solvant accepta ea a Salvatore potestate his verbis: *Quodcunque ligaveritis* etc., ac, *quorum remiseritis* etc. » *S. Basilius* lib. 5 c. Eunom. ita argumentatur: « Proprium Dei est, peccata remittere, Dominus autem flans in Apostolos dixit: *Accipite Spiritum sanctum; quorumcunque remiseritis peccata, eis remittuntur.* Itaque si nullius est remittere peccata, sicut sane nullius est, nisi solius Dei, remittit autem Spiritus sanctus per Apostolos: Deus ergo est Spiritus sanctus. » *S. Gregorius Naz.* Orat. in s. lumina (3) loquens de baptismo poenitentiae seu lacrymarum, ait: « Ipse quidem (nam hominem me esse fateor, fluxaeque et fragilis naturae) hunc quoque baptismum libenter amplector, eiusque datorem adoro, aliisque tribuo ac misericordiam erogo, ut misericordiam consequar. » Et cum Novatianos obiurgasset veniam peccatoribus denegantes (4), ita prosequitur: « At Novatus, inquis, persecutionis tempore lapsos non recepit. Quid hoc? Siquidem illi poenitentia minime ducebantur, optimo iure eos repulit (nam ne ipse quidem eos recipio, qui vel nullo modo vel non satis deprimuntur, nec patrato crimini parem vitae emendationem afferunt, cumque recipio, convenientem ipsis locum assigno) sin autem lacrymis confectos, haudquaquam istud imitabor. » *S. Gregorius Niss.* (5) dicit: « Episcopis per Petrum datam esse Clavim coelestium honorum; unde qui ab illis solvitur, solutus est, qui ab illis ligatur, vinculis invisibilibus constrictus est. » Et hom. in eos, qui alios acerbe iudicant, ait: « Si sacerdos aliquis existit, populique regendi munus sortitus est, privatorum casus commisereatur, memineritque se, quamvis dignitate praestet iis, quos gubernat et regit, naturam tamen eandem habere, ideoque posse aliquando fortasse in eosdem errores incidere. Quae cum Moyses non ignoraret... constituit, ut pro sacerdote vitulus immolaretur... quod autem tunc erat in carne vitulus, idem nunc est incorporea poenitentia incruentaque deprecatio. » *S. Hilarius* (6) ait: « Ad terrorem autem metus maximi, quo in praesens omnes continerentur, immobile severitatis apostolicae iudicium praemisit, ut quos in terris ligarint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, confessione videlicet veniam receperint in salutem, hi apostolicae conditione sententiae in coelis quoque aut soluti sint, aut ligati. » *S. Ambrosius* (7) inquit: « Dominus par ius et solvendi esse voluit et ligandi, qui

(1) Lib. 4 Instit. div. c. 3.
(2) Ed. Maurin. Paris, 1696, t. 2, p. 79.
(3) Orat. 39, n. 18. (4) N. 19.
(5) De Castig. t. 3, ed. Maur. p. 314.
(6) Comment. in Matth. c. 18, n. 8.
(7) Lib. 1 de poenit. c. 2, n. 7.

utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi ius non habet (ut se non habere dicunt Novatiani), nec ligandi habet. — Ecclesiae utrumque licet, haeresi utrumque non licet, ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quae veros sacerdotes habet: haeresis vindicare non potest, quae sacerdotes Dei non habet. » Et ibid. (1) ita Christum alloquitur: « Quod ego isti (Novatiani) possunt consortium tecum habere, qui claves regni coelorum non suspiciunt, negantes, quod peccata dimittere debeant? Quod quidem recte de se fatentur: non habent enim Petri haereditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discerpunt. Sed hoc improbe, quod etiam in Ecclesia donari posse peccata negant, cum Petro dictum sit: *Tibi dabo claves regni coelorum.* » Et iterum (2): « Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? unum in utroque mysterium est. Sed dicis: quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in poenitentia, nonne nomen Dei operatur? » Et l. 3 de Spir. S. (3) scribit: « Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris et Filii et Spiritus sancti nomine peccata dimittunt. Isti rogant, divinitas donat; humanum obsequium, sed munificentia supernae est potestatis. » *S. Pacianus* (4) ita loquitur: « Nunquam Deus non poenitenti comminaretur, nisi ignoscere poenitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est, sed et quod per sacerdotes facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit: *Quae ligaveritis in terris, ligata erunt et in coelis; et quaecunque solveritis in terris, soluta erunt et in coelis?* Cur hoc, si ligare hominibus et solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam Apostolis imperatum est. — Si ergo et lavacri et baptismatis potestas, maiorum longe charismatum ad Episcopos inde descendit, et ligandi quoque ius adfuit et solvendi. Quod et si nos ob nostra peccata temerarie vindicamus, Deus tamen ut sanctis et Apostolorum cathedram tenentibus non negabit. » Idem (5): « Sive baptizamus, sive ad poenitentiam cogimus, seu veniam poenitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. » *S. Chrysostomus* lib. 3 de Sacerd. n. 5 ita praeclare disserit: « (Sacerdotes), qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea quae in coelis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim istis dictum est: *Quaecumque ligaveritis in terra*, etc... Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum; hoc autem vinculum ipsam attingit animam coelosque transcendit: ac quaecunque inferne Sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnium coelestium potestatem? Nam *quorum*, inquit, re-

(1) Cap. 6. (2) Ibid. c. 8, n. 36, etc.
(3) Cap. 15. n. 137. (4) Ep. 3 ad Sympron. n. 7.
(5) Ibid. n. 6.

miseritis peccata, remittuntur, et quorum retinueritis, retenta sunt. Quae maior hac potestas fuerit? Omne iudicium dedit Pater Filio, videoque ipsum omne ipsis traditum a Filio esse. — Insania manifesta est, tantum principatum despicere, sine quo neque salutem neque promissa bona consequi possumus. — Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum Iudaeorum sacerdotibus licebat... Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt. — Neque enim tantum cum nos regenerant, sed et post regenerationem admissa peccata condonare possunt. » Et (1) in illud: *Vidi Dominum* inquit: « A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit coelum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur servum; et quidquid ille in inferioribus iudicarit, hoc iste in supernis comprobat. » *S. Hieronymus* (2) scribit: « Pro officio suo (presbyter et Episcopus), cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quique solvendus. » Et (3) ad Heliodor.: « Absit, ut de his quidquam sinistre loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus; qui claves regni coelorum habentes, quodammodo ante diem iudicii iudicant. » *S. Augustinus* (4) dicit: « Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare? Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiae, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in coelo. — Iudicet ergo seipsum homo, - veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: et tanquam bonus iam incipiens esse filius a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum. » Idem Ep. ad Honorat. (5): « An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est ulla potestas fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu et ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem, et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati? — Si autem ministri adsint, omnibus subvenitur; alii baptizantur, alii reconciliantur. » Et l. 2 de adult. coniug. (6): « Si a Catechumeno factum est (homicidium), baptismate abluitur; et si a baptizato, poenitentia et reconciliatione sanatur. » *S. Cyrillus Alex.* (7) inquit: « Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu sancto afflati homines duobus, ut arbitror, modis. Vel enim dignos ad baptismum vocant, vel prohibent et a gratia divina arcent eos, qui nondum digni sunt. Vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiae peccantes corripiunt, vel poenitentibus ignoscunt, sicut Paulus... fornicario illi Corinthio. » *S. Leo M.* (8) scribit: « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur ae-

(1) Hom. 5, n. 1. (2) Com. in Matth. 16, 19.
(3) Ep. 14, n. 7. (4) Serm. 351, c. 4, n. 8.
(5) Ep. 228, n. 8. (6) Cap. 16, n. 16.
(7) In Ioan. lib. 12, c. 1.
(8) Epist. 180, cap. 2 et 3.

ternae, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Iesus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. — Multum utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvantur. » *S. Petrus Chrysologus* (1) ita loquitur: Christus Apostolis « dedit potestatem remittendi peccata, qui insufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum et largitus est remissorem *Haec cum dixisset, insufflavit eis dicens: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ubi sunt qui per homines hominibus remitti peccata non posse, praescribunt? qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant? qui languoribus curam, vulneribus crudeli spiritu subtrahunt negantque medicinam? qui peccatoribus remittendi et redeundi desperatione impia resultant? Remittit Petrus peccata, et toto cum gaudio suscipit poenitentes, atque omnibus sacerdotibus hanc a Deo concessam amplectitur potestatem. » *S. Gregorius M.* (2) ait: « (Apostoli et eorum successores) principatum superni iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. » Et (3) addit: « Causae ergo pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est, quae culpa praecessit, atque quae sit poenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. » Haec testimonia ita clara sunt, ut de unanimi Ss. Patrum consensu dubitari nequeat.

3. *Fides constans Ecclesiae* de potestate remittendi peccata sibi a Christo concessa ex aliis quoque monumentis elucet. Ecclesia enim, ut testantur libri rituales et pontificales, presbyteris dum ordinantur, confert potestatem remittendi vel retinendi peccata, eadem adhibens verba, quae Christus ad Apostolos dixerat. Nam in Ecclesia Latina Episcopus manus imponens singulis ordinatis presbyteris dicit: *Accipe Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt, in nomine Patris* etc. Graeci autem eandem potestatem presbyteris concessam esse profitentur, dum (4) super poenitentiam agentes orant: *Unigenite Fili, - qui - in facies Apostolorum tuorum insufflasti dicens: Accipite* etc. *Tu, Domine, per sanctos Apostolos tuos sacerdotibus pro tempore in Ecclesia tua sancta repertis dimittendi peccata, et ligandi atque solvendi omne vinculum iniquitatis facultatem concessisti* etc. Accedit perpetua Ecclesiae sacramentum poenitentiae administrandi consuetudo, de qua omnes libri rituales sive occidentalium sive orientalium Ecclesiarum loquuntur; nec non ipsa praescriptio, dum post Christum et Apostolos nullum prorsus temporis momentum assignari possit, quo hoc sacramentum demum institutum fuisset. Nunquam enim contra novam talem institutionem reclamatum fuit; sed cum nonnulli in-

(1) Serm. 84 in Ioan. 20.
(2) Hom. 20 in Evang n. 4. (3) N. 5.
(4) Teste Goar Euchol. Ven. 1730, p. 528.

surrexerint, qui Ecclesiae potestatem restringere aut negare praesumerent, talis error ab Episcopis orthodoxis mox condemnatus fuit. Sic quamprimum *Montanus* in Phrygia clavium potestatem omnium primus imminuit, gravioribus criminibus aditum omnem veniae ac reconciliationis praecludens: ipsius errores Asiae minoris Episcopi continuo tanquam haereticos profligarunt, et Zephyrinus R. P. edictum contra Montanistas promulgavit, quo iussit moechis vere poenitentibus veniam concedere (1). *Novatiani* eidem errori inhaerentes, *Romae* in Concilio 60 Episcoporum anno 255, eodemque fere tempore in *Concilio Antiocheno* et *Carthaginensi* 42 Episcoporum damnati sunt. Huc etiam spectat tum praeceptum *Conc. Lateranensis IV* quotannis saltem semel proprio sacerdoti confitendi; tum damnatio *Waldensium* et *Wicleffitarum* potestatem absolvendi laicis iustis adiudicantium, sacerdotibus vero in peccato constitutis detrahentium, tum decretum *Eugenii IV* in quo de poenitentia dicitur: *Minister huius sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris.* — Huic constanti traditioni insistens *Conc Tridentinum* Sess. XIV, can. 3 definit: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt: non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem huius sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium; anathema sit.*

(1) V. Euseb. Hist. eccl. lib. 5, c. 16, n. 5.

Nota. Protestantes, ut contra argumenta tam firma errores suos tueri videantur, sequentia proferunt.

Obi. I. Christus neque Io. XX, 23, neque Matth. XVIII, 18 Apostolis potestatem clavium contulit, sed mandatum dedit praedicandi Evangelium, ac propterea denunciandi credentibus poenitentiam ac remissionem peccatorum, non credentibus vero aeternas poenas comminandi. Nam verba Christi Io. XX, 23 conveniunt cum illis, quae Matth. XXVIII, 18 et Marc. XVI, 15 etc. referuntur, et per haec declaranda sunt. Praecipue vero rem explanat Lucas XXIV, 47, qui sic Christum loquentem inducit: *Et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Unde *S. Augustinus* (2) utrumque textum Ioannis et Lucae simul coniungens adnotat, ea a S. Luca fuisse adiecta, quae Ioannes praetermisit.

Resp. Munus seu mandatum praedicandi Evangelium, quod Christus Apostolis Matth. XXVIII, Marc. XVI, Luc. XXIV, imposuit, confundi non debet cum altero munere remittendi peccata, quod Christus pariter iisdem contulit Io. XX; unum enim ab altero Evangelistae accurate secernunt. Matthaeus enim, Marcus et Lucas referunt, Christum priorem missionem contulisse *undecim* discipulis: ast S. Ioannes refert, alteram Christum decem discipulis, absente nempe Thoma, contulisse; subdit enim v. 24: *Thomas - non erat cum eis, quando venit Iesus.* Sicuti ergo verba citata diverso tempore prolata sunt, ita diversum plane munus a Christo Apostolis commissum exprimunt. Potestas ergo remittendorum peccatorum intelligi nequit de potestate praedicandi Evangelium; repugnat

(2) Lib. 3 de cons. Evang. cap. 25, n. 74.

enim talis interpretatio tum veritati litterae, a qua nonnisi gravissimis de causis recedendum est, tum constanti traditioni, in qua authentica Scripturae expositio continetur. Ex eadem porro interpretatione varia absurda sequuntur. Ea enim admissa in eadem sententia tum verbum *remittere*, tum verbum *retinere* in duplici sensu sumeretur; nam illud: *Quorum remiseritis peccata*, significaret: quibus praedicaveritis Evangelium et remissionem peccatorum; hoc vero: *remittuntur eis*, in sensu proprio significaret, peccata remissa esse propter praestitam fidem; et similiter illud: quorum *retinueritis*, significaret: quibus Evangelium non annuntiaveritis; et alterum: *retenta sunt*, peccata remissa non sunt propter fidei defectum. Deinde in hypothesi adversariorum Christus ipse sibi repugnaret, quum hic iudicio Apostolorum relinqueret, ut aliis Evangelium praedicarent, aliis non item; alibi autem eos ablegaret ad omnes gentes cum expresso mandato praedicandi Evangelium omni creaturae. *S. Augustinus* autem tantum docet, quomodo verba Christi, quae apud Lucam leguntur, digeri seu disponi possint cum iis, quae apud Ioannem leguntur; nullatenus vero asserit, de una eademque potestate intelligenda esse, quae occurrunt in istis Evangelistarum locis; aperte enim S. Doctor duplicem apparitionem et duplicem potestatem Apostolis concessam distinguit, et ideo loc. cit. dicit: « His item verbis possunt adiungi, quae Lucas tacet, dicit autem Ioannes..... His rursus adiungamus, quae Ioannes praetermisit, Lucas commemorat. »

Obi. II. Si verba citata ad peccata post baptismum commissa referuntur, Christus Apostolis eorumque successoribus potestatem concessit declarandi, peccata esse remissa, non vero actu iudiciali eos remittendi; nam multi etiam scholastici cum Magistro sententiarum (1) docuerunt, sacerdotalem absolutionem declarativam tantum esse peccati a Deo iam remissi.

Resp. Ecclesia a Christo potestatem accepit, non tantum dispositis in sacramento poenitentiae declarandi, peccata esse remissa, sed etiam vere et proprie illa remittendi. Nam Ecclesiae datae sunt in persona Petri claves regni coelorum (2); atqui claves non dantur ut declaretur ostium esse apertum, sed ut reipsa aperiatur. Recte etiam *Estius* (3) observat, *ligare* non esse idem ac declarare, seu ostendere ligatum, sed vere significare, quemdam in vincula coniicere; et ideo etiam per solvere non nudam declarationem, sed iudicialem absolutionem intelligendam esse. Dein Christus non dixit: quorum declaraveritis peccata esse remissa etc., sed: *quorum remiseritis* etc., vera scilicet et iuridica potestate. In hoc sensu proprio haec verba intelligenda esse, patet ex eo, quia Christus testatur, se eam Apostolis conferre auctoritatem, quam ipse a Patre acceperat, dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* At Christus vere et proprie remittebat peccata, non declarabat tantum ea esse remissa. De sola enim declaratione remissi peccati a Christo facta, dum diceret paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua* (4), pharisaei conqueri et obmurmurare non potuissent, cum olim a Propheta Nathan talem Davidi declarationem factam fuisse non ignorarent: eorum igitur scandalum et obmurmuratio locum et occasionem habuit ex na-

(1) Lib. 4 dist. 18. (2) Matth. 16, 19. (3) Ad Matth. 18 18. (4) Luc. 5.

tiva et omnibus cognita verbi huius, *remittere*, significatione, quam veram et propriam significationem tantum abest, ut Christus correxerit, ut potius confirmaverit restituta per miraculum paralytico sanitate. Ss. Patres quoque, ut ex adductis testimoniis patet, Ecclesiae veram remittendi peccata potestatem adscribunt. Aiunt enim, Deum ipsum esse, qui peccata sacerdotum ministerio indulgeat; sacerdotes claves regni coelorum tenere, et iudices in tribunali poenitentiae sedere, solvere peccatorum vincula, et ideo Angelis praestare; eodem modo peccata remitti per baptismum et per poenitentiam etc. Recte igitur *Conc. Tridentinum* Sess. XIV, can. 9 dicit: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; anathema sit.* Nonnulli scholastici quidem sacerdotalem absolutionem declarativam tantum esse autumarunt, sed ideo poenitentiae sacramentum non negarunt, nec potestatem clavium Ecclesiae traditam restrinxerunt; sed ideo errarunt, quia falso putabant, etiam in sacramento poenitentiae peccata iis tantum remitti, qui perfectam contritionem conceperunt, per quam homo iustificatur. Quare *Andreas Vega*, qui *Concilio Tridentino* interfuit, de istis scholasticis (1) scribit: «Existimandum non est, eos cum illis (Novatoribus) sensisse, qui absolutiones sacerdotum inanes credunt. Nam et ad augmentum gratiae, et ad remissionem poenae debitae pro peccatis omnibus, rite sua peccata confessis utilem eam esse tradiderunt; et hac ratione tueri eos possumus, ne videantur adversari definitionibus Ecclesiae.» Caeterum non omnes scholastici huic sententiae subscripserunt, sed maior eorum pars cum *S. Thoma* docuit, per absolutionem sacerdotalem vero actu iudiciali peccata in sensu proprio remitti.

Obi. III. Solum Deum peccata remittere, docet S. Scriptura (2), et Patres testantur; sic *S. Cyprianus* de lapsis ait: « Solus Dominus misereri potest; veniam peccatis, quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri. » Ergo potestas remittendi peccata sacerdotibus nequit competere.

Resp. Etiam nos Catholici fatemur, solum Deum peccata remittere, qui est causa principalis et efficiens iustificationis. Sed Deus uti potest instrumento ad talem gratiam exhibendam, scilicet sacramento, quod ab homine administratur. Tale instrumentum praeter baptismum esse etiam sacramentum poenitentiae, ex S. Scriptura et ex Patribus iam probatum est.

II. *Ecclesia omnia peccata remittere potest, ita ut nullum peccatum irremissibile sit.*

§ 636. *Montanistae* graviora crimina ab Ecclesia absolvi posse negarunt: ideo *Tertullianus*, iam in haeresin lapsus (3) dicit: « Levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi posse (poenitentes), maioribus et irremissibilibus a solo Deo; » et ibid. (4): « Sunt (peccata), quae veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia et moechia, et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei.» *Novatianus* et *Novatus* ab Ecclesia veniam lapsis dari posse inficiati sunt. Ipsorum asseclae postea extenderunt immitem hanc doctrinam ad atrociorum criminum reos, ac demum ad omnes, qui post baptisma in lethalia crimina pro-

(1) Lib. 13 in decretum Conc. Trid. de iustif. c. 35. (2) Isa. 43, 25; Luc. 5, 2. (3) Lib. de pudicitia. c. 18. (4) Cap. 19.

lapsi sunt: soli porro divinae misericordiae haec peccata remittenda relinquebant. Non pauci *Sociniani*, saltem ex parte, crudeli huic haeresi subscripserunt: ita *Schmalchius* et *Ionas Schlichtingius* poenitentiam agentes sub extrema vitae periodo veniam obtinere posse, omnino inficiantur. Contra istos aberrantes probandum est, potestatem clavium ad omnia, etiam gravissima peccata extendi, et nullum esse peccatum, quod rite dispositis ab Ecclesia virtute clavium remitti non possit. Id vero ex *S. Scriptura* et ex *Traditione* constat.

1. *In S. Scriptura* Deus ipse profitetur, se omnia utcunque gravia peccata vere poenitentibus remittere velle. Isa. I, 16 ait: *Lavamini, mundi estote... quiescite agere perverse, discite benefacere... et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra ut vermiculus, velut lana alba erunt.* Ezech. XVIII, 21 Deus dicit: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est... vita vivet et non morietur: omnium iniquitatum eius non recordabor.* Rationem subiicit, cur eos tam amanter ad poenitentiam invitat, addens: *Numquid voluntatis meae est mors impii... et non ut convertatur a viis suis et vivat* (1)? Hanc misericordiam divinam experti sunt *David* in adulterium et homicidium lapsus, et *Manasses*, idololatriae aliorumque gravissimorum criminum reus. Eandem vero misericordiam et indulgentiam divinam etiam in N. T. a peccatoribus resipiscentibus expectandam esse, testatur S. Petrus scribens: "*Patienter agit (Dominus) propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* (2). Et sane Christus pro omnibus peccatis plene et abunde satisfecit (3), et pro salute omnium hominum mortuus est (4). Nullum ergo peccatum irremissibile est, et omnes vere poenitentes, etiam gravissimorum criminum rei iustificari et salvari possunt. Et quia Christus voluit, ut remissio peccatorum per Ecclesiam obtineretur, ideo Apostolis generalissimam omnia peccata remittendi potestatem dedit dicens: *Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* (5); et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (6). Quodsi crimina darentur, quae virtute clavium solvi non possent, id fieret, vel quia Christus ipse aliquam exceptionem apposuit, vel quia amplissima potestas Apostolis concessa ad successores non transiit. Primum admitti nequit, siquidem tantum abest, ut exceptionem aliquam Christus alicubi fecerit, ut omnem prorsus exceptionem excluserit. Alterum non potest concedi, quia in bonum Ecclesiae Christus hanc facultatem contulit; Apostolos enim allocutus est ut institutam a se Ecclesiam docentem, quae usque ad consummationem saeculi perdurare debet: quod si negaretur, sequeretur, etiam potestatem praedicandi Evangelium et baptizandi ad successores non transiisse: quod tamen nec Novatiani dixerunt, nec Protestantes admittunt. His accedit exemplum Apostolorum, qui gravissima quoque crimina per poenitentiam deleri posse declararunt. Omnium sane mortalium sceleratissimi fuerunt deicidae Iudaei: eosdem tamen ad agendam poenitentiam hortatus est Petrus, ad quam idem invitavit etiam Simonem Magum tot tantisque sceleribus contaminatum (7).

(1) V. Ezech. 18, 23. (2) II Ep. 3 9.
(3) § 376, not 3. (4) § 379.
(5) Matth. 18, 18. (6) Io. 20.
(7) Act. 12. 38. — Act. 8, 22.

— Paulus incestuoso Corinthio ob seriam poenitentiam culpam et poenam condonandam esse iudicavit. Idem praestitit S. Ioannes cum iuvene perditissimo, qui post baptismum receptum famosus latro et homicida factus, a S. Apostolo in viam iustitiae reductus et Deo reconciliatus fuit, ut narrat ex *Clemente Alex.* *Eusebius* (1).

2. *Ss. Patres*, ut ex citatis testimoniis patet, generalem Ecclesiae potestatem peccata remittendi adscribunt, quin graviora crimina excipiant, quae illi non subiiciantur. Clare praeterea docent, nullum esse peccatum, quod per poenitentiam, seu absolutionem sacerdotalem remitti non possit. Ipse *Tertullianus* nondum transfuga factus lib. de poenit. c. 4 ita praeclare scribebat: « Omnibus ergo delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per iudicium destinavit Deus, idem et veniam per poenitentiam spopondit. » *S. Cyprianus* (2) ad Antonian. scribit: « Nam et moechis a nobis poenitentiae tempus conceditur, et pax datur. » Ac inferius addit: « Quod si invenimus, a poenitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus ac exorantibus Dei misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes eius pacem posse concedi: admittendus est plangentium gemitus, et poenitentiae fructus dolentibus non negandus. » *S. Pacianus* Ep. 1 ad Sempronian. per parabolas pastoris ovem erraticam reportantis, et patris filium prodigum recipientis probat, omnia peccata poenitentibus condonari; et Epist. 3 ad eund. (3) dicit: « Quaecunque solveritis, inquit (Christus), vel magna vel modica. » *S. Hilarius* (4) ait: « Neque fas est, non ex praescripto legis, dandae veniae numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo fuerit nobis a Deo indulta. » *S. Ambrosius* (5) scribit: « Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. » *S. Hieronymus* Ep. ad Oceanum scribit: « Frustra mortuus est Christus, si aliquos vivificare non potest; mentitur Ioannes Baptista et digito Christum et voce demonstrans: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, si sunt adhuc in saeculo, quorum Christus peccata non tulerit. » *S. Chrysostomus* (6) ait: « Talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit poenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur, etiam si ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam; suscipit libenter et amplectitur, et facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum. » *S. Augustinus* (7) inquit: « Nec eos audiamus, qui negant, Ecclesiam Dei omnia posse peccata dimittere. Itaque miseri dum in Petro Petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiae claves regni coelorum, ipsi eas de manibus amiserunt. » Hanc fuisse fidem Ecclesiae, patet ex condemnatione Montanistarum et Novatianorum, et ex *Conc. Lateranensi IV* in quo cap. 1 dicitur: *Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari.*

Nota. Doctrinae propositae sequentes difficultates opponuntur, quas breviter solvere oportet.

Obi. I. Christus ipse ait: *Omne peccatum et blasphemia remittetur*

(1) Lib. 3 Hist. eccl. cap. 23.
(2) Ep. 52. (3) N. 61.
(4) Comm. in Matth. 18, n. 10.
(5) Lib. 1 de poenit. c. 3, n. 10.
(6) Paraen. ad Theodorum lapsum.
(7) Lib. de agone christ. cap. 31.

hominibus; spiritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro (1). Cum itaque Christus blasphemiam in Spiritum sanctum ut *irremissibilem* declaret, certe eam remittendi potestatem Apostolis non dedit.

Resp. Non insolitum est in Ss. Litteris, ut aliquid valde difficile verbis absolutis, quasi possibile non foret, enuntient. Ita Christus Matth. XIX, 24 ait: *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum.* Et Ierem. XIII dicitur: *Si mutare potest Aethiops pellem suam et pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum:* certum tamen est, et divitem salvari, et eos, qui malum didicerunt, benefacere posse. Eodem sensu accipienda est sententia Christi ab adversariis nobis obiecta. Blasphemia nempe in Spiritum sanctum irremissibilis dicitur tantum comparate ad alia peccata, quae facilius condonantur. Dicunt enim Ss. Patres, ut *S. Basilius* (2), *S. Ambrosius* (3), *S. Hieronymus* (4), blasphemiam in Spiritum sanctum eam esse, per quam homo manifestae veritati ultro obsistit et Spiritus sancti opera daemoni adscribit, quemadmodum a pharisaeis id factum esse legimus. Homo autem in tantam malitiam lapsus, per quam se gratia divina indignum reddit, difficillime conteritur, et meliores sensus induit, atque ideo peccatum ei haud remittitur, non ob defectum potestatis clavium, sed ob defectum debitae dispositionis. Nec tamen absolute irremissibile est hoc peccatum, cum revera dilutum fuerit in multis, qui postea baptizati sunt in nomine Iesu in remissionem peccatorum (5). Ita rem explicat *S. Chrysostomus* (6) dicens: « Spiritusne, inquies, blasphemiae non dimittetur poenitentibus? quod omnino falsum esse patet; nam et hoc peccatum dimissum esse scimus, cum multis eorum, qui talia in Spiritum sanctum dixerant, remissum esse constet. Quid igitur est, quod dicit? significare voluit, multo minus caeteris esse remissibile et venia dignum. Qua de causa? Quia, quis esset Christus ignorabant, Spiritus vero congruentem iam notitiam acceperant; siquidem per eum Prophetae loquebantur, et in veteri lege omnes multa de ipso acceperant documenta. » — Notandum vero est, quod iuxta *S. Augustinum* (7), peccatum in Spiritum sanctum nihil aliud sit, quam *impoenitentia finalis*, quod peccatum ob perennem debitae dispositionis defectum omnino irremissibile est: dicitur autem impoenitentia finalis peccatum in Spiritum sanctum, « quia, ait *S. Thomas* (8), est contra remissionem peccatorum, quae fit per Spiritum sanctum, qui est charitas et Patris et Filii. » Quamvis autem hoc peccatum non consummetur nisi in fine vitae (tunc enim solum vere dicitur impoenitentia finalis); attamen in ipso praesentis vitae cursu in iis praesumitur, qui non ex ignorantia, sed ex obstinata pervicacia manifestae veritati resistunt. Sententiae *S. Augustini* multi theologi subscripserunt, eandemque iam *S. Athanasius* tradidisse videtur, qui Epist. 4 ad Serapion., quamvis blasphemiam

(1) Matth. 12, 31.
(2) Quaest. brev. q. 273.
(3) Lib. 1 de Spir. S. c. 3.
(4) Comment. in Matth. 12 (5) Act. 2 et 4.
(6) Hom. 41, al. 42 in Matth. n. 3.
(7) Serm. 71 de verbis Dom. et lib. 1 de Serm. Dom. in monte, c. 22.
(8) 2 2, q. 14, art. 3

in Spiritum sanctum inveniabilem, indeprecabilem, irremissibilem vocet, tamen ibid. n. 49 ait: « Quin et hoc observandum est, non dixisse Christum, blasphemanti et poenitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti et in blasphemia perseveranti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum illis, qui vere et ex animo et, ut par est, poenitentiam agunt. »

Obi. II. Apostoli ipsi limitationem suae potestatis agnoverunt, et quaedam peccata irremissibilia esse confessi sunt. Ita I Io. V, 16 dicitur: *Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis.* Peccatum vero, pro quo non est orandum, irremissibile censeri debet. Paulus quoque Hebr. VI, 4 scribit: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus sancti... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam;* et c. X, v. 26 subdit: *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia.* His accedunt loca V. T. in quibus Deus dicit, se invocantes non exauditurum, et revertentes non susceпturum esse, ut Prov. I, 24 etc., unde quaedam peccata *insanabilia* dicuntur (1), atque ideo *Esau* (2), et *Antiochus* (3), aliique, quamvis poeniterent, misericordiam consecuti non sunt.

Resp. Citatis testimoniis opponimus ea, quibus n. 1 probavimus, Deum vere poenitentibus omnia, utcunque gravissima crimina remittere. Ne ergo aperta contradictio admittenda sit, dicendum est, Deum omnia quidem peccata remittere velle, sed tales peccatores inveniri in quibus difficillime et rarissime requisitae ad poenitentiam dispositiones reperiuntur. Ad hos igitur citata in obiectione testimonia referuntur, quae ostendunt quidem summam difficultatem, seu moralem impossibilitatem obtinendae remissionis ex defectu dispositionis in istorum criminum reis, quod non diffitemur, quaecunque demum peccata ea sint, de quibus sermo est in adductis testimoniis; nullo vero modo attingunt defectum facultatis in Ecclesia, suppositis debitis dispositionibus. Id evidenter constat ex eo, quod omnia illa testimonia respiciant Deum ipsum immediate, seu peccatores his peccatis inquinatos in ordine ad difficultatem veniae a Deo obtinendae ob pessimam animi dispositionem; de facultate vero Ecclesiae nec verbum quidem in his habetur, ex quo argui possit, eam limitatam esse quoad haec peccata. Quo fit, ut non possint adversarii ea testimonia urgere, quin evertant propriam doctrinam; alioquin enim sequeretur, neque ab ipsa divina misericordia posse illa peccata dimitti, nec eiusmodi peccatores veniam a Deo posse obtinere, secus ac Montanistae et Novatiani docent. Haec confirmantur, si singula obiecta testimonia expendantur. I Io. V, 16 per peccatum ad mortem multi intelligunt illud, in quo quis impoenitens moritur, quod certe post hanc vitam non remittitur cum in inferno nulla sit redemptio. Ita *S. Augustinus* (4) ait: « De quo peccato, quoniam non expressum est, possunt, multa et diversa sentiri: ego autem dico, id esse peccatum, fidem, quae per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem. » *S. Thomas* vero (5) bene adnotat, haec omnia ita esse intelligenda, ut *de fa-*

(1) Deut. 32, 33; Ier. 30, 12.
(2) Hebr. 12, 17. (3) II Mach. 9, 13.
(4) Lib. de corrept. et grat. c. 12
(5) 2 2, q. 14, art. 3 ad 2.

cili nec gratia humilis orationis, nec venia a Deo obtineatur; non vero quod absolute obtineri non possit, adeo ut absolute Deus pro eo orari non debeat: « Sicuti, inquit, dicitur ille sanari non posse, qui non potest de facili sanari; potest tamen hoc fieri per divinae gratiae virtutem, quae etiam interdum *profundum maris convertit*, ut dicitur Ps. LXIV. » — Dictum Pauli, ait *S. Thomas* (1), « est ergo intelligendum, sicut dicit *Augustinus*, quod non dicit, quod impossibile est *poenitere*, sed quod impossibile est *rursus renovari*, id est baptizari (2) *per lavacrum regenerationis et renovationis* etc.; nunquam enim homo posset sic poenitere, quod posset iterum baptizari. » Docet itaque Apostolus, impossibile esse aut baptismum ipsum iterari ad poenitentiam istorum, aut eam gratiam baptismatis recuperari, quae est gratia *regenerationis et renovationis*. Unde *S. Augustinus* in inchoata exposit. Ep. ad Rom. inquiebat: « Eos, qui iam baptizati fuerint, *curari* melius dicimus per poenitentiam, non *renovari*, quia renovatio in baptismo est; » et quidem talis, ut simul cum culpa tollatur etiam reatus poenae, quod non contingit in poenitentia. Ita hunc locum explicant *S. Athanasius* (3), *S. Ambrosius* (4), *S. Gregorius Naz.* (5), *S. Chrysostomus* et alii. *S. Athanasius* vero optime notavit, haec fuisse dicta a Paulo ad convellendum errorem Hebraeorum, qui cum multa haberent et quotidiana baptismata, existimabant, idem etiam esse in religione christiana. Neque alium esse sensum verborum Hebr. VI, 26 putarunt Ss. Patres, nempe *non relinqui hostiam pro peccatis*, hoc est, alium baptismum, quo iterum a peccatis abluamur, sine exclusione tamen poenitentiae, quae est tabula post naufragium. Optime notavit in hunc locum *S. Chrysostomus*, « non dixisse Apostolum: non est amplius poenitentia, neque est amplius remissio, sed: *Non est amplius hostia*, hoc est, non est amplius crux secunda, seu secunda passio Christi, unde novus instituatur baptismus. » Ita etiam *S. Augustinus* l. c. in eundem locum dicit: « Significasse Apostolum, non posse deinceps qui peccaverit, iterum baptizando purgari, quo intellecto non intercluditur poenitendi locus. » — Caetera loca ex V. T. citata non possunt referri ad restrictionem potestatis a Christo Ecclesiae concessae, et intelligenda sunt de negata gratia et remissione ob dispositionis defectum. Quantum ad *Esau* multi asserunt, eum per poenitentiam non recuperasse benedictionem patris, non autem ei negatam esse remissionem peccatorum. *S. Thomas* vero (6) respondet: « Quod Esau non vere poenituit, quod patet ex hoc, quod dicit: *Veniet dies luctus patris mei, et occidam Iacob fratrem meum* (7). Similiter etiam nec Antiochum vere poenituit: dolebat enim de culpa praeterita non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur. »

Obi. III. *Origenes* et *Theognostus* apud Athanasium (8) verba Apostoli Hebr. VI, 4 de iis intelligunt, qui post baptismum in peccata relabuntur, et « eos misericordiam non consecuturos esse » dicunt. *S. Hermas* lib. 3 Pastor. (9) de scelestioribus quibusdam peccatoribus ait: « Iis non est per poenitentiam regressus ad vitam . . .

(1) Lect. 1 in Hebr. cap. 6. (2) Tit. 3.
(3) Ep. 4 ad Serap.
(4) Lib. 2 de poenit. c. 2.
(5) Or. 39 in S. Lumina.
(6) 3 p., q. 86, art. 1 ad 1.
(7) Gen. 27, 41.
(8) Ep. 4 ad Serap. n. 9.
(9) Simil. 6, n. 2.

huiusmodi homines morti sunt destinati. » Auctor Constitutionum apost. (1) docet concedi quidem idololatris veniam per sinceram poenitentiam revertentibus, non autem ei, qui « velut acie rebelli tentet Deum... huiusmodi venia carebit.» *S. Cyprianus* tr. de lapsis, et *S. Ambrosius* lib. ad virginem lapsam aperte docent, nonnullorum peccatorum nonnisi Deum misereri posse. Ipsa Ecclesia interdum quorumdam criminum reos a reconciliatione arcebat, et hanc eis vel in ipso mortis articulo negabat.

Resp. Si *Origenes* et *Theognostus* vere docuerunt, omnia peccata post baptismum commissa blasphemiam in Spiritum sanctum continere et irremissibilia esse, in hac falsa opinione deserendi sunt et refellendi. Sed nonnulli benignius eorum verba interpretantur, quia *Origenes* (2) aperte testatur, Ecclesiam etiam post baptisma peccantes, si resipiscant, « post longiorem melioris mentis approbationem recipere, et solum a dignitatibus ecclesiasticis excludere.» Reliqui Patres summam remissionis difficultatem in peccatoribus ita prave dispositis agnoscunt, non autem potestatem Ecclesiae quoad rite dispositos restringunt; indigitati enim peccatores gratia divina se indignos reddunt, et vocationi Dei resistere solent, ac propterea « morti destinati et venia carere » dicuntur. Interdum Patres non de remissione culpae, sed de poenis temporalibus loquuntur, quae per sacramentum poenitentiae non semper extinguuntur; unde, sicut innuunt *S. Cyprianus* et *S. Ambrosius*, ad misericordiam Dei confugere oportet. Si hincinde magnis peccatoribus in ipso mortis articulo reconciliatio negata fuit, haec agendi ratio non fuit toti Ecclesiae communis, sed propria Ecclesiarum particularium, et quidem ad tempus, atque, ut nonnulli probabilius censent, quoad solam reconciliationem externam et publicam, cum tamen privatim a Sacerdote absolverentur. Caeterum magnis etiam peccatoribus reconciliationem, quam poenitentes petunt, dandam esse decreverunt *Concilia Carthaginense IV* an. 398 (3), *Arausicanum I* an. 441 (4), *Epaonense* an. 517 (5) et alia. *Innocentius I* in Epist. ad Exuperium interrogatus, « quid de his observare oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae et voluptatibus dediti, in extremo fine vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem communionis petant? » respondet: « Tribuitur ergo cum poenitentia extrema communio, ut homines huiusmodi vel in supremis suis poenitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. » Eadem decreverunt *S. Coelestinus I* Ep. ad Episc. Galliae, et *Leo M.* Ep. 91 ad Theodorum (6).

(1) Lib. 2, c. 23. (2) Lib. 3, c. Celsum.
(3) Cap. 76. (4) Can. 3. (5) Can. 36.

III. *Poenitentia est verum N. L. sacramentum, et quidem a baptismo distinctum.*

§ 637. Poenitentia est verum N. L. sacramentum, si ex Christi institutione per signum externum et sensibile peccatoribus remissio peccatorum datur. Haec autem ita esse, ex probatis liquet. Christus enim Apostolis eorumque successoribus potestatem remittendi peccata contulit, eosque Iudices constituit, qui secundum poenitentis dispositionem peccata vel remittere vel retinere debent: adest igitur *institutio divina*. Apostoli vero eorumque successores peccata diiudicare et remittere nequeunt, nisi ipsis manifestentur; et

(6) Cf. Sardagna t. 7, art. 7, Contr. 2, n. 71.

poenitentes scire nequeunt, an a Dei ministro sibi vel remissa, vel retenta sint peccata, nisi id ipsis exterius significetur; quare ex ipsa ordinatione Christi actus externi requiruntur, ut remissio peccatorum obtineatur: habetur igitur etiam *res subiecta sensibus*, seu *signum externum et visibile*. Cum autem isti actus externi ordinentur, seu instituti sint ad significandam et producendam remissionem peccatorum, quae semper cum infusione gratiae sanctificantis coniuncta est (1); adest quoque *collatio gratiae*. Poenitentia est ergo verum N. L. sacramentum, quia in illa omnia requisita ad sacramentum constituendum inveniuntur. Hinc poenitentia semper et ubique in Ecclesia catholica ut verum N. Legis sacramentum habitum est. *Conc. Lateranense IV* praecepit, ut hoc sacramentum saltem semel in anno recipiatur. *Florentinum* inter septem sacramenta poenitentiam quarto loco ponit. *Tridentinum* Sess. XIV, can. 1 definit: *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.* — Inter Protestantes quoque quidam poenitentiae nomen sacramenti tribuere non recusant; aiunt autem, poenitentiae sacramentum non esse distinctum a sacramento baptismi; quia per poenitentiam eadem illa fides restauratur, quae in baptismo concepta fuit, et per eius recordationem iustificatio obtinetur. Vanam autem et prorsus falsam esse hanc sententiam, et poenitentiam esse sacramentum a sacramento baptismi distinctum, ex *S. Scriptura*, ex *Traditione* et *ratione theologica* probatur.

1. In *S. Scriptura* baptismus et poenitentia exponuntur et proponuntur ut duo distincta remedia peccatorum. Baptismum enim Christus iam ante passionem suam instituit (2), et per discipulos contulit Io. IV. — Ast poenitentiam post resurrectionem instituit Io. XX, 22. — Petrus (3) Simonem Magum non revocat ad memoriam baptismi, sed provocat ad poenitentiam dicens: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.* Similiter Paulus non remisit Corinthium incestuosum aut ad baptismum, aut ad eius memoriam, sed: *Eum tradidit satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi* (4); resipiscenti vero et poenitentiae se subiicienti culpam et poenam *in persona Christi* donandam esse censuit (5). — S. Ioan. I Ep. c. 1 loquens de remedio peccatorum, in quae baptizati prolabuntur, non remittit ad memoriam baptismi, ut eorum venia obtineatur, sed ait: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus (Deus), ut remittat nobis peccata nostra* (6). Denique Hebr. VI, 4 aperte negatur, baptizatos in peccata lapsos posse iterum renovari per baptismum; dicitur enim: *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati..... et prolapsi sunt, rursus renovari.*

2. *Ss. Patres* baptismum et poenitentiam duo esse distincta sacramenta docent. *Tertullianus* lib. de poenit. c. 7 ait: « Intinctionis sera obstructa... collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat. Eodem cap. vocat poenitentiam « secundam spem; » et cap. 7, « secundam post naufragium tabulam. »

(1) § 462. (2) § 526.
(3) Act. 8, 22. (4) I Cor. 5, 5.
(5) II Cor. 2, 7. (6) Ibid. v. 9.

S. Pacianus (1) scribit: « Baptismus sacramentum est dominicae passionis, poenitentium venia meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratia Dei donum est, id est, gratuita donatio: labor vero iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adiuvantur, qui carnis interitu reviviscunt. » *S. Ambrosius* (2) dicit: « Quid interest, utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc ius (remittendi peccata) sibi datum sacerdotes vindicent? unum *in utroque* mysterium est. Sed dicis, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in poenitentia? nonne Dei nomen operatur? » *S. Hieronymus* lib. 1 Dialog. contra Pelag. inquit: « Redimatur sanguine Salvatoris aut in dono baptismatis, aut in poenitentia, quae imitatur baptismatis gratiam. » Et lib. 2: « Quod scriptum est: *Et sanguis eius emundat nos ab omni peccato*, tam in confessione baptismatis, quam in clementia poenitudinis accipiendum est. » *S. Augustinus* Ep. ad Bonifac. (3) scribit: « Semel perceptam Christi gratiam parvulus non amittit, nisi propria impietate, si aetatis accessu tam malus evaserit. Tunc etiam propria incipiet habere peccata, quae non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur. » Et in Enchir. (4): « Ideo quisque renascitur, ut solvatur in eo, quidquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata, quae male agendo postea committuntur, possunt et poenitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. » *S. Cyrillus Alex.* (5) inquit: « Duobus modis Dei Spiritu afflati homines peccata remittunt et retinent: vel cum dignos admittunt ad baptismum, et indignos excludunt; vel cum Filios Ecclesiae peccantes corripiunt, ac poenitentibus ignoscunt. » *S. Leo M.* Ep. ad Theodorum (6) haec habet: « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae. » Hoc idem probant argumenta, quibus § 516 ostensum fuit, semper in Ecclesia septem agnita fuisse sacramenta; sed septem non essent, si baptismus et poenitentia unum dumtaxat sacramentum constituerent. Merito igitur *Conc. Tridentinum* perpetuae traditioni insistens Sess. XIV, can. 2 definit: *Si quis sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

3. *Ratio theologica* petitur ex discrimine, quod est inter sacramentum baptismi et sacramentum poenitentiae. Nam illa sacramenta certe inter se distincta sunt, quae circa ministrum, subiectum, materiam, formam, effectus et alias proprietates differunt. Talia autem discrimina inter baptismum et poenitentiam inveniuntur. Nam minister baptismi, saltem in casu necessitatis, est quilibet homo; minister poenitentiae solus sacerdos: subiectum baptismi est quilibet homo; subiectum poenitentiae solus baptizatus: baptismi materia est aqua; poenitentiae, ex communi sententia actus poenitentis: forma baptismi exprimit ablutionem; poenitentiae, absolutionem: effectus baptismi est delere una cum originali peccato quae-

(1) Ep. 3 ad Sympron.
(2) Lib. 1 de poenit. c. 8.
(3) Ep. 98 (al. 23), n. 2.
(4) Ad Laurent c. 46.
(5) Lib. 12 in Ioan.
(6) Ep. 91.

libet personalia crimina tum quoad culpam, tum quoad omnem poenae reatum, ita ut per illum vere renascamur : poenitentiae effectus est remittere solas actuales noxas et poenam aeternam, quae inde consequitur, non autem, saltem ordinarie, omnem poenam temporalem, ita ut reconciliemur Deo non sine magnis nostris fletibus et laboribus imo et satisfactionibus : proprietas denique baptismi est, ut iterari non possit, nec per modum iudicii deleantur peccata; poenitentiae vero proprium est, ut per modum iudicii administretur, et iterari possit, quoties peccator noxarum suarum poenitens ad sacrum tribunal confugerit. Etiam *Conc. Trident.* Sess. XIV, cap. 2 discrimina inter baptismum et poenitentiam refert, et exinde probat, *hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre.*

Nota. Inanes sunt cavillationes, quas adversarii doctrinae catholicae opponunt.

Obi. I. Nullum in V. T. institutum fuit sacramentum ad eluenda peccata, quae, fatente ipsa Tridentina Synodo Sess. XIV, sola delebantur poenitentiae virtute : quorsum igitur institutum censendum erit in N. T. nisi ut peior fieret nostra conditio? — Etiam in N. T. homines per solam virtutem poenitentiae iustificantur, ut exempla *Zachaei, Mulieris peccatricis, Latronis in cruce, et Petri,* et parabolae *Publicani* et *Filii prodigi* ostendunt.

Resp. Quamvis nullum institutum fuerit in V. T. sacramentum ad delenda peccata perperam inde infertur, nullum pariter in N. T. institutum esse ; alioquin ex eodem principio inferre possemus, neque baptismum, neque eucharistiam esse sacramenta a Christo instituta, eoquod neutrum fuerit in V. T. Haec enim pendent a positiva Dei voluntate, qui congrua media diversis temporibus aptare novit. Neque peior reddita est nostra conditio; nam propter abundantiores gratias facilius et securius obtinetur gratia; poenitentia in N. L., ut sacramentum est, agit ex opere operato, sed in V. L. ut simpliciter virtus ex opere dumtaxat operantis veniam peccatorum impetrabat; ac demum remissio peccatorum per actum externum iudicialem seu per sacerdotis absolutionem obtenta non modicum solatium, conscientiae pacem et tranquillitatem instillat. *Zachaeus* et reliqui per solam poenitentiae virtutem iustificati fuerant, quia tunc temporis nondum institutum fuit sacramentum poenitentiae : ex istis igitur exemplis inferri nequit, etiam post illius institutionem peccatores sine poenitentiae sacramento aut eius voto iustificari posse. Citatae parabolae prolatae non sunt, ut nobis omnia patefaciant, quae ad remissionem peccatorum obtinendam requiruntur; sed in parabola *publicani* Christus ostendere voluit quam necessaria et proficua pro veris poenitentibus sit humilitas, in altera autem misericordiam Dei describere peccatorem contritum recipientis.

Obi. II. In Scripturis semper baptismus cum poenitentia coniungitur, ita ut baptismo tribuatur peccatorum remissio. Sic Act. II, 38 dicitur : *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum.* Marc. I, 4 praedicatur baptismus poenitentiae *in remissionem peccatorum.* Et Eph. V, 26 Ecclesia sanctificari et mundari dicitur *lavacro aquae in verbo vitae.* Ergo poenitentia a baptismo non est distincta.

Resp. Quando in Scripturis poeni-

tentia exigitur, ut adulti cum fructu suscipiant sacramentum baptismi, exigitur ut dispositio ac prout virtus est. Dicitur vero conferri baptisma in remissionem peccatorum non absolute sive de omnibus peccatis, quae post baptismum patrantur, sed de iis, quae baptismum praecesserunt, ut per se constat. Sane quoad peccata, in quae fideles post baptisma lapsi sunt, nunquam haec perhibentur deleta vi baptismi, neque Scripturae fideles peccatores cohortantur ad recordationem suscepti baptismi, sed illos ad solam poenitentiam excitant. Ecclesia quidem sanctificatur et mundatur per baptismum, quia homines per hoc sacramentum a peccatis purgantur, et gratia sanctificante ornantur. Ast hanc amittere possunt per subsequens peccatum mortale (1), cuius remissionem solummodo per sacramentum poenitentiae consequuntur. Observant porro theologi, aliquo sensu omnium peccatorum mundationem baptismo tribui posse, respectu nempe peccatorum antecedentium *vere et effective*, respectu autem peccatorum subsequentium *fundamentaliter*, *praesuppositive*, *dispositive*, quia nemo per sacramentum poenitentiae mundari potest nisi qui fuerit baptizatus, baptismus enim est ianua omnium sacramentorum.

Obi. III. Apostoli leguntur quidem baptizasse, non autem per iudiciariam potestatem in sacramento poenitentiae homines a peccatis absolvisse. Etiam antiquissimi Patres de usu huius potestatis vel ab Apostolis vel ab eorum successoribus exercitae silent.

Resp. Argumentum hoc est mere negativum, quod nullatenus enervat argumentum positivum iam allatum. Christus enim potestatem remittendi peccata vere Apostolis contulit, ut probatum est: ergo certe illa Apostoli usi sunt, etiamsi id in S. Scriptura expresse non enarretur. Si Petrum et Paulum excipiamus, de reliquis Apostolis in S. Scriptura non legimus, quod post Christi ascensionem aut saltem post factam divisionem baptizaverint et praedicaverint; et tamen ne Protestantes quidem negant, Apostolos omnes mandatum Christi adimplevisse, quod ipsa mira christianae religionis propagatio probat. Eodem igitur modo credendum est, Apostolos iuxta ordinationem Christi fideles in crimina lapsos iudicasse, eisque peccata vel remisisse vel retinuisse, quamvis huius rei sat luculenta et expressa testimonia in S. Scriptura non inveniantur. Non enim omnia, quae credenda sunt, ex Scriptura peti possunt, sed multa ex sola traditione hauriuntur. Haec autem ex Ss. Patribus, ex antiquissimis libris liturgicis, et ex continua persuasione ac praxi Ecclesiae orientalis et occidentalis clarissime elucet, ut patet ex iis, quae § 635 dicta, et quae art. 3 dicenda sunt. Quodsi in antiquissimis Patribus non multa hac de re testimonia leguntur, huius silentii honestae causae afferri possunt. Illius enim aevi Patres ut plurimum scribebant contra infideles, et in suis scriptis *disciplinam arcani* etiam quoad poenitentiae sacramentum observabant. Saepe alloquebantur catechumenos, qui sacramenti poenitentiae nondum capaces erant. Fideles autem baptizati tam pie et innocenter vivebant, ut multa de reconciliatione disserere opus non fuerit. Accedit, quod primis saeculis rari fuerint scriptores ecclesiastici in tanta ob saevientes persecutiones Ecclesiae calamitate, et multa eorum opera saeva vis vetustatis consumpsit.

(1) § 571.

Obi. IV. *S. Augustinus* lib. de nuptiis (1) docet, per baptismum « non solum peccata (praeterita), quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, mundari et sanari: non ut baptismus quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. » Ergo per baptismum non iteratum, sed in memoriam revocatum, omnia peccata remittuntur.

Resp. S. Augustinus remissionem peccatorum omnium adscribit baptismo ut causae remotae necessario praerequisitae subsequentibus salutis subsidiis, non autem ut causae proximae et formali exclusis aliis sacramentis. Hanc esse mentem S. Doctoris patet ex eo, quia ibidem mox subdit: « Quid enim prodesset vel ante baptismum poenitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet » (2)?

ARTICULUS II.

De contritione.

§ 638. Veritate sacramenti poenitentiae constituta, summi momenti est ut indagemus, an, et quinam actus ex parte peccatoris requirantur, ut per hoc salubre remedium remissionem peccatorum obtinere et iustificari possit. *Lutherus* duas tantum esse poenitentiae partes dixit, nempe terrores incussos conscientiae ex agnitione peccati, et fidem conceptam ex evangelio, vel absolutione, qua quis credit sibi per Christum remissa esse peccata: quae insulsa sententia, iam § 466 satis confutata est. *Calvinus* a Luthero discrepat, et (3) in mortificatione et vivificatione poenitentiam reponit: per priorem exuitur vetus homo et vitia mortificantur, per alterum pium excitatur bene vivendi studium bonorumque operum amor, eaque poenitentiae fructus appellat; qua in sententia causam cum effectu confundit, et arborem bonam eiusque fructus sine radice expectat. Alia est Catholicorum doctrina, quam *Concilium Tridentinum* Sess. XIV, can. 4 contra Novatores declaravit ac sanxit dicens: *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato, et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis, sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.* Ex hac definitione patet ex parte peccatoris sacramentum poenitentiae suscipientis tres actus requiri, quorum primus est *contritio*, de qua igitur primo loco agere, eiusque *notionem, necessitatem, proprietates* et *divisionem* ostendere oportet, quamvis fusior huius materiae pertractatio, cum de officiis agatur ad theologiam moralem spectet.

1. *Contritio* a *Conc. Tridentino* Sess. XIV, cap. 4 definitur: *Animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero*, et (ut theologi addunt) *cum voto confitendi et satisfaciendi;* sed istud votum in illo proposito continetur ex ipsa mente Concilii ibidem docentis, quod ille dolor hominem post baptismum lapsum *praeparat ad remissionem pecatorum, si cum fidu-*

(1) Cap. 33, n. 38.
(2) Cf. Perrone, de poenit. cap. 1 prop. 3.
(3) Lib. 3 Instit. c. 3 § 8.

cia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. In definitione dicitur 1° *Animi dolor*, id est, qui in voluntate non in sensu positus est; et quamquam sensibilis dolor aliquando ex animi contritione excitetur et laudabilis ille sit, non tamen necessarius est, cum in potestate hominis non sit hunc sensibilem dolorem in se excitare: sufficit ergo dolor seu tristitia animi orta ex offensa Dei: dicitur 2° *detestatio de peccato commisso*, per quam aliquid intelligitur a dolore distinctum; nam in Beatis ex. gr. est detestatio peccatorum in quibus tamen non est dolor. Est ergo interprete eodem *Concilio*, detestatio haec odium peccati; nam ibidem *declarat sancta Synodus*, hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris *etiam odium continere:* ita Concilium Lutherum perstringit, qui scripserat, odium peccati et detestationem vitae praeteritae inutilem esse, ac optimam poenitentiam in nova vita esse repositam, quem errorem Sess. XIV, can. 5 anathemate damnavit: dicitur 3° *de peccato commisso*, et quidem a se commisso; non enim haberetur contritio ad sacramentum requisita, si quis doleret de peccato ab alio commisso, et hoc detestaretur; dolendum est autem de peccato a se commisso, ut est offensa Dei atque malum in ordine salutis: dicitur 4° *cum proposito non peccandi de caetero;* alias falsa et ficta est contritio, vana et larvata poenitentia, de qua merito Deus per Ierem. ait: *Non est reversa ad me praevaricatrix in toto corde suo, sed in mendacio* (1). Unde Isa. I, 16 dicitur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse, discite bene facere.* Apostolus quoque Ephesios (2) monet, ut deponant veterem hominem et novum induant. Ratio est, quia sincera poenitentia debet excludere omnem affectum ad peccatum; qui vero non haberet tale propositum non peccandi de caetero, peccati affectum non deposuisset. Unde *S. Augustinus* (3) ait: « Multi assidue se dicunt esse peccatores, et tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio; accusatur anima, non sanatur, pronuntiatur offensa, non tollitur. Poenitentiam certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei. » Et *S. Gregorius M.* (4) ait: « Poenitentia est, mala praeterita plangere, et plangenda iterum non committere. » Disputant inter se scholae theologi, quale esse debeat istud propositum non peccandi de caetero; an semper requiratur formale et explicitum, an sufficiat virtuale et implicitum. Communior autem, verior et tutior est sententia eorum, qui formale et explicitum postulant, tum quia de illo expresse mentionem facit S. Scriptura, tum quia *Conc. Tridentinum* propositum illud distinguit ab odio peccati: at nulla fuisset necessitas distinguendi, nisi innuere voluisset, propositum illud debere esse formale et explicitum; in odio quippe peccati implicite saltem et virtualiter includitur propositum illius in posterum fugiendi. Ait tamen cl. *Billuart* (5): « Per accidens defectu temporis vel considerationis sufficit implicitum, seu virtuale, modo poenitentem, ita peccatorum suorum poeniteat, quod si adverteret ad futura, proponeret ea nunquam iterare, ut

(1) Ierem. 3, 10. (2) Cap. 4, 22, etc.
(3) Ser. 7 de temo. (nunc 117, in aopend.).
(4) Hom. 34 in evang.
(5) De sacr. poenit. diss. 4 ad 1.

dicit Sylvius post Navarrum. Si quis ergo occupatus vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita praeterita, vel in imploranda Dei misericordia et petenda venia, vel in excitando in se Dei amore et dolore de peccatis, non cogitet actu dicens: volo emendare vitam, nolo amplius peccare, sed bona fide eat ad confessionem; vere est contritus, et confessio bona propter virtuale propositum in dolore inclusum. Ita laudatus *Sylvius*. Et ratio est, quia propositum formale non est de essentia contritionis, nec consequenter pars essentialis sacramenti, sed requiritur tantum de praecepto, quando quis vult iustificari: » dicitur denique 5° *cum voto confitendi et satisfaciendi*, ut partes sacramenti poenitentiae exprimantur, et habeatur definitio contritionis prout est legis evangelicae propria. Unde S. *Thomas* in suppl. (1) illam definit « dolorem de peccatis assumptis cum proposito confitendi et satisfaciendi. »

2. *Necessitas contritionis* ex iis eruitur, quae § 633, n. 2 dicta sunt; remissio enim peccatorum non obtinetur sine poenitentia, et poenitentia non datur sine dolore de peccato commisso. Nos ipsi ab iniquo offensore exigimus, non solum ut ab ulterioribus offensis desistat, sed etiam ut de illata nobis iniuria doleat, eam detestetur, melioresque erga nos sensus in corde concipiat. Ita pariter Deus a peccatoribus, ut veniam consequantur, prae caeteris animi dolorem et detestationem de peccato commisso exigit. Ideo Deuter. IV, 29 dicitur: *Cum quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde tuo quaesieris et tota tribulatione animae tuae.* Iudith VIII, 14: *Quia patiens Dominus est, in hoc ipso poeniteamus, et indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus.* Ioël II, 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu. Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Luc. XIII, 3: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Act. III, 19: *Poenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Exempla quoque *Davidis*, *Manassis*, *Magdalenae*, *Petri* etc. ostendunt, per solas contriti cordis lacrymas veniam peccatorum obtineri. Ideo etiam Ss. Patres nil pro peccatore magis necessarium reputarunt, quam contritionem. S. *Cyprianus*(2) ait: « Agite poenitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate moestitiam. Nec vos quorundam moveat aut error improvidus, aut stupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, perculsi sunt animi caecitate, ut nec intelligant delicta nec plangant. Vos vero - poenitentes ac dolentes peccata vestra perspicite... Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. » S. *Basilius* (3) inquit: « Primum odisse debet (anima) reprobam suam vitam anteactam, et ipsam eius memoriam execrari detestarique. » S. *Ephraem*(4) exclamat: « Compungere, o anima mea... compungere de omnibus, quae fecisti, malis... compungere et poenitentiam age, ne tenebris tradaris exterioribus. Resipisce misera et afflicta anima, ne coram horrendo Christi tribunali confundaris. » S. *Ambrosius* (5) dicit: « Audiant, qui agunt poenitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conversione. *Vide*, inquit, *Domine, quia tribulor. Venter*

(1) Quaest. 1, art. 1. (2) Tr. de lapsis.
(3) Reg. brev. c. 10. (4) Serm. 2 de compunct.
(5) Lib. 2 de poenit. c. 6.

meus turbatus est: a fletu meo conversum est cor meum in me; Thren. I, 20. » — *S. Chrysostomus* (1) ait : « Sola est cordis compunctio, quae sicut ignis omne animae vitium perurit et adimit, et quantacunque in ea repererit mala, abstergit universa et penitus delet. » *S. Hieronymus* (2) scribit : « Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus. » *S. Augustinus* (3) inquit: « Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque sive magno sive parvo peccato ad correctionem sine poenitentia posse transire. » Et in Enchirid. (4): « In actione poenitentiae non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. » *Hinc Conc. Trident.* Sess. XIV, cap. 4 dicit: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

3. *Proprietates* contritionis ex communi theologorum doctrina sunt, ut sit *interna, supernaturalis, summa et universalis.* Igitur 1° necesse est, ut contritio sit vera, sincera et interior, non in sola mentis aut imaginationis superficie, non in verborum inani strepitu vel fictis lacrymis, sed in intima voluntate ab omni peccati affectu aliena, quae melius ac certius ostendi nequit, quam fuga peccati et exercitio bonorum operum. Nam cum Deo res agitur, quem fallere non possumus externa contritionis simulatione, quia *Deus intuetur cor* (5), et huius sinceram conversionem postulat, ut num. praec. probatum est. Quare qui cum ficta contritione, quamvis eam veram esse invincibiliter existimaret, ad sacramentum poenitentiae accederet, neque fructum neque sacramentum perciperet, deficiente utpote parte illius essentiali, vera nimirum et sincera contritione : sicut nullum foret baptismi sacramentum, quod quis in vino conferret, putans se in aqua baptizare. 2° Contritio debet esse *supernaturalis,* tum ratione principii seu gratiae divinae, tum ratione motivi. Nemo enim potest salubriter conteri sine gratiae adiutorio et Spiritus sancti influxu, quod definivit *Conc. Tridentinum* (6). Ratio est, quia medium debet esse fini proportionatum, ac proinde eiusdem ordinis. Ergo cum contritio sit a Deo instituta ut medium iustificationis nostrae et gratiae sanctificantis obtinendae, debet esse supernaturalis ordinis, sicut est ipsa iustificatio et gratia sanctificans. Ex eadem ratione respectu etiam motivi supernaturalis esse debet contritio; actio siquidem moralis ex motivo praesertim suam speciem desumit. Cum igitur contritio, ordinata ad iustificationem et ad gratiam sanctificantem debeat esse supernaturalis, necesse est, motivum illius esse supernaturale : nulla igitur est contritio aut saltem ad salutem plane insufficiens, quae motivo plane naturali nititur. Talis fuit contritio *Antiochi* peccatum deflentis, non quod esset offensa Dei, sed propter gravissimum, quo cruciabatur, morbum: talis et contritio *Esau*, qui non peccatum, sed amissam deflebat haereditatem; talis eorum omnium, qui vel metu mali vel spe boni alicuius mere temporalis a peccatis exterius se retrahunt. Nam, ait *S. Augustinus* (7); « Qui propter beneficia terrena Deum quaerunt, non utique Deum, sed illa quaerunt. Eo modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur, hoc enim colitur, quod diligi-

(1) Lib. 2 de compunct.
(2) Ep. 125 ad Rustic. n. 14.
(3) Ep. 93, n. 53. (4) Cap. 65.
(5) I Reg. 16. (6) Sess. 6, can. 3.
(7) Enarr. in Ps. 77, n. 20.

tur. Unde quia Deus rebus omnibus maior et melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur. » Motivum igitur contritionis ex amore Dei saltem initiali et inchoato nasci debet, ex spe veniae, ex timore poenae aeternae et amittendae felicitatis coelestis, ex turpitudine peccati quatenus est offensa Dei, et aliis huiusmodi ad ordinem supernaturalem pertinentibus. Hinc *Innocentius XI* damnavit hanc propositionem (n. 57): « Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam : » et *Clerus Gallicanus* in comitiis anno 1700 eandem ut *haereticam* proscripsit. Ideo autem motiva naturalia non sunt prorsus spernenda, quoniam iis non raro animus vehementius commovetur, cupiditatum ardor restinguitur, atque purioribus motivis locus paratur. 3° Debet contritio esse *summa*, non quidem, ut aiunt, *intensive*, sed *appretiative summa*. Intensive summa contritio est, quando maiorem dolorem de peccato commisso in corde sentimus, quam de quacunque alia temporali iactura; qui dolor exoptandus quidem, non necessarius est, tum quia certus et determinatus intentionis gradus assignari nequit, semperque dari potest contritio absolute intensior; tum quia S. Scriptura, dum dicit, non vestimenta, sed corda scindenda esse, clare innuit, non tam in parte sensitiva, quam potius in parte rationali contritionem residere debere; tum quia intensio doloris, quatenus in sensuali animae parte situs est, non est in hominis potestate et ideo inter eius officia referri nequit; tum denique quia vehementia doloris sensibilis sequitur vehementiam rei moventis; atqui res sensibiles naturaliter vehementius animum in parte sensitiva afficiunt et movent, quam res intelligibiles et spirituales. Unde sicut amor bonorum sensibilium potest esse intensior quam spiritualium, ita et dolor, qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest eo, qui concipitur propter mala spiritualia, cuiusmodi sunt peccata, etiamsi bona et mala sensibilia propterea minime magis diligamus et detestemur appretiative. Sic David rex longe vehementioris doloris dedit signa propter Filium mortuum, quam propter peccatum commissum; et tamen sincera et sufficiens erat eius poenitentia, quae ex ore Prophetae audire meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum* (1). Unde et Ecclesia nullum intentionis gradum ut necessarium unquam praescripsit. Necesse autem omnino est, ut contritio sit *appretiative summa*, et talis est, quando mens nostra peccatum summum malum esse iudicat, atque tanquam summum malum etiam aversatur et fugit, ita ut malimus, potius rerum omnium dispendium pati, quam peccatum iterum committere aut Deum offendere. Necessitas talis contritionis patet ex eo, quia Deum super omnia ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente diligere iubemur, unde Christus ait: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus* (2). Idem patet tum ex natura peccati, quod cum sit offensa Dei et privativum summi boni, est summum malum ac proinde super omne aliud malum odio habendum et fugiendum; tum ex necessitate propositi nullo tempore, propter nullum malum temporale declinandum et propter nullum bonum temporale acquirendum, mortaliter peccandi. Quodsi Deo aliquid praeferimus, amor noster deficiens et dolor

(1) II Reg. 12, 13 — (2) Matth. 10, 37.

fallax est. Imo maior Deo iniuria inferri non potest, quam si creatura ipsi anteponatur; quod facit, quicunque mortaliter peccat: « Nonne diabolum Domino praeponit? » ait *Tertullianus* (1) « comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, et iudicato pronuntiasse eum meliorem, cuius se rursus esse maluerit. » Denique 4° contritio debet esse *universalis*, ita ut se ad omnia et singula peccata commissa extendat. Hanc diserte postulat S. Scriptura dicens: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis - vita vivet* (2), et: *Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas*(3). Hinc *Conc. Lateranense II* gener. c. 22 dicit: *Falsam poenitentiam esse constat, cum spretis pluribus (peccatis) de uno solo poenitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est: Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (4), *scilicet quantum ad vitam aeternam; sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, aeternae vitae ianuam non intrabit.* Etiam *Catechismus rom.* (5) inquit: « Necesse est, peccata omnia quae admisimus, odisse et deflere, ne si quaedam tantum doleamus, ficta et simulata, neque salutaris poenitentia a nobis suscipiatur. » Et vere contritio est dolor de peccato, quatenus est offensa Dei; ergo si vera est et sincera, debet peccata omnia detestari, siquidem nullum est, quo Deus non offendatur. Non ergo vere dolet de offensa Dei, qui in aliqua parte in eadem sibi complacet: atque non potest in amicitiam Dei recipi, qui peccato etiam unico adhaerere pergit. « Quid prodest, ait *S. Gregorius M.* (6), si peccata quis luxuriae defleat, et tamen adhuc avaritiae aestibus anhelet? Aut quid prodest, si irae iam culpas lugeat, et tamen adhuc invidiae facinus tabescat? » — Necesse tamen non est, ut tot sint numero contritionis actus, quot sunt numero peccata, sed una sufficit contritio se ad omnia extendens, cum haec sufficiat, si vera ac sincera fuerit, ad effectum omnis peccati in nobis supprimendum. Consulitur tamen, ut saltem graviora peccata singulis contritionis actibus defleantur, ut non tantum culpa auferatur, sed et radices peccati extirpentur.

4. Contritio indicatis proprietatibus praedita, duplex a *Conc. Tridentino* Sess. XIV, cap. 4 distinguitur, nempe *perfecta*, quae ex charitate seu amore Dei perfecto oritur, et *imperfecta*, quae ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, et haec vulgo *attritio* vocatur. Posita hac distinctione doctrina catholica sequentibus propositionibus continetur: 1° *Contritio perfecta hominem iustificat, priusquam sacramentum poenitentiae actu suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto, quod in illa includitur:* 2° *Ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum non est necessaria contritio charitate perfecta.* 3° *Attritio ex solo metu gehennae seu poenarum timore concepta bona est et utilis:* 4° *Ut autem attritio in sacramento poenitentiae sufficiat, coniuncta esse debet cum amore Dei initiali.* Istas propositiones declarare, probare et contra adversarios vindicare oportet.

(1) De poenit. c. 5.
(2) Ezech. 18, 21.
(3) V. 30.
(4) Iac. 2, 10.
(5) De poenit. n. 29.
(6) Hom. 34 in evang. n. 15.

I. *Contritio perfecta hominem iustificat, priusquam sacramentum poenitentiae suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto, quod in illa includitur.*

§ 639. Si quaeritur, in quo posita sit charitatis, et (quod consequens est), contritionis perfectio, in hac determinanda non consentiunt theologi. Nonnulli perfectionem charitatis repetunt a gradibus appretiationis, et contritionem perfectam eo titulo distinguunt ab imperfecta : quod illa sit ex dilectione Dei super omnia, non item imperfecta: sed haec sententia admitti nequit, quia quaelibet contritio ad sacramentum sufficiens appretiative summa esse debet. Alii ad contritionem perfectam requirunt charitatis intensionem, et docent, contritionem ab attritione non specie differre, sed gradibus, ita ut charitas admodum intensa contritionem efficiat perfectam, debilis autem et remissa imperfectam. Sed huic sententiae obstant argumenta, quibus mox probabitur, charitati generatim et non tantum summae eius intensioni iustificationem adscribi. Absit autem, ut ad contritionem perfectam nullum intensionis gradum requiramus. Istum requirit *Catechismus romanus* (1) dicens : « Ut concedamus contritione peccata deleri, illam adeo vehementem, acrem ac incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari conferrique possit. » Quae verba expendens cl. *Liebermann* (2) ita praeclare loquitur : « Et certe, quis dubitat, eam contritionis perfectae debere esse vim et efficaciam, ut cor hominis penitus sibi subiiciat, illudque avellat ab inordinatis affectibus, ita ut dominetur charitas, ubi dominabatur cupiditas? Nescio autem, an illud sine aliquo intensionis gradu cogitari possit. Sed illud ipsum, quod dicimus appretiative summum, et quod in summa rei aestimatione consistit cum voluntatis actione coniuncta, putasne sine conatu esse posse et incenso affectu?— Hoc scilicet fert hominis natura, ut cum rem aliquam magni facimus et multum cupimus, eius etiam iacturam aegre admodum feramus, atque illud, quod tanti damni causa est, cum vehementi cordis commotione detestemur. »— Communiter autem theologi contritionis et attritionis discrimen a solo motivo repetunt, quia duplex datur amor, ex quo dolor de peccatis concipi potest: unus dicitur *amor benevolentiae* seu *amicitiae*, et est ille, quo Deus super omnia diligitur propter se, seu quia in se summe bonus est et infinite perfectus; hic est amor perfectus, et producit contritionem perfectam : alter dicitur *amor concupiscentiae*, qua Deus super omnia diligitur, quia nobis bonus, nostra beatitudo et finis ultimus est; hic est amor imperfectus et imperfectam relinquit contritionem. Hanc duplicis amoris distinctionem iam exhibet *S. Thomas* (3) dicens : « Amor quidam est perfectus, quidam imperfectus; perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum seipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quae inhaeret Deo secundum seipsum : sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit Et ideo in via generationis spes prior est charitate... Spes introducit ad charita-

(1) De poenit. n. 32.
(2) De sacr. poen. cap. 2, art. 2, § 9
(3) 2 2, q. 17, art. 8.

tem, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo accenditur ad amandum Deum et servandum praecepta eius.» Iuxta hanc sententiam contritio et attritio specie differunt, quia ex diversis motivis oriuntur. — Notandum vero est, quod amor benevolentiae ex consideratione cuiuslibet attributi divini concipi possit, quia quodlibet attributum divinum infinitum est, et ipsa essentia divina (1). Unde si quis ad beneficia a Deo accepta vel accipienda reflectat, divinam bonitatem et misericordiam cognoscat, amore in illam inflammetur, doleatque se tam benignum Patrem, tam insignem benefactorem, tam liberalem remuneratorem offendisse; absque dubio amorem benevolentiae et contritionem perfectam concipit. Ita pariter si quis mysteria incarnationis, passionis et mortis Christi considerans grati amoris affectus eliciat et de peccatis doleat, propter quae divinus Redemptor tot cruciatus in corde et corpore pertulit; nemo dubitabit, tali amorem benevolentiae et perfectam contritionem adscribendam esse. — Nemo autem vere contritus esse potest, nisi firmum propositum habeat omnia peccata mortalia vitandi et officia sua implendi. Hinc etiam votum habere debet sacramentum poenitentiae suscipiendi, quia, ut inferius ostendetur, ad hoc eum obligat praeceptum divinum. Ideo propositio catholica ita concipitur: *Contritio perfecta hominem iustificat*, priusquam sacramentum poenitentiae suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto, quod in illa includitur. Haec propositio probatur ex *S. Scriptura* et *Traditione*.

1. *S. Scriptura* testatur sicut charitatem perfectam, ita etiam contritionem, quae ex illa producitur hominem Deo reconciliare. Deut. IV, 26 Deus dicitur inveniri ab iis, qui toto corde eum quaerunt et tota tribulatione animae suae. Ps. L, 18 legitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Prov. VIII, 17 ait Deus: *Ego diligentes me diligo;* igitur qui diligit Deum, diligitur a Deo et amicus eius fit. Ezech. XXXIII, 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Similia testimonia etiam in N. T. inveniuntur. Io. XIV, 21 etc. Christus ait: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum. — Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus,* idest ipsi coniunctissimi erimus. I Io. IV, 7 legitur: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est;* fit ergo Filius Dei adoptivus; et v. 16: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* I Petr. IV, 8: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* II Cor. VII, 10: *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Hoc idem exempla confirmant. *David* et *Manasses*, cum corde contrito Dei misericordiam implorarunt, iustificati sunt. De *Magdalena* Christus ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (2); quibus verbis Christus praesentibus hominibus significavit, magnam dilectionem coram Deo magnae indulgentiae causam fuisse. *Zachaeus* cum Christum magna charitate exceperit et perfectam emendationem promiserit, factus est *filius Abrahae* (3), id est, iustus et haeres aeternae gloriae. *Latro in cruce* per charitatem perfectam ita a culpa et poena liberatus

(1) § 16. (2) Luc. 7, 47. (3) Luc. 19, 9.

est, ut a Christo audire meruerit: *Hodie mecum eris in paradiso* (1).

2. *Ss. Patres* eandem doctrinam tradunt. *S. Ambrosius* (2) ad Simplician. scribit: « Libertas liberum facit hominibus, charitas amicum Deo. » Et ad cap. XXII Lucae: « Lacrymae veniam non postulant, sed merentur. Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam. » *S. Chrysostomus* (3) inquit: « Sicut ignis in silvam ingressus omnia purgare solet, sic dilectionis fervor, quocunque inciderit, omnia tollit et exscindit... Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala. » Idem (4) ait: « Sola est cordis compunctio, quae sicut ignis omne animae vitium perurit et adimit, et quantacunque in ea repererit mala, abstergit universa et penitus delet. » *S. Augustinus* (5) dicit: « Sola charitas extinguit delicta. » Et alibi (6): « Nullum est isto Dei dono (charitate) excellentius. Solum est, quod dividit inter filios regni aeterni et filios perditionis aeternae. » *S. Leo M.* (7) scribit: « Nullas patitur veniae moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* » *S. Petrus Chrysologus* (8) ait: « Absolvi vis? ama. Charitas operit multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid peius? Et tamen Petrus solo amore valuit hoc delere. » *S. Thomas* (9) inquit: « Quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. » Huic igitur traditioni insistens *Conc. Tridentinum* Sess. XIV, cap. 4 docet: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Ex quibus verbis patet, contritionem perfectam fieri charitate, id est, quando ex motivo charitatis elicitur, et hanc contritionem non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie et semper Deo reconciliare, priusquam sacramentum actu suscipiatur, dummodo huius votum seu desiderium includatur. Iuxta hanc doctrinam Concilii summi Pontifices *Pius V* et *Gregorius XIII* sequentes *Baii* propositiones damnarunt: 32. « Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum. » 70. « Homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis. » 71. « Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione sacramenti. » Ergo contradictoria propositio vera et catholica est.

Nota 1. Sententia hic probata, quamvis inter fidei dogmata expresse definita numerari nequeat, est tamen certa et fidei proxima, ita ut propositio contradictoria, si non haeretica, saltem haeresi proxima dicenda sit. Ecclesia enim propositionem nostram in *Conc. Trident.* Sess. XIV, cap. 4 aperte docet et Ecclesia in docendo infallibilis est. Graviter ergo etiam illi errant, qui cum Baio, Iansenio et Estio contritionem perfectam in solo casu necessitatis, aut in articulo mortis iustificare contendunt; talis enim

(1) Luc. 23, 47. (2) Ep. 7.
(3) Hom. 7 in II Tim. n. 3.
(4) Lib. 2 de compunct.
(5) Tr. 1 in I Ioan. Ep. n. 6.
(6) Lib. 15 de Trin. 18.
(7) Ep. 108, al. 83, cap. 4.
(8) Serm. 94.
(9) In 4, dist. 17, q. 2, art. 5.

limitatio efficaciae charitatis et contritionis perfectae neque in S. Scriptura, neque in Ss. Patribus, neque in *Conc. Trident.* invenitur, et a summis Pontificibus reprobata fuit. Certum autem est, contritionem non iustificare sine voto sacramentum suscipiendi. Nonnulli putant, quod sufficiat *votum implicitum*, quia iuxta Concilium in contritione perfecta *includitur*, votum autem alicuius rei in alio inclusum est votum implicitum: alii vero *votum explicitum* requirunt. Distinguere autem oportet illos, qui praeceptum divinum confessionis inculpabiliter ignorant, ab iis, quibus hoc praeceptum sufficienter promulgatum est; pro prioribus sufficere potest votum implicitum, in posterioribus autem requiritur explicitum, quia generatim quoad omnia praecepta, quando urgent, si ea actu ipso observare non possumus, saltem veram et efficacem voluntatem, ac ideo explicitum votum ea observandi habere debemus.

Nota 2. Nonnulli theologi pro contritione perfecta, quae iustificet, magnum intensionis gradum exposcunt, quia, si a Patribus et Conciliis ipsum poenitentiae sacramentum *baptismus laboriosus* nominatur, multo maiori labore opus est, ut quis sine sacramento actu suscepto iustificetur. Communiter autem theologi docent, quod contritio perfecta, quantumvis remissa et non ita intensa peccatorem etiam extra sacramentum poenitentiae iustificet, quia Scripturae, Patres et Concilia charitati et contritioni perfectae hunc effectum adscribunt, quin intensionis gradum determinent. Sed etiam istae sententiae conciliari posse videntur, si attendatur, quod omnes admittunt, ordinarie non sine difficultate et virium intensione fieri, ut peccator praesertim inveteratus cor suum ab obiectis antea amatis penitus avellat et ad Deum perfecte convertat, Deum super omnia bona diligat, et peccata super omnia mala detestetur firmumque propositum concipiat non solum omnia peccata et peccandi occasiones vitandi, sed etiam omnes obligationes adimplendi et pro peccatis commissis debitam satisfactionem praestandi. Talem, qui ad hanc charitatem et contritionem perfectam pertingit, etiamsi in infimo gradu constituta sit, etiam extra sacramentum iustificari, argumenta allata probant.

Nota 3. Si *Paulus* miro modo conversus et iam *vas electionis* appellatus, atque *Cornelius* (1) vir *religiosus et timens Deum* dictus, nihilominus baptizati sunt; non potest inde inferri, eos per charitatem perfectam non fuisse iustificatos, quia baptismum receperunt, non ut a peccatis, quae iam extincta erant, mundarentur, sed ut conditionem a Christo praescriptam adimplerent, atque externum gratiae signum haberent. Ideo de Cornelio (idemque valet de Paulo) *S. Augustinus* (2) scribit: « Cornelius audiens et credens, quod praedicaverit Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem baptismum cum suis, qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti; verumtamen nec visibile sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus lavaret quodammodo vestimenta sua.» — Neque, si peccata per contritionem perfectam remittuntur, ideo inutilis fit sacramenti susceptio, quia iuxta doctrinam catholicam remissio peccatorum per actum charitatis aut contritionis non confertur nisi intuitu et virtute sacramenti, quod operatur, « vel in voto existens vel in actu se exercens,» ut

(1) Act. 10.

(2) Quaest. 33 in Numer. n. 9.

loquitur S. *Thomas* in suppl. (1). Hinc si culpabiliter sacramentum non suscipiatur, deest voluntas praeceptum divinum adimplendi, deest perfecta contritio, et ideo non obtinetur iustificatio; aut si per priorem perfectam charitatem obtenta fuerit, per novum peccatum amittitur. In hoc sensu intelligendi sunt Ss. Patres, dum hinc-inde asserunt, per sacramenta tantum baptismi, aut poenitentiae iustificationem obtineri; loquuntur enim contra illos, qui istorum sacramentorum susceptionem culpabiliter protrahunt.

II. *Ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum non est necessaria contritio charitate perfecta.*

§ 640. Ante *Concil. Tridentinum* saltem usque ad S. *Thomam* veteres scholastici passim propugnarunt perfectae contritionis necessitatem ad sacramentum poenitentiae cum fructu percipiendum. Sed post *Concilium Tridentinum*, licet, teste *Pallavicino* (2), Patres nullam notam veteribus illis theologis propter istam sententiam inurere voluerint, solis *Iansenistis* et paucis theologis exceptis, Catholici omnes tradunt, contritionem perfectam, quae iustificat ante sacramentum susceptum, non esse dispositionem necessario requisitam ad istud cum fructu suscipiendum. Veritas huius sententiae *ex ipsa sacramenti poenitentiae a Christo instituti natura, ex Concilio Tridentino*, et *ex proscriptione propositionum huic sententiae adversantium* probatur.

1. Sacramentum poenitentiae, ut ex iam dictis constat, saepe cum baptismo comparatur et altera tabula dicitur, per quam homo amissam per peccatum gratiam recuperare potest. Sacramentum ergo poenitentiae per se institutum est ad suscitandos homines a morte peccati, et ideo dicitur sacramentum mortuorum sicut et baptismus: hinc ex institutione sua vim habet conferendi primam gratiam et expellendi peccatum mortale; alioquin non esset remedium fini proportionatum; ergo necesse non est, ut supponat iam dimissum peccatum per contritionem perfectam, alias nusquam efficeret id, ad quod efficiendum est a Christo institutum. Id confirmatur ex iis, quae § 635 probata sunt. Teste enim S. Scriptura et constanti traditione, Ecclesia veram accepit a Christo potestatem dimittendi peccata per absolutionem sacramentalem, nec declarandi solum ea esse remissa; atqui si necesse foret, poenitentem habere perfectam contritionem antequam sacramentaliter absolvatur, absolutio peccata non dimitteret, sed iam dimissa supponeret per contritionem perfectam; ergo declarativa tantum foret peccati iam dimissi; quod absurdum nullus Catholicus, qui potestatem clavium Ecclesiae concessam credit, admittere potest. His accedit, quod lex nova longe facilior, suavior et levior est veteri, dicente Christo: *Iugum meum suave est et onus meum leve.* Atqui si in poenitentiae sacramento requireretur actus perfectae contritionis, lex nova facilior ac levior non esset circa remissionem peccatorum assequendam; nam in antiqua lege sufficiebat actus contritionis perfectae sine sacramento aut eius voto; nunc autem praeter actum perfectae contritionis requiritur sacramentum, quod sane non sine aliqua molestia et difficultate suscipi potest. Opponent quidem aliqui, legem novam faciliorem et suaviorem esse, non quod maior

(1) Quaest. 18, art. 1.

(2) Hist. C. T. lib. 12, c. 12, n. 6.

maior perfectio non requiratur, sed quia maior et efficacior gratia confertur. Et id ultro admittimus, et ex hoc ipso inferimus, sacramentum poenitentiae in nova lege institutum esse, ut tanquam instrumentum gratiae ex homine nondum perfecte contrito peccatum, quod adhuc adest, expellat, et eidem gratiam sanctificantem, quam nondum habet, conferat et charitatem habitualem infundat; quod idem et in baptismo fieri omnes admittunt.

2. A *Conc. Tridentino* duplex distinguitur contritio Sess. XIV, cap. 4: altera, quae aliquando charitate perfecta est hominemque cum Deo reconciliat, priusquam sacramentum actu suscipiatur; altera imperfecta, quae quamvis sine sacramento per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, eum tamen ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Supponit igitur *Tridentinum* et pro certo habet *primo*, non esse necessariam perfectam contritionem ad sacramentum rite suscipiendum; alioquin non *aliquando* dumtaxat, sed *semper* peccator, priusquam sacramentum actu susciperet, iustificatus foret; et *secundo*, peccatorem vulgo ad iustificationem perduci in sacramento poenitentiae per solam contritionem imperfectam sive attritionem. Ideo ibidem addit: *Contritionem imperfectam, quae attritio dicitur... quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponere.* Quibus verbis Concilium declarat, contritionem, quae non sufficit extra sacramentum, cum sacramento ad gratiam iustificantem consequendam sufficere, et ideo contritionem perfectam minime dispositionem ad illud necessariam esse.

3. Accedit, damnatam esse hanc Baii propositionem (n. 58), quae sententiam oppositam expressam continet: « Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur. » Iam vero si necessaria esset contritio perfecta ad rite suscipiendum sacramentum poenitentiae, nunquam ministerio sacerdotis absolventis, sed semper a solo Deo peccator vivificaretur. Praeterea in hypothesi adversariorum statuendum esset, sacramentum poenitentiae *in re nunquam* producere effectum, quem significat, producere autem illum *semper in voto*, quod procul dubio iam in se absonum est. Merito igitur *Clerus Gallicanus* in comitiis generalibus anno 1700 declaravit: « Haec duo ex sacrosancta Synodo Tridentina monenda et docenda esse; primum ne quis putet in utroque sacramento (baptismo et poenitentia) requiri ut praeviam contritionem illam, quae fit charitate perfecta, et quae cum voto sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliat. Alterum etc. » Et *S. Facultas Parisiensis* anno 1638 in censura libri de virginitate a Claudio Seguenotio editi dicit: « Quae tradit auctor de attritionis insufficientia, et contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum sacramentum poenitentiae, et quae addit et approbat de absolutione, quod nihil aliud sit quam declaratio iuridica peccati iam remissi, damnavit quoque facultas et censuit, has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi et omnino tutae praxi Ecclesiae contrarias, efficaciae sacramenti poenitentiae immi-

nutivas, et insuper temerarias et erroneas. »

Nota. Qui contritionem perfectam ad sacramentum poenitentiae necessariam iudicant, nobis opponunt, hanc sententiam a *Concilio Tridentino* damnatam non fuisse, scholasticos eam per tria et amplius saecula communi consensu propugnasse, eandem dictis Ss. Patrum conformem esse, ut *S. Gregorius M.* et *S. Augustinus* aperte tradunt, vivum esse oportere, qui peccata confitetur, nec quemquam esse absolvendum, nisi quem sacerdos cognoverit vivificatum; et etiam *S. Thomam* (1) docuisse, confessionem ordinari directe ad dimissionem poenae. — Ast si *Conc. Tridentinum* in praefatam sententiam anathema non tulit, eam tamen apertissime reprobavit, atque ideo si non ut haeretica damnanda, saltem ut falsa reiicienda est. Veteres theologi vel ante *Concilium Tridentinum*, ubi doctrina Ecclesiae non satis declarata fuerat, innoxie aberrarunt, vel per contritionem ad sacramentum poenitentiae necessariam non eam, quae extra sacramentum iustificat, sed eam, quam attritionem dicimus quae autem cum charitate saltem initiali coniucta est, intellexerunt; de potestate autem clavium Ecclesiae concessa nullatenus dubitarunt, et ideo ab erroribus Novatorum longe remoti fuerunt. Quid Ss. Patres de potestate remittendi peccata Ecclesiae concessa senserint, patet ex eorum testimoniis § 635 n. 2 citatis. Constans est eorum doctrina, Deum esse, qui interiori gratia sua peccatores vivificat et mundat; sacerdotes vero non esse nisi causas instrumentales, quibus Deus utitur ad peccata mundanda, ut exponit *Catechismus rom.* (2). Dum ergo dicunt, vivos confiteri debere et nonnisi vivificatos absolvendos esse, non vitam plenam et perfectam resurrectionem, quae per iustificationem obtinetur, exposcunt, sed vitam inchoatam et inchoatam resurrectionem, quam imperfecta contritio operatur per gratiam actualem, quae animam interius movet et excitat. Id patet ex ipsis *S. Gregorii* verbis, qui in eadem Hom. (3) scribit: « Ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. » Idem patet ex verbis *S. Augustini,* qui Serm. 98 de verbis Dom. (4) aperte de illis qui sacerdotum obiurgationibus « displicentes sibi mutare vitam instituunt, » affirmat: « Resurrexerunt isti, revixerunt, quibus displicet, quod fuerunt; sed reviviscentes ambulare non possunt. Haec sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo, ut qui revixit, solvatur, et ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: *Quae solveritis* etc. » Si *S. Thomas* l. c. communem illius temporis sententiam secutus est, postea eandem mutavit; in Summa (5) affirmat, absolutionem Sacerdotis vere id operari, quod verba significant; et in supplem. (6), reprobat eorum sententiam, qui dixerunt, absolutionem sacerdotalem ordinari non ad remissionem culpae, sed tantummodo ad remissionem poenae, atque docet, quod « virtus clavium operatur ad culpae remissionem vel in voto existens, vel in actu se exercens, sicut et aqua baptismi. »

III. *Attritio ex solo metu gehennae, seu poenarum timore concepta bona est, et utilis.*

§ 641. Haec propositio contra Protestantes et Iansenistas defendenda

(1) In 4, dist. 21, art. 2.
(2) De poenit. n. 35. (3) 36 in Evang. n. 6.
(4) Al. 44, c. 6. (5) 3, q. 84, art. 3.
(6) Quaest. 18, art. 1.

est. Ut autem status quaestionis determinetur, cum *S. Thoma* (1) quadruplex timor distinguendus, nempe *mundanus, servilis, initialis* et *filialis*. *Timor mundanus* est fuga mali temporalis per offensam Dei. *Timor servilis* est fuga peccati propter poenam a Deo infligendam, et hic distinguitur in simpliciter servilem et serviliter servilem: timor *simpliciter servilis* est fuga peccati propter poenam a Deo infligendam *sine affectu* illius committendi, si haec abesset; timor *serviliter servilis* est fuga peccati propter poenam a Deo infligendam *cum affectu* illius committendi, si haec abesset, unde *servilitas* est vitium timentis, non timoris; nam, ait *S. Thomas* loc. cit.: « Servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis. » Ista duo maligne confundunt Novatores, et quae de timore serviliter servili, qui malus est, a Ss. Patribus dicuntur, ea transferunt ad timorem simpliciter servilem. *Timor filialis* seu *castus* est ille, quo quis fugit peccatum, quatenus est offensa Dei propter se supra omnia dilecti. *Timor initialis* seu *mixtus*, quoniam ex praecedentibus coalescit, est timor culpae propter offensam Dei et propter poenam infligendam. — Omnes admittunt, bonum et laudabilem esse timorem tum filialem tum initialem, quia uterque motivo nititur laudabili et honesto. Omnes pariter concedunt, malum et vitiosum esse timorem tam mundanum, quam etiam serviliter servilem propter affectum peccati, qui intrinsece malus est sicut ipsum peccatum. Tota ergo quaestio versatur circa timorem *simpliciter servilem*, et quaeritur, utrum attritio ex tali timore concepta sit bona, utilis et supernaturalis. - *Lutherus*, quia perperam sentiebat omnem humanam actionem, quae non provenit ex charitate perfecta habituali et sanctificante, verum esse peccatum, asseruit, contritionem ex timore poenarum a Deo infligendarum conceptam liberam non esse, sed extortam, violentam et coactam, non utilem, sed noxiam, hominemque magis peccatorem et hypocritam facere (2). Qui vero cum *Baio*, *Iansenio* et *Quesnellio* sentiunt, non quidem habitualem, sed actualem charitatem proprie dictam necessariam esse dicunt ad omnem actionem humanam, ut sit moraliter bona, non verum peccatum; ii consequenter aiunt, attritionem ex solo poenarum metu conceptam vitiosam esse atque verum saltem omissionis peccatum, eo ipso quod ex motivo charitatis non fiat, nec ad Deum ut ad finem ultimum referatur. Erroris fundamentum est, nullum esse medium inter vitiosam cupiditatem et laudabilem charitatem, et quidquid ab homine fit, esse vel a cupiditate ac consequenter malum, vel a charitate ideoque rectum et honestum. Ex his principiis inferunt, attritionem ex timore poenarum conceptam nec bonam, nec supernaturalem, nec efficacem esse ad excludendam voluntatem peccandi. Contra istos aberrantes stabilienda et defendenda est doctrina catholica, quae dicit, attritionem ex solo metu gehennae et poenarum timore conceptam bonam et utilem esse, ad gratiam praeparare, non vero facere hominem hypocritam et magis peccatorem. Doctrina catholica ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, ex *Ecclesiae definitionibus*, et *rationibus theologicis* probatur.

(1) 2 2, q. 19, art. 2.

(2) V. Assert. 6, art. c. Bullam Leonis X, et Serm. de poenitent.

1. *S. Scriptura* poenarum a Deo infligendarum timorem commendat, eumque utilem declarat, ut homines a peccatis deterreantur et ad poenitentiam excitentur. Exod. II, 20 legitur: *Ut probaret vos, venit Dominus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccetis.* Prov. I, 7: *Timor Domini principium sapientiae;* et c. XIV, v. 27: *Timor Domini fons vitae, ut declinent a ruina mortis.* Eccli. I, 22 etc.: *Corona sapientiae timor Domini, replens pacem et salutis fructum..... utraque autem sunt dona Dei,* v. 25: *Radix sapientiae est timere Deum, et rami illius longaevi,* v. 27 etc.: *Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Et cap. II, v. 19 etc.: *Qui timent Dominum, inquirent, quae beneplacita sunt ei..... praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas... custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius dicentes: si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.* Quis iam negabit, his verbis timorem Dei ut bonum et utilem commendari, cum eidem saluberrimi effectus adscribantur? — Neque dici potest, haec testimonia de timore tantum filiali intelligenda esse, quia pro motivo timoris poenae adducuntur, quas homines experiuntur, dum incidunt *in manus Domini.* Et iste timor expresse *donum Dei* dicitur; unde illum David a Deo postulabat dicens: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui* (1). Plena porro sunt Prophetarum voluмina comminationibus, quibus timorem peccatoribus iniicere nitebantur, ut eos ad poenitentiam adducerent. Etiam in N. T. cum primis adhortationibus ad poenitentiam statim aeternae damnationis intonat comminatio. Praecursor Domini exclamat: *Progenies viperarum! quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructum dignum poenitentiae. — Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Christus ipse multis in locis ignem gehennae, stridorem dentium, tenebras exteriores, vermen non morientem et flammas inextinguibiles minatur. At nihil potest dici expressius, quam illud Matth. X, 28: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.* Quodsi Dominus ipse poenas aeternas minatur ad hominem a peccatis revocandum, profecto timor iste bonus et utilis est, et ad poenitentiam disponit, nequaquam autem hominem hypocritam et magis peccatorem facit. Eundem timorem donum Dei esse, ostendunt Apostoli verba Rom. VIII, 15, quibus supponit, Iudaeos timorem sub veteri lege a Deo accepisse, scribens: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Ac denique timor commendatur Apoc. XIV, 7 his verbis: *Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora iudicii eius.*

2. *Ss. Patres* doctrinam catholicam clarissimis verbis confirmant. *Tertullianus* (2) ait: « Si de exomologesi retractas, gehennam ex corde considera, quam tibi exomologesis extinguet, et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. » *Clemens Alex.* (3) scribit: « Iustitia est duplex, una quidem propter charitatem,

(1) Ps. 118, 120. (2) De poenit. c. 11. (3) Lib. 7 Strom. c. 12.

altera vero propter metum. - Iam vero abstinentiam a malis operatur is, qui timet. » Et alibi (1): « Prima ad salutem inclinatio fides apparet, post quam timor et spes et poenitentia-nos ducunt ad charitatem. » *S. Basilius* (2) dicit: « Necessario velut introductorius ad pietatem timor assumitur; dilectio vero deinceps succedens a timore scientifico adaptatos perficit. » Idem (3): « Timor salutaris est et sanctitatis operatorius. Vis enarrem qualis sit? Si quando senseris te ad unum aliquod cieri ac prosilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud nec ulli mortalium tolerabile Christi iudicium..... Haec time, et hoc timore eruditus animum a concupiscentia ad haec mala velut fraenum quodam relide. » — *S. Ambrosius* (4) inquit: « Configat has carnes timor Domini et iudiciorum eius, et servituti redigat... Sicut sunt aculei timoris quibus compungimur, ita sunt clavi timoris, quibus configimur. Qui compungitur, excitatur, qui configitur, mortificatur, ut peccato deficiat et Deo vivat...Ille dignus est, qui habet Christi timorem, ut crucifigat omne carnale peccatum. Hunc timorem sequitur charitas, quae consepulta cum Christo non divellatur a Christo, moriatur in Christo, resurgat cum Christo. » *S. Chrysostomus* (5) dicit: « Quid gehenna gravius? sed huius metu nihil utilius; gehennae namque timor regni nobis adfert coronam..... Nihil enim tantum peccata quidem consumit, virtutem vero crescere facit et germinare, quantum continui timoris natura. Propterea qui non vivit in timore, recte illum agere non est facile, sicut vicissim cum timore vi-

(1) Lib. 2 Strom. c. 6. (2) Hom. in Ps. 32.
(3) Hom. in Ps. 33. (4) In Ps. 118, v. 120.
(5) Hom 15 ad pop. Antioch. n. 2.

ventem est impossibile peccare..... Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos, de illa poena et supplicio loquens. » *S. Hieronymus* (6) ait: « Vult Deus, ut primum eius filii simus et bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, ut saltem nos servos habeat, et a malis per supplicium formidinem recedamus, ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus. » *S. Augustinus*, cuius auctoritate abutuntur adversarii, doctrinam catholicam clarissime proponit; nam Enarr. in Ps. 127 (7) inquit: « Ille timor nondum castus praesentiam (Domini) et poenas timet. Timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor, utilis est.» Enarr. in Ps. 141 (8) addit: « Ostium (cordis tui) duas habet valvas, cupiditatis et timoris. — Timoris ergo et cupiditatis ianuam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? cupiendo regnum coelorum, timendo ignem gehennarum. Per desiderium vitae aeternae Christus intrat, per cupiditatem diabolus intrat; per timorem poenarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis aeterni Christus intrat.» Serm. 161 de verbis Apost. (9): « Cum dicis mihi: gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo, quid dicturus sum? male times? vane times? non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subiecit timorem et ait, ubi dixit..... *eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehennam*

(6) Comm. in cap. 1, Malach.
(7) N. 8. (8) N. 4. (9) I Cor. 6, n. 8.

ignis, ita dico vobis, hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum : male times? ista non dicam. Plane time, nihil melius times; nihil est, quod magis timere debeas. » *S. Gregorius M.* (1) ait: « Hunc tanti timoris Iudicem ante oculos ponite : hunc venturum timete, ut cum venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror eius nos ad usum bonae operationis exerceat: metus illius vitam nostram a pravitate compescat. » *S. Bernardus* (2) inquit: « Triplex est timor. Primus timor est, ne cruciemur in gehenna: secundus, ne exclusi a visione Dei privemur tam inaestimabili gloria: tertius replet animam omni sollicitudine timidam, ne forte deseratur a gratia. Et quidem omnis timor Domini, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam. » *S. Thomas* (3) enumerans actus, « quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur, » ait : « Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur; » et ibidem ad 3 addit: « Ipse etiam motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor; unde dicitur: *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me* (4)! et ideo per hoc, quod poenitentia a timore procedit, non excluditur, quin procedat ex actu Dei convertentis cor. » *S. Bonaventura* in opusc. de grat. sanct. (5) ita praeclare loquitur : « Timor servilis donum Spiritus sancti est; nec tamen est cum Spiritu sancto sicut aurora a sole, nec tamen cum sole est. Timor servilis Spiritui sancto locum praeparat, ut eum sicut seta linum introducat. »

(1) Hom. 26 in Evang.

3. *Concilium Tridentinum* Sess. VI, cap. 6 inter dispositiones ad iustificationem etiam timorem ponit, *dum peccatores se esse intelligentes a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur.* Et can. 8: *Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.* Et Sessione XIV, cap. 4 docet: *Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Ionae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt.* Et can. 5 definit: *Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitu-*

(2) Serm. 2 in Dom. I p. oct. Epiph.
(3) 3 p., q. 85, art. 5. (4) Deut. 5, 29.
(5) Lib. 5, c. 4

dinis, et aeternae damnationis in-cursum cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit. Conformiter ad hanc Concilii doctrinam *Alexander VIII* anno 1690 damnavit sequentes propositiones 14: « Timor gehennae non est supernaturalis. » Et 15: « Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. » Denique *Clemens XI* in Constit. *Unigenitus* proscripsit sequentes *Quesnellii* propositiones; 60: « Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad perditionem. » 61: Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur. » 62: « Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et iam est reus coram Deo. » Aliisque similibus omissis 67: « Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut dominum durum, imperiosum, iniustum, intractabilem. » Ex harum propositionum damnatione facile colligitur, iuxta fidem catholicam attritionem ex metu poenarum aeternarum conceptam esse supernaturalem, etiam cor a peccato abstrahere, ad gratiam recipiendam disponere, et ideo bonam et utilem esse.

4. *Ratio theologica* petitur ex natura hominis, cuius liberum arbitrium per peccatum originale attenuatum quidem et inclinatum (1), non autem, ut Novatores volunt, extinctum fuit (2). Homo propterea etiam in statu naturae lapsae Deum ut summum bonum cognoscit et amat, nisi per rebellem concupiscentiam ab ipso abstrahatur, et ad bona vana et fallacia inclinetur. Ast aeternorum suppliciorum timor, cum rebellem concupiscentiam validissime coërceat et refraenet, impedimentum illud tollit, per quod homo ab amando Deo retrahitur. Nam si etiam poenae et aerumnae temporales, quae timentur aut sentiuntur, pravos concupiscentiae motus reprimunt et hominem ad poenitentiam perducunt, ut exempla habemus in Ninivitis, in Manasse, in filio prodigo, etc.; multo magis salutaris hic effectus aeternarum poenarum timori adscribendus est. Et cum poenae aeternae, quas minatur Deus, nonnisi per fidem supernaturalem cognoscantur, quis dubitabit, talem timorem, quem gratia in peccatoribus excitare solet supernaturalem, bonum et utilem esse? — His accedit per praefatum timorem iustitiam divinam honorari, atque ideo homines ex metu gehennae se emendantes vere propter Deum peccata vitare et legem implere.

Nota. Novatores varias cavillationes doctrinae catholicae opponunt, quas dissipare oportet.

Obi. I. Timor opponitur charitati, et ideo ex animo fidelium expellendus dicitur: I Io. IV, 18: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet. Qui autem timet non est perfectus in charitate.* Hinc Paulus Christianos alloquens dicit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum* (3); ergo timor non est donum *Dei*. Imo quae ex solo timore fiunt, mala sunt, dicente Apostolo: *Si charitatem non*

(1) § 216. (2) § 217. (3) Rom. 8, 15.

habuero, nihil sum..... nihil mihi prodest (1).

Resp. Quoad verba Ioannis duplex est responsio. Iuxta nonnullos charitas foras mittit timorem hominum, timorem mundanum seu serviliter servilem, non autem filialem seu simpliciter servilem. *S. Augustinus* ipse (2) inquit: « Perfecta charitas foras mittit timorem, sed timorem hominum, non Dei, temporalium malorum, non divini in fine iudicii. » Iuxta alios Ioannes loquitur de timore suppliciorum divinorum et dicit, charitatem expellere hunc timorem non tanquam malum et contrarium, sed eo tantum modo, quo medium excluditur a fine, seu minus perfectum a magis perfecto, sicut in coelesti patria fides et spes excluduntur a visione beatifica. Ideo *S. Augustinus* (3) scribit: « *Timor non est in charitate.* Sed in qua charitate? Non inchoata. In qua ergo? sed *perfecta*, inquit, *charitas foras mittit timorem.* Ergo incipiat timor, quia *initium sapientiae timor Domini.* Timor quasi locum praeparat charitati. Cum autem coeperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei praeparavit locum. Quantum enim illa crescit, iste decrescit; et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor, minor charitas, maior timor. Si autem nullus timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum; quando aliquid suitur, prius intrat, sed nisi exeat, non introducit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem..... Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas. » Pauli sententia est, Iudaeos praecipue per timorem, Christianos vero per amorem ad legem implendam incitari. Sicuti autem in V. T. per timorem non exclusus est amor, qui etiam praecipiebatur; ita in N. T. per charitatem non excluditur timor filialis et simpliciter servilis, quem donum Dei esse Scriptura testatur. In altero loco Apostolus dicit, opera sine charitate nihil prodesse in ratione meriti ad vitam aeternam, non autem negat, timorem prodesse in ratione dispositionis ad iustificationem. Et sane si timor nihil prodesset, Christus eum non commendasset.

Obi. II. Ss. Patres passim timorem reprobant tanquam malum; docent, per timorem peccata quidem externa cohiberi, sed interiores ad illa affectus non reprimi, et ipsa opera legi conformia bona non esse, si ex timore poenarum perficiantur. Sic *S. Augustinus* (4) ait: « Quando timore poenae, non amore iustitiae fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere. »

Resp. Persaepe Patres reprobant timorem mundanum, qui ad peccatum inducit; aut etiam reprobant timorem serviliter servilem, non autem simpliciter servilem; hunc enim timorem nunquam desistunt inculcare Patres atque commendare. Hincinde etiam observant Patres, quod timor servilis tollat quidem affectum actualem, non autem habitualem ad peccatum, quod solius charitatis est, et quod ideo, qui timet, nondum propterea sanctus et iustus sit ac vere ad Deum conversus, sed quod ad hoc necesse sit, ut ad spem et charitatem progrediatur. Ideo etiam conten-

(1) I Cor. 13, 2, etc.
(2) Lib de Virgin. cap. 38.
(3) Tract. 9 in I Epist. S. Ioann. n. 4.
(4) Lib. 2 c. duas Epist. Pelag. c. 9. n 21.

dunt, ea, quae ex solo timore fiunt, non bene, id est, non perfecte (si cum operibus ex charitate factis comparentur), aut non meritorie pro vita aeterna fieri, (si nondum iustificatio obtenta fuerit). His notatis, obiecta *S. Augustini* et aliorum Patrum loca facile explanantur.

Obi. III. Ille timor non est bonus et laudabilis, quo magis timetur poena, quam culpa, quia culpa est malum multo maius quam poena; atqui per timorem servilem, quo quis ex solo poenarum metu a peccato abstinet, plus timetur poena quam culpa; ergo talis timor bonus et honestus non est.

Resp. Cl. *Thomas ex Charmes* tract. de poenit. (1) primo retorquet argumentum dicens: « Servus diligit dominum propter cibum, quem ab eo expectat, ergo magis diligit cibum, quam dominum: nemo certe admittet hanc consequentiam; ergo nec istam: poenitens detestatur culpam propter poenam, ergo magis detestatur poenam, quam culpam. » Secundo negat minorem et ait: « Ratio est, quia licet poena sit finis proximus detestationis peccati, non tamen excludit finem ultimum, qui est Deus, ad cuius gloriam culpae detestatio ac metus poenae est referibilis, et quamdiu non excluditur, in illum refertur, tum ex natura et intentione operis, tum ex intentione operantis saltem implicite. »

Obi. IV. Qui ex timore gehennae a peccato abstinet aut de eo dolet, convincitur non amare nisi seipsum, idque eo magis, quo magis timet; talis ergo timor *ab amore proprio* progenitus inordinatus est et malus.

Resp. Id, quod ab amore proprio inordinato progignitur, malum est, non autem, quod ex amore sui ordinato et honesto procedit. Amor autem sui, quatenus ordinatus est ad aeternam felicitatem, quae illi tanquam finis proponitur, bonus est atque a Deo in animum iniectus; ideoque et bonus est timor peccati, qui inde nascitur, ne suo fine et felicitate homo privetur. Alioquin quoties Sancti propter aeternam retributionem mali aliquid passi sunt, aut aliquid boni sunt operati, toties graviter deliquissent, quod nemo nisi insanus affirmare audeat. Ille vero saltem interpretative, ut dicitur, seipsum ut finem ultimum constitueret; adeoque perverse seipsum amaret, atque ex prava dispositione peccaret, qui metueret timore serviliter servili. Hic enim timeret poenam ut summum malum, id est, magis poenam quam culpam, in quo servilitas consistit. Hic timor profecto neque attritionem gignit, neque ad iustificationem disponit. Nos autem disserimus de timore, qui voluntatem a culpa removeat (2).

(1) Q. 3, art. 1.

IV. *Ut attritio in sacramento poenitentiae sufficiat, coniuncta esse debet cum amore Dei initiali.*

§ 642. Gravissima inter Catholicos agitatur controversia circa attritionem e turpitudinis peccati consideratione, vel e gehennae metu conceptam. Omnes quidem huiusmodi attritionem, qualem describit *Synodus Tridentina* Sess. XIV, cap. 4, bonam et utilem esse, hominemque ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponere, contra Lutherum fatentur. Verum si ab iisdem perquiramus, an cum sacramento haec attritio absque initiali Dei amore sufficiat, alii affirmando, alii negando respondent. Post *Concilium Tridentinum* multi gravesque theologi affirmarunt, attritionem, quae *formido-*

(2) V. Perrone de poenit. cap. 2, prop. 1.

losa dici consuevit, nempe attritionem ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae metu conceptam, voluntatem peccandi excludentem, sed amore Dei destitutam sufficere ad iustificationem in sacramento poenitentiae obtinendam. Sententiam suam praecipue ex *Concilio Tridentino* comprobare nisi sunt, quod Sess. XIV, cap. 4 disserit de sincera peccatorum detestatione, de melioris vitae instituendae proposito, de spe veniae obtinendae, tanquam de dispositionibus ad sacramentum necessario offerendis, nullius tamen vel initialis divini amoris mentionem facit; ex quo inferunt, Concilium existimasse, attritionem cum sacramento sufficere absque Dei dilectione ad hominis iustificationem Hanc sententiam *Franc. Victoria*, *Domin. Soto et Melchior Canus* primo tradidisse videntur. Emicuerunt inter eiusdem sententiae patronos *Franc. Suarez* et *Gabriel Vasquez*, quos innumeri theologi secuti sunt, inter quos praesertim Cardinalis *de Lugo*, *Dom. Viva*, Card. *Gotti* et *S. Alphonsus de Ligorio* nominari merentur. — Recentioribus tamen temporibus praevaluit sententia contraria, et communior facta est in scholis doctrina eorum, qui dicunt, attritionem, ut in sacramento poenitentiae ad obtinendam iustificationem sufficiat, cum amore Dei saltem initiali coniunctam esse debere. Haec sententia ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, ex *Conc. Tridentino*, ex *Scholasticis* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scripturae* ad iustificationem peccatoris veram ad Deum conversionem cordis requirunt, ut Deut. IV, 29; Isa. LV, 7; Ezech. XXXIII, 11; Ioël II, 12; Zachar. I, 3; *Convertimini ad me — et convertar ad vos*, et alia eiusdem generis testimonia pene innumera; ergo non sufficit, ut cor peccatoris timore perculsum a creaturis, quibus conglutinatum est avellatur, sed requiritur quoque, ut ad Deum, a quo aversum est, convertatur et revertatur, quod nonnisi per actum dilectionis fieri potest. Matth. XXII, 37 etc., Christus ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.* Quomodo autem iustificari poterit, qui maximum et primum mandatum adimplere ne incipit quidem? Huic profecto Scripturarum testimonia non remissionem peccatorum pollicentur, sed anathema dicunt et mortem minantur. Scriptum est enim: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema* (1). Et: *Qui non diligit, manet in morte* (2).

2. *Ss. Patres* ad veram poenitentiam et peccatoris iustificationem Dei amorem exigunt. *S. Clemens Rom.* (3) scribit: « Beati sumus, si praecepta Domini in charitatis concordia impleverimus, ut per charitatem peccata nostra nobis remittantur. » *S. Chrysostomus* (4) ait: « Cum peccaveris, ingemisce, non quod poenas daturus sis; nihil enim (id est, non sufficiens) hoc est, sed quod Dominum Deum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuae appensum, ut Filium quoque suum tua causa tradiderit. » *S. Augustinus* (5) inquit: « Neque id fit veraciter atque sinceriter, nisi vera dilectione iustitiae. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur. » Alibi (6): «Etsi mandatum

(1) I Cor. 16, 22. (2) I Io. 3, 15.
(3) Epist. 1 ad Corinth. n. 50.
(4) Hom. 4 in II Cor. n. 6.
(5) Lib. 21 de civ. Dei, c. 16
(6) Lib. de gratia Chr.

Dei videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur; » quibus verbis S. Doctor non reprobat timorem, nisi serviliter servilem; necessitatem autem dilectionis ad omne opus bonum ac ideo etiam ad veram poenitentiam clare tradit. *S. Leo M.* Serm. 92 c. 1 postquam observasset, praeceptum dilectionis Dei et proximi ad utrumque testamentum pertinere, subdit: « Tantaque est sub huius geminae charitatis edicto utriusque copula testamenti, ut sine istarum connexione virtutum nec lex quemquam inveniatur iustificasse, nec gratia: » censet ergo magnus hic Ecclesiae Doctor, solam attritionem sine dilectione modo non sufficere, sicut nec olim sufficiebat sub lege. *S. Caesarius* (1) ait: « Poenitentiam certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei. » *S. Gregorius M.* lib. 3 Pastor. (2) ita praeclare loquitur: « Admonendi sunt, qui flagella metuunt, ut si malis veraciter carere desiderant, aeterna supplicia perhorrescant, neque in suppliciorum timore permaneant, sed amoris gradum nutrimento charitatis excrescant... Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse, quod metuat, ut audacter illicita committat. » Idem (3) dicit: « Qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? — Unde et salubriter confiteri volentibus quid Scriptura insinuat dicens: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem?* Quid est corde credere ad salutem, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad iustitiam per amorem dirigit, per initium bonae voluntatis fructum habet bonae conversionis. » *S. Bernardus* de diligendo Deo (4) ostendit, « solam charitatem ab amore sui et mundi avertere posse animam et ad Deum dirigere. Nec timor quippe nec amor privatus convertunt animam: mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam. Facit quidem nonnunquam et servus opus Dei, sed quia non sponte, in sua adhuc duritie permanere cognoscitur: facit et mercenarius, sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur. »

3. *Concilium Tridentinum*, quamvis Sess. XIV, cap. de attritione loquens expresse de initiali Dei amore mentionem non faciat; mentem tamen suam alibi explicat, et initialis erga Deum amoris necessitatem clare profitetur. Nam Sess. VI, c. 6 postquam recensuit actus fidei, timoris et spei necessarios in iis, qui se praeparant ad iustificationem, de amore addit: *Deumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt.* S. Synodus ergo ad iustificationem requirit amorem initialem perinde ac actus fidei et spei, quos necessario praerequiri nemo negaverit. Neque hic sermo est de dispositionibus tantum necessariis ad obtinendam iustificationem extra sacramentum, sed loquitur potius de iis, quae in sacramento requiruntur, et speciatim in baptismo, ut contextus capitis manifeste docet. Prosequitur enim S. Synodus: *Propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere baptismum.* Quodsi dispositiones istae ad baptismum requiruntur, multo magis necessariae sunt ad poenitentiam, quae cum baptismo ut

(1) Serm. de nat. Dom. (inter opp. S. Augustini in append. Ser. 117, n. 2.

(2) Admon. 14. (3) Comm. in I Reg. lib. 6, c. 2, n. 33. (4) Cap. 12.

altera tabula comparatur et baptismus laboriosus dicitur. Ex citatis ergo Concilii verbis recte necessitas amoris initialis cum attritione coniungendi probatur. Nec refert, quod Sess. XIV, cap. de attr. de isto amore non loquatur, quia in isto cap. Novatorum errores reprobare, non controversias theologorum dirimere voluit. Consulto ideo dicit, attritionem poenitenti *viam ad iustitiam parare*, non autem *sufficere;* quae vox suppressa fuit, quia omnium in Concilio praesentium sententia fuit, ad obtinendam in sacramento poenitentiae iustificationem aliquem Dei amorem omnino esse necessarium, uno excepto, qui contra sentiebat (1).

4. *Scholasticorum* sententiae propositionem nostram confirmant. Ante *Conc. Tridentinum* communi consensu eam tradiderunt. Nam, ait *Benedictus XIV* (2) : « Quamvis ante *Tridentinum* communiter theologi docuerint, ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae obtinendam satis esse contritionem imperfectam, quam iam tum *attritionem* nuncupabant; *attritionis* tamen nomine nunquam dolorem intellexerunt de peccato aliunde excitatum, quam ex motivo charitatis, seu omnino seiunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili seu initiali amore benevolo Dei, sicut testatur doctissimus *Morinus* » (3). — Et sane scholasticorum antesignani necessitatem alicuius amoris cum contritione coniungendi propugnarunt. *S. Thomas* c. Gentes (4) scribit : « Primum, quod in poenitentia requiritur, est ordinatio mentis; ut scilicet mens convertatur ad Deum, et avertatur a peccato dolens de commisso, et proponens non committendum, quod est de ratione conversionis. Nec vero mentis reordinatio sine gratia esse potest; nam mens nostra debite ad Deum converti non potest sine charitate; charitas autem sine gratia haberi non potest. » Et in Summa (5) : « Actus virtutis poenitentiae est contra peccatum ex amore Dei. » Ibid. (6) : « Offensa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile : unde requiritur ad remissionem divinae offensae, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis praedictae. » *S. Bonaventura* (7) inquit : « Sacramenti nemo recipit effectum, nisi charitatem habeat saltem in principio confessionis, vel in medio, vel in fine. Multi habent in fine, qui non habent in principio. » *Ioan. Scotus* (8) ait : « Contritio ad hoc, ut sit dispositio ex congruo ad receptionem gratiae, oportet... quod homo poeniteat non solum propter timorem poenae, sed timore filiali... si timor non sit cum amore, non disponit ex congruo. » Equidem post *Conc. Trident.* multi theologi contrariam sententiam propugnarunt. Verum, ait *Benedictus XIV*, loco cit. : « Qui inter istos doctiores et sapientiores habentur, pavidi quodammodo et meticulosi ac magna cum cautela illi recenti opinioni subscripserunt, quam ipsemet Canus nonnisi dubitanter adstruxerat (9) inquiens : Contritio ponitur pars sacramenti, quia est certa et indubitata materia. Quod autem attritio sufficiat quamvis verum sit, non est adeo certum et indubitatum; et ideo *Concilium Florentinum* communisque sententia tenens certum, relinquens incer-

(1) Cf. Pallavicini, Hist. Conc. Trident. lib. 12, c. 10, n. 24.
(2) Lib. 17 de Syn. Dioec. cap. 13.
(3) Lib. 8 de poenit. c. 4.
(4) Lib. 4, cap. 72.
(5) 3 p., q. 85, art. 6. (6) Quaest. 86, a 2
(7) In 4 sent. dist. 18. (8) Ibid.
(9) P. 5, relect. de poenit.

tum ponit, contritionem partem esse huius sacramenti. Hac eadem moderatione loquitur *Suarez* etc..... Sed quod isti tanta adhibita circumspectione affirmarunt, posteriores doctores ob auctum sibi consentientium numerum animosiores facti non solum absque ulla dubitatione et limitatione asseruerunt, sed contrariam sententiam requirentem in poenitente aliquem charitatis amorem saltem initialem, carpere et censura afficere non dubitarunt, eam omnino improbabilem, periculosam, *Tridentini* menti contrariam, atque implicite et virtualiter ab eodem *Tridentino* proscriptam dictitantes. » Sed his non obstantibus plurimi theologi doctrinae veteri inhaeserunt, et necessitatem amoris saltem initialis cum attritione coniungendi asseruerunt, ut *S. Carolus Borrom.*, *Ioan. Morinus*, *Natalis Alex.*, *Habert*, *Iuenin*, *Hon. Tournely*, *Billuart*, *Gazzaniga*, *Drouven* et alii. Imo Clerus Gallicanus anno 1700 hanc sententiam, ut unice securam commendavit et contrariam proscripsit.

5. *Rationem theologicam* repetit *Hon. Tournely* ex notione contritionis, quae iuxta *Tridentinum* (1) definitur: *Animi dolor, et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.* Dolor autem animi iuxta *S. Augustinum* (2) in amore fundatur rei illius, de cuius iactura dolemus: ergo Deus amandus est, ut de eius iactura debitus dolor concipiatur. Dein contritio est detestatio seu odium peccati commissi: at non potest homo vere detestari et odisse peccatum, quatenus est offensa Dei, sine aliquo saltem imperfecto Dei amore. Nam, ait *S. Augustinus* (3): « Tantum quisque peccatum odit, quantum iustitiam diligit. » Denique contritio tum perfecta, tum imperfecta non solum negative, sed positive excludere debet voluntatem peccandi, et firmum includere propositum vitae melioris: in hoc autem necessario continetur voluntas adimplendi primum, et maximum mandatum, quo Deum ex toto corde etc. diligere iubemur.

Nota 1. Theologi, qui necessitatem amoris cum attritione coniungendi propugnant, non consentiunt, cum de qualitate huius amoris quaeritur. Duplex enim distinguitur amor, nempe *amor amicitiae* seu *benevolentiae*, quo Deus super omnia diligitur propter se, seu quia in se summe bonus et perfectus est; et *amor concupiscentiae* seu *spei*, quo Deus super omnia diligitur, quia nobis bonus est, nostra beatitudo et finis ultimus. — *Honorat. Tournely, Sardagna, Thomas ex Charmes* et multi alii contendunt, ut in sacramento poenitentiae per attritionem iustificatio obtineatur, non opus esse amore benevolentiae, sed sufficere amorem concupiscentiae seu spei, quod sequenti argumentatione probant: iuxta probata (§ 639) amor benevolentiae seu vera charitas in quovis gradu intentionis iustificat ante actualem sacramenti susceptionem: ergo non est necessaria dispositio ad iustificationem in sacramento percipiendam (§ 640). Hinc *S. Bonaventura* ait (4): « Non oportet igitur, quod actus poenitentiae formatus, qui dicitur contritio, praecedat, sed sufficit quod actus sit informis, utpote attritio. » Et *S. Thomas* (5): « Ad hoc, ut homo se praeparet ad gratiam in baptismo recipiendam, praeexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio praecedens, etsi non sit con-

(1) Sess. 14, cap. 4.
(2) Lib. 14 de civ. Dei, c. 7.
(3) Epist. 145, al. 144

(4) In 4 sent. dist. 4, dub. 1.
(5) In 4 sent. dist. 6, art. 3 ad 5.

tritio : » ergo contritio, quae charitatem includit, seu amor benevolentiae non requiritur ad iustificationem in sacramento poenitentiae obtinendam, et ideo sufficit amor spei seu concupiscentiae. – At, teste *Benedicto XIV*, loco cit., theologi ante *Conc. Trid. amorem benevolum*, cum attritione coniungendum esse docuerunt, atque eandem sententiam *Billuart*, *Gazzaniga*, *Berti* aliique ex ipso *Concilio Tridentino* probant, quod dilectionem, quam ad iustificationem requirit, a spe aperte distinguit Sess. VI, can. 3, et praeter spem exigit; nam Sess. VI, can. 6 cum dixisset: *In spem eriguntur fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore*, mox addit: *Illumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt:* in quae verba cl. *Suarez* (1) inquit: « Diligere Deum ut omnis iustitiae fontem non est diligere amore concupiscentiae, sed est diligere Deum ut auctorem gratiae et omnium bonorum supernaturalium, quomodo charitas diligit ipsum.....Nec vero, dicit Concilium, hunc amorem pertinere ad spem, sed potius praesupponere spem. » Ipsum autem Concilium dicit, hunc amorem in rite dispositis *incipere*, loquitur ergo de amore benevolo inchoato et imperfecto: hunc vero etiam patroni prioris sententiae non excludunt, sed cum attritione coniungunt. Audiatur *Thom. ex Charmes*, qui de sacr. poen. q. 3, art. 2 notat: « In amore formali concupiscentiae reperiri amorem virtualem benevolentiae; nam attritio ex amore concupiscentiae concepta importat firmum melioris vitae et mandatorum Dei observationis propositum, inter quae dilectio primum locum tenet; sed qui proponit Deum diligere, iam virtualiter diligit, cum sit proxime dispositus ad illum propter se diligendum, et ex *D. Thoma* dispositio proxima ad aliquid sit initium seu inchoatio illius. »

Nota 2. Observant nonnulli, quod etiam in motivis, quae pro sola attritione adducuntur implicite saltem amor iustitiae seu amor Dei contineatur. Nam attritio concipitur *ex turpitudinis peccati consideratione*. Ast sub hac turpitudine abs dubio intelgitur non extrinseca seu infamia, quam peccans incurrit, sed illa, quae peccato est intrinseca, et quae ipsum peccatum constituit, estque defectus et declinatio a iustitia. Sed qui dolet de defectu iustitiae, seu qui non vult defectum iustitiae, ille iam vult iustitiam ac proin desiderat, et amat iustitiam; et quia iustitia est ipse Deus, talis iam amat Deum. Ideo *S. Thomas* (2) charitati tribuit contritionem, quae oritur ex consideratione turpitudinis peccati. Attritio autem etiam *ex gehennae et poenarum metu* concipitur, gehenna vero tum poenam sensus, tum poenam damni seu aeternae beatitudinis iacturam importat. Certe si quis poenam sensus declinare velit ex solo impetu sensus, talis conatus non erit iustus dolor, non erit actus virtutis, sed vitium, eo quod ex solo sensu nequidem comedere liceat. Si vero hic dolor ex eo oriatur, quia iustum est etiam sensui suo consulere, seu quia voluntas Dei est, ut poena sensus in inferno vitetur, et si quis ideo alienus a voluntate peccandi mandata Dei adimplere proponat, talis utique actum divinae voluntati conformem ponit, et Deum amare incipit, dicente Christo: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me* (3). Si quis autem propter poenam damni seu propter iacturam aeternae beatitudinis, quae in

(1) 3 D. dist. 4 sect 8.

(2) 3 p., q. 85. art. 5 ad 1. (3) Io. 14, 2.

fruitione Dei consistit, de peccato dolet, iam eo ipso Deum ut bonum summum et infinitum cognoscit et amat. His rationibus nonnulli ostendere conantur, attritionistas inique accusari, ac si absque charitate hominem cum Deo reconciliare nitantur.

Nota 3. Cum indigitata controversia saeculo decimoseptimo non sine magno animorum aestu agitaretur, *Alexander VII* in decreto anno 1667 vulgato sub poena excommunicationis latae sententiae ac Sedi apostolicae reservatae praecepit *cunctis et singulis fidelibus..... ut si deinceps de materia attritionis scribent, vel libros aut scripturas edent..... non audeant alicuius theologicae censurae aut contumeliae nota taxare alteram sententiam sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur; sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec a S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Ita pariter *Benedictus XIV* (1) cum utramque sententiam proposuisset, addit: « Adhuc sub iudice lis est; adhuc impune pro una vel altera sententia dimicatur. » — Pro praxi tamen graves theologi observant, attendendam esse propositionem ab *Innocentio XI* damnatam, quae ita sonat: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia tantum probabili non est utendum in baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis collatione. » — Cum itaque opinio de sufficientia attritionis formidolosae, utut concedatur esse probabilis, sit certe minus tuta; sequitur manifeste, ex vi damnatae huius propositionis illicitum esse eandem opinionem sequi. Quapropter *Benedictus XIV* loco cit. cum dixisset, controversiam adhuc definitam non esse, et utramque sententiam defendi posse, sapientissime subdit: « Sed non ideo prohibentur Episcopi confessarios monere ut poenitentes ad veram et perfectam contritionem hortentur et excitent; id siquidem faciendum suadent etiam praecipui auctores, qui pro sufficientia doloris ex solo metu gehennae steterunt... Et quod magis est, id fieri praecipit rituale romanum iussu Pii V editum, cui consonat rituale argentinense a card. *de Rohan* editum etc. »

(1) Lib. 17 de Syn. Dioec., cap. 13, n. 9.

ARTICULUS III.

De confessione.

§ 643. 1. Nomen *confessionis* vario sensu in Ss. Litteris occurrit. Quandoque significat laudes, quibus Dei perfectiones et beneficia praedicantur, quo sensu Propheta regius ait: *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te* (2); et Christus dicit: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae* (3). Hinc inde per confessionem intelligitur *professio fidei*, ut Rom. X, 10: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Frequenter autem per confessionem significatur *manifestatio* seu *accusatio peccatorum*, quae vel *Deo*, vel *homini* fieri potest. Exemplum confessionis Deo factae exhibet David, dicens: *Delictum meum cognitum tibi feci, et iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino* (4). De confessione hominibus facta loquitur Apostolus Iacob: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra* (5). Confessio autem, quae fit homini, iterum

(2) Ps. 34, 18.
(3) Matth. 11, 25. (4) Ps. 31, 5 (5) Iac. 5, 16.

multiplex esse potest; nam peccata enarrare possumus multis modis; interdum id fit consilii petendi causa, vel ut proximo, quem laesimus, faciamus satis, vel ut dolorem in sinum amici exoneremus; interdum confessio peccatorum coram iudice fit auctoritate vel humana vel divina constituto. Nobis hic solum sermo est de hac ultima confessione facta coram iudice divina auctoritate constituto, seu coram Sacerdote potestatem remittendi peccata habente; haec enim confessio partem sacramenti poenitentiae constituit, et ideo *sacramentalis* dicitur.

2. *Confessio* declarato sensu sumpta recte definitur: *Accusatio peccatorum propriorum post baptismum commissorum legitimo Sacerdoti a poenitente facta, ad eorum absolutionem virtute clavium obtinendam.* Dicitur *accusatio*, quoniam peccata non enarranda sunt, ut si rem gestam otiosis auditoribus delectandi causa exponamus; nec ita commemoranda, quasi scelera nostra ostentemus, sed poenitenti animo ita enumeranda, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus; dicitur: *Peccatorum propriorum*, quoniam haec tantum, non autem defectus naturales et tentationes prorsus involuntariae, nec aliena delicta materia confessionis nostrae sunt; dicitur: *Post baptismum commissorum;* quae enim ante ipsum commissa sunt, virtute eius deleta fuerunt; dicitur: *Legitimo Sacerdoti* facta, proinde non laico, non clerico inferiori, imo nec Sacerdoti cuilibet, sed tantum iurisdictionem necessariam habenti, quoniam nonnisi hic absolutionem nobis impertiri potest; dicitur: *A poenitente facta;* quia non possunt unius peccata absolvi, quae ab altero duntaxat de eo manifestantur; denique dicitur: *Ad obtinendam virtute clavium absolutionem,* ut sic confessionis finis et efficacia indicetur. — Quod nos confessionem dicimus, Graeci ἐξομολόγησιν vocant, a verbo ἐξομολογέω, *confiteor, palam praedico.* Hunc sensum habet in Scripturis Matth. III, 6; Act. XIX; 18, Iac. V, 16; I Io, I, 9. Atque eodem sensu passim usurpatur a Patribus graecis et latinis; nam et hi confessionem *exomologesin* non raro nuncupant, ut *Tertullianus* de poenit., *S. Cyprianus* de lapsis et alii. Verum est equidem, apud veteres per exomologesin frequenter totam publicae et laboriosae poenitentiae actionem significare; sed ratio est, quia nomen unius partis transferri solet ad totum. Ita et nos quotidie confessionis vocabulum pro integra poenitentia sumimus, et *confiteri* idem dicit, ac poenitentiae sacramentum recipere.

3. Confessio peccatorum duplex esse potest, *publica* vel *secreta.* Publica foret, si poenitens legitimo Sacerdoti peccata sua praesente hominum multitudine elata voce enunciaret: ac talem apud veteres fideles publicorum criminum reos in usu olim fuisse, multi ex eruditis contendunt, dissentientibus aliis. Secreta seu *auricularis* est, qua poenitens remotis arbitris soli Sacerdoti intimas animi sui latebras pandit, omnia errata sua saltem gravia manifestando eo scilicet modo, quo non antiquis tantum, sed nostri etiam temporis fideles peccata sua manifestare solent. Catholici plerique, quamvis confessionem sacramentalem lapsis post baptismum in grave aliquod peccatum necessariam esse iure divino unanimi consensu omnes fateantur, putant tamen, ad substantialem sacramenti veritatem perinde esse, sive publica sit confessio sive secreta; id est, iure divino praecipi quidem confessionem,

at non illius modum. Atque ita sentire videtur *Conc. Tridentinum*, quod Sess. XIV, cap. 5 ait: *Caeterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda.*

4. Dogma catholicum de necessitate confessionis auricularis non antiquis, sed recentioribus tantum temporibus impugnatum fuit. Veteres enim *Montanistae* et *Novatiani* divinam confessionis institutionem admiserunt, et facultatem tantum a Christo datam Ecclesiae absolvendi rite poenitentes ab omnibus peccatis inique restrinxerunt. *Wicleffus* necessitatem confessionis negavit in casu perfectae contritionis, ut patet ex eius art. 7 a *Conc. Constantiensi* proscripto: « Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis. » *Lutherus* lib. de Captiv. babyl. (1) scripsit: « Occulta confessio quo modo celebratur, miro modo mihi placet, et utilis, imo necessaria est; nec vellem eam non esse, cum sit afflictis conscientiae remedium; » sed tamen addidit, confessionem non posse probari ex Scripturis, et necessarium non esse omnia peccata gravia eorumque circumstantias confiteri. Paulo post ulterius progressus est, et Serm. de poenit. confessionem cruentissimam appellat carnificinam. Iuxta haec antesignani placita *Confessio Augustana* (2) statuit: « Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita. — Sed de confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria iure divino, nec sint onerandae conscientiae cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est, omnia delicta recitare, ut testatur Psalmus: *Delicta quis intelligit?* » — *Calvinus* lib. 3 instit. c. 3 fatetur, antiquissimum esse confessionis usum, sed fuisse olim liberum; et cap. 4, n. 3 confessionem ut utilem commendat dicens: « Qui enim impeditam habent conscientiam, referre inde possunt singularem fructum; » deinde vero eodem capite n. 19 quasi ipsi exciderint, quae antea scripserat, confessionem damnat ut « rem pestilentem multisque nominibus Ecclesiae noxiam, eamque crudelem torquendis ac excruciandis conscientiis carnificinam, quae alium fructum non proferat, quam ut in desperationis barathrum conscientias praecipitet: » et in Antid. *Conc. Trid.* Sess. VI inquit, « nullum fuisse per annos mille in Ecclesia confessionis usum, donec *Innocentius III* laqueum hunc populo christiano induxit. » Unde confessio tormentum Innocentianum a Calvinistis vulgo appellari solet.

5. Contra hos itaque Catholici nominis adversarios demonstrandum est, ex praecepto divino omnes, qui post baptismum graviter lapsi sunt, ordinarie remissionem peccatorum consequi non posse, nisi ea confessi absolutionem sacerdotalem obtinuerint, seu probandum est, quod confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium post baptismum commissorum, divinae sit institutionis, et necessaria ad salutem. Id vero, ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus* et *aliis monumentis ecclesiasticis* probatur.

(1) Cap. de poenit.

(2) P. 2, art. 4, n. 1.

I. *Argumentum ex S. Scriptura depromptum.*

§644. 1. Certum est, sacramentum poenitentiae, quod Christus instituit, in V. T. non extitisse. Quoniam autem lex vetus *umbra futurorum* erat, conveniens omnino fuit, ut etiam sacramentum poenitentiae, et in specie peccatorum confessio in illa adumbraretur. Hinc non pauca vestigia deprehendimus, quae ostendunt, iam in V. T. confessionem peccatorum coram Sacerdote factam usitatam, imo et praescriptam fuisse. Nam Levit. V, 1 legitur: *Si peccaverit anima...* v. 5 etc., *agat poenitentiam pro peccato, et offerat de gregibus agnam, sive capram, orabitque pro ea Sacerdos et pro peccato eius:* ubi notandum est, quod dum Vulgata vertit: *poenitentiam agat* etc., in textu hebraeo occurrat vox: *Vehitvaddah*, quae significat *confiteatur peccatum;* unde Versio 70 eam reddit per ὁμολογέω vel per ἐξομολογέω. Idem probant loca parallela. Nam Levit. XVI, 21, ubi de sacrificio hirci emissarii sermo est, dicitur: (Pontifex) *posita utraque manu super caput eius confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël est universa delicta atque peccata eorum.* Et Lev. XXVI, 39 etc.: *Propter peccata Patrum suorum et sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas* etc. Et Numer. V, 7: *Cum filii Israël transgressi fuerint, confitebuntur peccatum suum* etc. Haec autem confessio coniungitur cum sacrificio et oratione Sacerdotis *pro peccato*, ut appareat, Sacerdoti confessionem peccati faciendam esse Hinc R. *Abarbanel* in cap. 5, Levit. dicit: « In omni sacrificio ab Hebraeis pro peccato oblato necessario facienda erat confessio culpae commissae. » Et RR. *Moyses Nachmanides, Maymonides* et *Abenezra* ex iisdem Scripturae locis necessitatem confessionis inferunt et dicunt: « Quando Israëlitae pro peccatis sacrificabunt, si non doleant, et bene ordinatam ac claram suorum peccatorum confessionem faciant, sacrificia ipsorum nullius valoris erunt. » In Talmud (1) legitur: « Ex Traditione constat, necessarium esse peccatori, ut in sua confessione singillatim omnes suas actiones declaret. » Ex quibus patet, Iudaeis persuasum fuisse, quod in lege mosaica confessio peccatorum coram Sacerdotibus facienda praecepta fuerit: quod idem ex scriptoribus hagiographis magis confirmatur. Nam Prov. XXVIII, 13 magni ponderis verba leguntur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur* (id est non prosperabitur); *qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Ecclesiasticus cap. IV, cum v. 12-21 illius felicitatem descripsisset, qui sapientiam sectatur, postea docet, quid faciendum sit, illi qui a sapientia aberraverit; et v. 24 etc. dicit: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam:* et v. 31: *Non confundaris confiteri peccata tua.* Mirum ideo non est, quod, cum Ioannes Praecursor Domini poenitentiam praedicaret, *exibat ad eum Ierosolyma et omnis regio circa Iordanem* (2), et: *baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua* (3), Ioanni nempe, qui erat ex genere sacerdotali. Ex specialibus porro documentis, quae Ioannes (4) varii generis hominibus dedit, non obscure colligitur, poenitentes non in genere tantum, sed et in specie peccata sua confessos esse. — Quod si iam in V. T. confessio

(1) In tract. Iomah. (2) Matth. 3, 5. (3) V. 6. (4) Luc. 3, 11, etc.

quaedam peccatorum usitata, imo et praescripta fuerit, rectissime infertur, quod, cum omnia, quae *in figuris contingebant illis*, in N. T. adimplenda erant, a Christo perfectior et efficacior confessio instituenda fuerit (1).

2. Christum Apostolis eorumque successoribus potestatem clavium, seu potestatem remittendi peccata contulisse, iam § 635 probatum est. Hinc autem manifeste sequitur necessitas eadem peccata Sacerdotibus confitendi. Christus enim praefatam potestatem Sacerdotibus dedit, ut, qui peccant, ad ipsos recurrant, et per ipsos remissionem peccatorum consequantur. Christus autem iisdem tum ligandi, tum solvendi (2), seu non solum peccata remittendi, sed et peccata retinendi potestatem dedit (3); ergo non indiscriminatim, non coeco modo, non pro solo suo arbitrio solvere, seu peccata remittere possunt, sed a Christo Iudices et Medici conscientiarum constituti sunt, qui non praecipiti iudicio neque pro libitu, sed iusto ac prudenti arbitrio iuxta merita causarum tradita sibi utantur potestate, absolvant aut ligent, et convenientem reatui poenam iniungant, vulneribusque congrua media assignent; alioquin enim ratum non habebitur a Christo in coelis, quod ipsi fecerint in terris, quum non propria auctoritate, sed ministeriali et communicata, non nomine suo, sed nomine Christi et iuxta legem Christi iudices constituti sint. Atqui illud praestare non poterunt, nisi peccata et conditionem, dignitatem sive indignitatem peccantis, de qua iudicium ferre debent, habeant bene cognitam et perspectam, atque probe viderint, quaenam sint peccata commissa, quis status animae poenitentis, num scilicet sat contritus necne, et quis culpae contractae gradus, quinamque peccatorum fontes et radices. — Ast cum haec cognitio, deficiente revelatione divina, haberi alio modo non possit, nisi spontanea sui accusatione a peccatore facta, seu confessione, qua peccata sua singillatim Sacerdoti exponat; recte infertur, confessionem iure divino esse necessariam, eodem scilicet, quo Sacerdotibus ligandi et solvendi, remittendi et retinendi peccata concessa est a Christo potestas; qui enim vult finem, debet velle et medium necessarium ad eundem. Quicunque itaque peccati post baptismum commissi condonationem consequi cupit, illud necessario confiteri Sacerdoti ex dispositione divina obstringitur; neque datur extra casum necessitatis (quo confessio fiat impossibilis, quae tamen in voto haberi debet) alia via ad remissionem peccatorum perveniendi, cum Christus definite dicat: *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt; et quorum retinueritis, retenta sunt*, id est, quibus peccata *vos* remiseritis, iis remissa sunt; quibus autem *vos* non remiseritis, iis retenta sunt. Hoc ipsum argumentum proponit *Conc. Tridentinum* Sess. XIV, cap. 5 dicens: *Ex institutione sacramenti poenitentiae universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere, quia Dominus Iesus Christus e terris ascensurus ad coelos Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint; quo pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis*

(1) Cf. Pr. D. Al. Vincenzi. La confessione vocale de' peccati, cap. 1; Roma 1850

(2) Matth. 18, 18. (3) Io. 20, 23.

peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim, Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. Idipsum fori civilis consuetudo plane demonstrat, ubi, nisi iudices pro tribunali sedentes reorum causas vel ex propria confessione, vel accersitis testibus diligentissime inquirerent, discuterent, ponderarent, eorum iudicia ut iniquissimae praevaricationes haberi deberent. Cum itaque Christus tribunal spirituale poenitentiae adinstar fori civilis erexerit, necessario inferendum est ex Scripturae auctoritate, nisi praevia singulorum peccatorum lethalium cum suis circumstantiis, quae speciem mutant, confessio fiat, remitti ac retineri peccata non posse.

3. In Apostolorum scriptis alia quaeadm testimonia inveniuntur, quae confessionem peccatorum a primis fidelibus Apostolis aut aliis Sacerdotibus factam haud obscure innuunt. Act. XIX, 18 legitur: *Multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Quam sententiam de confessione peccatorum, quae Sacerdoti enumerantur, exponunt S. *Chrysostomus*, S. *Basilius*, *Oecumenius* et alii; eamque expositionem peregregie confirmant codices Syri, qui legunt: *Annuntiabant delicta sua*, et ut est in Polyglottis Waltonianis: *Annuntiabant offensas suas, confitebanturque quod fecerunt.* Quod autem de iam baptizatis sermo sit, patet, tum ex eo, quia *credentes* seu fideles nominantur, tum quia non commemoratur baptismus ipsis post confessionem collatus, sed poenitentia absque dubio iuxta monitum Apostoli peracta: legitur enim v. 19: *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus* etc. Quae omnia erudite perpendens *Aug. Calmet* in suo Comment. scribit: « Illud constat, expressam hic haberi, certam assertamque peccatorum confessionem, singulosque fateri peccata sua debere, quemadmodum hic *Grotius* post Patres graecos ingenue agnoscit et probat. » Alter locus habetur Iac. V, 16: *Confitemini alterutrum peccata vestra* etc., quibus in verbis manifesta continetur exhortatio ad confessionem peccatorum; et quia v. 14 Apostolus dixerat: *Inducat presbyteros Ecclesiae*, non obscure innuitur, confessionem inter peccantem et Sacerdotem fieri debere. Nonnulli quidem cum *Maldonato* minus solidum hoc testimonium iudicant ad evincendum praeceptum confessionis. Attamen alii magnum pondus probationis in eo textu inveniunt. *Morinus* enim (1) non solum mordicus vindicat hoc testimonium velut efficax ad demonstrandam necessitatem confessionis; sed ostendit praeterea, talem esse eiusdem textus interpretationem Ss. Patrum antiquissimorum. Denique dubitari non potest, ad eandem confessionis necessitatem respexisse Ioannem, cum scripsit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus; ut remittat nobis peccata nostra* (2). Loquitur enim Ioannes de confessione externa hominibus facta, ut patet ex v. praec.: loquitur vero de confessione, cui promissa est remissio peccatorum, quia hanc a fidelitate et iustitia Dei repetit; sed talis est confessio Apostolis et eorum successoribus facta.

Nota. Adversus doctrinam catholicam de necessitate confessionis au-

(1) Lib. 8 de poenit c. 8, § 4.

(2) I Ep. 1, 9.

ricularis Protestantes quovis tempore calamum strinxerunt, praecipue vero *Dallaeus*, calvinianae sectae addictus, qui tum argumenta nostra biblica enervare, tum ex ipsa Scriptura sententiam nostram oppugnare conatur. Praecipuae saltem difficultates, quas nobis adversarii opponunt, commemorandae et solvendae sunt.

Obi. I. In Scripturis nullum occurrit Christi praeceptum de peccatorum confessione; nullum eius in scriptis Apostolorum extat vestigium, qui neque confessiones fidelium excepisse, nec eas a peccatoribus exegisse leguntur. Imo Paulus in Epistolis ad Titum et Timotheum, in quibus ex instituto ministrum Evangelii instruit, necessarium illud confessiones exigendi et audiendi officium omnino praetermittit. Idem I Cor. XI, 28 multa conquestus de indigna corporis et sanguinis Domini sumptione ne verbo quidem fideles admonet, ut ante communionem conscientiam suam sacramentali confessione expient. Ergo illo aevo apostolico confessio neque in usu fuit, neque necessaria reputata est.

Resp. Argumenta ab adversariis adducta mere negativa sunt, quae non infringunt positiva, quae iam a nobis adducta sunt, et mox ex Traditione proferentur, quae est alter divinae revelationis fons. Caeterum confessionis necessitas ita necessario nexu colligata est cum potestate Apostolis data remittendi peccata, ut vel ista neganda sit, vel illa agnoscenda; unde necesse non fuit magis expressam ipsius facere mentionem. Et sane, ipse *Calvinus* (1) concedit, certe colligi confessionis necessitatem, si probetur, iudicialem potestatem Ecclesiae ministris fuisse collatam; et *Melanchthon* fatetur (2), « in iudicio necesse esse fieri cognitionem, » et ideo, ut vim argumenti effugiat, contendit, confessionem nudum esse ministerium, non iudicium. Ast Apostolis vere iudicialem potestatem remittendi, vel retinendi peccata concessam esse, iam § 635 probatum est. Quare autem Evangelistae non diserte commemorent praeceptum Christi expressum, mirum esse nequit, cum propositum non habuerint omnia facta et dicta Magistri litteris consignandi; unde prout multa alia etiam hoc silentio praeterire poterant, idque eo magis, quum Christus confessionem non omnino novam instituerit, sed nonnisi confessionem apud Iudaeos usitatam, non sacramentalem tamen, ad dignitatem sacramenti evexerit. Ita pariter, quae Apostoli docuerunt et fecerunt, non omnia conscripta sunt; ut ex. gr. nullibi legitur, Apostolos infantes baptizasse, et baptismum ab haereticis collatum ratum habuisse; et tamen utrumque nobiscum credunt adversarii. Pariter confessionem peccatorum utilem esse, non negant Novatores; dicant, ubinam Paulus hanc utilitatem commendaverit? Quo igitur iure adversarii, non obstante hoc Ss. codicum silentio, contendunt, confessionem privatam quandoque esse utilem: ita nos contendimus, esse hominibus lapsis praeceptam et necessariam, quamquam nullum ex Ss. Litteris eius exemplum offerre possimus. Pauli scopus in Epistolis ad Timotheum et Titum non fuit, ministrum sacrum in omnibus suis officiis instruere, sed talia documenta dare, quae attentis circumstantiis necessaria aut utilia erant. Etiam instructio circa administrationem eucharistiae in his Epistolis non invenitur; an ideo S. Coena neganda erit?

(1) Lib. 3 Instit. c. 3.

(2) In loc. theol. de confess.

His accedit, quod in dictis Epistolis (1) varia monita peccantes corripiendi et circa officia sua etiam singillatim instruendi contineantur, quae ad sacramenti poenitentiae administrationem rectissime referuntur. — Male denique *Dallaeus* ex eo necessitatem confessionis negat, quia Paulus solum dicit: *probet*, id est, examinet *seipsum homo*, non autem addit: si se peccatorem invenerit, *poeniteat et confiteatur*. Nam si ita est, ut Calvinista commentatur, neque peccatori necessaria erit interior poenitentia, quia Paulus eam non memorat. At vero, inquit, haec subintelligitur. Quidni ergo subintelligatur etiam exterior confessio, qua peccator se potestati clavium subiiciat, quam Christus Apostolis eorumque successoribus dedit? Ad probationem S. Synaxi praemittendam sacramentalem confessionem pertinere, Ecclesia semper credidit. *S. Cyprianus* (2) scribit, eos, qui ante expiata delicta et exomologesin factam audent eucharistiam sumere, « vim inferre corpori et sanguini Domini. » Et *S. Ambrosius* (3) inquit: « Ubique ordo mysterii servatur, ut prius per remissionem peccatorum medicina tribuatur, post alimonia mensae coelestis exuberet. »

Obi. II. Christus Io. XX, 23 Sacerdotes minime iudices instituit, cum fatente Apostolo sint tantum *ministri Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (4), et *pro Christo legatione fungantur* (5). Nec possunt esse iudices, cum solius Dei sit peccata remittere (6).

Resp. Nihil hoc Dallaei argumento infirmius est, quod in mera nominis aequivocatione versatur. Iudicis quippe nomine placet illi semper eum intelligere, qui suprema et independenti auctoritate ad arbitrium peccata dimittit vel retinet nullis legibus aut regulis adstrictus; sed ultro fatemur, Sacerdotes hoc sensu iudices non esse; habent enim sibi a Christo praescriptas leges in discernendis peccatis, quae vel remittere vel retinere debent, quas si non observaverint, et peccant, et nihil efficiunt. Facta itaque distinctione iudicis supremi, primarii, independentis, et iudicis secundarii, dependentis ac ministri, totum evanescit Dallaei argumentum. Concedimus enim, Sacerdotes esse ministros simul et iudices a supremo iudice Christo dependentes; negamus autem, eos esse ministros tantum, nullo vero modo iudices delegatos. Ita pariter concedimus, solum Deum peccata dimittere tanquam causam principalem, supremam et independentem; negamus autem, Deum in nova lege secluso Sacerdotum ministerio et iudicio peccata remittere velle.

Obi. III. Dato etiam quod Sacerdotes vere iudices sint, non necessario, sed libere sunt adeundi, ita ut unicuique integrum sit soli Deo confiteri, quemadmodum, etsi rex iudices ordinarios praefecerit subditorum litibus solvendis, possunt tamen litigantes aut inter se lites componere, aut ad regem ipsum recte tendere. Et sane in Ss. Litteris nulla facta confessionis mentione a Deo remissio peccatorum promittitur vere contritis et poenitentibus, imo et iniurias inimicis suis condonantibus; unde Christus ipse in oratione dominica docuit nos orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus* etc.

Resp. Si Christus liberum reliquisset hominibus aditum ad iudices a se

(1) II Tim. cap. 4; Tit. cap. 1 et 2.
(2) Lib. de lapsis. (3) In cap. 9 Lucae.
(4) I Cor. 4, 1. (5) II Cor. 5, 20.
(6) Isa. 43, 25

constitutos, dicenda esset potestas his frustra concessa; quis enim non mallet soli Deo confiteri? et ideo finis saluberrimae huius institutionis non obtineretur, quod infinitae Christi sapientiae repugnaret. Protestantes ipsi fatentur, in praecepto Apostolis dato praedicandi Evangelium et baptizandi, etiam pro hominibus praeceptum contineri, Apostolos audiendi et baptismum recipiendi. Ergo etiam in potestate Apostolis concessa et munere ipsis iniuncto peccata remittendi vel retinendi, continetur praeceptum peccantibus post baptismum impositum iudices a Christo institutos adeundi iisque peccata confitendi. Comparationes adductae aptae non sunt, quia in his supponitur, quod rex nulla lege prohibuerit, quin litigantes possint inter se transigere, vel immediate ad thronum recurrere. Quodsi rex e contra decrevisset, nullam litem finiendam esse nisi per iudices a se institutos, sane necesse foret ad eos iudices recurrere: at hoc ipsum fecit Christus, qui supremus est animarum Pastor et Iudex; voluit nimirum, ut qui veniam peccatorum cupiunt, se Sacerdotum iudicio subiiciant. Nulli tamen hominum interclusus est ad Deum aditus per veram et sinceram cordis contritionem; at ista sincera esse non potest, nisi includat voluntatem observandi omnia mandata divina; cum igitur haec sit Christi ordinatio, ut peccata lethalia post baptismum commissa per confessionem clavibus Ecclesiae subiiciantur, nemo potest veniam a Deo consequi, nisi vel de facto peccata sua Sacerdoti confessus fuerit, vel propositum habuerit ea confitendi. Denique in oratione dominica postulamus simpliciter, ut Deus nobis dimittat peccata nostra, sicut nos dimittimus proximo nostro, verum servatis semper legibus a Christo praescriptis, inter quas est confessio peccatorum. Christus enim iniurias acceptas condonanti gratiam conversionis promittit, non autem modum conversionis definit; alias sequeretur, illum quoque iustificari, qui debitori dimittit, sed peccatis luxuriae voluntarie inhaeret.

II. *Argumentum ex Ss. Patribus petitum.*

§ 645. Quantum aberrent Novatores, dum *Innocentius III* primum confessionis auricularis auctorem dicere non erubescunt, clarissime ostendunt Ss. Patrum de usu et necessitate confessionis auricularis testimonia ex omnibus aerae christianae saeculis nominatum Papam praecedentibus.

1. In tribus primis saeculis non multi quidem scriptores ecclesiastici inveniuntur; sed tamen praeclara de usu et necessitate confessionis sacramentalis testimonia habentur. *S. Barnabas*, vel alius aevi apostolici auctor in Epistola iam primis saeculis maximo in honore habita, inter regulas vitae christianae hanc quoque refert: « Peccata tua confitearis, nec cum mala conscientia ad orationem te conferas; haec est via salutis. » *S. Clemens Rom.* in I Ep. ad Corinth. (1) ait: « Melius est hominibus, ut peccata et delicta sua confiteantur, quam ut corda sua indurent: » et ibid. (2) « Deus nil aliud exigit, quam ut peccata ipsi (in persona Sacerdotis) confiteamur. » Et in II Epist. haec habet: « Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis, quae in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur, dum tempus habemus poenitentiae; postquam enim e mundo eximus, non amplius possumus ibi confiteri, aut poenitentiam

(1) N. 51. (2) N. 52.

adhuc agere. » *S. Irenaeus* (1) refert, « quosdam ex Valentinianis clam eas mulieres, quae discunt ab eis doctrinam hanc, corrumpere; quemadmodum multae saepe ab eis suasae (a quibusdam ipsorum circumventae), post conversae mulieres ad Ecclesiam Dei, cum reliquo errore et hoc confessae sunt: » quibus sat clare manifestatio delictorum, et quidem clam commissorum facta ad eluendam eorum maculam significatur, cum aliud quidpiam praeter persuasionem de confessionis necessitate mulieres, quas prae caeteris afficit verecundia, ad retegenda occulta crimina tanto cum famae et honoris dispendio certo haud impulisset. Idem (2) narrat, Marcum praestigiatorem philtris mulieres ad actus turpes induxisse, quod illae palam confiteri non erubescebant; et in specie refert, quod uxor diaconi a Marco corrupta et postea conversa « omne reliquum vitae tempus admissum scelus confiteri non destitit, labem eam, quae ei a mago acciderat, lugens ac lacrymis prosequens. » Quod si praedictae mulieres sacerdoti *palam*, id est, aliis audientibus delicta sua confessae sunt, id vel ex humilitatis studio, vel, ut nonnulli putant, ideo factum est, quia illis, qui ex haeresi revertebantur, iuxta disciplinam Ecclesiae tunc temporis vigentem publica confessio praecepta, et ideo ad remissionem peccatorum obtinendam necessaria fuit. Hinc intelligi potest, quod S. Pater ibidem (3) addit, scilicet, Marci discipulos multas in regione Lugdunensi mulieres « in fraudem impulisse, quae quidem velut cauterio quodam inustam conscientiam habentes, partim publice poenitentiam egerunt, partim, cum id facere prae pudore non sustinerent, ac tacite quodammodo de vita Dei desperarent, vel prorsus a fide desciverunt, vel certe in utramque partem propendent, quodque proverbio dici solet, nec foris nec intus sunt, hunc videlicet ex scientiae filiorum semine fructum percipientes. — *Tertullianus* (4) ait: « Tantum revelat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciae. » Et addit (5): « Huius igitur poenitentiae secundae, et unius quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia proferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus deiicere... ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari... Cum igitur provolvit hominem magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit, cum accusat, excusat, cum condemnat, absolvit. « Ibid. (6) subiungit: « Plerosque hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre pudoris magis memores quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescen-

(1) Lib. 1 adv. haer. c. 6, n. 3.
(2) Ibid. c. 13, n. 5. (3) N. 7.
(4) Lib. de poenit. cap. 8.
(5) Cap. 9. (6) Cap. 10.

tia sua pereunt..... Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur. Videlicet si qui humanae notitiae subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeo ne existimatio hominum, et Dei scientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?» — *Origenes* Hom. 2 in Lev. (1) ait: « Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymae suae panes die ac nocte, et cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quaerere medicinam secundum eum, qui ait: Dixi, pronuntiabo adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei. » Homil. 3 (2), omnia omnino peccata confitenda esse docet: « In publicum proferenda sunt cuncta, quae egerimus. Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri; proferri autem ab illo, qui et accusator peccati est et incentor. Ipse enim nunc nos ut peccemus, instigat, ipse etiam, cum peccaverimus, accusat. Si ergo in vita praeveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus.» Hom. 2 in Ps. XXXVII, n. 66, ita praeclare loquitur: « Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur: ita etiam hi, qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere... qui si se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris, si intellexerit et praeviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et caeteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari; multa hoc deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est. » Et Hom. 17 in Luc. ait: « Quamdiu absconditae erant cogitationes, nec prolatae in medium, impossibile erat, eas penitus interfici. Unde et nos si peccaverimus, debemus dicere: *Peccatum meum notum tibi feci, et iniquitatem meam non abscondi. Dixi, annuntiabo iniustitiam meam contra me Domino.* Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra, non solum Deo, sed et his, qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, *et sicut caliginem peccata tua.* » Secundum Origenem itaque omnia prorsus peccata sive publica, sive occulta, confessione et equidem primo privata seu secreta Sacerdoti tanquam ei, qui vulneribus nostris mederi possit et peccatis, sunt aperienda, ut ipsa deleri, nos autem queamus sanari et effugere nequitiam diaboli. *S. Cyprianus* (3) illos laudat, qui etiam pravas suas cogitationes confitentur, ait enim: « Quanto et fide maiores et timore meliores sunt, qui

(1) N. 4 (2) In Levit. n. 4 (3) Lib. de lapsis n. 20.

quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt. » Et inferius addit: « Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit in saeculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio et remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, et poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. » *Lactantius* (1) ait: « Quoniam pars illa corporis, quae circumciditur, habet quandam similitudinem et est cordis pudenda, ob hanc causam Deus nudari eam iussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facinus intra conscientiae secreta velemus. Haec est cordis circumcisio, de qua Prophetae loquuntur, quam Deus a carne mortali ad animam transtulit, quae sola mansura est; volens enim vitae ac saluti nostrae pro aeterna sua pietate consulere, poenitentiam nobis in illa circumcisione proposuit; ut si cor nudaverimus, id est, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quae contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima et arcana pectoris intuetur. »

2. Saeculo quarto et quinto celeberrimi Patres et Doctores praeclara de usu et necessitate confessionis testimonia reliquerunt. *Eusebius Caesar.* (2) dicit: « Iis, qui peccant, viam salutis ostendi, videlicet conversionis, poenitentiae, confessionis. » *S. Hilarius* in Ps. CXVIII, n. 19 scribit: « Confitendum est crimen ut obtineatur et venia; » sed, addit in Ps. LI, n. 23: « Haec confessio tantum in saeculo, non etiam in saeculum saeculi. » Et in Ps. CXXXVII, n. 3 inquit: « Desistendum est a peccatis, postquam in confessione est cognitio peccati, et confitendum est corde toto; non ex parte, neque aliqua adhuc nobiscum cognitorum peccatorum operatione residente. » *S. Cyrillus Hier.* (3) ait: « Tempus praesens est tempus confessionis. Confitearis, quae perpetrasti sive verbo, sive opere, sive noctu, sive interdiu. Confitearis tempore acceptabili et in die salutis. » *S. Athanasius* (4) dicit: « Sicut homo dum a Sacerdote baptizatur, per Spiritum sanctum illuminatur; ita qui poenitentia ductus sua confitetur peccata, eorum veniam per Sacerdotem consequitur. » *S. Basilius* Regul. brev. (5) inquit: « Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quae in detegendis corporis morbis adhibetur. Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, sed iis, qui horum curandorum periti sunt; ita fieri quoque debet peccatorum confessio coram iis, qui curare haec possunt. » Qui autem hi sint, ibid. (6) indicat dicens: « Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita est dispensatio. » Et Hom. in Ps. XXXIII exponens v. 2, *Confitemini Domino* etc. ait: « Si peccasti, castiga corpus tuum per confessionem peccati; et tunc tantum, cum hanc confessio-

(1) Lib. 4 Inst. div. cap. 17.
(2) Comment. in Ps. 24.
(3) Catech. 1, n. 5.
(4) Ap. Tricalet. bibl. man. Ss. PP. tom. 1, cap. 9, art. 3. (5) Resp. ad interr. 229.
(6) Resp. ad interr. 288.

nem deposueris, dignus eris, ut in psalterio decem chordarum Deo psallas. » Et ib. v. 5, *Diligit misericordiam et iudicium*, inquit: « Deus tui miserebitur, et miserationum suarum participem te reddet, sed tunc tantum, si inveniet, quod, postquam peccasti, humiliatus et contritus sis, propter mala opera tua frequentes lacrymas spargas, occulta tua crimina sine pudore confitearis etc. » *S. Gregorius Nyss.* (1) c. Eunom. ait: « Si Sanctae Trinitatis confessio est inutilis, inutiles etiam sunt Ecclesiae ritus: in his autem ritibus est sigillum, deprecatio, baptisma, peccatorum confessio. » Epist. ad Laetos. scribit: « Qui latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per enuntiationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato aegritudinem curabit largiendo, quae habet, pauperibus. » Et Orat. in eos, qui alios acerbe iudicant (a nonnullis *Asterio* adscripta) haec habet: « Maior tibi in eo fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in illis, a quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi, quae sunt recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege. Ipse honoris et valetudinis tuae rationem habebit. » *S. Gregorius Naz.* (2) dicit: « Magna vitii medicina est confessio et peccati fuga. » Et Sect. Carm. 3 ad Vitalianum (3), cum descripsisset gaudium pastoris errantem ovem invenientis, postea subdit: « Talis est Christi mei magna lex, qui humilibus propitius est omnibus, arrogantes despiciens. Saepe sola confessio peccati virum servavit, et amaris lacrymis noxas abstersit, et animam malitia denigratam mundavit. » *S. Ephraem* Serm. de poenit. (4) ait: « Poenitentia (in nova lege) non haedum poscit, sed confessionem; non agnum pro sacrificio postulat, sed peccatori dicit: Confitere iuxta scientiam et conscientiam tuam peccata tua. » Et in Orat. de peccatrice (5) in fine ita loquitur: « Utinam ipsius imitatores efficeremur, ut confitentes sordes animarum per lacrymas purgemus, et misericordiam a Deo consequamur. » *S. Ambrosius* (6) ita disserit: « Ecce nunc tempus adest, in quo et peccata vestra confiteri Deo et Sacerdoti, et per ieiunia et orationes et lacrymas et eleemosynas delere debetis. Quare erubescit peccator manifestare peccata sua, quae et Deo et Angelis omnibus atque cunctis electis animabus sunt nota et manifesta? Confessio a morte liberat, confessio paradisum aperit, confessio spem salvandi tribuit. Unde Scriptura dicit: *Dic tu iniquitates tuas primus, ut iustificeris.* His verbis ostenditur, quia non meretur iustificari, qui in vita sua peccata non vult confiteri. » Idem (7) inquit: « Si vis iustificari, fatere delictum tuum, solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum. — Aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum est potestas peccatorum! - sed nulli maiorem iniuriam inferunt quam ei, cuius mandata rescindere volunt; nam Dominus dicit: *Quorum remiseritis* etc. Deus relaxandi potestatem Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit » (8). Et ibid. (9): « Nonnulli ideo poscunt poenitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam culpa non exuunt, et Sacerdotis induunt,

(1) Orat. 2. (2) Or. 16, al. 15, n. 17.
(3) V. 116, etc.
(4) Tom. 3, opp. graec. lat. p. 160.
(5) Tom. 2 opp. graec. p. 297.
(6) Serm. fer. 2 post Dom. I Quadr.
(7) Lib. 2 de poenit. c. 6.
(8) Cf. lib. 1 de poenit. cap. 2, n. 6, et c. 3, n. 10. (9) Lib. 2, c. 9.

cui praeceptum est: *Nolite sanctum dare canibus* etc. » *Paulinus* Diaconus in vita *S. Ambrosii* de eodem narrat: « Erat gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus. Siquidem quotiescunque illi aliquis ad percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum iacente iacere; causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur. » *S. Pacianus* in Paraen. ad poenit. ait: « Tertio de his erit sermo, qui confessis bene apertisque criminibus remedia poenitentiae actus ipsos exomologesis administrandae aut nesciunt, aut recusant. Postremo illud apertissimum enitemur ostendere, quae poena sit aut non agentibus poenitentiam, aut etiam negligentibus, atque ideo in vulnere suo ac tumore morientibus; quae rursus sit corona, quod praemium conscientiae maculas recta et ordinaria confessione purgantibus... Vos ergo primum appello fratres, qui criminibus admissis poenitentiam recusatis; vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri; qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis.» *S. Chrysostomus* lib. 2 de sacerd. docet: « Pastori multa opus esse prudentia ac sexcentis oculis, ut undique animae statum circumspiciat; » additque proferendam ab eo sententiam pridem « omnibus congruenter exploratis. » Quid autem explorare debet nisi vulnera animae, sive peccata? — Hom. 30 in Gen. n. 1 inquit: « Quemadmodum naucleri et cursores et athletae, ubi ad finem veniunt, magis enituntur et vigilant; eodem modo et nos faciamus oportet, quia in magnam hanc hebdomadam (sanctam) Dei gratia pervenimus; nunc maxime et ieiunii cursus intendendus, et ferventiores fundendae preces, faciendaque diligens et pura peccatorum confessio.» Hom. 2 de cruce et Latrone: « Si Latronem in cruce tanto honore dignatus est, multo magis nos insita sua benignitate dignabitur, si voluerimus peccatorum confessionem instituere. Ut igitur et nos benignitate illius perfruamur, peccata propria confiteri ne erubescamus. Magna enim confessionis vis est, et multa eius potentia.» Et Orat. de Samaritana (1): « Imitemur et nos hanc mulierem, et ob propria peccata, non erubescamus. Qui enim homini peccata detegere erubescit, Deo vero cernente, committere non erubescit, neque confiteri vult et poenitentiam agere: in die illo non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.» Idem Hom. 9 in Ep. ad Hebr. c. 6 distinctam singulorum peccatorum confessionem exigit; ait enim: « Sin autem dicit *Sum peccator*, ea autem per species non cogitat et non dicit *Hoc et illud peccatum admisi*, nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis. » *S. Innocentius I* Epist. ad Decentium (2) scribit: « Caeterum de pondere aestimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem poenitentis et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam. » *S. Hieronymus* (3) ait: « Si quem serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio cum peccati veneno infecerit; si tacuerit, qui percussus est, et non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri et

(1) Hom. 34 in Io. n. 3. (2) Cap. 7. (3) Comment. in Eccles. cap. 10.

magistro voluerit confiteri; magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. » — Et alibi (1): « Episcopus et Presbyter:... pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus. » *S. Augustinus* (2) inquit: « Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si praeter uxores vestras cum aliqua concubuistis; agite poenitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: *Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo?* Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? frustramus evangelium, frustramus verba Christi? promittimus vobis, quod ille negat? nonne vos decipimus? » — Idem (3) monet, confessionem a peccatore mature deponendam esse, « quia, si ad ultimum vitae steterit, nescit, si ipsam poenitentiam accipiat, ac Deo et Sacerdoti peccata sua confiteri poterit. » Enar. in Ps. LXVI, n. 7: « Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat; adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere! exeat in confessione et defluat omnis sanies. » Tract. 22 in Ioan., n. 7: « Surge in corde tuo, procede de sepulcro tuo. Etenim mortuus in corde tanquam in sepulcro iacebas, et tanquam saxo malae consuetudinis gravabaris. Surge et procede; quid est? Surge et procede! Crede et confitere; qui enim credidit, surrexit, qui confitetur, processit. Quare processisse dicimus confitentem? quia antequam confiteretur, occultus erat; cum autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem; et cum confessus fuerit, quid dicitur ministris? quod dictum est ad funus Lazari: *Solvite illum, et sinite abire?* Quomodo dictum est ministris Apostolis: *Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo?* » — *Theodoretus* (4) Audianos carpit, « quod vera peccata (in poenitentia) celarent, cum parva peccata et gravia Sacerdoti aperienda sint. » *S. Leo M.* (5) ait de conscientiae puritate: « Quae, dum semper petitur, semper accipitur, nec remanet iudicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum. » Confessionem vero necessariam declarat in Ep. ad Marcian. Aug. (6), « cum abolitionem peccati non obtineat nisi vera confessio. » Et (7) ad Episc. Campan. publicam peccatorum confessionem reprobat dicens: « Removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit. » *S. Petrus Chrysologus* (8) inquit: « Si vis curam, agnosce languorem. *Non veni* (ait Christus) *vocare iustos, sed peccatores.* Si cupis misericordiam, confitere peccatum... Fratres! simus, simus peccatores confessione nostra, ut Christi venia non simus peccatores. » *S. Prosper* seu verius *Iulianus Pomerius* (9) scribit: « Illi, quorum

(1) Comment. in Matth. cap. 10.
(2) Serm. 332, c. 3, n. 3. (3) Serm. 393.
(4) Lib. 4 haeret. fabul. cap. 10.
(5) Serm. 49, c. 1. (6) 70, ed. Cacciari.
(7) Ep. 168, al. 136.
(8) Serm. 30 de Matthaeo et publicanis, etc. S. 3.
(9) Lib. 2 de vita contempl. c. 7.

peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt et ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare iudicium, cum, si in malo suo permanserint, ituri sint in aeternum, Deo retribuente, supplicium? »

3. Ex saeculo sexto et sequentibus aliquos saltem testes audiamus. *S. Gregorius M.* (1) ait: « Omnis peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur; sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur *Veni foras*, ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiae ei poenam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. » Lib. 8 Mor. (2): « Ori etenim suo parcit, qui confiteri malum, quod fecit, erubescit. In laborem quippe os mittere, est hoc ad confessionem perpetratae iniquitatis occupare. Sed iustus ori suo non parcit, quia iram iudicis districti praeveniens verbis contra se propriae confessionis saevit. » Lib. 5 in I Reg. (3): « Peccatum quidem in confessione prodendum est, sed augmentandum mendacio non est. Tale quidem debet esse in confessione, quale fuit in opere. » Et ibid. (4): « Tria in unoquoque consideranda sunt veraciter poenitente, videlicet conversio mentis, confessio oris, et vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? peccatum, quod diligitur, confitendo minime deletur. » *S. Isidorus Hisp.* Exhort. ad poenit. ait: « Sicut levia peccata occulta ratione delentur, ita gravia coram Ecclesia per poenitentiam et satisfactionem remittuntur. » Et in Synonym. (5): « Confessio sanat, confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat, omnis spes in confessione consistit. In confessione misericordia est. Nulla tam gravis est culpa, quae per confessionem non habeat veniam. » *Ioannes Ieiunator* in serm. de confess. et poenit. (6) inquit: « Cum Dominus ac Redemptor noster sciret, nos in infantia baptizatos procedentibus annis ex aqua et Spiritu sancto contextam vestem immortalitatis per peccata maculaturos esse, ex speciali bonitate concessit, ut per confessionem et poenitentiam illam purgare ac splendidam reddere, et per exiguam hanc confusionem illam effugere possimus, quae alias in die iudicii coram omnibus Angelis et hominibus expectanda foret. Neque Christus tibi confessionem apud Angelum... iniunxit, sed apud hominem fragilem et iisdem passionibus obnoxium. Id considera, et confitere, quae diu noctuque commisisti, mihi peccatori, et nihil retice; » et in suo poenitentiali (7) ordinat, ut Sacerdos poenitenti dicat: « Non ego sum, qui primario confessionem recipit, et absolutionem impertitur, sed per me Deus... Quapropter confitere mihi occulta peccata, et nil retice, atque occultorum cognitor omnia delebit, quae manifestasti. » *Anastasius Sinaita* (8) scribit: « Si virum spiritualem inve-

(1) Hom. 26 in evang., n. 6.
(2) Cap. 20. (3) Cap. 4, n. 55.
(4) Lib. 6, c. 2, n. 33. (5) Lib. 2, c. 14.
(6) Ap. Morin. ant. poenit. p. 90, ed. Antw. 1682. (7) Ibid., n. 78.
(8) Quaest. et Resp. 154, de variis argumentis quaest. 6 (in bibl. max. Ss. PP. pag. 964.)

neris (Sacerdotem), qui te curare potest, confitere illi sine pudore ut Domino, et non ut homini... Illi autem, qui stulto et impio modo dicunt, nihil prodesse confessionem, quae apud homines fit, quia ipsi quoque peccatis et passionibus obnoxii sunt; sciant, se in sua malitia, et stultitia praetextum quaerere et verbo Domini repugnare, qui discipulis suis dixit: *Quidquid ligaveritis* etc., et *quorum remiseritis* etc. » *Ven. Beda* (1) inquit: « In hac autem sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coaequalibus confiteamur, eorumque credamus oratione salvari; porro gravioris leprae immunditiam iuxta legem Sacerdoti pandamus, atque eius arbitrium, qualiter et quanto tempore iusserit purificari, curemus.» *Alcuinus* (2) scribit: « Quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? Cessabunt opera medici, si vulnera non ostendunt aegroti. » Et alibi (3): « Nullus erubescat confiteri peccata, atque per poenitentiam emendare, quidquid contra Dei voluntatem fecisset. Melius est habere unum hominem testem peccatorum suorum in salutem animae suae, quam spectare accusationem diabolicae fraudis ante iudicem omnium saeculorum, et ante angelorum choros, et totius humani generis multitudinem.» *Rabanus Maurus* Hom. de confess. et poenit. ait: « In vita confiteatur peccator, quae fecit; nam inutilis est confessio in inferno.» Loquitur autem de confessione facienda Sacerdoti, quia addit: « Quomodo potest medicus vulnus sanare quod aegrotus ostendere erubescit? » Et in Ecclesiasticum (4): « Qui transgreditur mensuram in concupiscentiis carnis et aggravatur eius delictis, necesse est, ut per confessionem peccatorum foeditatem evomat, et sic per ieiunium et castigationem corporis ad statum pristinae sanitatis redeat. » *Paschasius Radbertus* (5) dicit: « Secundum Apostolum, cum aliquis infirmatur, prius adhibenda est confessio peccati, dein oratio plurimorum, post sanctificatio unctionis. » *S. Petrus Damiani* (6) inquit: « Ut enim confiteamur, ratio monet, Deus cogit, qui videt, et si confundimur hic dicere, quid erit in illa magna confusione, ubi omnia omnibus patebunt? » *S. Anselmus* Medit. 6 ait: « Coepit eis aperire sacramenta confessionis sanctae, per quam alleviatur omne opus peccati, quia in vera confessione mundatur omnis macula delicti.»—Et Hom. 13 in Luc. 17, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, id est, inquit: «Per humilem oris confessionem sacerdotibus veraciter manifestate omnes interioris leprae vestrae maculas, ut mundari possitis, - quoniam peccatores licet gravi criminum lepra sint foedati, euntes tamen ad confitendum purgantur in ipsa confessione propter poenitentiam, quam acturi sunt. » *Hugo Victorinus* (7) scribit: « Post contritionem cordis confessio quoque oris est necessaria; quia si quis etiam post impetratam veniam peccatorum confiteri ea neglexerit, quasi institutionis divinae contemptor pro contemptu reus erit.» *S. Bernardus* Serm. de diversis (8) peccatorem ad propria confitenda peccata urget, dicens: « Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem non puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi?

(1) In Epist. Iac. c. 5. (2) Ep. 96.
(3) Ep. 221. (4) Lib. 7, c. 7.
(5) Lib. de corp. et sang. Dom. c. 8, n. 7.
(6) Serm. 58 de S. Andrea S. 2.
(7) De sacram. lib. 2, p. 14, c. 5.
(8) Serm. 104, n. 2.

Quod si forte pudor est tibi uni homini et peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? Nulla est tam gravis culpa, quae non habeat veniam per puram confessionem. Vitia igitur cordis tui et pravas cogitationes illico manifesta. Peccatum enim proditum cito curatur; crimen vero tacendo ampliatur » (1). — *Petrus Blesensis* lib. de confess. sacram. mox ab initio haec habet: « Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Vir, in cuius cute varius apparuerit color, *veniet ad sacerdotem et se ostendet illi* (2); per quod intelligi datur, quod peccati confessio designati per lepram facienda est Sacerdoti. Verbum enim *Augustini* est: Nemo dicat sibi: *occulte confiteor*, et ago poenitentiam apud Deum. Si enim sufficiens est ista confessio, ergo sine causa datae sunt claves Petro, frustra etiam dictum est: *Quodcunque solveris* etc. Omnia sane in confessione lavantur. Et sicut corde creditur ad iustitiam, ita oris confessio fit ad salutem. Magna est confessionis virtus, quia sicut *B. Ambrosius* in lib. de paradiso scribit: Confessio lavat animam, confessio aperit paradisum; haec secunda post naufragium tabula baptismusque poenitentiae... Salubre est ergo confiteri, quia, teste *Hieronymo*, nemo sine confessione salvatur » (3).

Nota. Quamvis contra tot testes omni exceptione maiores nihil solidi proferri possit, Novatores tamen vanis argutiis suis argumentum nostrum obscurare tentarunt. Obiiciunt vero sequentia:

Obi. I. Cum anno 390 CPoli sub patriarcha Nectario nobilis quaedam mulier in confessione patefecisset, se turpem cum diacono consuetudinem habuisse, et « cum eam ob causam inquit *Socrates* (4), ecclesiastici homines dicteriis appeterentur: Eudaemon quidam Ecclesiae presbyter Alexandria oriundus Nectario suasit, ut poenitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio, et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere. » Ex qua narratione infert Calvinus cum Chemnitio aliisque non paucis; ergo confessio auricularis abolita est, quae igitur ecclesiasticae tantum institutionis est. Infert autem Dallaeus; ergo nondum auricularis confessio Nectarii aetate vigebat, alioquin eius meminissent Socrates, Sozomenus et Nicephorus, hanc historiam referentes.

Resp. Admissa veritate narrationis, quam *Baronius* suspectam et alii falsam reputant, nullatenus ex ea consequentia deduci potest, quam inferunt adversarii. Nam Nectarius solum abolevit munus presbyteri poenitentiarii, institutum saeculo III post Decii persecutionem, ut refert idem Socrates (initio cap. citati). Huius porro poenitentiarii munus erat, non modo excipiendi secretam et sacramentalem confessionem; verum etiam inquirendi, si opus esset, pro delicti qualitate in delinquentes, adigendi poenitentes ad denunciandos peculiares peccatores, processus instituendi, Episcopum informandi in eum finem, ut posset in ipsos procedere, ut contigit in facto istius nobilis mulieris. Haec enim mulier duplicem fecit confessionem, ut refert Socrates; in priori confessione « delicta post baptismum a se patrata singillatim con-

(1) Cf. lib. de inter. domo c. 37.
(2) Lev. 13, 12.
(3) Cf. Thesaur. Coccii, tom. 2, lib. 7, art. 3, et Henr. Klee, Disquisitio historico-critica *de confessione*.
(4) Lib. 5 hist. c. 19.

fessa erat; » deinde, seu ut idem scribit Socrates, « progressu temporis aliud facinus confessa est, videlicet Ecclesiae diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. » In posteriori tantum hac confessione mulier vel sponte publice coram plebe crimen manifestavit, vel compulsa est ad diaconum denuntiandum, qui propterea ab Ecclesia eiectus est, et inde oborta populi indignatio, et dicteria in ecclesiasticos viros. Hoc igitur mixtum, ut ita dicam, tribunal, et quidem ad tempus in Ecclesia constantinopolitana abrogatum fuit ad similia scandala praecavenda, et confessio ad pristinam simplicitatem revocata. Sane *Sozomenus*, qui idem factum refert, et solum 40 annos post Nectarium scribebat, pro certo sumit, necessariam esse confessionem ad remissionem peccatorum obtinendam. Ait enim (1): « Cum in petenda venia peccatorum necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio iure merito visum est, Sacerdotibus, tanquam in theatro circumstante totius Ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare. » Ex quibus verbis clarissime patet, confessionem publicam, non vero privatam, secretam seu auricularem a Nectario abrogatam fuisse. Neque enim opinandum est, in populosissima civitate non fuisse nisi presbyterum unum, qui poenitentium exciperet confessionem. Monet iam *Origenes* (2) seligendum esse ex presbyteris taciturnum, prudentem, senem, cui animae vulnera aperiantur. Ubi autem unus supponitur huic officio destinatus, delectui locus non relinquitur. — Illa demum verba: Pro arbitrio etc. nil sibi volunt aliud, quam sublato illo presbytero, qui poenitentiae publicae iniungendae praepositus fuerat, integrum cuique fuisse, quisquis conscientiam gravatam senserit, presbytero cuicunque ad hoc munus legitime deputato confiteri peccata sua, sicque sacramentorum participationi propinquare. Hinc recte cl. *Perrone* praesentem difficultatem solvens, tr. de poenit. c. 3 (3), concludit: « Hinc licet experimentum capere bonae fidei et *sapientiae* Calvini, Chemnitii, Dallaei caeterorumque haereticorum, dum talia adhuc obtrudunt. Ex hoc enim facto ad critices lancem exacto habemus inneluctabile argumentum tum de necessitate, tum de praxi confessionis iam a saeculo quarto vigentis. »

Obi. II. Si Patres confessionem commendant, eamque necessariam dicunt, loquuntur de confessione, quae Deo soli facienda est, qui prae caeteris exigit, ut peccator reatum suum agnoscat, non autem Sacerdoti. Id patet ex *S. Chrysostomo*, qui variis in locis dicit: « Soli Deo esse confitenda peccata, non homini; neque coram conservis quasi in theatro propalanda, sed quotidianis in precibus confitenda Deo, neque erubescendum, quia non coram hominibus fit confessio; Deo dicendum: Peccavi etc. » Similia et alii Patres enuntiant.

Resp. Ex citatis Patrum testimoniis abunde constat, iuxta ipsorum doctrinam confessionem non soli Deo, sed ex praecepto divino etiam Sacerdotibus faciendam esse. Multi enim Patres id conceptis verbis enuntiant; alii peccatores monent, ne a delictorum confessione per pudorem retrahantur, qui in confessione soli Deo facta locum non habet; plurimi peccata confitendi obligationem repetunt a potestate solvendi et remittendi peccata, Apostolis eorumque successoribus concessa (4). S. *Chrysostomum* hoc idem sensisse, patet

(1) Lib. 7 hist. c. 16. (2) In Ps. 37. (3) N. 150. (4) § 635, n. 2.

ex eiusdem testimoniis iam adductis. Quod si his loca ab adversariis citata contradicere videntur, nonnulli putant, S. Doctorem hic loqui de Cathecumenis, quibus necessaria non est confessio, de qua agitur; vel de quotidiano conscientiae examine, quod confessionem sacramentalem suo tempore faciendam non excludit: alii vero solidius respondent, mentem S. Chrysostomi esse, non esse faciendam confessionem peccatorum publicam, utpote iam a Nectario abolitam, sed secretam, quam dicit Deo fieri, cum Sacerdoti fit vices Dei gerenti. Hic idem modus loquendi etiam aliis Patribus familiaris est, ut confessionem secretam in aures Sacerdotis Deo soli factam dicant, ut *S. Hilarius* (1), *S. Ambrosius* (2), *S. Augustinus* (3), *S. Isidorus Hisp.* (4), *Anastasius Sinaita* (5), *Ioan. Ieiunator* (6), *Rabanus Maurus* et alii.

Obi. III. Ss. Patres confessionem commendant, ut medium asceticum, quo humilitas exercetur, agnitio sui promovetur, et salutares instructiones et satisfactiones recipiuntur: hoc medium primo monachis, et dein caeteris quoque fidelibus praescriptum fuit. Hinc inde Patres de sola confessione publica loquuntur, quam ex praecepto divino non obligare ipsi Catholici fatentur. Ideo docent, Sacerdoti pandenda esse gravissima tantum peccata, de quibus canones poenitentiales statuti erant, reliqua vero per solam contritionem deleri posse.

Resp. Confessio a Patribus necessaria declarata fuit, antequam monachi orirentur, ut patet ex eorum testimoniis ex tribus primis saeculis citatis. Et si Patres ascetica confessionis emolumenta praedicant, non ideo eiusdem necessitatem negant, quam ex ipsa institutione Christi repetunt. Neque fideles confitebantur ad recipiendam instructionem, sed ad obtinendam peccatorum remissionem ab iis, quibus claves regni coelorum, ut unanimiter Patres loquuntur, commissae sunt ad ligandum et solvendum. An confessio publica aliquando praecepta fuerit, disputant eruditi. Certum est, confessionem publicam peccatorum occultorum saltem ab Ecclesia universali nunquam fuisse praeceptam: atque ideo non hanc intelligunt Patres, cum de confessionis necessitate loquuntur. Caute autem Patres peccata mortalia et venialia distinguunt, atque illa, non vero haec necessario Sacerdoti manifestanda esse dicunt. Denique dum Patres docent, peccatores per contritionem perfectam, quae votum confessionis includit, iustificari, non ideo negant, peccata clavibus Ecclesiae subiicienda esse, quando copia confessarii habetur.

Obi. IV. Plures tum paulo ante, tum paulo post *Concilium Lateranense* propugnarunt, liberam esse confessionem, quae fit Sacerdoti, cum sufficiat soli Deo confiteri. Hanc nonnullorum sententiam refert *Concilium Cabillonense II* eamque non damnat. Eidem *Petrus Lombardus*, etsi eam reiiciat, nullam tamen haeresis notam inurit. *Gratianus* Dist. 1 de poenit. recenset sapientes et religiosos viros docentes, « sola cordis contritione et secreta satisfactione, absque oris confessione, quemquam posse Deo reconciliari. » *Io. Semeca Gratiani* glossator, et *Petrus Uxamensis* confessionis oralis necessitatem aperte reiecerunt. Hoc igitur

(1) Enarr. in Ps. 135.
(2) In Ps. 118, in octon. 5 et lib. 2 de poenit. c. 7. (3) Lib. 11 confess. c. 1.
(4) Lib. 2 Orig. c. 19. (5) De S. Synaxi, n 5
(6) In poenitent.

aevo creditum non est, confessionem iure divino praeceptam esse.

Resp. Dissensus nonnullorum non enervat nec obscurat argumentum traditionis ex communi Ss. Patrum et Ecclesiae consensu depromptum. Quamobrem si saeculo duodecimo nonnulli, ut plurimum Canonistae, nulliusque nominis scriptores de necessitate confessionis male senserunt, deserendi sunt, utpote qui aperte a recepta Ecclesiae fide, ac perpetua traditione recesserunt. Hanc sententiam *Concilium Cabillonense* improbavit quidem, sed notam haeresis eidem non inussit, vel quod nullum adhuc prodierit Ecclesiae decretum, vel quod illius fautores potius ex ignorantia, quam ex malitia peccarent. Idem dicendum est de *Lombardo*, quem excusat *S. Thomas*, quia scripsit ante Ecclesiae definitionem: nam, ait *S. Doctor* (1) oppositum nobis textum exponens: « Quod ponitur hic pro opinione, haeresis est... In talibus, antequam determinetur per Ecclesiam, quod ex eis sequatur aliquid contrarium fidei, non iudicatur haeresis esse. Et sic Magister et Gratianus hoc pro opinione ponunt; sed nunc post determinationem Ecclesiae sub *Innocentio III* factam haeresis reputanda est. » Communiter autem nunc theologi censent, Gratianum non loqui de necessitate confessionis ad salutem ex praecepto Christi, sed de eius necessitate ad remissionem peccatorum. Erat enim tunc temporis duplex sententia inter theologos circa efficaciam sacramenti poenitentiae: quidam dicebant, per illud remitti peccata, consequenter ad hunc effectum necessariam esse confessionem; alii volebant, per praeviam contritionem semper remitti peccata, consequenter ad hunc effectum nec confessionem necessariam esse nec sacramentum: non negabant tamen esse institutum et praeceptum a Christo, ideoque necessarium ad salutem, cuius effectus reponebant in reconciliatione cum Ecclesia, remissione poenae et augmento gratiae. Hanc itaque controversiam, intacta necessitate confessionis ex praecepto Christi, hic expendit Gratianus; quod patet tum ex titulo totius distinctionis, tum ab exemplis, quae adhibet, leprosorum, qui erant mundati antequam se sisterent Sacerdotibus; Lazari, qui erat ad vitam revocatus antequam solveretur a discipulis; et Abrahae, qui erat iustificatus ante circumcisionem, quam tamen recipere iussus est: tum ex eius verbis (2) dicentis: « Non ergo in confessione peccatum remittitur (ut vult prima sententia), quod iam remissum esse probatur; fit itaque confessio ad ostensionem poenitentiae, etc. » Quod si Gratianus de necessitate absoluta confessionis ex praecepto Christi locutus esset, non multum hac in parte eius auctoritate moveri deberemus, qui multa spuria et corrupta testimonia collegit, et ab *Ant. Genuensi* « monachus ecclesiasticorum monumentorum longe imperitissimus » vocatur (3). Cum autem dicit, « sapientes et religiosos viros » docere, confessionem ad remissionem peccatorum necessariam non esse, errori facti deceptus est. Certum est enim, omnes doctores Gratiano coaevos necessitatem confessionis ut dogma catholicum propugnasse. Sic *Petrus Lombardus* (4) ait: « Sicut praecepta est nobis interior poenitentia, ita et oris confessio et exterior satisfactio, si adsit facultas. Unde nec vere poenitens est, qui confessionis

(1) Comment. in 4, dist. 17. (2) Cap. 37
(3) Lib. 6 th. chr. c. 12, § 13.

(4) Lib. 4 sent. dist. 17.

votum non habet. » *S. Bernardus* (1) inquit: « Verbum in ore peccatoris noxiam tollit confusionem, ne impediat necessariam confessionem. Non absolvant Sacerdotes etiam compunctum, nisi viderint confessum.» Idem sentiunt *S. Anselmus* (2), *Hugo Victor.* (3), *Richardus a S. Victore* (4), *Ivo Carnot.* (5) et alii, quos citat *Natalis Alex.* (6). — *Io. Semeca* nullius est auctoritatis, et *Petrus Uxamensis* ut haereticus damnatus est a *Sixto IV*, eiusque cathedra combusta.

III. *Argumentum ex aliis monumentis ecclesiasticis desumptum.*

§ 646. Confessionem a Christo institutam et praeceptam, ac ideo iure divino necessariam esse, probatur etiam *exemplis confessionum peractarum, Conciliorum decretis, Ecclesiarum orientalium consensu* et *praescriptione.*

1. Iam aevo apostolico peccatorum confessionem in usu fuisse, testatur *Eusebius* (7) dicens: « Tales erant Salvatoris nostri discipuli, et eiusmodi aculeos in auditorum animis relinquebant, ut penetraret ipsorum doctrina in intimos thalamos cordis, et cuiusque conscientiam ita sauciaret, ut arcana ex latebris proferre et pravitatem anteactae vitae palam confiteri non dubitarent.» Saeculo II S. *Irenaeus* (8) narrat, mulieres a Marco haeretico seductas crimina sua confessas esse. Saeculo III *S. Cyprianus* lib. de lapsis (9) eos laudat, qui etiam peccata cogitationis Sacerdotibus manifestarunt. Saeculo IV *Eusebius* lib. 6 hist. eccl. c. 9 narrat, inter tres S. Narcissi calumniatores duos misere extinctos, tertium vero totius calumniae ordinem confessum esse, ac duram egisse poenitentiam. Et c. 34 refert, S. Fabianum R. P. Philippo Caesari conventum accedenti in postrema Paschae vigilia, sacrorum aditum non permisisse, « priusquam confessionem scelerum fecisset, iisque, qui humanitus lapsi fuerant, et in poenitentium ordine stabant, sese adiunxisset; » quod idem factum narrans *Nicephorus* (10) observat, Philippum aggregatum fuisse loco et ordini eorum poenitentium, « qui iuxta disciplinam Ecclesiae, praemissa scelerum suorum confessione, explorabantur. » *Eusebius* porro ibidem narrat, Serapionem in persecutione lapsum mortique proximum advocasse presbyterum, ut ab eo beneficium reconciliationis obtineret. Eodem saeculo, teste *Socrate* (11), « mulier quaedam nobilis ad presbyterum poenitentiarium accedit, peccata, quae post baptismum commiserat, particulatim confitetur. » Zelus *S. Ambrosii* in confessionibus audiendis laudatur a Paulino diacono in eius vita. Saeculo V *S. Augustinus* Serm. 393 (12), ut peccatorem inducat ad poenitentiam, dum bona fruitur valetudine, hanc rationem profert: « Quia si ad ultimum vitae steterit, nescit, si ipsam poenitentiam accipere, ac Deo et Sacerdoti peccata sua confiteri poterit. » Saeculo VI praxin fidelium peccata gravia confitendi, antequam ad s. communionem accederent, contestantur *Anastasius Sinaita* (13), et *Paulinus Aquileiensis* (14). — *S. Audaenus* Rothomagensis Episcopus, Saeculi VII scriptor, in vita *S. Eligii* Noviomensis Episcopi (15) de illo narrat: « Non

(1) Serm. ad milites templi c. 12.
(2) In cap. 17 Lucae.
(3) Lib. 2 de sacram. p. 14, cap. 1.
(4) De potest. lig. et solv. cap. 5, 7 et 8.
(5) Serm. 13 in cap. ieiunii.
(6) Diss. 14 in saec. 13 et 14, § 35.
(7) Lib. 3 demonst. evang. ap. Coccium.
(8) Lib. 1 adv. haer. c. 13, al. 9.
(9) N. 154. (10) Lib. 5 hist. c. 25.
(11) Lib. 5 hist. c. 19. (12) Al. 41,
(13) Lib. de S. Synaxi, c. 2.
(14) Lib. exhort. ad Henric. (15) Cap. 7.

post longum spatium, cum iam Eligius virilem ageret aetatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, et metuens, ne aliqua suum delicta pectus frustrarent, omnia ab adolescentia sua coram Sacerdote confessus est acta. » *Theodorus Studites* in vita S. Platonis eum laudat, quod ab adolescentia Pastori animae suae confiteri usque ad minimas cogitationes consuevisset (1). Saeculo VIII *V. Beda* (2) narrat, *Adamanum* quemdam ad Sacerdotem accessisse, et suum ipsi confessum esse delictum. Imo in Anglia iam per viros apostolicos a S. Gregorio M. missos confessionem introductam, et iure divino praeceptam habitam fuisse ex multis monumentis probat cl. *Lingard* Antiq. Eccles. Anglo-Saxon. (3). — *Io. Mabillonius* in Actis. ord. S. Benedicti ab an. 700-800 ostendit, rem perquam vulgarem ea iam aetate fuisse, ut principibus Sacerdotes quidam electi a confessionibus essent; et in specie refert, Martinum, monachum Corbeiensem, Caroli Martelli, et S. Ausbertum, in Normandia Abbatem, Theodorici III Franciae Regis confessarium fuisse. — Superfluum videtur plura referre exempla et testimonia subsequentium aetatum, quia non diffitetur Dallaeus (4) post octavum saeculum nonnihil immutatum fuisse circa mores antiquos, et paulatim invaluisse morem confitendi peccata.

2. Cum *Concilia* ea tantum definire consueverint, quae ab adversariis impugnata fuerunt, de confessionis autem necessitate prioribus Ecclesiae saeculis dubia non moverentur; mirum non est, in antiquis Conciliis synodales definitiones hac de re non inveniri: sed nihilominus talia in iisdem decreta leguntur, ex quibus tum usus tum necessitas confessionis sacramentalis colligi potest. Sic *Concilium Laodicenum* an. 372, can. 2 ait: *De his, qui diversis facinoribus peccaverunt, et perseverantes in oratione, confessione et poenitentia conversionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti talibus, post poenitentiae tempus impensum, propter clementiam et bonitatem Dei communio concedatur. Carthaginense III* an. 397 can. 31 statuit, *ut poenitentibus secundum peccatorum differentiam Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur.* Isti autem et similes canones aut publicam, aut secretam confessionem supponunt; quo enim modo praescribi potuisset poenitentia peccatis commensurata, nisi peccata poenitentiam imponenti manifestata et perspecta fuissent, quod utique et ipsi heterodoxi fateri debent? — *Cabillonense I* an. 650 can. 8 inquit: *De poenitentia vero peccatorum, quae est medela animae, eam utilem hominibus esse censemus, et ut poenitentibus a Sacerdotibus, data confessione, indicatur poenitentia, universitas Sacerdotum noscitur consentire. Trullanum*, seu *Quini-sextum* an. 692 can. 102 haec habet: *Oportet autem eos, qui ligandi et solvendi potestatem a Deo acceperunt, peccati qualitatem considerare, et eius, qui peccavit, ad conversionem promptum studium; et sic morbo convenientem adhibere medicinam. Remense* circa annum 639 can. 8 ait: *Nemo tempore quadragesimae poenitentium confessiones audiat praeter pastorem. Leodiense* an. 710 can. 8 ordinat, *Ut presbyter proprius alia sacramenta ecclesiastica administrat, ita et saltem semel in anno ei confiteantur sua peccata subditi. Calchutense* (in Northumbria) an. 785 inquit: *Iuxta iudi-*

(1) Ap. Surium die 16 dec.
(2) Lib. 4 hist. c. 25. (3) Cap. 6 et 7.
(4) Lib. 3, c. 2.

cium Sacerdotum, et modum culpae eucharistiam sumite, et fructus dignos poenitentiae facite..... Si quis autem (quod absit) sine poenitentia aut confessione de hac luce discessit, pro eo minime orandum est. Turonense III an. 813 can. 22 ita loquitur: *Episcopis et presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut iuxta modum peccati poenitentibus abstinentia indicetur, quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus, et indiscrete haec iudicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis, cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cuius antiquorum liber poenitentialis sit potissimum sequendus. Cabillonense II* an. 813 can. 32 inquit: *Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet et corpore, et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur; solerti animi indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut et ea confiteantur, quae per corpus gesta sunt, et ea, quibus in sola cogitatione delinquitur. Ticinense* an. 855 declarat: *Qui occulte deliquerunt, illis confiteantur, quibus Episcopi et plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint. Wormatiense* an. 868 can. 25 dicit: *Poenitentibus secundum differentiam peccatorum Sacerdotis arbitrio poenitentiae decernuntur. Debet itaque Sacerdos in poenitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque modumque culparum, et affectus genitusque delinquentium diligenter examinare manifesteque cognoscere; temporum etiam et personarum, locorum quoque et aetatum qualitates inspicere* etc. *Brandanfordense* in Anglia an. 959 (1) can. 1 peccatores ad delicta sine erubescentia manifestanda excitat, *quia inde venit indulgentia, et quia sine confessione nulla est venia; confessio enim sanat, confessio iustificat.* — Ita iam Concilia particularia usum confessionis commendarunt, et necessarium declararunt. Cum autem tepefacti fideles eundem maxima animi levitate negligerent, Ecclesia saeculo decimo tertio id, quod iam divino iure praescriptum erat, quoad tempus ita determinavit, ut quilibet fidelis saltem semel in anno peccata sua Sacerdoti confiteri obligaretur. *Concilium* enim *Lateranense IV* an. 1215 can. 21 dicit: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiae sacramentum.* Duo, ut patet, in isto canone praecepta occurrunt, nempe semel in anno confitendi, et in paschate eucharistiae sacramentum suscipiendi. Sicuti autem eucharistiae sacramentum, fatentibus adversariis, non ab hoc Concilio institutum, sed tempus duntaxat illud recipiendi determinatum fuit; ita etiam poenitentiae sacramentum non ab hoc Concilio institutum, sed solum tempus illud per sinceram confessionem recipiendi determinatum fuit. Rectissime idcirco *Concilium Tridentinum* Sess. XIV, cap. 5 docet: *Cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta*

(1) Vol 964.

confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata: manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur; neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Et in eadem Sessione definit can. 6: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.* Can. 7: *Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae speciem peccati mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.* Et can. 8: *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus fideles, iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno; et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimae; anathema sit.*

3. *Consensus Ecclesiae graecae et latinae* invictum est divinae traditionis argumentum (v. Th. gen. § 181). Veterem autem Ecclesiam graecam, Romanae fidei et obedientiae vinculo iunctam, peccatorum confessionem iure divino praeceptam, et necessariam credidisse, ex citatis iam Ss. Patribus et Conciliis graecis liquet. Verum eadem fides in Ecclesia graeca semper perseveravit. Quamvis enim, fatente Dallaeo, saeculo octavo confessionis usus in Ecclesia occidentali iam obtinuerit, et circa illum plures a Conciliis canones editi fuerint, nunquam tamen Latini propterea a Graecis reprehensi sunt. Et sane neque *Photius* eruditione excellens, sed odio in Latinos famosus, neque *Theophylactus*, qui tractatum de erroribus Latinorum edidit, neque *Michaël Caerularius*, lugendi schismatis adhuc perdurantis auctor, neque alii infensissimi Latinorum adversarii istorum doctrinam de confessione auriculari sugillarunt. Neque Graeci ignorare poterant praeceptum in *Concilio Lateranensi* editum; et tamen nulli ipsorum in mentem venit, *Innocentium III* confessionis auricularis auctorem dicere. Ideo etiam in Synodo Florentina nihil prorsus de sacramento poenitentiae actum est, quia una eademque nobiscum erat eorum doctrina. Idipsum patet ex Graecorum euchologiis et libellis poenitentiariis, in quibus mentio confessionis

factae a poenitente reperitur. In magna semper auctoritate et frequenti usu fuit poenitentiale *Ioannis Ieiun.*, in quo Sacerdos poenitenti dicere iubetur: « Licet hoc pudendum et probrosum tibi videatur, opera probris et pudori obnoxia revelare, attamen eximie et accurate tibi persuasum esto, per praesentem pudorem te a futuro liberari, et mandatis obediendo non modo indulgentia, sed etiam coronis te dignum fieri. » Eandem fidem profitentur celeberrimi inter Graecos scriptores. Saec. IX *Nicephorus Chartophylax* tr. de potestate lig. et solv. ad Theodosium Monachum scribit: « Ligandi et solvendi provincia Pontificibus ipsis a clementissimo Deo nostro demandata est; siquidem ad Petrum ait: *Quaecunque ligaveritis* etc. Unde olim omnes oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suaque illis occulta prodere, et sic vel reconciliationem vel repudium ferre. Pontifices vero frequenti multitudinis turbulentia, ut arbitror, defatigati id operae ad probatos Monachos transmisere. » *Basilius* Imp. in orat. ad Episcopos, qui cum Photio schisma fecerunt (1), inter alia dicit: « Nihil turpe ducamus passionem manifestare et vulnus ostendere, ac locum poenitentiae et medicinae inquirere, atque intra atrium salvantium fieri, ne confusionis aeternae sumamus experimentum. Confusio revera est et maximus pudor, imo vero in Deum dimicatio, nolle unumquemque confiteri peccatum etc. » Idem sentiunt *Simeon Thessalonicensis* lib. de sacram., et *Gabriel Philadelphiensis* lib. de sacram.— *Ieremias* Patriarcha CPtanus in celebri censura Novatorum causa edita, sicut septem profitetur sacramenta, ita Resp. cap. 11 de confessione inquit: « Respondemus - confitentem, quoad possit et recordetur, peccata particulatim exponere debere, idque corde contrito et humiliato. Sic enim sanatur etc. » Et *Conc. Hierosolymitanum* an. 1672 can. 15 inter septem sacramenta recenset *Poenitentiam, in qua secreta includitur confessio.* Eandem fidem tenet *Ecclesia Ruthena.* Haec enim ceu fidei regulam recepit saepius memoratam *orthodoxam confessionem catholicae Ecclesiae Orientalis*, quae quaest. 113 inter partes poenitentiae omnino necessarias ponit contritionem cordis; et deinde ita pergit: « Hanc cordis contritionem sequi debet viva voce singillatim facta omnium peccatorum confessio. Nihil enim solvere Pater spiritualis potest, ubi nihil solvendum deprehendit, nec poenam mulctamque ideo imponere. » In Catechismo Platonis, qui titulum gerit *Doctrina orthodoxa*, et in Russia maxime vulgatus est, dicitur, quod confessio sit sacramentum, in quo fideli a Deo peccata per ministrum Christi remittuntur; quod peccanti post baptismum non aliud medium recuperandae gratiae maneat, quam poenitentia et confessio; et quod accusatio non generalibus terminis fieri, sed peccata speciatim accusari debeant etc. *Armeni* fidem de necessitate confessionis, eiusque usum semper retinuerunt. Cum enim saeculo XIV de erroribus circa sacramentum poenitentiae accusarentur, et a *Benedicto XII* ad reddendam hac de re rationem provocarentur, Armeni Episcopi in Concilio collecti responderunt, populum armenum non generaliter tantum, sed et singillatim peccata confiteri, sigillum confessionis sancte custodiri, eiusque fractionem dure puniri; et suam fidem esse, Deum quidem principaliter, Sacerdo-

(1) V. Act. Conc. CPtani 4.

tes vero ministerialiter peccata remittere (1). *De Aethiopibus* testatur cl. *Vanslebius*, quod confessionis usum habeant, et inter alia pietatis opera, quibus graviter aegrotantes se ad mortem disponunt, etiam confessionem recenseant. — In Oriente denique etiamnum dantur *Nestoriani* et *Eutychiani*, qui iam saeculo V se a catholica Ecclesia separarunt, in varias sectas scissi sunt, et *Iacobitae*, *Copti* etc. dicuntur. De his ab itineratoribus, et nonnullis Missionariis dubia mota sunt, an confessionis usum retinuerint. Sed recte observat cl. *Gazzaniga* (2) *cum Nat. Alexandro*, « mirandum non esse, nonnullas communiones orientales, quae foedo schismate se ab Ecclesia catholica et apostolica romana separarunt, ut in multis aliis, ita in hoc capitali dogmate a recta fide aberrasse: neque ab ipsis, quae modo in spissis ignorantiae tenebris versantur, sed ab antiquis Patribus, ac etiam ab Ecclesia graeca, quae, quamvis schismatica, constanter tamen confessionem sacramentalem retinuit, apostolicam traditionem esse requirendam. Praeterea (ait n. 321), non facile adhibenda est itineratoribus, aut etiam Missionariis fides, qui non tam ex earum gentium libris symbolicis, quam ex corruptis earum moribus de earundem religione saepe iudicarunt. » Et sane contrarium eruditissimi viri ostenderunt, ex plurimis monumentis probantes, confessionis auricularis disciplinam apud orientales nationes non modo catholicas, verum etiam haeresi, aut schismate infectas, sacrosanctam semper fuisse. Cf. *Ios. Simon. Assemanus* Bibl. oriental. (3), *Morin.* de sacr. poenit., *Renaudotius* perpetuitas fidei (4), *Klee* (5).

4. Ex his, quae dicta sunt, recte infertur ineluctabile *praescriptionis argumentum*, cuius pondere haeretici omnes opprimuntur. Sicut enim error sola novitate sua convincitur, ita omnis catholica veritas stat hoc solo fundamento inconcussa, quod nulla posterior potest eius assignari origo, sed ipsa fuit semper et ubique et ab omnibus credita. Quod enim universa tenet Ecclesia, et cuius nullum post Apostolos reperitur exordium, illud a Christo Apostolis, et ab Apostolis omnibus ubique Ecclesiis traditum fuisse rectissime creditur. Sic autem revera se habet res confessionis sacramentalis. Etenim recurrendo inde a tempore reformationis sic dictae, quo omnes Ecclesiae, ut ipsi adversarii fatentur, in tranquilla huius dogmatis possessione erant, « confessionem sacramentalem omnibus post baptismum lapsis esse ex institutione Christi necessariam, » per omnia retro saecula nullum prorsus temporis spatium assignari potest, quo, nullum Concilium, nullus Pontifex nominari, a quo, atque nulla Ecclesia ostendi, in qua confessio demum introducta fuerit; et tamen haec sine gravissimis dissidiis introduci non potuisset, imprimis cum minime agatur de re in veritatibus abstractis, et a communi hominum usu remota, sed de re ad praxin, et omnium usum pertinente. Quis enim, quaeso, credat, omnibus Ecclesiis unquam persuaderi potuisse, confessionem peccatorum iure divino praeceptam, et ad salutem necessariam esse, si id antea nec creditum nec in praxi observatum fuisset?

(1) Ap. Martene Durand. Coll. ampl. vet. Sc. et Monum., art. 40 et 83.
(2) De sacram. diss. 6, cap. 8, n. 320.
(3) Tom. 2.
(4) Tom. 5, lib. 1, c. 1, etc.; lib. 3, c. 3, lib. 4, c. 1, etc. (5) Loc. cit. (p. 190-213).

Quis porro credat, fideles et sacerdotes omnes iugum tam grave et onus tam molestum sibi obtrudi passos esse, nemine reclamante, et dogma novum et inauditum ut divinum suscepisse, quin aliquod ortum sit dissidium, quum tamen de rebus longe minoribus, imo de eiusmodi, quae cum nostris prorsus comparari non possunt, altercationes in Ecclesia ortae sint, et ab historicis abunde referantur? Tales difficultates commentis Novatorum oppositas adversarii nunquam solverunt, et nunquam solvere poterunt. Nam idiotis tantum illudunt, dum dicunt, ab Innocentio III in *Concilio Lateranensi* confessionem introductam esse.— Omnibus consideratis, recte concluditur, moraliter impossibile fuisse, ut confessionis usus in Ecclesiam introduceretur, si illa non ab ipso Christo instituta et praecepta fuisset.

Nota 1. Si humana ratio a passionibus et praeiudiciis libera confessionis sacramentalis institutionem propius consideret, facile cognoscet, ex illa divinam sapientiam et bonitatem maxime elucere. Insignia enim sunt confessionis iuxta praeceptum Christi peractae *emolumenta*. Nam per illam 1° *cognitio suipsius promovetur:* homines quippe mundi amore capti passionibusque suis indulgentes extra se vagari solent, nihilque minus quam seipsos cognoscunt sed praecepto confessionis adstricti in seipsos intrare, cogitationes, locutiones et operationes suas explorare, easdemque iuxta divinae legis normam diiudicare tenentur, et sic ad illam status sui moralis cognitionem perveniunt, quam iam ethnici philosophi ut primam emendationis conditionem veraeque sapientiae principium commendarunt. 2° *Conscientia nimis laxa, vel anxia corrigitur:* sicuti enim iuxta notum axioma nemo potest esse iudex in propria causa; ita experientia docet, homines in semetipsis diiudicandis facillime aberrare, quia vel amore proprio obcaecati et laxam conscientiam secuti, neque obligationes, neque praevaricationes suas recte cognoscunt, vel timiditate quadam agitati absque solido fundamento peccatis se implicatos putant: sapientissime igitur a divino nostro Redemptore ordinatum est, ut cuiuslibet conscientia sacerdoti tanquam iudici et patri aperiatur, qui iudicia tum nimis laxa, tum nimis anxia corrigere possit. 3° *Humilitas exercetur*, quae est virtus principalis, contraria superbiae, in qua initium sumpsit omne peccatum, et conformis exemplo Christi, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: peccator enim per contritionem coram Deo, et per confessionem coram Sacerdote confunditur et humiliatur. 4° *Noxia ignorantia tollitur:* quamvis enim instructio publica tum generales, tum speciales pro variis hominum conditionibus morum regulas proponat, rudiores tamen eam vel non recte intelligunt, vel non debito modo sibi applicant; cum autem in tribunali poenitentiae interiora sua pandunt, instructio ad individuum dirigi, personalibus eiusdem relationibus accommodari, falsi conceptus corrigi atque ostendi potest, quomodo regulae morum generales ad varias et singulares circumstantias applicandae sint. 5° *Peccandi licentia frenatur:* ipsa etenim peccata occultissima pudendaque manifestandi necessitas, aut absolutionis a confessario denegandae metus atque confitendi verecundia delinquendi cupidini et licentiae frena iniicit. 6° *Vera emendatio procuratur:* quia confes-

sarius peccatorum malitiam pessimosque effectus ostendendo cordis contritionem promovere, ac praeterea omnia, quae ad perfectam conversionem requiruntur, accurate praescribere et graviter inculcare tenetur, nempe ut peccandi occasiones vitentur, res ablatae restituantur, calumniae revocentur, scandala reparentur, odia deponantur et reconciliatio cum inimicis perficiatur, media efficacia contra malas consuetudines adhibeantur etc., quae omnia ut experientia docet rarissime a poenitentibus praestarentur, nisi a confessario admoneantur, atque ad ea strenue adigantur. 7° *Congrua quaedam satisfactio praestatur:* peccator enim subiiciendo se creaturae, relinquit suum creatorem; congruum est, ut subiiciendo se creaturae, nempe Sacerdoti, revertatur ad suum Creatorem, et si non erubuit coram Deo peccare; dignum et iustum est, ut non erubescat peccata sua coram Sacerdote confiteri. 8° *Confidentia instillatur, et gratia divina cum tranquillitate conscientiae restituitur:* saepe enim peccator gravitatem praevaricationum suarum cognoscens perturbatur, animo deiicitur, et in magno periculo versatur in desperationis abyssum prolabendi: quam primum autem miserum suum statum Sacerdoti manifestat, et ab isto de infinita Dei misericordia certior fit, in fiduciam erigitur, et dum a peccatis quae corde contrito confitetur, absolvitur, gratiam divinam cum tranquillitate conscientiae, imo cum ineffabili spiritus gaudio recuperat, ut exempla innumera commonstrant. 9° Denique *attritionem perficit, seu perfectae contritionis defectum supplet.* Nam, ait *Catechismus romanus* (1): « Ex fidei catholicae doctrina omnibus credendum et constanter affirmandum est; si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi huiusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium, scelera omnia remitti ac condonari, ut merito a sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiae clavibus aditum in coelum aperiri. De quo nemini dubitare fas est, cum a *Concilio Florentino* decretum legamus, poenitentiae effectum esse absolutionem a peccatis. » Et inferius addit: « Constat — si sacramentalem confessionem ex christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse, quae postea, et alia etiam multo graviora homines peccati consuetudine depravati palam committere non verebuntur. » — Inter ipsos Protestantes non defuerunt, qui confessionis utilitatem agnoverunt et laudibus extulerunt. Praeclara sunt verba *Leibnitii*, qui in suo syst. theol. ita loquitur: « Hoc (confessionis) institutum divina sapientia dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe in christiana religione praeclarum et laudabile est, quod et Sinenses et Iaponenses sunt admirati; nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime, qui nondum indurati sunt, et lapsis magnam consolationem praestat, — prodest enim consilium eius (confessarii prudentis ac pii) ad regendos affectus, ad animadvertenda vitia nostra, ad vitandas peccatorum occasiones, ad restituendum ablatum, et reparandum damnum, ad dubia eximenda, ad erigendam mentem afflictam, ad omnia denique animae mala aut tollenda aut mitiganda. » Similia testimonia plura

(1) P. 2, c. 5, n. 37.

ex moderatis Protestantium auctoribus colligi possent, qui etiam hinc-inde dolorem suum de abrogata in sua secta confessione expresserunt. Nostris quoque temporibus supremum Lutheranorum Consistorium Berolinense confessionis usum introducere molitum est; ast irrito conatu, quia praefata ordinatio nonnisi turbines et oppositiones excitavit. Et certe, nisi doctrina revelationis audiatur et firmiter credatur confessionem iure divino praeceptam esse, nec confessionis usus introduci, nec eius emolumenta capi poterunt.

Nota 2. « Omnibus fere piis, ait *Catechismus romanus* (1), persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse, ut nulli mirandum sit, humani generis hostem, cum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per ministros impietatis suae et satellites hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse. » Multae obiectiones iam confutatae sunt, quaedam adhuc refellendae remanent.

Obi. I. Qui sanctorum antiquiorum sive Episcoporum, sive Presbyterorum vitam descripserunt, nullibi narrant, eos fidelium confessiones excepisse; imo nec Sanctos ipsos, saltem in vitae discrimine constitutos exomologesin fecisse. Nuspiam porro legimus, ethnicos aliquid adversus confessiones obiecisse.

Resp. Argumenta adducta negativa sunt, quae enervare nequeunt tot argumenta positiva iam in medium prolata. Rationes etiam assignari possunt, quare antiqua monumenta de confessione sileant. Etenim pauca extant, quae ex primis saeculis ad nos perverunt monumenta, et solicite tunc temporis servabatur disciplina arcani, ne quidquam eorum, quae ad divinorum mysteriorum celebrationem pertinebant, evulgaretur, et ethnicorum calumniis exponeretur. Qui autem vitas Episcoporum et Presbyterorum scripserunt, aut orationes encomiasticas in illos habuerunt, nequaquam omnium functionum sacerdotalis muneris meminisse voluerunt, sed ea tantum, quae in vita illorum sanctorum virorum insignia erant, et singularia recensere studuerunt, quae enim quotidiano usu tenentur et observantur, facile silentio praetermittuntur, praecipue si alia animum magis occupant. Praeterea Episcopi, qui moderandae Ecclesiae, verbi divini praedicationi, refellendis et expugnandis haeresibus, componendis litibus fidelium, curae virginum, viduarum et pauperum toti erant dediti, vix per seipsos vacare poterant excipiendis confessionibus fidelium, qui in canonica crimina lapsi non erant; ideoque secretae poenitentiae administrationem et confessarii munus aliis Presbyteris demandabant; quamquam ipsi etiam Episcopi hanc quoque functionem exercebant, ut de S. Ambrosio nobis constat ex eius vita a Paulino diacono conscripta. Atque ita quoque fidelium Afrorum luctus ob pastorum suorum exilium apud Victorem Vitensem (2) diserte probat, Episcopos et Presbyteros confessiones fidelium excepisse; lamentantur enim: « Qui nobis poenitentiae munus collaturi sunt et reconciliationes? Qui indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: *Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.* » Si in aliorum sanctorum vitis facta exomologesis non commemoratur, id factum

(1) P. 2, c. 5, n. 36.

(2) De persec. Vandal. n. 2.

est, tum quia sancti illi lethalia peccata post baptismum non commiserunt, ideoque confessione necessario non indiguerunt; tum quia venialium confessio, ex usu Ecclesiae non adeo frequens erat. Nemo porro dubitat, sanctos istos s. synaxin recepisse, eique probationem illam, quam Apostolus omnibus indicit, praemisisse; et tamen etiam haec frequenter in vitis sanctorum non commemoratur; an ideo neganda erit? — Caeterum plura exempla confessionis peractae suppeditat *Martene* de antiq. eccles. ritibus (1). Ethnici vel ob disciplinam arcani caute custoditam de confessione nil audierunt, vel nil in ea invenerunt, quod carperent, eandem non noxiam, sed potius salubrem iudicantes: ergo ex ipsorum silentio nil contra nos inferri potest.

Obi. II. Si confessio ab ipso Christo instituta et praecepta fuisset, tum confessarii, tum poenitentes quovis tempore in tam gravi munere instrui debuissent: Sed tales instructiones priscis temporibus non inveniuntur, et solum post saeculum XII et praecipue post *Conc. Lateranense IV* plurimae eruperunt *summae, summulae, curatorum manipuli, poenitentialia, confessariorum specula, instructiones tum confessariorum, tum poenitentium decisiones, casuum conscientiae, medullae* etc., quibus capiendis vastae bibliothecae vix pares sunt. Ergo confessio ante *Conc. Lateranense IV* vel non erat in usu, vel saltem dicendum erit, sacramentum male fuisse administratum a Sacerdotibus, qui necessariis praesidiis erant destituti.

Resp. Ut confessarii suo munere rite fungerentur, quovis tempore necessarium fuit, ut praecepta Dei et Ecclesiae cognoscerent, eorundem transgressiones exinde intelligerent, modumque scirent, commissa peccata puniendi et vulnera animae curandi. Hanc vero notitiam ex ipsis divinae revelationis fontibus hauserunt, nempe ex S. Scriptura, quam, ut historia testatur, continuo meditabantur, et ex Traditione, quam tum ex orali Episcoporum institutione, tum ex Ss. Patrum scriptis hauriebant; modum vero peccata puniendi, seu satisfactionem pro illis imponendi ex canonibus conciliorum dignoscebant, unde digne et salubriter poenitentiae sacramentum administrare potuerunt; non ergo illis opus fuit illis subsidiis, quae serius producta fuerunt ad necessariam scientiam sibi facilius comparandam. Quemadmodum enim priscis temporibus ante scholasticam methodum non fuerunt conscripti tot tractatus Theologiae dogmaticae et polemicae, et tamen Patres dogmata cognoverunt et haereticos confutarunt; sic neque extiterunt tot institutiones Theologiae moralis et pastoralis, quae prodierunt, postquam ad scientiae normam redactae fuerunt; et tamen pastores animarum poenitentiae sacramentum optime administrarunt. Falluntur autem adversarii dum dicunt, usque ad saeculum XII libros non extitisse, quibus confessarii in suo munere dirigerentur. Nam iam a saeculo sexto habemus poenitentialia ac ritualia, formulas et instructiones tum pro confessariis, tum pro poenitentibus: sic celebre est poenitentiale *Ioannis Ieiun.* Patr. CPtani, quo Graeci passim utebantur. Saeculo VIII et IX iam plures libri ad usum confessariorum conscripti circumferebantur, inter quos etiam inventi sunt rectam et sanam doctrinam non continentes, ita ut etiam Concilia necessarium ducerent confessarios contra illorum usum monere. Memoratu dignum est decretum *Concilii Pari-*

(1) Lib. I [illegible] 6, art. 2, § 9

siensis anno 829, quod in primo canonum libello dicit: *Quoniam multi Sacerdotum, partim incuria, partim ignorantia modum poenitentiae reatum suum confitentibus secus quam iura canonica decernant, imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos poenitentiales vocant, et ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant... omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, et inventos igni tradat, ne per eos Sacerdotes imperiti homines ulterius decipiant... Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis instruendi sunt* etc. Quod autem post *Conc. Lateranense IV* plures libri ad confessariorum et poenitentium usum conscripti fuerint, ratio est, non quia confessio tunc temporis introducta fuerit, sed quia post exortam theologiam scholasticam omnes disciplinae theologicae uberius pertractari, et frequentius tractatus theologici conscribi coeperunt; et quia post novorum ordinum regularium institutionem aucto confessariorum et confessionum numero maior exactae et commodae instructionis necessitas enata est.

Obi. III. Confessio secreta, quae fit in aurem Sacerdotis, multis patet abusibus, atque exitiosa est tum ministris, qui obscoena audientes facile inquinantur, aut etiam ad seducendas personas confitentes incitantur, tum poenitentibus, quibus iugum non ferendum imponitur, cum vix possibile sit, ut omnium peccatorum recordentur; tum reipublicae, quae omnia sibi metuere potest ex arcana hac conscientiae manifestatione, in qua Sacerdotes suadere possunt poenitentibus, ne principum iussis obtemperent, et ut machinationes moliantur adversus publicam tranquillitatem, aut principum vitam.

Resp. Nullum est argumentum, quod Novatores ex perverso confessionis usu ducunt; istud enim, si valeret, res quaelibet optimae et utilissimae abrogandae forent. Quis enim nescit, rebus sanctissimis et divinitus institutis abuti posse homines perditos? Nonne apostolatu abusus est Iudas? an tollendus propterea erat apostolatus? Nonne praedicatione evangelii multi abusi sunt ad spargendos errores, et ad bella civilia excitanda vel fovenda? an ideo praedicatio evangelii velut noxia est abroganda? Si id non admittunt adversarii, asserere etiam non possunt, propter abusus, qui contingere queunt, abrogandam esse confessionem. Et sane, si quae sunt confessionis incommoda, illa abunde compensantur per multas magnasque utilitates, quae, ut iam probatum est, ex ea profluunt. His accedit, quod abusibus Ecclesiae praesules, quantum possunt, medeantur: et si nihilominus quidam irrepunt, hominum id vitium est, non sacramenti. Quod ad *ministros* attinet, ne, quaeso, de illis nimis soliciti sint adversarii. Quid igitur, an sacram Scripturam sine periculo legere non licebit, ne forte cogitationes obscoenae irrumpant? Certe nullum est confessariis pertimescendum periculum, si oratione freti, et ea qua decet modestia, gravitate, prudentia, charitate ad excipiendas confessiones se conferant, prout quovis tempore cum ingenti suo et animarum lucro sanctissimi viri hoc sacramentum administrarunt. Praeterea Ecclesia per gravissimas poenas in confessarios solicitantes, aut complices in materia turpi absolventes latas omnem sacramenti poenitentiae abusum praeca-

vere sategit. — Quod *poenitentes* attinet, nullatenus iugum non ferendum eis imponitur ; nam, ut ex *Concilio Tridentino* constat, non tenentur confiteri nisi ea peccata, quae post debitum diligens examen menti subeunt: iis vero, qui rudiores sunt, confessariorum solertia et charitas praesto est. — Denique respublica non damna, sed commoda magna ex sacramenti poenitentiae administratione percipit. Confessarii enim norunt scriptum esse: *Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse* (1) ; officiumque suum sciunt homines a sceleribus retinendi, quae reipublicae nocent, et ad virtutes excitandi, quae bonum publicum promovent. Dein confessarii quidem ad sigillum tenentur, et de iis, quae audierunt in peccatorum confessione, ne verbum quidem manifestare possunt: non autem poenitentes ad sigillum obligantur, qui idcirco, si ad nefaria molimina a confessario excitati fuissent, haec manifestare non solum possent, sed etiam deberent.

ARTICULUS IV.

De sacramenti poenitentiae materia, forma, ministro, subiecto et effectu.

§ 647. Ex iis, quae iam de sacramento poenitentiae pertractata sunt, tanquam corollaria caetera deducuntur, quae de eodem adhuc dicenda sunt, nempe de eius *materia remota et proxima, forma, ministro, subiecto* et *effectu:* de quibus brevis tractatio suscipienda est.

I. *De poenitentiae sacramenti materia remota.*

§ 648. Materiam remotam sacramenti poenitentiae, seu obiectum, circa quod occupatur efficacia sacramenti poenitentiae, constituunt peccata post baptismum commissa, sive ea sint mortalia sive venialia, sive iam fuerint in confessione exposita sive non, cum hoc solo discrimine, quod peccata mortalia nondum rite confessa sint materia necessaria, venialia vero et mortalia iam confessa sint materia sufficiens.

1. Si materiam remotam sacramenti poenitentiae constituunt *peccata post baptismum commissa*, ergo ad illam non spectant peccatum originale, et peccata actualia ante baptismum commissa. Nam sacramentum poenitentiae, quod dicitur secunda post naufragium tabula, ante se necessario supponit baptismum, et ab isto, ut iam probatum est § 637, essentialiter distinguitur: quapropter sicuti ad delendum peccatum originale et peccata actualia ante baptismum commissa divinitus institutum est baptisma ; ita sacramentum poenitentiae divinitus ordinatum est ad remittenda peccata post baptismum commissa. Dein sacramentum poenitentiae circa ea tantum peccata versatur, quae Ecclesiae iurisdictioni subiecta sunt ; atqui peccatum originale et personalia ante baptismum commissa non subiacent iurisdictioni Ecclesiae, quia patrata sunt ab homine non baptizato, Ecclesiae non subdito. Denique materiam sacramenti poenitentiae constituunt peccata, de quibus agenda est poenitentia, et satisfactio praestanda : sed id non potest dici de peccatis per baptismum deletis, unde *Alexander VIII* hanc propositionem (n. 19) damnavit: « Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali. » Et *S. Thomas* (2) ait, quod proprie non est poenitentia, nisi de iis, quae voluntate nostra commisimus : peccatum vero originale naturae peccatum est, non propriae uniuscuiusque vo-

(1) Tit. 3, 1.

(2) 3 p., q. 84, art. 2 ad 3.

:untatis. Observat tamen idem angelicus Doctor, quod, si improprio et latiori sensu sumatur poenitentia pro quacunque rei praeteritae detestatione seu displicentia, « potest dici poenitentia de peccato originali. »

2. Materia remota sacramenti poenitentiae sunt *omnia peccata post baptismum commissa*, sive mortalia, sive venialia, sive cogitatione, sive ore, sive opere, sive omissione patrata. Christus enim generaliter loquitur, dum dicit: *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt.* Sacramentum nempe poenitentiae institutum est tanquam secunda post naufragium tabula, et tanquam remedium animae vulnera curandi post baptismum contracta. Quapropter sicuti non solum verbis et operibus, sed etiam cogitationibus et omissionibus gratia divina perdi et anima vulnerari potest, ita etiam quaelibet peccata quocunque modo post baptismum commissa clavibus Ecclesiae subiiciuntur, et materiam remotam sacramenti poenitentiae constituunt. Omnia autem, etiam gravissima scelera per claves Ecclesiae remitti posse, et nullum dari peccatum irremissibile, iam § 636 probatum est.

3. Peccata mortalia post baptismum commissa, et nondum Sacerdoti manifestata, sunt *materia necessaria* sacramenti poenitentiae, quoniam, ut ex probatis constat, quilibet baptizatus ex praecepto Christi talia peccata clavibus Ecclesiae subiicere, seu in tribunali poenitentiae accusare tenetur. Et sane peccatum mortale in coelo non solvitur, nisi clavibus Ecclesiae subiiciatur, dicente Christo: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;* ergo alia via peccatum mortale remitti non potest quam per sacramentum poenitentiae vel in re vel saltem in voto receptum. Eandem necessitatem Ss. Patres profitentur: ideo alii asserunt, eandem esse causam baptismatis, et huius reconciliationis, ut *S. Augustinus* (1) - alii poenitentiam N. L. appellant secundam post naufragium tabulam, ut *Tertullianus* (2), *S. Ambrosius* (3), *S. Hieronymus* (4): alii dicunt, eum, qui non prius proprii oris confessione prodiderit mala peccatorum suorum, absolvi non posse, ut *Origenes* (5): alii contendunt, Deum velle remittere peccatum, si tamen contritio et confessio adsit, ut *S. Basilius* (6): alii adseverant, frustra quem in corde agere poenitentiam, intermisso Sacerdotum ministerio, eorumque exitium deplorant, qui de isto saeculo exeunt ligati, ut *S. Augustinus* (7): alii dicunt, quod indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri, ut *Leo M.* (8). Haec omnia autem Patres asserere non potuissent, nisi firmiter credidissent, praeceptum esse Christi omnia peccata mortalia confitendi. Ideo *Conc. Tridentinum* Sess. XIV, can. 7 definivit: *Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur..... anathema sit.* Equidem si homo adultus post baptismum in peccata mortalia lapsus actum perfectae contritionis eliciat, iustificatur ante realem susceptionem sacramenti poenitentiae: sed eius peccata, quantumvis remissa, manent materia necessaria

(1) Lib. 1 de adult. coniug. c. ult.
(2) De poenit. (3) De laps. virg. c. 8, n. 38.
(4) In Is. c. 3. (5) Lib. 3 Periarch. c. 1.
(6) In Ps. 32.
(7) Serm. 392, et Ep. 228 ad Honorat. n. 1.
(8) Epist. 82.

confessionis, quia urget praeceptum Christi, peccata clavibus Ecclesiae subiiciendi, quod fideliter implendi si peccator votum seu serium propositum non habeat, contritione vera carebit, et nullatenus iustificabitur.

4. *Peccata venialia,* et etiam mortalia post baptismum commissa, sed iam semel in confessione valida exposita et per Sacerdotis absolutionem remissa, *non sunt materia remota necessaria, sed tamen sufficiens et libera confessionis.* Haec propositio defendenda est contra *Iansenistas*, qui contra confessionem peccatorum venialium insurrexerunt ad facilius omnem confessionem abolendam, et contra *Synodum Pistoriensem*, quae declaravit se optare, ut confessiones peccatorum venialium adeo non frequententur, ne confessiones ipsae contemptibiles reddantur. — Sed iuxta doctrinam catholicam peccata venialia necessario quidem in confessione non accusantur, sed tamen recte, imo et utiliter in confessione sacramentali exponuntur, et sufficientem pro Sacerdotis absolutione materiam praebent. Nam verba Christi, quibus potestatem peccata remittendi Apostolis tradidit, generalia sunt, et ad omnia se extendunt peccata tum gravia tum levia; neque natura peccati venialis talis est, ut materia absolutionis esse non possit, cum reatum culpae et poenae coniunctum habeat, qui condonari seu remitti queat. Dein sententia opposita toti antiquitati incognita fuit, atque fideles omni tempore tum magnis, tum parvis vulneribus medelam sacramento poenitentiae exquirebant. Etenim *Tertullianus* in lib. de pudicitia, quem iam Montanista conscripsit (1), inter peccata remissibilia, seu quae virtute clavium remitti possunt, plurima peccata venialia recenset. *S. Cyprianus* lib. de lapsis (2) de fidelibus sui temporis scribit: « Apud Sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt. » *S. Basilius* hanc consuetudinem apud sanctimoniales obtinuisse testatur in Regul. brev. interr. 4. *S. Augustinus* Enarr. in Ps. XCIX (3) ait: « Semper confitere; semper habes, quod confitearis. Difficile est in hac vita, ut sic mutetur homo, ut nihil inveniatur in eo, quod reprehendatur. » Non solum apud monachos, sed et apud personas saeculares in oriente et occidente usum invaluisse singulis hebdomadibus, aut etiam saepius quotidianos, id est, leves suos defectus confitendi, testantur *Morinus* de poenit. (4), *Renaudotius* perpetuit. fidei (5), *Martene* de antiq. eccl. ritibus (6). Hinc *Conc. Tridentinum* Sess. XIV, cap. 5 dicit: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamvis recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt.* Venialia igitur confitendi praxis a Patribus Tridentinis magnopere commendatur tanquam recta et *utilis*, et piorum hominum usui consentanea. Ideo *Concilii Pistoriensis*, Propositio 39 seu « declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur eiusmodi confessiones, *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a Conc. Trid. probatae contraria* de-

(1) Cap. 19. (2) N. 20. (3) N. 16.
(4) Lib 5, c. 32. (5) Tom. 5. lib. 3. c. 6.
(6) Lib. 1, c. 6, art. 1, n. 16.

claratur et proscribitur a *Pio VI* in Constitut. *Auctorem fidei.*» Accedit, quod ex sententia et praxi adversariorum gravissimum incommodum sequeretur. Nam confessio, quae iuxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus, proderet palam interiorem poenitentium statum, animam emortuam gravium criminum ream. Sic confessionis onus, quod iam per se ob naturalem verecundiam multis satis grave videtur, efficeretur minus tolerabile; atque ita metu se prodendi et reddendi publice infamem, quilibet a confessione averteretur. Hunc fuisse Iansenistarum scopum, iam observavit clar. *Habertus* Vabrorum Episcopus in examine libri: De frequenti communione. Non reddi autem contemptibilem hanc venialium confessionem, constat ex iis, quae scribit *S. Franciscus Salesius* (cuius hac in re auctoritas magni facienda est), dum sic docet Philotheam (1): « Confitere humiliter et devote in hebdomada, et, si fieri potest, ad sacram synaxin accede, etsi nullius peccati gravis conscientiam habeas; quoniam per poenitentiae sacramentum non tantum a venialibus noxis confessis absolveris, sed magnam tibi comparabis vim ad eas evitandas, magnum lumen ad eas rite dignoscendas, et uberem gratiam ad reparandum damnum ab illis illatum. » Etiam peccata mortalia iam per validam confessionem extincta non quidem necessariam, sed tamen sufficientem iteratae confessionis materiam constituunt. Non enim cum reatu culpae omnis etiam reatus poenae remittitur, qui per repetitas Sacerdotis absolutiones semper imminuitur, aut demum penitus deletur. Ideo piorum et doctorum hominum praxin peccata mortalia iam remissa iterato confitendi Ecclesia non solum non improbat, sed potius commendat. *Benedictus XI* Const. *Inter cunctas* (2) ait: « Licet de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata; tamen propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorundem peccatorum reiteretur confessio, reputamus salubre. » Cf. *S. Thomas* (3).

(1) P. 2, c. 19.
(2) Extrav. comm. lib. 5, t. 7.

II. *De poenitentiae sacramenti materia proxima.*

§ 649. Omnes, quotquot sunt orthodoxi theologi, in recipienda doctrina *Conc. Tridentini* de tribus huius sacramenti partibus, *contritione*, *confessione* et *satisfactione*, corde et ore consentiunt (4), et solum in controversiam vocant, an istae tres partes proprie sint sacramenti poenitentiae materia proxima? Quam controversiam intactam voluerunt *Tridentini Patres*, qui canonem 4, Sess. XIV non contra opiniones theologorum, sed contra errores Novatorum direxerunt. Non consentiunt ideo theologi in materia proxima sacramenti poenitentiae assignanda.

1. Prima sententia est *Gulielmi Antissiodorensis* (5), *Gulielmi Parisiensis*, *Vincentii Bellov.*, *Alexandri Halensis* (6) et aliorum, qui materiam proximam sacramenti poenitentiae dixerunt esse impositionem manuum, a Sacerdote verba absolutionis proferente factam. Sententiam suam probant ex S. Scriptura, quae, dum de collatione gratiarum loquitur, saepe mentionem facit impositionis manuum; ex *Conc. Carthaginensi IV*, quod cap. 78 ait: *Poenitentes, qui in infirmitate viaticum eu-*

(3) In 4, d. 17, q. 3, art. 3, sol. 3, q. ad 3.
(4) Cf. § 638. (5) De poenit. c. 3.
(6) P. 4 Summae q. 5. membr. 1 art. 1.

charistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint; et cap. 80: *Omni tempore ieiunii manus poenitentibus a Sacerdotibus imponantur;* ac denique ex praxi Ecclesiae (quam probat *Io. Morinus* in comment. hist. de sacr. poenit.(1)), reconciliationem per duodecim saecula tam privatim quam publice cum manus impositione perficiendi; unde solemne fuit antiquis, sacramentum poenitentiae haud aliter, quam impositionem manuum appellare. — Ast plerique theologi hanc sententiam reiiciendam esse putant, tum quia S. Scriptura impositionis manuum mentionem facit, dum de miraculis patrandis aut de sacramentis confirmationis et ordinis loquitur; quando autem refert potestatem ligandi et solvendi, peccata retinendi et solvendi Apostolis datam, altum de impositione manuum silet; tum quia *Concilia Florentinum* et *Tridentinum*, licet enucleatius exponant partes necessarias huius sacramenti, de impositione manuum nullam faciunt mentionem, imo aliam innuunt sacramenti poenitentiae materiam proximam. Porro putant iidem canones Conciliorum impositionem manuum praescribentium ad eos tantum pertinere, qui publicae poenitentiae subiecti, et publice, vel in gravi morbo privatim a censuris absolvendi erant; sacramentum vero poenitentiae interdum a Patribus appellatum fuisse *impositionem manuum*, non quod putarent, ritum hunc esse huic sacramento essentialem, sed quia illis temporibus poenitentiae administrationi erat coniunctus. Eiusdem sententiae est *S. Thomas* qui (2) dicit: « Impositio manuum in sacramentis Ecclesiae (confirmatione et ordine) fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum. Sacramentum autem poenitentiae non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiae, sed ad remotionem peccatorum. Et ideo ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut etiam nec ad baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum. »

2. Secunda sententia est *Scoti*, Doctoris subtilis, qui docet, tres actus poenitentis non esse materiam proximam, seu partes intrinsecas huius sacramenti, sed esse duntaxat dispositiones necessario praerequisitas ad illius effectum; contenditque totam rationem sacramenti repositam esse *in sola Sacerdotis absolutione*, quae quatenus est sonus quidam sensibilis, est materia sacramenti; quatenus vero significat peccatorum remissionem, est eiusdem forma. — Huic vero sententiae recte opponitur, quod in ea materia proxima a forma non distinguatur, cum nimium subtilis distinctio inter sonum verborum et significatum verborum vix cuiquam arrideat, atque etiam forma ipsa sine sono verborum proferri nequeat.

3. Tertia sententia est *Durandi*, qui contendit, proximam sacramenti materiam esse *poenitentis confessionem;* contritionem autem, quae, ut mere interna et invisibilis, ad materiam spectare nequit, praecedere debere ut dispositionem; satisfactionem demum esse poenitentiae fructum. Sed notandum est, quod non qualiscunque confessio, seu peccatorum enarratio sit materia proxima sacramenti, sed confessio coniuncta cum contritione, quae, licet interna sit, exterius tamen verbis vel signis manifestari potest, imo ipso ad tribunal poenitentiae accessu quodammodo proditur, et a confessario diudicanda est.

(1) Lib. 8, c. 15.

(2) 3 p., q. 84, art. 4.

4. Quarta sententia est S. *Thomae*, quae etiam communior inter theologos facta est. Iuxta hanc sententiam, actus poenitentis, nempe *contritio*, *confessio* et *satisfactio* sunt proprie materia proxima sacramenti poenitentiae, seu partes materiales, ex quibus intrinsece componitur. Observant autem theologi, quod ad materiam proximam potius referenda sit voluntas seria satisfactionem a Sacerdote impositam praestandi, quam ipsa satisfactio actu praestita; haec enim non est pars essentialis, sed pars integralis tantum, sine qua datur quidem tota essentia sacramenti, non tamen tota eius perfectio. Quod vero praefati tres actus constituant materiam proximam sacramenti poenitentiae, probatur 1° *auctoritate S. Thomae* (1) qui dicit: « Remota materia poenitentiae sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda et destruenda. »Sicuti ergo in quolibet sacramento applicatio materiae remotae dicitur, et est materia proxima, ita etiam peccata sacramento poenitentiae applicantur, dum per contritionem reprobantur, per confessionem exponuntur, et per satisfactionem destruuntur. Et ibid. (2) inquit: « Dictum est supra, quod in sacramento poenitentiae actus humani se habent per modum materiae; et ideo cum plures actus humani requirantur ad poenitentiae perfectionem, scilicet contritio, confessio et satisfactio, consequens est, quod sacramentum poenitentiae habeat partes, scilicet tres enumeratas, » quas postea (3) ad sacramentum hoc pertinere ostendit: 2° *ratione theologica;* nam sacramentum poenitentiae institutum fuit per modum iudicii, quo peccator per sententiam sacerdotis cum Deo in gratiam reddit: atqui iudicium ex parte rei haec tria exigit, nimirum dolorem de peccatis, seu contritionem, declarationem peccatorum seu confessionem, ut iudex, causa cognita, sententiam ferat; et satisfactionem pro reparanda iniuria Deo per peccatum irrogata. 3° *Auctoritate Conciliorum;* nam *Florentinum* in decreto unionis ait: *Quartum sacramentum est poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est contritio... secunda est oris confessio... tertia satisfactio pro peccatis. Tridentinum* Sess. XIV, cap. 3 docet: *Sunt quasi materia huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio, qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes poenitentiae dicuntur.* Et can. 4 definit: *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur... anathema sit.* Quid autem significet illa particula *quasi*, explicat *Estius* (4), quia materia huius sacramenti non est aliquid corporeum, cuiusmodi sunt aqua, oleum, panis, vinum, sed actiones poenitentis, quae non ita *proprie* materia vocari possunt. Et clarius loquitur *Catechismus rom.* (5): his verbis: « Neque vero hi actus *quasi materia* appellantur, quia verae materiae rationem non habeant: sed quia eius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione. »

(1) 3 p., q. 84, art. 2. (2) Q. 90, art. 1.
(3) Art. 2.

(4) In 4 dist. 15, § 2.
(5) N. 13, p. 2, cap. 5.

Nota. Citata Conciliorum verba magnum pondus ultimae, seu quartae sententiae addiderunt, atque effecerunt, ut communis inter theologos facta sit. Non tamen dici potest, eam de fide definitam esse, nam, ait *Gazzaniga* (1) « aliae aliorum sententiae damnatae non sunt, et palam in Ecclesia docentur et defenduntur. » Idcirco, in praxi, prima sententia non est penitus contemnenda, neque impositio manus negligenda, tum quia graves theologi eam necessariam et essentialem putarunt, tum quia per duodecim saltem saecula in usu fuit, tum quia etiamnum in Rituali romano praecipitur confessario, ut dextera versus poenitentem elevata dicat etc. — *S. Carolus Borromaeus* in *Concil. Mediolanensi V* confessario praescribit: « Quod in Ecclesia antiqui instituti veterisque consuetudinis est, recte omnino servet, ut dum, absolutionis formulam precesque adiunctas profert, supra caput poenitentis manum dexteram elevet; id quod etiam cum mysterii significatione fit. » Impositio nempe manus significat collationem gratiae; sola autem elevatio unius manus innuit, non tam copiosam gratiam in hoc sacramento obtineri, ut in confirmatione et ordine; elevatio demum manus dexterae ostendit, eadem virtute divina, quae corporaliter mortui resuscitantur, etiam spiritualiter mortuos ad vitam gratiae revocari.

III. *De poenitentiae sacramenti forma.*

§ 650. Forma sacramenti poenitentiae essentialiter exprimi debet verbis proprie dictis et humana voce prolatis, ita ut nulla sit absolutio nutibus vel scripto data. Id patet tum ex *Conciliis Florentino* et *Tridentino* mox citandis, tum ex praxi Ecclesiae, in qua nunquam absolutio sacramentalis scripto aut nutibus data est. Imo *Clemens VIII* (in Bulla *Sanctissimus Dominus*) hanc propositionem, « Licet per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere » damnavit ut falsam, temerariam et scandalosam, ac prohibuit sub poena excommunicationis latae sententiae ipsam edoceri, aut ea in praxi uti. Verba autem significare debent effectum, qui producitur, nempe remissionem peccatorum, quae vi potestatis a Christo traditae conceditur. Id autem duplici modo fieri potest, scilicet vel indicativo, vel deprecatorio. Quamobrem duplex distinguitur absolutionis forma: *indicativa*, quae his verbis enuntiatur, *Ego te absolvo* etc.; et *deprecatoria*, quae profertur per modum orationis, *Quaesumus, Domine, absolve* etc. Sunt qui tertiam absolutionis formam distinguunt, quam imperativam vocant, ut cum dicitur *Absolvatur Christi servus* etc.; vel *Sis absolutus* etc. At clarum est, hunc modum, ubi de ministro sacramentorum agitur, ad deprecatorium pertinere; neque enim homo potest Deo imperare: quamvis illa verba, *Sis absolutus*, etiam possint indicative sumi, ita ut sensus sit *Sis a me absolutus*, quod idem esset, ac si diceretur *Ego te absolvo* etc. Quaestio ergo ad hoc reducitur, an in sacramento poenitentiae adhibenda sit absolutionis forma *indicativa* an *deprecatoria?* — Omnes theologi catholici consentiunt, necessario adhibendam esse absolutionis formam indicativam, eamque convenientem et legitimam esse: an autem valida sit etiam absolutionis forma deprecatoria, disputant theologi; communior tamen et probabilior eorum sententia videtur, qui

(1) De sacram. dis. 6, cap. 4, n. 111.

dicunt, eam validam esse, ita ut pro principio statui possit, praescindendo a positivo Ecclesiae praecepto perinde esse quoad eius substantiam an *indicativo*, an *deprecatorio* modo exprimatur.

1. Forma valida, conveniens et legitima sacramenti poenitentiae est haec, quae indicativo modo exprimitur his verbis : *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris* etc. Id probatur: 1° *ex S. Scriptura*. Sicut enim Dominus dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris* etc.(1), ita dixit iisdem Apostolis: *Quodcunque solveritis* etc. (2), et *Quorum remiseritis peccata* etc. (3): « Atqui Sacerdos, vi priorum verborum Christi dicit *Ego te baptizo in nomine Patris* etc., ergo vi posteriorum verborum debet dicere *Ego te absolvo a peccatis tuis* etc. 2° *ex Traditione*, cuius insignis testis est *S. Thomas*, qui in opusculo 22 (4) refutat assertionem cuiusdam theologi dicentis : « Quod Sacerdos absolvendo uti non debet hac forma, *Ego te absolvo.* » In hoc iam opusculo c. 1 ait : « Communis est consuetudo tali forma (indicativa) utentium, cui aliquem contrariari non parvae praesumptionis est.» Et cap. 2° scribit : « Magistros Parisienses communi sententia declarasse, absque his verbis, *Ego te absolvo*, absolutionem non esse per solam deprecativam orationem. » Igitur aetate *S. Thomae* viguit ista forma absolutionis indicativa; neque de illa, tanquam usu recenti inducta, loquitur, imo potius existimare videtur, nullam aliam unquam obtinuisse. « In quo quidem facto, ait cl. *Tournely* (5) facile fuit S. Doctorem falli, cum omnia non perlustrasset antiquorum monumenta, quorum copiam non habebat. » Sed notandum est, antiquam traditionem non ex solis libris ritualibus et sacramentalibus cognosci, in quibus ea praecipue exponebantur, quae ab Ecclesia circa sacramentorum administrationem ordinata fuerunt; verba autem essentialem formam constituentia ob disciplinam arcani, aut ex quadam reverentia, omissa fuerant; sed illam tutius cognosci ex fide et praxi Ecclesiae per oralem institutionem servatae, et ad posteros transmissae. Hanc autem *S. Thomas* melius cognoscere potuit, quam scriptores saeculi decimi septimi et octavi. Neque suspicari licet, tantum doctorem sine certis argumentis de antiqua disciplina testimonium tulisse. Et sane, ipse *Io. Morinus*, qui lib. 8 de poenit. totus in eo est, ut ex antiquis monumentis ostendat, usque ad saeculum decimum tertium in Ecclesia graeca et latina formam absolutionis deprecatoriam in usu fuisse, ibidem tamen cap. 8, n. 1 fatetur, se in uno aut altero antiquo rituali formam indicativam deprecativae admixtam legisse. Addit *P. Martene* lib. 1 de ant. eccl. rit. (6), in quatuor antiquitate plane venerandis ritualibus manuscriptis formam hanc indicativam deprehendi, nempe in pontificali *Egberti*, Episc. Eboracensis, litteris saxonicis pereleganter scripto; in *Anglicano*, cuius character nongentos circiter annos refert; in *Gellonensi* vetustissimo, et in *Remensi S. Remigii* litteris longobardicis exarato: ex quibus si inferre non licet, quod visum est *S. Thomae*, *Arcudio*, *Goario* et aliis nonnullis, solam formam indicativam ex traditione divina promanasse, ac solam tanquam essentialem observatam fuisse, recte tamen concludimus, formam

(1) Matth. 28. (2) Matth. 18.
(3) Io. 20. (4) Al. 23.
(5) Q. 9, de sacr. poen. art. 1, concl. 2.
(6) C. 6, art. 5.

absolutionis indicativam etiam vetustis temporibus in Ecclesia usitatam et tanquam validam, convenientem et legitimam habitam fuisse; quod ad propositionem nostram ex traditione probandam sufficit. Sed eadem invicte probatur: 3° ex *Conciliis*. Nam *Florentinum* in decreto unionis ait: *Forma huius sacramenti* (poenitentiae) *sunt verba absolutionis, quae Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo.* Et *Tridentinum* Sess. XIV, cap. 3 inquit: *Docet sancta Synodus, sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse, Ego te absolvo, quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, nec ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessaria.* Accedit 4° *ratio theologica,* quam iam proposuit *S. Thomas* (1). Forma sacramenti debet significare id, quod in sacramento agitur proportionaliter ad materiam sacramenti; significant enim sacramenta novae legis, quod efficiunt: atqui haec forma, *Absolvo te*, significat id, quod peragitur in hoc sacramento proportionaliter ad materiam. Nam, ut loquitur *S. Thomas* l. c.: « Hoc sacramentum, scilicet poenitentiae, non consistit in consecratione alicuius materiae, nec in usu alicuius materiae sanctificatae, sed magis in remotione cuiusdam materiae scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur *Ego te absolvo*, nam peccata sunt quaedam vincula secundum illud Prov. V, 22: *Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Unde patet, quod haec est convenientissima forma huius sacramenti, *Ego te absolvo.* »

2. Formam absolutionis deprecativam, si sola adhibeatur, invalidam et irritam declaravit *S. Thomas* opusc. 22 dicens: « Si illa tantum dicuntur esse soluta, quae habens claves solverit, qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit; miror, qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum. » Eiusdem sententiae fuerunt *Alexander Alensis* et *S. Bonaventura;* et insignes istos scholasticorum principes secuti sunt cl. *Suarez, Simmonet, Antoine, Berti, Billuart, Thomas ex Charmes* et alii, qui ex citata declaratione *Concilii Tridentini* inferunt, formam indicativam esse essentialem et institutionis divinae; formam vero deprecativam, seu preces, quae pro remissione peccatorum funduntur, esse tantum institutionis ecclesiasticae, atque ideo validam formam constituere non posse. — Sed his non obstantibus graves theologi, ut *Morinus, Martene, Card. Gotti, Gaspar Iuenin, Witasse, Tournely, Drouin, Du-Hamel, Sardagna, Perrone* et alii dicunt, spectata institutione Christi non solum indicativam, sed etiam deprecativam absolutionis formam validam esse. Sententiam suam probant: 1° ex testimoniis Ss. Patrum, qui affirmant, poenitentes per orationes Sacerdotum absolvi. *Tertullianus* (2) ait: « Veniam dari per exoratorem Christum. » *S. Ambrosius* (3) inquit: « Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris et Filii et Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur. Isti rogant, Divinitas donat. » *S. Hieronymus* (4)

(1) 3 p., q. 84, a. 3 (2) L. de Pudic. c. 19. (3) Lib. 3 de Spir. S. c. 8. (4) In Ps. 28.

ad ista verba, *Vox Domini intercedentis flammam ignis*, scribit: « Quotidie in unoquoque nostrum flammam libidinis per confessionem et gratiam Spiritus sanctus intercidit, id est, per orationem Sacerdotis facit cessare. » *S. Augustinus* (1) dicit: « Manus impositio (quae super poenitentem fieri solebat) non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem? *S. Leo M.* (2): « Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri non potest... Multum utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. » 2° *Ex antiquis ritualibus*, in quibus, ut probat *Morinus*, usque ad saeculum decimum tertium exhibetur forma absolutionis deprecativa: imo etiam hoc saeculo eandem formam in Ecclesia latina viguisse, patet ex *Gulielmo Parisiensi* (3) scribente: « Non more iudicum forinsecorum pronuntiat confessor *Absolvimus te, non condemnamus*; sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat. » Itaque si forma deprecativa obstaret valori huius sacramenti, per 12 saecula invalide administratum fuisset in Ecclesia graeca et latina poenitentiae sacramentum; quod ne dicatur, fatendum est, Ecclesiam etiam formam absolutionis deprecativam ut validam reputasse. 3° *Ex praxi Graecorum* etiam post saeculum decimum tertium continuata. Nam ipse *Arcudius* l. 4 de concordia, cap. 3 ingenue fatetur, non aliam in omnibus Graecorum Euchologiis formam absolutionis deprehendi, quam deprecatoriam, quam etiamnum habent. Et tamen Graecis hac de re nulla unquam lis mota fuit a Latinis sive in *Concilio Lugdunensi II*, sive in *Florentino:* inverisimile autem est, Latinos hunc Graecorum morem ignorasse, aut conatos non fuisse Graecos ad saniora pertrahere, siquidem Latini existimassent, valorem sacramenti forma deprecativa vitiari. 4° *Ex Clemente VIII*, qui in instructione super ritibus Graecorum an. 1595 edita ait: « In casu necessitatis presbyteri Graeci-catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali *Concilio Florentino* praescripta, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt. » Ergo cum Pontifex non iniunxerit Graecis Sacerdotibus, ut forma indicativa utantur, quando Graecos fideles absolvunt, satis innuit, se formam deprecativam in absolvendis Graecis pro valida habere. 5° *Ex ratione theologica.* Ad essentiam formae in sacramento poenitentiae spectat, ut exprimatur minister qui operatur, gratia quae conceditur, nempe remissio peccatorum et subiectum cui applicatur: sed haec tria etiam in forma deprecativa occurrunt dum a Sacerdote oratur, ut Deus praesenti poenitenti peccata remittat. Remissionis enim peccatorum Deus est causa principalis, et Sacerdos causa ministerialis: sicut ergo in forma indicativa magis exprimitur causa ministerialis, ita in forma deprecativa magis exprimitur causa principalis; neque tamen, si haec adhibetur, deest ex parte Sacerdotis absolventis actus iudicii, quia illam orationem non pronuntiaret, nisi ipse iudicaret, absolvendum esse poenitentem, suamque apud Deum ratam fore et acceptam orationem, sicque iudiciariam exercet Sacerdos pote-

(1) Lib. 3 de bapt. c. 6.
(2) Ep. 82, al. 91.
(3) De sacr. poenit. c. 19.

statem, qui non proprio, sed superioris nomine agit, et tanquam illius causa instrumentalis. — Ex his rationibus nonnulli cum cl. *Drouin* (1) putant, ad valorem absolutionis etiam nostris temporibus perinde esse, utrum verbis indicativis, aut deprecatoriis exprimatur, quemadmodum validum foret baptisma, quod contra hodiernum usum Ecclesiae latinae immersione daretur, et valida eucharistia, quam in pane fermentato aliquis consecraret. Alii vero cum *Juenin*, *Tournely* etc., dicunt, Latinum Sacerdotem deprecativam formam adhibentem non solum illicite agere, sed etiam invalide nunc absolvere, non quia Christus indicativam formam instituit, sed quia Ecclesia pro libertate sibi a Christo concessa aliquas sacramentorum formas determinandi, ex sapientissimo consilio, recentioribus temporibus decrevit, in tribunali poenitentiae apud Latinos sententiam valide et iuridice pronunciari non posse a Sacerdote, nisi verbis utatur indicativis.

Nota 1. Si *Morinum* aliosque recentiores auctores audiamus, per 13 saecula in Ecclesia latina et graeca forma absolutionis deprecativa in usu communi fuit: eorum vero argumenta quae pro isto facto historico afferunt, satis firma non videntur. Quod enim *Ss. Patres* attinet, illustris *Sylvius* (2) uno verbo omnia dirimit dicens, sacramentalem absolutionem eatenus dici *supplicationem* quatenus verba illius proferuntur a legitimo ministro cum intentione conferendi sacramentum, ac sunt tacita quaedam divinae potentiae invocatio. Etiam eucharistiam precibus consecrari, *S. Irenaeus*, *S. Hieronymus*, *S. Augustinus* et alii Patres frequenter affirmant; et tamen nullus theologorum formam eucharistiae deprecativam esse asserit; ergo neque de forma absolutionis ex citatis Patrum verbis hoc iudicari potest. Infirmum est etiam argumentum ex Pontificalibus et libris liturgicis deductum; nam, ait cl. *Berti* (3): « His in libris pertractari videtur de reconciliatione poenitentium non *sacramentali*, sed *canonica*, qualis fieri consuevit feria V maioris Hebdomadae; complures enim hunc ipsum titulum: De reconciliatione poenitentium fer. V mai. hebd. praeseferunt, ut apparet ex *ordinibus* editis a *Martenio*. Deinde cum hi libri describant ritum valde prolixum, psalmis pluribusque orationibus constantem et, quod caput est, deprecationes illas frequentissime repetant, *ritum* potius sonant, quam *formam* sacramentalem, quae brevis esse solet, definita, et repeti nequaquam debet nisi repetita sacramenti materia: quod confirmat Pontificale romanum *Clementis VIII* et *Urbani VIII* auctoritate recognitum, et quod (4) huiusmodi reconciliationis exhibet ritum deprecatoriis tantum verbis conflatum, cum tamen ambigere nemo queat, horum Pontificum aetate in absolutione *sacramentali* solam formam indicativam fuisse adhibitam. Ergo si dixero, in libris illis ritualibus contineri modum dumtaxat reconciliationis canonicae, non procul fortasse a veritate aberrabo. » In multis autem ritualibus antiquis formam absolutionis indicativam praescriptam inveniri, iam dictum est. Praeterea ritualia in usum Sacerdotum edita fuerunt, ut ex iis legere possent orationes longiores, quae ex sola memoria recitare non poterant; necesse autem non fuit formam abso

(1) Lib. 6 de re sacram.
(2) In 3 p., q. 84, art. 3.
(3) Lib. 34, p. 2, cap. 7, prop. 1.
(4) P. 3, tit. 3.

lutionis indicativam exponere, quae uti brevissima facillime ex auditu disci et retineri potuit, et ex iustissimis causis praetermissa est; nam prioribus Ecclesiae saeculis formae sacramentorum et alia mysteria non scripto, sed viva voce tradebantur, ne ethnicis et impiis haereticis innotescerent, et ab iis contemnerentur aut irriderentur: imo prioribus Ecclesiae saeculis symbolum fidei non scripto, sed viva voce tradebatur, ut testantur *S. Hieronymus* et *S. Augustinus*.—Quod *Graecos* attinet, prima Graecorum Euchologia condita fuere eo tempore, quo sacramentorum formae sine urgenti necessitate scripto non mandabantur, sed sola viva voce ministris tradebantur; in recentioribus vero Euchologiis teste *Arcudio*(1), haec forma reperitur: *Habeo te venia donatum*, quae convenit cum forma indicativa Latinorum. Porro *Menardus* testatur, Russos, Ruthenos aliosque Graecos forma absolutionis indicativa uti. *Goar* quoque Euchologion protulit, in quo haec forma extat: *Insuper ego absolvo te a bomnibus peccatis tuis, quaecumque confessus es coram Deo et indignitate mea;* et inferius: *Ego vero condono tibi omnia peccata tua* (Cf. *Berti* l. c. ubi plura similia monumenta refert). — Ex decreto *Clementis VIII* non potest inferri, omnes Graecos deprecatoria tantum absolutionis forma usos fuisse, sed solum aliquos, oralis traditionis immemores, deviasse, quos instruens Pontifex ipsis prohibet, ne id in posterum faciant, relicta libertate, suam orationem, si voluerint, addendi formae indicativae; per quod summus Pontifex sufficienter declarat, deprecativam absolutionem esse invalidam; alias hanc libertatem non reliquisset, cum non liceat bis proferre formam supra eandem materiam. Neque summus Pontifex dicit: Cum absolvunt Latinos, utantur forma *Concilii Florentini;* sed iubet simpliciter et absolute, ideoque pro omni casu, quo audiunt confessiones, sive Latinorum, sive Graecorum, ut Graeci adhibeant formam indicativam; dicit enim simpliciter et absolute: « Utantur forma etc. »

Nota 2. Cum forma absolutionis indicativa in Ecclesia catholica etiam preces, seu formulae deprecativae coniunguntur: Sacerdos enim ante absolutionem orat: *Misereatur tui* etc., *Indulgentiam* etc., *Dominus noster Iesus Christus te absolvat* etc.; sed haec essentialia et necessaria non sunt; ast verba sequentia: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, sunt necessaria necessitate praecepti, quod constat ex usu Ecclesiae vim legis habente, ex Conciliis et ritualibus, in quibus praescribuntur, ita ut qui contra usum et praeceptum Ecclesiae aliqua verba detraheret, vel adderet, regulariter loquendo graviter peccaret. Verum haec sola verba *te absolvo*, sunt de necessitate sacramenti, quod facile probatur. Nam ea verba integram continent huius sacramenti formam, quae sufficiunt ad ministrum, subiectum, ac praecipuum effectum poenitentiae significandum, qui consistit in remissione peccatorum. Atqui vox *absolvo* tum personam exprimit ministri absolventis, tum effectum praecipuum sacramenti, nempe remissionem peccatorum, quae per praecedentem confessionem satis determinatur; et vox *te* subiectum denotat, hoc est, poenitentem, cui sacramentum confertur. In hac ergo duplici voce integra poenitentiae forma merito constituitur. Ergo de necessitate sacramenti non est prono-

(1) Lib. 4 de poenit. c. 3.

men *ego*, quod includitur in verbo *absolvo*. Neque essentiales sunt voces *a peccatis tuis;* nam licet verbum *absolvo* tum remissionem peccati, tum relaxationem a censura indifferenter exprimere valeat, eius tamen sensum per additionem: *a peccatis tuis* opus non est determinari, cum circumstantia, qua minister absolutionem profert supra poenitentem, postquam sacramentalem hic emisit confessionem, plane demonstret significationem, qua sumitur absolutio. Denique ad essentialem formae integritatem non requiritur in poenitentia Ss. Trinitatis invocatio. Etenim Christus hoc sacramentum instituens dixit quidem Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt;* sed non apposuit, sicut in forma baptismi, praefatam invocationem, nec ullibi eandem fieri praescripsit.

IV. *De poenitentiae sacramenti ministro.*

§ 651. *Wicleffitae*, *Waldenses* et *Novatores* docuerunt, laicos quoque potestatem clavium a Christo accepisse, et singulis Christianis dictum esse: *Quaecumque solveritis* etc., quorum verborum virtute absolvere possunt peccata. Nonnulli praeterea putarunt, diaconos saltem antiquitus sacramentum poenitentiae valide et licite administrare potuisse. Sed doctrina catholica est, *solos Sacerdotes esse sacramenti poenitentiae ministros; in ipsis autem ad valide absolvendum in sacramentum poenitentiae praeter potestatem ordinis requiri potestatem iurisdictionis:* prior propositio est de fide, posterior est certa et fidei proxima.

1. Legitimus poenitentiae minister ille est, qui ligandi ac solvendi, peccata remittendi vel retinendi potestatem a Christo Domino recepit. Verum universo fidelium coetui non contulit Christus hanc potestatem, sed Apostolis tantum eorumque successoribus, quibus dixit: *Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis* (1); et: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (2). Igitur soli Apostolorum successores, Episcopi videlicet et presbyteri sunt legitimi sacramenti poenitentiae ministri. Id docuerunt Ss. Patres. *Tertullianus* (3) perhibet, « poenitentes *presbyteris* advolvi et adgeniculari. » *Origenes* (4) ait: « Peccatorem *Sacerdoti Domini* indicare peccatum. » *S. Cyprianus* (5) inquit, « remissionem factam *per Sacerdotes* apud Deum gratam esse; » et in Epist. Syn. ad Cornel. dicit, « *ad Sacerdotes* spectare lapsis tribuere pacem et spei salutaris auxilium. » *S. Basilius* (6) haec habet: « Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est. » *S. Ephraem* Orat. de sacerdotio ait: « Absque venerando et divino *sacerdotio* remissio peccatorum mortalibus non conceditur. » *S. Ambrosius* (7) inquit: « Ius hoc (absolvendi a peccatis) solis permissum Sacerdotibus est; » et (8) subdit: « Officium esse Sacerdotis remittere, aut retinere peccata, » atque, « sectas illas ab hoc iure excidisse, quae Sacerdotibus carent. » *S. Chrysostomus* (9) ex potestate remittendi peccata colligebat, Sacerdotes imperatoribus et regibus praecellere. *S. Augustinus* (10) dicit, pro peccatorum remissione accedendum esse « ad Antistites, per quos in Ecclesia claves ministrantur; » et alibi (11)

(1) Matth. 18. (2) Io. 20.
(3) Lib. de poenit. c. 9.
(4) Hom. 2 in Levit. n. 4 (5) Lib. de laps
(6) Reg. brev. Inter 288.
(7) Lib. 1 de poenit. c. 2, n. 7.
(8) C. 11, n. 8.
(9) Lib. 3 de Sacerd. c. 5.
(10) Serm. 351. (11) Epist. 236.

monet, « Sacerdotes ne deserant oves in periculo, quia magnum exitium sequitur eos, qui de hoc saeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati. » *S. Leo M.* (1) scribit: « Sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. ». Accedit consuetudo ac usus perpetuus Ecclesiae, quae nemini unquam praeter solos Sacerdotes, Episcopos et presbyteros potestatem a peccatis absolvendi faciebat. Cuius usus testes sunt *Libri liturgici* Latinorum, et *Euchologia* Graecorum, quae modum reconciliationis describentes semper solos Episcopos et Sacerdotes eiusdem ministros appellant. Etiam decreta Conciliorum sacramentum poenitentiae respicientia ad Episcopos et presbyteros, seu generatim ad Sacerdotes diriguntur: sic ex. gr. *Cabillonense I* an. 650 ordinat, *ut poenitentibus à Sacerdotibus data confessione indicatur poenitentia. Remense* an. 813, can. 16 praecipit, *ut Episcopi et presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata diiudicent* etc. *Turonense III* an. 813, can. 22 inquit: *Episcopis et presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant.* Quapropter pleno iure *Concilium Constantiense* Sess. VIII, art. 4, et Sess. XV, art. 25, sententiam oppositam *Wicleffi* et *Hussii* damnavit. *Eugenius IV* in decr. pro Armenis de poenitentia dicit: *Minister huius sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris.* Et *Conc. Tridentinum* Sess. XIV, cap. 6 docet: *Circa ministrum huius sacramenti declarat S. Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter Episcopos et Sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt; putantes, verba illa Domini: Quaecunque alligaveritis* etc., *ad omnes fideles indifferenter et promiscue contra institutionem huius sacramenti ita dicta fuisse, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata.* Et can. 10 definit: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecunque alligaveritis* etc., et: *Quorum remiseritis* etc.; *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; publica per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.* De fide ergo definitum est, solos Sacerdotes esse sacramenti poenitentiae ministros. In canone autem etiam damnantur Novatores cum Wicleffitis et Waldensibus dicentes, Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi, nisi sint in statu gratiae; qui error iam refutatus est § 501.

2. Extiterunt, et etiamnum existunt homines factiosi et malarum partium sectatores, qui ut vim infringerent ecclesiasticarum poenarum, hoc excogitarunt causae suae remedium, ut dicerent, iurisdictionem nihil esse ab ordine distinctum, et Sacerdotem quemque etiam interdictum valide posse absolvere; quam sententiam suam fecit Synodus Pistoriensis (2). Sed qui ita sentiunt, a veritate longe aberrant. Ut enim Sacerdos valide sacramentum poenitentiae administret, praeter *potestatem ordinis*, quam quilibet, cum sacerdotio initiatur, a Iesu Christo im-

(1) Ep. 108, al. 83, c. 1.

(2) Sess. 5 de poenit § 10, n. 6.

mediate recipit, et qua aptus efficitur ad sacramentum conficiendum, adhuc requiritur, ut ab Ecclesia accipiat *iurisdictionem*, id est, ius subditis sibi assignatis potestatem ordinis exercendi. Haec iurisdictio, prout hic sumitur, recte definitur potestas, per quam Sacerdos ut legitimus Iudex in alterum sibi subditum sententiam valet proferre, ipsius peccata remittendo vel retinendo. *Ordinaria* vocatur haec iurisdictio, si ex officio Sacerdoti competat, ac ratione beneficii, cui animarum cura sit annexa: eiusmodi est iurisdictio, qua gaudent Romanus Pontifex in universo orbe catholico, Episcopus in propria dioecesi, parochus intra limites parochiae, cui praeest. Delegata autem erit iurisdictio, si presbyter hanc recipiat ab eo, qui ordinariam iurisdictionem habet. *Approbatio*, si nude sumitur, differt a iurisdictione, et est tantum testimonium authenticum, quo Sacerdos declaratur idoneus ad excipiendas confessiones. Verum hodie passim cum iurisdictione confunditur, et hoc sensu accepta definiri potest: testimonium iuridicum, quo Episcopus fidem facit, se ad confessiones in sua dioecesi audiendas talem Sacerdotem approbasse et deputasse. — In ministro autem poenitentiae, ut valide absolvat, praeter potestatem ordinis requiri iurisdictionem, declaravit *Concilium Tridentinum*, quod Sess. XIV, cap. 7 ita loquitur: *Quoniam natura et ratio illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Iam vero *Concilium* nomine *iurisdictionis ordinariae et subdelegatae* significare iurisdictionem ecclesiasticam, evidens est; etenim si, dum ait: *Sacerdos non habens iurisdictionem*, intellexisset divinam, quae nempe consistit in potestate ordinis, tum ea verba hunc sensum praeseferrent: *Sacerdos, qui non habet potestatem ordinis*, id est, *Sacerdos qui non est Sacerdos*, qui sensus plane absurdus esset et contradictorius. Porro: a Tridentino potestas, sive iurisdictio, quae Sacerdotibus confertur *subdelegata* dicitur; inauditum vero est asserere, *subdelegatam* esse potestatem, quae a Deo in ordinatione immediate confertur, quaeque in charactere sacerdotali consistit, et prorsus inamissibilis est. Doctrina igitur Concilii est, irritam et nullius momenti esse absolutionem impertitam a sacerdote, qui iurisdictione ecclesiastica sit destitutus; prout omnes theologi unanimiter intellexerunt usque ad novos istos perturbatores, quos impugnamus. — Sancta vero *Synodus Tridentina* non tantum auctoritate sua litem dirimit, sed etiam rationibus confirmat sententiam. *Prima* ex eo desumitur, quod absolutio sit actus iudicialis, qui ferri non potest nisi in subditos. Quemadmodum enim in foro civili iudices ius dicere non possunt, nisi quoad eos, qui ipsis velut subditi adscripti fuerint; ita etiam Sacerdotes in foro interno nullam potestatem exercere valent, nisi assignatos sibi ab Ecclesia subditos habuerint. Ideo iam S. *Thomas* in suppl. (1) dicit: « Imperium non competit alicui in alium, nisi ei, qui habet super eum iurisdictionem. Et ideo de necessitate huius sacramenti est, non solum, ut minister habeat ordinem sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat iurisdictionem. Et ideo sicut ille, qui non

(1) 3 p., q. 8, art. 4.

est Sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet iurisdictionem. » *Secunda* ratio, quam *Concilium* affert, in eo sita est, quod Ecclesiae semper persuasum fuerit, absolutionem a Sacerdote datam nullam esse et irritam, nisi ad ordinem accedat iurisdictionis potestas. Ita docuit *Conc. Lateranense IV* in celebri canone: *Omnis utriusque sexus* etc.: ita *Florentinum* in citato decreto pro Armenis. Haec omnibus retro saeculis Graecorum non minus ac Latinorum persuasio fuit. Notum est enim ex veteri disciplina, sine Episcopi licentia Sacerdotes non potuisse aut poenitentiam imponere, aut absolutionem impertiri. Hinc inter Graecos et Latinos nulla unquam hac de re orta est disputatio. Rectissime ideo *Pius VI* in Constit. *Auctorem fidei* damnavit propositionem 37 *Conciliabuli Pistoriensis* his verbis: « Doctrina Synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive iure quodam personali, propterea quod aliter confusio oriretur et perturbatio. — Quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantummodo, *conveniens esse ad praecavendam confusionem*, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos, sic intellecta, quod ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua *Tridentinum* declarat nullius momenti esse absolutionem a Sacerdote prolatam, *falsa, temeraria, Tridentino contraria, et iniuriosa et erronea declaratur.* »

Nota 1. Qui priori propositioni adversantur, sequentes movent difficultates:

Obi. I. S. Iacobus loquens de sacramentali confessione ait: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra* (1); ergo omnes etiam laici, possunt confessionem excipere, sicuti baptismum semper valide, et in casu necessitatis etiam licite administrare valent.

Resp. Nonnulli negant, Apostolum loqui de confessione sacramentali, et putant, eum commendare vel confessionem humilitatis, qua quis se peccatorem profitetur, ut alios ad orandum pro se permoveat, quae confessio praecipua pars poenitentiae publicae fuit; vel confessionem reconciliationis mutuae, cum alter in alterum peccavit, ut aliqui Patres locum hunc interpretantur. Admisso autem, quod Apostolus de confessione sacramentali loquatur, negamus, hic Apostolum de confessione omnibus promiscue facienda disserere; de sola enim loquitur confessione facienda Ecclesiae presbyteris, quos vocandos esse dixerat ad inungendos infirmos. Quod patefit ex particula *ergo*, qua hunc versiculum connectit cum versiculo praecedenti scribens: *Confitemini ergo* etc. Patres omnes, qui exponunt Iacobi verba de confessione sacramentali, ad solos presbyteros ea referunt, ut ostendit *Morinus* de poenit. (2). Si laici baptizare possunt, non ideo etiam absolvere valent. Argumentum enim a pari non valet in his, quae pendent a sola Christi voluntate, quae fuit, ut quilibet in necessitate possit baptizare, non absolvere, ut habemus ex solemni Ecclesiae traditione.

Obi. II. In antiquis Conciliis, Patribus et historiis ecclesiasticis legitur, poenitentes necessitate urgente apud diaconos, aut etiam apud laicos

(1) Ep. c. 5, 16. (2) Lib. 8, c. 8, n. 4.

exomologesin seu confessionem fecisse ; ergo his quoque potestas absolvendi adscripta fuit.

Resp. Ad hanc difficultatem tollendam perpendendum est, praeter confessionem sacramentalem antiquitus alia quoque confessionis genera in usu fuisse, sicuti nunc quoque observantur. Confessio enim dicebatur illa *generalis sui accusatio*, quae coram Deo et Sanctis clata etiam voce fiebat et etiamnum fit a Sacerdote in introitu missae, et a fidelibus ante sacram synaxin. Extitit quoque confessio *ascetica*, qua praesertim monachi suo superiori, et moniales suae abbatissae culpas et defectus suos manifestabant, non ut absolverentur, sed ut se humiliarent, atque correctiones vel etiam poenas reciperent. Extitit denique confessio *caeremonialis*, quae publice poenitentibus praescribebatur, vel ut orationes fidelium implorarent, vel ut urgentibus circumstantiis intuitu humilitatis et contritionis, non a peccatis, sed a censuris ecclesiasticis absolverentur (1). Communis porro antiquitus erat opinio, absente Sacerdote et urgente necessitate, praeceptum divinum meliori quo fieri potest modo adimplendum, atque ideo diacono, aut etiam laico confessionem peccatorum faciendam esse. Quo sensu *S. Thomas* in suppl. (2) dicit: « Quando necessitas imminet, debet facere poenitens, quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest, qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id, quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet; defectum tamen Sacerdotis summus Sacerdos supplet. Nihilominus confessio ex defectu Sacerdotis laico facta, sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est e parte Sacerdotis. » His attentis evanescit omnis difficultas. In citatis enim monumentis non est sermo de confessione sacramentali, quam sequitur absolutio, sed vel de caeremoniali qua diaconi conciliabant peccatores in foro externo, vel de ascetica, quae a monachis ad personas saeculares propagata fuit, vel de confessione in casu necessitatis accusationem sacramentalem coram Sacerdote supplente. Sed audiamus *Morinum*, qui in recognitione operis sui de poenitentia (3) scribit: « Quae de absolutione a diaconis, atque etiam a laicis data plurimis testimoniis historice referuntur cap. 23 et 24 libri 8, expressissime moneo (initio cap. 23 et in fine 25 ubi historia rei finitur), ista non esse intelligenda nec intelligi posse de absolutione sacramentali, cuius effati rationes locis adnotatis explicantur ; imo plurimos ex ipsis auctoribus, qui hanc sui saeculi consuetudinem testantur, diserte asserere, nullam prorsus illis esse a peccatis absolvendi potestatem. Itaque non potest aliud esse absolutio illa, quam caeremonia sive sacramentale aliquod, a quibusdam Ecclesiis in absentia veri sacramenti... quo morientis, aut gravissime periclitantis interior dispositio excitabatur et incalesc bat, atque a Deo precibus Ecclesiae sacramenti effectum poenitens promerebatur. » Putat cl. *Perrone* (4) opinionem de confessione in casu necessitatis diacono, aut etiam laico facienda invaluisse ob auctoritatem libri *De vera et falsa poenitentia*, olim *S. Augustino* adscripti ; in illo enim cap. 10 legitur « Tanta vis confessionis est, ut, si deest Sacerdos, confiteatur proximo... Et, si ille, cui

(1) Cf. Klee op. cit. p. 50, etc., et p. 251, etc.
(2) 3 p., q. 8, art. 2 ad 1.
(3) Pag. 3, edit. Antver. p. 1682.
(4) De poenit. cap. 5, pr. 2, n. 245.

confitebitur, potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis.» « Caeterum, addit ibidem (1) cl. *Perrone:* Confessiones apud laicos factae perdurarunt usque ad saeculi XIV initium, sed iustis de causis coeperunt paulatim intermitti, donec tandem obsoleverint. Nec desunt, qui existiment, in praesenti graviter eas esse illicitas, tum quia per ipsas absque causa quis semetipsum infamaret scandalumque praeberet, tum quia praeberet lutheranae haeresis suspicionem» (2).

Nota 2. Contra secundam propositionem sequentia opponuntur:

Obi. I. Quilibet Sacerdos in sua ordinatione accipit potestatem absolvendi a peccatis his verbis: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc. Quod non obscure insinuat *Tridentinum* Sess. XIV, cap. 6, docens, Sacerdotes in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipere; ergo potestas ordinis sufficit ad valide absolvendum; quodsi ad hoc iurisdictio ab Ecclesia collata requireretur, dicendum foret, Sacerdotes absolvere auctoritate Ecclesiae, et non Christi.

Resp. Nos quoque fatemur, potestatem remittendi peccata Sacerdotibus in ordinatione conferri. Sed distinguere oportet potestatem ab exercitio potestatis; potestas habetur immediate a Deo, exercitium immediate ab Episcopo per subditorum assignationem. Sic enim Christus disposuit, dum noluit hanc potestatem exerceri praeterquam in subditos, et instar iudicii. Hinc quemadmodum Sacerdos vi ordinationis suae sic accipit potestatem in corpus Christi reale, ut tamen ad potestatis huius exercitium pane et vino indigeat; ita quamvis Sacerdos veram ligandi et solvendi obtinuerit in ordinatione potestatem, nihilominus, ut ea utatur et reducat in actum, indiget iurisdictione, qua illi assignentur subditi. Hac ratione verba illa indeterminata *Quorum remiseritis* etc., determinantur ad eos, quibus per iurisdictionem subditi constituuntur. Non ergo Ecclesia Sacerdoti potestatem remittendi peccata confert, sed tantum determinat, circa quos potestatem divinitus acceptam exercere possit; et ideo non potest dici, admissa iurisdictionis necessitate, Sacerdotem auctoritate Ecclesiae absolvere, sicut non potest dici, eum eucharistiam conficere auctoritate illius, qui panem triticeum et vinum de vite praeparavit aut porrexit.

Obi. II. Si concedatur, ideo requiri in confessario iurisdictionem ad legitime absolvendum, quia sententia ferri debet in subditos, quilibet fidelis, dum coram Sacerdote se sistit, hoc ipso se eius subditum constituit, cum tribunal poenitentiae pro iis sit institutum, qui sponte ad illud accedere volunt.

Resp. Liberum quidem est fidelibus ad poenitentiae tribunal accedere, quia in eo exigitur confessio spontanea, et non coacta, liberum quoque, ut plurimum, est ad hunc vel alium confessarium ab Episcopo deputatum accedere; sed in potestate fidelium non est eos constituere, qui in hoc tribunali iudices sedere debeant. Sacramentum enim poenitentiae institutum est in forma iudicii. Sicuti ergo in societate civili ad principem spectat, iudices pro variis sui territorii locis constituere, et non quilibet pro suo arbitrio sibi iudicem constituere potest; ita multo minus hoc

(1) De poenit. cap. 5, pr. 2, n. 247.
(2) Cf. Benedict. XIV, de Synodo diaec. lib. 7, cap. 11, § 11.

in iudicio sacramentali fieri potest, cum ad hoc iurisdictio spiritualis et supernaturalis requiratur, quae non potest in confessarium derivari, nisi ab Ecclesia, cui Christus Dominus omnium in res sacras potestatem commisit. Sicut enim Christus ipse tum sacramentum poenitentiae, tum ordinem instituit, in quo Sacerdotibus potestas remittendi peccata immediate confertur, ita sapientissime ordinavit, ut ab Ecclesia Sacerdotibus subditi assignentur et iurisdictio conferatur, ne confusio et perturbatio ex arbitrario divinae potestatis exercitio oriatur.

Nota 3. Ex tradita doctrina sequitur Ecclesiam, cuius est Sacerdotibus iurisdictionem conferre, hanc ipsam etiam limitare, peccata reservare, et sic potestatem absolvendi restringere posse. Hanc reservationem iam antiquitus viguisse, patet ex Epistolis *S. Cypriani* (1), in quibus sermo est de absolutione data lapsis presbyteris absque Episcopi facultate. Illustre huius reservationis exemplum saeculo IV habemus in *Lamproniano* presbytero, quem criminis convictum ipsius metropolitanus Episcopus *Synesius* remisit absolvendum ad *Theophilum*, patriarcham Alexandrinum, his verbis: « Solvendi porro (hunc infelicem presbyterum) ius et auctoritatem ad pontificiam Sedem reieci » (2). Tria maiora delicta, *canonica* nuncupata, Episcopis passim reservata fuisse, interdum soli summo Pontifici, praesertim homicidium, constat ex actis *S. Redonis* apud Mabillon. (3): « Occurrunt praeterea, ait cl. *Perrone* (4), exempla huiusmodi reservationis in decem et septem Conciliis, partim oecumenicis, partim nationalibus, partim demum provincialibus ante *Tridentinum* celebratis. » Plurima huius generis documenta collegerunt *Martenius* de antiq. eccl. rit. (5), *Morinus* de poenit. (6), aliique passim. Quapropter *Conc. Tridentinum* Sess. XIV, cap. 7 inquit: *Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.* Et can. 11 definit: *Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.* Ergo de fide credendum est, potestatem reservandi sibi casus Episcopis competere, et per talem reservationem ita Sacerdotis iurisdictionem limitari, ut extra articulum mortis valide non absolvat. Ne quis autem asserere praesumat, casuum reservationem magis in de-

(1) Ep. n. 9, 10, 11 et 27.
(2) V. Ep. 66, Synesii ad Theophilum P. Al.
(3) Acta Ss. ord. Ben. saec. 4.
(4) De poenit. cap. 5, pr. 4, n. 268.
(5) Lib. 1 p. 2, cap. 6, art. 6.
(6) Lib. 2, cap. 11 et 13, etc.

structionem, quam in aedificationem vergere, ante oculos habenda est propositio 44 Synodi Pistoriensis his verbis proscripta: «Propositio Synodi assumens, reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem: - declaratur *falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Conc. Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.*» Caetera, quae de casuum reservatione observanda sunt, pertractantur in Theologia morali et pastorali.

V. *De sacramenti poenitentiae subiecto et effectibus.*

§ 652. Solus et omnis homo viator post baptismum lapsus, subiectum sacramenti poenitentiae constituit, seu capax est huius remedii ad vitam spiritualem; nam huius uti et reliquorum sacramentorum ius per baptismum duntaxat acquiritur. Qui autem post baptismum lapsi sunt, omnes beneficii huius consortes fieri possunt eo ipso quod institutio eius sit generalis, et pro Ecclesiae membris sine restrictione concessa. Ut quis autem digne et salubriter sacramentum poenitentiae recipiat, necesse est, ut vere contritus et ad poenitentiam agendam paratus sit, atque peccata commissa clavibus Ecclesiae subiiciat, seu Sacerdoti iurisdictionem habenti sincere confiteatur; hi enim tres actus sunt, ut Ecclesia docet, tres poenitentiae partes, seu quasi materia huius sacramenti, qua deficiente digno ac salubri modo administrari nequit. — Sacramentum autem poenitentiae cum debitis dispositionibus receptum saluberrimos effectus producit; per illud enim *peccata remittuntur et penitus delentur, remittitur etiam poena aeterna et temporalis, saltem ex parte ratione poenitentiae, merita per peccatum mortificata restituuntur, aliaque emolumenta spiritualia comparantur.*

1. Peccata, quae quis non quidem perfecte contritus, sed saltem sufficienter attritus confitetur, per ipsam Sacerdotis absolutionem vere remittuntur, et penitus quoad reatum culpae delentur (1). Novatores quidem, quorum principium est, solam fidem iustificare, nullatenus admittunt, peccata per actum Sacerdotis iudicialem remitti; sed aiunt, Sacerdotes nudum ministerium habere pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata. — Sed haec impia sententia satis refutatur per ea, quae § 635 diximus. Sane Christus, dum sacramentum poenitentiae instituit, dixit: *Quorum remiseritis* etc., non autem: *Quorum declaraveritis* etc. peccata esse remissa etc. Hinc quemadmodum non dicitur sanare vulnus, aut vincula solvere, qui alteri tantum denunciat vulnus esse sanatum, aut vincula esse soluta; ita nec potest dici remittere peccata, qui tantum denunciat, ea esse remissa. Idem confirmatur ex metaphora *clavium;* claves enim alicui traduntur, non ut declaret ostia clausa, aut aperta esse, sed ut ea reipsa aperiat aut claudat; cum igitur Christus claves tradidit Apostolis, significavit, se ipsis revera tribuere potestatem peccata aut remittendi aut retinendi, non autem solum declarandi, illa esse aut remissa aut retenta. Idipsum conficitur auctoritate Patrum, quorum testimonia superius attulimus; dicunt enim, Deum ipsum esse, qui peccata Sacerdotum ministerio indulgeat, Sacerdotes clavium potestatem habere et sedere iudices in tri-

(1) § 461.

bunali poenitentiae; illorum sententiam coeli sententiam anteire, immunditiam ab anima procul arcere, solvere peccatorum vincula, imo Sacerdotes praestare Angelis et Archanlis, quibus haec potestas collata non est (1): dicunt praeterea, eodem prorsus modo peccata remitti per baptismum et poenitentiam, quam alteram post naufragium tabulam nominant, atque ideo etiam affirmant, confessionis et absolutionis sacerdotalis tantam esse necessitatem, ut eius defectu animae pereant (2). Idem patet ex controversia, quae viguit inter Catholicos et Montanistas ac Novatianos, qui non facultatem declarandi, peccata esse remissa, sed potestatem crimina graviora absolvendi et remittendi Ecclesiae denegabant: quapropter Ecclesia, dum ipsorum errorem condemnavit, peccata etiam gravissima absolvendi et vere remittendi potestatem sibi vindicavit. Constans idcirco persuasio in Ecclesia fuit, remissionem peccatorum Sacerdotis absolutioni adscribendam, et hunc actum vere iudicialem esse. Notatu digna sunt verba S. *Thomae*, qui (3) ita de primario sacramenti poenitentiae effectu disserit: « Sicut remissio culpae fit in baptismo non solum in virtute formae, sed etiam virtute materiae, scilicet aquae, principaliis tamen virtute formae, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam remissio culpae est effectus poenitentiae, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc sacramento; - secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae. Et sic patet, quod remissio culpae est effectus poenitentiae secundum quod est virtus, principalius tamen secundum quod est sacramentum. » Constanti huic traditioni insistens *Concil. Tridentinum* Sess. XIV, can. 9 definit: *Si quis dixerit absolutionem sacerdotalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum... anathema sit.*

2. Secundus poenitentiae effectus est remissio poenae aeternae, atque etiam temporalis pro ratione poenitentiae susceptae. Quia enim Deus voluntate antecedenti *vult omnes homines salvos fieri* (4); neminem idcirco vult damnare nisi propter reatum peccati mortalis per poenitentiam non deleti. Atqui per sacramentum poenitentiae digne susceptum tollitur reatus peccati mortalis, ergo etiam remittitur reatus poenae aeternae. — Poena quidem temporalis, ut infra ostendetur, non tota semper extinguitur, sed tamen ex parte saltem remittitur, et quidem pro ratione poenitentiae susceptae; quo intensior nempe est contritio, quo humilior confessio, et quo maior satisfactio, praecipue sacramentalis a Sacerdote imposita et a poenitente fideliter impleta, eo magis reatus poenae temporalis imminuitur. Certe enim sacramentum poenitentiae in nova lege non minorem amovendae poenae temporalis efficaciam habet, quam sola virtus poenitentiae in veteri testamento habuit. Constat autem, in hoc per virtutem poenitentiae persaepe poenas temporales remotas fuisse; nam *Achab* in ieiunio et sacco poenitentiam agens impetravit, ut eversio domus eius differretur in posteros, ait S. *Hieronymus* in Epist. ad Rusticum; et *Ninivitae* poenitentiam

(1) § 635, n. 2. (2) § 645 et 648, n. 3. (3) 3 p., q. 86, art. 6. (4) 1 Tim. 2, 4.

agentes a patriae subversione liberati sunt, « et conversione sua meruere indulgentiam, » ut idem S. Doctor ait ad cap. 4 Danielis, ubi pertractat de *Nabuchodonosor* et de *Ezechia*, in quibus pariter, « mutatis operibus, divina sententia mutata est. » Dubitari ergo non potest, quod per sacramentum poenitentiae digne susceptum varia flagella a peccatis promerita amoveri possint.

3. Tertius effectus est meritorum per peccata mortificatorum reviviscentia. Qui effectus ut intelligatur, notandum est, aliud esse opus bonum *mortuum*, aliud *mortificatum*. *Mortuum* illud dicitur, quod fit ab impio gratia sanctificante expoliato, et quod ideo ius ad sempiternam gloriae mercedem non habet. Opus autem *mortificatum* illud est, quod ab homine iusto patratum fuerat, ideoque habebat ius ad gloriam meritumque retributionis, sed superveniente mortali aliquo scelere homo, qui sibi ius illud et meritum comparaverat, ab eo excidit, nec potest eiusdem operis fructum assequi: unde S. Ioannes Electam eiusque filios commonefaciens, ne errore Basilidis et Ebionitarum corrumpantur, inquit: *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quae operati estis* (1); idemque Angelo Ecclesiae Philadelphiensis scribit: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* (2). — Sed haec viva iustorum opera per peccatum mortificata, per poenitentiam subsequentem reparantur; et quantum ad meritum et ius ad aeternam retributionem reviviscunt. Id patet ex *S. Scriptura;* nam Ezech. XXXIII, 12 dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua;* ast etiam post conversionem ei plurimum noceret, si priorum meritorum fructum non recuperaret. Ioël II postquam Dominus dicit: *Convertimini ad me in ieiunio, fletu et planctu* (3), subiungit in mercedem huius conversionis: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo* (4); super quae verba Glossa interlinearis ex *S. Hieronymo* desumpta dicit: « Non patiar perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amisistis; illa autem ubertas est meritum bonorum operum, quod per peccatum fuit perditum. » Luc. XV, 22, parabola filii post turpissimam vitam ad Patrem revertentis, atque anulo et priori stola exornati, significavit Dominus peccatori poenitentiam agenti antiquorum meritorum decora et gratiarum ornamenta restitui; ideoque *S. Ambrosius* (5) inquit: « Vide, quam bonus Deus et facilis indulgere peccatis, non solum ablatum restituit, sed etiam insperata concedit. » *S. Paulinus* Nolanus in carmine de obitu Celsi aiebat: « Tunc Patre placato meriti reddentur honores; » et *S. Avitus* Viennensis praesul in libris de mosaicae historiae gestis (6) canit: « Forma vetus nimium lacero circumdata peplo, iam veteri scissam ponat cum crimine vestem: pallia prima, Pater, redeunti porrige proli. » Paulus, Galatas multa primum pro Christo passos deinde ad iudaismum prolapsos obiurgat dicens: *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa* (7); quorum verborum sensus est: Oportebatne, ut tot labores aerumnasque ferretis pro Christi nomine, si iustitiam expectando ab operibus legis, opera vestra irrita futura erant ac nulla? At spero tamen talia nequaquam fore, si ad officium, studiumque veritatis evangelicae redieritis. Docuit ergo

(1) II Epist. v. 8.
(2) Apoc. 3, 11. — Cf. § 243, n. 3.
(3) V. 12. (4) Vers. 25. (5) Lib. 1 Luc.
(6) Lib. 2. (7) Gal. 3, 3.

Apostolus, profuturas Galatis persecutiones quas passi erant fidei causa, et quarum merita ob Iudaeorum ritus, legisque observationem amiserant, dummodo ad semitas Evangelii revocarentur. Ita hunc locum Patres exponunt. S. *Chrysostomus* (1) exponens praefata verba ait: « *Si tamen frustra*, si volueritis, inquit, expergisci et revocare vos ipsos, non frustra passi eritis. Ubi nunc sunt, qui tollunt poenitentiam? Ecce hi spiritum acceperant, signa fecerant, confessores fuerant, innumerabilia pericula, varias persecutiones Christi causa perpessi fuerant, et post tam multa recte facta a gratia exciderant; et tamen dicit, si volueritis, potestis vos ipsos revocare. » S. *Hieronymus* in idem cap. (2) inquit: « Quicumque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat; sic rursus non perdit ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur.» Et S. *Anselmus* in eundem locum scribit: « Sine causa enim passi estis, si in hoc errore perseveretis; non sine causa, si resipiscatis.» Idem Apostolus Hebr. VI, 10 ait: *Non enim iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius;* qui locus tametsi expresse opera *mortificata* non comprehendat, ea tamen non excludit, tum quia pronunciatur indefinite, tum etiam quia cap. *Intermittentes*, quod verbis eiusdem capitis sexti Paulinae Epistolae fabricatum est, legitur de operibus meritoriis: « Haec sicut peccando fiunt irrita, ita per poenitentiam reviviscunt, et ad meritum aeternae beatitudinis singula prodesse incipiunt. » Et *Conc. Tridentinum* Sess. VI, c. 16 docet: *Iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino; non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Porro ibidem Concilium dicit: *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint), consequendam vere promeruisse censeantur.* Ubi Concilium innuit, tres conditiones requiri, ut opera nostra sint meritoria, et praemium suum obtineant; scilicet ut sint opera hominis iustificati, ut sint facta in Deo seu in gratia Dei, et ut qui ea facit, in gratia decedat, aitque: *Nihil amplius deesse credendum est;* atqui merita mortificata habent duas priores conditiones, et tertiam recuperant virtute poenitentiae, in qua datur gratia, cum qua poenitens potest decedere; ergo per poenitentiam reviviscunt et praemium aeternum accipiunt. Accedit ratio theologica; nam circa bona hominis opera plus virium non habet culpa, quam gratia: ergo si per culpam mortificantur, necesse est, ut per gratiam, quae et ipsam culpam perimit, denuo excitentur et reviviscant. Reviviscunt autem opera mortificata iuxta omnem gratiae gradum, quem ante peccatum habebant, et iuxta totum ius ad gloriam, quod merebantur, iuxta illud: *Impietas impii non nocebit ei* etc.; alias impietas praeterita homini post conversionem multum noceret. Neque obstat dictum Ezech. de iusto mortaliter peccante: *Omnes iustitiae*

(1) In cap. 3, Ep. ad Galat. n. 2.

(2) Cap. 3 ad Galat.

eius, quas fecerat, non recordabuntur (1), loquitur enim Propheta de eo, qui in peccato suo moritur; addit enim: *In praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.*

4. Sacramentum poenitentiae *multa emolumenta spiritualia* comparat. Remisso enim peccati mortalis reatu, *gratia sanctificans animae infunditur*, et homo filius Dei ac haeres aeternae gloriae constituitur (§ 462): eadem autem *gratia sanctificans augetur*, si sacramentum poenitentiae in statu gratiae recipiatur (§ 507 etc.). Praeterea homini per poenitentiam in Dei amicitiam redeunti redditur *conscientiae pax animique tranquillitas;* nam, ait *S. Thomas a Villanova* (2): « Confessio maxime pacat et extinguit illum remorsum, et vermem intus rodentem conscientiam; qui si modo extinctus non fuerit, postea in aeternum animam morsibus lacerabit. — Hunc autem experientia teste nil mortificat sicut confessio peccatorum. Etiamsi doleas et poeniteas et ieiunes, et innumeras eleemosynas facias, non sic quietatur conscientia et peccatorum onere sublevatur, sicut si ad hoc sacramentum contritus accedas. Unde in hoc apparet virtus huius sacramenti, quod nihil sic animam oneratam allevat sicut ipsum. Sicut enim stomachus corruptis humoribus et putridis plenus, donec evomat, anxie laborat; sic donec per confessionem peccata sua homo evomuerit, conscientia non quietatur. » Hinc *Concil. Tridentinum* Sess. XIV, c. 3 ait: *Sane vero res et effectus huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum suscipientibus conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.* — Animae salutem etiam *admonitiones et correctiones* a docto et pio confessario factae efficaciter promovent. Nam si generatim verbum Dei intellectum illuminat et voluntatem ad bonum excitat, ac ideo semini comparatur, quod in terra bona uberrimos fructus producit (3); id praecipuo quodam modo de admonitionibus confessarii dicendum est, tum quia paterno affectu ad cor poenitentis diriguntur et huic soli applicantur, tum quia Sacerdotis in tribunali poenitentiae vices Christi agentis verba quodammodo sacramentalia sunt, et ex virtute sacramenti specialem efficaciam obtinent. — Per sacramentum poenitentiae etiam *restituuntur virtutes infusae et per peccatum amissae:* dicitur, *amissae*, quia non semper omnes amittuntur per peccatum, sed ordinarie remanent fides et spes, et istae non restituuntur, nisi quoad statum perfectum et informationem charitatis. Ast virtutes infusas et per peccatum amissas per sacramentum poenitentiae restitui *S. Thomas* (4) ita probat: « Per poenitentiam remittuntur peccata.... Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiae. Unde relinquitur, quod per poenitentiam homini gratia infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitae, sicut ex essentia animae fluunt omnes potentiae animae. Unde relinquitur, quod per poenitentiam omnes virtutes restituantur. » Quod si agitur de virginitate amissa et de innocentia perdita, distinctionem ineunt theologi: aiunt enim, virginitatem quoad suum materiale consistere in integritate

(1) Cap. 18, 24.
(2) Conc. pro Dom. 4 Quadr.
(3) Luc. 8, 15.
(4) Q. 89, art. 1.

carnis absque omni experimento delectationis venereae, et similiter innocentiam consistere quoad suum materiale in integritate mentis ab omni peccato unquam commisso: formale autem in virginitate esse inclinationem et propositum perpetuo abstinendi a delectatione venerea, et in innocentia esse inclinationem et propositum vitandi omnia peccata: qua posita distinctione respondent, tum virginitatem, tum innocentiam non quidem quoad suum materiale, sed tamen quoad suum formale per poenitentiae sacramentum restitui. Notat vero S. *Thomas* l. c. (1) gratias et virtutes non semper in aequali gradu restitui; nam, ait S. Doctor: « Formae, quae possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subiecti. Et inde est, quod secundum quod motus liberi arbitrii in poenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur maiorem, vel minorem gratiam. Contingit autem, intensionem motus poenitentis, quandoque proportionatum esse maiori gratiae, quam illa, a qua ceciderat per peccatum, quandoque autem aequali, quandoque vero minori. Et ideo poenitens quandoque resurgit in maiori gratia quam prius habuerat, quandoque autem in aequali, quandoque etiam in minori. Et eadem ratio est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur. » Non ergo semper poenitentia efficit, ut homo surgat ad ampliorem firmioremque virtutem, quam ante casum habuerat; sed tamen id frequenter contigisse historia testatur. Sic « fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deflevit, » ait S. *Maximus* Taurin. (2) de poenit. Petri. Et S. *Ambrosius* in Apol. David. (3) scribit: « Sancti, qui consummare pium certamen gestiunt et currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruunt naturae magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse existimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. »

Nota 1. Quamvis remissio peccatorum sit primarius sacramenti poenitentiae effectus, non potest tamen unum peccatum mortale sine alio remitti. Ideo S. *Augustinus*, vel alius auctor lib. de vera et falsa poenit. c. 9 ait: « Sunt plures, quos poenitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quaedam, in quibus delectentur, non animadvertentes, Dominum simul mutum et surdum a daemonio liberasse, per hoc docens, nos nunquam nisi de omnibus sanari. » Et S. *Thomas* (4) inquit: « Impossibile est, per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti, » quod triplici ratione probat; nam 1° nullum potest remitti peccatum mortale sine gratia (§ 462): atqui quodcunque peccatum mortale est incompossibile cum gratia (§ 243, n. 1); ergo unum peccatum mortale sine altero remitti nequit. 2° Peccatum mortale non potest remitti sine vera poenitentia (§ 638, n. 2); atqui non potest esse vera poenitentia de uno peccato, nisi sit de omnibus, quia ad veram poenitentiam pertinet detestari peccatum sub ratione communi omnibus peccatis, scilicet quatenus sunt contra Deum: ergo etiam non potest esse remissio unius peccati sine altero. 3° Unum peccatum mortale sine altero remittere esset contra perfectionem misericordiae Dei, cuius *perfe-*

(1) Art. 2. (2) Hom. 3. (3) C. 2. n. 6.

(4) 3 p., q. 86, art. 3.

cta sunt opera (1), unde cuius miseretur, totaliter miseretur: et hoc est, quod dicitur in cit. l. de vera et falsa poenit. c. 6: « Quaedam impietas infidelitatis est, ab illo, qui iustus et iustitia est, dimidiam sperare veniam. » Ex hac doctrina sequitur, eum, qui non omnia peccata mortalia detestatur, aut unum peccatum mortale culpabiliter in confessione reticet, neque caeterorum peccatorum veniam consequi; illum vero, qui inculpabiliter unum vel alterum peccatum mortale in confessione accusare omittit, non solum de manifestatis, sed etiam de inculpabiliter omissis absolvi, ita tamen, ut ea, dum ipsi in memoriam veniunt, clavibus Ecclesiae subiicere teneatur.

Nota 2. Quaeritur: utrum peccata per poenitentiam remissa redeant per subsequens peccatum mortale? et communis est theologorum responsio, quod non redeant *simpliciter*, sed tantum *secundum quid et virtualiter*. Peccata enim, dum homo iustificatur, dicuntur in S. Scriptura *tolli, deleri, extingui, proiici in profundum maris* (2); quae autem penitus delentur, non amplius reviviscunt, et quae in profundum maris prolabuntur, oculorum conspectui pro omni tempore subtrahuntur: figuratae istae locutiones igitur satis clare ostendunt, peccata remissa nunquam ita simpliciter redire, ut quoad reatum culpae et poenae iterum imputentur. Deinde remissio peccatorum est maximum donum Dei. Sed iuxta Apostolum immutabilia et irrevocabilia sunt Dei dona, et promissa absolute et sine conditione facta; dicitur nempe Rom. XI, 29: *Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei;* sed si peccata remissa per subsequens peccatum redirent, Deum indulgentiae concessae veluti poeniteret, cum tamen Deus peccata remittat absolute, et non sub conditione de futuro, si poenitens postea non peccet, ut observat *S. Thomas* (3), eandem doctrinam defendens. Hinc Dist. 4 de poenit. c. 14 referuntur verba S. Prosperi (Resp. ad Obi. 2 Gallorum) dicentis: « Qui recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum est, recidit. » Et *Gelasius* (4) dicit: « Divina clementia peccata in ultionem ulterius redire non patitur. » — Ast secundum quid, seu virtualiter peccata remissa per subsequens peccatum redire dicuntur, tum quia peccatum sequens inducit similem privationem et similem reatum poenae aeternae, ut praecedentia remissa; tum quia ratione indulgentiae obtentae peccatum sequens fit gravius propter ingratitudinem: unde *S. Thomas* loc. cit. (5) ait: « Peccata dimissa per poenitentiam redire dicuntur, in quantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato sequenti. » In parabola quidem Matth. XVIII, 30, etc., Dominus a servo in conservum suum crudeli debitum repetit quod remiserat: sed Christus hanc parabolam non usurpat, nisi ut ostendat, nos teneri condonare iniuriam omnem, quam a proximo nostro recepimus, ita ut nullam a Deo veniam accepturus sit, quisquis implacatum animum erga inimicum suum gerit; iste est scopus parabolae (6), ultra quem progredi non licet, cum nonnullae circumstantiae solum ad ornatum parabolae appositae sint. Nonnulli autem dicunt, Christum in hac parabola nobis ostendere voluisse, malitiam illius qui post obtentam

(1) Deut. 32, 4. (2) § 461.

(3) Q. 88, art. 1. (4) P. 16 de poenit. c. ult.
(5) Art. 2 ad 4. (6) V. 35.

iustificationem iterum mortaliter peccat tantam esse, ut propter ingratitudinem et gratiarum abusum eundem reatum poenae incurrat, qualem contraxerat per peccata, quae remissa fuerunt, licet haec non redeant, nec reviviscant.

ARTICULUS V.

De satisfactione.

§ 653. 1. Satisfactionis nomen derivatur a *facere satis;* est enim actio iustitiae commutativae, quae ius violatum reparat, sive in rebus, sive in aliqua actione fuerit violatum. Si quidem in rebus ipsis laesum est, tunc quae fit satisfactio, restitutionis nomen sibi vindicavit, ut cum res furto sublata redditur: sed ubi in actione aliqua adversus ius alterius peccatum est, idque alia actione compensatur, commune satisfactionis nomen retinet. Talis satisfactio, seu iniuriae illatae compensatio vel alteri homini, vel ipsi Deo praestanda est. De hac tantum hic sermo est, quae definiri potest: Poenae temporalis acceptatio, et voluntaria perpessio tum ad compensandam iniuriam per peccatum Deo illatam, tum ad redimendam poenam graviorem eodem peccato promeritam. Alia satisfactio sponte a poenitente suscipitur, et dicitur *extrasacramentalis:* alia vero satisfactio a Sacerdote in tribunali poenitentiae iniungitur, et dicitur sacramentalis, pertinetque ad integritatem sacramenti. Haec definitur voluntaria poenae a confessario iniunctae toleratio ad reparandam iniuriam Deo per peccatum illatam, expungendamque poenam temporalem: dicitur *voluntaria* per acceptationem; coacta enim non posset Deo placere: dicitur *poenae toleratio,* quia materia satisfactionis sunt opera poenalia, sive interna, sive externa, sive aliunde praecepta, quae opera ex *Concilio Trident.* (1) revocantur ad ieiunium, per quod intelligitur omnis corporis afflictatio; ad eleemosynam, sub quo nomine veniunt omnia opera misericordiae, sive corporalis, sive spiritualis; et ad orationem, quae comprehendit omnes actus religionis: dicitur *poenae a confessario iniunctae* in tribunali nempe poenitentiae, quia haec sola est sacramentalis: dicitur demum *ad reparandam,* etc., ut finis et effectus satisfactionis manifestetur. Dum autem de reparatione iniuriae Deo illatae quaestio movetur, palam est, non agi de satisfactione perfecta; nam mortalis homo ius Dei a se laesum violatumque non potest compensare iuxta aequalitatem, sed tantum iuxta aliquam proportionem et intuitu Salvatoris Christi, per quem actiones nostrae valent apud Deum, et sine quo nulla prorsus aestimatione digna haberentur. Quodsi satisfactio etiam imponitur *ad expungendam poenam temporalem,* manifeste supponitur, per poenitentiam non semper omnem poenam temporalem tolli, sed hanc saepe etiam in iustificatis exsolvendam manere.

2. Necessitatem satisfactionis Deo praestandae de medio auferre conati sunt *Lutherus, Calvinus* eorumque sectatores. Cuius erroris causam triplicem afferebant. Prima erat, quia, inquiebant, non potest peccatum condonari a Deo, quin simul poenae totius, tum aeternae tum temporalis, remissio fiat. Secunda, quia putabant huiusmodi satisfactionibus satisfactioni a Christo nobis exhibitae iniuriam irrogari. Tertia, quia negabant, Deo pro peccatis, quantum ad poenam temporalem posse satisfieri per poenas, quae vel a Deo infliguntur, vel a Sacerdotibus imponuntur, vel

(1) Sess. 6, cap. 14.

sponte a poenitente suscipiuntur. Hinc *Lutherus* (1) scribit: « Vehementer odi, et sublatum vellem hoc vocabulum *satisfactio*, quod non modo in Scripturis non invenitur, sed et periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere, cum gratis ille ignoscat omnia. » *Melanchthon* in Apol. conf. August. (2) inquit: « Haec tota res commentitia est, recens conficta sine auctoritate Scripturae et veterum scriptorum ecclesiasticorum. » *Calvinus* fatetur quidem, veterem Ecclesiam pro nobis stare; sed illius iudicio suum stultissime praefert; nam lib. 3 Instit. (3) ait: « Parum me movent, quae in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes fere, quorum libri extant, aut in hac parte lapsos esse, aut nimis aspere et dure locutos. » In errorem contrarium prolapsi sunt *Ianseniani*, qui maximum in imponendis poenitentiis rigorem observandum esse dictitarunt, docueruntque, executionem poenitentiae seu satisfactionis a Sacerdote iniunctae necessario ex institutione Christi et sacramenti natura praemittendam esse sacramentali absolutioni, quam invalidam declararunt, nisi ipsam satisfactio praecesserit.

3. Contra istos errores vindicanda est doctrina catholica, quae tribus propositionibus continetur. *Prima* est: Non tota simul poena cum culpa semper remittitur a Deo, sed plerumque, poena aeterna virtute clavium sublata, remanent poenae temporales, quae tamen dilui possunt per pia et laboriosa opera, quae in hac vita pro expiatione peccatorum Deo offeruntur. *Secunda* est: Possunt et debent ministri poenitentiae salutares et convenientes satisfactiones poenitentibus iniungere. *Tertia* est: Neque ex necessitate sacramenti, neque ex praecepto Christi necessarium est, ut satisfactio a poenitente ante absolutionem impleatur. Ut haec doctrina rite pertractetur, agendum est *de possibilitate et necessitate satisfactionis, de imponenda satisfactione sacramentali*, et *de huius persolvendae tempore*.

I. *De satisfactionis possibilitate et necessitate.*

§ 654. Satisfactionis possibilitas manifeste eruitur ex iis, quae dicta sunt de existentia bonorum operum (§ 475), et de eorundem merito (§ 477). Nam si dantur bona opera et vere meritoria sunt, quia de meritis Christi participant, dubitari sane non potest, ea etiam satisfactoria esse, cum adversarii ipsi ultro fateantur, merita Christi satisfactoria esse. Deinde satisfactionis possibilitas eiusdemque necessitas intime inter se cohaerent; ita ut hac probata etiam illa demonstrata sit. Nam si Deus, qui impossibilia non iubet, opera satisfactoria ad reparandam iniuriam sibi illatam exigit, certum est, eadem ab homine perfici posse. Integra ergo hac de re doctrina in hac propositione continetur: *Non tota semper poena simul cum culpa remittitur a Deo, sed plerumque, poena aeterna virtute clavium sublata, remanent poenae temporales, quae tamen dilui possunt per pia et laboriosa opera, quae in hac vita pro expiatione peccatorum Deo offeruntur*. Veritas huius propositionis probatur ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, ex *praxi et definitionibus Ecclesiae* et ex *rationibus theologicis*.

(1) In Assert. art. 5.
(2) Art. de confess. et satisfact.
(3) Cap. 4, § 38.

1. *S. Scriptura* tum exemplis tum verbis ostendit, remissa culpa et poena aeterna non semper remitti poenam temporalem, sed hanc saepe manere, et per opera satisfactoria diluendam esse. Ita *protoparentes* ex communi sententia mox post peccatum poenitentiam egerunt, et a Deo iustificati sunt (§ 20), et tamen e paradiso eiecti plurimas aerumnas ipsamque mortem in poenam peccati sustinuere. Idem patet exemplo *Israëlitarum*, qui in vindictam peccati obmurmurationis iam remissi ad precem Moysis, in deserto perierunt et a terra promissa exclusi sunt, dicente Domino Moysi: *Dimisi iuxta verbum tuum... attamen... non videbunt terram, pro qua iuravi Patribus eorum* (1). Deut. XXXII, 51, etc., ait Deus ad Moysem, virum utique iustum, cui peccatum diu iam remiserat: *Quia praevaricati estis contra me* (Moyses et Aaron) *in medio filiorum Israël ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin, et non sanctificastis me inter filios Israël: e contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israël.* Insigne exemplum in *Davide* habemus, qui veniam a Deo consecutus est his verbis: *Dominus transtulit peccatum tuum*, etc. (2); et tamen statim ei dicit Propheta: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc* (3), non ergo ut solummodo servetur a lapsu futuro, vel ut alii a peccato absterreantur, sed vere et proprie in criminis commissi vindictam, *filius qui natus est tibi, morietur;* et iam dixerat: *Gladius* (tribulationis) *non recedet a domo tua* (4): et vere David poenitens et iustificatus ob peccata commissa, historia teste, gravissimas tribulationes perpeti debuit. Quis ergo negabit etiam post remissam culpam et poenam aeternam remanere poenas temporales in hac vel in altera vita exsolvendas? Idcirco in S. Scriptura non solum conversio cordis seu contritio exigitur, ut iustificatio obtineatur, sed etiam opera satisfactoria commendantur, ut poenae temporales extinguantur. Ioël II, 12 dicit Deus: *Convertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio et in fletu et in planctu;* et additur ratio: *Quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia* (in Hebr., *quem poenitet mali seu poenae*) id est, qui paratus est ad ignoscendum et poenam imminentem condonandam. Daniel ad Nabuchodonosorem dicit: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* (5), id est, poenam, quam tibi Deus comminatus est, his operibus averte! *Forsitan ignoscet delictis tuis.* — Eadem vis peccata redimendi, seu divinae iustitiae pro iisdem satisfaciendi et iram divinam placandi etiam in aliis Scripturae locis laboriosis poenitentiae operibus adscribitur. Prov. XVI, 6 legitur: *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.* Tob. XII, 8 Angelus dicit: *Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere. Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam.* Sermo hic dirigitur ad iustos, quorum peccata solum quoad reatum poenae temporalis purgatione et misericordia indigent. Ideo Praecursor Domini exclamat: *Facite ergo fructum dignum poenitentiae* (6); quibus verbis non solam poenitentiam seu conversionem cordis, sed etiam *fructum*

(1) Num. cap. 14, v. 20, etc.
(2) II Reg. 12, 13. (3) Ibid. v. 14. (4) V. 10.
(5) Dan. 4, 24. (6) Matth. 3, 8.

seu opera poenitentiae exigit. Christus Luc. XIII, 1, etc., declarat, Galilaeos quosdam ob peccata temporali morte mulctatos esse, et addit: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;* quibus verbis luculenter ostendit per poenitentiam etiam poenas temporales amoveri; non obscure autem indigitat, talem poenitentiam requiri, quae *in cilicio et cinere* agitur (1), seu quae cum operibus satisfactoriis coniuncta est. Paulus coram Rege Agrippa dicit: *His, qui sunt Damasci primum et Ierosolymis, et in omnem regionem Iudaeae, et gentibus annuntiabam, ut converterentur ad Deum digna poenitentiae opera facientes* (2). Itaque etiam Paulus praeter conversionem cordis opera poenitentiae exegit.

2. *Ss. Patres* passim docent, praeter cordis contritionem et oris confessionem etiam laboriosis poenitentiae operibus opus esse, ut Deo pro illata iniuria satisfiat, et poenae temporales extinguantur. *Tertullianus* (3) ait: « Quam ineptum, quam iniquum poenitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere: hoc est, pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac poenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem. » Idem (4): « Satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. » Et ibid. (5): « Cum igitur pervolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet. » *Origenes* (6) in Levit. inquit: « Si tamen invenerit manus tua pretium, quod restituat; quale pretium? poenitentiae sine dubio lacrymis congregatum et manibus, id est, labore boni operis inventum. » Et (7) in Iudic.: « Quanto tempore deliquisti, tanto tempore humilia te ipsum Deo, et satisfacito ei in confessione poenitentiae. Non expectes, ut humiliet te Chursastan - sed ipse praeveni tortoris istius manus: quia si te ipse emendaveris, si te ipse correxeris, pius est Deus et misericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam poenitendo praevenit. » *S. Cyprianus* lib. de lapsis scribit: « Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est. » Et alibi (8): « Dominus longa et continua satisfactione placandus est. » Integer liber de lapsis est de hoc argumento, nempe ut ostendatur satisfactionis necessitas: huc etiam referuntur epistolae quamplurimae, quas scripsit adversus factionem Felicissimi, qui lapsos ab omni satisfactione liberabat. *S. Basilius* Hom. in illud: Attende tibi ipsi, n. 4 inquit: « Attende igitur tibi ipsi, ut pro delicti ratione recipias etiam subsidium curationis. Si magnum est peccatum et grave, multa tibi opus est confessione, lacrymis amaris, intentis vigiliis, iugi ieiunio. Si leve est et tolerabile delictum, huic quoque exequetur poenitentia. » *S. Gregorius Naz.* Orat. in s. lumina (9) dicit: « Quintum locum lacrymarum baptismus tenet; verum martyrio asperior et laboriosior est, utpote qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lacrymis lavat, - qui lugens et contristatus ingreditur, et qui Manassis resipiscentiam ac Ninivitarum humilitatem, cui misericordia impertita

(1) Matth. 11, 21. (2) Act. 26, 20.
(3) Lib. de poenit. c. 6. (4) Cap. 9.
(5) Cap. 10. (6) Hom. 15.
(7) Hom. 3, n. 2. (8) Ep. 40, n. 1.
(9) Orat. 39, n. 17.

est, imitatur, etc. » Et (1) addit: « Aequale malum est et remissio absque castigatione, et castigatio absque venia: illa omnes habenas laxat, haec ob vehementiam perimit. » *S. Pacianus* (2) ait: « In quantum poenae vestrae non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet. » *S. Ambrosius* (3) haec habet: « Sicut qui pecunias solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur foenoris nomen, quam totius sortis ad nummum minimum usque quocunque solutionis genere quantitas universa solvatur; sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacunque peccati poena dissolvitur. » Alibi (4): « Crimina bonis operibus, fideique pretio et miseratione redimamus. » *S. Chrysostomus* (5) ita loquitur: « Ut igitur neque tum puniamur, neque tum poenas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur vitamque explicet, cunctisque commissis diligenter excussis, condemnet animam quae haec patravit, puniatque cogitationem, affligat crucietque suam ipsius mentem, supplicium a seipso exigat pro peccatis per condemnationem, per diligenter actam poenitentiam, per lacrymas, per confessionem, per ieiunium, per eleemosynam, per continentiam ac charitatem, ut possimus omnes omnimodo hic depositis peccatis multa cum fiducia illuc proficisci. » *S. Hieronymus* (6) inquit: « Qui peccator est, et quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, et plangat vel propria delicta vel populi, - et cubet vel dormiat in sacco, ut praeteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitae austeritate compenset. » *S. Augustinus* serm. 351 (7) ait: « Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. » Tract. 124 in Ioan. num. 5: « Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis; quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim poena quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum ea finiretur et poena. Ac per hoc... temporaliter hominem detinet poena, quem iam ad damnationem sempiternam, reum non detinet culpa. » Idem in Enchir. (8): « Sane cavendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina - quotidie perpetranda, et eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynam de peccatis praeteritis est propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. » Et Enarr. in Ps. 50 (9): « *Veritatem dilexisti*, id est, impunita peccata etiam eorum, quibus ignoscis, non reliquisti. *Veritatem dilexisti*; sic misericordiam praerogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti; ita servatur misericordia et veritas; misericordia, quia homo liberatur, veritas, quia peccatum punitur. » *S. Leo M.* lib. 1 de ieiun. dec. mensis inquit: « Oratione propitiatio Dei quaeritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur. » *S. Gregorius M.* (10)

(1) Orat. 39, n. 18. (2) Exort. ad poenit. c. 12.
(3) In Luc. lib. 7, n. 156.
(4) Lib. 2 de Cain, et Abel, cap. 3.
(5) De Lazaro, Conc. 4, n. 7.
(6) In Ioël 1, 13, etc. (7) Cap. 5, n. 12.
(8) Cap. 70, n. 19.
(9) V. 8, n. 12.
(10) Lib. 9 Mor. c. 17.

scribit: «Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur: sic David audire post confessionem meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum;* et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens reatum culpae, quam perpetraverat, exsolvit.

3. *Ecclesia* fideles post baptismum in gravia, et quidem publica crimina lapsos poenitentiae publicae subiecit, cuius quatuor gradus distinguebantur, nempe *fletus*, *audientia*, *substratio* et *consistentia*. *Flentes* habitu sordido induti, cilicio circa collum cooperti, cinere in capite deturpati stabant in porticu extra Ecclesiam, sua peccata deflentes et detestantes, et ingredientium preces implorantes. *Audientes* stabant intra fores Ecclesiae in propilaeo, ubi audiebant lectionem Scripturarum et sacras conciones, indeque exire cogebantur. *Substrati* locum occupabant a foribus Ecclesiae usque ad pulpitum; et illi erant, qui antonomastice *poenitentes* dicebantur, et genibus flexis moestitia pleni, veniam ex corde precantes, capita Deo et Sacerdotibus subiiciebant, a quibus frequenter iisdem manus imponebantur: haec statio diutius durabat, tuncque poenitentiae canonicae et peragendae a poenitentibus satisfactiones maxime iniungi solebant. *Consistentes* tandem absoluto feliciter poenitentiae laboriosae curriculo, cum fidelibus caeteris ante cancellos manebant et sacris mysteriis adsistere poterant, sola Eucharistiae participatione privati. Rigor iste et ordo poenitentiae publicae, ut notat *Petavius* (1) probabilius tunc coepit cum Montanistae et Novatiani exprobrarent Catholicis, quod indulgerent idololatris, moechis et homicidis, et cum, ut constat ex *S. Cypriano*, etiam nonnulli catholici Sacerdotes cum fidelibus in persecutione Decii lapsis, iusto mitius procederent. Rigor autem iste poenitentiae publicae et solemnis in Ecclesia orientali iam a tempore Nectarii, qui poenitentiarii publici munus sustulit, minui coepit, quamvis adhuc in *Conc. Trullano* iste rigor, si non praescribitur, saltem commemoratur, quia can. 87 de maritis, qui legitima uxore repudiata, aliam ducunt, dicitur: *A Patribus enim nostris statutum est, ut qui sunt eiusmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio substernantur, et septimo cum fidelibus consistant, et sic oblatione digni habeantur.* In Ecclesia autem occidentali diutius substitit rigor poenitentiae solemnis, nec nisi post septimum saeculum antiquari coepit. Vetus haec disciplina manifestissime ostendit, Ecclesiae semper persuasum fuisse, fideles post baptismum lapsos non solum conteri et confiteri, sed etiam poenitentiae opera suscipere debere, ut iniuriam Deo illatam reparent, et poenas temporales, quae etiam contritis, confessis et sacramentaliter absolutis remanent, in hac vita extinguant. Constanti huic et universali traditioni insistens *Conc. Tridentinum* definit Sess. XIV, can. 12: *Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.* Et can. 13: *Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; at-*

(1) L. 2 de Poenit. c. 2, § 2, et lib. 7, c. 22.

que ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit Et can 14: *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.* Huc etiam refertur, quod idem Concilium iam Sess. V, can. 30 decernit dicens: *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo vel in futuro..... anathema sit.*

4. *Ratio theologica* petitur ex ipsa sapientia divina, quae totam religionis christianae oeconomiam ita ordinavit, ut fideles per omnia eiusdem documenta a peccatis removeantur, ad virtutes et bona opera incitentur, et sic ad moralem perfectionem perducantur (§ 378). Negari autem non potest, homines a peccatis deterreri, si sciant, etiam pro peccatis quoad reatum culpae et poenae aeternae remissis manere poenas temporales sustinendas, eosdemque ad opera bona excitari, ut in hac vita debita sua extinguant, et duriora purgatorii supplicia effugiant. Ideo *S. Chrysostomus* (1) ait: « Ne peccantes et inulti manentes nos efficeremus deteriores, non remisit nobis supplicium; sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri; propter hoc imponit poenam.» Et *Concilio Trident.* satisfactionem commendans Sess. XIV, c. 8 inquit: *Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coërcent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

(1) Hom. de poenit. et confess.

Nota. Difficultates doctrinae catholicae ab adversariis oppositae facile diluuntur.

Obi. I. Ezech. XVIII, 21, etc. dicit: *Si impius egerit poenitentiam... omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor:* Deus vero illarum recordaretur, si poenas statueret temporales.

Resp. Verba citata intelligenda sunt de remissione, seu non recordatione peccati quoad culpam et poenam aeternam, ut constat ex his verbis: *vita vivet* supernaturali, nempe gratiae, et *non morietur* morte aeterna; nam a morte temporali poenitentia non praeservat: hoc autem non impedit, quin Deus recordetur peccati, ad sumendum de eo aliquas poenas temporales in satisfactionem, quas non excludit Ezechiel, sed subindicat dum ab impio poenitente exigit conditionem, *si fecerit iudicium et iustitiam;* quae verba significant, illum debere in se iudicium rigidum exercere, et in se quae commisit peccata, acriter castigare. Ita etiam reliquae promissiones divinae intelligendae sunt de remissione peccatorum quoad reatum culpae et poenae aeternae, non quoad poenas temporales, quas saepe remanere argumenta allata ostendunt.

Obi. II. In N. T. omnes condonationes peccatorum gratuitae perhibentur. Talis illa publicani est, qui

descendit e templo iustificatus (1), talis servi, cui Dominus omne debitum dimisit, ac ipsam carceris poenam (2). Gratuita pariter concessa est venia paralytico, mulieri poenitenti, Latroni in cruce et Petro, de quo *S. Ambrosius* ait: « Lacrymas eius legimus, satisfactionem non legimus. »

Resp. Non negamus, per vehementiam doloris ex charitate perfecta concepti fieri potuisse, ut omnis poena temporalis extingueretur, quod Christus quidem cognoscere potuit, nos autem perspicere non valemus. Deinde Christus absoluta auctoritate, qua solus rex et dominus potitur, poenas temporales absque debita satisfactione remittere potuit: tali autem absoluta auctoritate non potiuntur administratores, oeconomi et ministri. Deinde omittendum non est, flevisse Petrum et quidem amare toto vitae suae tempore, et Latronem in satisfactionem peccatorum suorum ipsum crucis supplicium patienter toleratum offerre potuisse. De caeteris vero dici potest, iustificatos quidem eos fuisse quoad culpam, minime vero quoad poenam temporalem, de qua Scriptura omnino silet. *S. Ambrosius* autem (3) nomine satisfactionis intelligit defensionem seu excusationem, ut patet ex contextu; ait enim: « Lacrymas eius lego, satisfactionem non lego; sed quod defendi non potest, ablui potest etc. » Denique etiam in N. T. Zachaeus in sua conversione satisfactionem promisit dicens: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (4); et: *Ait Iesus* (non repugnans sed approbans) *ad eum: quia hodie salus huic domui facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahae* (5).

(1) Luc. 18. (2) Matth. 18.
(3) Lib. 10 in Luc. § 88.

Obi. III. Sublata causa tollitur effectus: sed per poenitentiam iuxta doctrinam catholicam tollitur, imo penitus deletur culpa: ergo etiam tollitur eius effectus, nempe cuiuslibet poenae reatus.

Resp. Non semper sublata causa tollitur effectus; ita mors Christi praeteriit, et tamen auxilia gratiae continuantur; sublato gladio non tollitur vulnus, et mortuo artifice remanet simulacrum, quod fecit. Per poenitentiam tollitur quidem peccatum quoad reatum culpae et poenae aeternae, non vero quoad poenas temporales.

Obi. IV. Christus abunde pro nobis satisfecit: ergo superfluae sunt nostrae satisfactiones. Imo satisfactio Christi infinita obscuratur et inhonoratur, si a nobis satisfactiones exiguntur.

Resp. Utrumque verum est, et Christum pro nobis superabunde satisfecisse, et necessarias esse nostras satisfactiones, non quidem ut suppleatur aliqua insufficientia meritorum Christi, sed ut pretium illarum nobis applicetur; unde sunt conditio, sine qua Christus nobis non applicaret meritum suae passionis (6). Non ergo in doctrina catholica satisfactio Christi obscuratur et inhonoratur, sed illustratur et glorificatur, quoniam omne pretium operum nostrorum satisfactorium ex meritis Christi repetitur. Unde *Concilium Trident.* Sess. XIV, cap. 8 dicit: *Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non*

(4) Luc. 19, 8.
(5) Ibid. v. 9.
(6) Cf. § 388, Resp. ad Obi. 2.

habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus: facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.

Obi. V. Homines pro peccatis suis Deo satisfacere nullatenus possunt, quia offensa Deo illata quodammodo infinita est, finita vero quaelibet humana satisfactio, et quia satisfactio ex indebitis fieri debet; nil autem nos habemus, quod Deo iure Creationis et Redemptionis debitum non sit, quodque ei acceptum referri non debeat.

Resp. Quamvis homines ex se satisfactionem condignam et aequivalentem praestare non possint, sufficit tamen, ut ea praestent, quae Deus, qui impossibilia non iubet, ab ipsis exigit, et quidem exigit, non tam ut ipse aliquid accipiat, quam potius, ut illorum perfectio moralis, et per hanc ipsius gloria externa promoveatur. Deinde licet satisfactio nostra finita sit, condignum tamen pretium acquirit ex meritis Christi infinitis, quae illi applicantur et a Deo acceptantur. Admirari porro divinam bonitatem debemus, quae voluit, ut opera nostra supremo Numini iam aliunde debita nihilominus et meritoria et satisfactoria sint. Sicut ergo iusti per bona opera aeternam gloriam mereri possunt (1) et debent (2), ita poenitentes per bona opera pro peccatis suis satisfacere possunt et debent. Hinc *Concil. Trident.* loc. cit. dicit: *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis sufficientia nostra est, conformes efficimur; certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur et conglorificabimur.*

II. *De imponenda satisfactione sacramentali.*

§ 655. Possunt et debent ministri poenitentiae salutares et convenientes satisfactiones poenitentibus iniungere. Nam

1. *Ex probatis* constat, ad partes sacramenti poenitentiae etiam satisfactionem pertinere, quae ut fiat sacramentalis, imponenda est in tribunali poenitentiae, et a ministro poenitentiae, qui iudicis munere fungitur. Satisfactio haec non est quidem pars essentialis ita, ut si non imponeretur, absolutio invalida redderetur; sed tamen est pars integralis, ita ut nulla prorsus poenitentia imposita sacramentum mancum maneret. Gravis est ergo confessarii obligatio poenitentiam imponendi, quia quantum potest, integritatem sacramenti procurare tenetur. Gravis est etiam obligatio poenitentis, impositam sibi poenitentiam acceptandi atque adimplendi. Qui voluntatem nullam habet id praestandi, quod a Sacerdote pro satisfactione iniungitur, invalide et sacrilege confitetur, quia requisita materia proxima deest (3). Qui autem post confessionem, mutata voluntate, nil de imposita sibi satisfactione perficit, graviter peccat, quia sacramentum mancum relinquit.

2. *Christus* Sacerdotibus non solum *ad solvendum*, verum etiam *ad ligandum* concessit claves, seu potestatem iudiciariam (4). Sicuti ergo utuntur potestate solvendi, dum absolutionem impendunt, ita aequum est utantur potestate ligandi poenarum vincula iniiciendo.

3. *Ss. Patres* passim docent, satisfactiones pro peccatis imponendas esse

(1) § 475. (2) § 476.
(3) § 649.
(4) Matth. 18, et Ioann. 20.

a Sacerdotibus, quos Christus iudices instituit. S. *Basilius* (1) ait: « Pro qualitate delicti tempus poenitentiae impendatur; hoc sit in iudicio positum eorum, qui praesunt, vel quanto tempore, vel quali modo poenitere debeant, qui delinquunt. » S. *Innocentius I* ad Decentium (2) scribit: « De pondere aestimando delictorum Sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem poenitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis - ac tunc iubere dimitti (poenitentem), cum viderit congruam satisfactionem suam. » S. *Augustinus* (3) inquit: « Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tanquam bonus iam incipiens filius - a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis modum. » S. *Leo M.* (4) ad Theodorum Episc. Foroiul. scribit: « Mediator Dei et hominum hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut confitentibus unctionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. » S. *Gregorius M.* (5) ait: « Afflictio poenitentiae ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis. » S. *Thomas* (6) dicit: « Quandoque per contritionem amota culpa, et reatu poenae aeternae soluto, remanet obligatio ad aliquam poenam temporalem, ut iustitia Dei salvetur, secundum quam culpa ordinatur per poenam. Cum autem subire poenam pro culpa iudicium quoddam requirat, oportet quod poenitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi iudicium in taxatione poenae expectet; quod quidem per suos ministros exhibet Christus sicut et caetera sacramenta. »

4. *Concilium Laodicenum* an. 363 inquit: *His, qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, et oratione, confessione ac poenitentia malorum suorum perfectam conversionem demonstrant, pro qualitate peccati* (a Sacerdotibus) *poenitentiae tempus attribuendum est. Carthaginense III* cap. 31 dicit: *Poenitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernentur.* Idem alia Concilia iam § 646, n. 2 adducta decernunt. *Eugenius IV* in decreto pro Armenis ait: *Tertia (pars) est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium et eleemosynam. Concil. Tridentinum* Sess. XIV, c. 8 docet: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere: ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent.* Et can. 15 definit: *Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea Sa-*

(1) In Reg. brev. inter. 106 et 194.
(2) Epist. 1, c. 7. (3) Serm. 351, n. 9.
(4) Ep. 82. (5) In I Reg. lib. 3, c. 5, n. 13.
(6) Lib. 4, c. Gentes, c. 72.

cerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

Nota. Duplex distinguitur satisfactio, nempe *vindicativa*, quae datur praecise ad praeterita peccata vindicanda; et *medicinalis*, quae datur praecipue ad peccata futura in posterum praecavenda. Plerumque autem eadem actio utrumque praestare potest. Optima profecto satisfactio est, quae non vindicativa tantum, sed etiam medicinalis est; praestat ideo, poenitentibus, praecipue mala consuetudine irretitis iniungere assiduum orationis et meditationis exercitium, lectionem spiritualem, frequentationem sacramentorum, ieiunium etc. Prudenter tamen et moderate imponenda sunt opera satisfactoria iuxta poenitentis statum et facultates, habito nempe respectu ad aetatem, sexum, conditionem, valetudinem ac dispositiones etiam ipsius poenitentis. In reprobandum rigorismum profecto laberetur Sacerdos, qui secus ageret. Si enim ex. gr. vel aegrotum, vel hominem austeritatibus nondum assuetum nimis arduas iuberet poenitentias, eos, quin ad virtutem alliceret, ab hac potius tanquam a re impossibili deterreret. Hinc *S. Thomas* in suppl. (1) ait: « Sicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur; ita Sacerdos non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, iniungit, ne infirmus aliquis magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter recedat. » Sat communiter etiam a theologis approbatur vulgatum *Gersonis* dictum: « Tutius est cum parva poenitentia, quae sponte suscipitur, et verisimiliter impletur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non adimplenda praecipitare in infernum. » Quodsi non adaequata peccatori magno satisfactio imponatur, attendendum est monitum *S. Caroli Borromaei* qui (2) in instruct. poenit. ait: « Demonstrabit (Sacerdos) iis, qui gravius peccarint (quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant), quanta ipsis poenitentia ex canonum regulis imponenda esset: nec vero putent, sua peccata levia esse, quia parva illis poenitentia data est, sed hoc factum esse, ne eam, quae pro culparum ratione iniungenda erat, deserant cum periculo salutis suae. Proinde poenitentes ideo hortandi erunt, ut praeter poenitentiae opera imposita plura etiam alia praestare conentur. »

(1) Q. 18, art. 4.

III. *De tempore satisfactionis persolvendae.*

§ 656. Pervulgata est apud *Ianse-nianos* doctrina, executionem poenitentiae, sive satisfactionis a Sacerdote iniunctae necessario ex institutione Christi atque inviolabili sacramenti natura praemittendam esse sacramentali absolutioni, ita ut absolutionem minime validam esse pronuntient, nisi ipsam satisfactio praecedat. Catholici vero docent, ad substantialem sacramenti poenitentiae integritatem perinde esse, sive absolutionem satisfactio praecedat, sive subsequatur. Non ergo necessario satisfactio absolutionem praecedere debet, sed valida et licita, imo pro praxi probanda est absolutio ante peractam satisfactionem impertita. Nam

(2) In Act. eccl. Mediol. t. 1, p. 4.

1. *Christus* ipse tot absolutionibus post confessionem peccati a se benignissime impertitis Ecclesiam, ac futurorum temporum ministros edocere voluit misericordiae suae magnitudinem et auxiliantis gratiae virtutem, ne ubi paterfamilias liberalis est, dispensator sit tenax. *Zachaeus* declaratus est iustus ut *filius Abrahae* (1), quamvis debitam restitutionem et eleemosynam tantum promiserit, nondum autem fecerit. *Publicanus* humili corde dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori* (2), statim Christum nactus est iustificationis auctorem pariter et testem. *Filius prodigus* (3) vix ad Patrem reversus veniam erroris petiit, et illico obtinuit. *Magdalena* ad pedes Domini provoluta mox audivit: *Remittuntur tibi peccata* (4): eam autem postea continuam de suis peccatis poenitentiam egisse, traditio testatur.

2. *Ss. Patres* non Ianseniani, sed Catholicis favent. *S. Chrysostomus* Hom. de S. Philogonio ait: « Nec illud perpende, quod breve est tempus, sed illud considera, quod benignus est Dominus; quandoquidem et Ninivitae tridui spatio tantam iram Dei a se depulerunt. Nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, cum ad Christum accessisset, omnia probra diluit. » *S. Augustinus* (5) de peccatore poenitente ita loquitur: « Antequam confiteretur, occultus erat: cum autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem. Et cum confessus fuerit, quid dicitur ministris? quod dictum est ad funus Lazari: *Solvite illum, et sinite abire.* » *S. Gregorius M.* (6) dicit: « Illos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare: quae nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati. » Iansenianis porro e diametro opponuntur verba *S. Ambrosii* de poenit. (7) scribentis: « Sunt qui arbitrantur, hoc esse poenitentiam, si abstineant a sacramentis coelestibus. Hi severiores in se iudices sunt, qui poenam praescribunt sibi, remedium declinant: quos vel poenam suam conveniebat dolere, quia coelesti fraudantur gratia. »

3. *Praxis Ecclesiae* ab eiusdem fide caute est distinguenda. Quamvis igitur antiquitus disciplina obtinuerit, ut nonnisi peracta iniuncta satisfactione daretur reconciliatio, Ecclesia tamen nunquam credidit, institutionem Christi aut naturam sacramenti exigere, ut satisfactio absolutionem praecedat; sed cum probe cognosceret, agi de re libera et disciplinari, quae non afficit substantiam sacramenti, nonnunquam ab illa praxi recessit. Sane in *Concil. Carthaginensi* an. 225 sub Cypriano statutum est, dandam esse absolutionem et eucharistiam instante mortis periculo, tum iis, qui in deserta fugiebant, tum iis denique omnibus concedendam esse pacem, qui vere contriti existimabantur, adeoque nondum persoluta, vel etiam non incoepta satisfactione. Ita pariter, cum urgebat mortis periculum, aut quando in periculo versabatur poenitentis salus, ante peractam satisfactionem absolutio concedebatur. Ita cautum legimus in *Concilio Nicaeno I*, can. 13; *Carthaginensi IV*, can. 76; *Arausicano I*, can. 3; *Epaonensi*, can. 36; a *S. Innocentio I*, in

(1) Luc. 19, 9. (2) Luc 18. (3) Luc. 15.
(4) Luc. 7. (5) Tract. 22 in Ioann.
(6) Hom. 26 in Evang.
(7) Lib. 2, c. 9

Ep. ad Decent. (1), et a *S. Leone M.* Epist. ad Theodorum (2).—Praeterea sicuti illi tantum, qui publica crimina commiserant, publicae poenitentiae subiecti sunt, ita etiam circa istos duntaxat praefatus rigor observatus fuit; reliqui vero, qui occulta sua peccata secreto confitebantur, ante peractam satisfactionem absolvebantur. Id patet ex *Sozomeno* qui (3) de poenitentiario presbytero eiusque officio scribit: « Ad quem accedentes ii, qui delinquerant, actus suos confitebantur; ille vero pro cuiusque delicto qui aut facere singulos, aut luere oporteret, poenae loco indicens absolvebat confitentes, a se ipsis criminum poenas exacturos. » Constat denique, a mille circiter et tercentum annis Ecclesiam graecam, et duodecim ad minus saeculis Ecclesiam latinam, consuevisse ante completam satisfactionem iniunctam poenitentibus sacramentalem absolutionem impertiri, eosque ad s. synaxin admittere (4). Quis porro nisi spiritu haeretico ductus audeat affirmare, Ecclesiam tanto saeculorum decursu a recto veritatis tramite aberrasse, et quidem in re tanti momenti, qualis est peccatorum iustificatio? —

4. *Rom. Pontifices* propositiones doctrinae et praxi Ecclesiae contrarias proscripserunt. Cum Petrus de Osma docuisset: « Non peracta poenitentia poenitentes absolvi non debere, » a *Sixto IV* in Constit. data anno 1479 velut *haeretica* eius doctrina proscripta est. *Alexander VII* damnavit propositionem sequentem (n. 16): « Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id quodammodo dictante: » et n. 17: « Per illam praxin mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus, » et (n. 18): « Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. » Istae propositiones desumptae sunt ex famoso libro *Ant. Arnaldi* de frequenti communione. *Clemens XI* in Bulla *Unigenitus* inter alios errores sequentes *Quesnellii* propositiones confixit n. 87: « Modus plenus sapientia, lumine et charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere iustitiae Dei, antequam reconcilientur: » et n. 88: « Ignoramus, quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem. » Denique cum eandem doctrinam damnatam *Pseudo-Synodus Pistoriensis* recudere non vereretur in propositione 35, eadem proscripta est a *Pio VI* in Bulla *Auctorem fidei*.

5. *Ratio theologica* petitur ex ipsa natura satisfactionis. Quamvis enim voluntas satisfactionem a Sacerdote impositam exequendi necessario in poenitente requiratur, actualis tamen satisfactio non est pars essentialis sacramenti, sed integralis tantum, sine qua ideo sacramentum consistere, et quae huic advenire potest. Adde, quod contritio et confessio, quae praemittuntur absolutioni, habeant aliquam rationem satisfactionis, et voluntatem poenitentiam a confessa-

(1) Cap. 7. (2) Ep. 80, al. 92.
(3) Lib. 7 Hist. eccl. c. 16.
(4) V. Petav. lib. 2 de poenitentia, cap. 12, § 11, etc. Morin. lib. 6 de poenit. c. 24.

rio impositam adimplendi includant. Quamvis autem rationes satisfactionem ante absolutionem exigendi dari possint, ut ex. gr. cum id necessarium aut valde proficuum censeatur ad peccatorum commissorum malitiam ostendendam, vel ad alios a criminibus deterrendos, ad quem finem antiquitus, cum fideles inter ethnicos versarentur, poenitentia publica ordinata fuit, vel ad probandum ipsum poenitentem, de cuius legitima dispositione dubitatur; in genere tamen loquendo, praestat ante satisfactionem praestitam absolutionem dare, quia satisfactio post absolutionem, in statu gratiae peracta est meritoria, Deo gratior et longe efficacior ad satisfaciendum pro peccatis praeteritis et ad praecavenda futura, quam ante absolutionem in statu peccati.

Nota. Satisfactio potest imponi vel ante vel statim post absolutionem, quia utroque modo censetur moraliter coniungi caeteris partibus sacramenti et in eo fieri. Convenientius autem imponitur ante absolutionem, quia sic materia praesupponitur expressius formae. Quodsi pro satisfactione opera serius perficienda imponuntur, levis quoque satisfactio imponenda est, mox a poenitente persolvenda, ut integritati sacramenti consulatur.

ARTICULUS VI.
De indulgentiis.

§ 657. Sicuti Christus Ecclesiae potestatem tribuit, poenitentibus satisfactiones pro peccatis commissis imponendi, ita eidem ex infinitis misericordiae suae thesauris etiam facultatem concessit *indulgentias* largiendi, quibus poenae temporales post valide receptum poenitentiae sacramentum remanentes extingui valeant.

1. *Indulgentia* est remissio poenae temporalis pro peccatis personalibus quoad culpam remissis debitae, extra sacramentum facta a legitimo superiore per applicationem thesauri Ecclesiae. Dicitur *remissio* sive per actum iurisdictionis pro vivis, sive per modum suffragii et solutionis pro defunctis: dicitur *poenae temporalis*, quia culpa cum reatu poenae aeternae non remittitur ab Ecclesia per indulgentias, sed per sacramentum poenitentiae in re vel in voto susceptum: dicitur *pro peccatis personalibus debitae;* nam poenae peccato originali debitae, ex. gr. mors, morbi, fames, etc. per indulgentiam non remittuntur; haec etenim debentur naturae peccato Adami infectae, quae non tolluntur, nisi cum mortale hoc induerit immortalitatem: dicitur pro peccatis *quoad culpam remissis*, quoniam qui peccatum mortale confiteri renuit, aut, ob essentialem contritionis vel confessionis defectum, invalide absolutionem sacramentalem recipit, indulgentiae particeps fieri nequit: dicitur *extra sacramentum facta*, tum ut distinguatur ab ea remissione poenae, quae fit virtute sacramenti poenitentiae, tum ut insinuetur, non omnem poenam temporalem etiam post expletam satisfactionem, quam Sacerdos imposuit, ordinarie remitti: dicitur a *legitimo superiore*, nempe a summo Pontifice et Episcopis, qui habent potestatem dispensandi suis subditis thesaurum Ecclesiae, per quod indulgentiae distinguuntur a suffragiis, quae a privatis applicari possunt: dicitur denique *per applicationem thesauri Ecclesiae*, tum ut innuatur, undenam indulgentiae efficaciam suam repetant, tum ut indulgentia distinguatur ab ea remissione poenae, quae fit per sacramenta, per sacrificium et alia media.

2. *Indulgentiarum divisio* praecipua est *in plenariam seu totalem*, quae est totius poenae temporalis relaxatio tam perfecta, quanta vi clavium esse potest; et in *non plenariam seu partialem*, quae partem duntaxat poenae temporalis remittit, et ad certum numerum dierum vel annorum condonatae poenitentiae restringitur; utriusque indulgentiae vis et efficacia inferius declaranda erit. Indulgentia etiam dividitur in *personalem*, quae alicui personae conceditur eamque comitatur, ex. gr. profitenti religionem; in *localem*, quae in favorem loci conceditur, ex. gr., orantibus in templo; et in *realem*, quae annexa est alicui rei, ex. gr. Rosario, numismati, imagini, quae semper debet esse ex metallo, etc. Aliae porro indulgentiae sunt *perpetuae*, aliae *temporariae*, seu ad tempus concessae. Inter istas eminet indulgentia *Iubilaei*, quae, praeter totius poenae temporalis relaxationem, etiam quaedam privilegia singularia continet. Notandum vero est, quod Ecclesia, dum indulgentias largitur, semper pia quaedam opera praescribat, quae ab illis perficienda sunt, qui earundem participes fieri volunt.

3. Adversus catholicam de indulgentiis doctrinam insurrexere *Montanistae* et *Novatiani*. Cum enim Ecclesiae denegarent potestatem remittendi graviora saltem crimina post baptismum commissa, consequens erat, ut dicerent, poenam iis debitam nulla posse satisfactione aequari, adeoque non posse quidquam de eius persolutione Ecclesiae potestate laxari, sed soli Deo totum hoc iudicium committendum esse. Hunc errorem aperte tradit *Tertullianus* (1). Saeculo XII *Waldenses*, pauperes de Lugduno dicti, docuerunt, indulgentias, quae a summo Pontifice conceduntur, nihil prorsus valere. Waldenses secuti sunt *Wicleffitae*, deinde *Hussitae*, ac postmodum *Lutherus*, qui a reprehensione indulgentiarum initium fecit sectae suae propagandae. Primum quidem in castigandis abusibus versari videbatur; at mox, ut erat homo violentus et sui impotens, in ipsam Ecclesiae doctrinam irruit, ac in libro de capt. babyl. docuit, indulgentias meras esse Pontificum imposturas. Deinde errorem ex errore trahens contendit, nullum esse purgatorium, nullam requiri satisfactionem, culpa remissa; sola fide homines iustificari, et animas peccatorum maculis adhuc sordidas ad coelum recta via perduci. *Calvinus* contra indulgentiarum usum multa congessit non tam argumenta, quam convitia et mendacia in lib. 3 instit. c. 5. Ita etiamnum Protestantes Ecclesiae de indulgentiis doctrinam, quam aut non recte intelligunt, aut malitiose corrumpunt, impie vellicare non desinunt.

4. Controversia de indulgentiis in varias quaestiones diffunditur, quarum aliae ad fidem catholicam pertinent, aliae proxime ad fidem accedunt, aliae etiam inter Catholicos dissentionis aliquid habent. Duo itaque de iis, quae ad indulgentias pertinent, *de fide* sunt: 1° potestatem esse in Ecclesia concedendi indulgentias divinitus ei traditam; et 2° indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem esse. Ast *fidei proximum* est: 1° dari in Ecclesia thesaurum seu collectionem meritorum, sive satisfactionum Christi, Sanctorum et electorum omnium, cuius dispensatio ad eandem Ecclesiam, nempe ad Rom. Pontificem et ad Episcopos pro diversa ratione pertineat; 2° fidelibus per indulgentias relaxari poenas tem-

(1) Lib de pudic. cap. ult.

porales pro peccatis remissis debitas non solum in foro Ecclesiae, sed etiam coram Deo; et 3° has indulgentias valere per modum suffragii quoad animas defunctorum. Dantur autem etiam aliae quaestiones de indulgentiis, circa quas Ecclesia nihil definivit, et theologi varia sentiunt. Ut autem integra de indulgentiis doctrina rite proponatur, agendum est in primis *de potestate Ecclesiae indulgentias concedendi;* deinde *de thesauro meritorum Christi et Sanctorum Ecclesiae dispensationi commisso;* postea *de efficacia indulgentiarum ac utilitate;* ac demum *de reliquis*, quae ad hanc materiam spectant.

I. *De potestate Ecclesiae indulgentias concedendi.*

§ 658. Ecclesiam a Christo potestatem indulgentias concedendi obtinuisse, ex *S. Scriptura* et *Traditione* probatur.

1. Christus, Matth. XVI, 19, ait Petro: *Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Et Matth. XVIII, 18, ita Apostolos omnes affatur: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Unde sic ratiocinamur: Si Christi verba in amplissima sua significatione accipiantur, non solum solutionem a culpa et poena aeterna significant, verum etiam a poena temporali, quae, culpa et poena aeterna dimissis, luenda superest. Iam vero ad solam culpae ac poenae aeternae solutionem coarctari debere Christi verba, nunquam evincent adversarii. Nam haec circumscriptio seu coarctatio neque ex verbis ipsis, neque ex orationis serie, neque ex aliis Scripturae locis colligi potest, cum verba et contextus cuilibet restrictioni repugnent, neque ulla Scripturarum loca queant proferri, quae limitationem potestatis inducant. Sed neque ex Traditione aut sensu Ecclesiae eiusmodi limitatio erui potest, cuius potius auctoritas et praxis contrarium evincunt, ut mox ostendemus; neque denique ex ratione, quae nullam in hac concessione invenit repugnantiam, cum a sola Dei voluntate ea pendeat. Quin imo omnes regulae iuris clamant, etiamsi verba dubia essent, cum agatur de favore, in amplissima significatione ea esse intelligenda, multo vero magis si clarissima verba illa sint, prout sunt verba Christi. Praeterea tam late patet significatio vocis *solvendi*, quam patet vox *ligandi* in adductis Christi verbis; sed vox *ligandi* sese extendit etiam ad poenas temporales satisfactorias iniungendas: ergo et vox *solvendi*, ut perfecta antithesis subsistat protendi debet ad harum poenarum remissionem. Idem argumentum eruitur ex verbis Christi *Quorum remiseritis peccata remittuntur* etc. (1), quibus verbis Ecclesiae amplissima peccata remittendi potestas collata fuit. Peccata vero triplicem reatum involvunt, reatum culpae, reatum poenae aeternae et reatum poenae temporalis. Dubitari ergo non potest, per verba Christi sine restrictione prolata, Ecclesiae potestatem concedi hunc triplicem reatum tollendi. Ast per sacramentum poenitentiae tollit quidem Ecclesia reatum culpae et poenae aeternae, non autem semper integrum poenae temporalis reatum. Ne igitur contra amplissimam Christi concessionem potestas Ecclesiae restringatur, admittendum omnino est, ipsam extra sacramentum poenitentiae, per indulgentias reatum

(1) Ioan. 20, 23.

poenae temporalis remittere posse. Hanc potestatem Paulus exercuit. Nam incestuosum Corinthium tradidit Satanae, et gravi poenae subiecit (1). Cum autem resipuerit, et cor contritum et humiliatum ostenderet, Apostolus Corinthiis rescripsit se partem poenitentiae, quam poenitens adhuc persolvere deberet, potestate a Christo accepta remittere. Ait enim: *Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio haec* (2): *Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana* (3). Corinthii nimirum rogaverant Apostolum, ut incestuoso excommunicato et seriam poenitentiam agenti ignosceret et condonaret, quod supererat poenitentiae; annuit Paulus, et, iurisdictione extra sacramentum poenitentiae exercita praecepit, ut ipsi nomine suo et auctoritate sibi a Christo ad hoc collata partem residuam poenae incestuoso vere poenitenti remitterent, ne nimia absorptus tristitia ob nimiam severitatem, et ipse poenitens et caeteri Corinthii a Satana circumvenirentur. Ita hunc locum exponunt *S. Ambrosius* (4), *S. Pacianus* (5), *S. Chrysostomus* (6), *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, *S. Thomas* et alii.

2. *Traditionis* argumentum petitur ex perpetuo usu, et praxi Ecclesiae indulgentias concedendi. Iam saeculo II et III mos obtinuit, ut Episcopi ad preces eorum, qui in carceribus pro Christi fide mortem subituri martyres detinebantur, poenitentibus opera satisfactoria relaxarent. Cuius rei testes habemus antiquissimos Patres. Nam *Tertullianus* lib. ad martyr. (7) ait: « Pacem quidem in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt; » et licet lib. de pudicitia (8) indulgentias ab Episcopis ad preces martyrum concessas factus Montanista sugillet, earundem tamen usum aevo suo frequentem demonstrat. *S. Cyprianus* lib. de lapsis inquit: « Potest ille (Episcopus) indulgentiam dare, sententiam potest ille inflectere, poenitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere; potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint Sacerdotes. » Et Epist. 10 ad martyres et confessores n. 2 scribit: « Ad me litteras direxistis, quibus lapsis dari pacem postulastis... et lapsis quidem potest in hoc venia concedi... Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis etc. » Et Epist. 12 inquit: « Qui libellum a martyribus acceperunt, et auxilio eorum adiuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua et periculo coeperint, exomologesi facta et manu eis in poenitentiam imposita, cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. » Idem probat Epistola Cleri *Lugdunensis* apud Eusebium (9) et *Dionysius Alex.* apud eundem (10). — Saeculo IV et V, reddita Ecclesiae pace, et non occurrentibus supplicationibus aut libellis martyrum, usus tamen indulgentias concedendi, seu poenas temporales relaxandi non cessavit. *Conc. Ancyranum* an. 314, can. 5 de poenitentib. decernit: *Statuimus, ut Episcopi modo conversationis examinato potestatem habeant vel humanius erga eos agendi, vel plus temporis adiiciendi. Ante omnia autem*

(1) I Cor. 5, 4, etc. (2) II Cor. 2, 6.
(3) V. 10. (4) Lib. 1 de poenit. c. 6.
(5) Epist. 3 ad Sympron. (6) Hom. 4 in II Cor. (7) Cap. 1.
(8) Cap. 22. (9) Lib. 5 hist. eccl. c. 2.
(10) Lib. 6, c. 42.

et praecedens vita, et quae consecuta est, examinetur, et sic eis clementia impertiatur. Et can. 22: *Modus autem huius poenitentiae* (pro homicidio iniunctae) *in Episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem poenitentiam possint et extendere tardantibus, et minuere studiose festinantibus.* Idem decernitur in *Conc. Laodiceno* can. 2, et in *Neocaesareensi* can. 3. Ipsum quoque *Conc. Nicaenum I*, can. 11 definit: *Quotquot metu et lacrymis atque poenitentia, vel bonis operibus conversionem suam in re, non simulatione demonstrant, hi tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent. Postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.* — Ex iustis rationibus poenam temporalem relaxari posse docuerunt etiam Ss. Patres *S. Gregorius Nyss.* Epist. ad Letoi. can. 5 ait: « *Idem observabitur* ab eo, qui Ecclesiam administrat; et pro ratione conversionis illi quoque poenae extensio rescindetur, ut pro novem annis in unoquoque gradu vel octo vel septem vel quinque solum anni fiant, si poenitentiae magnitudo tempus vincat, et superet correctionis studio eos, qui in longo tempore praestituto susceptas a se maculas segniter eluunt. » S. *Ambrosius* (1) inquit: « Debemus cavere, ne remedium nostrum fiat eius (serpentis) triumphus. Circumvenimur ab eo, si per nimiam tristitiam pereat, qui potest liberari per indulgentiam. » *S. Augustinus* (2) scribit: « In actione poenitentiae, ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. » Idem tradunt *S. Petrus Alex.* (3), *S. Basilius* (4) (citatus a Photio), *Innocentius I* (5), *S. Leo M.* (6) — Saeculo VI *Vigilius P.* Epist. ad Eleuth. (7) inquit: « In aestimatione fraternitatis tuae aliorumque Pontificum per suas dioeceses relinquatur, ut si qualitas et poenitentis devotio fuerit approbata, indulgentiae quoque remedio sit vicina. » *S. Gregorius M.* populo Romano indulgentias stationum concessit. Saeculo VII *Conc. Trullanum* can. 2 sanxit, ut canones *Conc Ancyrani*, *S. Petri Alex.*, *Laodiceni*, *Nicaeni I* circa poenitentias iniungendas aut remittendas observarentur. Saeculis sequentibus pauca monumenta, eaque non satis certa extant, ex quibus indulgentiarum concessiones probentur; sed hoc silentium, utpote argumentum negativum, nil contra nos probat, praecipue cum ex disciplinae ecclesiasticae decremento, et ex paucitate scriptorum a saeculo octavo usque ad undecimum existentium declarari possit. — Saeculo XI ad finem vergente, *Urbanus II* in *Concilio Claromontano* profecturis ad liberandas a Saracenorum iugo Ierosolymas plenariam concessit indulgentiam; nam can. 2 dicitur: *Quicunque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniae adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Ierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni poenitentia ei reputetur.* Easdem successores Pontifices concesserunt, *Callistus II* in *Conc. Lateranensi I* an. 1123, *Eugenius III*, *Clemens III*, *Alexander III* in *Conc. Lateranensi III* an. 1179, plurimique alii. *Ipse S. Bernardus* indulgentias *ab Eugenio III* concessas promulgavit, ut patet ex l 2 de consid. can. 1. Narrat praeterea

(1) Lib. 1 de poenit. c. 17, n. 93.
(2) In Enchir. cap. 65, n. 17.
(3) Can. poenit. 11.
(4) Ep. ad Amphil. c. 54.
(5) Ep. 1, c. 7. (6) Ep. 79, c. 5.
(7) Ep. 2, c. 3.

idem S. Doctor (1) ingentem fuisse hominum multitudinem, qui ad lucrandas indulgentias sacrae militiae labores suscepere; scribit enim: « Vacuantur urbes et castella, et pene iam non inveniunt, quem apprehendant septem mulieres virum unum; adeo ubique viduae vivis remanent viris. » Istae autem indulgentiae, nemine reclamante, aut potestatem Ecclesiae in dubium vocante, concessae fuerunt. — Cum autem quidam Episcopi in concedendis indulgentiis iusto liberaliores essent, Ecclesia ad praecavendos indulgentiarum abusus, in *Conc. Lateranensi IV* statuit can. 62: *Decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum; - ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis poenitentiis remissio non excedat. Ad hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras praecipimus moderari, quae pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur, cum Roman. Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.* — Argumentum traditionis graves theologi confirmant ex praxi Ecclesiae, qua ii qui in capite quadragesimae, facta confessione, sacramentaliter absoluti fuerant, feria V maioris hebdomadae, nempe in Coena Domini ab Episcopis iterum reconciliabantur, et ab ulteriori poenitentia et poena absolvebantur. Ad hunc morem alludunt S. *Ambrosius* (2), *Innocentius I* (3), *Leo M.* (4), *Conc. Carthaginense IV* (5) can. 80, *Agathense* (6) can. 18. In hac praxi Ecclesiae vera poenarum temporalium remissio seu vera indulgentia occurrit. Hanc autem praxin per decem priora Ecclesiae saecula viguisse multis ex monumentis ostendit *Eusebius Amort* in praeclaro opere *De origine, progressu, valore et fructu indulgentiarum* (7). Accedit, nullum hactenus indicari potuisse auctorem indulgentiarum Christo posteriorem, neque locum neque tempus assignari, quo post aevum apostolicum praedicari coeperint. Omnes enim, qui de indulgentiis mentionem faciunt, sive Concilia, sive Pontifices, sive Doctores, de iis ut de re usitata et recepta loquuntur. Merito igitur *Conc. Tridentinum* Sess. XXV. decr. de indulg. definivit: *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* De fide ergo credendum est, usum indulgentiarum populo christiano salutarem esse, et in Ecclesia eas concedendi potestatem esse. Falluntur ergo illi qui asserunt, de indulgentiis nullum haberi catholicum dogma.

Nota. Mirum non est, Protestantes Ecclesiae potestatem indulgentias concedendi denegare, cum eidem etiam legislativam, iudiciariam et coërcitivam potestatem adscribere renuant. Caeterum quicumque propria auctoritate poenas dictare valet, easdem etiam ex iustis causis remittere potest. Quaecunque ergo probant, Ecclesiam a Christo accepisse pote-

(1) Epist. 246.
(2) Lib. 1 de poenit. c. 15, n. 81 et 83.
(3) Ep. 1 ad Decent. c. 7.
(4) Serm. 10 (al. 44), de quadrag. 6, c. 1.
(5) An. 398.
(6) An. 506.
(7) Aug. Vind. 1735, p. 1, diss. praelimin. apolog. pro indulgentiis § 2.

statem legislativam, iudiciariam et coërcitivam, eamque semper exercuisse(1), ea etiam probant, Ecclesiam iustis de causis poenas temporales propter commissa peccata impositas remittere posse. Non negamus quidem, satisfactiones temporales post culpae remissionem debitas esse iuris divini, seu a divina iustitia exactas: quamvis autem humana potestas per se non possit dispensare in iis, quae sunt iuris divini, potest tamen id Ecclesia potestate a Christo accepta. Eadem enim ratione potest dispensare a satisfactionibus iure divino debitis, qua in tribunali poenitentiae facultate a Christo accepta, culpas remittit seu peccata, quae *nemo potest dimittere, nisi solus Deus*, ut dicitur Marc. II, 7. — Neque per doctrinam catholicam de indulgentiis satisfactio infinita a Christo praestita obscuratur. Sicuti enim nihil derogatur meritis Christi, dum dicitur, hominem per baptismum iustificari, quia per hoc sacramentum ex institutione divina merita Christi applicantur, ita etiam per doctrinam catholicam, de qua agimus, merita Christi satisfactoria non obscurantur, sed exaltantur, quia etiam per indulgentias ab Ecclesia concessas merita Christi satisfactoria homini poenitenti applicantur. Multa quidem alia obiiciunt Protestantes, quae autem maxima ex parte ex falso, quem sibi de indulgentiis fingunt, conceptu oriuntur, et ideo per rectam doctrinae catholicae expositionem optime refelluntur. Caeterum perbene cl. *Liebermann* ostendit, quam inique Protestantes Ecclesiae potestatem concedendi indulgentias denegent; ait enim de sacr. poenit. (2): « Ipsi cum in indulgentias Catholicorum invehuntur, longe maiorem sibi tribuunt auctoritatem: nam omni poenitentiae actu sublato non culpae tantum, sed omnis etiam poenae plenariam indulgentiam promittunt, dummodo vel uno fidei actu Christum cum omnibus suis meritis mente concipiamus. »

(1) V. Theol. gen. § 221 et seq.

II. *De thesauro meritorum Christi et sanctorum Ecclesiae dispensationi commisso.*

§ 659. Ut doctrina de potestate Ecclesiae indulgentias concedendi et de istarum efficacia et utilitate debita in luce collocetur, considerandus est *thesaurus*, qui primario ex infinitis meritis Christi, et secundario ex meritis B. V. Mariae et sanctorum coalescit, et Ecclesiae dispensationi commissus est. Neque arduum est, huius thesauri tum qualitatem declarare, tum existentiam probare. Nam iuxta doctrinam catholicam opera bona et *meritoria* et *impetratoria* et *satisfactoria* sunt. *Meritoria* in sensu stricto, quatenus internam moralem dignitatem et ius ad aeternam mercedem involvunt, sibi tantum sunt et non aliis; id est, ille solus, qui bonum opus perficit, internam moralem dignitatem acquirit, et ius ad aeternam mercedem obtinet, quod alteri communicare non potest. *Impetratoria* sunt bona opera tum sibi, tum aliis; potest enim homo preces fundere, eleemosynas conferre, etc., ut pro se, aut etiam pro aliis a bonitate divina gratias impetret. *Satisfactoria* pariter sunt nobis et aliis, quia sunt proprie compensatio poenae seu solutio debiti; atqui poenam compensare sive debitum solvere manifeste non tantum pro nobis, sed et pro alio possumus, pro hoc scilicet ex iis, quibus ad propria debita solvenda non indigemus. — Iam vero cum dicimus, thesaurum constare ex *meritis*, ne-

(2) Cap. 4, art 3, resp. ad obi. 3.

ritorum nomen latiori sensu usurpatur, nempe pro *satisfactionibus*, atque, ut nonnullis placet, etiam pro *impetrationibus;* seu, ut alii theologi loquuntur, thesaurus Ecclesiae non ex *meritis remuneratoriis*, quae aliis communicari nequeunt, sed *ex meritis impetratoriis*, praecipue vero, *ex meritis satisfactoriis* Christi et sanctorum coalescit. Primario quidem et praecipue thesaurus Ecclesiae constat ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis et superabundantibus. Fide enim catholica certum est, Christum esse Deum et hominem, et esse *propitiationem et redemptionem pro omnibus* (1), ac consequenter merita ipsius et satisfactiones infiniti ac supereffluentis valoris esse et abunde sufficere sicut ad reatum culpae et poenae aeternae, ita etiam ad reatum poenae temporalis tollendum. Neque dubitari potest, etiam ad hunc finem nobis merita Christi satisfactoria donari: ait enim Apostolus: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* (2)? et: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis* (3): ergo infinitum satisfactionum thesaurum Ecclesiae acquisivit, eiusque dispensationi commisit. Sicuti enim Ecclesia merita Christi satisfactoria in baptismo et in sacramento poenitentiae dispensat ad tollendum reatum culpae et poenae aeternae; ita Ecclesia etiam extra sacramentum poenitentiae eadem merita per indulgentias dispensat ad reatum poenae temporalis tollendum. Id docet *Clemens VI* in extrav. *Unigenitus* tit. de poenit. et remis. dicens. « Unigenitus Dei filius... in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse... Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit?... Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum coeli clavigerum eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, et propriis et rationabilibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae tam generaliter quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum. » — Secundario ad thesaurum Ecclesiae etiam merita sanctorum satisfactoria pertinent: hoc autem non adiungimus meritis Christi, quasi ista non sufficerent ad constituendum thesaurum Ecclesiae, sed ut illa otiosa non sint, et ut sancti hoc honore gaudeant, imo ut vis et efficacia meritorum Christi magis eluceat et commendetur, utpote quae ipsis etiam sanctorum bonis operibus, ut nobis aliquid mereantur, virtutem et efficaciam influunt et communicant. Sicuti enim Deus, licet omnipotens sit, in mundi tamen gubernatione causis secundariis utitur, eisque virtutem effectus producendi tribuit, per quod autem ipsius omnipotentia non obscuratur, sed glorificatur: ita etiam, dum Christus per gratiam suam in sanctis bona opera producit, quae quoad virtutem satisfactionis etiam aliis prodesse possunt, merita ipsius infinita non obscurantur, sed glorificantur. Nemo praeterea dubitat, in-

(1) I Io. 2, 2; Coloss. 2, 14. (2) Rom. 8, 32. (3) II Cor. 8, 9.

terpellationem Christi efficacissimam esse; et tamen, teste Scriptura tum sancti in coelo (1), tum iusti in terra (2) per intercessiones suas bona pro aliis obtinere possunt. Inter ipsos Protestantes nemo est, qui dicat, non esse pro se et pro aliis orandum, ne interpellationi Christi iniuria inferatur: ast per satisfactiones sanctorum tam parum meritis Christi derogatur, quam parum interpellationi Christi orationibus iustorum, quas pro aliis ad Deum fundunt. Admirari potius debemus immensam Christi bonitatem, qui ut supremum Ecclesiae caput etiam membris suis talem virtutem et efficaciam tribuit, qua aliorum quoque spirituale bonum promovere possint: quidquid autem ex hoc honoris in membra vergit, ultimato iterum in gloriam capitis redundat. Hinc *Catechismus romanus* (3) ait: « In eo vero summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere. » Vere autem merita sanctorum satisfactoria ad thesaurum Ecclesiae concurrere et pertinere, ita ut per ea non modo via suffragii et impetrationis, sed etiam solutionis poenae temporales extingui possint, sequentibus argumentis probatur.

1. *Ratio theologica* petitur ex articulo symboli de communione sanctorum. Quid enim aliud est ista communio, quam bonorum operum ac meritorum societas et communicatio, ut quod ab uno agitur, ad alios quoque iure pertineat? membra scilicet eiusdem corporis sese mutuo iuvant. « Ecclesia, ait *S. Ambrosius* (4), in commune orat, in commune operatur, » quod, si de operibus bonis quoad dignitatem moralem et ius ad aeternam mercedem locum non habet, intelligendum est de bonis operibus quoad vim impetratoriam et remuneratoriam. Hinc *S. Thomas* in supplem. (5) dicit: « Ratio autem, quare valere possint (satisfactiones sanctorum), est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, et multas etiam tribulationes iniustas sustinuerunt patienter, etc. » Et sane bene multi sunt sancti, qui suis satisfactionibus ac bonis operibus plus solvunt pro temporali poena, quam reipsa debeant ac mereantur eorum peccata. An non B. Virgo perfectissimas continuo virtutes exercuit, et plus passa est in hac mortali vita, quam debuerit, quandoquidem nulli omnino peccato sive originali sive actuali obnoxia fuit? An non plus quam meruit, passus est S. Ioannes Baptista in utero materno sanctificatus, qui tam pie et austere vixit, ut ne levi quidem macula vitam suam asperserit? An non apostoli, totque martyres plura dura et acerba sustinuerunt, quam eorum noxae mererentur? Certe quovis tempore in Ecclesia sancti floruerunt, qui, cum iam perfectae charitatis ardore omnem poenae temporalis reatum extinxissent, nihilominus pia opera exercere, et arduos poenitentiae labores perferre nunquam destiterunt. Plenam quidem sancti pro operibus suis mercedem in coelo receperunt; sed quoniam in quolibet opere bono praeter meritum remuneratorium datur etiam meritum satisfactorium, haec ipsa merita satisfactoria, quibus sancti non indiguerunt, et quae minime perierunt, nec oblivioni tradita sunt, sed vivunt

(1) II Machab. 15, 14.
(2) Rom. 15, 30. Eph. 6, 19; Iac. 5, 16.
(3) P. 2, c. 5, n. 76. (4) L. 1 de offic. c. 29.
(5) Q. 25, art. 1.

ac permanent ante oculos Dei, profluunt in thesaurum Ecclesiae dispensationi commissum. Ideo S. *Thomas* loc. cit. dicit: «Dictum est q. 63, art. 2, quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt (alias absque omni indulgentia consequeretur remissionem), sed communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus (1) ait: se adimplere ea, quae desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia, ad quam scribit. Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem, quae sunt alicuius multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium eius, qui multitudini praeest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi per eum, qui potest, distribuatur. »

2. *S. Scriptura* huic doctrinae non solum non contradicit, sed potius eandem confirmat. Paulus enim, hortans Corinthios ad eleemosynam pauperibus, qui Ierosolymis degebant, prompto animo tribuendam scribit: *In praesenti tempore vestra abundantia* (bonorum temporalium) *illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia* (bonorum spiritualium) *vestrae inopiae* (spiritualis) *sit supplementum, ut fiat aequalitas* (2). Et ad Col. dicit: *Gaudeo in passionibus pro vobis* (pro vestra spirituali salute), *et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi* (non ex harum insufficientia, sed iuxta ordinationem divinam), *in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia* (3): quibus verbis sat clare Apostolus docet, opera bona, seu passiones iustorum aliis prodesse fidelibus, hisque eapropter applicari posse.

2. *Ss. Patres* eidem doctrinae suffragantur. *S. Ambrosius* (4) loquens de incestuoso Corinthio, cui Apostolus indulgentiam dedit, inquit: «Iam tum igitur Apostolus reddendum sacramentis iudicavit coelestibus, si purgari se ipse vellet. Et bene ait: *expurgate;* veluti enim operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato, et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiae suae, ut unum per omnes redimeret, quae Domini Iesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur. » Atque (5): « Consideremus ipsum Apostoli sermonem: *expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Sive quod tota Ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum et fletu et oratione et dolore est, et quasi fermento eius se totam conspergat, ut per universos ea, quae superflua sunt in aliquo poenitentiam agente viritim misericordiae aut compassionis, velut collativa quadam admixtione purgentur. » *S. Chrysostomus* docet spiritualem Ecclesiae thesaurum componi ex cunctis simul in unum coalescentibus martyrum meritis, horum nullum temporis lapsu exhauriri, ideoque thesaurum istum nunquam minui, sed quotidie augeri. Ait enim Hom. in Ss. Mm. Iuventinum et Maximinum: « Eiusmodi est *thesaurus Ecclesiae;* novas et veteres habet margaritas, sed una omnium est pulcritudo. Eorum (martyrum) flos neque marcescit, neque defluit

(1) Coloss. 1, 24. (2) II Cor. 8, 14.
(3) Coloss. 1, 24.
(4) De poenit. lib. 1, cap. 15, n. 80.
(5) N. 81.

tempore. Nescit vetustatis rubiginem splendoris istius natura. Temporis diuturnitate opes, quae ad corpora spectant, facile intereunt... At non sic res se habet in spiritualibus thesauris, de martyribus, inquam, qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem iuventutis flore sunt, semper suae gloriae fulgorem emittunt et radios. » Iam ante S. Chrysostomum hanc fidem in Ecclesia viguisse semperque creditum esse, per intercessiones et merita martyrum poenas aliorum temporales dilui posse, ex modo colligitur, quo *Tertullianus* ad Montani partes abreptus, martyres, quod sibi assumerent potestatem dimittendi per merita sua poenas divinae iustitiae debitas, sugillat (1) scribens: « Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Filius Dei? — Ad hoc enim venerat, ut ipse a delicto purus et omnino sanctus pro peccatoribus obiret. Proinde qui illum aemularis donando delicta, si nil ipse deliquisti, plane patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit? » Ex quibus verbis manifeste patet, psychicis, quos impugnat Montanista, id est, Catholicis probatam et usurpatam fidem fuisse, martyrum passiones aliis applicari posse, et etiam in Ecclesia applicatas fuisse, quibus ad preces martyrum indulgentia concedebatur.

4. Auctoritate Roman. Pontificum doctrina confirmatur. *Clemens VI* loc. c. cum dixisset, thesaurum Ecclesiae praecipue constare ex meritis Christi, subiungit: « Ad cuius quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur: de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum tum propter infinita Christi merita, tum pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. » *Leo X* hunc Lutheri articulum (n. 17) damnavit: « Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi, et sanctorum. » *Pius V, Gregorius XIII* et *Urbanus VIII* hanc Baii propositionem (n. 60) atro stigmate notarunt: « Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur. » *A Pio VI Synodi Pistoriensis* propositio (n. 41), quae asserit, « Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationem meritorum: — quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum, declaratur *falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in articulo* 17 *Lutheri damnata.* »

Nota 1. Thesaurum Ecclesiae ex meritis Christi et sanctorum coalescere dogma quidem fidei non est, sed veritas theologice certa et fidei proxima, quod ex damnatione propositionum ei oppositarum facile colligitur. Quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus sanctorum, id est, an applicetur pars una satisfa-

(1) Lib. de pudic. c. 22.

ctionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus sanctorum : an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, et superaddantur ad cumulum passiones sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum, ut recte monet *Bellarminus* (1). Certum est, dari thesaurum, eumque ab Ecclesia dispensari posse; modus autem, quo distribuitur et a Deo acceptatur, nobis patefactus non est, sed ab eo penitus pendet, cuius iudicia incomprehensibilia et investigabiles viae sunt. Dantur quidem theologi catholici, qui cum *Christ. Lupo* (2) asserunt, merita et passiones sanctorum solummodo via suffragii et impetrationis seu de congruo nobis prodesse posse, nec aliam virtutem in Ecclesiae thesauro habere. Ast argumenta iam allata clare ostendunt, satisfactiones sanctorum vim *verae solutionis debiti* habere, nec dubitari potest, talem esse mentem Rom. Pontificum in applicatione thesauri, et non *impetrationis* tantum.

Nota 2. Variis difficultatibus, quae nobis ab adversariis opponuntur, iam in doctrinae expositione obviatum est: aliquae tamen enodandae supersunt.

Obi. I. Doctrina proposita nova est, a scholasticis demum saeculo decimo tertio excogitata. Decantatus enim *thesaurus* neque a S. Scriptura, neque a Ss. Patribus commemoratur. Nec ullibi dicitur, Ecclesiam merita Christi dispensare posse extra sacramenta, quae sola tanquam instrumenta gratiae instituta sunt.

Resp. Illicitum non esse, ad fidei dogmata pressius enuntianda novis vocibus uti, discimus ex *Concilio Nicaeno I*, quod contra Arianos vocem *consubstantialis* adhibuit. Quidni scholastici ad praesentem doctrinam declarandam vocem *thesauri* adhibere potuerunt? Novum sit hoc vocabulum, sed nova non est unitas corporis Christi mystici, nova non est sanctorum communio, nova non est infinitas meritorum Christi huius corporis capitis: novus non est cumulus passionum, quas sancti ultra poenas eorum peccatis debitas sustinuerunt: quinimo ipsa vox *thesauri* iam a *S. Chrysostomo* loc. cit. (3) adhibita fuit. Huius vero thesauri dispensationem Ecclesiae commissam esse, in ipsa S. Scriptura indigitatur. Nam Apostolus scribit: *Dedit* (Deus) *nobis ministerium reconciliationis* (4); quae verba cum generalissima sint, complectuntur ministerium reconciliationis tum per praedicationem, tum per sacramenta, tum extra sacramenta. Docet praeterea Apostolos esse *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (5), quavis demum ratione haec dispensentur. Hinc quemadmodum Christus Ecclesiae concessit applicationem meritorum suorum per sacramentorum administrationem, eandem illi commisit applicationem faciendam virtute clavium, quas ei tradidit. Nam ut apposite *S. Thomas* observat (6): « Meritum Christi, - etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum. »

Obi. II. Commixtio satisfactionum sanctorum cum meritis et satisfactionibus Christi vergit in iniuriam Christi, quia satisfactiones sanctorum tali modo eodem habentur loco, quo satisfactiones Christi, et sancti dici pos-

(1) Lib. 1 de indulg. cap. 4, n. 4.
(2) Diss. de indulg. c. 7.
(3) Hom. in Ss. Mart. Iuventinum et Maximinum. (4) II Cor. 5, 18. (5) I Cor. 4, 1.
(6) In supplem. q. 25. art. 1.

sunt redemptores nostri, cum Scriptura dicat: *unus* est *mediator Dei et hominum homo Christus Iesus* (1). Recte ideo Ss. Patres negant, sanctos nos redimere, seu pro nobis satisfacere potuisse. Ita *Leo M.* (2) scribit: « Quamvis multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas: et de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiae, non dona iustitiae. Singulares quippe eorum mortes fuere, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum unus extiterit Dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati. »

Resp. Si dicitur, thesaurum Ecclesiae constare ex meritis Christi et sanctorum, tam parum iniuria infertur Christo, quam parum Deus derogavit honori suo, quando nomen Davidis adiunxit nomini suo utroque motus ad protegendam Ierusalem, ut habetur IV Reg. c. XIX: *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me et propter David servum meum.* Ita pariter Apostoli iniuriam Spiritui sancto non intulerunt, nec se isti pares fecerunt, cum dicebant: *Visum est Spiritui sancto et nobis* (3). Eodem modo nos nullam iniuriam Christo inferimus, quia profitemur, satisfactiones Christi esse infinitas, satisfactiones vero sanctorum esse finitas, et totam suam virtutem a Christo tanquam a fonte recipere. Neque ex nostra doctrina sequitur, sanctos esse redemptores nostros: nam is solus est proprius et primarius Redemptor, qui pro peccatis nostris condignam satisfactionem praestitit, nosque a captivitate daemonis et morte aeterna liberavit, et talis est solus Christus, quod *S. Leo* l. c. dicit, alii Patres asserunt, et omnes Catholici fatentur. Hoc autem non obstat, quin sancti sint nostri redemptores secundarii quoad poenas finitas et temporales, quatenus nempe debitum solvunt pro nobis, quo sensu damnata est propositio Baii: « Per passiones sanctorum in indulgentiis non proprie redimuntur nostra delicta. »

(1) I Tim. 2 5. (2) Epist. 124.

III. *De Indulgentiarum efficacia et utilitate.*

§ 660. *Concilium Tridentinum* (4) in decreto de indulgentiis, *Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui* (eas) *inutiles esse asserunt.* De fide igitur est, indulgentias utiles esse, earundemque usum Christiano populo maxime salutarem. Ideo in fidei catholicae professione a *Pio IV* edita fidelis quilibet profiteri tenetur, *Indulgentiarum potestatem a Christo, in Ecclesia relictam esse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse. Concilium* autem *Tridentinum* non declaravit, qua ratione indulgentiae utiles sint, et quousque se earundem efficacia extendat. Hinc sicuti ante, ita et post *Concil. Tridentinum* nonnulli theologi extiterunt, qui contenderent, per indulgentias solummodo poenas canonicas, seu poenitentias ab Ecclesia iniunctas remitti in foro externo, seu coram Ecclesia, atque ideo condonata poenitentia publica poenam temporalem peccatis debitam coram Deo luendam manere. Sed haec sententia nullatenus admitti potest; nam iuxta doctrinam catholicam indulgentiae liberant hominem a poena temporali non solum coram Ecclesia, sed etiam coram

(3) Act. 15 28. (4) Sess. 25.

Deo. Quamvis autem haec doctrina non sit fidei dogma, tam firmis tamen nititur argumentis, ut *theologice certa et fidei proxima* dicenda sit.

1. *S. Scriptura* expresse testatur, ea, quae ab Apostolis eorumque successoribus solvuntur *super terram*, esse *soluta et in coelo* (1): quibus verbis significatur, easdem poenas, quae a pastoribus remittuntur in terris, remitti etiam a Deo in coelis. Idem confirmatur ex verbis Christi: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (2); quibus verbis Apostolis plena peccata quoad reatum culpae, poenae aeternae et temporalis remittendi potestas tradita est: sicuti ergo remittentibus Apostolis reatum culpae et poenae aeternae idem etiam a Deo remittitur, ita pariter indulgentiam concedentibus Apostolis reatus poenae temporalis a Deo quoque remittitur. Ideo Apostolus (3) profitetur, se donasse incestuoso Corinthio residuam adhuc poenae partem *in persona Christi* seu in nomine, id est, vice et auctoritate Christi, quemadmodum eum *in nomine D. N. I. C.*, et *cum virtute Domini nostri Iesu* Satanae tradiderat; quod si autem Christus relaxasset poenas, certe relaxasset et Deo debitas. His accedit, quod Apostolus declaret, se in spiritualem Corinthii utilitatem donationem perfecisse, ne ab ingressu coeli impediretur, sed *ut spiritus salvus esset in die Domini nostri Iesu Christi*.

2. *Traditio* idem confirmat. Nam antiqua Ecclesia plane existimavit, per indulgentias non tantum solvi poenas ecclesiasticas, verum etiam Deo debitas. Ob hanc fidem *Tertullianus Montanista* (4) Ecclesiam catholicam acriter arguit, ita ut etiam exclamet: « Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Filius Dei? » Quibus verbis solutio poenarum pro lapsis a martyribus factarum comparatur cum solutione peracta a Christo, quae immediate Deo facta est. *S. Cyprianus* (5) scribit: « Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, et praerogativa eorum *apud Deum iuvari possunt*, etc. » Unde et populus Carthaginensis persuasum habebat, se per libellos martyrum *pacem in coelis habere*, ut testantur presbyteri et diaconi Romae consistentes in litteris ad Cyprianum missis (6), *Petrus Alex.*, can. 11 censet, per martyrum intercessionem lapsis *Dei bonitatem* conciliari per eum, qui est nobis *advocatus apud Patrem*, se nostris peccatis propitium exhibentem. Hanc veniam coram Deo deprecati sunt reipsa martyres, teste *Eusebio* (7): « Materna quaedam misericordiae viscera gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum lapsorum salute coram Deo Patre fundentes vitam petierunt. » Idem patet ex formula, qua feria V *in Coena Domini* ab Episcopis fidelibus poenitentia relaxabatur, quaeque adhuc legitur *in Ordine romano:* « Deus humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator, - agnosce oves tuae redemptionis, et constrictas vinculis peccatorum Ecclesiae tuae precibus exoratus absolve » (8). Concilia in concessione indulgentiarum ad misericordiam et bonitatem Dei provocant, ut *Laodicenum* can. 8, *Valentinum* can. 1, *Trullanum* can. 2. — Romani Pontifices spectarunt indulgentias ut peccatorum remedia,

(1) Matth. 18, 18. (2) Io. 20, 23.
(3) II Cor. 2. (4) Lib. de pudic. cap. ult.
(5) Epist. 12.
(6) Inter Epp. S. Cypr. 30, n. 1.
(7) Hist. Eccl. cap. 1.
(8) Bibl. m. PP. Lugd. tom. 13, p. 685.

vulnerum per peccata inflictorum medicamenta, iustitiae divinae praestitas satisfactiones, ut *Caelestinus* Epist. ad Episc. Gall. (1), *Leo M.* Ep. ad Rustic., *Zacharias* Ep. ad Pipin. et Episc., *Urbanus II* in bulla *Nostis fratres*, etc.

3. *Scholasticorum magistri* eandem doctrinam propugnarunt. *S. Thomas* (2) inquit: « Indulgentiae valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad iudicium Dei ad remissionem poenae residuae post contritionem, confessionem et absolutionem, sive sit iniuncta sive non. » Et in supplem. (3) totus in eo est, ut eos refellat, qui dicunt: « Quod (indulgentiae) non valent ad absolvendum a reatu poenae, quam quis in purgatorio secundum iudicium Dei meretur. » *S. Bonaventura* (4) ait: « Poenae relaxatio fieri potest non modo in foro Ecclesiae, sed etiam in foro Dei, ita ut maior taxetur in minorem, cui residuo merita Ecclesiae satisfaciunt. » Constat porro, generatim scholasticos propugnasse, existere *thesaurum* ex meritis Christi et sanctorum consistentem ac Ecclesiae dispensationi commissum: hanc vero doctrinam ideo tantum proposuerunt, ut ostendant, Ecclesiam ex praefato thesauro iustitiae divinae debita illa solvere, quae poenitentibus etiam post obtentam iustificationem solvenda remanent.

4. *Concil. Tridentinum* decretum suum contra Novatores condidit, qui potestatem concedendi indulgentias Ecclesiae denegabant: sed Novatores nunquam negarunt, Ecclesiam posse remittere poenas, quas ipsamet propter disciplinam et externam politiam statuerat, sed potestatem impugnarunt per indulgentias in foro interno remittendi poenas temporales iustitiae divinae debitas: mens ergo Concilii fuit, hanc suam potestatem contra adversarios vindicandi. Praeterea decretum Concilii anathemate damnat eos, qui indulgentias inutiles esse asserunt: atqui si non valerent in foro Dei, non tantum inutiles essent, sed et perniciosae; nam, ait *S. Thomas* (5): « Ecclesia huiusmodi indulgentias faciens magis damnificaret, quam adiuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis iniunctis. » Denique quando Concilium in eodem decreto declaravit, usum indulgentiarum, utpote populo christiano maxime salutarem, in Ecclesia retinendum esse, iam dudum cessaverat usus canonicae satisfactionis; ex quo consequitur, si indulgentia nihil est aliud, quam poenae canonicae relaxatio, sensum decreti ridiculum esse et absonum, cum in isto declararetur, in Ecclesia retinendum esse usum poenas remittendi, quae non amplius imponuntur.

5. *Romani Pontifices* propositiones nostrae doctrinae contrarias confixerunt. *Sixtus IV* hanc *Petri de Osma* propositionem damnavit: « Romanus Pontifex purgatorii poenam remittere non potest. » *Leo X* articulum 19 *Lutheri* confixit: « Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam. » Et a *Pio VI* propositio *Synodi Pistoriensis* asserens: « Indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti, - quasi indulgentia praeter nudam remissionem poe-

(1) Cap. 11. (2) In 4 dist. 20, q. 1, art. 3. (3) Q. 25, art. 1.

(4) In 4 sent. dist. 26. p. 2, art. 1 q. 2. (5) In suppl. q. 25.

nae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam (declaratur) *falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa* etc. » (1).

Nota 1. Quamvis certum sit, per indulgentias poenas temporales etiam coram tribunali divino remitti, non ita tamen certum est, quantum per indulgentiam de poena temporali remittatur: communior tamen theologorum sententia est, tantum coram Deo de poena temporali remitti, quantum remissum fuisset, si quis poenam canonicam sustinuisset. Itaque per indulgentiam ex. gr. 7 annorum, aut 40 dierum non significatur tot annos vel dies purgatorii remitti, sed significatur, tantum remitti de poenis debitis, quantum remissum fuisset per poenitentiam 7 annis, vel 40 diebus secundum rigorem antiquorum canonum peractam. Dubitari igitur non potest, indulgentias populo christiano utilissimas esse, et quidem non tantum magnis peccatoribus, quibus magna et diuturna poena incumbit, sed etiam iustis, qui sicut a negligentiis et peccatis venialibus, ita etiam a reatu poenarum temporalium immunes non sunt. Nam omnibus utile est liberari ab illis rebus, quae retardare possunt adeptionem summi boni; talis est autem reatus poenae temporalis, qui tollitur per indulgentiam. Quid utilius et optabilius debitori, qui solvendo non est, et tamen ad solvendum urgetur, alioquin acerbissima passurus, quam si inveniat quemquam, qui omnia eius debita dissolvat? Talem autem se exhibet Ecclesia, quae ex thesauro sibi commisso debita poenitentium solvit. Quoniam autem indulgentiae solum vere poenitentibus, nempe contritis, confessis, satisfacere Deo paratis et pia opera praescripta perficientibus conceduntur, manifestum est, quod indulgentiae valde conferant ad verae poenitentiae spiritum excitandum, et ad fidei, spei, charitatis, devotionis omnisque pietatis augmentum promovendum. Experientia teste, quia ad lucrandam indulgentiam plenariam confessio et s. communio praescribuntur, per illam homines etiam tepidiores ad haec sacramenta frequentanda excitantur, quae alias cum maximo animarum detrimento negligerentur.

Nota 2. Contra efficaciam et utilitatem indulgentiarum sequentia obiiciuntur.

Obi. I. Magni nominis theologi docent, indulgentias esse tantum relaxationes poenae *iniunctae*, non autem poenae iniungendae. Imo Ecclesia id semper in usu habuit, ut indulgentiis hanc particulam adderet: *de poenitentiis iniunctis*. Ita *Leo X* in *Conc. Lateranensi V* ait: «De omnipotentis Dei misericordia - confisi 100 dies de iniunctis poenitentiis relaxamus. » Ergo per indulgentias relaxantur poenae ab Ecclesia iniunctae, non autem poenae a Deo iniungendae in purgatorio: ex quo patet eas non valere in foro Dei.

Resp. Citati theologi per poenam iniunctam non tantum poenitentiam intelligunt a Sacerdote in sacramento impositam, sed etiam a canone praescriptam; et omnes pariter fatentur, indulgentias, cum a poenis iniunctis liberant, indirecte et mediate poenas relaxare coram Deo debitas (2). Multo plures autem theologi cum *Bellarmino* docent, indulgentias solvere a poenis, sive iniunctae illae sint sive iniungendae. Recepta quidem in veteri Ecclesia passim erat formula, ut

(1) V. B. *Auctorem fidei*, prop. 40.

(2) V. Maldonat. de Indulg. q. 1, p. 2.

indulgentia concederetur de poenis iniunctis per canonicas sanctiones; licet vero hae canonicae poenitentiae in desuetudinem venerint, retenta tamen est formula illa ad significandam remissionem illius poenitentiae, quae illis sanctionibus responderent. Nunc igitur formula: *de poenis iniunctis* intelligenda est de poenis, quibus obstrictus est peccator coram Deo. Caeterum in multis indulgentiarum concessionibus praedicta formula non invenitur.

Obi. II. Indulgentiae cedunt non in aedificationem, sed in destructionem populi christiani, quia inducunt fideles ad satisfactionem alienam quaerendam, et eos a propria satisfactione et propterea a bonis operibus, ieiuniis, eleemosynis, orationibus frequentandis revocant, negligentiam fovent, spiritum poenitentiae extinguunt, peccati horrorem minuunt, et facilem reditum ad illud reddunt. Non conveniunt ergo indulgentiae neque peccatoribus, quibus propriae satisfactiones medicinae sunt et remedia contra relapsum, neque iustis et perfectis, quorum non est poenas fugere, sed eas potius quaerere et merita sua augere.

Resp. Sequelae ab adversariis adductae non profluunt ex indulgentiarum usu, si recte attendatur doctrina catholica, iuxta quam solis contritis, confessis et satisfacere paratis, id est, vere poenitentibus indulgentiae conceduntur. Peccatores vero per indulgentias non eximuntur a poenitentiis medicinalibus, seu a remediis necessariis aut valde utilibus ad relapsum praecavendum, ad quae adhibenda lege divina obligantur. Valde utile autem et salutare est omnibus etiam perfectis, liberari ab eo, quod summi boni fruitionem retardat, cuiusmodi est reatus poenae temporalis in purgatorio expiandus. Atqui indulgentia hoc impedimentum tollit; ergo omnibus, etiam perfectis utilis est. Utilius sane et totius est utrumque praestare, nempe et satisfactiones debitas peragere, et indulgentias quaerere, quam praecise satisfacere; nam nemo scire potest, an operibus suis bonis ac laboriosis plene satisfecerit iustitiae divinae. Id autem quilibet Catholicus cognoscit, quod per proprias satisfactiones et opera bona non solum temporalia debita extinguat, sed maxima etiam merita sibi comparet.

IV. *Doctrina reliqua de Indulgentiis.*

§ 661. Dum de indulgentiis agitur, etiam quaeritur: *Quinam indulgentias concedere possint? An ad istas concedendas iusta causa requiratur? Quaenam dispositiones ad lucrandas indulgentias necessariae sint?* et *an indulgentiae etiam animabus purgatorii applicari possint?* Ad has quaestiones ita breviter respondemus.

1. Solus Papa et Episcopi habent potestatem concedendi indulgentias. Nam *Martinus V* in *Conc. Constantiensi* de haeresi Wicleffi suspectos interrogari iubet: *Utrum credant, quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, et quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem Ss. canonum possint etiam illas concedere.* Ex qua constitutione constat: 1° Summum Pontificem habere potestatem concedendi indulgentias plenarias omnibus fidelibus; cum enim sit supremus pastor, ad ipsum quasi iure innato pertinet, publica Ecclesiae bona per solemnes indulgentias dispensare: ipsi enim specialiter dictum est: *Tibi dabo claves regni coelorum: quodcunque solveris super terram, erit solutum et in*

coelis (1) etc.; 2° Episcopos in sua dioecesi et Archiepiscopos in sua provincia hanc potestatem habere *secundum limitationem canonum*, quae est, ut non possint concedere nisi indulgentias unius anni in Dedicatione Ecclesiae, et 40 dierum in aliis temporibus: ita statutum est in *Conc. Lateranensi IV* can. 62, et in variis canonibus iuris. Quoniam enim facultas indulgentias concedendi ad potestatem iurisdictionis pertinet, sicut hanc, ita et illam Ecclesiae Primas suspendere, seu limitare potest. Ex eadem ratione Episcopi electi et confirmati possunt indulgentias concedere, licet nondum sint consecrati, quia ad hoc sufficit iurisdictionis potestas, quam per Rom. Pontificis confirmationem obtinent. Ast nec abbates, nec generales ordinum, nec parochi possunt concedere indulgentias absque speciali Papae aut Episcopi commissione; eo enim iure privantur a canonibus. Ratio est, quia dispensatio thesauri Ecclesiae competit solis Ecclesiae principibus, quales sunt soli Episcopi.

2. Ad valorem indulgentiarum requiritur *causa iusta*, quia superiores Ecclesiastici non sunt domini, sed dispensatores thesauri indulgentiarum. Apostolus enim ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* (2). Igitur praevaricatores illi essent, si absque iusta causa indulgentias concederent, quia contra Domini sui voluntatem, nullaque de causa eius bona disperderent. Hinc *Lateranense IV* can. 62, indulgentias sine iusta causa concessas indiscretas vocat et superfluas, easque damnat. Et *Clemens VI* in Extrav. *Unigenitus* declarat B. Petro eiusque successoribus ea conditione thesaurum Ecclesiae fuisse concreditum, ut eum piis ac rationalibus de causis dispensent. Caeterum ad causam iustam et proportionatam non requiritur, ut opus iniunctum aequivalens sit poenae debitae; alias indulgentia esset potius commutatio, quam remissio; sed sufficit, si ratio habeatur sufficiens talem indulgentiam concedendi, ita ut proportione quadam servata gravior requiratur causa pro plenaria, levior pro partiali indulgentia. Ad causam autem iustam et proportionatam duo requiruntur: ac 1° quidem finis aliquis pius ac Deo gratus, cuius assecutio magis Deo placeat quam poenalis satisfactio, quae per indulgentiam relaxatur; talis est, ex. gr., honor Dei, charitas proximi, utilitas Ecclesiae, conversio infidelium et haereticorum, bonum commune aut privatum illius, cui conceditur indulgentia, ut est incrementum pietatis: 2° opus aliquod, per quod finis ille probabiliter obtineri potest; ideoque plenaria indulgentia non posset valide concedi, ex. gr., semel recitantibus orationem dominicam pro conversione haereticorum. Nam quamvis conversio ista sit Deo gratior, quam poenalis satisfactio multorum fidelium, probabile tamen non est, per hanc solam brevissimam orationem convertendos esse haereticos. Nullatenus autem ex hac doctrina sequitur, semper fidelibus dubitandi locum dari, utrum indulgentia ex iusta causa fuerit concessa; nam, ut observat *Toletus* (3), in facto Principis semper praesumitur causa iusta, nisi error in contrarium sit manifestus. Caeterum non requiritur, ut opus sit in se valde difficile et laboriosum; sed etiam opus, quod valde facile et leve videtur, potest causam

(1) Matth. 16. (2) I Cor. 4, 1, etc. (3) Lib. 6, c. 28, n. 6.

iustam constituere, si sit in se valde bonum, proficuum et ad nobilem finem directum, qualis est, ex. gr., professio quaedam fidei quae fit ab assistentibus benedictioni papali, et invocatio SS. Nominis Iesu facta a Christianis in extremo agone constitutis. His accedit, quod ad indulgentiam plenariam lucrandam semper requiratur s. communio quae Deo gratissima et animae saluberrima est, atque ideo inania de iustitia causae dubia repellit (1).

3. Indulgentias lucrari non possunt nisi fideles baptizati, quia Ecclesia in alios iurisdictionem non habet. Ast in illis quoque ad lucrandas indulgentias variae *conditiones* requiruntur. Ac 1° quidem requiritur, ut qui lucraturus est indulgentiam, *sit in statu gratiae*, quia non remittitur poena temporalis, nisi condonata fuerit et expuncta prius culpa ac poena aeterna, cum indulgentia sit favor solis filiis Dei adoptivis destinatus, et inimicus Dei indignus sit hac remissione ac favore, quamdiu in statu peccati existit. Ideo *Clemens VI* in Extrav. *Unigenitus* de Christo ait: « Thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater... quem quidem thesaurum... commisit... vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum. » Statum gratiae ut necessariam conditionem ad indulgentiae effectum percipiendum satis etiam declarat ipsa Pontificum perpetua consuetudo. Indulgentiae enim, quibus conceditur absolutio *a poena et a culpa*, spuriae et supposititicae habendae sunt. Nam, ait *Benedictus XIV* (2): « Card. *Nic. Cusanus* apost. Sedis per Germaniam legatus fidenter asseruit, apostolicam Sedem nunquam consuevisse indulgentias impertiri hac adhibita phrasi... Non ignoramus, aliquos extare theologos contendentes, per indulgentias tolli posse peccata venialia etiam quoad culpam, at simul novimus, valde dubiam esse huiusmodi sententiam, eamque minime cohaerere sanioribus theologiae principiis... Si quae autem reperiantur indulgentiae, in quibus remissio quartae ex. gr., vel septimae partis peccatorum venialium concedi dicatur, accipiendum id est de remissione temporalis poenae, quam quis propter eum criminum numerum promeritus fuerit, non ante tamen obtinenda, quam post obtentam remissionem culpae iis modis atque rationibus, quibus iuxta Christi Domini praescriptum a peccatorum reatibus expiamur. » — 2° Requiritur executio integra omnium operum a Pontifice praescriptorum, quia indulgentia non conceditur nisi sub tali conditione, qua simpliciter non adimpleta nihil obtinetur. Hinc qui etiam inculpate, nempe vel ex absoluta impotentia, vel oblivione aut ignorantia invincibili omittit opus aliquod iniunctum, vel partem eius saltem notabilem, nihil indulgentiae consequitur, nisi aliter ipse summus Pontifex statuerit, quia concessio indulgentiae est unica et quasi indivisibilis sub tali determinata ratione. Idcirco executioni omnia mandanda sunt debito loco, tempore et intentione, ut praescribitur a Pontifice in litteris concessionis. Locus a Pontifice designatus est certa quaedam Ecclesia, aut plures: tempus est inter utrasque Vesperas in communibus indulgentiis: Intentio est pax inter Principes christianos, extirpatio haeresum, exaltatio S. Matris Ecclesiae, ac spirituale bonum summi Pontificis. Si indulgentia conceditur *vere poenitentibus et confessis*, intelligitur confessio

(1) Cf. Bellarmin. lib. 1 de indulg. c. 12

(2) Lib. 13 de Syn. dioec. c. 18, n. 7.

peccatorum mortalium, et attendendum est breve *Clementis XIII* qui anno 1763, 9 dec. indulsit: « Ut qui frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel saltem per hebdomadem ad sacramentum poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post peractam ultimam confessionem commissae sibi conscii sunt, omnes et quascunque indulgentias consequi possint etiam sine actuali confessione, quae caeteroquin iuxta praefati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. » — 3° Ad indulgentiam plenariam lucrandam requiritur propositum Deo satisfaciendi per opera bona facultati et infirmitati peccatoris proportionata, ita ut proportione huius sollicitudinis tanquam dispositionis ad indulgentiae effectum necessariae percipiatur maior vel minor indulgentiae fructus. Id probatur ex praxi veteris Ecclesiae, quae pro maiori poenitentium in bonis operibus cura et ardore benignius ac remissius cum ipsis agebat, ut statuit *Conc. Ancyranum* can. 5, et *Nicaenum I* can. 12. Ita pariter *Gregorius VII* Episcopo Lincolniensi indulgentiam peccatorum petent illam ea lege concessit, ut poenitentiam pro viribus ageret, scribens: « Absolutionem praeterea peccatorum tuorum sicut rogasti, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhaerendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris. » Ad quae verba subiungit Card. *Baronius* (1): « Ut appareat, Sedis apost. indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non praetermittunt, non autem ignavis, otiosis ac negligentia torpentibus. » Ratio est, quia indulgentiae conceduntur solis vere *poenitentibus*, vera autem poenitentia essentialiter includit propositum pro viribus Deo satisfaciendi, et indulgentiae in subsidium infirmitatis, non in nutrimentum tepiditatis ordinantur. Moderate tamen haec doctrina est intelligenda, et non exigendum, ut poenitens efficacem habeat voluntatem, omnem quam potest austeritatem exercendi, omnemque poenitentiam peccatis suis debitam exequendi; quod si requireretur, ipsa quodammodo indulgentia evacuaretur. Nam qui parem pro peccatis suis poenitentiam obit, nulla indiget indulgentia. Sicuti ergo indulgentia saltem ex parte defectum perfectae satisfactionis supplet; ita ad eam lucrandam non requiritur propositum, aequam pro peccatis suis satisfactionem praestandi... Ultimo ad consequendam indulgentiam plenariam requiritur, ut quis omnia peccata etiam venialia detestetur, et ab inordinato ad quodlibet horum affectu immunis sit. Ratio est, quia poenae peccato veniali debitae remissio praesupponit remissionem eiusdem quoad culpam: nullum autem veniale peccatum remittitur quoad culpam sine eiusdem detestatione saltem virtuali, et sine depositione affectus ad illud. Non tamen ad lucrandam indulgentiam plenariam perfecta undequaque charitas exigi potest, quia hac posita indulgentiis opus non esset. Considerandum potius est, indulgentias in subsidium infirmitatis ordinari, et non solum perfectis, sed etiam imperfectis Christianis dispensari. Generatim sicut in caeteris, ita etiam dum de conditionibus ad lucrandas indulgentias requisitis agitur, inter rigorem et laxitatem media via incedendum esse videtur.

4. Indulgentiae non solum vivis,

(1) Ad ann. 1073, n. 71.

d etiam *defunctis in purgatorio degentibus prodesse* possunt, non autem eodem modo his et illis applicantur. Nam, ut cum *Bellarmino* ait *Tournely*, pro vivis, « Indulgentia proprie est absolutio iudiciaria annexam habens solutionem ex thesauro: » est nempe *absolutio* iudiciaria, quia ex potestate clavium dimanat; unde *Alexander III* in Epist. ad Episc. Cantuar. docet, neminem posse indulgentias concedere nisi propriis subditis; et rationem addit: « Quia non potest nisi proprius iudex absolvere vel ligare: » est autem etiam *solutio*, quia cum peccator virtute clavium a poena liberatur, debet aliquid pro eo solvi, quo iustitiae divinae fiat satis; hoc autem facit Ecclesia, cum ex thesauro satisfactiones Christi et sanctorum applicat. Defunctis vero in purgatorio degentibus indulgentiae non possunt applicari per modum absolutionis, quia Ecclesia nulla iurisdictione in animas purgatorii gaudet, sed solum *per modum suffragii:* indulgentiae nempe, quae pro defunctis conceduntur, quoad has pias animas non habent nisi vim impetrationis et orationis, quatenus scilicet Ecclesia Deo offert merita Christi et membrorum ipsius, tam regnantium in coelis, quam militantium in terris, ut eorum intuitu, quae per modum solutionis ab ipsa offeruntur, Deus pro sua misericordia dignetur vel totam, vel partem illius poenae, quae ad plenam satisfactionem pro culpis admissis requiritur, condonare. Differt tamen indulgentiarum, quae per modum suffragii conferuntur, concessio a nuda oratione et prece, siquidem praeter rationem impetrationis complectitur illa largitio oblationem pretii seu satisfactionum, quam Deo ex thesauro Ecclesia tribuit: unde theologi dicunt, indulgentias animabus purgatorii *per modum suffragii satisfactorii et solutionis* applicari. Veritatem huius doctrinae 1° probant omnia argumenta (in parte quinta afferenda) quibus Catholici evincunt, suffragia viventium defunctis in purgatorio existentibus prodesse: 2° eam evincit praesertim dogma de communione sanctorum. « Neque enim, scribebat *S. Augustinus* (1), piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia... Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra eius sunt? » — Hinc *S. Thomas* (2) subdit: « Non est aliqua ratio, quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos. » Similia habet *S. Bonaventura* (3) — 3° eam evincit auctoritas Rom. Pontificum, qui indulgentias pro defunctis concesserunt. Sic, referente *Bellarmino* (4), *Paschalis I* concessit indulgentiam pro defunctis, quae habetur in Ecclesia S. Praxedis. Teste *Mabillonio* in praefat. ad saec. Benedict., indulgentias in suffragium defunctorum concesserunt *Ioannes VIII* anno 878, et *Ioannes IX* an. 900. Teste *Lambruschini* in thesibus anno 1790 Genuae vulgatis, *Gelasius II* an. 1118 dedicavit Ecclesiam metropolitanam Genuensem, ac dedit indulgentiam plenariam « omnibus defunctis masculis et foeminis, qui mortui sunt in vera confessione et sunt sepulti in caemeterio eiusdem Ecclesiae, et sepelientur usque ad finem saeculi. » 4° Eam confirmant propositiones contrariae a Rom. Pontificibus damnatae. Sic *Sixtus IV* an. 1479 damnavit propositionem *Petri de Osma:* « Romanus Pontifex purgatorii poe-

(1) Lib. 20 de civitate Dei, c. 9, n. 2.
(2) In suppl. q. 71, art. 10.
(3) In 4 dist. 20, p. 2, q. 5.
(4) Lib. 1 de indulg. c. 14, n. 2

nam remittere non potest. » *Leo X* hunc *Lutheri* articulum (n. 22) damnavit: « Indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles mortuis. » A *Pio VI* propositio (n. 42) *Synodi Pistoriensis*: « Luctuosius adhuc esse, quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos, — declaratur *falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in articulo 12 Lutheri.*» Denique 5° pro eadem veritate affertur argumentum praescriptionis ex longaeva universalis Ecclesiae praxi ubique recepta indulgentias pro defunctis elargiendi et applicandi, ac appendendi tabellas, quibus illae concessae indicantur. At vero iuxta auream *S. Augustini* regulam (1): « Si quid universa per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare intolerantissimae insaniae est. »

Nota 1. Nonnulli maxime offenduntur per datas interdum a Rom. Pontificibus indulgentias plenarias altaribus privilegiatis, in quibus ad unius sacri celebrationem alicuius defuncti anima a purgatorii poena liberetur. Sed talis concessio non aliter intelligenda est, quam prout eam intelligit Ecclesia. *Benedictus XIV* (2) hac de re ita loquitur: « Hoc fundamento innititur summus Pontifex, cum privilegiatas aras declarat, ac pro missae celebratione, quae in illis indicitur ad expiandam defuncti alicuius animam, thesauri ecclesiastici eam partem tribuit per modum suffragii, quae satis est, ut eadem anima, si Deo placitum sit, e purgatorii cruciatibus eripiatur, uti *Gregorius XIII* explicat, cum privilegiatum altare metropolitanae Bononiensi largitus est. » Indulgentias autem millium et ultra annorum suppositicias esse, et in Bullis Romanorum Pontificum non inveniri, *Bellarminus*, *Eus. Amort* et alii ostenderunt.

Nota 2. Novatores abusus exaggerarunt, qui circa indulgentias contigerunt, et praecipue Romanos Pontifices vehementer suggillarunt, quod pro pecuniarum largitione indulgentias concesserint, spiritualia pro temporalibus venditantes. Ast cum indulgentiae in se saluberrimae sint et in institutione divina fundatae, non possunt reiici aut despicatui haberi propter abusus, quibus quaevis res etiam sanctissima hominibus tradita est obnoxia. Immerito quoque indulgentiae suggillantur concessae pro eleemosynis, quae praestantia sunt charitatis opera. Egregie hac de re disserit *S. Thomas* (3) dicens: « Temporalia ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia debemus uti temporalibus, et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, sicut est repressio inimicorum Ecclesiae, qui pacem Ecclesiae perturbant, sicut constructio ecclesiarum et pontium et aliarum eleemosynarum. Et per hoc patet, quod non sit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali. » Caeterum ipsa Ecclesia indulgentiarum abusus praecavere sategit. *Concil. Lateranense IV* Episcoporum potestatem limitavit hanc rationem afferens: *Quia per indiscretas et superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiae praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnuntur, et poeniten-*

(1) Ep. 54 ad Ianuar. n. 6.

(2) Instit. 56, n. 15, tom. 11, opp. ed Rom. 1750. (3) In supp. q. 25, art. 3.

tialis satisfactio enervatur. Et *Concilium Tridentinum* loc. cit. dicit: *Abusus vero, qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse*. Deinde mandat Episcopis, ut speciales abusus diligenter colligant, et ad Rom. Pontificem deferant, quo eis occurratur aptis mediis.

Usus doctrinae de poenitentiae sacramento.

§ 662. 1. Cum ea sit hominum infirmitas, ut etiam iustus septies in die cadat, atque carnis et mundi illecebris illecti saepe in graviora etiam peccata labantur, sicque iustitiam in baptismo obtentam, Deique amicitiam amittant, ac aeternae damnationis reatum incurrant; immensae profecto Deo referendae sunt gratiae, quod instituerit sacramentum poenitentiae, per quod a peccatis iterum purgari et Deo reconciliari possimus. « Quoniam, ait *S. Bonaventura* in Brevil. (1), in curatione nostra a mortali culpa per poenitentiam, apparere debet ipsius Christi Pontificis piissimi summa clementia, et summa clementia Pontificis superexcedit omnia peccata humana, qualiacunque et quantacunque sint, et quotiescunque fuerint perpetrata, hinc est, quod peccantes suscipere ad veniam est ipsius Pontificis clementissimi, non solum semel nec bis, sed quotiescunque suppliciter invocaverint clementiam Dei. » Cum autem tanta sit benignitas et misericordia Dei, deploranda profecto est illorum caecitas et temeritas, qui, cum in mortale peccatum prolapsi sint, de die in diem, de mense in mensem, vel etiam de anno in annum poenitentiam differunt, et sordes, quibus inquinantur, gratiae sanctificanti, amicitiae Dei ac aeternae beatitudini praeferunt. Maximo isti salutem suam discrimini obiiciunt. Nam, ait *Innocentius III*(2), « Iusto Dei iudicio fit, ut, quia cum potest homo converti, non vult, cum vult, forte converti non possit » (3). Perpetuo igitur temerariis istis peccatoribus acclamandum est: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te* (4).

2. Sacerdotes, quibus administratio sacramenti poenitentiae commissa est, summi et piissimi Pontificis clementiam imitentur oportet. Grave quidem arduumque munus ipsis incumbit, dum in tribunali poenitentiae iudicis, doctoris et medici officia adimplere debent. Haec autem officia solerter adimplentes honorem Dei et gloriam efficacissime promovent, bono pastori ovem errantem reducunt, offensas divinas impediunt, ad virtutes vero et ad opera Deo placentia homines strenue excitant. Porro tribunal poenitentiae merito ille locus dicitur, in quo a confessariis debito zelo animatis praestantissima maximeque meritoria charitatis opera exercentur. Si enim redimendo captivum, visitando infirmum, vel vestiendo nudum egregii misericordiae temporalis actus perficiuntur, quanto praestantiora misericordiae opera ponuntur, dum zelantis confessarii ope anima immortalis ex daemonis captivitate liberatur, ab infirmitatibus spiritualibus sanatur, pretiosa gratiae veste et virtutibus decoratur? Praeterea tribunal poe-

(1) P. 6, c. 10. (2) S. 2 de Adv. (3) Rom. 2, 5. (4) Eccli. 5, 8, 9.

nitentiae actuum misericordiae spiritualis continuum exercitium requirit; quoties enim in illo oportet docere ignorantem, corrigere errantem, consulere dubitanti, consolari maestum, tolerare molestum, etc. Motiva ergo fortissima, quae cuilibet Christiano charitatem fraternam commendant, confessarium quoque impellere debent, ut officio suo cum omni diligentia incumbat. Nullatenus autem confessarius gloriam Dei et salutem animarum promovebit, et ex sacramento poenitentiae debitos referet fructus, nisi requisitam ad hoc scientiam et prudentiam sibi comparare studeat, ac ipsemet virtutum exercitio cum omni solertia incumbat.

3. Quicunque gravibus peccatis onerati ad poenitentiae tribunal accedunt, maxime solliciti esse debent, ut Deo cor contritum et humiliatum offerant. Contritio enim, vel saltem attritio partem essentialem sacramenti poenitentiae constituit, et valde timendum est, ne ob eiusdem defectum in iis, qui gratia sanctificante et gratia habituali destituti sunt, confessiones irritae aut etiam sacrilegae reddantur. Monet ideo *S. Alphonsus Liguori* (1), confessarios, ut primum attritionis et dein perfectae contritionis motiva poenitentibus praesertim rudioribus proponant, et corda eorum conterere studeant. Monet etiam *S. Theresia* supernaturali visione impulsa, concionatores et catechetas, ut clare et frequenter de necessitate contritionis et de modo eam eliciendi loquantur, ne ob eius defectum plurimae animae pereant.

4. Arduum multis videtur, peccata sua Sacerdoti manifestare: quibus dicendum est, confessarium per gravissimas leges et sub gravissimis poenis *ad sigillum* in quacunque circumstantia servandum obligari. Quod si quis nihilominus in confitendo magnam difficultatem experiatur, eximia ipsi sincerae confessionis emolumenta ostendenda sunt, eique cum *S. Bernardo* (2) dicendum est: «Non deterreat poenitentiae austeritas. Neque enim condignae sunt passiones huius temporis ad praeteritam culpam, quae remittitur, non ad praesentem consolationis gratiam, quae immittitur, non ad futuram gloriam, quae promittitur.»

5. Omnia in Christi religione ita ordinata sunt, ut moralis hominis perfectio promoveatur (§ 260). Ideo communiter post condonatum culpae et poenae aeternae reatum poenae temporales luendae remanent, et opera bona a poenitente perficienda sunt, ut infinitae satisfactionis in cruce praestitae particeps factus poenae temporalis reatum extinguat (§ 378). Revelatum quidem nobis est, hunc in finem etiam *indulgentias* dari, earumque usum salutarem esse: sed indulgentiae studium per proprios conatus Deo satisfaciendi non excludunt, sed exposcunt. Noluit quoque infinita Christi sapientia nobis manifeste revelare, quid et quantum per quamlibet indulgentiam remittatur, ne unquam de plenaria venia securi torpeamus. Certum est, non posse fidelibus satis commendari et pium indulgentiarum usum, et continuum in poenitentiae et satisfactionis operibus laborem. Gravissimum est, quod nobis incumbit salutis negotium: qui sapit, eliget quod tutius est. Est autem procul dubio tutius poenitentiae laboribus ita incumbere, ac si nullum esset ex indulgentiis remedium; et ita studiose captare indulgentias, ac si nihil esset ex pro-

(1) In praxi conf. c. 1. n. 10.

(2) De convers. ad cleric. c. 21.

priis operibus sperandum. Certissima haec est ad salutem via.

CAPUT V.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

§ 663. Inter sacramenta, quae pro omnibus cuiuslibet sexus et status fidelibus instituta sunt, ultimum locum occupat extrema unctio, in qua novum nobis inexhaustae bonitatis suae pignus reliquit clementissimus Redemptor noster, qui ut baptismi sacramentum aditum nobis ad veram vitam patefecit, ita etiam, ut ex hac mortali vita decedentes expeditiorem ad coelum viam haberemus, extremae unctionis sacramentum instituit. Intimo nexu hoc sacramentum cum priori coniungitur; nam sicuti confirmatio baptismi perfectio et consummatio, ita extrema unctio veluti poenitentiae supplementum et consummatio spectatur et nuncupatur. Unde *Conc. Tridentinum* Sess. XIV (in prooem. de extr. unct.) inquit: *Visum est sanctae Synodo praecedenti doctrinae de poenitentia adiungere ea, quae sequuntur de sacramento extremae unctionis, quod non modo poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.* Definiri porro solet extrema unctio sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, quo per unctionem olei benedicti et orationem seu formam praescriptam, Sacerdotum ministerio baptizatis graviter aegrotantibus gratia confertur, qua peccata et eorum reliquiae absterguntur, vires augentur ad daemonis insidias vitandas, atque ad morbi incommoda patienter ferenda, et si animae saluti expediverit, valetudo corporis restituitur. — Ex hac definitione patet, quaenam de hoc sacramento pertractanda sint. Agendum nempe est de sacramenti extremae unctionis 1° *existentia*, 2° *materia, forma et ministro, subiecto, effectibus* et *necessitate ac iteratione*.

Nota. Plures in Ecclesia vigent unctiones tum rerum, ex. gr., templorum, altarium, calicum, etc.; tum personarum, ut Catechumenorum in pectore, baptizatorum in vertice, confirmandorum in fronte, principum saecularium in humero, Sacerdotum in manibus, etc. Ab his omnibus distinguitur unctio, quae quintum novae legis sacramentum constituit, ac ideo *extrema unctio* appellatur. Unde Catechismus rom. (1) observat, « hoc sacramentum idcirco *extremam unctionem* appellatum esse, quod haec omnium sacrarum unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiae suae commendavit, ultima administranda sit. Quare haec ipsa unctio a maioribus nostris sacramentum etiam *unctionis infirmorum* et *sacramentum exeuntium* dicta est: quibus vocabulis fideles in memoriam novissimi illius temporis facile redire possunt. » Latini ad idem sacramentum significandum alia vocabula adhibent, ut *oleum sanctum, oleum infirmorum, olei sacrati unctionem, orationem olei*, seu *orationem cum unctione coniunctam*, etc. Graeci hoc sacramentum vocare solent ἅγιον ἔλαιον, *sacrum oleum* vel εὐχέλαιον, voce ex duabus composita, quae significat *oleum cum oratione*. Orientales illud passim appellant *kendil* seu *lampadem*.

ARTICULUS I.

De sacramenti extremae unctionis existentia, seu veritate.

§ 664. Quinam ex veteribus haereticis primi fuerint, qui extremam

(1) P. 2, c. 6, n. 2.

unctionem e numero sacramentorum expunxerint, non ita facile est determinare. Nonnulli cum *Bellarmino* de hac impietate *Waldenses*, *Albigenses*, *Wicleffitas* et *Hussitas* accusant. At cl. *Bossuet* (1) cum aliis probat, nominatos haereticos nihil innovasse circa septenarium sacramentorum numerum, inter quae recensebant extremam unctionem. *Lutherus* vero, etsi non plane reiiciat hunc ritum, negat tamen, illum sacramentum esse proprie dictum, additque « nuspiam insignius esse deliratum a theologis, quam in hoc sacramento administrando » (2). *Melanchthon* (3) extremam unctionem vocat « caeremoniam superstitiosam. » *Calvinus* (4), petulanter de hoc sacramento pro more suo loquitur, illudque nuncupat « fictitium sacramentum, et histrionicam hypocrisin. » Hinc Protestantes antesignanos suos secuti, sacramentum extremae unctionis admittere recusant: contra quos probandum est, vere existere extremam unctionem tanquam sacramentum a Christo Domino institutum. Id vero ex duplici revelationis fonte probatur, nempe ex *S. Scriptura* et *Traditione*.

I. *Argumentum ex S. Scriptura depromptum.*

§ 665. *Concilium Tridentinum* Sess. XIV, cap. 1 declarat, extremam unctionem esse vere et proprie sacramentum a Christo institutum, *apud Marcum quidem insinuatum*, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem *fidelibus commendatum ac promulgatum:* quibus verbis Concilium duplex Scripturae testimonium refert, quamvis non utrique eandem probandi vim adscribat.

1. Marc. VI, 12 et 13 de Apostolis legitur: *Et exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent: et daemonia multa eiiciebant, et ungebant oleo multos aegros et sanabant.* Haec verba non pauci de sacramento extremae unctionis ab Apostolis collato exponunt, praecipue Graeci, ut *Victor Antiochenus*, *Euthymius*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, etc., et insignes theologi, ut *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Hugo Victorin.*, *Scotus*, *Alphonsus a Castro*, *Ambros. Catharinus*, *Maldonatus*, *I. B. Du-Hamel*, *Juenin*, *Berti*, etc. Alii tamen cum *Bellarmino*, *Estio*, *Sylvio*, *Tournely*, etc. negant, in adducto Marci testimonio de collato extremae unctionis sacramento sermonem esse, tum quia in unctione, de qua Marcus loquitur, nulla fit mentio collationis gratiae, sed sanitatis corporalis duntaxat, tum quia haec unctio adhibebatur indifferenter sive infirmis decumbentibus, sive aliis, ut caecis et claudis, sive baptizatis sive non, tum quia illo tempore Apostoli nondum erant Sacerdotes; et quamvis Christus in hoc potuerit dispensare, huius tamen dispensationis nulla apparet ratio. Etsi autem non admodum difficile sit difficultates istas solvere, quae aut negativa tantum argumenta continent, aut saltem ex Scriptura solide probari nequeunt (5); manifestum tamen est, ex citato Marci loco argumentum certum pro collato iam ab Apostolis extremae unctionis sacramento inferri haud posse. — Certum autem est apud omnes Catholicos, unctionem a Marco commemoratam saltem, typum, figuram, seu adumbrationem fuisse sacramenti extremae unctionis a Christo instituendi. Dubitari enim nullatenus

(1) Hist. variat. lib. 11, § 108, etc. et 180.
(2) Lib. de capt. babyl.
(3) De loc. comm. tit. de unctione.
(4) Lib. 4 instit. c. 19, n. 18.
(5) V. Berti, lib. 35, cap. 2.

potest, ex ipsa Christi ordinatione ab Apostolis aegros oleo unctos fuisse: ex quo patet, pro sublevamine olei unctionem a Christo ordinatam esse. Neque dici potest, hanc unctionem ad corporalem dumtaxat sanitatem restituendam, seu ad miracula patranda institutam fuisse. Cum enim Christus (1) plurima miracula a discipulis suis patranda praedicit, de olei unctione ne verbum quidem loquitur, sed ait: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient... super aegros manus imponent, et bene habebunt;* neque ex S. Scriptura aut traditione colligitur, Apostolos, post Christi Ascensionem ad aegros corporaliter tantum sanandos olei unctionem adhibuisse, sed et per umbram Petri (2), per sudaria Pauli (3) aegri sanati sunt. Ne igitur dicatur, olei unctionem, quam Apostoli iubente Christo (4) aegris applicarunt, penitus ex Ecclesia evanuisse, admittendum est, existere pro infirmorum salute extremam unctionem per eam, quam Apostoli adhibuerant, saltem praefiguratam, adumbratam seu insinuatam. Et hoc est, quod ut certum declarat *Conc. Tridentinum* dicens, extremae unctionis sacramentum *apud Marcum quidem insinuatum* esse: quibus verbis non quidem theologorum in expositione Marci dissidentium controversiam dirimit, sed tamen docet, unctionem ab Apostolis Marc. VI, 13 adhibitam saltem typum, figuram seu adumbrationem sacramenti extremae unctionis fuisse. Cl. *Berti* quidem putat, per sacramentum *insinuatum* intelligi sacramentum *inductum* et *institutum*. «Verum, reponit clariss. *Billuart*(5), iuxta Calepinum *insinuare, est in notitiam alicuius adducere, non inducere, aut instituere*. Unctio autem Marci adducit unctionem Iacobi, seu sacramentalem in notitiam, quatenus est eius signum, umbra et figura, sicut baptismus Christi fuit insinuatus a baptismo Ioannis, quatenus iste prioris fuit signum et figura. »

2. Pro extremae unctionis institutione et veritate decretorium est testimonium S. Iacobi scribentis: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei* (6). His sane verbis exprimitur, quidquid necessarium est ad sacramentum constituendum. Adest enim ritus externus, seu *res subiecta sensibus*, olei scilicet unctio, et oratio presbyterorum, quae duo sensibus utique subiiciuntur. Adest etiam *significatio et productio gratiae;* naturalis enim vis olei est, ut dolores leniat et corpus roboret; quapropter per olei unctionem significatur et producitur effectus, quem gratia in anima operatur. Nam verba: *alleviabit* (graece *eriget*) *eum Dominus*, innuunt: *Dominus dabit robur*, et vires ad morbi molestias patienter perferendas, ad tentationes daemonis facilius superandas, et ad mortem fortiter Dei causa obeundam: sed ad haec omnia tanquam ad actus salutares, qui ad felicitatem conducunt aeternam gratiam divinam necessariam esse, eo minus dubitari potest, quo magis ad quemvis actum salutarem necessaria est gratia Dei: ergo in unctione infirmorum confertur gratia Dei, quod insuper invicte probatur ex additis: *Si in peccatis sit*

(1) Marc. 16, 17, etc. (2) Act. 5, 15.
(3) Act. 19, 12. (4) Marc. 6, 13.
(5) De extr. unct. art. 1.
(6) Cap. 5, v. 14, etc.

remittentur ei; nam cum peccatorum remissione gratiae sanctificantis collationem connexam esse, iam alibi (1) probatum fuit: ergo indubitatum est, in unctione infirmorum gratiam sanctificantem conferri. Cum autem solus Deus tanquam auctor et Dominus gratiae efficere possit, ut ritus externus gratiam internam non solum significet, sed etiam producat (2); manifestum est, unctionem infirmorum *ab ipso Christo institutam*, et ab Apostolo Iacobo tantum promulgatam esse. Institutio autem eiusdem *permanens* aperte colligitur, ex eo, quia mandatum Iacobi in Epistola *catholica* seu *universali* contentum dirigitur non ad unam Ecclesiam, nec pro aliquo tempore, sed ad omnes Ecclesias sine ulla limitatione locorum et temporum, consequenter ad nos nunc non minus quam ad eos qui tunc erant, sicut alia quae ibidem praescribit et profert, ut: *Patientes estote, nolite iurare; tristatur quis ex vobis? oret*, etc., quae spectant omnia tempora et omnes fideles praesentes et futuros.

Nota 1. *Lutherus* totam S. Iacobi Epistolam ex canone S. Scripturae exsculpsit, et *stramineam* vocavit non alia ratione ductus, nisi quod viderit huius Epistolae auctoritate totum suum de iustificatione sine operibus principium everti. Ast non solum Catholici canonicam huius Epistolae auctoritatem invicte demonstrarunt, sed etiam Protestantes ipsi explosa Lutheri sententia eandem Epistolam canoni S. Scripturae restituerunt. Quibus non obstantibus doctrinae tamen, quam ex illa haurimus, difficultates obmovent, quas enodare oportet.

Obi. 1. Illa unctio, de qua Iacobus loquitur, erat tantum caeremonia ad sanandos morbos corporales, quae cessante in Ecclesia dono miraculorum, cessavit. Id probatur ex eo, quia Iacobus loquitur de eadem unctione, de qua sermo fit Marc. VI, 13: hanc autem ad corporales duntaxat morbos sanandos ordinatam fuisse, plurimi etiam inter Catholicos tenent. Imo ipse etiam Iacobus primo nominat effectus, qui spectant ad corpus, dicens: *Salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus:* effectus vero istos non ex opere operato, sed ex opere operantis, scilicet ex oratione et fide ministri repetit dicens: *Oratio fidei salvabit infirmum.* Hac de causa *Card. Caietanus* in suis comment. in Ep. Iac. expresse negat, illam Iacobi sententiam ad unctionem sacramentalem transferri posse.

Resp. Falluntur adversarii, dum dicunt, Iacobum commendare unctionem solum tanquam caeremoniam ad sanandos per miraculum morbos corporales; vere enim illam commendat ut sacramentum ad sanctificationem animae institutum. Apostolus enim loquitur tantum de *fidelibus infirmis*, quia Epistolam ad Ecclesias christiana fide imbutas dirigit; donum autem miraculorum erat potius pro infidelibus, quam pro fidelibus, dicente Paulo: *Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus* (3). Dein Iacobus iubet vocari *presbyteros;* ad sanandum autem corporaliter infirmos vocandi sunt medici, vel ii, qui habent donum curationum, quod non erat datum omnibus, et solis presbyteris. Praeterea gratia curationum erat data non solum pro infirmis decumbentibus, sed etiam pro caecis, claudis, etc. Iacobus autem loquitur de iis qui ex infirmitate decumbunt. Denique Iacobus expressit effectum

(1) § 462. (2) § 196

(3) I Cor. 14, 22.

ad solam animam pertinentem, scribens: *Si in peccatis sit, remittentur ei.* — Quoad unctionem, quae Marc. VI, 13 commemoratur, duplex quidem est expositio Catholicorum, sed neutra haereticis favet. Nam qui defendunt identitatem utriusque unctionis, contendunt, utramque esse sacramentalem: qui autem istam identitatem negant, fatentur tamen, unctionem Marc. VI, 13 fuisse typum, figuram et adumbrationem unctionis sacramentalis a Iacobo commemoratae. In typo autem et figura non omnia inveniuntur, quae in re ipsa seu in figurato: ita baptismus Ioannis non eosdem spirituales effectus produxit, ut baptismus Christi, cuius ille typus fuit. Quapropter si admittatur, unctionem Marc. VI, 13 commemoratam gratiam non produxisse, exinde inferri nequit, gratiam non produci per unctionem a Iacobo promulgatam. — Nec refert, quod Iacobus primo de effectibus corporalibus, et ultimo de peccatorum remissione loquatur. Nam insolens non est in Scripturis, postremo loco primarium effectum recenseri; sic apud Matth. legitur: *Centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (1). Ideo autem a Iacobo primo loco ponitur corporis sanitas, tum quia effectus iste notior est, utpote qui sub sensus cadat, tum quia orationis series postulare videbatur, ut post commemoratam infirmitatem corporis continuo describeretur eiusdem sanatio. Caeterum non desunt, qui verba Iacobi, *Salvabit infirmum*, aut saltem verba: *Alleviabit eum Dominus*, non ad solum corpus, sed praecipue ad animam pertinere contendunt. « Nam, ait *Bellarminus* (2), et si ἐγείρω proprie significat excitare et elevare, quod ad corpus pertinet, tamen per metaphoram Scripturae sanctae familiarem significat etiam pellere moerorem, tristitiam, negligentiam, soporem et desidiam animi. Hinc sunt illa Apostoli Rom. XIII: *Hora iam est nos de somno surgere.* Eph. V; *Surge qui dormis*, etc. (in quibus eadem vox graeca occurrit)..... Hoc autem loco *Alleviabit eum Dominus*, significat liberationem a quodam torpore, moerore, anxietate, quae propinquos morti valde deprimere et gravare solet, ut non facile possit mentem ad Deum attollere. » Per orationem fidei Apostolus intelligit ipsam formam sacramenti; huic autem vim sacramenti tribuere idem est ac asserere, ritum illum, cui adnexa est, per se et ex opere operato effectum producere. Ideo vero dicitur *Oratio fidei*, quia fidem excitat in poenitente, eamque tanquam necessariam dispositionem exigit: aut etiam quia fidei Ecclesiae innititur, atque ut nonnullis placet, quia initio saltem, huius sacramenti administrationi adnexum erat donum curationum, quod a fide potissimum pendet. — *Card. Caietanus* de sacramenti extremae unctionis veritate nunquam dubitavit: in exponendo autem textu Iacobi vere aberravit, merito ideo a theologis catholicis castigatus, sed venia aliqua dignus, quia scripsit ante *Concilium Tridentinum*. Caeterum eius commentaria parvae sunt auctoritatis. Nam, ait *Card. Pallavicini* (3): « Quod Caietanum attinet, loqui de commentariis eius in S. Scripturam, idem est ac loqui non de plumis, sed de pedibus pulcherrimi pavonis. »

Obi. II. Verba Iacobi: *Si in peccatis sit, remittentur ei*, uti priora, de sanatione corporis intelligenda sunt; nam, ut *Rosenmüller* observat, morbi illo aevo spectabantur velut peccato-

(1) Cap. 19, v. 29. (2) L. de extr. unct. c. 3.

(3) Lib. 6 hist. Conc. Trid. cap. 17, § 2.

rum effectus, et hinc morbo curato etiam peccatum ipsum remissum dicebatur. Nullatenus autem illa verba de effectu spirituali, seu de remissione peccatorum sacramentali intelligi possunt, quia iuxta Catholicorum sententiam sacramenta absolute, certo, seu ex opere operato effectum producunt, hic autem remissio peccatorum conditionate tantum, seu hypotetice promittitur his verbis: *Si in peccatis sit* etc.

Resp. Si hinc inde in Scripturis morbi peccata dicuntur, quia sunt peccatorum effectus, nemo tamen dicet, quod per peccata semper morbi corporales intelligendi sint. Et ita pariter in textu Iacobi per peccata quae remittuntur, morbi corporales intelligi nequeunt. Loquitur enim Apostolus de fideli, qui vere infirmus est, et cui ideo unctio cum oratione applicatur; tertium autem huius unctionis effectum recensens conditionate loquitur: *Si in peccatis sit* etc.: ergo non potest per peccata morbum intelligere, qui ut certus supponitur et sine quo unctio non applicaretur. Absonum quoque et regulis hermeneuticis contrarium est dicere, Apostolum triplici vario modo unum eundemque effectum expressisse. Necessario ergo citata verba in sensu nativo de effectu spirituali, seu de vera remissione peccatorum exponenda sunt. Nec refert, quod conditionate loquatur: *Si in peccatis sit*, etc. Cognovit enim Iacobus, fidelem etiam per poenitentiam a peccatis purgari posse. Etsi autem in aegroto nullum peccatum sit, sacramentum tamen non caret effectu suo; semper enim gratiam confert, quae si peccata non tollit, quia nulla sunt, aegroti animum alleviat, efficitque, ut morbi incommoda et labores levius ferat, et, quod praecipuum est, ut daemonis tentationibus facilius resistat. *Estius* vero observat (1) quod in Scripturis particula *si* saepe non tam rei incertae conditionem, quam rei certae confirmationem significat, ut apud ipsum Iacobum: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo* (2); et quod sicut istorum verborum sensus est: Cum unusquisque vestrum indigeat sapientia etc., ita cum dicit: Et si in peccatis sit, etc. sensus sit: Et cum in peccatis, seu peccatorum reliquiis sit, etc.

Nota 2. Quaesitum est in scholis, quonam tempore sacramentum extremae unctionis fuerit a Christo institutum? — Circa quam quaestionem magna est inter theologos discordia. Sunt, qui cum *Petro Lombardo* et *S. Bonaventura* docent, hoc sacramentum post Christi Ascensionem ab Apostolis ex speciali revelatione Spiritus sancti fuisse institutum: ex qua sententia sequitur, Christum illud mediate tantum per Apostolos instituisse. Sed haec sententia post *Concil. Tridentinum* sine temeritate defendi nequit, quia vix dubitari posse videtur, quin Christus immediate hoc sacramentum instituerit, quod a *B. Iacobo* non institutum, sed solum promulgatum fuisse dicitur. — Alii putant, extremam unctionem a Christo fuisse institutam tempore praedicationis suae, et ab Apostolis iam ante mortem Christi administratam. Hanc sententiam defendunt omnes, qui textum Marc. VI, 13 de extremae unctionis administratione exponunt: dicunt isti, Christum solum post resurrectionem suam ordinasse, ut extrema unctio a solis Sacerdotibus conferatur; Scripturam porro non dicere, Apostolos unxisse omnes, sed *multos aegros*, id est, baptizatos et graviter decumbentes, eosque *sanasse* quoad

(1) Comment. in hunc loc. (2) C. 1, v. 5.

corpus et animam. — Communior tamen sententia est, Christum instituisse extremam unctionem post resurrectionem suam, antequam ascenderet in coelum. Haec sententia multis theologis probabilior videtur, quia *Tridentinum* dicit, extremae unctionis sacramentum Marc. VI, 13 *insinuatum* tantum fuisse, post Christi Ascensionem vero a *B. Iacobo promulgatum*. Dein iuxta *Tridentinum* extrema unctio est *poenitentiae consummativum sacramentum;* ergo probabilius est, ipsam non ante poenitentiae sacramentum, sed eo ipso tempore institutam fuisse, quo sacramentum poenitentiae, nimirum inter resurrectionem et ascensionem Christi: « Hi enim dies, ait *S. Leo M.* (1), qui inter resurrectionem ascensionemque fluxerunt, non otioso transierunt decursu, sed magna in eis confirmata sunt sacramenta, magna revelata mysteria. » — Caeterum veritati sacramenti non obest, quod tempus institutionis eius certo definire nequeamus; multa enim facta certissima sunt, de quibus tamen disputatur quo praecise tempore contigerint.

II. *Argumentum ex traditione petitum.*

§ 666. Extremam unctionem semper in Ecclesia catholica ut verum N. T. sacramentum habitam et administratam fuisse, ex *Ss. Patribus*, ex *Conciliis* et argumento *praescriptionis* probatur.

1. *Ss. Patres,* quamvis multa de extrema unctione non scripserint, sufficientia tamen testimonia exhibent. *S. Irenaeus*, cum de gnosticis lamentaretur, quod ritus et caeremonias Ecclesiae catholicae retineant quidem, sed superstitionibus suis corrumpant (2), dicit: « Alii sunt, qui mortuos redimunt ad finem defunctionis mittentes eorum capitibus oleum et aquam, sive praedictum unguentum cum aqua et supradictis invocationibus, ut incomprehensibiles et invisibiles principibus et potestatibus fiant, et ut supera scandat super invisibilia interior ipsorum homo, quasi corpus quidem ipsorum in creatura mundi relinquatur, anima vero proiiciatur demiiurgo. » Ex quo testimonio haud obscure colligitur, etiam in Ecclesia catholica defunctioni proximos oleo unctos, et huic unctioni spirituales effectus adscriptos fuisse, quos gnostici superstitiosis suis principiis accommodabant. *Origenes*, postquam egit de sacramento poenitentiae, haec de extrema unctione tanquam de re notissima et ab omnibus accepta subiicit: « In quo impletur et illud, quod Iacobus Apostolus dicit: *Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiae, et imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis fuerit remittentur ei.* » Duo hic simul sacramenta coniungit *Origenes*, poenitentiam scilicet et unctionem infirmorum, quoniam ista est perfectio et consummatio illius, atque per hanc ut per illam remissionem peccatorum fieri affirmat. *S. Chrysostomus* (3) scribit: « Parentes nos in praesentem, Sacerdotes nos in vitam aeternam generant. Atque illi certe ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare, cum hi laborantem ac morti iamiam propinquam animam identidem servarint, aliis remissiorem poenam infligentes, alios prorsus labi non permittentes non doctrinae solum atque commo-

(1) Serm. de Ascens.
(2) Lib. . . . haer. c. 21, n. 5.
(3) Lib. 3 de sacerd., n. 6.

nitionis, sed etiam precum praesidio: neque enim solum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. *Infirmatur* (inquit Apostolus) *quis in vobis? advocet presbyteros Ecclesiae, et orent super eo, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, et excitabit eum Dominus; et si peccata fecerit remittentur ei.* » Loqui porro S. Doctorem de extrema unctione, non autem de poenitentia, ex eo patet, quia paulo ante locutus erat de remissione peccatorum per poenitentiam, in quam rem profert sententias Matth. XVIII, et Io. XX, et deinde de altera loquitur, citans Iac. V, 15. Hanc igitur a prima distinguit, ac praeterea hanc nonnisi aegrotis dandam esse pronunciat, idque confirmat ex Iacobi testimonio: poenitentiae autem sacramentum omnibus datur. *S. Ephraem* de vita spirit. (1) dicit: « Si charitatis officio perfungens oleo aegrotantem inungis, fac oculos, manus linguamque custodias, ne in ullo temperantiae ac modestiae fines transgrediaris; hoc enim deposcit pietas. » *Victor Antiochenus*, qui circa Iuliani imperatoris aetatem vixisse creditur (2), in verba Marci: *Ungebant oleo multos aegros*, ita loquitur: « His similia exponit Lucas quoque. Verum quod de mystica unctione, et olei usu hic subiungitur, hoc inter Evangelistas solus Marcus commemorat. Interim quae Apostolus Iacobus in sua canonica narrat, ab his non dissentiunt. Scribit enim: *Infirmatur quis*, etc. Oleum autem inter alia et laborum molestias mitigat, et lumen fovet, et hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in sacra unctione adhibetur, et Dei misericordiam et morbi sanationem et cordis illuminationem denotat. Dici autem potest, orationem haec omnia efficere, oleum autem eorum omnium, quae fiunt, externum tantum symbolum esse. » *S. Cyrillus Alex.* de adorat. in spir. et verit. (3) aegrotos monet, ut ad Deum confugiant, qui vim pellendi malum habet, ac deinde addit: « Commemorabo etenim divinitus inspiratam Scripturam, quae ait: *Infirmatur quis* etc. » — Summi momenti est testimonium *Innocentii I*, qui saeculo V ineunte a Decentio, Eugubino Episcopo de quibusdam dubiis circa hoc sacramentum interrogatus, ita (4) respondet: « Non est dubium (verba Iacobi), de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto non solum Sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet, in sua ac suorum necessitate inungendo. Caeterum illud superfluum videmus adiectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non est dubium. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Caeterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere. Nam poenitentibus (publicis, quibus denegabantur sacramenta) istud infundi non potest, quia genus est sacramenti: nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? » — Neque ex hoc, quod dicat, *oleo chrismatis*, vel *chrismate*, quisquam putet ipsum loqui de confirmatione; de hac enim prius

(1) Ad monach. novit. c. 7.
(2) Caten. in Evang. S. Marci c. 6, Bibl. max PP. Lugd. t. 4, p. 383. (3) Lib. 6.
(4) Ep. 1, c. 7, ap. Mansi, Ep. 25, c. 8 ap. Constant.

locutus fuerat, dixeratque, illam omnibus baptizatis, etiam pueris administrari *a solis Pontificibus*, non a presbyteris, qui Pontificatus apicem non habent. Quamvis itaque in usu Ecclesiae chrisma strictissime sumptum accipiatur pro composito ex oleo et balsamo; attamen apud veteres etiam sumitur aliquando pro unctione olei sive simplicis, sive compositi, chrismare enim generaliter significat ungere, et chrisma unguentum quodcumque; paulo strictius significat unguentum ab Episcopo benedictum, quo sensu illud usurpat *Innocentius*, in cuius testimonio citato haec manifeste continentur: 1° unctionem olei sacrati vero et proprio sensu sacramentum nov. legis esse ut reliqua sacramenta; 2ª illam tum ab Episcopis, tum a presbyteris administrari posse; 3° eamque non solis Sacerdotibus, sed et laicis aegrotantibus conferendam esse; 4° videtur concedere, ut etiam fideles laici possint in suis et aliorum infirmitatibus isto oleo ab Episcopo benedicto uti non ut sacramento, sed ut ritu christiano secundum morem illius temporis, sicut enim tunc fideles ad morbos curandos adhibebant aquam baptismalem, ita et oleum ab Episcopo benedictum. — *S. Augustinus* Serm. 215 de temp., seu verius *S. Caesarius* in append. S. 265, n. 3 inquit: «Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo: *Infirmatur quis* etc. Videte fratres, qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere, et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. » *S. Eligius*, Episcopus Noviomensis (1), ita populum suum affatus est: « Quoties aliqua infirmitas supervenerit, non quaerantur praecantores, non divini, non sortilegi, sed qui aegrotat, in sola Dei misericordia confidat, et eucharistiam corporis et sanguinis Christi cum fide ac devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum in nomine Christi ungat, et secundum Apostolum *oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus*, et non solum corporis, sed etiam animae sanitatem recipiet. » *S. Gregorius M.* in suo sacramentario haec fer. V hebd. S., seu in Coena Domini observanda praescribit: « Tunc offertur Pontifici oleum, et benedicit id tam ipse, quam omnes presbyteri ad ungendum infirmum his verbis: Emitte, Domine, Spiritum sanctum tuum Paracletum de coelis in hanc pinguedinem olivae, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum corporis et animae etc. » Eodem saeculo *Theodorus*, Cantuariensis Archiepiscopus composuit poenitentiale, cuius haec verba referuntur a *Burchardo* (2) et ab *Ivone* (3): « Ab infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda confessio.... Et ideo secundum auctoritatem canonicam, ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis sacra cum unctione olei inuncti secundum statuta Ss. Patrum communione viatici reficiantur. » *V. Beda* in Marc. VI, 13 haec habet: « Dixit Apostolus Iacobus: *Infirmatur quis in vobis?* etc. Unde patet, ab ipsis Apostolis hunc S. Ecclesiae morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet aegroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato. » Et in Iacob. V, 14 ita

(1) An. Audaen Vita S. Eligii, lib. 2, c. 15. (2) Cap. 54. (3) Decr. p. 15 c 36

loquitur: « Hoc et Apostolos fecisse, et nunc Ecclesiae consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, et oratione comitante sanentur. » *Alcuinus* (1) ait: « Iacobus Apostolus dixit: *Infirmatur quis in vobis?* etc. quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo perungi possunt, quod ab Episcopo confectum est etc. » *S. Petrus Damiani* (2) inquit: « Tertium sacramentum est unctio infirmorum. Infirmantibus nobis, et usque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus spiritus pietatis assistit, et recordatus est, quoniam pulvis sumus. Ait enim D. Iacobus: *Infirmatur quis* etc. Solemnis unctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini! Videsne, qualiter sacerdotalis manus infirmantis corpus alleviet, et illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget unctione? Unde et Ss. Patres hanc unctionem sacramentum esse sanxerunt. » *S. Bernardus* in vita S. Malachiae (3) narrat, hunc sanctum Episcopum vespere vocatum esse ad uxorem nobilis viri « ut descenderet, priusquam moreretur, infirmam uncturus oleo. » Descendit ad eam, sed unctionem distulit usque ad mane; eadem nocte mortua est: cum autem precibus et gemitibus S. Episcopi iterum resuscitata esset, « Malachias gratias agens benedixit Dominum: et unxit eam nihilominus, sciens, in hoc sacramento remitti peccata, et quod oratio fidei salvet infirmum. »

2. *Concilium Cabillonense II*, an. 813, can. 48, sic statuit: *Secundum B. Apostoli Iacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent.* Sic enim ait: *Infirmatur quis*, etc. *Non est itaque parvipendenda haec medicina, quae animae corporisque medetur languoribus. Ticinense* an. 850, cap. 8 dicit: *Illud quoque salutare sacramentum, quod commendat Iacobus Apostolus dicens: Infirmatur quis in vobis?* etc., *solerti praedicatione populis innotescendum est: magnum sane et valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, et remittuntur peccata, et consequenter corporalis salus restituitur.* Eandem veritatem stabiliunt *Aquisgranense* (4), *Moguntinum* (5), *Wormatiense* (6). . . *Florentinum* in Dec. pro Armenis dicit: *Quintum sacramentum est extrema unctio. Tridentinum* Sess. XIV de extr. unct., can. 1 definit: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.* Et can. 3: *Si quis dixerit, extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae B. Iacobi Apostoli; ideoque eum mutandum, posseque a christianis absque peccato contemni; anathema sit.*

3. *Argumentum praescriptionis* petitur ex fide et praxi Ecclesiae latinae et graecae, quae extremam unctionem ab omni retro memoria semper ac sine interruptione administravit tanquam ritum sacrum a Christo institutum non solum ad alleviationem morbi, sed etiam ad remissionem peccatorum, et ideo tanquam verum N. L. sacramentum credidit. Hanc fidem contestantur ea, quae §. 516 dicta sunt de septenario sacra-

(1) De div. offic. c. 40 (2) S. 1 in Ded. Eccl.
(3) Cap. 32. (4) An. 836, can. 36.
(5) An. 847, cap. 26. (6) An. 868, can. 72.

mentorum numero, qui completus non esset, si extrema unctio sacramentis non accenseretur. Eandem fidem probant tum antiquiores, tum recentiores libri rituales et sacramentales Ecclesiae occidentalis et orientalis, ut ostendunt *Martenius* de antiq. Eccl. rit. (1), ac *Renaudotius* in perpertuit. fidei (2). Neque adversarii ostendere possunt, quandonam post Apostolorum aevum haec fides et praxis inceperit, et quomodo sine ulla contradictione et turbine in utraque Ecclesia invaluerit. — Equidem *Sam. Deylingius* (3) affirmare ausus est, extremam unctionem, monstrum informe enatum esse in Ecclesia Romana sub barbarie superiorum saeculorum: imo et *Dallaeus* contendit, sacramenta confirmationis et extremae unctionis in sola Latinorum Ecclesia inveniri. Sed sicut prior rem asseruit, sed non probavit, ita posterior turpissime aberravit. Plurima enim monumenta ostendunt, fidem de extrema unctione tanquam de N. L. sacramento semper in Ecclesia graeca viguisse, et adhuc vigere. Hanc fidem profitentur recentiores illius scriptores, ut *Gregorius Protonsycellus*, *Petrus Mogilas*, auctor confessionis orthodoxae, *Meletius Syrigus* in refutatione articulorum *Cyrilli Lucaris*, et *Ieremias* Patriarcha CPtanus, qui in responsione 1, cap. 7 ad Lutheranos Würtenbergenses inquit: « Sacrum vero oleum, et hoc nobis est traditum, et ipsum est divinum sacramentum divinae nobis misericordiae typum repraesentans, quod in redemptionem et sanctificationem illis, qui a peccatis convertuntur, conferri solet, et ex multis infirmitatibus nos sublevat, eosque, qui illo digne utuntur, sanctificat. » Ast si Graeci modo hanc fidem profitentur, eandem etiam ante schisma habuerunt; nam post schisma eam ab Ecclesia Latina non recepissent. Et sane neque tempore *Photii*, neque in *Concilio Lugdunensi II*, neque in *Florentino* Latini Graecos de negato extremae unctionis sacramento accusarunt, neque Graeci Latinos ob fidem huius sacramenti reprehenderunt: ergo una semper erat utriusque Ecclesiae de hoc sacramento fides.

Nota 1. Existentia extremae unctionis sacramenti recte etiam *ex ratione convenientiae* probatur. Nam Christus instituit sacramenta, ut fidelibus subveniret pro quovis tempore, et secundum quemvis statum. Ideo in ingressu ad hanc vitam est *Baptismus*, in progressu et decursu vitae *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Poenitentia*; et pro statibus, qui graviores obligationes adnexas habent, *Ordo* et *Matrimonium*: convenientissimum igitur est et divinae Providentiae ac Religionis christianae oeconomiae maxime consentaneum, ut etiam pro egressu ex hac vita speciale sacramentum existat, quo in doloribus corporis sublevemur, et contra insidias daemonum muniamur. Sapientissime igitur *Conc. Tridentinum* Sess. XIV in prooem. de extr. unct. dicit: *Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possint; ita extremae unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit; nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut de-*

(1) Lib. 1, p. 2, cap. 7, art. 1, etc.
(2) T. 5, lib. 5, cap. 1, etc.
(3) In Observ. sacris, p. 3, n. 8. Lips. 1739

vorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae prospicit. Hanc rationem convenientiae etiam moderatiores nonnulli Protestantes approbarunt. *Leibnitius* in syst. theol. (1) cum dixisset, sacramentum extremae unctionis S. Scripturae et interpretationi Ecclesiae inniti, et gratiam curationum in Ecclesia stabilita infrequentiorem factam esse, ita pergit: « Superest igitur saltem hodieque efficacia illa sanitatis perpetua et nunquam fallens, quae ad animam ipsam bene dispositam pertinet, atque ab Apostolo Iacobo additur, quando huius sacramenti usum describit, et in peccatorum remissione ac fidei virtutisque munimento collocatur, quo nunquam magis opus est, quam in vitae periculo atque terroribus mortis ad ignea tela Satanae tum maxime ingruentia repellenda. » Plura similia testimonia refert *Esslinger* in Apologia Rel. cathol. per auctores protestantes § 6. Memoratu digna sunt verba *Augusti*, qui recitato textu *Bellarmini* ex cap. 5 ita loquitur: « Quia in exitu de hoc mundo existunt speciales difficultates, instituit Dominus speciale praesidium, quia saepe accidit, ut qui in extremis agunt, nec possint audire verbum exhortationis, nec Eucharistiam percipere, nimirum morbo gravati et usu sensuum privati; inungi autem, et sacramenti huius fructum percipere semper possunt... Nemo qui bonae fidei sit, contradicet veritati et bonitati horum verborum *Bellarmini*, quibus *Goëthe*, *Chateaubriand* aliique moderni auctores sunt debitores primae ideae illarum imaginum poëticarum, ubi ipsi nobis ostendunt Religionem, quae suorum sacramentorum ope manu auxiliatrice hominem ducit a primo ortu suo usque ad interitum. »

Nota 2. Rigidiores Protestantes cum *Dallaeo* sequentia traditionis argumenta opponunt.

Obi. I. Veteres Patres de sacramento unctionis altum silent etiam in illis libris, in quibus ritus omnes Ecclesiae et disciplinam quam diligentissime sunt persecuti. Imo per octo priora saecula, qui sanctorum vitas et exitus litteris consignarunt, eos oleo inunctos fuisse non commemorant; quod magno indicio est, unctionem infirmorum tunc non fuisse in Ecclesia usitatam.

Resp. Argumenta haec negativa sunt, et vim non habent contra positiva Patrum testimonia, quae in probatione indicavimus. Rationem huius silentii refert *Bellarminus* (2) dicens: « Ex hoc (Innocentii) testimonio colligimus, cur non extent multa huius generis testimonia, id est, tam antiqua et tam expressa, quia videlicet non habuerunt occasionem de hac re scribendi; nam nec Innocentius de hac re scripsisset, nisi Episcopo Eugubino dubitatio illa in mentem venisset, utrum Episcopus possit dare sacramentum extremae unctionis, an solus presbyter?... Alioquin enim de sacramentis, quae in usu quotidiano erant, non scribebant Patres, nisi coacti aliqua occasione, vel nisi haereticis respondendum esset. » Hinc etiam illud diluitur argumentum, quod per octo saecula non legatur, viro sanctos in extremis sancto oleo inunctos fuisse. Nam quae in communi usu versantur, tanquam res notissimae non scribuntur. Hinc cum Patres in gestis piorum virorum con-

(1) Pag. 280, etc. (2) Cap. 4

scribendis praecipue horum virtutes heroicas et actus praestantiores posteris tradere voluerint, de ritu sacrae unctionis consulto verba praeterire poterant, quia istius usus, cum iuxta universalem Ecclesiae praxim cunctis fidelibus communis esset, nihil singulare praeseferebat, quod peculiarem videretur mentionem promereri. Plures ex eadem ratione ne viaticum quidem a sanctis perceptum fuisse tradunt, quamvis iam *Conc. Nicaenum I*, can. 13 praeceperit, ut omnibus prope vitae finem Eucharistia tribueretur. Dein notandum est, antiquos Patres extremam unctionem sacramentum *Poenitentiae consummativum* nominasse, eius videlicet appendicem et perfectionem, adeo ut apud eos poenitentiae nomine unctio quoque sacra intelligeretur: unde cum ipsi de poenitentia expresse agerent, ac testarentur, aliquos in hac decessisse, innuebant simul etiam implicite S. Unctionem tanquam poenitentiae complementum; nam et hodie, ubi dicimus aliquem decessisse viatico munitum, id intelligitur factum conscientia antea per poenitentiam emundata, quamvis haec expresse non commemoretur: antiquitus vero unctio cum poenitentia dabatur, et ante Eucharistiae communionem. Falsum autem est, ante saeculum nonum sanctorum biographos de collata extrema unctione penitus silere. Nam de S. Regina *Chlotilde* in eius actis legitur, quod morti appropinquans: « inuncta est a Sacerdotibus oleo sancto, deinde Eucharistia refecta. » *Gregorius Turonen.* Hist. Eccl. Francorum (1) scribit: « A S. *Nepotiano* (Episcopo apud Avernos) visitatur (Artemius) infirmus, atque oleo sancto perunctus tribuente Domino redditur sanitati. » Extremam unctionem susceptam esse a S. *Eugendo* abbate, testem habemus coaequalem eius biographum (apud *Mabillon*).

Obi. II. Cum *Urbanus III* in cap. *Vir* de sec. nupt. respondisset, viri et mulieris benedictionem iterari non debere, istius responsionis rationem hanc attulit Glossa: « Sacramenta enim iterari non debent..... tamen poenitentia bene iteratur... fallit autem secundum quosdam regula in extrema unctione; quid enim impediret hanc iterari, cum non sit sacramentum, sed oratio super hominem? »

Resp. Iuxta Glossam negatur, extremam unctionem ex iis sacramentis esse, quae imprimunt characterem, adeoque reiterari non possunt; non autem negatur, eam simpliciter sacramentum esse: alioquin eam non contulisset cum poenitentia, quae, licet iterari possit, tamen est sacramentum.

Obi. III. Ipsi theologi catholici inter se dissentiunt circa institutionem, materiam, formam, subiectum et effectus extremae unctionis: ergo de hoc sacramento non habetur revelatio certa.

Resp. Certo revelata et ab Ecclesia definita sunt, quae spectant ad existentiam et ad substantiam sacramenti extremae unctionis; et in his omnes theologi catholici plane consentiunt Certant autem inter se in quaestionibus, quae substantiam non attingunt, et in quibus certa revelatio et Ecclesiae definitio non habentur. Propter accidentalia vero, quae dubia sunt, negari non possunt substantialia, quae certa sunt.

(1) Lib. 1, c. 41.

ARTICULUS II.

Doctrina reliqua de Sacramento extremae unctionis.

§ 667. Nonnulli ex Protestantibus, qui Epistolam S. Iacobi ut canonicam venerantur, nihilominus negant, per citata verba Iacobi veritatem sacramenti extremae unctionis probari, quia unctio, quae in usu est in Ecclesia Romana, toto, ut aiunt, coelo distat ab ea, de qua loquitur S. Iacobus. Haec enim non erat nisi olei vulgaris et communis; nunc vero non adhibetur ad huiusmodi unctionem nisi oleum ab Episcopo consecratum. Commemoratur in textu Iacobi adiumentum sanitatis, non praesidium et adiumentum pacatius moriendi. Iuxta Apostolum a pluribus Sacerdotibus, seu potius a senioribus populi fieri debet haec unctio, nunc vero ab uno tantum Sacerdote fit. Iacobus loquitur de omnibus infirmis indiscriminatim, in Ecclesia autem Romana non inunguntur, nisi extremo morbo laborantes. Neque unctio, quae nunc adhibetur, morbos depellit sicut depellebat Iacobaea. Ex his inferre conantur, verba Iacobi ad sacramentum extremae unctionis referri non posse. Haec autem obiectio ex eo tantum oritur, quia Protestantes Scripturam iuxta spiritum suum privatum exponunt, seu potius iuxta suas praeconceptas opiniones contorquent, et apostolici ac ecclesiastici sensus lineam penitus negligunt. Ex dicendis autem patebit, doctrinam catholicam de sacramenti extremae unctionis *materia, forma, ministro, subiecto, effectibus* et *necessitate* cum textu Iacobi omnino cohaerere, huncque Apostolum non de alia unctione loqui, quam de illa, quae in Ecclesia catholica graviter decumbentibus administratur.

(1) In suppl. q. 29 art 4

I. *De extremae unctionis materia remota.*

§ 668. Materia remota extremae unctionis est oleum olivarum, ab Episcopo, vel a Sacerdote ex eius commissione, benedictum.

1. De fide est, materiam remotam extremae unctionis esse oleum ex olivis expressum. Nam Iac. V dicitur: *Ungentes eum oleo;* olei autem nomine absque ullo addito intelligitur oleum olivarum, quia, ait *S. Thomas* (1), « Oleum principaliter nominatur olivae liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiant. » Idipsum confirmat continuus Ecclesiae usus et constans traditio. Oleum enim olivarum semper in administranda extrema unctione adhibitum esse, testantur Patres supra laudati, citata Conciliorum decreta, Ritualia Latinorum (2) et Euchologia Graecorum (3). Hinc *Conc. Florentinum* in decr. ait: *Quintum sacramentum est extrema unctio, cuius materia est oleum olivae per Episcopum benedictum.* Et *Trident.* Sess. XIV, c. 1 (4) dicit: *Ex apostolica traditione per manus accepta... Ecclesia intellexit, materiam huius sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat.* Oleum infirmorum simplex esse debet, videlicet nec balsamo, nec aliis aromatibus compositum. Ideo P. *Arcudius* loc. cit. loquens de extrema unctione apud Graecos usitata dicit: « Materia est purum oleum, quod non sit permixtum cum aliis aromatibus instar unguenti confirmationis. » Et quamvis *Suarez*, cui alii adhaeserunt, putet, non esse contra Christi insti-

(2) Ap. Marten. loc. cit. lib. 1, c. 7, art. 3.
(3) Apud Goar, et Arcudium. de concord. lib. 5, c. 1. (4) De sacr. extr. unct.

tutionem, si alius liquor misceatur, imo opinetur, fuisse illi aliquando balsamum admixtum ; negari tamen nequit, antiqua monumenta ostendere, etiam in Ecclesia Latina communiter oleum simplex et purum adhibitum fuisse. Si tamen oleum infirmorum foret balsamo permixtum, id extremae unctionis validitati non officeret, « modo tamen admixtio tanta non sit, ut destruat exteriorem olei speciem, ita ut non amplius oleum, sed potius unguentum, aut alterius generis mixtum artificiale censeatur, » ut scribit *Benedictus XIV* (1). Oleum convenientem esse pro extrema unctione materiam, probat *S. Thomas* loc. cit. dicens: « Spiritalis sanatio, quae in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur, et lenis, ut spes, quae exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est et penetrativum usque ad intima et etiam diffusivum, et ideo quantum ad utrumque praedictorum est conveniens materia huius sacramenti. » Et *Catechismus Rom.* (2) de oleo infirmorum ita loquitur: « Aptissime haec materia illud significat, quod vi sacramenti interius in anima efficitur; nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tanquam pabulum praebet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per huius sacramenti administrationem efficiatur, declarant. »

2. Debere oleum esse ab Episcopo benedictum, non quidem in Ss. Litteris docetur. Attamen benedictionis huius iam *Innocentius I* (3) meminit. Eam praescribunt *Sacramentaria* Latinorum apud Martenium, et *Euchologia* Graecorum apud Goarium, Concilia quoque ut *Aquisgranense II* (4), *Cabillonense II* (5), *Wormatiense* (6), et imprimis *Eugenius IV*, qui in decreto declarat: *Materia* (extr. unctionis) *est oleum olivae per Episcopum benedictum.* Cui traditioni insistens *Conc. Tridentinum* Sess. XIV de sacr. extr. unctionis cap. 1 dicit: *Ex apostolica traditione per manus accepta... intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* Eandem benedictionem postulare videtur ipsa rei natura, ut nimirum significetur, quod oleum non suapte natura, ut *Estius* (7) dicit: « Sed Spiritus sancti virtute morbis animae medeatur. » Imo benedictionem olei infirmorum non solum necessitate praecepti ecclesiastici, sed etiam necessitate praecepti divini, et ad validitatem sacramenti requiri, ex declarationibus Rom. Pontificum infertur. Nam *Paulus V* (8) propositionem, « quod sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit, » - ut temerariam, et errori proximam proscripsit; et *Gregorius XVI* (9), decretum S. Inquisitionis approbavit, quo statuitur, « non posse in casu necessitatis parochum ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti oleo a se benedicto. » Ergo pro certo habenda est sententia asserens, benedictionem olei essentialem esse ac de necessitate sacramenti contra *Natalem Alex.*, *Victoria*, *Juenin* et alios, qui eam repetunt ex sola

(1) Lib. 8 de Syn. Dioec. c. 1, n. 3.
(2) P. 2, cap. 6, n. 5. (3) Ep. loc. cit. 7.
(4) An. 836, c. 2, can. 8.
(5) An. 813, can. 48.
(6) An. 868, can. 72.
(7) In 4 dist. 23, § 8.
(8) Decret. S. Inquis. 13 ian. 1655
(9) 14 sept. 1842.

praecepto Ecclesiae, licet id non videatur expresse definitum a citatis Conciliis et Pontificibus.

3. Suarez contendit (1) benedictionem Episcopi ita ex institutione Christi necessariam esse, ut neque a Rom. Pontifice possit ea committi simplici presbytero. Sed plerique theologi contrarium sentiunt, et dicunt, oleum infirmorum ex expressa vel tacita summi Pontificis concessione a simplici presbytero confici posse. Id probatur ex vetustissima praxi apud Graecos, Armenos et alios orientales per multa iam saecula continenter servata, qua eorum presbyteri oleum infirmorum benedicere solent. Consuetudinem hanc, de qua testes habemus *Arcudium* (2), *Leonem Allatium* (3), et *Goarium* (4), Summi Pontifices non modo non proscripserunt, sed potius probarunt. Id enimvero praestitit *Clemens VIII* in instructione pro Episcopis Latinis in Graecia degentibus, circa oleum infirmorum sic decernens: « Non sunt cogendi presbyteri Graeci olea sancta praeter chrisma ab Episcopis Latinis dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. » Hoc decretum iisdem verbis renovavit *Benedictus XIV* Const. *Etsi pastoralis* (5). — Equidem *Paulus V* et *Gregorius XVI* in mox allatis decretis insufficientem declarant Sacerdotis benedictionem. Sed haec decreta de benedictione, facta a Sacerdote simplici, sine legitima facultate obtenta intelligenda sunt, quae facultas in Ecclesia Latina concedi non solet. Caeterum attendendum est monitum *Ritualis Romani* dicentis: « Si forte sacrum oleum infirmorum infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso reparari potest (6).

(1) De extr. unct. c. 1, n. 8.
(2) De concordia, etc. lib. 3, c. 2.
(3) De consensu, etc. lib. 3, c. 16.

II. *De extremae unctionis materia proxima.*

669. Materia proxima sacramentorum in applicatione materiae remotae ad subiectum idoneum consistit. Sacrum igitur oleum corpori infirmi applicandum est, et quidem per unctionem, dicente S. Iacobo: *Ungentes eum oleo*. Certum igitur est, unctionem, qua oleo sacro corpora infirmorum obsignantur, proximam esse huius sacramenti materiam, et ad eiusdem essentiam pertinere: qua in re omnes Catholici consentiunt. Quoniam autem Apostolus non exprimit partes corporis, quae inungendae sunt, et ab Ecclesia hac de re nihil definitum est, ideo theologi non consentiunt, dum quaeritur, quotuplex unctio ad essentiam sacramenti requiratur. Nonnulli, ut *Durandus*, *Billuart*, *Paulus a Lugduno* etc. probabile censent, quintuplicem unctionem sensuum esse de essentia sacramenti. Alii vero, ut *Natalis Alex.*, *Tournely*, *Juenin*, *Berti*, *Thomas ex Charmes* et plerique recentiores docent, unicam unctionem esse de necessitate sacramenti, licet fateantur, quinque sensuum unctiones pertinere ad integram et maiorem expressionem effectus huius sacramenti, easque esse ab Ecclesia praescriptas.

1. Qui probabile censent, quintuplicem sensuum unctionem de necessitate sacramenti esse, sequentibus argumentis insistunt. Antiquissima est Ecclesiae praxis quinque sensus

(4) In notis ad Euchol.
(5) Constit. 57, § 4.
(6) Cf. Berti lib. 35, cap. 4, prop. 3, § 4.

ungendi. *S. Gregorius M.* in suo Sacramentario (ap. Menandrum) praescribit, ut quinque sensus inungantur; ait enim: « Multi Sacerdotum infirmos perungent in quinque sensibus corporis, id est, in superciliis oculorum, et in auribus deintus, et in narium summitate sive exterius, et in labiis exterius, et in manibus exterius, id est, de foris. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo sacrato dicentes: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Hoc enim faciant, ut si in quinque sensibus mentis et corporis aliqua macula inhaesit, haec medicina Dei sanetur. » *S. Bonaventura* in Brevil. (1) de extrema unctione dicit: « Ad huius sacramenti integritatem requiritur - inunctio infirmi in septem partibus determinatis, scilicet in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus et lumbis; » et inferius addit: « Inunctio fieri debet in septem locis praedictis, ut sic disponatur homo per hoc sacramentum ad plenitudinem sanitatis per deletionem omnis venialis peccati. » *S. Thomas* in suppl. (2) ait: « Hoc sacramentum per modum curationis exhibetur: curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis partibus, ubi est radix morbi. Et ideo etiam unctio sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum, in quibus est radix spiritualis infirmitatis. » Et ib. (3) haec dicit: « Ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet unctio adhiberi; ideo inunguntur loca quinque sensuum, scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum praecipue viget; et propter (vim) appetitivam inunguntur aliquibus renes. Pedes autem inunguntur propter (vim) motivam, qui sunt principalius eius instrumentum. Et quia primum principium cognitionis humanae est (vis) cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur, quae fit ad quinque sensus quasi de necessitate sacramenti: sed quidam non servant alias, quidam vero illam servant, quae fit ad pedes, et non quae ad renes, quia appetitiva, et motiva sunt secundaria principia. » *Eugenius IV* in decreto dicit: Infirmus *ungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* His argumentis moti nonnulli putant, saltem quinque sensuum unctionem requiri de necessitate sacramenti.

2. Probabilior est eorum sententia, qui dicunt, unicam unctionem esse de necessitate sacramenti. Nam neque ex Scriptura, neque ex Traditione erui potest, unctiones assignatas esse de necessitate sacramenti. S. Iacobus enim dicit simpliciter: *ungentes eum.* Quot autem, et quae unctiones sint faciendae, non determinat. Sicuti ergo ex hoc: *baptizantes eos* eruitur tantum, necessariam esse ablutionem, non autem necessario requiri triplicem immersionem; ita ex hoc: *ungentes eum* erui non potest, necessariam esse quintuplicem unctionem, sed unctionem simpliciter. Neque ex Traditione necessitas quintuplicis unctionis probari potest, quia varia fuit Ecclesiarum disciplina circa numerum et locum unctionum. Iam *Albertus M.* (4) dicit: « Diversarum Ecclesiarum et ordinum diversum esse usum, quia in quibusdam

(1) P. 6, cap. 11. (2) Q. 32, art. 5. (3) Art. 6. (4) In 4 dist. 23, art. 6.

Ecclesiis unguntur loca plura, in aliis pauciora. » Idem ostendit *Martenius* lib. 1 de ant. Eccl. ritibus (1). Certum porro est, quod vetus Ecclesia orientalis, et recentior consuetudo Graecorum, a quibus confici sacramentum nemo iure negabit, neque oculos ungit, neque aures. Nam *Arcudius* (2) ait: « Sacerdotes graecos ungere frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte; postremo pedes. » Et *Simeon Thessalonicensis* in lib. de sacram. (3) inquit: « Ungit Sacerdos oleo ad modum crucis ipsius (aegri) frontem ob contentas in eo cogitationes: faciem quoque inungit propter sensuum organa: postremo manus, a pravis cogitationibus et operibus eum expians, sanctoque oleo et signo crucis muniens et perfecte sanctificans. » Nunquam autem extrema unctio a Graecis collata irrita ab Ecclesia Latina declarata fuit. Imo etiam in Ecclesia occidentali creditum non fuisse, quod quintuplex sensuum unctio ad essentiam sacramenti requiratur, ex eo patet, quia permissum erat, ut ob periculum contagionis, vel ob instantem mortem unica unctio adhibeatur. Ita pastorale *Mechliniense* ab Academia Lovaniensi anno 1588 approbatum statuit: « In morbis contagiosis et peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, aut detectum, dicendo: Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum et gressum. » *Rituale Parisiense* ait: « Si non possit super infirmum fieri nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, et caeteris precibus praetermissis dicatur: Per istam sacri olei unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus. » Eandem praxin approbant rituales libri Ecclesiarum Cameracensis, Atrebatensis, Genevensis iussu S. Francisci Salesii aliarumque. Ita etiam *Benedictus XIV* de Syn. dioec. lib. 8 (4) parochos instruit: « Cum prudenter timent, aegrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant formam universalem pronuntiando... Quinimo in praedicto eventu consultius est ut caput, a quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur. » Haec autem permitti non possent, si quintuplex sensuum unctio esset de necessitate sacramenti. Dicta igitur *S. Gregorii M.*, *S. Bonaventurae*, *S. Thomae* et *Eugenii IV* tantum de necessitate praecepti ecclesiastici intelligenda sunt.

Nota. Ex dictis consequens est, quemlibet Sacerdotem teneri religiose observare, quae sunt in usu Ecclesiae, cui addictus est, cum illa tacite saltem approbet Ecclesia universa. Cum autem in sacramentis conferendis maxime consulendum sit honestati, verecundiae et pudori, iure meritoque in foeminis unctio renum omittitur. *Rituale* enim *Romanum* dicit: « Renum unctio in mulieribus honestatis gratia semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet. »

(1) P. 2, c. 7, art. 4, § 8.
(2) Lib. 5 de extr. unct c. 7.
(3) Apud Arcud. loc. cit.
(4) Cap. 3, n. 5.

III. *De extremae unctionis forma.*

§ 670. Dubitare non licet, aliqua verba, dum infirmus inungitur, necessaria esse, tum quia in decreto *Eugenii IV* ad essentiam sacramenti verba tanquam forma requiruntur, tum quia, ut ait *S. Thomas* in suppl. (1) unctio de se indifferens debet per verba determinari ad esse sacramenti. Observant autem theologi, formam sacramenti extremae unctionis non fuisse a Christo Domino institutam in specie infima, hoc est, non fuisse certis et determinatis verbis praescriptam, ut patet ex diversis formulis, quae ab Ecclesia in administratione huius sacramenti usurpabantur. Forma in Ecclesia Latina usitata et praescripta haec est: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* etc. *deliquisti*. In hac forma verba: *per istam unctionem* censenda sunt essentialia, cum per eadem exprimatur actio, quae perficitur, et in qua situm est sacramentum. Vox *sanctam* ad essentiam formae non spectat, quia tum in *Florentino*, tum in *Tridentino Concilio* praetermittitur. Quidquid in contrarium nonnulli sentiant, communior ac probabilior sententia negat, verba *per suam piissimam misericordiam* necessaria fore ad sacramenti valorem, quia per voces subsequentes fit divinae misericordiae invocatio. Vox *Dominus* essentialis omnino est, indicat enim causam principalem, quae per sacramentum operatur. Pronomen *tibi* - ad formae substantiam et illud pertinet, cum per ipsum in particulari determinetur subiectum, cui sacramentum applicatur. Pars quoque substantialis formae sunt verba: *Indulgeat quod deliquisti*, seu *peccasti*, ut legitur in *Eugenii VI* decreto; ita enim praecipuus sacramenti effectus, nempe peccatorum remissio indicatur et imploratur. Quamvis porro expressa divinarum personarum invocatio saepe veteribus in formulis extremae unctionis reperiatur inserta, haec nihilominus ad essentialem formae integritatem referenda non est. Ratio autem ex eo deducitur, quod e divina institutione id non praecipitur, quemadmodum aperte iubetur in baptismo; sed iuxta mandatum a S. Iacobo promulgatum satis est denotare, infirmorum unctionem fieri in *nomine Domini*, quod sane praestant verba *Indulgeat tibi Dominus*. Demum neque ad sacramentum valide conficiendum opus est in forma quinque sensus inungendos enumerare, quod manifestum est tum e more Graecorum eos distincte et singillatim non exprimentium, tum quia instante mortis periculo a Latinis quoque haec sensuum enumeratio praeteritur. Apud Graecos haec forma in eorum Euchologiis legitur: *Pater sancte, medice animarum et corporum, qui misisti Unigenitum Filium tuum D. N. I. Christum omnem morbum sanantem et a morte liberantem*, sana quoque hunc servum tuum a corporali spiritualique infirmitate, qua detinetur, et vivifica eum per gratiam Christi tui potentia pretiosae et vivificae crucis, precibus Deiparae nostrae semper Virginis, Apostolorum etc. Ex quibus patet, utriusque Ecclesiae formam deprecativam esse. Controversia autem inter theologos viget, utrum forma huius sacramenti necessario debeat esse *deprecativa*, ita ut *indicativa* ad eius valorem non sufficiat? — Id affirmarunt *S. Thomas* et *S. Bonaventura*, quos sequuntur *Thomistae*, *Scotistae* et multi

(1) Q. 29, art. 7.

alii theologi. Idem vero olim negarunt *Albertus M.*, *Paludanus*, *Estius*, *Navarrus;* et inter recentiores negant *Morinus*, *Menardus*, *Martenius*, *Juenin*, *Tournely* aliique. Utriusque sententiae argumenta delibemus.

1. Qui dicunt, formam extremae unctionis necessario esse deprecativam, nec sufficere indicativam, id probant 1° ex verbis *S. Iacobi* dicentis: *Orent super eum ungentes eum oleo;* quo in textu sicut per *ungentes eum oleo* determinatur materia, ita per *orent* indicatur forma, quae igitur, cum in oratione consistat, deprecativa esse debet. Praeterea, ait *S. Thomas* in suppl. (1), S. Iacobus « attribuit efficaciam huius sacramenti orationi. *Oratio fidei*, inquit, *salvabit infirmum:* ergo cum efficacia sacramenti sit ex forma, videtur, quod forma huius sacramenti sit oratio deprecativa. » 2° *ex Traditione*, ex qua constat, formam deprecativam semper in Ecclesia Graeca, et maxima ex parte etiam in Ecclesia Latina usitatam fuisse: ait autem *S. Thomas* loc. cit.: « Illud, quod forma est sacramenti, ab omnibus oportet, quod servetur; sed verba praedicta (indicativa) non dicuntur secundum consuetudinem omnium Ecclesiarum, sed tantum deprecativa. » Et cum sibi obiiceret, formam indicativam in nonnullis Ecclesiis usurpari, respondet (2): « Verba illa indicativi modi, quae secundum morem quorundam praemittuntur orationi non sunt forma huius sacramenti, sed sunt dispositio ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba. » 3° Ex Conciliis, nempe *Florentino*, quod in decreto expresse dicit: *Forma huius sacramenti* est haec: *Per istam unctionem* etc. Et *Tridentinum* Sess. XIV, de extr. unct. cap. 1 cum allegasset verba Iacobi, dicit: *Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, docet... formam esse* illa verba: *Per istam unctionem* etc. Et ibidem, can. 3 definit: *Si quis dixerit extremae unctionis ritum, et usum quem observat S. Romana Ecclesia repugnare sententiae B. Iacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.* Constat autem, Ecclesiam Romanam forma deprecativa uti.

2. Qui contrariam defendunt sententiam, formam deprecativam nullatenus reprehendunt, sed eandem ut validam et licitam profitentur; asserunt autem, etiam formam indicativam, seu absolutam ad valorem extremae unctionis sufficere. Id probant 1° *ex antiquis ritualibus*, in quibus forma indicativa praescribitur. Ita in *Rituali Ambrosiano* Ecclesiae *Mediolanensis*, teste *S. Bonaventura* (3), haec forma praescribitur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut more militis uncti ad certamen praeparatus aëreas possis superare potestates.* In Sacramentario *S. Gregorii M.* dicitur: *Inungo te oleo sancto, sicut unxit Samuel David in regem et prophetam: operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic Spiritus immundus* etc. *Albertus M.* (4) testatur, se oculis lustrasse antiquissimos Germaniae rituales libros et in iis se deprehendisse formam sacramenti extremae unctionis indicativam; quem ritum, inquit, Germani Gregorianum vocabant. Eadem forma indicativa, teste *Menardo* (in notis ad sacram. *Greg. M.*) invenitur in Rituali *Remigio Rhemensi*, et teste *Marte-*

(1) Q. 29; art. 8. (2) Ad 3.
(3) In 4 dist. 23, art. 1, q. 4.
(4) In 4 dist. 23, art. 4.

nio (1) in Ritualibus *Suessionensi*, *Catalaunensi*, *Ambianensi* aliisque. Teste Arcudio (2), in lib. sacramentali Veneto, quem *Leo X* approbavit, haec legitur formula: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aëreas catervas in nomine Patris*, etc. At si daretur, formam indicativam nullius esse valoris, certe consequeretur, et Rom. Pontifices et Concilia cum gravi animarum detrimento peccasse, formam huiusmodi expresse non reprobando, sed diu permittendo, ut fidelibus tanquam validum administraretur sacramentum, quod ob essentialem formae defectum prorsus irritum erat. Talis vero conclusio iniqua foret, ac viro catholico indigna. Ergo ne Sedi apostolicae, ne Christi Ecclesiae tribuatur peccatum et error, fateri necesse est, extremam unctionem per formam quoque indicativam valide ministrari. 2° *Rationibus theologicis;* sita enim est cuiuslibet sacramenti forma sufficiens in verbis, quae materiae applicationem ad subiectum nomine Dei factam, nec non effectum saltem praecipuum inde procedentem significant. Caeterum vel indicativa sit forma, vel precativa, nullum hinc oritur essentiale inter utramque discrimen, cum eadem semper maneat vocum significatio. Quando igitur in extrema unctione conferenda per formam sive indicativam, sive deprecativam denotetur applicatio materiae ad subiectum nomine Dei facta, et primarius saltem sacramenti effectus, id satis est, ut illud in suo valore consistat. Non enim detrahi potest ipsius firmitati, si absolute potius quam deprecative forma recitetur, cum variatio haec verborum utpote accidentalis formam substantialiter nequeat immutare. Immerito autem quis opponeret, Apostolum Iacobum huic doctrinae repugnare, dum unctioni iungendam praecipit orationem dicens: Et *orent super eum.* Nam licet forma indicativa expressam non habeat orationem, pronuntiatur tamen *in nomine Domini*, ac proinde virtualiter quidem et implicite, sed vere ac proprie invocationem continet Divinitatis. Quod profecto sufficere videtur, ut neque in forma indicativa dicatur praeterita oratio memoratis Apostoli verbis indicta. Ex auctoritate demum *Eugenii IV* et *Conc. Tridentini* constat certe, formam deprecativam, quae nunc in more est apud omnes, validam esse, ac necessario servandam iuxta praesentem disciplinam ab Ecclesia firmatam. Verum non ita iniungitur ibi forma deprecativa, ut declaretur tanquam inefficax indicativa, cum de theologorum controversia circa formae absolutae valorem nihil fuerit sive ab *Eugenio IV* sive a Tridentinis Patribus explicite definitum.

Nota 1. Ex dictis ea conclusio inferri potest, quam duplici propositione exhibet cl. *Berti* (3) dicens: «Theologorum sententia, quae tenet, formam huius sacramenti olim fuisse expressam verbis indicativi modi, et consequenter etiamnum *formam absolutam*, si adhiberetur, validam futuram fore, nulla censoria nota perstringi debet, ac magna probabilitate defenditur.» — «Videtur tamen congruentior forma per modum deprecationis prolata, quam in praesentia servant Latinorum Ecclesiae.» Certum est, ad hanc adhibendam in praesens Sacerdotes omnes graviter obligari. Hinc *Benedictus XIV* (4) ait: «Iniungendum est parochis, ut formam adhibeant in rituali praescri-

(1) In lib. 1 de ant. Eccl. rit. c. 7, a. 3, n. 9.
(2) Lib. 3 de extr. unct. c. 5.
(3) Lib. 35, c. 6.
(4) Lib. 8 de Syn. dioec. c. 2.

ptam, quae certe sine gravi flagitio non potest auctoritate privata immutari. » Et licet verba, *Per suam piissimam misericordiam*, non sint de essentia formae; attamen, ait *S. Alphonsus de Ligorio* (1): « Conveniunt omnes, quod omittere praedicta verba esset quidem mortale, cum esset omissio in re notabili, et contra usum Ecclesiae. » Nonnulli theologi putant, etiam verba, *Per istam unctionem*, essentialia non esse, tum quia ex eo, quod in nonnullis sacramentis actio, quae fit, in forma exprimi debeat, inferri nequit, id in omnibus sacramentis fieri debere; tum quia *unctio* in forma Graecorum nullatenus exprimitur. Ab hac sententia cl. *Berti* alienus non est; addit tamen ibid. (2): « Graeci, quamquam actum unctionis non exprimant in formae pronunciatione, illum tamen expresse innuunt in *Troparìis* sacrae unctioni praemissis; in quibus Deum orantes inquiunt: *Ita fac, ut nos quoque ministri simus N. T. tui super oleum istud;* et rursus praecantur, ut aegrotis conferatur *corporis animique salus unctione olei et Sacerdotum;* ideoque nec deest in ritu a Graecis servato actionis sacramentalis expressio, si quis velit hanc pertinere ad sacramenti substantiam, quod nequaquam existimo. »

Nota 2. Plures unctiones referuntur ad unum sacramentum constituendum. Quamvis enim quaelibet unctio peculiarem habeat formam, et effectum quoque suum producat (quidquid sit de opinione eorum, qui postremae tantum unctioni gratiae productionem attribuunt); nihilominus referuntur unctiones singulae ad eandem animae sanationem, unamque spiritualem medicinam efficiunt, veluti una diceretur curatio vulnerum, unumque medicamentum, si quis in pluribus corporis partibus sauciatus eodem unguento in singulis liniretur. Addunt theologi rationem alteram, nempe quod unctiones omnes sint quaedam *partiales materiae* unam integram constituentes, atque ex formis item cuilibet unctioni applicatis consurgit *forma una totalis*. Ideo *Catechismus Rom.* (3) ait: « Unum est (extremae unctionis sacramentum) non partium continuatione, quae dividi non possint, sed perfectione; cuiusmodi sunt caetera omnia, quae ex pluribus rebus constant. Nam quemadmodum domus, quae ex multis et diversis partibus composita est, una tantum forma perficitur; ita hoc sacramentum, etsi ex pluribus rebus et verbis constituitur, unum tamen signum est, et unius rei, quam significat, efficientiam habet.

(1) Lib. 6 Theol. mor. tr. 5, c. 1, n. 711.
(2) Cap. 7, n. 3.

IV. *De extremae unctionis ministro.*

§ 671. Ministri sacramenti extremae unctionis *non sunt seniores aetate, sed Sacerdotes;* et *ab uno etiam Sacerdote hoc sacramentum valide et licite administrari potest.*

1. Veteres Protestantes *presbyterorum* nomine iuxta vocis etymon *aetate seniores, viros prudentes, aut medicinae peritissimos* intelligendos esse censuerunt, ut ostenderent, etiam laicos sacram unctionem perficere posse. At ex textu Iacobi manifeste patet, solos Sacerdotes esse huius sacramenti ministros: dicit enim Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae.* In Scripturis autem N. T. ubicunque agitur de muniis ecclesiasticis, per presbyteros nunquam intelliguntur aetate seniores, sed gradu et sacerdotii dignitate maiores, ut ex. gr.

(3) P. 2, c. 6, n. 4.

Act. XIV, vers. 22 etc.(1). Adde, quod Iacobus non dicat presbyteros simpliciter, sed *presbyteros Ecclesiae*, hoc est, illos, qui ad Ecclesiae regimen, ad ministerium sacrum et publicas Ecclesiae functiones specialiter sunt consecrati, quales non sunt laici seniores, sed Sacerdotes solummodo. Etiam *Hugo Grotius* in Comment. in Ep. Iacobi fassus est, per presbyteros intelligendos esse Sacerdotes, et istos aperte significari in versione syriaca. Consentiunt etiam hac in re recentiores protestantes, ut *Noesselt*, *Rosenmüller*, etc. Eadem veritas roboratur Ecclesiae catholicae auctoritate. Nam Ss. Patres non alium extremae unctionis ministrum indigitant, quam Sacerdotes. In libris ritualibus nonnisi Sacerdotibus praescribitur, quid in extrema unctione conferenda observare debeant. Si historiae perlegantur, nullum in antiquitate universa reperiri poterit exemplum de hoc sacramento a laicis administrato. Si denique Concilia consulantur, manifestum erit, cum Ecclesiae Graecae et Latinae praxi eiusdem doctrinam mutuo consentire. Nam *Florentina Synodus* in *Eugenii* decreto ait: *Minister huius sacramenti est Sacerdos.* Et *Tridentina* Sess. XIV, cap. 3 dicit: *Ostenditur illic* (in verbis Iacobi), *proprios huius sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros, quo nomine eo loco non aetate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii.* Et can. 4 definit: *Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopis ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.* Nomine sacerdotum vero hic etiam Episcopos intelligi, patet tum ex declaratione Concilii cap. 3, tum ex Epistola *Innocentii I*, tum ex historia, quae plura exempla praesertim Principum refert, quibus ab Episcopis extrema unctio collata fuit (2). His ratio theologica addi potest. Unctio extrema sacramentum est *poenitentiae consummativum*, sicuti docet *Concil. Tridentinum* (3). Qui ergo minister est poenitentiae, ad eundem etiam spectat extremam unctionem administrare. Atqui poenitentiae minister alius non est, quam Episcopus aut Sacerdos; ergo etiam solis Episcopis et Sacerdotibus propria est extremae unctionis administratio.

2. Nonnulli contenderunt, ad validam et licitam extremae unctionis administrationem unum Sacerdotem non sufficere, sed plures requiri, tum quia S. Iacobus dicit: *Inducat presbyteros*, tum quia constat, in Ecclesia Graeca septem, et antiquitus etiam in Ecclesia Latina plures Sacerdotes ad ungendos oleo sacro infirmos adhibitos fuisse (4). — Sed iuxta doctrinam catholicam unus Sacerdos sufficit ad extremam unctionem valide et licite conferendam. Neque enim ex verbis Iacobi praeceptum divinum inferri potest, ad extremam unctionem plures presbyteros adhibendi. Perinde enim valet haec loquendi ratio, *inducat presbyteros Ecclesiae*, ac aliquem de Ecclesiae presbyteris, uti cum dicimus: Qui male se habet, medicos accersat: vel ut Christus leprosis dixit: *Ite, ostendite*

(1) V. Act. 15, 21; Tim. 5, 17; Tit. 1, 4; 1 Petr. 5, 1.
(2) V. Martenium, lib. 1 de ant. Eccl. rit 3) Sess. 14, cap. 1.
(4) V. Arcudium de Concord. lib. 5, cap. 3; et Martenium, loc. cit. lib. 1, c. 7, art. 3, § 3.

vos Sacerdotibus (1); cum tamen ex legis praescripto satis esset, si vel uni tantum se ostendissent (2). Etenim, ut probe animadvertunt *S. Augustinus* caeterique Scripturarum interpretes, figurate persaepe loquuntur Ss. Litterae *per enallagen*, indefinitum ponentes pro definito, numerum pluralem pro singulari. Quare dum Apostolus infirmum sacramentaliter obsignari iubet, universum coetum nominat Sacerdotum per verba, *inducat presbyteros*, ut indicet, aliquem eorum advocandum esse ad hoc sacramentum administrandum; quemadmodum etiam usitato locutionis modo peccata dicuntur Sacerdotibus aperienda in sacramento poenitentiae, licet coram uno tantum Sacerdote fiat sacramentalis confessio. Quod si insistant adversarii in plurali numero, reponimus, optimum quidem esse, ut plures Sacerdotes adsint in huius sacramenti administratione (non quidem ungentes, sed tantum orantes, quia nunc in Ecclesia Latina vetitum est ab alio, quam ab uno Sacerdote sacramentum istud administrari), minime tamen ex sacramenti necessitate; alias in pagis et villis, in quibus saepissime nonnisi unus Sacerdos invenitur, plures tam salutari remedio carere deberent. — Neque Traditio nobis adversatur; nam a praxi Ecclesiae probe distinguenda est eiusdem fides, qua constanter credidit, etiam ab uno Sacerdote valide et licite extremam unctionem administrari. Dubitari sane non potest in primis saeculis, in quibus magna erat Sacerdotum penuria, ita ut in nonnullis Ecclesiis solus Episcopus cum diaconis adesset, ab uno tantum Episcopo, vel ab uno Sacerdote extremam unctionem collatam fuisse. *Innocentius I* in Ep. ad Decent. ait: « Caeterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem (infirmum) a se visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest cuius est ipsum chrisma conficere. » Innocentius ergo nullum agnovit divinum praeceptum, plures Sacerdotes pro extremae unctionis sacramento necessarios faciens; alias non uni Episcopo hanc administrationem permisisset; si autem solius Episcopi ministerium sufficit, sufficiet etiam unius Sacerdotis, qui post Episcopum est ordinarius huius sacramenti minister. Hinc plura exempla prostant extremae unctionis ab uno Sacerdote administratae. *S. Gregorius Turonensis* (3) refert, *Artemium*, febre correptum, ab uno *S. Nepotiano* visitatum, atque oleo sancto perunctum fuisse. In vita *S. Eugendi*, qui saec. VII floruit, legitur: « Vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim perungendi infirmos onus iniunxerat, secretissimo quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, inungi » (4). *B. Mauram* a solo *Prudentio Tricassino* saec. IX inunctam fuisse, testatur ipse *Prudentius* in eius vita. Quovis igitur tempore administratio extremae unctionis ab uno Sacerdote peracta, valida et licita credita fuit. Unde *Alexander III* cap. *Quaesivit* (5), declaravit: « Nos igitur tibi taliter duximus respondendum, quod Sacerdos uno praesente clerico, et etiam solus potest infirmum ungere. » Haec eadem fides in scholis viguit. Nam *S. Thomas* (6) inquit: « Quamquam congruum sit hoc sacramentum a pluribus ministrari, si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sa-

(1) Luc. 17, 14. (2) Levit. 14, 2.
(3) Lib. 1 hist. cap. 41.
(4) Ap. Bolland. ad diem 1 ianuarii.
(5) Extr. de verb. signific.
(6) Lib. 4, c. Gent. cap. 73.

cramentum perficere in virtute totius Ecclesiae, cuius minister existit, et cuius personam gerit. » Idipsum infertur ex *Conciliis Florentino* et *Tridentino*, quae locis alibi citatis non plures, sed unum tantum semper memorant extremae unctionis ministrum. Item *Benedictus XIV* Constit. 57, § 5 haec scribit: « Non refert, utrum eadem extrema unctio per unum vel plures presbyteros fiat, ubi huiusmodi viget consuetudo, dummodo credant et asserant, illud sacramentum servata debita materia et forma, ab uno presbytero valide et licite confici. » Et libro 8 de Synodo dioec. (1) declarat, in Ecclesia saltem Latina, ob nonnullos qui irrepserunt abusus sancitum esse, ut ab unico Sacerdote, parocho scilicet, ungeretur infirmus.

Nota 1. Opponunt Novatores *Innocentium I* qui in Ep. ad Decent. c. 8 scribit: «Oleo non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo; » ex quo inferunt ipsi, *Innocentium* extremae unctionis ministrandae laicis quoque dedisse potestatem. Haec difficultas duplici modo solvitur. *Bellarminus, Suarez, Estius* et *Benedictus XIV* dicunt, *Innocentium* locutum esse non *de activa*, sed *de passiva* unctione sacramentali, id est, non de collatione, sed de receptione sacramenti; loquitur enim de subiecto extremae unctionis, et declarat, hanc non solos Sacerdotes, sed et omnes fideles aegrotos recipere posse. Alii vero cum *Dom. Soto, Simmonet, Tournely* etc. putant, *Innocentium* loqui de unctione non sacramentali, quae unice fiebat ad impetrandam a Deo sanitatem. Cum enim viderent fideles, extremae unctionis beneficio plures infirmos in pristinam restitui sanitatem, coeperunt eodem sacro oleo uti, sed absque omni forma sacramentali, atque eo ferme modo, quo aqua benedicta nunc frontem tingimus, et olim fideles etiam aquam baptismalem ad curandos morbos adhibebant. De hac unctione mere caeremoniali varii antiqui scriptores loquuntur, ut *Ruffinus* (2), *Palladius* (3), *Severus Sulpicius* in vita S. Martini (4), *S. Gregorius Turonen.* in vitis Patrum (5). Hac animadversione etiam disiiciuntur argumenta, quibus *Basnagius* et *Launoius* ostendere conati sunt, interdum a diaconis, imo vel ab ipsis laicis in casu necessitatis hoc sacramentum fuisse administratum. Sane, inquit clar. *Perrone* (6): « Singula expendi documenta, quae illi auctores proferunt, nec ullum reperi, quod non spectet ad unctionem caeremonialem quae olim in usu erat ad implorandam a Domino sanitatem. » Dum *V. Beda* in Iac. V, infirmos monet, ut « seniorum adiutorio curari se meminerint, neque ad iuniores, minusque doctos causam suae imbecillitatis deferant, » loquitur de confessione, ut patet ex his verbis, et merito consulit, quantum ad hoc accedendum esse ad seniores potius, quam ad iuniores et minus doctos. Intelligebat enim *Beda*, textum Iacobi non solum de extrema unctione, sed etiam de sacramento poenitentiae propter verba, quae sequuntur: *Confitemini alterutrum peccata vestra;* unde haec verba *infirmatur quis*, etc., interpretantur non solum de corporis, sed etiam de animae infirmitate. At paulo post verba quae obiiciuntur, dicit: «*Orent super eum ungentes oleo*. . . Ecclesiae consuetudo tenet, ut infirmi oleo con-

(1) Cap. 4, § 6. (2) Lib. 2 hist. Eccl. c. 4.
(3) Hist. Lausic. c. 20
(4) Cap. 21. (5) Cap. 4.
(6) De extr. unct. n. 41, in nota 1.

secrato ungantur a presbyteris, et oratione comitante sanentur. »

Nota 2. Quemlibet Sacerdotem extremam unctionem valide administrare certum est, cum ad hoc sufficiat ordinis potestas. Verum non omnes id licite praestant, cum legitimi huius sacramenti ministri dumtaxat habendi sint animarum pastores ob ordinariam qua gaudent, iurisdictionem, aliique Sacerdotes, quibus haec potestas a pastoribus demandata est. In primis quoad regulares hoc sancitum legimus lib. 5 *Clement.* Constitut. c. 1, tit. 7, de privilegiis, ubi, exceptis casibus in iure expressis, vel per privilegia Sedis apostolicae iisdem concessis, generatim poena excommunicationis ipso facto contrahendae, et Rom. Pontifici reservatae in religiosos, qui non habita prius parochialis presbyteri licentia speciali extremam unctionem administrare praesumpserint. *Catechismus Rom.* (1) ait: « Nec tamen ex S. Ecclesiae decreto cuivis Sacerdoti, sed proprio pastori, qui iurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille eius muneris fungendi potestatem fecerit, hoc sacramentum administrare licet. » *S. Carolus* in *Concilio provinciali* 5 statuit: « Nec alius Sacerdos nisi parochus hoc sacramentum administret. Si porro his impeditus, aut alias in mora est mortisque periculum instat, hoc sacramentum Sacerdos alius ministret. »

V. *De extremae unctionis subiecto.*

§ 672. Subiectum extremae unctionis sunt omnes homines baptizati gravi morbo laborantes, qui habent, aut saltem habuerunt rationis usum. Hi omnes valide hoc sacramentum recipere possunt.

1. Ungendos esse tantum infirmos, et quidem gravi morbo laborantes, patet ex verbis S. Iacobi. Dum enim dicit: *Infirmatur quis*, etc., utitur graeca voce ἀσθενεῖ, quae de eo accipitur, qui viribus et robore privatus est. Eadem vox occurrit I Cor. XI, 30, eamque S. *Chrysostomus* (2) exponit de graviter decumbentibus. In eodem sensu eam sumit *Theophylactus* (3). Idem confirmatur ex Apostoli verbis: *Oratio fidei salvabit infirmum*, ubi occurrit vox κάμνοντα, quae iuxta omnes valde et graviter aegrotantem designat. Sane de iis infirmis loquitur Iacobus, qui per se accedere ad Ecclesiae presbyteros nequeunt, ac propterea eos accersendos iubet, ut ad aegrotos ungendos se conferant. Probat idem diserta Patrum doctrina, ut ex eorum testimoniis citatis apparet, et constans praxis Ecclesiae, quae ex libris liturgicis perspicitur, extra omne dubium collocat; nec non ipsa nomina, 'uti sunt *extrema unctio*, *unctio infirmorum*, *sacramentum exeuntium*, confirmant. Ideo *S. Thomas* in suppl. (4) ait: « Hoc sacramentum est ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam: et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium propter hoc, quod aegritudo nota est inducere mortem, et periculum timetur. » *Concilium Florentinum* in decreto de extrema unctione dicit: *Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.* Et *Tridentinum* Sess. XIV, c. 3, de extr. unct. ait: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae*

(1) P. 2, c. 6, n. 13.
(2) Hom. 27 in I Cor n. 1
(3) Comment. in Iac. 5, 14, etc.
(4) Q. 32, art. 2

constituti videantur. Ex hac doctrina sequentia consectaria deducuntur: 1° sacramentum hoc collatum sano, aut non periculose aegrotanti, est irritum, quia datur illi, pro quo non est institutum; 2° idem non est conferendum iis, qui sano corpore sunt in periculo mortis, ut capite plectendi, praelium aut periculosam navigationem aggressuri, mulier proxima partui; quia licet de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi. Si autem agatur de muliere in ipso actuali partu periculose laborante, quamvis quidam negent, probabilius tamen affirmatur, extremam unctionem huic conferendam esse, quia adest vera infirmitas ex ipsa pariendi difficultate orta; 3° ungendi quoque sunt senes, qui licet nulla speciali infirmitate detineantur, ipsa tamen decrepita senectute ad oculum deficiunt, et creduntur proxime morituri, quia gravis senectus et virium defícientia ipsa est morbus. Item ungendi sunt veneno infecti, lethaliter vulnerati etc., quia licet vi, vel fraude ab extrinseco illata infirmentur, vere tamen sunt infirmi: item qui subito oppressi non petierunt, nec petere possunt sacramentum, si religionem catholicam professi sint, quia inde praesumuntur illud desiderare. — Doctrinae quidem nostrae repugnare videtur praxis Graecorum, qui etiam sanos, et bene valentes inungunt. Sed *Goarius* (1) et *Renaudotius* (2) dicunt, unctionem illam, qua apud Graecos sani inunguntur, non esse sacramentalem, neque ut sacramentum, sed ut piam *caeremoniam* devotionis causa observari, neque eandem formam ut in collatione sacramenti adhiberi. Si vero quidam ex Graecis verum sacramentum sanis conferre intendunt, eos gravissime errare dicendum est. Unde *P. Arcudius* (3) dicit: « Ego praesentem morem Graecorum, qui poenitentes, quamvis bene valentes in omnibus iis corporis partibus, adhibita quoque forma sacramenti, non aliter atque infirmos inungunt, nulla ratione probare possum. — Cum enim subiectum non sit aptum ad recipiendum sacramentum, frustra temereque (bene valentibus) Graeci administrant... Graeci vero, qui alios novitatis accusant.... respondeant ipsi, a quo istud acceperint, ut contra doctrinam Apostolicam sanos ungere debeant? »

2. Neque pueris ante usum rationis, neque perpetuo amentibus conferendum est hoc sacramentum, quia institutum est contra reliquias peccatorum, sicut sacramentum poenitentiae, cuius est consummativum, institutum est contra peccata: sicuti ergo infantes et perpetuo amentes sunt incapaces sacramenti poenitentiae, quia nunquam peccaverunt, ita et extremae unctionis. Ideo *S. Thomas* (4) de extrema unctione dicit: « Nulli debet dari sacramentum, cui non competit forma sacramenti. Sed forma huius sacramenti non competit pueris, quia non peccaverunt per visum et auditum, ut in forma exprimitur; ergo eis non debet dari hoc sacramentum. » Item *Rituale romanum* ait: « Extrema unctio non ministretur... pueris rationis usum non habentibus. » Pueri vero exacto septennio aeque ac adulti ungendi sunt; tum enim doli fiunt capaces et culpae, quia communiter ea aetate rationis usum assequuntur. Et quamvis ob debitae maturitatis defectum ad eucharistiae sumptionem non adhuc

(1) In notis ad Euchol.
(2) Perpet. fid. t. 5, lib. 5, c. 8.
(3) Lib. 5 concord. c. 4.
(4) In 4 dist. 23, q. 2, art. 2.

sint admittendi; nihilominus poenitentiae sunt capaces, atque idcirco etiam extremae unctionis, quae a *Tridentino* dicitur *Poenitentiae complementum*. Imo interdum et ante septennium puero ministrandum erit hoc sacramentum, quando scilicet malitia aetatem in eo supplere noscatur. Amentibus quoque et furiosis, qui aliquando usum rationis habuerunt, aut lucidis intervallis gavisi sunt, conferendum est hoc sacramentum, quod ideo institutum fuit: ut *si* quis *in peccatis fuerit remittantur ei*. Istis tamen tunc tantum extremam unctionem conferre licet, si ex professione christiana praesumi possit, quod illam voluissent, si advertissent; et si ungi possint absque irreverentia sacramenti (1).

3. Ad licite hoc sacramentum conferendum et suscipiendum requiritur, primo *recta fides:* etsi namque valide tribuatur baptizatis non catholicis, id tamen fieri non licet, cum haeretici et schismâtici ab unitatis centro iam segregati bonorum Ecclesiae spiritualium nequeant esse participes. Secundo requiritur *status gratiae*, quia est sacramentum vivorum: hinc si quis peccati alicuius mortalis sibi conscius est, debet illud confiteri; quod si non possit, debet de illo contritionem vel attritionem elicere cum voto illud, ubi facultas fuerit confitendi. Tertio requiritur *intentio huius sacramenti suscipiendi;* nam si aegrotus adhuc rationis compos hoc sacramentum contemnat et respuat, nullaque praebeat indicia poenitentiae, tum veluti publicus et induratus peccator habendus est, et cum absolutione sacramentali sit indignus, etiam unctione sacra privari debet: id praescribit *Rituale Romanum* dicens: « Extrema unctio impoenitentibus, et qui in manifesto peccati mortali moriuntur, et excommunicatis... penitus denegetur. » Quarto requiritur *devotio*, et praesertim *fiducia*, per hoc sacramentum salutem animae et corporis promovendi, nam *Catechismus Roman.* (2) dicit: « Aegroto parochi persuadere studeant, ut ea fide se ungendum Sacerdoti praebeat, qua olim, qui ab Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueverant. Imprimis autem animae salus, deinde corporis valetudo cum illa adiunctione, si ea ad aeternam gloriam profutura sit, expetenda est. »

Nota. Sapientissime cl. *Perrone* (3) hoc monitum adiicit: « Dum diximus, subiectum huius sacramenti esse infirmos gravi morbo laborantes, non ita haec accipienda sunt, ut in extremis, ut aiunt, constitutis, debeat hoc sacramentum administrari. Haec enim agendi ratio est contra Ecclesiae mentem, et contra finem secundarium eiusdem sacramenti, conferendi scilicet sanitatem, si animae saluti expediat; cum enim sacramentum non producat hunc effectum per modum miraculi, non ita debet differri, donec miraculum necessarium sit. Est praeterea haec praxis perniciosa, cum ex eiusmodi dilatione fiat, ut absque hoc salutari sacramento infirmus e vivis non semel excedat aut sacramentum recipiat, cum sensibus destitutus est, ac proinde sine contritionis actibus: demum ansam praebet haereticis Ecclesiam calumniandi, perinde ac si ipsa pinguedine sua, ut loquitur Calvinus, semicadavera inficiat. » Etiam *Catechismus Rom.* (4) dicit: « Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti, ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere in-

(1) Cf. Benedict. XIV de Syn. dioec. lib. 8, c. 6, n. 4. (2) P. 2, c. 6, n. 12.

(3) Loc. cit. n. 43. (4) Loc. cit. n. 9

cipiat; constat enim, ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. »

VI. *De extremae unctionis effectibus.*

§ 673. Cum quodlibet sacramentum sit res externa, seu subiecta sensibus, quae ad significandam et producendam gratiam ex divina institutione ordinatur, dubitare prorsus non licet, per extremam unctionem gratiam supernaturalem conferri. Salutarem hunc effectum ex textu S. Iacobi rectissime colligi, docet infallibilis interpres *Conc. Tridentinum*, quod Sess. XIV, cap. 2 ita loquitur, de extrema unctione tractans: *Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim haec gratia est Spiritus sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit consequitur.* Et ibid. can. 2 definit: *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.* Ex hac doctrina Concilii facile noscuntur extremae unctionis effectus: primus nempe est *peccatorum remissio;* alter *reliquiarum peccati abstersio;* tertius *prostrati animi alleviatio et erectio:* quartus demum *pristinae valetudinis, ubi saluti animae expedierit restitutio.*

1. Dubitari sane non potest, per extremam unctionem peccata remitti. Nam Apostolus dicit: *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Ideo *Conc. Cabillonense II* extremam unctionem vocat *medicinam, quae animae corporisque medetur languoribus. Ticinense: Sacramentum, per quod remittuntur peccata. Florentinum* in decret. dicit: *Effectus extremae unctionis est mentis sanatio; in quantum autem expedit, etiam corporis. Tridentinum* docet, gratiae Spiritus sancti unctionem *delicta, si quae adhuc sint expianda, et peccati reliquias abstergere*, et anathematizat dicentem, *sanct. infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata.* De fide ergo credendum est, extremam unctionem etiam peccata remittere. Non conveniunt autem theologi in hac peccatorum remissione explicanda. *S. Bonaventura, Scotus*, quem discipuli sequuntur, *Estius* et alii contendunt, extremam unctionem institutam esse ad venialia tantum peccata *per se et directe* remittenda; nam, aiunt, ad mortalia remittenda institutum est sacramentum poenitentiae; venialia autem, quae non sunt materia necessaria confessionis, etiam aliis mediis extingui possunt, ad quae extrema quoque unctio referenda est. *Bellarminus, Maldonatus, Tournely* et alii docent, per extremam unctionem non solum venialia, sed etiam mortalia peccata, *per se et directe* remitti; quod ex eo probant, tum quia generatim et indefinite S. Iacobus pronuntiat: *Si in peccatis sit, remittentur ei;* et *Tridentinum: Delicta*

quae adhuc sint expianda, abstergit; tum quia forma ipsa sacramenti, *Quidquid per visum* etc. *deliquisti;* et aliunde Ss. Patres, cum de effectu huius sacramenti loquuntur, non distinguunt inter peccata venialia et mortalia: nomine vero peccatorum et delictorum mortalia non minus, quam venialia intelliguntur, imo et potiori iure. — *S. Thomas*, *Dom. Soto*, *Billuart*, *Antoine*, *Suarez*, *Sardagna* et multi alii dicunt extremam unctionem non esse institutam ad peccata sive mortalia sive venialia *per se et directe* remittenda, sed primarium et principalem eius effectum esse augmentum gratiae sanctificantis cum iure ad gratias actuales, quae dantur ad alleviandum et corroborandum aegrotantis hominis animum contrà morbi molestias ac dolores et tentationes diaboli. Exponunt isti verba Apostoli: *Si in peccatis sit, remittentur ei,* vel de reliquiis peccatorum, vel de remissione peccatorum, quae fit ex consequenti seu per accidens, vel de remissione peccatorum quoad reatum poenae. Sententia haec sequentibus argumentis probatur: 1° Communis et constans Ecclesiae doctrina est, duo tantum esse sacramenta mortuorum, nempe baptismum et poenitentiam: ergo extrema unctio per se, atque ex primaria Christi institutione peccata mortalia non remittit; alioquin foret sacramentum mortuorum. 2° *S. Thomas* in suppl. (1) dicit: « Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios *ex consequenti* inducere possit: et quia sacramentum efficit, quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cuiusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis: medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandam infirmitatem peccati, ut sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, et poenitentia quaedam spiritualis suscitatio; ita et extrema unctio sit quaedam spiritualis sanatio vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem: et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus, quibus vita spiritualis tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae, gratiae vel gloriae. » 3° *Conc. Tridentinum* definivit, lapsis post baptismum sacramentum poenitentiae necessarium esse necessitate medii saltem in voto. Atqui hoc dogma non videtur conciliari posse cum ea sententia, quae docet, extremam unctionem peccatis mortalibus remittendis per se, primo et ex principali Christi intentione sufficere; in hac enim hypothesi possent peccata mortalia sola unctione, secluso sacramento poenitentiae expiari. 4° *Catechismus Roman.* (2) ait: « Docebunt pastores, hoc sacramento gratiam tribui, quae peccata, et in primis quidem leviora et, ut communi nomine appellantur, venialia remittit. Exitiales enim culpae poenitentiae sacramento tolluntur: neque enim hoc sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed baptismus tantum, et poenitentia vi sua hoc efficiunt. » In quae verba cl. *Perronè* (3) inquit: « Qui ergo cum *Sambovio* existimant,

(1) Q. 30, art 1. (2) Loc. cit. n. 14. (3) Loc. cit. in nota ad n. 45

effectum istius unctionis per se non esse solam remissionem venialium, sed etiam mortalium, ii pugnant cum doctrina *Catechismi Romani*, imo cum sensu universae Ecclesiae, quae duo solum semper agnovit sacramenta mortuorum, baptismum nempe et poenitentiam. » Notandum vero est, quod etiam illi, qui huic sententiae inhaerent, non negent, *ex consequenti* et *per accidens* fieri posse, ut per hoc sacramentum etiam peccata mortalia remittantur, et prima gratia producatur. Id docet ipse *S. Thomas* (1) dicens: « Contingit quod homo omnium peccatorum, quae commisit, notitiam vel memoriam non habet, ut possit per poenitentiam singula expiare, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum (extremae unctionis) emundari. » Et in suppl. (2) de extrema unctione addit: « Si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex, ex parte recipientis. » Ac (3) cum sibi obiecisset, tria esse in peccato, quae per extremam unctionem tolli non possunt, scilicet *maculam, reatum poenae* et *reliquias peccati*, ita respondet: « Extrema unctio aliquo modo quantum ad illa tria remittit peccatum: quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur, tamen hoc sacramentum per gratiam, quam infundit, facit, quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit contritio, sicut etiam in Eucharistia et Confirmatione potest accidere. Similiter etiam et reatum poenae temporalis diminuit, sed ex consequenti, in quantum debilitatem tollit, quia eandem poenam levius portat fortis, quam debilis; unde non oportet, quod propter haec minuatur satisfactionis mensura. Reliquiae autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati, sed quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata, etiam eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus non ita potest inclinari mens ad peccatum. » Iuxta eandem doctrinam *S. Carolus* in suis instructionibus de effectibus extremae unctionis disserens ait: « Potest fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc sacramento iuvatur, ut fieri possit, eum per hoc sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus. » — Quamvis porro theologi in hoc effectu explicando non conveniant, haec tamen opinionum discrepantia ad praxin, et salutem fidelium parum refert. Dummodo enim infirmus effectum percipiat sacramenti, nihil interest, an sacramentum primario et per se, an secundario et per accidens illum producat.

2. Unctio extrema *peccati reliquias abstergit*. Per peccati reliquias nonnulli intelligunt reatum poenae temporalis, qui etiam post remissam culpam remanet. Et certe per extremam unctionem etiam reatus poenae temporalis iuxta suscipientis dispositionem imminuitur, vel deletur; sed iste effectus non est principalis in hoc sacramento, nec infallibilis ut in baptismo; quamobrem Ecclesia semper exegit, ut in gravi morbo sacro oleo uncti, si convaluerint poenitentiam, cui subiecti erant, continuent. Per *reliquias peccati* intelligi ergo debet languor ille et aegritudo animi, quae multiplicitate peccatorum contrahitur. Experimur enim, ex multitudine peccatorum augeri in nobis vulnus concupiscentiae ac mentis

(1) Lib. 4. c. Gentes. c. 73. (2) Q. 30, art. 1. (3) Ibid. ad 2.

caecitatem, quae duo, ut possimus insidias daemonum illecebrasque vitare, sanari debent, maxime in agone postremo. Accedit timor mortis inditus cuique hominum a natura, quo ne, dum morbo afflictamur et mors imminet, animus opprimatur, infirmus confortandus est superno gratiae auxilio, atque ita erigendus, ut possit sese ad coelestia convertere. Ita enim dicitur infirmus sacra unctione *alleviari*, verbo etsi minus latino, usitato nihilominus in Ss. Litteris (1). Huic autem verbo respondet in graeco epistolae Iacobi textu, ἐγείρειν, quod ad animum pertinet, et idem sonat ac *pellere torporem, tristitiam ac negligentiam.* Recte ideo *S. Thomas* per reliquias peccati intelligit animi debilitatem ex peccatis contractam, docetque, ad has peccati reliquias abstergendas principaliter institutam esse. Ait enim in suppl. (2): « Hoc sacramentum - datur... contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae, gratiae vel gloriae; et hic defectus nihil aliud est, quam quaedam debilitas et ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali, et contra hanc debilitatem roboratur homo per hoc sacramentum. »

3. Tertius effectus cum priori intime conjunctus est, et ex isto sequitur. Gratia enim, quae peccati reliquias abstergit, simul mentem illuminat, animumque ad salutares virtutum actus in ultimo agone eliciendos promptum reddit. Alterum hunc primarium effectum Apostolus Iacobus absolute rēpromittit dicens: *Et alleviabit eum Dominus.* Iste autem effectus plura complectitur. Erectus enim et confirmatus gratiae sacramentalis auxiliis animus infirmi eruitur e tristitia, quam parere solet instantis mortis adspectus, praeteritarum culparum memoria, futuri iudicii metus, periculum aeternae damnationis. Viribus porro instruitur tum ad morbi cruciatus patienter sustinendos, tum ad strenue certandum in supremo agone adversus humani generis hostem. Gaudio quoque ac interna fiducia repletur, per quam facilius ad supernorum contemplationem elevatur; ac denique sempiternae remunerationis intuitu alacritate perfunditur, sponsique coelestis laetus expectat occursum.

4. Ultimo per extremam unctionem aegrotus sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur. Ad istum effectum referuntur Iacobi verba: *Oratio fidei salvabit infirmum*, quae cum respondeant verbis antecedentibus: *Infirmatur quis in vobis?* profecto iuxta sermonis contextum de restitutione sanitatis corporeae sunt intelligenda. Quamvis vero inter extremae unctionis effectus primum recenseat Apostolus corporis sanationem, haec tamen effectus est *secundarius*, quia sacramenta N. L. nonnisi ad spirituale animarum bonum primario ex divina institutione ordinantur. Unde licet per sacram unctionem pristinam valetudinem non recipiat infirmus, non ideo dicendum est, hoc sacramentum frustrari; tum quippe dumtaxat frustrantur sacramenta, cum nequeunt vel unum e *primariis* effectibus sibi propriis operari. Praeclare *S. Thomas* (3) dicit: « Extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiae, sed ex virtute divina, quae rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum,

(1) Is. 9, 1; Ion. 1, 5; Act. 27, 38.
(2) Q. 30, art. 1.
(3) In 4 dist. 23, q. 1, art. 2.

nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis. »

Nota. Cum in extrema unctione omnes quinque sensus ungantur, quaeri potest quandonam istud sacramentum producat effectum suum? Respondet *S. Thomas*, id post ultimam fieri unctionem; nam, ait l. c. (1): « Quando sunt multae actiones ordinatae ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium, et agit in virtute earum; et ideo in ultima unctione gratia infunditur, quae effectum sacramento praebet. » Et quia sacramenta effectus suos ex opere operato producunt, iuxta veriorem sententiam extrema unctio corporalis quoque sanitatis restitutionem, ubi saluti animae expediat ex opere operato producit, quia ad hunc effectum secundario est instituta.

VII. *De extremae unctionis necessitate et iteratione.*

§ 674. 1. Omnes theologi conveniunt extremam unctionem non esse necessariam absolute, seu, ut dicunt, *necessitate medii*, quia fideles absque hoc sacramento gratiam primam, amicitiam Dei, peccatorum suorum remissionem et vitam aeternam consequi possunt. Non conveniunt autem theologi, dum quaeritur, utrum saltem vi praecepti divini aut ecclesiastici necessarium sit hoc sacramentum. *Lud. Habert, Drouvenius, Merbesius, Tournely, Collet, Thomas ex Charmes* et nonnulli alii dicunt, extremam unctionem infirmis de vita periclitantibus necessariam esse necessitate praecepti divini et ecclesiastici. Nam, aiunt, Iacobus dicit: *Inducat presbyteros Ecclesiae*, etc.; quae verba imperantis sunt et praecipientis, non consulentis tantum et adhortantis; unde *Concilium Tridentinum* (2) dicit: *Nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Iacobi sententiam docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus susceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiae habentem.* Iam vero si *mandatum Dei* habet sacramentum extremae unctionis, quis in dubium revocabit, infirmum, de cuius exitu timetur, ad hanc suscipiendam divino iure obligari? Accedunt etiam praecepta ecclesiastica. Nam *Concilium Cabillonense II*, anno 813 (3) ait: *Secundum B. Apostoli Iacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Coloniense* an. 1538 dicit: *Haec sacra unctio impendatur cum expositione mandati Apostoli.* Et alterum *Coloniense* an. 1549 decernit, *Eos ecclesiastica sepultura privandos esse, qui infirmitatis suae tempore unctionem sacram respuerint ac contempserint.* Praeterea Ecclesia ut e libris ritualibus compertum est, toto semper opere studuit, ut oleo sacro inungerentur aegroti, et in variis Conciliis graves poenas statuit in animarum pastores, qui extremae unctionis neglexerint administrationem, fuerintque in ea conferenda morosi. At quaenam tantae sollicitudinis causa, si de re ageretur, quam fidelibus liberam Ecclesia relinqueret? — Ast non obstantibus gravibus his argumentis *Suarez, Estius, Sylvius, Gotti, Billuart* et plurimi alii negant, ne-

(1) Ad 3. (2) Sess. 14, c 3. (3) Can. 48

cessariam esse extremam unctionem necessitate praecepti divini, aut ecclesiastici. Nam, aiunt, hae voces, *inducat*, *debent*, non important necessario rigorosum praeceptum; his enim et similibus vocibus saepe utimur in iis, quae non sunt stricte praecepta, ut cum dicimus: Fideles audiant saepe sacrum, vel debent frequenter confiteri. *Conc. Tridentinum* vel *mandatum* in latiori significatu sumit, prout Sess. XIV, cap. 1 se explicat dicens, hoc sacramentum per Iacobum *commendatum* et *promulgatum* esse; vel mandatum intelligit, quo omnes fideles in hoc sacramentum credere, et pastores illud petentibus administrare tenentur. Quamvis autem theologi hac in doctrina sibi adversentur, notandum tamen est, quod relate ad praxin fere consentiant, omnesque hypotheticam saltem huius sacramenti necessitatem profiteantur. Nam: 1° Omnes conveniunt, quod non liceat hoc sacramentum contemnere, et quod talis contemptus lethale peccatum involvat; nam *Tridentinum* l. c. (1) dicit: *Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus sancti iniuria esse potest;* et can. 3 anathemate ferit eum, qui dixerit, hoc sacramentum *a Christianis absque peccato contemni*. Hoc vero sacramentum contemnit non solum qui recusat, sed et qui non curat recipere. 2° Omnes conveniunt, fieri *per accidens* necessarium ipso iure naturae hoc sacramentum necessitate medii ad salutem, cum infirmus merito timet, se peccatis ignorantiae obnoxium esse, vel cum mortiferae culpae sibi conscius eam confiteri non valet; tum enim, ut ab igne aeterno eripiatur, extremam unctionem hic suscipere tenetur, quia haec tali in casu saltem *per accidens* lethalia peccata delet. Quis autem se a peccatis ignorantiae immunem pronuntiare? quis etiam post factam confessionem certo dicere potest « mundum est cor meum? » — dicente Propheta: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine* (2). 3° Omnes pariter admittunt, quemlibet ad recipiendam extremam unctionem obligari, quoties haec sine scandalo nequeat omitti; urget enim in tali hypothesi divinum simul et naturale praeceptum. 4° Demum omnes concedunt, saltem ratione charitatis, qua ex naturae lege quisque seipsum diligere debet, necessariam esse unctionem infirmorum iis, qui ad perferendos gravis morbi dolores se debiles sentiunt, aut gravibus daemonis tentationibus in mortis periculo divexantur. Ea enim providissime a Christo instituta fuit, ut infirmi in doloribus confortamen, et in conflictu tam incerto ac tremendo praestantissimum praesidium ac salutis remedium haberent. Quis porro tam arrogans erit, ut se tali remedio nullatenus indigere praesumat?

2. Extrema unctio iterari potest, quia inter sacramenta non recensetur, quae characterem imprimunt. Fideles igitur oleo sacro perungendi sunt non semel tantum in vita, sed quotiescunque in iterato mortis discrimine versantur. Id patet ex verbis S. Iacobi: *Infirmatur quis in vobis?* etc., ut concludit *Petrus Cluniac.* (3) scribens: « Non ait (Apostolus), inducat presbyteros Ecclesiae semel, sed nulla mentione unius, binae, vel ternae unctionis facta, iubet nullo praefixo numero induci ad aegrotum presbyteros Ecclesiae. » Et *S. Thomas* (4) inquit: « Huius sacramenti unctio non est ad consecran-

(1) Cap. 3. (2) Ps. 18. (3) L. 5, Ep. 7.

(4) L. 4, c. Gent. c. 73.

dum, sicut unctio confirmationis, ablutio baptismi et quaedam aliae unctiones, quae ideo nunquam iterantur, quia consecratio semper manet, dum res consecrata durat propter efficaciam virtutis consecrantis. Ordinatur autem eius sacramenti inunctio ad sanandum. Medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur. » Et pressius (1): « Hoc sacramentum est quaedam spiritualis curatio per modum curationis corporalis exhibita. Sed curatio corporalis iteratur. Ergo et hoc sacramentum iterari potest. » *Conc. Tridentinum* Sess. XIV, cap. 3 docet: *Quodsi infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum sacramenti huius subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.* Ex his verbis patet, infirmos, *si convaluerint*, iterum novo accedente morbo vel periculo extremam unctionem recipere posse; sed in eadem infirmitate periclitantes, ipsoque statu aegritudinis manente, semel tantum ungendos esse. Potest tamen sacra unctio pluries conferri, cum diversus saltem fiat infirmitatis gradus, novum ac proximum adducens vitae discrimen. Nam in *Rituali Romano* legitur: *In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, et cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit.* Hinc cl. *Billuart* (2) dicit: « Si unctus in periculo illud evaserit, et postea, quamvis ab eadem infirmitate non plene convaluerit, in illud reincidat, ut contingit in morbis diuturnis, v. gr., hectica, hydropisi et huiusmodi, potest iterum ungi, quia licet non sit alia infirmitas simpliciter, est tamen alius status infirmitatis. Et ita est praxis communis. »

(1) In 4 dist. 23. q. 2. art. 4.

Nota. Quaedam antiqua monumenta ostendunt, extremam unctionem olim tanquam poenitentiae appendicem ante S. Synaxin collatam fuisse: nunc vero eandem post poenitentiae et eucharistiae sacramenta conferri debere, docet *Rituale Romanum* et universae Ecclesiae praxis. Id enim ad disciplinam spectat quae ab Ecclesia pro locorum et temporum varietate mutari potest. Ita etiam accidentales caeremoniae in administratione extremae unctionis observandae non eaedem in omnibus dioecesibus sunt: quilibet igitur Sacerdos observare tenetur caeremonias in rituali Ecclesiae, cui adscriptus est, praescriptas.

Usus doctrinae de sacramento extremae unctionis.

§ 675. 1. Sacramentum extremae unctionis rursus infinitae Dei bonitatis erga nos homines praebet argumentum. Dum enim in limine aeternitatis positi, atque tam corpore quam animo afflicti ingemiscimus divinoque auxilio quam maxime indigemus, adest nobis benignissimus Deus gratia sua per sacramentum extremae unctionis, quae peccatorum reliquias abstergit, in angoribus animi nos erigit, et si saluti animae conducit, etiam corporis sanitatem restituit. Enim vero sicuti sacramenti huius institutio infinitum Dei erga nos amorem loquitur; ita maximam nostram erga Deum gratitudinem exposcit: simus ergo Deo etiam pro hoc favore grati: aestimemus tanti momenti gratiam, atque, corpore sani adhuc frequenter Deum rogemus, ut aliquando infirmi et ad tremendum iudicem abituri per hoc sacramentum purgemur, et ad luctam mortis roboremur. — Gratias etiam Deo agere debemus,

(2) Art. 7.

quod filii simus illius Ecclesiae, quae praestans hoc salutis remedium a Christo institutum fideliter retinet, et cum maxima sollicitudine graviter aegrotantibus impertitur.

2. Quicunque gravi morbo correptus et in vitae discrimine constitutus est, extremam unctionem tum animae, tum corpori maxime proficuam vehementer exoptare, statimque devote suscipere deberet. Contrarium vero interdum contingit, quia fideles vel salutares extremae unctionis effectus haud sufficienter cognoscunt, aut inanibus praeiudiciis capiuntur. Magna igitur animarum curatoribus obligatio incumbit, ut populum circa huius sacramenti effectus instruant et praeiudicia dissipent, quae nonnullorum mentes perturbant. Frequenter fidelibus, praesertim actu iam aegrotantibus ingerendum est, quod graves theologi dicunt et ex iam dictis colligitur, multos infirmos per extremam unctionem corporis sanitatem recuperaturos, si mature eam reciperent et non ad tempus differrent, quo sine miraculo sanitas restitui nequit.

3. Recte a quibusdam frequens *spiritualis extremae unctionis receptio* commendatur. Nimirum quolibet saltem mense horae dimidium mortis meditationi ita tribuatur, ut homo iam se in ultimo agone constitutum putet. Mortis terrores et pericula considerans ad Deum recurrat, ardens extremae unctionis desiderium excitet, preces in administratione huius sacramenti recitari solitas, vel alias congruas persolvat, peccata per quinque sensus commissa defleat, Christumque imploret, ut ea per merita sanguinis et mortis suae extinguere dignetur. — Quod si, teste Scriptura (1), meditatio novissimorum utilissima est, istud quoque exercitium saluberrimum est dicendum. Atque si per ardens votum sacramenta baptismi et poenitentiae suppleri possunt, quis dicet, inane esse extremae unctionis votum saepe repetitum pro illis, qui aut repentina morte perculsi sacramentum hoc recipere nequeunt, aut sensibus destituti ne desiderare quidem valent? Imo praedictum exercitium ipsum gratiam nobis obtinebit, extremam unctionem debito tempore, et quidem cum maiori devotione et uberiori fructu recipiendi; cum illi, qui de hoc sacramento vix cogitarunt, illud recepturi magis terroribus, quam devotione repleantur, nesciantque quos effectus in corde excitare debeant.

(1) Eccli. 7, 40.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO ORDINIS

§ 676. Sacramenta hactenus exposita ab omnibus fidelibus valide et licite suscipi possunt, dummodo requisitis ad hoc conditionibus praediti sint. Duo sacramenta adhuc pertractanda pro certis hominum statibus instituta sunt, et bonum publicum spectant. *Ordo* enim ad spiritualem, *matrimonium* vero ad carnalem fidelium propagationem destinatur. De ordinis sacramento, quod pro ministris sacris institutum est, hoc in capite sermo instituendus erit: quaedam autem praenotare oportet.

1. Iam in theologia generali (2) probatum est, Christum in Ecclesia sua instituisse *magisterium authenticum*, et *imperium sacrum*. Voluit nempe, Ecclesiam suam esse *societatem inaequalem*, in qua alii doceant, alii discant, alii imperent, alii obediant (3). Ex praesenti autem theologiae theoreticae sectione ma-

(2) P. 3, Sess. 2. diss. 1, cap. 2 et 3.
(3) Ibid. § 207, 2.a edit

nifeste colligitur, Christum in Ecclesia sua etiam instituisse *sacerdotium legale*, per quod sacrificium offeratur (§ 629), et sacramenta administrentur. Christus autem plenam homines docendi, Ecclesiam regendi, sacrificium offerendi, et sacramenta administrandi potestatem *Apostolis* concessit (1), quibus in eadem potestate *Episcopi* succedunt (2), sicuti Petro, Primati, Rom. Pontifex succedit (3). Ast praeter Episcopos ex ipsa Christi institutione in Ecclesia dantur etiam *presbyteri*, qui quoad potestatem tum iurisdictionis tum ordinis Episcopis inferiores sunt, quia licet sacrificium offerre possint, atque, ut vidimus, baptismi, eucharistiae, poenitentiae et extremae unctionis ordinarii ministri sint, duo tamen sacramenta, nempe confirmationem et ordinem administrare nequeunt (4). Praeterea Apostoli ex ipsa Christi ordinatione *diaconos* crearunt, qui licet sacrificium offerre nequeant, ad ministerium tamen sacrum assumpti sunt, et Episcopis ac presbyteris in sacris functionibus ministrare tenentur (5). Ecclesia porro potestate sibi a Christo concessa etiam *subdiaconos* et *ordines minores* instituit, quibus inferiora ecclesiastica munia competunt. Ex divinis his institutis admirabilis illa *hierarchia* exurgit, per quam Ecclesia insigni splendore coruscat, atque terribilis hostibus efficitur sicut castrorum acies ordinata (6).

2. Si omnia aevi christiani saecula percurramus, ex plurimis et certissimis monumentis cognoscimus, quovis tempore ministros sacros, ac imprimis Episcopos, presbyteros et diaconos ritu quodam visibili et externo ad munus suum assumptos fuisse. Sicuti enim Apostoli orantes imponentesque eis manus Episcopos, presbyteros et diaconos constituerunt, ita etiam Ecclesia quovis tempore ad eosdem ministros sacros constituendos orationem et manuum impositionem, aliosque sacros ritus adhibuit. Perpetua quoque et universalis Ecclesiae fides fuit, ritum sacrum et externum, quo praefati ministri sacri constituuntur, cum gratia interna et supernaturali coniunctum esse, qua ad munera sua sacra rite obeunda roborantur et adiuvantur. Hinc nunquam a Catholicis sive graecis, sive latinis dubitatum est, pro ministris sacris a Christo Domino speciale institutum esse sacramentum, quod *sacramentum ordinis* appellari consuevit.

3. Notandum est, differre inter se *ordinem* et *ordinationem*. Vox ordinis late sumpta congruentem ac debitam rerum distributionem significat. Et quia munera et officia ecclesiastica convenienter et debite distributa sunt, ipsis quoque ordinis nomen applicatur. Ideo *Catechismus Rom.* (7) inquit: « Placuit Ss. Patribus hoc vocabulo uti, quod latissimam significationem habet, ut dignitatem et excellentiam ministrorum Dei indicarent. Est enim ordo, si propriam eius vim et notionem accipiamus, dispositio superiorum rerum et inferiorum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur. Cum itaque in hoc ministerio multi sint gradus et variae functiones, omnia vero certa ratione distributae sint et collocata, recte et commode *ordinis* nomen ei impositum videtur. » Est igitur *ordo* aliquid fixum et permanens, et bene dicitur, aliquem *ad ta-*

(1) Theol. gen. § 189 et § 224 et seq.
(2) Ibid. § 228 et seq.
(3) Ibid. § 243 et seq. (4) Ibid. § 249.
(5) Ibid. § 250. (6) Ibid § 251.
(7) P. 2, c. 7, n. 9.

lem ordinem pertinere: imo si quis *ordinem exercere* dicatur, sensus est, quod functiones peragat proprias illis, qui in certa dignitate ecclesiastica constituti sunt. In hoc sensu acceptus *ordo* sacramentum dici nequit, sed eius potius effectus. — Per *ordinationem* iuxta *Morinum* (1), intelligitur actio, qua homo in aliquem ordinem allegitur et cooptatur, estque benedictio et consecratio verbis et caeremoniis praescriptis concepta; consistit itaque in actione fluente et transeunte consecrantis seu ordinantis. Cum autem ordinatio illud sit, per quod homo in aliquo ordine ministrorum collocatur, et ad exercenda ordinis officia aptus efficitur, factum est, ut *ordinis* vocabulum ad hanc ipsam inaugurandi actionem fuerit translatum. Hinc sacramentum pro ministris sacris a Christo institutum communiter *sacramentum ordinis* appellatur.

4. Hoc sacramentum primo aspectu videtur ad eos tantum pertinere, qui ad sacra munia in Ecclesia assumuntur, ut eis et potestatem conferat ministrandi, et bene ministrandi gratiam. At si quis, ut apposite observat *Catechismus Rom.* (2), « aliorum sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet, ea omnia ab ordinis sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et ministrari nullo modo queant, partim solemni caeremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur. » Ex quo intelligitur, non in quorundam tantum gratiam, sed in communem omnium fidelium utilitatem sacramentum hoc a Christo fuisse institutum. Mirum, quam uberes ex eo gratiae in universam Ecclesiam redundent. Ab hac enim sacra ministrorum inauguratione sacerdotium legis evangelicae, sacrificium, caeteraque salutis subsidia dependent; in hac ecclesiastici ordinis dignitas, clavium potestas, publici ministerii auctoritas fundatur.

5. Sacramentum ordinis iuxta doctrinam catholicam definiri potest: Sacramentum N. L. a Christo institutum, quo clericus ab Episcopo, adhibitis caeremoniis et verbis praescriptis, sacro ministerio mancipatur, sacra potestate instruitur, atque gratiam divinam consequitur, ut munia sacra ad salutem fidelium digne sancteque obire possit ac valeat. Huius iam sacramenti, 1° *existentiam* probare, 2° *extensionem seu ambitum* ostendere, ac demum 3° *materiam*, *formam*, *ministrum*, *subiectum* et *effectus* declarare oportet.

Nota. Sacramentum ordinis variis nominibus insignitur; passim enim dicitur *ordinatio*, aut etiam *benedictio ordinis* in *Conc. Aurel.* (3), *Benedictio presbyterii* in *Concil. Caesaraug. II* (4), *benedictio levitica* in *Conc. Arel. II* (5), *Ordinatio levitica*, *benedictio sacerdotalis* a *Leone M.* (6), *Consecratio*, graece καθιέρωσις, atque *manuum impositio*, seu potius *extensio*, graece χειροτονία, quae vox apud graecos saepe ordinationis sacramentum, seu consecrationem, interdum vero nudam electionem significat, quae popularibus suffragiis olim fiebat.

ARTICULUS I.

De sacramenti ordinis existentia seu veritate.

677. *Lutherus* omnium primus censetur, qui sacramenti ordinis existentiam negavit. Ipse etenim de hoc sacramento in lib. de capt. Babyl. ita

(1) P. 3, exerc. 1, cap. 2. (2) P. 2, c. 7. n. 1. (3) An. 549, 5, can. 1. (4) An. 592. can. 1. (5) An. 452, can. 44. (6) Ep. 9 ad Dioscor. c. 1.

petulanter pro more suo loquitur : « Sacramentum hoc Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papae. » Quid vero eum ad impugnandum hoc sacramentum impulerit, his verbis indicat: « Nisi fallor, si ruat hoc sacramentum et commentum aliquando, vix subsistet ipse Papatus. » Contra sentire visus est *Calvinus*, qui plerisque in locis duo tantum sacramenta ponit, baptismum et coenam, et tamen lib. 4 instit. cap. 19, num. 33 inquit : « Superest manuum impositio, quam in veris legitimisque ordinationibus sacramentum esse concedo. » Mox vero ibidem et Ecclesiae doctrinam de distinctione ordinum, et ritus, quibus ordinationes ab ea fiunt, subsannare non erubuit sacrilegus adversarius. Notatu digna sunt, quae *Melanchthon* habet in apologia confessionis Augustanae, in qua ita loquitur: « Sacerdotes vocantur non ad ulla sacrificia velut in lege... sed ad docendum evangelium, et sacramenta porrigenda populo ; nec habemus nos aliud sacerdotium... Si autem ordo de ministerio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus ordinem sacramentum; nam ministerium verbi habet mandatum Dei, et habet magnificas promissiones. » Constat autem, eundem Melanchthonem alibi duo tantum sacramenta agnovisse. Ita Protestantes, licet, dum de ordinationibus loquuntur, verbis ad fallendum compositis interdum utantur, imo et pastoribus suis a regibus aut magistratibus electis ac approbatis manus imponant, omnes tamen Anglicanis exceptis negant, ordinem veri nominis sacramentum esse, quod conferendae gratiae vim habeat, quo spiritualis nota ac indelebilis character imprimatur, quo denique potestas docendi, conficiendi et administrandi sacramenta tribuatur; sed eam veluti nudam caeremoniam habent, qua delecto pastori sacrum munus committi declaratur, assignarique stipendium. Ex istorum enim placitis omnes fideles vi baptismi sunt sacerdotio instructi, nec egent nisi publica deputatione, ut sacerdotii munere fungantur. E contra Ecclesia catholica docet, ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, quod dogma catholicum ex *S. Scriptura* et *Traditione* probatur.

I. *Argumentum ex S. Scriptura petitum.*

§ 678. Ordinem vere et proprie sacramentum esse, dubitare non licet, si ex ipsa Scriptura sacra constat, actum ordinationis fieri signo sensibili, per ipsum gratiam internam et supernaturalem significari et produci, atque hanc sacram ordinationem divina institutione gaudere. Haec tria vero, quae ad sacramentum constituendum requiruntur, ex S. Scriptura facile probantur.

1. Act. VI, 6 legimus, septem diaconos ab Apostolis fuisse ordinatos per orationem, quae audiri, et per manuum impositionem, quae videri poterat : dicitur enim de illis : *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Act. XIII, 3 de ordinatione Pauli et Barnabae dicitur: *Ieiunantes et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos*, potestate nempe apostolica instructos. Mox enim legitur, quod non solum Evangelium praedicaverint, sed etiam eodem ritu, quo Apostoli usi fuerant, alios ministros sacros constituerint ; nam ibid. de Paulo et Barnaba legitur: *Cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros* (in textu graeco impositio manuum exprimitur per verbum; χειροτονήσαντες), *et orassent cum ieiu-*

nationibus commendaverunt eos Domino (1). Denique Paulus ad Timoth. scribit: *Manus cito nemini imposueris* (2); ex quibus verbis patet, etiam Timotheum presbyteros ordinare potuisse, sed in hac ordinatione manuum impositionem adhibere debuisse.

2. Cum ritu externo gratiam internam coniunctam esse, ex eadem S. Scriptura manifeste liquet. Nam Paulus I ad Tim. ita discipulum suum, quem Ephesinae Ecclesiae Episcopum constituerat, alloquitur: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* (3): conceptis igitur verbis docet, per orationem et manuum impositionem Timotheo gratiam collatam fuisse. Et II ad Tim. ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum* (4). Nil clarius dici potuisset; Paulus enim expresse adseverat, Timotheo gratiam datam, et quidem per impositionem manuum collatam fuisse.

3. Ordinationem sacram ritu externo ab Apostolis peractam, institutam et praeceptam fuisse a Christo, manifeste patet ex gratiae collatione; solius enim Dei est eiusmodi ritum externum instituere, qui gratiae non solum significandae, sed et conferendae vim habeat. Praeterea Apostolos ex mandato divino ordinationem suscepisse, manifestum est ex Act. XIII, 2 ubi legitur: *Ministrantibus autem illis Domino et ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Ideo Paulus Episcopos ab Apostolis ordinatos a Spiritu sancto positos esse dicit; ait enim ad praesules Ecclesiarum Ephesi collectos: *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (5). Institutionem pariter divinam commemorat dicens: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem. . . . Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (6). Nec dubitari potest, hanc institutionem permanenter, seu pro omni tempore factam esse. Sicut enim Christus voluit ut Ecclesia usque ad consummationem saeculi perduret, ita etiam voluit, quovis tempore pro sacrificio Sacerdotes, pro sacramentis ministros constitui, idque fieri voluit signo sensibili, quale natura societatis visibilis exigit, ut et ipsi Christi ministri intelligant, se hac potestate donari, aliique cognoscant, illos eandem accepisse. Itaque iuxta doctrinam S. Scripturae omnia requisita ad sacramentum constituendum in ordine occurrunt.

Nota. Argumento biblico sequentia opponunt adversarii.

Obi. I. Christus non legitur Apostolis manus imposuisse, cum eos ordinavit; neque ullum extat Christi mandatum, quo ministri certo ritu ordinentur. Ordinatio igitur, quae per manuum impositionem perficitur, non potest dici a Christo instituta, et ideo non est sacramentum.

Resp. Potuit Christus pro suprema, qua pollebat, auctoritate absque peculiari ritu sacerdotalem dignitatem Apostolis conferre, an autem externum ritum voluerit adhibere, nec ne, ex Scriptura non liquet. Non legitur quidem, quod manuum impositionem adhibuerit: sed neque contrarium in Scripturis invenitur. Necessario autem Christus Apostolis sacram potestatem conferendo uti debuit signo aliquo sensibili, ut ipsi Apostoli intelligerent, se hac potestate

(1) Act. 14, 22. (2) I Tim. 4, 14.
(3) Ibid. (4) Cap. 1, 6.
(5) Act. 20, 28. (6) Eph. 4, 11, etc.

donari; et quia ministros sacros semper in sua Ecclesia adesse voluit, debuit Apostolis modum praescribere, quo illos constituerent. Qualis autem sit iste modus, ex iis novimus, quae Apostoli fecerunt et docuerunt. Ipsi etenim in ministrorum sacrorum ordinatione orationem et manuum impositionem adhibuerunt, et cum ista gratiam internam coniunctam esse testati sunt.

Obi. II. Impositio manuum, quam allata Scripturarum loca commemorant, familiaris erat veterum Hebraeorum ritus, quo Apostoli ad varios fines usi sunt, praecipue vero ad morbos curandos iuxta illud Marc.: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt* (1). Sicut autem haec manuum impositio fatentibus Catholicis sacramentalis non erat, ita nec illa, quae in ss. ministrorum inauguratione adhibebatur.

Resp. Si non omnis impositio manuum, quae ad varios fines olim adhibita fuit et adhuc adhibetur, sacramentalis non est, nullatenus exinde sequitur, etiam illam manuum impositionem, quae in sacrorum ministrorum inauguratione adhibetur, sacramentalem non esse; ista enim ex Christi institutione, ut probatum est, vim conferendi gratiam habet, et ideo veri sacramenti rationem praesefert. Etiam ablutio veteribus Hebraeis valde familiaris erat, et ad varios fines adhiberi potest; et tamen ipsi Protestantes concedunt, baptismum verum sacramentum esse a Christo institutum. Ast si eorundem obiectio valeret, etiam baptismus e sacramentorum albo expungendus esset.

Obi. III. Ad rationem sacramenti requiritur, ut per signum externum gratia sanctificans, seu gratum faciens conferatur. Sed per manuum impositionem Apostoli neo-electis ministris non gratiam sanctificantem seu gratum facientem, sed tantum gratiam gratis datam contulerunt, ut possent in bonum Ecclesiae prophetare, miracula patrare etc. Id patet 1° quia Apostolus non utitur voce χάρις, sed voce χάρισμα, quae solam gratiam gratis datam significat (2); 2° quia dicit, datam esse hanc gratiam Timotheo *per prophetiam*, quae pertinet ad gratias gratis datas; et 3° quia de gratia gratis data intelligunt loca citata *S. Hieronymus* (3) et *S. Chrysostomus* (4) in eundem textum. Ergo ex citatis Scripturae locis sacramentum ordinis probari nequit.

Resp. Apostoli ad munus sacrum electis viris manus cum oratione imposuerunt, ut digni et idonei fierent Ecclesiae ministri; ad hoc autem non sufficiebat, ut donis extraordinariis praediti essent, quae sine gratia sanctificante non proderant (5), et quae non omnibus communia erant (6): sed maxime requirebatur gratia sanctificans seu gratum faciens, ut gravia ministerii sacri officia rite adimplerent. Quamvis igitur in Ecclesiae primordiis per manuum impositionem etiam dona extraordinaria concederentur, nullatenus tamen negari potest gratiae gratum facientis collatio, ad quam, dum ministri sacri ordinabantur, impositio manuum cum oratione primario directa erat. Nec obsunt argumenta ab adversariis adducta. Nam 1° falsum est, *charisma* significare solum gratiam gratis datam, sed significat quamcumque gratiam sicut *charis*. Sic docent dictionaria graeco-latina, ut ex. gr. illud *Ambrosii Calepini* habet: « χάρις, latine gratia.... a quo vocabulo *cha-*

(1) Cap. 16, 18. (2) I Cor. 12.
(3) In I Tim. 4.
(4) Hom. 13 in I Tim. 4.
(5) Matth. 7, 22. (6) I Cor. 12. v. 28-30.

risma derivatur in eadem significatione. »Etiam vetustissimi Graecorum Patres gratiam, qua Filii Dei nominamur et sumus, χάρισμα appellant, ut *Clemens Alexan.* (1), *Gregorius Nazianz.* (2), *Theodoretus* (3) et alii, apud Suicerum (4). Hoc eodem verbo usus est Apostolus ad gratiam sanctificantem significandam I Cor. XII, cum recensitis variis gratiis gratis datis concludit dicens v. 31: *Aemulamini autem charismata meliora*, ubi per charismata gratiam sanctificantem intelligi indubium est; non vult enim Apostolus, ut recensita dona extraordinaria concupiscant, sed *charismata meliora*, quae in charitate consistunt, et animam Deo gratam faciunt: ideo immediate subiungit: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, viam nempe charitatis, de qua in capite proxime sequenti loquitur. Similiter Rom. V, 15 hac eadem voce utitur ad gratiam sanctificantem significandam, dum ait: *Non sicut delictum, ita et donum*, graece χάρισμα, quibus verbis manifeste statui peccati status gratiae sanctificantis opponitur. Denique Paulum in locis a nobis citatis per charisma gratiam sanctificantem intellexisse, evidens est; etenim II ad Tim. I post haec verba: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*, immediate subiungit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis* (5); certum est autem, spiritum dilectionis et sobrietatis esse gratiam sanctificantem seu gratum facientem. Apposite S. *Chrysostomus* (6), citata verba exponit dicens: « *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei*, hoc est, gratiam spiritus, quam accepisti, ut praesis Ecclesiae, ut signa edas et cultum omnem exhibeas. Penes nos enim est, illam vel extinguere, vel accendere. » Quibus verbis S. Doctor gratiam gratis datam ita commemorat, ut gratiam sanctificantem minime excludat: imo hanc a Timotheo resuscitandam fuisse docet, quia ibidem docet, gratiam, quae in nobis extingui vel accendi potest, esse gratiam adoptionis et charitatis, iuxta illud: *Spiritum nolite extinguere* (7). 2° Etsi daremus Timotheum donum prophetiae in sua ordinatione accepisse, inde non sequitur, quod non simul acceperit donum gratiae sanctificantis, seu *dilectionis et sobrietatis*, ut exprimit idem Apostolus. Verisimilior autem expositio est illorum, qui ea verba Pauli non de effectu manuum impositionis interpretantur, sed de prophetia sive revelatione, qua admonitus Paulus Timotheo manus imposuerat et Episcopum consecraverat, cohaerenter ad ea, quae iam eidem scripserat: *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes in te prophetias* (8). Calvinus ipse eandem expositionem sequitur in Comment. in 1 Tim. IV, 14, ubi haec notatu digna habet: « Dicit (Apostolus) gratiam illi datam esse *per prophetiam*: quomodo? Quia scilicet Spiritus sancti oraculo Timotheum destinaverat, ut in ordinem pastorum cooptaret. Neque enim delectus tantum fuerat hominum iudicio, ut fieri solet, sed praecesserat Spiritus sancti nuncupatio.... Itaque sensus est, Timotheum, cum prophetarum voce adscitus fuit in ministerium et deinde solemni ritu ordinatus, simul gratia Spiritus sancti instructum fuisse ad functionem suam exequendam. Unde

(1) Lib. 1 Paedag. c. 6. (2) Orat. 40.
(3) Ep. decr. graec. c. 28.
(4) In Thes. Eccl. t. 2 ad vocem *Charisma*, § 3.
(5) Ver. 6, 7.
(6) Hom. 1 in II Tim. 1, n. 2.
(7) I Thess. 5. (8) I Tim. 1, 18.

colligimus, non inanem fuisse ritum, quia consecrationem, quam homines impositione manuum figurabant, Deus Spiritu suo implevit. » — Denique 3° *S. Hieronymus* et *S. Chrysostomus* interpretando haec loca de gratiis gratis datis non excludunt gratiam sanctificantem : haec enim omnia simul conferebantur in ordinatione ad institutionem Ecclesiae; gratias autem gratis datas magis exprimunt, quia istae magis conspicuae et extraordinariae sunt : alibi vero explicant etiam gratiam sanctificantem cum impositione manuum coniunctam, ut modo vidimus de *S. Chrysostomo*, et mox de *S. Hieronymo* videbimus.

II. *Argumentum ex traditione haustum.*

§ 679. Sacramentum ordinis existere, seu cum ritu sacro, quo ministri sacri inaugurantur, gratiam internam coniunctam esse, Ecclesia semper credidit, quod ex *Ss. Patribus*, ex *Conciliis* et *aliis argumentis* probatur.

1. *Ss. Patres* ordinis sacramentum profitentur. *Tertullianus* lib. de exhort. castit. (1) ait : « Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo; » quibus verbis docet, ab Ecclesia quidem aliquos in ministros sacros eligi, istos autem in sua ordinatione a Deo *sanctificari*. Et ibid. (2) loquitur de baptismo, de confirmatione ac de sacerdotio, et dicit : « Diabolum *haec sacramenta* aemulanter affectasse. » *S. Gregorius Nyss.* Or. de bapt. ita loquitur : « Eadem Verbi (Christi) vis Sacerdotem augustum et venerandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi separatum. Cum enim heri et tempore superiori unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur praeceptor, praeses, doctor, pietatis, mysteriorum latentium praesul, eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi et gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens. » *S. Ambrosius* variis in locis (3) profitetur, in sacrorum ministrorum ordinatione *invisibilem gratiam* a Deo concedi. Et lib. de dignit. sacerd. c. 5 (4) haec habentur : « Quis dat, frater, episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio : Deus; sed tamen per hominem dat Deus : homo imponit manus, Deus largitur gratiam; Sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera; Episcopus initiat ordinem, et Deus tribuit dignitatem. » *S. Chrysostomus* (5) inquit : « Sacerdotium in terra peragitur, sed coelestium ordinum classem obtinet : et iure quidem merito. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non alia quaepiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit, ut Angelorum ministerium animo conciperent. » Et (6) addit : « Si quis secum reputet, quantum illud sit, nempe hominem carne et sanguine involutum prope beatam illam et immortalem naturam constitui, tunc probe intelliget, quanto honore Spiritus gratia Sacerdotes ornaverit. » Et alibi (7) : « Nisi nunc etiam esset arrhabo Spiritus, neque baptisma adhibitum esset, neque peccatorum remissio, neque iustitia et sanctificatio facta esset; neque adoptionem filiorum Dei accepissemus, ne-

(1) Cap. 7. (2) Cap. 40.
(3) Lib. 1 de Spir. S. c. 5, n. 11; et Serm. 10 in Ps. 118, n. 17.
(4) Qui liber probabilius est Gerberti, seu Sylvestri II.
(5) Lib. 3 de Sacerd. n. 4. (6) Ibid. n. 5.
(7) Hom. de resurrect. mortuor. n 8.

que percepissemus mysteria; corpus enim et sanguis mysticus non fiunt absque Spiritus gratia: neque Sacerdotes habuissemus, neque enim has ordinationes sine tali descensu fieri est possibile. Sed multa alia possemus dicere gratiae Spiritus symbola. » *S. Hieronymus* in dialogo contra Luciferianos perpetuo comparat ordinem cum baptismo, et ostendit, non magis iterum esse ordinandos, qui sunt ab haereticis ordinati, quam iterum baptizandos, qui sunt ab iisdem baptizati; et n. 11 dicit: « Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinavit. » Idem contra Vigilant. n. 2 asserit, Episcopos, qui diaconos ordinent, *Christi sacramenta tribuere*. *S. Augustinus* simili ratione demonstrat contra Donatistas, amitti non posse sacramentum ordinationis semel acceptum sicut nec sacramentum baptismi; ait enim c. Ep. Parmen. (1). « Nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi potest ammittere. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in Ecclesia catholica utrumque iterari non licet. — Sed si nos male facimus (potestatem ordinis etiam Sacerdotibus in peccato constitutis adscribentes), ipsi explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti et sacramentum ordinati possit amitti. Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et istud amittitur ? — Neutri sacramento iniuria facienda est. » Quibus verbis S. Doctor ordinationem diserte sacramentum nominat, eam cum baptismo confert, apertissime pronuntians, eodem prorsus modo utrumque sacramentum esse; ac demum testatur, neminem esse, qui hanc veritatem in dubium vocet: omnes ergo Christiani illo aevo credebant, quod nunc Catholici credunt. *S. Cyrillus Alex.* (2) scribit: « Ostendit (Christus), necessario sequi, ut detur eis Spiritus, qui ad divinum Apostolatum per eum diliguntur. » *Theodoretus* (3) inquit: « Oportet prius examinare vitam eius, qui ordinatur, deinde in ipsum invocare gratiam Spiritus. » *S. Leo M.* (4) praescribit, « ut non passim omnibus diebus sacerdotalis, vel levitica ordinatio celebretur, » sed die dominica « ieiuniis, et a ieiunantibus sacra benedictio conferatur, » atque addit, « illud ex apostolica venire doctrina, et a S. Scriptura doceri, ut intelligamus, quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantae benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. » *S. Gregorius M.* (5) inquit: « Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio sacramentum est, is, qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur. »

2. *Concilium Calcedonense* clare profitetur, per ordinationem gratiam conferri, illamque ideo verum sacramentum esse; nam can. 2 magnam poenam statuit in Episcopum, qui *per pecuniam ordinationem fecerit, et venalem redegerit Spiritus sancti gratiam, quae vendi non potest*. *Aurelianense* (6) ait: *Si quis sacerdotium per pecuniae nundinam execrabili ambitione quaesierit, abiiciatur ut*

(1) Lib. 2, c. 18, n. 28-30.
(2) Comment. in Io 20, 22.
(3) In I Tim 5. 22

(4) Epist. 9, al. 81 ad Dioscor. Alex. cap. 1.
(5) Lib. 4 in I Reg. c. 5, n. 1.
(6) An. 536 can. 4.

reprobus, quia apostolica sententia donum Dei esse praecipit pecuniae trutina minime comparandum. Florentinum in Decr. pro Armenis ordinationem inter sacramenta proprie dicta refert, declarans: *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo. Tridentinum* Sess. XXIII, cap. 3 docet: *Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem Ecclesiae sacramentis.* Et ibid. can. 3 definit: *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum; anathema sit.* Et can. 4: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum... anathema sit.*

3. Doctrina, quae ordinem inter sacramenta N. L. recenset, cum dogmate penitus copulatur de septenario sacramentorum numero, quod ex demonstratis (§ 516) semper et ubique in toto orbe catholico receptum fuit. Inter septem vero sacramenta semper, ubique et ab omnibus ordo recensebatur. Idcirco antiquissima monumenta a *Morino, Renaudotio* et aliis collecta aperte ostendunt, non solum a Latinis, sed etiam a Graecis et Orientalibus, imo etiam a Nestorianis, Iacobitis, Coptis, Armenis, Aethiopibus, etc., ministros sacros per ritum externum, et praecipue per impositionem manuum ordinatos quovis tempore fuisse, et ab omnibus creditum esse, hoc ritu externo ab Episcopo suscepto gratiam conferri. Ab hac fide etiam Ecclesia graeca schismatica non recessit, ut patet ex responsione Ieremiae Patr. CPtani ad theologos Wirtenbergenses, ex Synodis CPtanis sub Cyrillo, Parthenio, Dionisio et Hierosolymitana sub Dosythaeo habitis, ex recentioribus euchologiis et scriptoribus graecis. Praeterea cl. *Bossuet* in Historia variationum demonstravit, nec Waldenses, nec Wicleffitas nec Hussitas hoc in doctrinae articulo a fide Catholicorum recessisse. Est igitur perpetua et constans omnium Ecclesiarum omniumque temporum, atque ab haereticis ipsis confirmata traditio, ordinationem esse veri nominis sacramentum.

Nota. Protestantes sacramentum ordinis admittere recusarunt, quia iam per baptismum omnes fideles Sacerdotes fieri autumarunt: hanc vero suam sententiam ex S. Scriptura probare tentarunt, nempe ex verbis Petri de omnibus fidelibus dicentis: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sanctum sacerdotium* (1), atque: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (2); ex verbis Ioannis: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotium*(3), atque: *Sed erunt Sacerdotes Dei et Christi* (4). Ex quibus inferunt, ad sacerdotium ordinis sacramentum vel non requiri, vel si requireretur, omnibus debere esse commune; quod tamen Catholici non admittunt. Sed haec difficultas facile solvitur. Nam laudatos textus non de sacerdotio vero, quod per ordinationem recipitur, sed de spirituali et mystico intelli-

(1) I Ep. 2, 5. (2) V. 9. (3) Apoc. 5, 10. (4) Cap. 20, 6.

gendos esse, multa sunt, quae persuadent: 1° enim eodem modo loquitur Petrus et Moses, apud quem Dominus omnes israëlitas ita affatur: *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, gens sancta* (1); atqui certe ibi sermo non est de sacerdotio vero, quod esse nequibat extra tribum Levi, ita ut ne regibus quidem sacrificium offerre liceret: ergo etiam verba Petri, qui verba citata Christianis applicat, non de vero sacerdotio intelligenda sunt; 2° Petrus et Ioannes aeque sacerdotium et regnum cunctis fidelibus attribuunt: sed fatentibus Protestantibus de vero regno non loquuntur, ergo nec de vero sacerdotio; 3° Paulus Hebr. V, 4 illos dumtaxat novae legis Sacerdotes nuncupat, qui vocantur a Deo tanquam Aaron: sed, ut ex contextu apparet, non omnes fideles ita vocantur: ergo Scriptura ipsa sibi contradiceret si in verbis Petri et Ioannis verum sacerdotium omnibus fidelibus adscriberetur; 4° Quemadmodum Petrus dicit fideles *sacerdotium sanctum*, ita dicit eos aedificari *in domum spiritualem;* sed *domum* nonnisi figurate accipi posse, docet adiecta vox: *spiritualem;* ergo etiam *sacerdotium* figurate est intelligendum ob adiunctam vocem *spiritualem;* scilicet significatur, quemlibet fidelem offerre debere sacrificia interna, preces aliaque opera bona, prout Petrus seipsum explicat dum loc. cit. dicit, quod fideles sint *sacerdotium sanctum*, et debeant *offerre spirituales hostias.* Ita etiam *Tertullianus* intelligendus est, dum in lib. de exhort. castit. (2) dicit: « Nonne et laici Sacerdotes sumus? » hanc vocem nempe in sensu lato et spirituali sumit, ac ita argumentatur: Si Sacerdotes casti sint, oportet, quia sacrificium offerunt, etiam laici castitatem colere *obligantur, quia offerre spirituales hostias debent.* Caeterum semper, ubique et ab omnibus creditum est, verum sacerdotium non ad omnes fideles spectare, sed ad eos tantum qui legitimo modo ordinantur.

(1) Exod. 19, 6. (2) Cap. 7.

ARTICULUS II.

De sacramenti ordinis extensione seu ambitu.

§ 680. Ut sacramenti ordinis extensio seu ambitus determinetur, duplex quaestio solvenda est. Investigare enim oportet, *quot sint ordines, seu gradus ministrorum sacrorum ex divina institutione inter se distincti?* et *quibusnam ratio sacramenti competat?* In hac duplici quaestione solvenda probe distinguenda sunt ea, quae ut fidei dogmata sunt credenda, ab iis quae ab Ecclesia de fide definita non sunt.

1. Quod primam quaestionem attinet, in *Concilio Tridentino* definitum fuit, in Ecclesia catholica praeter sacerdotium alios ordines maiores et minores esse; ait enim Sess. XXIII, can. 2: *Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; anathema sit.* Et can. 6: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit.* Et can. 7 definit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem... anathema sit.* De fide igitur est, institutionis divinae esse tum *Episcopatum*, tum *sacerdotium*, seu *presbyteratum*, et ex divina ordinatione esse

etiam *ministros* presbyteris inferiores, inter quos primarium locum *diaconi* tenent. Concilium autem non definivit, quot gradus huiusmodi ministrorum dentur, quia hac in re Ecclesia graeca a latina dissentit. Graeci enim praeter Episcopatum, presbyteratum et diaconatum duos tantum ordines habent, nempe subdiaconatum et lectoratum; imo subdiaconatum ad ordines minores referunt. Latini vero praeter Episcopatum, presbyteratum et diaconatum habent etiam subdiaconatum, quem ad ordines maiores referunt, et quatuor ordines minores, nempe acolythatum, exorcistatum, lectoratum et ostiariatum. Quamvis autem Concilium non definierit, subdiaconatum et ordines minores divinae institutionis esse, nihilominus fidem et praxin Ecclesiae latinae vindicat Sess. XXIII, cap. 2 dicens: *Cum divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et cum maiori veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent; ita distributi, ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris, et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur; quamvis non pari gradu; nam subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legi-*

mus. S. Thomas in supplemento (1) ostendit, convenienter in Ecclesia plures ordines existere; ait enim, id congruenter fieri: 1° propter Dei sapientiam commendandam, quae in distinctione rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus, quam in spiritualibus; 2° ad subveniendum humanae infirmitati, quia per unum non poterant omnia, quae ad divina pertinebant, sine magno gravamine perfici; 3° ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint cooperatores Dei, quo nihil est divinius. Caeterum theologi in assignando numero ordinum non omnes conveniunt; nonnulli enim praesertim antiquiores canonistae, novem esse contendunt, eo quod in illis et Episcopatum et clericalem tonsuram recenseant; alii vero Episcopatum non ordinem distinctum a presbyteratu, sed huius perfectionem et complementum esse existimant, tonsuram vero clericalem tanquam nudam caeremoniam ac dispositionem ad ordines considerant, et ideo septem ordines enumerant; quae sententia inter scholasticos communior fuit.

2. Si quaeritur, quibusnam ordinibus ratio sacramenti competat? De fide certum est, presbyteratum esse vere et proprie sacramentum. Episcopatui veteres rationem sacramenti denegabant, sed gravibus argumentis ducti recentiores affirmant, in consecratione Episcopi verum ordinis sacramentum conferri. Diaconatum esse sacramentum, est sententia theologorum communis et certa. De subdiaconatu et ordinibus minoribus disputatur, an rationem sacramenti annexam habeant nec ne? Tonsura clericalis inter ordines et sacramenta re-

(1) Q. 37, art. 1.

ferri non solet. Haec iam fusius declaranda et examinanda sunt.

Nota. S. Thomas (1) dicit: « Ordinis sacramentum ad sacramentum eucharistiae ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum. Sicut enim templum et altare et vasa et vestes, ita et ministeria, quae ad eucharistiam ordinantur consecratione indigent; et haec consecratio est Ordinis sacramentum. Et ideo distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad eucharistiam, quia potestas ordinis aut est ad consecrationem eucharistiae, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc. » Inde fluit nota divisio in *ordines sacros* seu *maiores*, et in *non sacros* seu *minores*. Ordo sacer seu maior est ille, qui versatur propinque circa eucharistiam, habetque annexam legem continentiae et horarum: talis est presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus. Ordo non sacer seu minor est ille, qui versatur remote circa eucharistiam, nec habet annexam legem continentiae et horarum: tales sunt ordines minores.

I. *De fide est, presbyteratum esse proprie dictum sacramentum.*

§ 681. Presbyteratus, seu sacerdotium recte definitur ordo sacer et sacramentum divinitus institutum, quo tribuitur potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini, nec non remittendi ac retinendi peccata. Presbyteratum esse vere et proprie sacramentum facile probatur. Nam:

1. Ex probatis constat, Ordinem esse verum et proprium sacramentum. Ordinis vero sacramentum, ut ait *S. Thomas* (2) ad sacramentum eucharistiae ordinatur. Proxime autem ad eucharistiam refertur presbyteratus, vi cuius potestas corpus et sanguinem Christi consecrandi obtinetur. Itaque si de fide est aliquam ordinationem esse sacramentum, vel dicendum est, sacerdotium, omnium ordinum nobilissimum et praestantissimum, et ad quem tanquam ad commune principium et finem reliqui omnes ordines referuntur, sacramenti dignitate gaudere, vel negandum est, in aliquo ordine rationem sacramenti inveniri: sed hoc, salvo dogmate, dici non potest: ergo illud necessario asseritur. Atque hinc factum est, ut nullus unquam catholicus hanc veritatem in disputationem vocaverit, imo nec ullus haereticus: haeretici enim aut negant ordinationem esse sacramentum, aut si illam sacramentum esse tenent, in sacerdotio eam inveniri concedunt.

2. *S. Scriptura* presbyteratus institutionem singulariter commemorat. Christus enim Apostolis suis eorumque in sacerdotio successoribus dedit potestatem consecrandi corporis sui in ultima coena dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (3). unde *Concil. Tridentinum* (4) docet: Christus *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans corpus et sanguinem suum suo speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Quamvis autem non legatur, Christum ritum externum in Apostolorum ordinatione adhibuisse, certum tamen est, Apostolos per manus impositionem *presbyteros* creasse (5), et

(1) In 4 dist. 24, q. 2, art. 1.
(2) Loc. cit.
(3) Luc. 22, 28.
(4) Sess. 22, cap. 1.
(5) § 678, n. 1.

cum hac manuum impositione gratiam internam et supernaturalem coniunctam esse (1). Quinimo in specie cum presbyteratu gratiam sanctificantem coniunctam esse, ex eo etiam patet, quia Christus dando potestatem remittendi peccata expresse dicit: *Accipite Spiritum sanctum*, etc. (2), quae verba in ordinatione presbyterorum Episcopus pronuntiat: accipere autem Spiritum sanctum est eiusdem gratia repleri.

3. *Ecclesia* semper credidit et docuit, presbyteratum esse proprie dictum sacramentum. Ecclesia graeca sacramentum ordinis simpliciter την ἱερωσύνην, id est *sacerdotium*, seu *sacramentum sacerdotii* appellat. *Conc. Florentinum* in decreto de sacramento ordinis agens, presbyteratus expressam mentionem facit dicens: *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem.* Et *Catechismus Rom.* (3) docet, ordinis sacramentum « in eius anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficere, qua idoneus habilisque ad recte munus suum fungendum, sacramentaque administranda reddatur; » et mox addit: « Aliam quoque gratiam hoc sacramento tribui perspicuum est, praecipuam videlicet potestatem, quae ad sanctissimum eucharistiae sacramentum refertur; in Sacerdote quidem plenam et perfectam, ut qui Domini nostri corpus et sanguinem unus potest conficere, etc. » Itaque per sacramentum ordinis Sacerdoti confertur, tum potestas conficiendi corpus et sanguinem Christi, tum gratia sanctificans seu gratum faciens.

(1) § 678, n. 2. (2) Io. 20, 22.
(3) P. 2, c. 7, n. 34.

II. *Episcopatus est sacramentum et ordo a presbyteratu distinctus.*

§ 682. Episcopatus recte definitur ordo supremus, et sacramentum, quo presbytero potestas tribuitur conferendi sacramenta confirmationis et ordinis, regendique Ecclesiam sibi commissam. — Omnes theologi admittunt, episcopatum esse a Christo institutum, et ratione officii, dignitatis et gradus a presbyteratu distingui, et isto superiorem esse. Definitum enim est a *Concilio Tridentino* Sess XXIII, can. 6, *esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris;* et (can. 7) *Episcopos esse presbyteris superiores.* Non autem ita conveniunt theologi, cum quaeritur, an Episcopatus sit verum sacramentum, seu an in Episcopi ordinatione proprie dictum sacramentum conferatur. Veteres scholastici bene multi docuerunt, Episcopatum non esse verum ordinem et sacramentum a sacerdotio distinctum, sed esse dumtaxat extensionem characteris sacerdotalis ad novum officium, novam et ampliorem potestatem ac dignitatem, ita ut Episcopus alius non sit quam Sacerdos perfectus, qui apicem pontificatus adeptus est. Huius sententiae fuerunt *Hugo Victor., P. Lombardus, Alexander Alensis*, etc., quos multi secuti sunt. Etiam *S. Thomas* (4) quaerit: « Utrum Episcopatus sit ordo? » et respondet: « Ordo potest accipi dupliciter: uno modo secundum quod est sacramentum; et sic, ut prius dictum est, ordinatur omnis ordo ad eucharistiae sacramentum; unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdote, quantum ad hoc Episcopatus non erit ordo. Alio modo potest considerari ordo secundum

(4) In suppl. q. 40, art. 5.

quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum; et sic, cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit ordo. » Et S. *Bonaventura* (1) concludit: «Episcopatus proprie non est ordo;» atque (2) inquit: « Episcopatus, prout distinguitur contra sacerdotium, dicit dignitatem quamdam, vel officium Episcopi annexum, et non est proprie nomen ordinis, nec novus character imprimitur, nec nova potestas datur, sed potestas data ampliatur.» Verum non obstante hac veterum doctrina sententia nunc temporis communis et omnino tenenda haec est, Episcopatum esse verum ordinem et proprie dictum sacramentum, et quidem specie distinctum a presbyteratu. Haec sententia gravibus nititur argumentis.

1. In ordinatione Episcopi omnia concurrunt, quae ad verum sacramentum requiruntur, nempe ritus externus, collatio gratiae et divina institutio. Apostoli enim sicut in ordinatione diaconorum et in ordinatione presbyterorum, ita etiam in ordinatione Episcoporum impositionem manuum adhibuerunt, ut patet ex ordinatione Pauli et Barnabae (3), et ex ordinatione Timothei (4). Eundem ritum externum Ecclesia semper in ordinatione Episcopi retinuit; nam *Conc. Carthag. IV*, can. 2 cum ordinatur Episcopus, manuum impositionem praescribit, idemque in antiquissimis libris ritualibus et pontificalibus invenitur. Gratiae collationem cum ritu externo coniunctam esse, patet ex supra relatis verbis Pauli ad Timotheum, cui absque dubio saepius manum imposuit, quia eum primo diaconum, deinde presbyterum, ac demum Episcopum creavit; gratiam vero non negligendam, sed resuscitandam sine distinctione ex qualibet sacra manuum impositione repetit. Denique de institutione divina dubitare non licet, cum idem Apostolus dicat: *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (5), fideique dogma sit, Episcopatum esse iuris divini. Hinc Ss. Patres in ordinatione Episcoporum verum sacramentum agnoverunt. *S. Leo M.* (6) ait: « Eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus praeparavit, ut in populo adoptionis Dei - non praerogativa terrenae originis obtineat unctionem, sed dignatio coelestis gignat antistitem.» Idem (7) ad Episc. Mauritaniae ordinationem Episcopalem diserte vocat *sacramentum*, cui iniuriam irrogari ait, bigamum ordinando Episcopum. *Theodoretus* (8) refert, *Mosen* quemdam designatum Saracenorum Episcopum saeculo quarto adduci non potuisse, ut a Lucio, Ariano Episcopo in Alexandrinam cathedram intruso, Episcopus ordinaretur; cuius rei hanc reddit rationem: « Absit, ut tua manus me consecret; nam tua invocatione Spiritus sancti gratia in neminem descendit.» *S. Gregorius M.* (9) de dignitate episcopali loquens dicit: « Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis, quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur.» *Conc. Trident.* (10), anathema dicit illi, qui dixerit, frustra Episcopos in ordinatione dicere: *Accipe Spiritum sanctum*. Ergo etiam in ordinatione Episcopali, cum Episcopus consecrator dicat promo-

(1) In 4 dist. 24, q. 3. (2) In corp. art.
(3) Act. 13, 3.
(4) I Tim. 4, 14; et II Tim. 1, 6.
(5) Act. 20, 28.
(6) Serm. 3 de natal. 3, c. 1.
(7) Epist. 87. (8) Lib. 4 hist. Eccl. c. 21.
(9) In I Reg. lib. 4, c. 5, n. 1.
(10) Sess. 23, can. 4.

vendo in Episcopum: *Accipe Spiritum sanctum*, confert illi gratiam sanctificantem, ideoque verum et proprium conficit sacramentum. Accedit ratio theologica, quae petitur ex fine sacramenti ordinis, quod a Christo institutum est, ut ministri sacri gravia sua munera facilius et cum maiori fructu gratia adiuti exsequantur. At si presbytero et diacono ad exercendas suorum ordinum proprias functiones, imo ipsis etiam coniugatis ad ferenda onera matrimonii necessaria est gratia peculiaris, multo magis ea indiget Episcopus propter maiorem officii sui excellentiam et difficultatem. Quod autem relationem ad eucharistiam attinet, verum est, Episcopum non maiori potestate conficiendi corpus et sanguinem Domini gaudere quam Sacerdotem: sed solus Episcopus ordinare, ac ideo ipse solus potestatem conficiendi corpus et sanguinem Christi aliis communicare potest; ac ideo Episcopatus excellentissimo modo ad eucharistiam refertur.

2. Ubi distincta habetur materia, peculiaris forma, distincta quoque et peculiaris potestas confertur, distinctus pariter habetur ordo sacramentalis. Atqui in ordinatione Episcopi alia impositio manuum aliique ritus externi adhibentur, et alia forma profertur, quam in ordinatione presbyteri, ac praeterea specialis et indelebilis potestas confertur ad ordinandos ministros Ecclesiae, et ad conferendum confirmationis sacramentum, quae conferri non possunt a simplici Sacerdote. Concedendum igitur est, Episcopatum esse ordinem et sacramentum a presbyteratu distinctum, et imprimere characterem distinctum a charactere presbyteratus. — Non tamen octo ordines, sed tantum septem a theologis, et a *Conc. Tridentino* (1) commemorantur, quia Episcopatus in sacerdotio, cuius nobilior est species, inclusus censetur. Episcopatus enim, ut observat *Bellarminus* (2) unus est ordo cum presbyteratu *genere, non specie*. Unus nempe est ordo sacerdotalis eorum, qui Eucharistiam consecrare possunt, nec supra hunc potest fingi alius ordo maior vel superior; quia tamen hanc potestatem vario modo participant presbyteri et Episcopi, inde sunt duo gradus sacerdotii. Presbyteri in consecranda Eucharistia saltem quoad usum pendent ab Episcopis, neque ita habent hanc potestatem, ut possint eam aliis communicare: Episcopi vero et ipsi habent, et communicare aliis possunt.

Nota. Card. Gotti (3) mediam quasi viam ingressus opposita theologorum placita conciliari posse putavit dicendo: « Episcopatum seu ordinationem Episcopi esse vere et proprie dictum sacramentum, et verum ordinem ab ordine presbyteratus distinctum, non quidem adaequate, sed inadaequate, tanquam extensionem, perfectionem, eminentiam ac supremum gradum ordinis sacerdotalis. » Hanc suam sententiam esse menti *S. Thomae* conformem, colligit primo ex iis, quae habet S. Doctor Lect. 3 in I Tim. 4, ubi dicit, impositionem manuum, quae fit super Episcopum, « significare collationem gratiae, » quod rursus asserit Lect. 3 in II Tim. 1; collatio autem gratiae supponit verum sacramentum. Praeterea idem Angelicus (4) scribit: « Quod vero quarto proponitur, quod Episcopatus non est ordo, hoc manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur. Ex-

(1) Sess. 23, cap. 2
(2) De Ordine. c. 5.
(3) De Ord. q. 5, dub. 2.
(4) In opusc. 18 de perfect. vitae spirit. c. 24

presse enim dicit *Dionysius*, esse tres ordines ecclesiasticae hierarchiae, scilicet Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum... Habet enim ordinem Episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, super quam principalem accipit curam, et quasi regalem... Quod autem habeat aliquem ordinem, et non iurisdictionem solam, sicut archidiaconus, vel curatus presbyter, patet ex hoc, quod Episcopus potest multa facere, quae non potest committere, sicut confirmare, ordinare, et consecrare basilicas... quae vero iurisdictionis sunt, potest aliis committere. Idem etiam patet ex hoc, quod si Episcopus depositus restituatur, non iterum consecratur, tanquam potestate ordinis remanente, sicut et in aliis ordinibus contingit. » Ergo *S. Thomas* Episcopatui vim characterem imprimendi, sicut presbyteratui etc. adscribit, atque ideo in illo sicut in isto rationem sacramenti agnoscit.

III. *Certum est, diaconatum esse verum sacramentum.*

§ 683. Diaconatus est ordo, per quem datur potestas proxime inserviendi seu ministrandi Episcopis, vel presbyteris sacra solemniter perficientibus. In ordinatione diaconi vere et proprie dictum sacramentum conferri, non solum novatores, sed etiam nonnulli theologi, ut *Durandus* (1), et *Caietanus* (2) negarunt, quorum sententiam plures theologi temeritatis arguunt. Communis enim et certa theologorum sententia est, diaconatum esse verum sacramentum. Nam:

1. Ordinatio diaconi est signum sensibile gratiae permanenter a Christo institutum, ac ideo verum est et proprie dictum sacramentum. Habemus nempe: 1° *signum sensibile* in manus impositione et oratione, qua septem primi diaconi inaugurati sunt, de quibus legitur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus* (3): iuxta quod exemplum diaconi semper in Ecclesia per impositionem manuum, et alios ritus externos ordinantur. 2° Adest significatio et *productio gratiae*, tum quia generatim iuxta Scripturae eloquia cum impositione manuum super ministros sacros facta gratia coniungi dicitur (4), tum quia in specie Stephanus mox post ordinationem acceptam, *plenus gratia et fortitudine* (5) dicitur, tum quia Episcopus in ordinatione diaconi dicit: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus eius:* id autem ei non frustra dicere, patet ex *Concilio Tridentino* Sess. XXIII, can. 4. — 3° Adest quoque *institutio divina*, quia non erat in Apostolis, nec est in Ecclesia potestas instituendi signa externa, per quae interna gratia producatur: et *Concilium Tridentinum* Sess. XXIII, can. 6 definit: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat Episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit:* sub ministris autem comprehendit ad minus diaconos, presbyteris proximiores. 4° Denique diaconatum *permanenter institutum* esse, patet ex constanti Ecclesiae grecae et latinae praxi ab Apostolis usque nunc.

2. *Concilia* eandem veritatem confirmant. Nam citatum *Chalcedonense* can. 2 dicit, etiam in ordinatione diaconi *propter pecunias* facta crimen simoniae committi, seu *gratiam in venditionem deduci. Florentinum* in decr. ait: *Sextum sacramentum est*

(1) In 4, dist. 24, q. 2.
(2) T. 1 opusc. tract. 11. (3) Act. 6, 6.
(4) § 678, n. 2. (5) Act. 6, 8.

ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo... Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Tridentinum, Sess. XXIII, can. 2 definit, *praeter sacerdotium esse in Ecclesia catholica alios ordines et maiores et minores:* ad hos autem absque dubio proxime et primario referendus est diaconatus. Can. 3 in genere definit: *Ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.* Et can. 4 definit, *per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum, ac proinde non frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum.* Sed haec eadem verba etiam in ordinatione diaconi proferuntur. Ex his definitionibus simul collatis manifeste infertur, diaconatum esse verum sacramentum. Attamen *Dom. Soto* (1), propositionem contrariam *temerariam* quidem non vero *haereticam* nominat. *Estius* quoque hac Soti sententia motus (2) dicit, « non videri de praesenti controversia quidquam esse ab Ecclesia definitum. » Idem est *Bellarmini* iudicium (3) dicentis: « Non est certum de fide, (diaconorum ordinationem esse sacramentum) quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto vel tradito: neque extat ulla Ecclesiae de hac re expressa determinatio. » Hinc theologi communiter dicunt, non quidem dogma fidei, sed tamen *certum* esse, quod diaconorum ordinatio sit verum sacramentum.

Nota. Ideo, quod diaconatus sit sacramentum, pariter sacramentum ordinis minime multiplicatur. Quemadmodum enim Episcopatus est presbyteratus seu sacerdotii consummatio, ita diaconatus est eiusdem, ad quod refertur ac tendit, praeparatio; et licet ab eo distinctus, non tamen prorsus diversus. Qua de re S. *Thomas* (4) scribit: « Distinctio ordinum non est integralis in partes, neque totius universalis (generis in specie), sed totius *potestativi*, cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius, et ita est hic: tota enim plenitudo huius sacramenti est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis. »

(1) In 4 dist. 24, q. 1, art. 4.
(2) In 4 dist. 24, § 8.
(3) De ordine, cap. 6.

IV. *De subdiaconatu, ordinibus minoribus et tonsura.*

§ 684. *Subdiaconatus* est ordo, seu ritus sacer, quo potestas tribuitur ministrandi diacono et Sacerdoti in missae sacrificio. *Acolythatus* est ordo, quo traditur potestas ministrandi subdiacono et diacono in missae sacrificio. *Exorcistatus* est ordo, quo potestas traditur nomen Domini invocandi super eos, qui ab immundis spiritibus obsessi energumeni, seu arreptitii dicuntur. *Lectoratus* est ordo, quo confertur potestas divinos utriusque foederis libros et sanctorum Patrum scripta publice in Ecclesia legendi. *Ostiariatus* denique est ordo, quo clericus tum templo, tum sacris rebus asservandis praeficitur, tum ut divinis mysteriis, quae in eo peraguntur reverentiam conciliet. — Iam si quaeritur, an in subdiaconatu et in ordinibus minoribus ratio sacramenti inveniatur; omnes theologi fatentur, hac de re nihil de fide definitum esse. Idcirco in varias sententias abeunt; nonnulli scilicet affirmant, alii vero negant, in subdiaconatu et quatuor ordinibus minoribus rationem sacramenti inveniri. Utriusque sententiae praecipua saltem argumenta exponenda sunt.

(4) In 4 dist. 24, q. 2, art. 1, q. 1.

1. Tum subdiaconatum, tum ordines minores veram sacramenti rationem participare affirmant *S. Thomas* (1), *S. Bonaventura* (2), *Franc. Victoria* (3), *Melchior Canus* (4), *Bellarminus* (5), *Estius* (6), *Billuart* (7), *Thomas ex Charmes* et alii. Isti pro sua sententia, quam probabiliorem esse censent, sequentia potissimum argumenta adducunt. 1° Antiquissima monumenta extant, ex quibus inferri potest, originem subdiaconatus et ordinum minorum ad Apostolorum aevum referendam esse. Nam quod attinet *subdiaconatum*, expressam illius mentionem faciunt *S. Cyprianus* Ep. 42, *Synodus Eliberitana* can. 30; *Laodicena* can. 21 et 22; *S. Athanasius* Ep. ad Solitar.; et *Conc. Carthaginense IV*, cap. 5. Quod vero ad alios attinet minores ordines, idem *Cyprianus* ibid. nominat *acolythum*, cuius pariter meminit *S. Augustinus* Ep. 294 (8). *Cyprianus* affirmat (9) Aurelium confessorem fuisse a se in *lectorem* ordinatum; et confessores ad eundem Cyprianum scribentes (10) lectorem et exorcistam commemorant: « praesente, inquiunt, de clero et exorcista et lectore. » Lectoris quoque fit mentio in *Conc. Sardicensi* c. 13, et in *Chalcedonensi* can. 13; *Cornelius P.* in Epist. ad Fabium Episc. Antioch. circa annum 251 exarata, Romanum clerum enumerans omnes nominatim et maiores et minores ordines recenset, n. 3 Romae adesse affirmans presbyteros 46, diaconos 7, subdiaconos 7, acolythos 42, exorcistas autem et lectores cum ostiariis 52. Et citata *Synodus Carthaginensis IV*, can. 5-9 non solum singulos praedictos ordines nominat, sed et modum designat, quo eorum quilibet ab Episcopo conferretur. Iidem ordines singillatim pariter enumerantur in *canone Apostol.* 69, in *Constitut. Apost.* (11), in Epistola *S. Ignatii* ad Antioch. in *Dionysii* lib. de eccles. Hierarchia (12) et in *Synodo Romana* sub Sylvestro; quae monumenta, quamvis suppositicia censeantur, antiquissima tamen sunt, et non spernendae auctoritatis. *S. Isidorus Hispal.* (13) haec habet: « Generaliter clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt, quorum gradus et nomina sunt haec: *Ostiarius*, *Psalmista* (seu *Cantor*, ut eruditi putant non ratione ordinis, sed ratione officii ita nuncupatus), *Lector*, *Exorcista*, *Acolythus*, *Subdiaconus*, *Diaconus*, *Presbyter*, *Episcopus*. » Ex his antiquitatis monumentis concludit *M. Canus*, omnes ordines ab Apostolis ad nos pervenisse « Si enim, ait (14), regulam a S. Augustino acceptam applicans, consuetudinis cuiusquam diu in tota Ecclesia observatae originem et principium nec ad summos Pontifices, nec ad concilia Episcoporum referre possumus, sed ea consuetudo ad Apostolorum usque tempora retro trahitur; conficitur plane, illam ab Apostolis esse profectam. » 2° Illa opinio, quae conformior est menti et doctrinae Conciliorum, est haud dubie probabilior: atqui opinio, quae docet, subdiaconatum et ordines minores esse sacramenta, est conformior menti et doctrinae Conciliorum. Nam *Florentinum* in decr. ait: *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyte-*

(1) In suppl. q. 37, art. 2.
(2) In 4 dist. 24, art. 2, q. 4.
(3) In summa de sacram. q. 226.
(4) De locis theol. lib. 1, cap. 4.
(5) Lib. 1 de sacr. ord. c. 7 et 8.
(6) In 4 dist 24. ? 8
(7) De sacr. ord. diss. 1, art. 3, § 2.
(8) Al. 104. (9) Ep. 33. (10) Ep. 17.
(11) Lib. 3, c. 11. (12) Cap. 3.
(13) Lib. 7 Etym. c. 12.
(14) Lib. 3 de loc. theol. c. 4

ratus traditur per... diaconatus vero per... subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, et similiter de aliis (ordinibus) *per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem.* Ergo cum assignando materiam illius sacramenti assignet materiam subdiaconatus et minorum, consequens est, istos ordines esse sacramenta. *Conc. Tridentinum* Sess. XXIII, cap. 2 omnes ordines enumeravit; postea can. 3 definit: *Ordinem, seu sacram ordinationem esse sacramentum:* sed propositio indefinita in materia doctrinali aequipollet propositioni universali; et quidquid convenit generi, convenit etiam omnibus eius speciebus; ergo videtur esse doctrina *Conc. Tridentini,* omnes et singulos ordines, etiam minores, esse sacramenta. 3° Confirmatur ex eo, quod omnes ordines, etiam minores, imprimant characterem, unde iterari non possunt, ut docet *S. Thomas* (1), ergo sunt proprie dicta sacramenta, solius enim sacramenti est imprimere characterem per collationem potestatis spiritualis indelebilis, ut hic sumitur a S. Thoma.

2. Subdiaconatum et ordines minores sacramenti rationem participare, negant *P. Lombardus, Durandus, Caietanus, Goarius, Morinus, Juenin, Drouin, L'Herminier, Simonnet, Tournely, Witasse, Sardagna* et multi recentiores, qui ita argumentantur. Ut ritus sacer habeat rationem sacramenti, necesse est, ut sit a Christo institutus sed subdiaconatus et ordines minores non sunt a Christo instituti, ergo non habent rationem sacramenti. Ad propositionem minorem probandam cl. *Morinus* (2) quatuor affert argumenta, seu potius argumentorum classes. Productis enim antiquorum testimoniis et veteribus documentis ostendit, neque subdiaconatum, neque minores ordines esse divinitus institutos, sed ab Ecclesia adiectos, idque evincit: 1° ex illorum veterum testimoniis, qui expresse affirmant, crescente fidelium multitudine ab Ecclesia pro opportunitate praefatos ordines institutos esse; 2° ex istorum ordinum modo unius, modo alterius, aut etiam plurium cessatione, additione, imminutione, abrogatione et instauratione, quae certe in rem divinitus institutam cadere non possunt; 3° ex monumentis et testimoniis, quae probant, istorum ordinum respectivam subordinationem in altiorum ordinum promotione saepe non fuisse servatam, ita ut lectores, ex. gratia, creati fuerint, qui prius non fuerant ostiarii; acolythi, qui nunquam fuerant ostiarii; lectores diaconi, qui non prius fuerant subdiaconi; quae rursum pro arbitrio non fecisset Ecclesia, nisi censuisset, ad divinam institutionem hos ordines minime pertinere; 4° demum ex fine, quem iuxta Roman. Pontificum et Conciliorum testimonia sibi potissimum praestituit Ecclesia in his ordinibus instituendis et conferendis, ne scilicet neophyti sacrorum rudes et tyrones statim presbyterio inaugurarentur, antequam fidei dogmata et sacramentorum caeremonias didicissent. His accedit auctoritas *Urbani II,* qui in *Concil. Beneventano* an. 1091, can. 1 statuit: *Nullus deinceps in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum. Hos siquidem solos* (intellige tanquam sacros) *primitiva legitur Ecclesia habuisse,*

(1) 3 p., q. 35, art. 2, ad 1 et 2.

(2) De S. Ordinat. p. 3, exercit. II, cap. 1 et seq.

super his solum praeceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus etc. Ipse *S. Thomas* (1) contra *Guilielmum a S. Amore*, qui contendebat, non potuisse ab Ecclesia novum ordinem erigi, cui specialiter officium praedicandi committeretur, huic praeter caetera exemplo subdiaconatus et quatuor minorum ordinum, quos Ecclesia de novo instituit, maledicum os obstruit his verbis: « In primitiva Ecclesia fuerunt soli duo ordines sacri, scilicet presbyteri et diaconi. Et tamen postea Ecclesia minores sibi ordines instituit, ut Magister sententiarum dicit. » Iam vero si deest his ordinibus divina institutio, evidens est, ipsis nulla ratione dignitatem sacramentalem et collationem gratiae ex opere operato posse competere.

Nota 1. *S. Thomas*, in suppl. (2) ut ostendat, convenientem esse septenarium ordinum numerum, rationem theologicam affert, quam cl. *Billuart* (3) his verbis proponit: « Distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad eucharistiam, quia potestas ordinis aut est ad consecrationem ipsius eucharistiae, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad illam. Si primo modo est ordo sacerdotum: si secundo modo vel ministerium est in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes; si sit in ordine ad ipsum sacramentum, est triplex: primum est, quo minister cooperatur Sacerdoti in ipso sacramento vel dispensando illud, vel tendendo materiam proximam ad illud; et hoc pertinet ad *diaconum*. Secundum est ministerium ordinatum ad praeparandam materiam sacramenti in vasis sacris; et hoc est *subdiaconorum*. Tertium est ministerium ad praeparandam materiam in vasis non sacris, eamque offerendam diacono; et hoc est *acolythorum*. Si vero sit in ordine ad praeparationem suscipientium, non potest esse nisi supra immundos: triplex autem est genus immundorum. Quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes, et hi totaliter a visione divinorum, et coetu fidelium arcendi sunt; et hoc pertinet ad *ostiarios;* quidam sunt volentes credere, sed nondum instructi scilicet catechumeni; et ad eorum instructionem ordinatur *lectoratus:* quidam tandem sunt fideles et instructi, sed impedimentum habentes ex daemonis potestate, scilicet energumeni: et ad hoc ministerium est ordo *exorcistarum:* sicque patet ratio et numeri et gradus ordinum. »

Nota 2. *S. Bonaventura* de septem ordinibus in compendio theologicar. verit. (4), haec memoratu digna habet: « Praedictos ordines Christus exercuit: ostiariatum, quando ementes et vendentes de templo eiecit: lectoratum, cum in medio seniorum librum Isaiae aperiens legit in eo: exorcistatum, quando daemoniacos sanavit: acolythatum, quando dixit: *Ego sum lux mundi;* subdiaconatum, quando linteo se praecinxit, et pedes discipulorum lavit: diaconatum, quando in Coena corpus et sanguinem suum ministravit discipulis, et dormientes Apostolos excitavit: presbyteratum, quando se in ara crucis obtulit, et quando in Coena panem et vinum in corpus et sanguinem suum convertit. »

Nota 3. Per *tonsuram* hic non intelligitur quaecumque capillorum rasura, sed ea, quae fit in modum coronae; unde etiam dicitur *corona*.

(1) Opusc. 34. (2) Q. 37, n. 2.
(3) De sacr. ordinis, diss. 1, art. 2.
(4) Lib. 6, c. 36.

Receptus in Ecclesia mos est, ut nemo ad ordines promoveatur, quin prius fuerit clericali tonsura insignitus, per quam ab Episcopo sub certis ritibus in clerum quisque cooptatur. Hinc tonsura passim definiri solet: caeremonia ab Ecclesia instituta, qua laicus baptizatus et sacramento confirmationis consignatus sacro ritu in clerum instituitur. Non defuerunt ex veteribus scholasticis et canonistis, qui pluribus argumentis persuadere conati sunt, clericalem tonsuram et ordinem esse, et sacramenti quoque dignitatem obtinere. Sed communiter theologi cum *S. Thoma* (1) id negant dicentes, tonsuram non esse nisi praeparationem ad ordines. Nam *Concil. Tridentinum* Sess. XXIII, cap. 2 dicit: *Plures ad diversos ordines ita distribui, ut qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent.* Et ibid. cap. 6 de reform. distinguit tonsuram ab ordinibus, dum dicit: *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.* Unde *Catechismus Romanus* (2) dicit: « Clericalem tonsuram quamdam praeparationem esse ad ordines accipiendos; ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus praeparari solent; ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur. » Immerito autem *Calvinus* tonsurae ritum ludibrio habet velut superstitionis ac vanitatis plenum. Constat enim, tonsurae usum antiquissimum esse. Ex vetustissimis enim Ecclesiae Divionensis actibus refert *Martenius* (3), *S. Benignum* presbyterum, S. Polycarpi discipulum, tonsurae clericalis indicio comprehensum saeculo secundo labente, morte mulctatum esse. Christianorum irrisor *Lucianus* in dialogo Philopatris clericum describit e montibus Ecclesiam venientem detonsa coma. *Ammianus Marcellinus* (4) scribit, Diodorum quemdam ab ethnicis Alexandriae sub Iuliano apostata supplicio fuisse addictum, quod pueros tondens illos clericatu initiaret. *S. Prudentius* in Peristephanen. (5), S. Cypriani attonsionem in clericum describit his verbis: « Deflua caesaries compescitur ad breves capillos. » *Concil. Cartaginense IV*, can. 44 statuit: *Clerici nec comam nutriant, nec barbam.* Similia ordinantur in *Concilio Toletano II* (6). *Gregorius Turon.* (7) ait, S. Petrum Apostolum instituisse, « ut caput superius tonderetur. » *S. Isidorus Hispal.* (8) inquit: « Quod vero de tonso capite superius inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiae in eis existimo figurari. » Similiter *S. Thomas* (9) scribit: « Eis, qui ad divina mysteria applicantur, competit rasura et tonsura in modum coronae ratione figurae: quia corona est signum regni et perfectionis, cum sit circularis; illi autem, qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, et perfecti in virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum: et ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur, et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur. »

(1) In suppl. q. 40, art. 2.
(2) P. 2, c. 7, n. 13.
(3) De ant. Eccl. rit. lib. 1, c. 8, a. 7, § 2.
(4) Lib. 22, c. 11. (5) Hymn. 13, v. 30.
(6) Can. 1 et 4, can. 41.
(7) Lib. 1 de gloria Martyrum, c. 27.
(8) Lib. 2 de offic. eccl. cap. 2.
(9) Loc. cit. art. 1.

ARTICULUS III.

Doctrina reliqua de sacramento ordinis.

§ 685. Cum de fide sit, ordinem esse verum N. L. sacramentum, ea etiam nosse oportet, quae ad hoc sacramentum conferendum requiruntur. Investigare ideo oportet, quaenam sit huius sacramenti *materia et forma*, qualis *minister*, et quale *subiectum*: ac denique salutares eiusdem *effectus* propius considerandi sunt.

I. *De sacramenti ordinis materia et forma.*

§ 686. Ut haec doctrina recte pertractetur, imprimis distinguere oportet ordines hierarchicos, nempe episcopatum, presbyteratum et diaconatum, in quibus certo ratio sacramenti invenitur, ab ordinibus inferioribus, scilicet a subdiaconatu et ordinibus minoribus, circa quos disputatur, an sint sacramenta nec ne. Etenim circa inferiores hos ordines unanimis theologorum sententia est, illorum materiam apud Latinos esse instrumentorum traditionem seu porrectionem, formam vero orationem seu verba, quae in ea instrumentorum porrectione proferuntur: apud Graecos vero manuum impositionem cum oratione adnexa. Sed magna controversia viget circa materiam et formam essentialem ordinum hierarchicorum. Dubitari quidem nullatenus potest, in istorum ordinum collatione signum sensibile ad rationem sacramenti requisitum adesse, quia varii ritus externi, et imprimis impositio manuum, atque instrumentorum traditio adhibentur, iisque correspondentia verba proferuntur seu orationes recitantur. Quoniam autem varia signa externa occurrunt, quaestio inter theologos movetur, quinam ritus externi, et quaenam verba et orationes essentialem materiam constituant? — Triplex est autem hac de re theologorum sententia: multi solam manuum impositionem cum oratione ab Episcopo recitata, alii solam instrumentorum traditionem cum verbis ab Episcopo prolatis, alii demum in Ecclesia Latina utramque pro essentiali et adaequata sacramenti ordinis materia et forma habent.

1. Prima sententia solam assignat manus impositionem pro materia, et solam orationem sub illa ab Episcopo recitatam pro forma sacramenti ordinis essentiali. Ita videtur sensisse *S. Bonaventura*, qui (1) disertissimis verbis non semel pronuntiat, « in primitiva Ecclesia tantum per impositionem manuum ordines collatos fuisse et conferri potuisse. » Eandem sententiam propugnant *Hugo Menardus*, *Ioan. Morinus*, *Martinus Beccanus*, *Goarius*, *Arcudius*, *Martenius*, *Juenin*, *Tournely*, *Perrone*, *Schwetz* et alii. Haec sententia S. Scripturae et antiquae Ecclesiae fidei et praxi maxime conformis est. Nam: 1° *S. Scriptura* pro sacramento ordinis non aliam materiam assignat, quam impositionem manuum, qua usi sunt Apostoli ad Episcopos, presbyteros et diaconos ordinandos (2), et huic eidem manuum impositioni collatio gratiae adscribitur (3). 2° *Patres antiqui* de ordinatione loquentes non aliam materiam memorant, quam manuum impositionem (4): imo nec *S. Isidorus*, qui saeculo VII, nec *Alcuinus*, qui VIII, nec *Amalarius*, neque *Rabanus Maurus*, neque *Walafridus*, qui nono saeculo de ritibus conferendi sacros ordines ex instituto pertractarunt, instrumentorum porrectionis meminerunt; solam vero manuum impositionem cum oratione

(1) In 4 dist. 24, p. 2, art. 1, q. 4.

(2) § 678, n. 1. (3) Ib. n. 2. (4) § 179, n. 1.

adnexa ut essentialem proposuerunt. 3° *Concilia* hoc idem confirmant: *Nicaenum I*, can. 9 loquens de clero manus impositionem commemorat; et can. 19 diaconissas laicis annumerat, *quia nullam habent manus impositionem*. *Antiochenum* an. 341, can. 17 declarat, Episcopos *per manus impositionem* constitui; et per eandem diaconus munus suum suscipere, testatur *Ancyranum* c. 9 (1), *Carthaginense IV*, an. 398, quod omnium accuratissime ritus singulorum ordinum describit, diserte statuit can. 2, 3 et 4, Episcopatum, presbyteratum et diaconatum per manuum impositionem et benedictionem, seu orationem esse administrandum, nulla prorsus iniecta mentione porrectionis instrumentorum, quam tamen in conferendo subdiaconatu expresse commemorat, can. 5 dicens: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam et calicem vacuum. Hispalense II*, c. 5 ordinationes unius presbyteri, et duorum diaconorum irritas declaravit, quia *Episcopus eorum oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos tantum posuisse, et presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse*, id est, orationem seu formam pronuntiasse: ergo impositionem manuum, et orationem tunc ab uno et eodem ministro recitandam pro essentiali materia et forma habuit. *Meldense* can. 44 decernit, maiores ordines usque ad subdiaconatum per manus impositionem conferri. *Concil. Tridentinum* Sess. XIV, cap. de extr. unct. docet, quod extremae unctionis ministri sint *aut Episcopi aut Sacerdotes ab ipsis ordinati per impositionem manuum presbyterii*. 4° *Ritualia* omnia et *sacramentaria* ante nongentos ad minimum annos conscripta, magna diligentia a *Menardo* (2), *Morino* (3), *Martenio* (4) perquisita et prolata, impositionem manuum et orationem adnexam pro materia et forma assignant, dum de collatione ordinum hierarchicorum sermo est; de porrectione vero instrumentorum silent. 5° *Ab Ecclesiis orientalibus*, nempe a *Graecis, Syris, Aegyptiis, Maronitis* in sacris ordinationibus perficiendis nunquam alia materia, quam manuum impositio, nec alia forma, quam adnexa oratio adhibita fuit nec adhibetur, ut ex eorundem euchologiis ostendit *Arcudius* (5) et alii supra citati, quin tamen Ecclesia Romana eiusmodi Graecorum ordinationes unquam irritas habuerit, aut ullo pacto improbaverit: imo de illarum validitate non solum nihil dubitatum fuit in Conciliis *Lugdunensi* et *Florentino*, quibus Graeci cum Latinis adfuere: sed nihil praeterea dubitavit *Clemens VIII*, qui Russorum Episcopos presbyteros et diaconos ad catholicam unitatem admisit cum ordinibus, quibus secundum ritum Graecorum insigniti fuerant in suo schismate. Ita pariter Graecorum ordinationes ratas et validas esse, expresse declararunt *Leo X*, *Paulus V*, et *Urbanus VIII*, ut ostendit *Morinus* (6). Necesse igitur est, manuum impositionem agnoscere tanquam essentialem sacramenti ordinis materiam; alias Graeci eo carerent sacramento, nec veras haberent ordinationes hac sola manuum impositione perfectas.

(1) Al. 10
(2) Not. et observ. in lib. sacram. Greg. M.
(3) Comm. de SS. Eccles. ordin. p. 2.
(4) De ant. Eccl. rit. lib. 1, c. 8, art. 11.
(5) Lib. 6, cap. 2.
(6) De s. ord. p. 1, cap. 3 et 4.

2. Secunda sententia non aliam agnoscit essentialem materiam ordinationis, quam porrectionem instrumentorum, nec aliam formam quam verba huic porrectioni adiuncta: ipsam vero impositionem manuum aut confundit cum porrectione instrumentorum, aut si distinguit, eam dumtaxat vult caeremonialem esse et accidentalem. Ita *Dom. Soto*, *Capreolus*, *Valentia* et plerique veteres scholastici senserunt, eandemque sententiam amplexus est cl. *Estius* (1). — Patroni huius sententiae gloriantur de auctoritate *S. Thomae*, qui illam clare exponit in opusc. 5 et in suppl. q. 37, art. 5 ad quaestionem, quando character sacerdotalis imprimatur, ita respondet: « Quia principalis actus Sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur. » Praecipuum autem argumentum desumunt ex Decreto *Concilii Florentini*, in quo dicitur: *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus, traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem: diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem..... Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Definitum igitur est, sicuti in ordinibus inferioribus, ita etiam in hierarchicis saltem in presbyteratu et diaconatu, essentialem materiam consistere in porrectione instrumentorum, et formam in verbis cum ista coniunctis. Addunt, nihil esse in toto ordinationis ritu, per quod expressius significetur potestas spiritualis per ordinem collata, quam porrectio instrumentorum; istud autem censeri debere essentialem materiam et formam sacramenti, quod est signum expressum et sensibile principalis eius effectus. Putant denique nonnulli, dictam instrumentorum porrectionem semper in Christi Ecclesia usitatam fuisse, nihil autem in veteribus monumentis de ea inveniri, quia observabatur disciplina arcani. — Ast hanc sententiam admittendam non esse, probant argumenta prius allata, ex quibus evincitur, manuum impositionem in ordinum hierarchicorum collatione essentialiter requiri. Etiam *S. Thomas* hoc idem docet: nam 3 p., q. 84, art. 4 reddit rationem, cur in sacramento poenitentiae manus impositio non requiratur, sicut nec in baptismo, requiratur vero in sacramentis confirmationis et ordinis, et dicit: « Quia impositio manuum in sacramentis Ecclesiae fit ad significandum aliquem copiosum gratiae effectum quo illi quibus manus imponuntur quodam modo per quandam similitudinem continuantur ministri, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti, et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis. Unde II Tim. I dicitur: *Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* » Nullatenus ergo dici potest, *S. Thomam* solam instrumentorum porrectionem pro ordinis materia assignare, cum expresse pro hoc sacramento impositionem manuum requirat, et huic cum Apostolo gratiam adscribat. — Decretum *Eugenii IV* de-

(1) In 4, dist. 24, § 2.

sumptum est ex opusc. 5. *S. Thomae*, cuius sunt ferme eadem verba. Quemadmodum igitur *S. Thomas* ritum in porrectione instrumentorum usitatum explicans et commendans impositionem manuum non exclusit, ita *Eugenius IV* eandem in suo Decreto excludere voluisse minime censendus est. Quomodo enim docere poterat hic summus Pontifex, in porrectione instrumentorum atque in verbis ei adiectis essentiam consistere ordinationis, cum aliunde inter Patres *Concilii Florentini*, cui praefuit, ab ipso recepti fuerint Episcopi, Sacerdotes et diaconi Ecclesiae graecae sola manuum impositione ordinati? Fatemur silentio praeteritam in Eugeniano decreto manuum impositionem: at nec erat cur ea explicite memoraretur, cum Armeni de hoc ritu, quem veluti essentialem ad ordinationem apprime servabant, instructione non indigerent. Praeterea notamus, ibidem Armenos remitti circa ea, de quibus non fit mentio, *ad illud, quod in Pontificali Romano late continetur*. In hoc autem principem locum obtinet manuum impositio. Necesse est igitur fateri, Eugenium locutum esse de materia et forma integrante et accessoria, quam optavit ab Armenis superaddi manuum impositioni iamdiu ab illis adhibitae, ut Ecclesiae latinae moribus se omnino accommodarent, ac rituum uniformitate firmius eidem adhaererent. Neque hanc explicationem respuere possunt Auctores contrarii: siquidem in eo Decreto nulla fit mentio tertiae impositionis manuum, quam nihilominus ad ordinationis presbyteri essentiam pertinere, iidem affirmant; atque idcirco fateri coguntur, non fuisse mentem Pontificis ibidem explicare, quae ordinationis substantiam perficiunt. Ex decreto igitur Eugenii nullatenus inferri potest, in collatione ordinum hierarchicorum solam instrumentorum porrectionem esse materiam adaequatam, impositionem autem manuum essentialem non esse. His argumentis pressi plerique secundae sententiae patroni dixerunt, etiam in sua sententia hierarchicos ordines conferri manuum impositione, ea nempe, qua Episcopus suis manibus instrumenta exhibet ordinando. At in primis si porrectio instrumentorum vera esset manuum impositio, etiam inferiores ordines dicerentur conferri per manuum impositionem contra id, quod a *Conc. Carthaginensi IV* audivimus: per manus etiam impositionem perficerentur baptismus et extrema unctio, quia ministri manibus baptizandi corpus abluitur, et sancto oleo perungitur infirmus; quod tamen nemo unquam dixit. Deinde hac responsione difficultatis nodus non solvitur; nam neque hodie Graeci, neque olim Latini in conferendis ordinibus hierarchicis instrumenta adhibuere; ac propterea alia diversa est impositio manuum, in quam cadit praesens controversia. Negari quidem non potest, per instrumentorum porrectionem spiritualem potestatem, quae conceditur, congrue significari; sed exinde inferri nequit, hanc significationem ex iure divino et essentialiter requiri; nam impositio manuum sufficit ad copiam gratiae significandam et producendam. Nullo denique fundamento dicitur, porrectionem instrumentorum antiquitus in usu fuisse, sed ob disciplinam arcani eam in veteribus monumentis non commemorari; praeterquam quod enim ratio assignari nequeat, cur porrectio instrumentorum, non autem impositio manus disciplinae arcani subiecta fuerit, etiam monumenta vetera il-

lorum saeculorum de porrectione dicta silent, in quibus disciplina arcani tam caute servanda non erat.

3. Tertia sententia est eorum, qui docent, tam manuum impositionem quam instrumentorum porrectionem esse materiam essentialem ordinum hierarchicorum, saltem presbyteratus et diaconatus; formam vero esse verba, quae in utraque actione ab ordinante proferuntur. Plerique vero ita hanc sententiam sequuntur, ut non absolute, sed cum restrictione eam enuntient. Admittunt enim, revera olim a Latinis, sicut nunc a Graecis, ordines hierarchicos sola manuum impositione collatos fuisse; et nihilominus hodie in Ecclesia Latina necessariam esse dicunt traditionem instrumentorum, quia Christus Dominus non instituit, neque determinavit materiam et formam ordinationis in specie infima seu *atoma*, uti dicunt, sed permisit Ecclesiae, illas pro suo libitu determinare, iustisque de causis mutare, modo et res et verba semper usurpet, quae apta sint ad significandum ordinationis effectum. Ecclesia autem, quae solam olim designaverat manuum impositionem cum verbis eam comitantibus, mutatis postea rerum circumstantiis, illa Graecis relicta, aliam materiam adhibendam statuit a Latinis; unde ex hoc tempore ad materiam essentialem etiam pertinet instrumentorum porrectio. Ita sentiunt *Vasquez*, *Maldonatus*, *Bellarminus*, *Hallierius*, *Sylvius*, *Simonnet*, *Henno*, *Billuart*, *Antoine*, *Sardagna*, *Thomas ex Charmes* et alii. « Verum, ait *Benedictus XIV* de Syn. dioec. (1), haec doctrina duas gravissimas offendit difficultates. Primo quidem non satis probatur, quod Christus Dominus praedictam potestatem fecerit Ecclesiae; imo oppositum videtur evinci ex *Tridentino* Sess. XXI, cap. 2, ubi declarat, a Christo relictam esse Ecclesiae potestatem mutandi, quae sacramentorum dispensationem respiciunt, *salva illorum substantia;* mutatio vero materiae et formae non ad ritum et dispensationem, sed ad substantiam pertinet. Deinde, data Ecclesiae facultate, de qua est sermo, gratis omnino et arbitrario fingitur, quod Ecclesia ea usa fuerit; dicant enim, ubi et quando, quo saeculo, in quo Concilio, a quo Pontifice facta sit eiusmodi mutatio? Enimvero, si Ecclesia ab ordinationis ritu ea ablegasset, quae antiquitus fiebant, cogeremur utique affirmare, ordinationis materiam et formam fuisse Ecclesiae auctoritate mutatas, novasque antiquis subrogatas. Sed cum omnia, quae habentur in antiquis ritualibus, perseverent intacta, ac sancte et integre etiam nunc peragantur, nemo facile credet, illa eadem, quae iam pridem satis erant, nunc ad ordinis sacramentum perficiendum amplius non sufficere. »

Nota 1. Ex dictis colligi potest, inter tres sententias allatas primam probabiliorem esse. Hinc, ut speciatim de singulis ordinibus dicamus, *in Episcopatu* materia essentialis est manuum impositio, quae fit a consecratore et assistentibus Episcopis; forma vero est oratio invocans Spiritum sanctum. Hanc sententiam defendunt nonnulli, qui de caetero tertiae sententiae adhaerent, ut ex. gr. *Thomas ex Charmes*, quia materia et forma Episcopatus in Decreto Eugenii non exprimuntur. Quod autem attinet ritus reliquos, impositio ipsa libri Evangeliorum super cervicem et scapulas consecrati vetustissima quidem

(1) Lib. 8, c. 10. n. 10.

est, et a Patribus, *Dionysio* (1), *S. Chrysostomo* (2), *Concilio Carthaginensi IV* (3) celebrata : nemo tamen ex iis Episcopatus rationem in ea constituit, neque ubique semper adhibita fuit, nominatim non in Ecclesia Alexandrina, Gallicana et Germanica (4). Unctionem nusquam apud Graecos reperimus, neque ubique apud Latinos (5). Quando Evangelium, annulus et baculus porriguntur, Episcopus *in Pontificali* iam consecratus dicitur; ex quo colligitur, ritum istum non esse potestatis episcopalis et gratiae collationem, sed acceptae dumtaxat significationem. — In conferendo *presbyteratu* in Ecclesia Latina triplex occurrit manuum impositio. Primo enim Episcopus nihil dicens ambas manus super caput uniuscuiusque ordinandi successive imponit, idemque faciunt Sacerdotes, qui adsunt ordinationi. Dein tam Episcopus quam Sacerdotes tenent manus dextras extensas super illos, Episc. dicente : *Oremus, fratres charissimi,* etc. Denique post communionem iterum Episcopus solus ambas manus super capita singulorum imponit dicens : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remissa sunt,* etc. Tertiae sententiae patroni hanc tertiam manuum impositionem ut essentialem habent ; primam vero et secundam ut accidentalem. Rectius vero patroni primae sententiae dicunt, secundam manuum impositionem, quae primae continuatio dici potest, essentialem esse presbyteratus materiam, et orationem annexam esse essentialem eius formam. Ratio est, quia ordinati iam ante ultimam manuum impositionem principali Sacerdotis munere funguntur, cum Episcopo consecrantes. Dein in Ecclesia graeca unica occurrit in ordinatione presbyteri manus impositio ; nam Episcopus dexteram manum tenens impositam super caput ordinandi dicit : *Divina gratia, quae semper infirma curat, ea, quae desunt, adimplet, promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum ; oremus pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus.* Tertia vero impositio manuum apud Graecos et Orientales in usu plane non est, prout nec apud Latinos ante saeculum XIII fuit, ut ex vetustis monumentis evincunt *Morinus* (6), et *Martenius*, qui (7) de eadem scribit : « Quae quidem ita essentialis ordinationi presbyterorum videtur nonnullis scholasticis, ea ut omissa perfecti dici nequeant presbyteri ; nam etsi iam acceperint potestatem offerendi sacrificii, necdum tamen acceperunt dimittendi peccata. Verum toto eos aberrare coelo, inficias nullus ierit, qui antiquos ordinationum sacrarum ritus vel levi perlustrarit oculo, utpote qui nullam prorsus illius mentionem fecerint. » — In *diaconatu* de necessitate est impositio manuum cum oratione, quae post verba illa : *Accipe Spiritum sanctum* etc., ab Episcopo recitatur. Reliqua ad integritatem dumtaxat ordinis, non vero ad essentiam pertinere videntur, cum nullum eorum vestigium sive in veteri ordine romano, sive in sacramentario S. Gregorii, sive in aliis libris ritualibus ante septingentos annos editis occurrat. Ita etiam laudata verba : *Accipe Spiritum sanctum*, in nullis antiquioribus ritualibus aut sacramentariis habentur.

Nota 2. Cl. *Perrone*, cum primam

(1) Hier. Eccl. c. 5, 3, § 1.
(2) Hom. de legislat. n. 4. (3) Can. 2.
(4) V. Alcuin. de div. off. c. 37; Amalar. de div. off. lib. 2, c. 14; Morinus Comm. de Ss. ord. p. 2, exerc. 9, a. 1, n. 5, etc.
(5) V. Isidor. de off. lib. 2, c. 5, n. 10.
(6) Comm. de Ss. ord., exerc. 7, cap. 5.
(7) De ant. Eccl. rit. lib. 1. cap. 8, art. 9, n. 12.

sententiam solide probasset (1), hoc monitum adiungit: « Et haec quidem disseruimus spectantes quaestionem hanc in abstracto, ut dicitur, seu speculative; caeterum cum in praxi tutior pars in administratione sacramentorum teneri debeat, ac optimae notae theologi diversas sententias tueantur, hinc absque piaculo alterutra non posset omitti, scilicet aut manuum impositio, aut instrumentorum porrectio, ex quibus iuxta plures theologos in Ecclesia Latina materia totalis et adaequata sacrae ordinationis coalescit. Quodsi traditio instrumentorum omissa esset, deberet omnino suppleri, imo tota esset ordinatio sub conditione iteranda, prout a s. Congregatione sancitum est apud *Benedictum XIV* » (2).

II. *De sacramenti ordinis ministro.*

§ 687. Dum de administratione sacramentorum agitur, minister ordinarius et extraordinarius distingui solet. Investigandum igitur est, qualis sit *ordinarius sacramenti ordinis minister?* et an etiam extraordinarius detur?

1. Solus Episcopus valide consecratus est ordinarius sacramenti ordinis minister. Hoc dogma patet ex *Ss. Litteris*, quae non aliis, quam Apostolis eorumque successoribus potestatem ministros Ecclesiae constituendi et ordinandi tribuunt. Nam Apostoli tum septem diaconos ordinarunt (3), tum Paulum et Barnabam per orationem et manus impositionem Apostolos constituerunt (4). Qua accepta dignitate, Paulus et Barnabas eodem ritu presbyteros ordinarunt (5). Paulus (6) testatur, Timotheum per impositionem manuum suarum fuisse ordinatum. *Timotheo* (7), et *Tito* (8) regulae praescribuntur in electione et ordinatione ministrorum sacrorum observandae. Cum S. Scriptura consonat traditio. *S. Athanasius* Apolog. c. Arian. n. 12 accusatorem suum, Ischiram ideo Sacerdotem non fuisse probabat, quia non ab Episcopo, sed a simplici Sacerdote Collutho ordinatus fuerat; et *Synodus Alexandrina* ideo eius ordinationem irritam declarabat (9). Cum *Novatus* romanum Episcopatum ambiret, Eusebio teste (10), maxime sollicitus erat, ut Episcopos aliquos circumveniret, a quibus episcopalem ordinationem acciperet: adeo vel ipsis haereticis tunc temporis, nempe saeculo III persuasum erat, nonnisi ab Episcopo Episcopum institui posse. *S. Epiphanius* (11) sic adversus Aërium scribebat: « Ordo siquidem Episcoporum ad gignendos Patres praecipue pertinet; huius enim est Patrum in Ecclesia propagatio; alter (presbyterorum) cum Patres non possit, Filios Ecclesiae lotionis regeneratione producit; » et deinde concludit: « Quinam fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat? » — *S. Chrysostomus* (12) inquit: « Sola ordinatione superiores (Episcopi) sunt, atque hinc tantum videntur presbyteris praestare. » *S. Hieronymus* (13) scribit: « Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod non faciat presbyter? » — Dein *S. Chrysostomus* (14), *Theodoretus* et *Theophylactus* (15) affirmant, apud Apostolum nomine *presbyterii* Episcopos esse

(1) Tract. de ord. cap 7, n. 127.
(2) Loc. cit. § 13.
(3) Act. 6, 6.
(4) Act. 13, 3.
(5) Act. 14, 22.
(6) II Tim. 1, 6.
(7) I Ep. 3, 1, etc.
(8) Cap. 1, 5, et seq.
(9) Ibid. n. 74.
(10) Lib. 6 hist. Eccl., c 43.
(11) Haer. 74, n. 4.
(12) Hom. 11 in I Tim., n. 1.
(13) Epist. 146 ad Evang., n. 1.
(14) Hom. 13 in I Tim. 4, 14, n. 1.
(15) Comment. in eundem locum.

intelligendos, cum absurdum sit credere, Paulum presbyteris dedisse potestatem ordines conferendi. Ecclesiae perpetua praxis melius colligi non potest, quam ex antiquissimis libris ritualibus Graecorum et Latinorum, in quibus constanter solus Episcopus exhibetur ordinationis minister. Eadem rursum ex perpetua ipsius agendi ratione evincitur, ex quibus patet, vel dirissimae persecutionis tempore nunquam a presbytero aut Episcopos, aut presbyteros, aut diaconos initiatos fuisse. In decreto *Conc. Florentini* de ordine dicitur: *Ordinarius minister huius sacramenti est Episcopus. Conc. Tridentinum* Sess. XXIII, can. 7 definit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem... anathema sit.* Unde conclusio est de fide, quam omnes theologi defendunt contra Novatores, qui ius eligendi et constituendi ministros Ecclesiae penes Principem, aut totum populum residere dicunt, et Pastoribus solum ius vel officium tribuunt, vota Principum seu populi exequendi.

2. Si quaeritur de *ministro extraordinario*, theologorum communis est sententia, quod simplex Sacerdos ex commissione Ecclesiae, seu summi Pontificis possit esse minister extraordinarius tonsurae et quatuor ordinum minorum. Ecclesia enim, quae istos instituit, potest etiam eosdem conferendi facultatem concedere. Hinc *Conc. Nicaenum II* can. 14 hanc facultatem concedit Abbatibus Sacerdotibus ab Episcopo benedictis. *Alexander III* cap. *Requisivit* (1) dicit, quod « huiusmodi ordines a non Episcopis quandoque conferuntur.» Eadem facultas conceditur sive ex consuetudine, sive ex privilegio Cardinalibus presbyteris. *Conc. Tridentinum* Sess. XXIII, cap. 10 de reform. dicit: *Abbatibus, et aliis quibuscunque quantumvis exemptis et privilegiatis, non liceat in posterum... cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre:* ergo supponit suis religiosis posse conferre. Idem dicendum est de subdiaconatu; nam *Gelasius* P. Ep. 9 ad Episc. Lucan. (2) ait: «Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, *sine summo Pontifice,* subdiaconum, aut acolythum ius habere faciendi:» quibus verbis significat, ex summi Pontificis commissione posse presbyteros subdiaconum ordinare, quod omnes theologi admittunt, qui negant, subdiaconatum divinae institutionis esse. — Quod vero attinet ordines hierarchicos, dicendum est, istos conferri non posse nisi a solo Episcopo. Extiterunt quidem nonnulli scholastici et canonistae, qui docuerunt, posse Rom. Pontificem delegare presbyterum ad inaugurandos diaconos et presbyteros, sed iamdiu istorum paucorum sententia obsoleta est, et nullum patronum sibi vindicat. Decepti quidam fuerant ex eo, quia legerunt, Chorepiscopos, qui nomine quidem, sed non dignitate episcopali gaudebant, diaconos et presbyteros ordinasse. Sed critici ostenderunt, non omnes quidem, sed quosdam Chorepiscopos legitime ordinatos Episcopos fuisse, de quibus praefatae ordinationes intelligendae sunt. Nonnulli putarunt, saltem diaconatum ex commissione Rom. Pontificis a simplici presbytero conferri posse, quod probare conati sunt ex privilegio abbatibus cisterciensibus ab Innocentio VIII concesso, ut possint monachis sibi

(1) Decr. lib. I, tit. 13.

(2) Cap. 6 de presbyteris.

subiectis, praeter minores ordines et subdiaconatum, etiam diaconatum conferre. Sed gravissimi theologi, ut *Hallerius*, *Sylvius*, *Tournely*, etc., contendunt, hoc privilegium esse suppositium et fictum, tum quia illius non meminit *Conc. Tridentinum* l. c., tum quia haec Bulla non reperitur in Bullario Romae edito, tum quia in prima parte illius Bullae abbas cisterciensis supplicat, ut sibi renovetur privilegium suis monachis conferendi tonsuram et ordines minores, et in secunda parte summus Pontifex concedit facultatem conferendi diaconatum et subdiaconatum : ergo ultra petita concederet, quod repugnat stylo Curiae Romanae. Ex monumento autem dubiae et incertae auctoritatis non potest labefactari sententia communis et certa inter theologos, quia tum *S. Thomas*, tum *Scotus* docuerunt, non posse simplici presbytero facultatem ordinandi diaconum delegari.

Nota 1. Certum est, tres Episcopos requiri ex praecepto saltem ecclesiastico ad unius Episcopi ordinationem licitam, ita ut aliter ordinans et ordinatus peccent mortaliter. Nam canon 1 apostolicus statuit : « Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur. » Constitutiones apost. (1) dicunt : « Iubemus, ut (Episcopus) a tribus Episcopis ordinetur, et ut minimum a duobus, ita ut ab uno constitui non possit. » *Conc. Nicaenum I*, can. 4 ait : *Si difficile fuerit*, omnes provinciae Episcopos convenire, *tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus..... ordinatio fiat.* Idem decernunt *Conc. Arelatense I*, can. 20, *Carthaginense II*, can. 12, *Carthaginense III*, can. 39 ; idem praecipitur in Pontificali Romano, et ita ab Ecclesiae exordio constanter observatum est. Quaerunt autem theologi, an tres Episcopi ex iure divino requirantur, ita ut, his deficientibus, ordinatio Episcopi non solum illicita, sed et irrita ac nulla sit ? Id affirmant *Cajetanus*, *Bellarminus*, *Vasquez*, *Habert*, *Gonetus*, *Tournely*, *Thomas ex Charmes* et alii, quia id, quod ex apostolica traditione descendit, ex iure divino repetendum est, quamvis admittant ad consecrationis validitatem duos Episcopos sufficere. Alii vero, ut *Paludanus*, *Sylvester*, *Hallerius*, *Billuart*, *Schram* etc. negant, ad valorem ordinationis tres, aut duos Episcopos ex iure divino requiri, et aiunt, unum Episcopum non quidem licite, sed tamen valide consecrare posse. Nam in Const. apost. (2) dicitur : « Cogente necessitate Episcopus ab uno ordinari potest. » *Theodoretus* (3) refert, Evagrium ordinatum fuisse Episcopum Antiochenum a solo Paulino ; et licet Paulinus contra canones erraverit, nunquam tamen de valore ordinationis Evagrii disputatum fuit : imo *Innocentius* (4) ordinationes ab Evagrio factas ratas habuit. *S. Gregorius M.* (5) interrogatus ab Augustino Anglorum Episcopo, an posset solus Episcopos ordinare? sic respondet : « Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveneris, ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis potes. » Ita etiam saeculis subsequentibus saepius Rom. Pontifices hac in re dispensarunt, ut ordinatio Episcopi valide et licite ab uno Episcopo perficeretur. Plura talia exempla refert cl. *Billuart* (6). At si ex iure divino tres, vel duo Episcopi ad ordinationis validitatem require-

(1) Lib. 3, c. 20. (2) Lib. 8, c. 27 al. 33.
(3) Lib. 5 hist. c. 23.
(4) Ep 22 ad Bonifac.
(5) Lib. 10 Epist. 64.
(6) De sacr. ord. diss. 4, art. 3.

rentur, Rom. Pontifices non dispensassent.

Nota 2. *Concil. Tridentinum* Sess. XXIII, cap. 8 de reform. praecipit, ut unusquisque a proprio Episcopo *ordinetur*. Episcopus autem vocatur *proprius* relate ad eum, qui propter *originem*, vel *beneficium*, vel *domicilium*, vel etiam *familiaritatem* subiacet eiusdem iurisdictioni. Proprius est Episcopus ratione *originis*, quando clericos non fortuito, sed per antecedens parentum domicilium in eius dioecesi natus est; ratione *beneficii*, cum clericus in eius dioecesi sine fraude obtinet beneficium ad congruam sui alimoniam sufficiens; ratione *domicilii*, in cuius dioecesi aliquis commoratur cum proposito ibidem perpetuo manendi; ratione *familiaritatis*, si quis per triennium integrum et continuum apud Episcopum vixerit, ab ipso nutritus fuerit, et ab eodem beneficium statim accipiat (1). Regularium Episcopus proprius est, in cuius dioecesi situm est monasterium, in quo regulares commorantur. Ab Episcopo, qui non est proprius ordinandi, valide quidem, sed non licite ordinatio accipitur. Ita pariter iuxta sententiam *S. Thomae*, quam modo communiter theologi sequuntur, valide sed illicita est ordinatio facta ab Episcopo haeretico, schismatico, simoniaco, vel censura ecclesiastica irretito. Ideo valide censentur ordinationes Graecorum schismaticorum, quae iuxta veterem Ecclesiae graecae ritum perficiuntur. Ordinationes autem anglicanae non ideo invalidae sunt, quia ab Episcopis haereticis conferuntur, sed quia sub rege *Eduardo VI*, abrogato rituali Romano, forma essentialiter vitiata fuit: et quamvis hanc posterius aliquatenus emendare studuerint, successio tamen Episcoporum valide ordinatorum iam interrupta fuit (2).

(1) V. Trid. Sess. 23, cap. 5.

(2) V. M. Le Quien de nullitate ord. anglic.; Billuart tract. de ordine diss. 3, append. ad art. 2.

III. *De sacramenti ordinis subiecto.*

§ 688. Ut quis tum valide, tum licite sacramentum ordinis recipiat, variae conditiones requiruntur.

1. Sacramentum ordinis *mares* tantum valide recipere possunt, feminae enim sunt ordinis incapaces, quod ex S. Scriptura et ex constanti Traditione probatur. Nam neque in periodo patriarchali, neque in lege mosaica femina ulla sacris altaribus admota est. Christus condendo Ecclesiam solos viros Sacerdotes ordinavit, non mulieres, nequidem sanctissimam suam Matrem, cui tamen haec dignitas prae caeteris omnibus mulieribus competebat, si alicui concedenda fuisset. Etiam Apostoli solis viris manus imposuisse leguntur. Imo Paulus praecipit, ut *mulieres in Ecclesia taceant*, cum subditae sint, et sit *turpe mulieribus loqui*, id est, docere *in Ecclesia* (3): et I Tim. II, 11 ait: *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Qui vero muneri docendi aptus non est, neque aptus est sacerdotio. Hinc ex historia ecclesiastica patet, nunquam feminas ad sacram ordinationem admissas fuisse: imo Ecclesia semper execrata est *Marcosianos*, *Cataphryges*, seu *Quintillianos* et *Collyridianos*, sacram ordinationem mulieribus conferentes; ut constat ex *S. Irenaeo* (4), *S. Epiphanio* (5), *S. Augustino*. (6). — Extiterunt quidem antiquitus feminae, quae dicebantur

(3) I Cor. 14, 34, etc.

(4) Lib. 1, c. 13 n. 2.

(5) Haer. 49, n. 2, et haer. 79, n 1, etc

(6) De haer. c. 27.

diaconissae; ritus autem externus, quo ad hoc munus assumebantur, nunquam pro ritu sacramentali, seu pro vera ordinatione habitus fuit; nam in *Concilio Laodiceno* circa an. 321 declaratur can. 11, *Mulieres in Ecclesia tanquam ordinatas constitui non debere.* Et *S. Epiphanius* (1) testatur, « nunquam diaconissas ad sacerdotii functionem, aut ullam huiusmodi administrationem admissas fuisse. » Ipsarum itaque ministeria erant: 1° subservire Episcopo vel presbytero baptizanti mulieres, ut modeste nudarentur et caute operirentur, ne paterent aspectui baptizantis; 2. aperire et claudere ianuam Ecclesiae, per quam mulieres intrabant; 3. comitari mulieres ad Episcopum vel presbyterum accedentes; nulli enim mulieri sine diaconissa ad eos accedere licebat (2); 4. rudibus mulieribus rudimenta fidei et ritus baptismi exponere; 5. mitti ad christianas mulieres consolandi vel sublevandi gratia; 6. habere curam pauperum viduarum. Si quae mulieres antiquitus *presbyterae*, aut *episcopae* dicebantur, istae non erant nisi uxores presbyterorum vel Episcoporum, quas isti ante ordinationem duxerant. Debebant autem istae a viris suis separari, et vel monasterium ingredi, vel saltem castitatem vovere; unde in *Concilio Altisiodorensi* can. 21 dicitur: *Non licet presbytero post acceptam benedictionem, in uno lecto cum presbytera sua dormire.*

2. Ad validam ordinationem etiam requiritur, ut suscipiens sit baptizatus, quia baptismus est ianua ad omnia alia sacramenta. Praeterea in adultis ad valorem ordinationis requiritur consensus, seu intentio ordinem suscipiendi; saepius enim nulla et irrita a Rom. Pontificibus declarata est ordinatio obluctanti ac invito collata. Si quae porro monumenta ecclesiastica contrarium suadere videntur, explicari debent de reluctantia quadam animi, non autem de omnimoda et absoluta. — Controvertitur inter theologos, an parvuli ante usum rationis possint valide ordinari. — Negant *Durandus* et *Tournely*, affirmat *S. Thomas* (3), quem omni iure multi theologi sequuntur; nam sacramenta, quae non in actu, sed in potestate consistunt, conferri possunt ante ullum suscipientis actum: sic conferri possunt baptismus et confirmatio, non vero poenitentia, nec matrimonium, quia de illorum essentia sunt actus, nempe contritio et confessio in sacramento poenitentiae, consensus in matrimonio. Sacramentum vero ordinis non in actu, sed in potestate consistit, quae non traditur per donationem aut contractum, ad quem requiritur consensus contrahentis aut donatarii, sed per efficacem operationem characteris episcopalis, respectu cuius recipiens se habet mere passive, sicut cera respectu sigilli; ergo conferri valide potest ordo ante ullum suscipientis actum, et consequenter parvulo, amenti etc., licet sint incapaces consensus. Parvulus tamen sic ordinatus nec ad votum castitatis, nec ad officium divinum recitandum teneretur, nisi sponte post adeptum rationis usum suam ordinationem ratam habuisset.

Nota. Quae ad licitam ordinis susceptionem requiruntur in theologia morali et pastorali exponuntur.

(1) Haer. 79. (2) Lib. 2 Const. apost. c. 26.

IV. *De sacramenti ordinis effectibus.*

§ 689. Sacramenti ordinis effectus sunt *potestas sacra*, *gratia* et *character;* et non solum per ordines hie-

(3) In suppl. q. 39, art. 2.

rarchicos, sed etiam per subdiaconatum imponitur obligatio *caelibatum servandi*, et *horas canonicas recitandi*.

1. Sacramentum ordinis institutum est, ut semper in Ecclesia sacri ministri adsint, qui sacrificium offerant, sacramenta administrent, publice doceant, aliaque munera spiritualia exequantur. Idcirco *congrua potestas* in sacris ordinationibus confertur. Et sane mira potestas illa est, quam in ordinatione *Sacerdos* acquirit, mira licet invisibilia ex officio exequendi; nonne enim prodigium ineffabile est, quod semel in die hic operatur, dum potestatem exercens in corpus Christi reale sacram conficit eucharistiam? Nonne prodigium est, quod ipse perficit in mysticum Christi corpus, quoties vel baptizando maculam delet originis, vel sacramentaliter absolvendo actualia dimittit peccata post baptismum patrata? — Cum autem presbyter ad *Episcopatum* promovetur, ipsi in consecratione datur potestas etiam sacramenta confirmationis et ordinis administrandi, ac imperium sacrum in Christi fideles exercendi. Sicuti autem ideo Episcopatus sacerdotii complementum et perfectio rectissime dicitur, ita proxima ad sacerdotium praeparatio est *diaconatus*, per quem confertur potestas Sacerdoti offerenti proxime ministrandi, imo etiam presbytero absente vel iubente baptizandi, praedicandi, et sanctam eucharistiam dispensandi.

2. Summam sacramenti ordinis efficaciam ostendit *Tridentinum Concilium*, dum Sess. XXIII, can. 4 definit: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum... anathema sit.* Gratia ergo sanctificans, quae Sancti spiritus nomine hic venit, principalis est effectus, quem subiecto rite disposito confert huiusmodi sacramentum ex opere operato. Quoniam autem ordo sacramentum vivorum est, et statum gratiae in recipiente praerequirit; patet inde, gratiam sanctificantem, quam parit sacramentum ordinis, gratiam fore *secundam*, quae incrementum est *primae*. Hunc effectum alter comitatur, quem *gratiam sacramentalem* ideo appellamus, quod ordinato peculiare tribuit auxilium ad eius munera digne obeunda. Idcirco *Eugenius IV* in decreto dicit: Sacramenti ordinis *effectus est augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister*. Et sane quo maioris momenti et difficultatis sunt officia a ministris sacris implenda, eo maior ipsis gratia divina necessaria est (1).

3. Sacramentum ordinis imprimit *characterem*, ac ideo semel valide collatum iterari non potest. Hinc *S. Augustinus* sacramentum ordinis comparat cum baptismo, ac dicit (2): « Utrumque enim sacramentum est, et utrumque quadam consecratione homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in Ecclesia catholica utrumque non licet iterari. » *S. Gregorius M.* (3) scribit: « Sicut baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari. » Canon apostolicus 67 ita sonat: « Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus secundam ordinationem ab alio susceperit, deponatur et ipse, et qui eum ordinavit. » *Concilio Carthaginense III*, can. 38 declarat: *Non liceat fieri rebaptizationes et reordinatio-*

(1) Cf. § 678, n. 2, et § 679.
(2) Lib. 2, c. Ep. Parmen. c. 13, n. 28.
(3) Lib. 2, Epist. 46 ad Ioann. Ravennat.

nes vel translationes Episcoporum. Nullum extat in historia ecclesiastica exemplum, ordinem valide susceptum unquam fuisse iteratum. Contigit quidem, ut presbyteri, aut etiam Episcopi in gravia crimina, vel etiam in schisma, aut haeresin prolapsi fuerint. At si ad Ecclesiam redierunt, poenitentiae quidem subiecti sunt, hac autem peracta, ad sacerdotalia munera sine nova ordinatione admissi fuerunt. Constans ergo fuit Ecclesiae fides, characterem in ordinatione impressum nullo modo amitti posse. Ideo *Concil. Tridentinum* l. c. definivit: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem — non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.* Ex divina ergo revelatione constat, per sacram ordinationem characterem imprimi, qui nullo modo amitti potest, cuius rei ratio facile patescit. Nam si character sacerdotalis, vel episcopalis ulla re posset amitti, continuo salus fidelium discrimini exponeretur, qui nunquam essent persuasi, se sacramenta revera suscepisse, quae a charactere sacerdotali pendent, nisi hic inamissibilis sit; quod neutrum Christum Dominum voluisse, ex sapientissima religionis christianae oeconomia colligi potest. Hinc *Nicolaus I* interrogatus, an ab impio ministro valide sacramenta recipiantur (ad consulta Bulgarorum Resp. 71) congrue et eleganter respondit: « Non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere. Nec potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque Sacerdos sit, quae sancta sunt, coinquinare non potest; idcirco ab eo, usquequo Episcoporum iudicio reprobetur, communio percipienda est, quoniam multi bona ministrando se tantummodo laedunt, et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum praestat, aliis vero lumen in tenebris administrat, et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium praebet » (1).

4. Quartus effectus sacris ordinibus annexus est *caelibatus*, secundum quem illi, qui in Ecclesia Latina sacris seu maioribus ordinibus initiantur, nec matrimonium contrahere, nec matrimonio prius contracto uti possunt. In Ecclesia vero Graeca licet quidem sacris ordinibus initiatis (excepto Episcopatu) retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas, et omni iure coniugali uti; sed omnino sub poena depositionis prohibitum est eis post ordinationem ducere uxores. Communis est theologorum sententia, caelibatum non iure divino sacris ordinibus adnexum esse, sed lege ecclesiastica, quae autem *antiquissima* et *statui clericali convenientissima* est. — Antiquissimam iam inde ab Apostolorum temporibus repetendam esse legem continentiae, tum *Patres* tum *Concilia* testantur. *Tertullianus* (2) de clero africano scribit: « Quanti in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerant, qui carnis suae honorem (in primaevum paradisi statum) restituerunt: qui se iam illius aevi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis et totum illud, quod intra paradisum non potuit amitti? » Vox porro *dicaverunt* aperte hic votum et professionem significat. Idem (3) clericos vocat « viros virgines ac voluntarios spadones. » Cum vero ipsemet Tertullianus in maiorem Ecclesiae Car-

(1) Cf. § 510.
(2) Lib. de exhort. castit. c. 11.
(3) Lib. de veland. virg. c. 10.

thaginensis clerum cooptatus fuisset, se a coniuge separavit, ut patet ex duobus eius libris ad uxorem. *Origenes* (1) inquit : « Certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui coniugalibus necessitatibus serviunt: inde videtur mihi, quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti et perpetuae se devoverit castitati. » *Eusebius Caes.* lib. 1 demonstr. evang. cap. 9 testatur: « Eos, qui sacrati sunt atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris. » *S. Cyrillus Hier.* probat virginitatem Mariae ex caelibatu presbyterorum; ait enim Catech. 12: « Decebat purissimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Iesum bene fungitur sacerdotio, abstinet a muliere, quomodo ipse Iesus a muliere (coniugali actu corrupta) prodiisset? » *S. Gregorius Niss.* l. de virginitate cap. ult. scribit, Sacerdotem « non obtemperare legi prohibenti, » qui nuptiali opere impurus sacrificium offert. *S. Epiphanius* (2) haec habet: « (Ecclesia) eum, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, Episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit, sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et subdiaconi liberos suscipiunt. Respondeo, non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere ac connivere solent ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet, qui se ad eas functiones applicent, non facile reperiuntur. » Idem (3) inquit, Christum ipsum huius disciplinae esse auctorem, atque de ea Apostolos leges condidisse et canones: « Id, quod Apostoli deinde honeste et religiose decreverunt per ecclesiasticam sacerdotii regulam. » *S. Chrysostomus* Hom. 2 de patientia Iob ait : « Dixit unius *uxoris virum*, non ea ratione, ut id nunc in Ecclesia observaretur; oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse. » *S. Ambrosius* l. 1 de offic. (4) ita Sacerdotes alloquitur: « Inoffensum autem exhibendum et immaculatum ministerium, nec ullo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integri corpore, incorrupti pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali sacri ministerii gratiam recepistis. » *S. Syricius* P. in Epist. ad Himerium Episcop. Tarrac. (5) meminit legis continentiae pro Episcopis, presbyteris et diaconis tanquam ab Apostolo Petro institutae, atque ideo eius observantiam urget, atque in transgressores tanquam in violatae legis reos animadvertit. Eandem legem supponit *Innocentius I* in Epist. 2 ad Victricium, cap. IX. — *S. Hieronymus* c. Iovinian. (6) ait : « Certe confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non tanquam vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. » Neque ad solos Episcopos S. Doctor legem continentiae restringit; sed l. c. Vigilant. n. 2 scribit: « Quid facient orientis Ecclesiae, — quid Aegypti et Sedis apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt? » Quo nil cla-

(1) Hom. 23 in Numer. n. 3.
(2) Haer. 59, n. 4. (3) Haer. 48, n. 9.
(4) Cap. 50, n. 258. (5) Ep. 1, n. 10.
(6) Lib. 1, n. 34.

rius dici potuisset ad universalem consuetudinem legem continentiae servandi demonstrandam. *S. Augustinus* (1) inquit: « Istos, qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terremus, ne adulterinis coniugiis haerendo pereant in aeternum, solemus eis proponere etiam continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adiuvante, perducunt. » *S. Leo M.* (2) scribit: « Lex continentiae eadem est ministris altaris (diaconis) quae Episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad praedictos pervenerint gradus, coepit eis non licere, quod licuit. Unde ut de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habere, quo et salva sit charitas coniugiorum, et cessent opera nuptiarum. » Idem ad Anastasium (3) etiam subdiaconos legi continentiae adstrictos esse pronunciat. *S. Isidorus Hisp.* (4) inquit: « Placuit Ss. Patribus, ut qui s. mysteria contrectant, casti sint, et continentes ab uxoribus, et ab omni carnali immunditia sint liberi. » Cum Ss. Patrum effatis consonant decreta *Conciliorum. Eliberitanum* an. 304, c. 33 statuit: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, presbyteris, et diaconis, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios; quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur. Nicaenum I* can. 3 decernit: *Vetuit omnino magna Synodus, ne liceat Episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec ulli penitus illorum, qui sunt in clero, introductam habere mulierem, praeterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas mulieres, quae omnem suspicionem effugiunt.* In quem canonem observat *Bellarminus* (5): « Nulla uxoris fit mentio, quae tamen primo loco poni debuit, si cum ea habitare liceret. Item cur prohibetur clericis cohabitatio mulierum, si uxorati esse possunt? Nonne uxores ancillas habere possunt in eadem domo? » *Carthaginense II*, an. 390, can. 2 haec habet: *Placuit et condecet, sacrosanctos Antistites et Dei Sacerdotes, nec non et Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Idem statuerunt *Toletanum I* (6), *Carthaginense V* (7), *Arausicanum I* (8), *Arelatense II* (9), et alia plurima. De subdiaconis legi continentiae subiectis loquuntur *Concilium Aurelianense IV* (10), *Toletanum VIII* (11), *Aquisgranense* (12), *Wormatiense* (13), quod can. 9 dicit: *Placuit, ut Episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi abstineant se ab uxoribus, et non generent filios.* Antiquissimae huic Traditioni insistens *Concilium Tridentinum* (14) definit: *Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; et oppositum nihil aliud esse, quam damnare*

(1) Lib. 2 de coniug. adult. c. 20, n. 22.
(2) Ep. 92, c. 3. (3) Ep. 84, al. 12, c. 4.
(4) Lib. 2 de offic. div. c. 10.
(5) Lib. 1 de cler. c. 19.
(6) An. 400 can. 1.
(7) An. 401 (vel potius 438) can. 3.
(8) An. 441 can. 12, 23, 24.
(9) An. 452 can. 2. (10) An. 539 can. 2.
(11) An. 653 can. 6. (12) An. 816 can. 6.
(13) An. 868. (14) Sess. 24, can. 9.

matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari. — Facile porro ostenditur, caelibatum pro clericis in maioribus ordinibus constitutis *convenientissimum* esse. Nam 1° Christus, divinum omnium virtutum exemplar, vitam caelibem semper gessisse, nemo dubitat. Magistrum secuti sunt Apostoli, ab omni matrimonio abstinentes. Nam *Tertullianus* lib. de monogam. (1) ait: « Petrum solum invenio maritum per socrum... caeteros cum maritos non invenio, aut spadones intelligam, necesse est, vel post nuptias continentes; » nam et Petrus, Christum secutus uxorem reliquit (2). *Clemens Alex.* (3) ita loquitur: « Non ut uxores, sed ut sorores circumducebant (Apostoli) mulieres, quae una ministraturae essent apud mulieres, quae domos custodiebant, per quas etiam in gynaeceum absque ulla reprehensione malave suspicione ingredi posset doctrina Christi. » *S. Hieronymus* (4) scribit: « Christus virgo, Maria virgo utriusque sexus virginitatis dedicavere principia, Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. » Nonne convenientissimum est, ut Ecclesia ab Apostolorum successoribus exigat, ut imitatores ipsorum sint, sicut et ipsi imitatores Christi fuerunt? — 2° His accedit, quod virginitas a Christo et Apostolis laudetur et commendetur. Christus enim, cum discipuli dixissent: *Non expedit nubere*, reposuit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est;* ac dein laudat Eunuchos, *qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum: qui potest capere, capiat* (5). Paulus I Cor. VII, totus est in commendanda virginitate, nam v. 7 etc. ait: *Volo enim vos omnes esse sicut meipsum..... Dico autem non nuptis et viduis: Bonum est illis si sic permaneant sicut et ego.* V. 25: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis* minister, qui nonnisi vera loquitur; v. 26: *Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem,* id est, propter pericula, curas temporales molestiasque, quas secum fert coniugium, *quoniam bonum est homini sic* (virginem) *esse.* Quapropter si *solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem* (v. 27). Ex quibus verbis patet, virginitatem non quidem praecipi, sed ut *consilium* commendari, illamque tanquam perfectius vitae genus statui coniugali praeferri. Ideo per haec Christi et Apostoli verba iam in primis saeculis plurimi maioris perfectionis studio incensi vitam caelibem elegerunt, et virginitatem perpetuo servarunt. At vero quo status aliquis sublimior et sanctior est, eo sanctius et sublimius vitae genus postulat; non datur autem status sanctior et sublimior illo, quo homines in sortem Domini vocantur, ad sacra munera obeunda eliguntur, et veluti medii inter Deum et homines collocantur: ergo pro statu isto convenientissimus est caelibatus. 3° Id confirmatur, si sacrorum ministrorum munera propius considerentur. Nam Apostolus vult coniugatos abstinere ad tempus ab usu coniugii (6), ut vacent orationi; atqui sacrorum ministrorum officium est pro populo semper orare, et ministeria sacra

(1) Cap. 8. (2) Matth. 19, 27.
(3) Lib. 3 Strom. in I Cor. 9, 5.
(4) Ep. 48 ad Pamach. n. 21.
(5) Matth. 19, 10, etc. (6) I Cor. 7, 3.

peragere (1): ergo congrue admodum usu coniugii interdicuntur. Hinc S. *Hieronymus* c. Iovinian. (2) dicit: « Si laicus et quicunque fidelis non potest orare, nisi careat officio coniugali; Sacerdoti, cui semper sunt offerenda pro populo sacrificia, semper orandum est; si semper orandum est, sempre carendum matrimonio. » Praeterea Paulus vult, ministrum sacrum ut bonum militem Christi non implicari negotiis saecularibus (3), sed servitio divino unice intentum esse: atqui nihil implicat magis negotiis saecularibus quam officium coniugale et curae matrimoniales. Unde idem Apostolus dicit: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est* (4). Indecens ergo est ministrum sacrum habere uxorem. Denique Sacerdotes V. T. tempore vicis suae ab uxoribus abstinere debuerunt (5), et laicis licitum non erat comedere sanctificatum panem, nisi ab uxoribus abstinuissent (6). « Quanto magis, ait *Innocentius I* in Epist. ad Exsuperium Tolos., Sacerdotes et Levitae N. L. pudicitiam ex die ordinationis suae servare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, quae vel a sacrificiis divinis vel a baptismatis officio vacet? » 4° Indefessa animarum cura, intrepida errantium et inobedientium correptio, assidua aegrotorum, etiam lue contagiosa laborantium visitatio impavidum requirunt pastorem, non vitae aut sanitati suae, et multo minus uxori liberisque timentem. Ast coniugatus oeconomicis et domesticis innumeris prope curis obstrictus est, coniugis et liberorum sustentationi providere debet, istorum educationi prospicere, futurae ipsorum sorti consulere, aliaque non pauca matrimonii onera ferre, quibus a muneribus suis pastoralibus retrahitur et impeditur. Laudanda igitur et commendanda est lex, quae pastorem a tantis oneribus et impedimentis liberat. 5° Beneficia plura vix ad unum clericum sustentandum sufficiunt; quomodo uxore et liberis gravatum alerent? quibus curis sollicitudinibusque, imo peccandi periculis domesticae rei angustiae talem involverent? Certum est, bona ecclesiastica iuxta mentem fundatorum in usus pios adhibenda esse, at quosnam in usus demum bona ecclesiastica ab uxoratis impenderentur? Si nimius in nepotes amor semper in Sacerdote timendus est, quid effecturus esset amor in coniugem et liberos?—Innumerae profecto inordinationes ex connubiis Sacerdotum orirentur, quae idcirco sapientissime ab Ecclesia interdicta sunt.

5. Quintus effectus ordinum maiorum est gravis obligatio horas canonicas recitandi, de qua aliqua dicta sunt § 396, n. 1; reliqua vero in theologia morali et pastorali ex professo pertractantur.

Nota. Lutherus legem ecclesiasticam et votum solemniter emissum sacrilege violans *Catharinam Boraeam*, monachus monialem uxorem duxit, sub specioso reformationis titulo doctrinam concupiscentiae faventem praedicavit, et sacrum caelibatum insano furore insectatus est. Eius principia passim sequuntur protestantes, quorum praecipuas saltem, quas caelibatui, opponunt, difficultates solvere oportet.

Obi. I. Lex caelibatus repugnat iuri naturali, quod unicuique libertatem

(1) § 396, n. 1. (2) Lib. 1, n. 34.
(3) II Tim. 2, 3, etc. (4) I Cor. 7, 32, etc.
(5) Ex. 19, 22. (6) I Reg. 21

nubendi concedit. Imo quilibet facultatem habet, et stimulum in se sentit filios procreandi: nefas igitur est obtenta facultate non uti; nam perinde est non dare alicui individuo existentiam, cum fieri potest, ac individuo iam nato vitam auferre, quod scelus gravissimum est. Ergo Ecclesia legem continentiae imponens graviter ius naturae violat.

Resp. Si vera esset adversariorum argumentatio, sequeretur, non solum omnes homines *posse*, sed etiam debere matrimonium inire, sive paupères fuerint sive divites, sive sani sive infirmi, sive pares sustinendis matrimonii oneribus sive impares, sive servi sive liberi. Tantum vero abest, ut populi, legislatores, sapientes cuiuslibet aevi talem obligationem agnoverint, reosque propterea ac legis naturalis infractores traduxerint caelibatus sacri cultores, ut eos potius vel ipso naturae lumine ducti, summo semper in pretio habuerint et honoribus cumulaverint, prout id de Aegyptiis, Indis, Persis, Graecis et Romanis ita constat, ut nec ab adversariis in dubium revocetur. Verum quidem est, hominem facultatem habere et stimulum sentire filios procreandi. Sed iuxta sanae philosophiae principia facultates et stimuli inferiores, praecipue per peccatum originale corrupti, superioribus subesse, et per rationem dirigi debent, quae non raro praecipit, ut homo ad nobiliorem finem obtinendum facultatibus inferioribus non utatur, et stimulis naturalibus resistat. Nobilissimus autem finis est, quem Ecclesia intendit, dum statui clericali legem continentiae imponit, nempe gloriam Dei, moralem sacrorum ministrorum perfectionem et salutem animarum: ut ex dictis patet. Dein Ecclesia neminem ad ordines suscipiendos cogit: qui autem sponte ordines suscipiunt, sponte se legi continentiae subiicere censentur. Ridicula denique est ratio, per quam caelibatum in grave scelus commutare nituntur. Magnum enim interest discrimen inter eum, qui natus est, et eum, qui necdum vivere coepit; qui enim iam natus est, ius acquisivit ad sui conservationem, quod nemo laedere potest absque immani flagitio; contra vero, qui necdum natus est eiusmodi ius neque acquisivit, neque acquirere potuit, cum nondum esset; ius autem quod non existit, laedi non potest.

Obi. II. Lex caelibatus repugnat iuri divino matrimonium praecipienti. Nam Gen. I, 28 Deus hominibus dicit: *Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Paulus I Cor. VII, 2 generatim dicit: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat.* I Tim. III, 2 constituit, ut Episcopus sit *unius uxoris vir filios habens subditos cum omni castitate*(1). Hebr. XIII, 4 sine exceptione pronuntiat: *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus.* I Tim. IV, 1, haereticos praenunciat *prohibentes nubere*, quibus Ecclesia catholica adnumeranda est.

Resp. Citatis locis opponimus tum adducta iam Scripturae testimonia, quibus virginitas commendatur, tum exempla Christi, Apostolorum, celeberrimorum Ecclesiae Patrum et Sanctorum, qui caelibatum servarunt, et inter beatos venerantur. Existere praeceptum divinum omnes ad matrimonium obligans, nunquam in Ecclesia Christi creditum est. Neque Protestantes id credunt; nam inter ipsos quoque dantur, qui caelibes manent, quin ideo criminis rei agantur. Aliter ergo citata ab adversariis loca intelligenda sunt. Verba Dei Gen. I, 28 benedi-

(1) Cf Tit. I, 6

ctionem et foecunditatem exprimunt, quam Deus hominibus contulit, ut inferri potest ex loco parallelo v. 22; vel si praeceptum continent, hoc vel solos protoparentes, vel solum ad tempus, donec repleta fuerit terra, vel universum tantum genus humanum, non vero singula individua obligat. Nam etiam labor quo terra colitur, a Deo praeceptus fuit Gen. III, 17 etc. et pro conservatione generis humani quovis tempore necessarius est; et tamen non omnes ad illum obligantur, quia multi nobilioribus curis incumbere debent. Apostolus I Cor. VII, 2 non loquitur de iis, qui per statum tenentur ad continentiam, sed loquitur de iis, qui adhuc liberi non possunt se continere, et quibus consequenter expedit nubere, v. 9, *melius est enim nubere quam uri;* in citatis autem verbis praeceptum non contineri, Paulus ipse palam testatur, v. 6 dicens: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* — Sensus verborum I Tim. III, 2 non est, quod Episcopus post ordinationem suam accipiat uxorem, sed quod non eligatur in Episcopum nisi is, qui nec habeat, nec ante suam ordinationem habuerit, plus quam unam uxorem, ut per hoc excluderet bigamos; qui sensus patet ex loco parallelo, ibid. cap. V, v. 9 ubi Apostolus vult viduam eligi in diaconissam, *quae fuerit unius viri uxor.* Hoc sensu tota antiquitas verba Apostoli intellexit; si secus intelligerentur, nec Paulus, nec Timotheus, nec plurimi alii Episcopi fieri potuissent. — Sermo Apostoli Hebr. XIII, 4 dirigitur ad conjugatos, hoc sensu scilicet: in omnibus legitime coniunctis honorabile sit connubium, cubile immaculatum, stupris aut adulteriis non dehonestatum; unde immediate subiungit: *Fornicatores enim et adulteros iudicabit Deus.* Denique I Tim. IV, 1 praedicit futuros haereticos, qui damnaturi essent nuptias, utpote in se malas et a malo principio invectas, quales reipsa fuerunt Simoniani, Saturniani, Ebionitae, Marcionitae, Encratitae et Manichaei, quos omnes Ecclesia catholica perinde ac Novatores reliquos damnavit ut haereticos. Nulla autem ratione potuit significare Ecclesiam, quam ipse vocat columnam et firmamentum veritatis, quae definivit, nuptias bonas esse, nec caelibatum clericis iniungit, nisi quatenus melior est, et eorum statui magis conveniens.

Obi. III. Lex evangelica plena est amoris et indulgentiae, eosque reprehendit, qui *alligant onera gravia et importabilia, et imponunt super humeros hominum* (1). Tale onus grave et importabile est lex caelibatus, quia plurimi perpetuam continentiam observare non valent. Hinc innumera scandala clericorum in nefarias libidines prorumpentium scaturiunt, quae tristis omnium saeculorum historia testatur.

Resp. Lex evangelica procul dubio lex amoris est, at non amoris carnalis, qui impuros ignes in animo excitat et fovet, sed illius, quo homo a carnalibus desideriis abstrahitur, et omnem felicitatem suam in Deo quaerit, et coelestium bonorum possessione. Procul id quoque est a mente Ecclesiae, ut onera importabilia imponat super humeros hominum, aut ut velit sub legem caelibatus cogere eos, qui dicunt, se donum continentiae non habere a Deo. Nemini vis infertur, neque onus, si quod est, imponitur, sed libere suscipitur. Unde qui putat, se donum continentiae non habere, procul maneat ab aris, procul a ministerio. Qui autem ad sacerdotium a Deo vocatur, certe etiam donum continen-

(1) Matth. 23, 4.

tiae obtinebit, dummodo vigilare et orare non desinat, ut docet *Concilium Tridentinum*(1).-Non diffitemur, etiam inter Ecclesiae ministros fuisse homines vitiosos et moribus corruptos: sed observandum pariter est, multa ab adversariis congeri aut falsa, aut ad rem non pertinentia, aut valde exaggerata. Caeterum abusus, quos ignorantia, temporum calamitas, et humani cordis perversitas genuerunt, non possunt legi attribui, quae sancta est, et tota in Scripturae et Traditionis doctrina fundata (2).

Usus doctrinae de sacramento ordinis.

§ 690. 1. Summi momenti est, ut nullus sine vocatione divina ad sacros ordines accedat. Nam Hebr. V, 4 legitur: *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu,* etc. Et Christus inquit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium* (3). Qui ergo in sacrum ministerium seipsos temere ingerunt atque intrudunt, ii ipsi sunt, de quibus Deus per Ierem. dicit: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant* (4). Quo quidem hominum genere nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiae calamitosius esse potest, ut ait *Catechismus Rom.* (5). Hinc Apostoli in locum Iudae proditoris Apostolum suffecturi, ita Deum oraverunt. *Tu, Domine, ostende quem elegeris* (6): quo exemplo docent, lumen divinum fervidis orationibus invocandum esse ad vocationem divinam cognoscendam. Consilium vero etiam prudentis directoris, cum omnia interiora panduntur, audiendum est, ne in re tanti momenti sinistrum iudicium feratur, et insanabilis error committatur.

2. Quoniam Sacerdos in ordinatione sublimem dignitatem, eximiam potestatem et singularem gratiam consequitur, absque dubio ad magnam quoque sanctitatem obligatur. Idcirco Apostolus vult eum *irreprehensibilem esse* (7), *non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem* etc. (8). Eadem monita Ss. Patres ministris sacris inculcant, magnam ab ipsis sanctitatem postulantes. Perbelle *Thomas a Kempis* (9) Sacerdoti acclamat: « Attende tibi et vide, cuius ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi. Ecce Sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus: vide nunc, ut fideliter et devote in suo tempore Deo sacrificium offeras, et te ipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori iam alligatus es vinculo disciplinae, et ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in coelo, aut cum perfectis viris in terra. » Si Sacerdos a sanctitate deficit et peccatis inquinatur, sacrilega inordinatio est, horrendum scandalum, multorumque pernicies: unde *S. Gregorius M.* (10) dicit: « Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. »

(1) Sess. 24, can. 9.
(2) Cf. Tournely de sacr. ord. q. ult., Perrone tr. de ord. cap. 5, Moehler (Gesammelte Schriften. tom. I, N. 4.)
(3) Io. 10, 1. (4) Cap. 23, 21.
(5) P. 2, c. 7, n. 3. (6) Act. 1, 23.
(7) I Tim. 3, 2. (8) Tit. 1, 7.
(9) Lib. 4 de imitat. Christi c. 5, n. 2.
(10) Reg. pastor. c. 2.

3. Monet *Catechismus Rom.* (1), diligenter fidelibus ordinis sacramentum explicandum esse, ut intelligant, « quo honore digni sunt Ecclesiae ministri. » Ostendenda iis igitur est tum Sacerdotum dignitas, qua, ut S. *Chrysostomus* (2) ait, principibus et regibus praestant, tum eorundem utilitas, quia non corpora, sed animas ab infirmitatibus sanant, et non temporalia ac caduca, sed spiritualia et aeterna bona comparare iuvant. Ideo *Theophylactus* (3) ait: « Vide Sacerdotum dignitatem, quod divina sit; Dei enim est remittere peccata: sic igitur illi honorandi sunt ut Deus; nam quamvis indigni sint, quid hoc? divinorum donorum ministri sunt, et gratia operatur per eos, » Et S. *Chrysostomus* (4) scribit: « Sacerdotes Christi vicarii sunt, et qui honorat Sacerdotem Christi, honorat Christum; et qui iniuria afficit Sacerdotem Christi, vilipendit Christum, cuius est vicarius et Sacerdos. »

CAPUT VII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

§ 691. Postremum in sacramentorum numero ponitur *matrimonium*, quod sub vario respectu considerari potest. Nam, ut observat S. *Thomas* (5), « generatio humana, propter quam matrimonium est institutum, ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, et ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta populi in aliqua civitate, et etiam ad perpetuitatem Ecclesiae, quae in fidelium collectione consistit. Unde oportet, quod huiusmodi generatio a diversis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturae, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem; et sic dicitur esse naturae officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi legis civilis. In quantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico. » Hinc non una datur matrimonii definitio.

1. Matrimonium quatenus naturae officium est, definitur: viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens. Ad matrimonium ergo requiruntur *vir et mulier*, quia inter personas eiusdem sexus matrimonium existere nequit. Dicitur *coniunctio*, quae autem non tam nexibus corporum, quam potius nexibus animorum perficitur, quo vir et mulier se invicem uniunt, seseque mutuo obligant. Additur vero, *maritalis*, quoniam alia pactionum genera, quibus viri et mulieres obligantur, ut sibi mutuam operam praestent, vel pretii vel alterius rei causa, prorsus aliena sunt a matrimonii ratione. Sequitur deinde, *inter legitimas personas*, quoniam qui a nuptiarum coniunctione legibus omnino exclusi sunt, ii matrimonium inire non possunt, neque, si ineant, ratum est. Quod vero extremo loco positum est, *individuam vitae consuetudinem retinens*, indissolubilis vinculi naturam declarat, et quodammodo finem etiam matrimonii indigitat; ideo enim individua vitae consuetudo requiritur, quia matrimonium non solum ad prolem procreandam, sed ad eandem etiam educandam, in remedium porro concupiscentiae et ad mutuum vitae adiutorium institutum est.

2. Theologi disputant, in quo essentia matrimonii proprie consistat. Multa enim sunt, quae in perfecto matrimonio inesse noscuntur: consen-

(1) L. c. n. 1.
(2) Lib. 3 de sacerd. n. 6
(3) In Ioan. 20. (4) Hom. 17 in Matth.
(5) Lib 4, c. Gent. c. 78.

sus videlicet interior et pactio externa seu contractus, vinculum, quod ex hac pactione efficitur, quemadmodum et mutua obligatio, ac ius mutuum petendi et reddendi debitum; denique coniugum copulatio, qua matrimonium consummatur. Nonnulli matrimonii essentiam collocant in mutuo contrahentium consensu exterius manifestato; at minus bene, ut nobis videtur. Hic consensus quidem omnino ad contrahendum matrimonium est necessarius, et quidem, ut valeat, liber esse debet ac mutuus, et verbis expressus, quae presens tempus designant; nam quae futurum indicant, matrimonium non coniungunt, sed promittunt. Verum exinde non sequitur, essentia matrimonii in hoc contractu consistere; non potest enim esse proprie matrimonium, quod illius est causa effectrix; et actus transiens non potest esse essentia rei stabilis et permanentis. Alii essentiam matrimonii in eiusdem usu, seu in copula carnali reposuerunt. Sed ius petendi et reddendi debitum ex matrimonio oritur, et huius potius effectus quam essentia dici debet: neque usus rei ad huius essentiam spectat, et matrimonium non unice ad procreationem prolis, sed etiam ad mutuum vitae adiutorium institutum est; ideo Ecclesia semper credidit, inter B. Virginem et S. Iosephum verum matrimonium adfuisse, quamvis nunquam intercesserit copula carnalis. Concludendum itaque est, matrimonii essentiam in nexu et vinculo sitam esse, quo coniuges ad individuam vitae consuetudinem uniuntur.

3. Extiterunt quidem, ut dictum est, antiquitus haeretici *prohibentes nubere*, et actum matrimonii illicitum declarantes. Sed isti graviter aberrarunt; Deus enim ipse matrimonium instituit, et voluit, ut per actum coniugalem humanum genus propagetur; ideo enim protoparentibus dixit: *Crescite et multiplicamini;* et Gen. II, 24 legitur: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una:* quae verba etiam a Christo referuntur, et Deo matrimonii auctori adscribuntur (1). Paulus ait: *Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro* (2). Et: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (3). *Volo iuniores* (viduas) *nubere, filios procreare* (4). Ecclesia ideo semper actum coniugii licitum habuit, et errorem haereticorum contrarium sentientium detestata est. S. *Augustinus* (5) dicit, quod Dominus invitatus venerit ad nuptias, ut praedamnaret eos, « qui futuri erant, de quibus dixit Apostolus *prohibentes nubere*, et dicentes, quod malae essent nuptiae, et quod diabolus eas fecisset. »

4. Christus matrimonium ad primaevam suam institutionem revocavit, et ad sacramenti dignitatem elevavit. Cum enim in V. T. Patriarchis permissum fuerit, ut plures uxores ducerent, aut etiam legitime ductis libellum repudii darent, evangelicae legis auctor declaravit, matrimonium ex institutione divina *unum* esse debere, ita ut unus vir unam tantum uxorem ducere possit; idemque etiam *indissolubile* esse, ita ut eius vinculum per mortem duntaxat unius coniugis solvatur. Ut autem coniuges christiani matrimonium iuxta divinam suam institutionem et inirent et servarent, benignissimus mundi Redemptor speciale instituit sacramentum,

(1) Matth. 19, 4, etc. (2) I Cor. 7, 3.
(3) Ib. v 5 (4) I Tim. 5, 14.
(5) Tract. 9 in Ioan.

per quod coniunctio maritalis coelesti benedictione consecraretur, et coniuges ad officia sua adimplenda gratia divina roborarentur. In nova igitur lege matrimonium etiam ut sacramentum considerandum est, atque ita definiri aut potius describi solet: Sacramentum novae legis, quo significatur coniunctio Christi cum Ecclesia, et gratia confertur ad sanctificandam viri et mulieris legitimam coniunctionem, ad uniendos arctius coniugum animos, atque ad prolem pie sancteque in virtutum officiis et fide christiana instituendam.

5. Ut doctrina de sacramento matrimonii rite pertractetur, conveniens esse videtur, ut matrimonium imprimis iuxta institutionem suam divinam consideretur; atque ideo leges Christi 1° de *matrimonii unitate*, et 2° de *eiusdem indissolubilitate* declarandae sunt; dein 3° ostendendum est, *matrimonium in N. T. esse verum sacramentum*, ac proinde 4° de *eiusdem ministro*, 5° *materia, forma, subiecto et effectibus* agendum est, et ultimo 6° *potestas Ecclesiae ponendi impedimenta dirimentia* demonstranda est.

Nota. Matrimonium secundum varias considerationes varia sortitur nomina. Consideratum secundum essentiam, quae, ut diximus, est coniunctio maris et feminae, dicitur *coniugium*, quasi iunctio duorum sub uno iugo, qui ideo *coniuges* appellantur. Spectatum secundum causam, quae est desponsatio seu contractus solemnitas vocatur *connubium*, et *nuptiae* a verbo *nubo*, seu *velo*, quia in ipsa solemnitate desponsationis capita matrimonium contrahentium velantur, seu velamine obnubuntur in signum pudoris et modestiae, quam inter se servare debent. Consideratum secundum effectum, nempe prolem, vocatur *matrimonium*, quia ut ait *S. Augustinus* (1): « Non ob aliud debet femina nubere quam ut mater fiat. » Potius autem dicitur matrimonium a matre, quam patrimonium a patre, tum quia licet pater sit sexu dignior, attamen, ut ait *Gregorius IX* (2) matri foetus est « ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus; » maxime enim illi cura prolis incumbit; tum prolis certa mater est, non semper certus pater. Hinc *Catechismus Rom.* (3) dicit: « Matrimonium ab eo dicitur, ut mater fiat, vel quia prolem concipere, parere, educare matris munus est. »

(1) Lib. 19, c. Faustum c. 26.
(2) Cap. *Ex litteris* de convers. infid

ARTICULUS I.
De matrimonii unitate.

§ 692. Matrimonii unitas in eo consistit, ut unus vir nonnisi unam uxorem, et una uxor unum duntaxat virum eodem tempore habeat. Opponitur illi *polyandria*, cum una uxor plures eodem tempore viros habet; et *polygamia*, cum unus vir plures simul uxores habet. De polyandria, qua una mulier pluribus simul viris iungeretur, vix nobis mentio facienda est; haec enim nusquam licita fuit, atque omnes consentiunt, eam esse per se et absolute contra legem naturae, cum aperte pugnet contra matrimonii finem tum primarium, tum secundarium: contra primarium quidem, quia liberorum procreationem impedit, cum constet, meretrices eo magis fieri infoecundas, quo pluribus nefarie uniuntur: contra secundarium autem, qui est prolis educatio, quia incertum redderet filiorum patrem, qui necessarius est congruae filiorum educationi. Quaestio ergo reducitur ad *polygamiam simultaneam*, et osten-

(3) P. 2, c. 8, n. 2.

dendum est, hanc quoque in nova lege iure divino prohibitam esse. A polygamia autem simultanea probe distinguenda est *polygamia successiva*, quae contingit, cum vir post uxoris mortem ad alias nuptias transit; haec enim licita est, sicut etiam licita est *polyandria successiva*, quae fit, cum mulier post mariti mortem ad alias nuptias transit. Primo de *polygamia simultanea*, dein de *successiva* disseremus.

I. *De polygamia simultanea.*

§ 693. Omnes theologi conveniunt, *polygamiam simultaneam* finibus primariis matrimonii, nempe procreationi et educationi prolis non repugnare, quia unus homo sufficit pluribus feminis foecundandi, et pluribus prolibus ex eis educandis: an autem repugnet finibus secundariis matrimonii, non una est theologorum sententia. Nonnulli cum *Durando* negant, asseruntque, polygamiam simultaneam legi naturali et finibus matrimonii nullatenus repugnare, adeoque, seclusa lege divina, qua iam prohibetur, in se licitam esse, et consequenter veteres Patriarchas, illaeso naturali iure, licite et absque culpa, imo et sine dispensatione, quae in lege veteri necessaria non erat, plures uxores duxisse. Alii autem cum S. *Thoma* (1) affirmant, polygamiam simultaneam primaevae institutioni matrimonii eiusque finibus secundariis repugnare, nempe sociali et pacificae vitae, significationi coniunctionis Christi cum Ecclesia et naturali aequitati, quae exigit, ut cum uxor totaliter tradat corpus suum, etiam vir totaliter suum tradat. Dicunt isti, nihilominus polygamiam simultaneam licitam fuisse Patriarchis ex dispensatione divina saltem post diluvium concessa, quam probant tum ab exemplis sanctissimorum Patriarcharum Abrahae, Iacobi et Davidis, qui plures habuerunt uxores, neque in hoc reprehenduntur; tum ex verbis S. Scripturae, quae dicit: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam, genueritque ex ea liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae* (2): quae lex per Moysen data aperte supponit inter Hebraeos consuetudinem habendi plures uxores. — *Calvinus* quoque secundam sententiam amplexus est, sed dispensationem Patriarchis concessam non admisit: quamobrem polygamiam simultaneam ita stricto naturae iure prohibitam et illicitam existimavit, ut veteres Patriarchas violati hac in parte iuris naturalis, et adulterii reos traducere non sit veritus. E contra *Lutherus* polygamiam simultaneam licitam iure naturali pronunciavit, imo nec lege evangelica sic prohibitam esse putavit, quin urgente gravi necessitate (quae legem nescit) permitti possit. Extat hanc in rem famosa consultatio *Lutheri*, *Melanchthonis* et aliorum nonnullorum an. 1539 habita, quae aeternum erit praetensae religionis reformatae opprobrium: in ea quippe *Philippo*, Landgravio Hassiae, licentia data fuit, alteram priori adhuc vivente, uxorem ducendi, quam de facto duxit (3). Lutheri sententiam nonnulli ex eius sectatoribus, et praecipue *Anabaptistae* amplexi sunt. Catholici vero constanter docent, polygamiam simultaneam in nova lege iure divino prohibitam esse, ita ut nunquam liceat plures simul uxores

(1) In suppl. q. 65, art. 1. (2) Deut. 21, 15. (3) V. Bossuet lib. 6 hist. variat.

habere. Hoc dogma catholicum ex *S. Scriptura* et ex *Traditione* probetur.

1. *Christus* in lege nova matrimonium ad primaevam suam revocans institutionem datam veteribus dispensationem plane revocavit, atque coniunctionem cum pluribus simul uxoribus illicitam fecit et irritam. Nam Christus interrogatus a Pharisaeis, an liceret dimittere uxorem suam quacunque ex causa, sic respondet: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos?* Et dixit: *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (1). Docet his verbis divinus Redemptor, quod, sicut Deus duos tantum homines, unum masculum et unam feminam creavit, et in istis matrimonium instituit, ita ex divina ordinatione in matrimonio semper *duo* tantum non tres, non quatuor *in carne una* adesse debeant. Christus porro ait: *Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam* (2); et: *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram duxit, moechatur* (3). Iam si adulter est, qui dimissa uxore alteram duxerit, quanto magis qui priori retenta alteri copulatur? — Hanc Christi doctrinam apertissime declaravit Apostolus scribens: *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (4). Et: *Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro* (5). Quamvis autem Apostolus in adductis locis expresse non loquatur nisi de sola uxore, eadem tamen de viro pariter intelligenda sunt, quia iuxta eundem Apostolum in coniugii iuribus par est viri et uxoris conditio; nam I ad Cor. inquit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (6). Sicuti ergo mulier vivente viro non potest alteri corpus suum tradere, ita etiam vir vivente uxore non potest alteram uxorem ducere: ergo polygamia simultanea in nova lege licita non est.

2. *Ss. Patres* unitatem matrimonii ex iure divino repetunt, et polygamiam in N. T. prohibitam esse docent. *Tertullianus* (7) ait: « Homo Dei Adam, et mulier Dei Eva unis inter se nuptiis defuncti sunt; formam hominis Dei, de originis auctoritate, et primam Dei voluntatem sanxerunt. *Erunt duo*, inquit, *in carne una*, non tres, neque quatuor, alioquin iam non una caro, neque duo in carne una. » *S. Ambrosius* (8) inquit: « Non licet tibi uxore vivente ducere aliam; nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii. » *S. Chrysostomus* (9) affirmat, Christum, dum in hanc terram venit, omnem illam veterem polygamiae consuetudinem delevisse. *Innocentius* I (10) ex his Christi verbis: *Qui dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, moechatur* (11), etc., colligit, « manifestum esse eos, qui, interveniente repudio, vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, alii

(1) Matth. 19, 3, etc. (2) Marc. 10, 11.
(3) Luc. 16, 18. (4) I Cor. 7, 10, etc.
(5) Rom. 7, 2. (6) I Cor. 7, 4.
(7) Lib. de exhortat. castit. c. 5.
(8) Lib. 1 de Abraham, cap. 7.
(9) Hom. 56 in Gen. n. 3.
(10) Ep. 6 ad Exsuper. c. 6.
(11) Matth. 19.

se matrimonio copularunt, adulteros esse. » Eandem ob causam idem Pontifex (1) respondet, invalidum esse matrimonium eius, qui falso putans uxorem esse mortuam, cum alia contraxerat, quia inquit, « fide catholica suffragante illud est coniugium, quod primitus erat gratia divina fundatum, conventumque secundae mulieris priori superstite nullo modo potest esse legitimum, » sed illicitum et irritum est habendum. *Conc. Milevitanum II*, an. 416 c. Pelagium celebratum, cap. 17 decrevit: *Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.* S. *Hieronymus* Comment. in Matth. (2) docet, sic virum iuberi priorem dimittere uxorem adulteram, « ut secundam prima vivente non habeat. » *Nicolaus I* ad consulta Bulgar. (3) respondet: « Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. » Inde merito *Conc. Tridentinum* Sess. XXIV, can. 2 definivit: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.*

Nota 1. Deus cum patriarchis in lege naturali dispensasse censetur, tum ut multiplicaretur populus electus, qui solus verum Deum adorabat, tum ut religionis revelatae mysteria praefigurarentur, ut, ex. gr., *Agar* et *Sara*, duae Abrahami uxores, duo testamenta praesignabant, ut testatur Paulus (4). Probabile etiam videtur theologis dispensationem praedictam etiam ad Gentiles pertinuisse, quia piissima Esther non fuisset passa se iungi in matrimonium regi Assuero iam habenti uxorem, neque Mardochaeus vir timens Deum hoc coniugium consuluisset, si illicitum et invalidum fuisset. Certo autem post promulgatum Evangelium etiam infideles cum pluribus uxoribus validum matrimonium inire nequeunt, quod declaravit *Innocentius III* (5); ubi etiam asserit, « nulli unquam licuisse plures simul habere uxores, nisi quibus fuerit divina revelatione concessum, » ut antiquis Patriarchis, qui idcirco ab adulterii labe excusantur. Caeterum videmus, multarum gentium etiam barbararum instituta uxorum multitudinem repulisse. Iure Romano duas uxores simul habere non licebat, et a Scriptoribus romanis laudantur gentes huic mori obsequi solitae. Germanorum haec praecipua laus est apud *Tacitum* (6) quod singulis uxoribus contenti sint, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. *Cecrops*, teste *Athenaeo*, primus apud Graecos instituit, ut una femina uni marito tribueretur. Hunc morem laudat *Euripides* in Andromache, ubi ex persona Hermionis ait: « Non enim decet, unum imperare feminis geminis virum; contentus uno coniugis vivat thoro, quicunque cupit recte curatam domum. »

Nota 2. Errant et vehementer errant qui putant, Apostolum, dum (7) docet, Episcopum oportere *unius uxoris virum* esse, caeteris plures uxores permittere; non enim loquitur de polygamia simultanea, sed de successiva, et declarat, eum non esse ordinandum Episcopum, qui duas successive uxores habuit: ita hunc locum

(1) Epist. 9. (2) Cap. 19, 9.
(3) Cap. 51. (4) Gal. 4,
(5) Decr. c. gaudeamus

(6) De moribus German. c. 18.
(7) I Tim. 3, 2.

tota intellexit antiquitas. — *Socrates* (1) narrat, imperatorem *Valentinianum II* legem tulisse, ut « cuivis liceret duas simul habere uxores legitimas, » eumque Iustinam duxisse Severa adhuc vivente. Sed hanc narrationem critici cum *Baronio, Nat. Alexandro* et aliis merito, ut commentitiam reiiciunt, quia *Sozomenus, Theodoretus, Zosimus* et *Ammianus Marcellinus*, qui Valentiniani pudicitiam laudat, de illa lege penitus silent, nec Damasus Papa, nec Episcopi coaevi illam reprehendunt. Severam iam mortuam fuisse, quando Iustinam duxit Valentinianus, post *Baronium* ostendit *Valesius* (2). — *Lotharius* quidem imperator duas uxores simul habuit, nonnullis Episcopis matrimonium approbantibus. Ast id contra legem Christi factum esse, totus orbis Christianus persuasum habebat. Unde *Nicolaus I* ad imperatorem scripsit: « Annon districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech imitatus esse dignosceris? » Nicolaus praeterea contubernium cum pellice imperatori prohibuit; Episcopos vero assentatores, quique facinus probaverant, e sedibus deiecit. — Obiicitur denique *Gregorius II*, qui in Epist. ad Bonifac. cuidam indulsit, ut propter uxoris suae infirmitatem aliam duceret. Ast viris eruditis haec epistola supposititia videtur: alii dicunt, summum Pontificem novas nuptias permisisse, quia de muliere agebatur, quae impotentia antecedente perpetua laborabat, seu, ut dicitur in rescripto, « quae non valuerit viro debitum reddere, » ac consequenter invalide contraxerat; alii putant, *Gregorium II* locutum esse de coniugio inito in infidelitate, quod cum sacramentum non sit, eam non habet firmitatem, quam sibi vindicat coniugium Christianorum; cum igitur ius naturale omnimodam firmitatem non exposcat in coniugio, ita ut in nonnullis casibus dissolvi nequeat, ad eius normam Gregorius responsum suum dedit; non autem iuxta ius evangelicum et apostolicum, quod profecto doctus Pontifex non ignorabat.

(1) Hist. eccl. lib. 4, c. 31.
(2) In notis ad cap. 31, lib. 4 Socrat.

II. *De polygamia et polyandria successiva.*

§ 694. Per polygamiam et polyandriam intelligitur matrimonium post unius coniugis mortem ab altera parte initum. Tale matrimonium, seu secundas nuptias illicitas declarant, ac in se malas *Montanistae* et *Noratiani*, ut testantur S. *Augustinus* (3) et *Theodoretus* (4). Ecclesia autem catholica doctrinam revelationis secuta magis quidem consultum esse existimavit, ut coniuges post unius partis mortem in statu viduitatis permaneant; sed tamen secundas et ulteriores nuptias nunquam reprobavit, easque validas et licitas habuit. Veritas porro huius doctrinae *ex S. Scriptura* et *ex Traditione* probatur.

1. *Apostolus* ad Cor. ait: *Dico autem non nuptis et viduis; bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri* (5) Et ibid.: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino* (6) Et ad Rom. scribit: *Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si*

(3) De haer. c. 26.
(4) Lib. 3, haer. fabul. c. 5.
(5) I Cor. 7, 8, etc. (6) Ib. v. 29.

fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro (1). Quamvis itaque Apostolus optet et consulat, ut viduae continentiam servent, nihilominus validum et licitum declarat secundum, quod ineunt matrimonium. Quinimo, ratione periculi incontinentiae, secundas nuptias non solum permittit, sed et consulit. Nam scribit: *Volo ergo, iuniores* (viduas) *nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia* (2). Quod autem Paulus de feminis dicit, etiam de viris intelligendum est, cum eadem pro utrisque ratio pugnet, imo absonum sit dicere, viris minorem quam feminis libertatem competere.

2. *Ss. Patres* idem sentiunt, quod S. Scriptura docet. *Hermas* (3) dicit: « Si vir, vel mulier alicuius decesserit et nupserit aliquis illorum, numquid peccat? Qui nubit non peccat, inquit (Pastor), sed si per se manserit, magnum sibi conquirit honorem apud Dominum. Serva ergo castitatem et pudicitiam, et vives Deo. » *Clemens Alex.* (4) ait: « Si cui Apostolus propter intemperantiam et ustionem veniam secundi concedit matrimonii, — hic quoque non peccat quidem ex testamento (non est enim lege prohibitus); non implet autem summam illam vitae perfectionem, quae agitur ex Evangelio. » *S. Basilius* (5) scribit: « Quae in viduitate sui habet potestatem, una cum viro habitare potest sine reprehensione, si nemo est qui coniugium divellat, cum Apostolus dicat: Si mortuus sit maritus, libera est, ut nubat cui velit tantum in Domino. » *S. Gregorius Naz.* (6) Novatianum perstringens inquit: « Anne iunioribus viduis propter aetatis lubricum ineundi matrimonii potestatem facis? — At Paulus hoc facere minime dubitavit, cuius te scilicet magistrum profiteris, perinde ac ad quartum coelum aliumque paradisum perveneris. — At haec minime post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. » *S. Epiphanius* (7) haec habet: « Post coniugis obitum si quis alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, Ss. Litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit. » *S. Chrysostomus* (8) ait: Apostolus « secundum concedit matrimonium, *tantum* (dicens), *in Domino*, quid est illud *in Domino?* Cum castitate, cum honestate. » *S. Hieronymus* (9) contra Iovinianum se defendens, qui eum accusabat, quod iniquius de secundis nuptiis scripserit, ita loquitur: « Aperiant, quaeso, aures obtrectatores mei, et videant me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino. Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo et secundo marito nubere: sed quomodo non damnantur istae nuptiae, ita nec praedicantur. Solatia miseriae, non laudes continentiae sunt. Omnia licent, sed non omnia expediunt. Non damno bigamos, imo nec trigamos, et, si dici potest, octogamos: habeat cui libet, octavum maritum, et esse desinat prostituta. » *S. Augustinus* (10) inquit: « Ne arbitreris vel secundas nuptias, crimen esse, vel quascunque nuptias, cum sint nuptiae, malum

(1) Rom. 7, 2, etc. (2) 1 Tim. 5, 14.
(3) Lib. 2 Pastor. m. 4, n. 4.
(4) Lib. 3 Strom. c. 12.
(5) Ep. 189 ad Amphiloch. can. 4.
(6) Or. 39, n. 18, etc. (7) Haer. 59 (al. 48).
(8) Hom. 19 in 1 Cor. n. 6.
(9) Ep. 48 ad Pamach. n. 6, 18.
(10) De bon. viduit. c. 11, n. 14.

esse. » Et ibid. (1): « De tertiis et de quartis et ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. » — *Concilia* quoque secundas et ulteriores nuptias licitas esse et legitimas declarant. *Nicaenum I* inter conditiones a Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus necessario observandas hanc quoque ponit, ut profiteantur, quod *secuturi sint catholicae et apostolicae Ecclesiae decreta, id est, et cum bigamis communicaturi, et cum iis qui in persecutione lapsi sunt. Eugenius IV...* in Decr. pro Iacobitis, quod approbante *S. Concilio Florentino* editum est, ita loquitur: *Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tanquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum, mortuo viro, mulier sit ab eius lege soluta, et nubendi, cui vult, in Domino habeat facultatem, nec distinguat, mortuo primo vel secundo vel tertio: declaramus non solum secundas, sed etiam tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a coniugiis abstinentes in castitate permanserint; quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito praeferendam esse censemus.*

Nota. Inter Patres nonnulli tertias nuptias illicitas declarasse videntur. *S. Gregorius Naz.* (2) de matrimonio scribit: « Primum lex est, secundum venia et indulgentia, tertium iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est, utpote ne multa quidem vitii exempla habens. » Alii secundas, et multo magis ulteriores nuptias fornicationem appellarunt, ut *S. Irenaeus* (3) et *S. Basilius* (4). Imo secundas nuptias ineuntes poenitentiae subiecti fuerunt a *Conciliis Neocaesariensi* (5) can. 3, ab *Ancyrano* (6) can. 19, a *Laodiceno I* cannon. 1. — Ad hanc difficultatem tollendam nonnulli dicunt, in quibusdam Ecclesiis, praesertim graecis tertias et ulteriores, in aliis vero etiam secundas nuptias *lege ecclesiastica* prohibitas fuisse, ac ideo easdem ineuntes peccati reos et poenitentiae subiectos fuisse. Ita certo constat in *Concilio CPtano* sub Patr. *Nicolao Mystico* anno 920, quartas nuptias penitus interdictas et gravibus poenis subiectas fuisse: de tertiis vero nuptiis declaratum est, quod ad has ineundas ex iustis causis dispensatio dari possit; ex quo colligitur, etiam tertias nuptias lege ecclesiastica prohibitas fuisse. Alii autem putant, Ss. Patres et Concilia repetitas nuptias improbasse non secundum se, quasi vera coniugia, et in se licita non essent, sed relate ad affectum illorum, qui non contenti primis atque etiam secundis nuptiis non ex intentione prolem suscipiendi et susceptam christiane educandi, sed explendae libidinis causa tertium aut quartum matrimonium inire praesumebant. Quare repetitas nuptias non ratione sui, sed ratione libidinis, ad quam valde proclives se ostendebant, qui tot coniugia inibant, illicitas esse putaverunt: alias illos etiam post aliquot annorum poenitentiam ad participationem sacramentorum non admisissent, nisi dissoluto prius matrimonio; ea scilicet ratione qua publici adulteri et fornicarii ab

(1) Cap. 12, n. 15. (2) Or. 37 (al. 31).
(3) Lib. 3, c. 17, n. 2. (4) Ep. 188 ad Amphil. can. 40.
(5) An. 314. (6) An. 314.

Ecclesia excludebantur. Ast talem dissolutionem non praecipiunt Concilia: imo *S. Basilius* (1), trigamos et tetragamos post expletam poenitentiam admitti iubet ad communionem, neque verbo aliquo insinuat eiusmodi coniugia prius dissolvenda esse.

ARTICULUS II.

De matrimonii indissolubilitate.

§ 695. 1. Dissolutio matrimonii alia est propria, alia impropria. *Dissolutio matrimonii propria* ea est, qua coniuges priori libertati ita restituuntur, ut alias possint inire nuptias; vocaturque *dissolutio quoad vinculum*. *Dissolutio impropria*, quae et *divortium* dicitur, est ea, qua coniuges fiunt immunes vel ab obligatione reddendi debitum, et dicitur *dissolutio quoad thorum;* vel ab obligatione simul habitandi, et dicitur *dissolutio quoad habitationem;* vel ab utraque tum reddendi debitum, tum cohabitandi obligatione, et dicitur *dissolutio*, seu melius et communius *separatio a thoro et mensa*. In theologia dogmatica praecipue de dissolutione matrimonii propria, seu quoad vinculum agendum est.

2. Ut doctrina catholica de matrimonii indissolubilitate recte intelligatur, distinguendum est matrimonium triplex, nempe *legitimum*, *ratum* et *consummatum*. *Legitimum* dicitur, quod ut naturae officium ab infidelibus iuxta leges naturales et civiles contrahitur. *Ratum* appellatur, quod ab hominibus baptizatis seu a Christianis initur, et nulla lege irritatur. *Consummatum* est, quod per carnalem copulam et commixtionem seminum completur. His praenotatis dicimus, matrimonium iure naturali et divino indissolubile esse, ita tamen, ut exceptio quaedam sit admittenda. Nam matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum, si alterutro coniuge ad fidem converso nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris. Praeterea matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum dirimitur. Ast matrimonium consummatum fidelium nulla unquam de causa, ne adulterii quidem, quoad vinculum dissolvi potest. Istae propositiones singulae probandae sunt.

I. *Matrimonium iure naturali et divino indissolubile est.*

§ 696. Quamvis omnes theologi catholici consentiant, matrimonium, exceptis duobus casibus indigitatis, indissolubile esse, non conveniunt tamen, si quaeritur, quo iure matrimonium indissolubile dicendum sit. Nonnulli enim ex lege tantum ecclesiastica, et alii ex sola ratione sacramenti firmitatem et indissolubilitatem matrimonii petierunt. Communior autem sententia est, matrimonium ex iure naturali et divino indissolubile esse: haec sententia ex *S. Scriptura*, ex *Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* narrat, Adamum expergefactum de sommo illo gravi, quo Deus extractam e latere ipsius costam aedificavit in mulierem, non sine divino afflatu exclamasse: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (2), seu, ut observat *S. Chrysostomus* (3) iuxta vim verbi graeci: *adglutinabitur* uxori suae, quod certe verbum apte exprimit unionem

(1) L. c. can. 4 et 80.

(2) Gen. 2, 23. (3) Hom. 63 in Matth.

indissolubilem; quae enim glutino adhaerent invicem, ea franguntur potius, quam solvuntur. Christus ipse indissolubilitatem matrimonii a divina eiusdem institutione repetit dicens: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (1). Itaque ex institutione divina vir et femina in matrimonio sic iunguntur, ut talem nexum nullus hominum solvere possit. Ad hanc legem divinam respexit Apostolus I Cor. VII, 10 scribens: *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et v. 39: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, liberata est.* Idem repetit Rom. VII, 2 etc. Igitur interprete Apostolo sola morte dissolvitur matrimonium, ita ordinante ac iubente Christo.

2. *Ss. Patres* ex iure divino indissolubilitatem matrimonii repetunt, *S. Ambrosius* (2) ait: « Dimittis ergo uxorem quasi iure sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet: sed divina prohibet... Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: Quod Deus coniunxit, homo non separet. » *S. Chrysostomus* in Hom. De libello repud. (3) inquit: « Ne mihi leges ab exteris conditas adducas, praecipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus, sed secundum eas, quas ipse statuit. » *S. Hieronymus* Epist. ad Ocean. (4), reprobat leges ab Imperatoribus latas, quibus permittebatur plenum divortium seu repudium, et prolatis Christi verbis: *Quicunque dimiserit* etc. dicit: « Aliae sunt leges Caesarum, aliae leges Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit. » *S. Augustinus* de bono coniug. (5) ait: « Tantum valet illud sociale vinculum coniugum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Posset enim homo dimittere sterilem uxorem, et ducere, de qua filios habet; et tamen non licet - ut amplius habeat quam unam vivam. — Quod tamen si non licet, sicut divina regula praescribere videtur, quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis? » Idem de nuptiis et concup. (6) scribit: « Huius procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent. » Et iterum ibid. « In Ecclesia Christi sterilem coniugem relinquere, ut alia foecunda ducatur, nefas est. » Quam perpetuam traditionem secuta *Tridentina Synodus* Sess. XXIV in prooem. docuit: *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea*, etc. *Christus autem Dominus... eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Cum autem Novatores S. Scripturae et Traditioni repugnantes temere assererent, propter causas graves matrimonium quoad vinculum dissolvi posse, idem Concilium Sess. XXIV, can. 5 definivit: *Si quis dixerit, propter haere-*

(1) Matth. 19, 4, etc.
(2) Lib. 8 in Luc. cap. 16, n 5.
(3) In I Cor. 7, 39, n. 1. (4) Ep. 79, n. 3.
(5) Cap. 7. (6) Lib. 1, c. 10.

sim. aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit. Quodsi de fide est, propter graves istas causas matrimonium dissolvi non posse facile colligitur, matrimonii indissolubilitatem ex iure divino repetendam esse.

3. *Rationem theologicam* affert *S. Thomas* (1) dicens: « Illud praecipue est de lege naturae, quod natura bene instituta accepit in suo principio. Sed inseparabilitas matrimonii est huiusmodi, ut patet Matth. XIX, 4 etc., ergo est de lege naturae. » Et (2) addit: « Matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturae est, quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum sint haeredes. Et ideo cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum legis naturae dictamen. Et sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturae.» Dicunt autem nonnulli, hanc rationem solum valere de matrimonio consummato, cuius solubilitas adversatur fini primario matrimonii, scilicet debitae prolis generationi eiusdemque rectae educationi, quae exigunt firmum, ac perpetuum coniugum nexum: quod autem adversatur fini primario alicuius rei, est contra eius naturam. Putant vero isti, matrimonium ratum nondum consummatum iure naturae non esse indissolubile. Nam, aiunt, omnes contractus, quantumvis rati, si spectetur solum ius naturae, ex utriusque contrahentis consensu sunt dissolubiles, modo nullum inde contra naturam sequatur inconveniens: atqui dissolutione matrimonii rati nullum sequitur contra naturam inconveniens neque ex parte generationis, neque ex parte prolis educandae: ergo matrimonium ratum nondum consummatum iure naturae non est indissolubile (3). Alii vero etiam matrimonium ratum non consummatum ex iure naturae indissolubile esse dicunt, partim quia matrimonium naturaliter exigit amorem mutuum et mutua obsequia; ubi autem liberum est uni ab alio discedere, frigescit amor et languent obsequia: partim quia matrimonium definitur individua, id est indissolubilis vitae societas; quod autem ponitur in definitione, pertinet ad naturam rei: partim quia id est de lege naturae, quod natura accepit in suo principio; matrimonium autem in paradiso iam antequam consummaretur, indissolubile declaratum fuit (4).

Nota 1. Antiquitus multi putaverunt, per libellum repudii apud Iudaeos matrimonium non fuisse solutum quoad vinculum, sed repudium tantum toleratum fuisse ad maiora mala praecavenda, ita tamen, ut repudiata a marito non posset valide et licite alteri nubere: haec videtur sententia *S. Hieronymi* (5), et *S. Thomae* (6) fuisse. Probabilior vero et nunc etiam communior est sententia eorum qui dicunt, libellum repudii apud Iudaeos Deo dispensante fuisse licitum, ita ut mulier repudiata potuerit valide et licite alteri nubere. Id patet ex ipsa lege repudii in Deut. his verbis a Moyse lata: *Si acceperit homo uxorem et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii et dabit in manu il-*

(1) In suppl. q. 67, art. 1 (in sed contra).
(2) In corp. (3) Cf. Thom. ex Charmes de matrim. q. 2, art. 1.
(4) Cf. Billuart. de matrim. diss. 5, a. 2, § 1.
(5) Lib. 1 comment. in Matth. c. 5.
(6) L. c. art 3 et 4

lius, et dimittet eam de domo sua: cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in uxorem (1). Scriptura hic virum secundum vocat maritum; non esset autem maritus, si primum matrimonium subsisteret, et secundum foret nullum; eidem etiam adscribitur ius dimittendi seu libellum repudii scribendi, quale ius solum legitime contrahentibus viris concessum fuit. Praeterea, si Iudaei repudiando uxorem peccassent, hoc eis per legem et Prophetas indicari debuisset iuxta illud Isa.: *Annuntia populo meo scelera eorum* (2): nullibi autem Iudaei reprehenduntur, quod uxores repudiarent, et quod repudiatae nova coniugia inirent. Ideo theologi censent, per libellum repudii matrimonii vinculum solutum fuisse, Deo in lege naturali et iure positivo dispensante. Neque haec dispensatio divina difficultatem involvit, quia matrimonium non est iure naturali indissolubile per exclusionem potestatis divinae, sed solum per exclusionem auctoritatis humanae; unde dictum est: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Licet ergo nullus homo in ea, quae sunt iuris naturalis, auctoritatem suam possit exercere, tamen Deus Auctor naturae pro suo supremo in res omnes dominio id potest, et sic matrimonium quantumvis consummatum potest dissolvere auferendo utrique coniugi dominium, quod habet in corpus alterius, et sua providentia impediendo incommoda inde sequi nata, aut suppeditando media ad illa vitanda. Ius enim naturale est immutabile quantum ad universalia principia et ea, quae intrinsecam habent malitiam, non vero quantum ad principia remotiora et ea, quae non sunt intrinsece mala, qualis est pluralitas uxorum et solubilitas vinculi coniugalis. In his igitur dispensatio divina absque dubio dari potest (3).

Nota 2. Quamvis indissolubilitas matrimonii etiam ex iure naturali et divino repetatur, negari tamen non potest, specialem matrimonii firmitatem ex ratione sacramenti derivari. *S. Augustinus* (4) ait: « Bonum nuptiarum, atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere. » *Eugenius IV* in Decreto pro Arm. scribit: *Tertium matrimonii bonum est indivisibilitas propter hoc, quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae.* Quaerenti autem, an firmitas illa et indissolubilitas, quae accedit matrimonio ex ratione sacramenti, intrinseca sit, vel extrinseca, respondet cl. *Tournely* (5) cum *Basilio Pontio* (6) extrinsecam esse, « quia extrinsecam tollit solubilitatem hoc sensu, quod ex casibus in quibus supremus omnium Dominus disposuit matrimonium dissolvi, cessat iam in baptizatis casus ille, in quo dissolvitur matrimonium in favorem baptizati. Unde ea significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia non est eius insolubilitatis causa, sed signum a posteriori, quo intelligimus, iam cessasse illam divinam dispositionem, qua disposuit, ut matrimonium infidelium altero converso ad fidem, altero vero nolente

(1) Deut. 24, 1, etc
(2) Cap. 58, 1.
(3) Cf. S. Thomas l. c. art. 2.
(4) Lib. de bono coniugali c. 24.
(5) De sacr. matr. q. 5, art. 2.
(6) Lib. 1 de matr. c. 14, n. 1.

cohabitare, dissolveretur: » qua de re iam agendum est.

II. *Matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum, si alterutro coniuge ad fidem converso nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris.*

§ 697. Infideles vera et legitima matrimonia inire posse, omnes admittunt: haec autem lege naturali et iure divino indissolubilia esse, ex dictis patet: neque haec matrimonia per conversionem unius coniugis ad fidem, seu per baptismum dissolvuntur: Apostolus enim ait: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem mundi sunt* (1). Quae Paulus scribere non potuisset, si matrimonium ab infidelibus contractum legitimum non esset, aut si per unius coniugis baptismum quoad vinculum dissolveretur. — Attamen iuxta doctrinam eiusdem Apostoli ab Ecclesia receptam et declaratam casus datur, quo matrimonium ab infidelibus contractum et consummatum etiam quoad vinculum dissolvitur. Si nempe coniux infidelis cum coniuge ad fidem converso aut nullo modo cohabitare consentiat, aut non sine blasphemia divini Numinis, aut ut pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare velit; tunc coniux fidelis non solum ab infideli discedere, sed etiam ad secundas nuptias transire potest, per quas matrimonium in infidelitate contractum penitus solvitur, Deo in favorem baptizati dispensante. Haec doctrina non quidem inter fidei dogmata referri potest, sed tamen certa est, quia auctoritate *S. Scripturae, Ss. Patrum* et *Rom. Pontificum* fulcitur.

1. *In S. Scripturis* solidum traditae doctrinae fundamentum habetur. Paulus enim l. c. de fidelibus loquitur dicens: *Iis qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat* (2); quibus verbis clare docet, matrimonia a fidelibus contracta et consummata iure divino quovis in casu indissolubilia esse. Postea vero subiungit: *Nam caeteris ego dico, non Dominus* (3), id est, quod spectat ad alios, scilicet disparis fidei coniugatos, Christus Dominus de talibus nihil praecipit; hinc ego Domini Spiritu motus, quae divinitus ordinata sunt, vobis communico. Ostendit proinde coniugem fidelem cum infideli remanere posse, si ei sine contumelia Dei et absque scandalo cohabitare velit (4). Denique autem claudit: *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus* (5). Apostolum vero hic loqui de solutione quoad vinculum, et non solum quoad thorum, cl. *Perrone* (6) probat, 1° ex antithesi, quam instituit inter coniugia fidelium, et coniugia in infidelitate prius contracta, atque ex dispari conditione, quam inter eiusmodi coniugia intercedere declarat. Coniugia enim inter fideles inita, ut supra diximus, quoad vinculum absolute indissolubilia esse affirmat; e contra vero coniugia in infidelitate inita dissolubilia esse asserit dicens: *Quod si infidelis discedit, discedat*, quin

(1) I Cor. 7, 12, etc. (2) I Cor. 7, 10. (3) Ib. v. 12. (4) Ib. v. 12-14. (5) Ib. v. 15.

(6) De matr cap. 2, n. 68.

ullam apponat restrictionem vel addat quod superius dixerat: *Quod si discesserit, manere innuptam.* 2° Ex eo, quod si Apostolus nonnisi de separatione quoad thorum, aut quoad habitationem loqui voluisset, nihil omnino concessisset fideli super infidelem, quod iam non esset in eius potestate, cum infidelis discessione sua quoad thorum et habitationem iam matrimonium dissolverit; ergo nisi dicamus, aut supervacanea, aut sensu vacua esse Apostoli verba, concludamus necesse est, de dissolutione quoad vinculum ipsum locutum esse; 3° Idem confirmatur ex ratione, quam adducit Apostolus dicens: *Non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi:* servitutis porro nomine hic significari non potest nisi vinculum illud, quo fit, ut alteruter coniugum debeat aut caelebs vivere, aut alteri parti reconciliari, de quo paulo ante locutus fuerat, cum ageret de coniugio fidelium, quodque inferius *ligamen* vocat, eiusque solutionem *liberationem* (1). Cum igitur huic servituti minime obnoxium esse fidelem coniugem doceat Apostolus, consequens est, per infidelis discessionem plane dissolvi matrimonium in infidelitate contractum.

2. *Ss. Patres* citata Apostoli verba de perfecta matrimonii dissolutione intelligunt. *S. Ambrosius* (2) inquit: « Quidam putant, omne coniugium a Deo esse, maxime quia scriptum est: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Ergo si omne coniugium a Deo est, omne coniugium non licet solvi. Et quomodo Apostolus dixit: *Quod si infidelis discedit, discedat?* — In quo et mirabiliter noluit apud Christianos causam residere divortii, et ostendit, non a Deo esse omne coniugium; » id est, non omne coniugium esse insolubile, cuiusmodi est illud infidelium, de quo loquitur Apostolus. Sic et *Ambrosiaster*, antiquissimus auctor S. Ambrosio ipsi coaevus, ab hac communi et recepta Ecclesiae doctrina non recedit exponens (in comment.) Apostoli textum: « Si infidelis odio Dei discedit, fidelis reus non erit dissoluti matrimonii..... ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se iunxerit. » *S. Chrysostomus* (3) haec habet: « Quid est autem: si infidelis *discedit, discedat?* si iubet te sacrificare, aut sociam esse impietatis propter matrimonium, aut recedere, melius est ut divellatur matrimonium, quam pietas. Quapropter subdit: *Non enim servituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi rebus.* Si quotidie ea de causa pugnet, et bellum moveat, melius est separari. » *Theophylactus* in eundem locum scribit: « Veluti si tibi imperet, ut suae particeps fias infidelitatis, aut discedas a matrimonio, discede; tutius enim est connubium solvere quam pietatem. » Eadem ratione citata verba exponit *Oecumenius.* Apostolum de dissolutione matrimonii quoad vinculum loqui, docent porro *Theodorus Balsamon* inter Graecos, et inter Latinos *Hugo a S. Victore* (4), *Lombardus* (5), et qui in eius libros commentaria ediderunt. *S. Thomas* (6) explicans citata Apostoli verba dicit: « Superius ostendit, quod fidelis non debet dimittere infidelem cohabitare volentem; hic autem dicit, quod si non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum sequi, sed potest alteri nubere. » Post Gratianum theologi ad unum omnes ad haec usque tempora eandem doctrinam tradiderunt.

(1) I Cor. 7, 39. (2) Lib. 8 in Luc. n. 3.
(3) Hom. 19 in I Cor. n. 3.
(4) Lib. 2 de sacr. p. 11, c. 13.
(5) Lib. 4 d. 39. (6) Lect. 3 in I Cor. 7.

3. *Roman. Pontificum decretis*, et *constanti Ecclesiae praxi* eadem doctrina confirmatur. Celebre est decretum *Innocentii III* (cap. 7, *Quanto.* De divortiis) his verbis expressum : « Si alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente : qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit ; et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus : *Si infidelis discedit, discedat*; *frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi.* Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum. » Quod quidem decretum sequentes Pontifices probaverunt ad unum omnes. His propterea innixus sapientissimus *Benedictus XIV.* l. 6 de Syn. dioeces. c. 4, § 3 scribit : « Certum est, infidelium coniugium ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum I Cor. VII promulgato dissolvi, cum coniugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero in sua infidelitate obdurato cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris etc. » Hanc vero doctrinam in praxin deductam fuisse in universa Ecclesia evincitur ab eodem Pontifice, tum loco citato, tum lib. 13, cap. 21, § 2 etc., qui plures casus recenset excussos et resolutos a summis Pontificibus *S. Pio V*, *Gregorio XIII* et *Paulo V.* Quibus adiici possunt responsa a s. Congregatione *Conc. Tridentini* interprete saepius data, et variarum Ecclesiarum ritualia. Neque adversarii nostri diffitentur, a pluribus saeculis in occidente praesertim hanc praxim obtinuisse, quin aliquis nunquam reclamaverit. Aut igitur fatendum est, in casu nostro coniugia dissolvi, aut Rom. Pontifices, imo universam Ecclesiam contra bonos mores graviter deliquisse, dum tot adulteria cohonestavit.

Nota. Scholastici in asserenda hac doctrina omnes consenserunt praeter *Caietanum*, quem omnes norunt fuisse novitatum aucupem. Recentioribus autem temporibus eadem doctrina in dubium pertracta est. Elapso enim saeculo, an. 1758, Senatus Parisiensis solemne decretum edidit ad confirmandam sententiam a curia Suessionensi latam in causa Iudaei *Borach Levi* Argentinensis, recens ad religionem christianam conversi, quo eidem est interdictum, ne aliud matrimonium iniret, quamvis uxor Iudaea obstinate renueret vivere cum ipso. Ex hoc tempore nonnulli contenderunt, matrimonia infidelium etiam post unius coniugis conversionem in nullo casu quoad vinculum dissolvi, et verba Apostoli solum de separatione quoad thorum et cohabitationem intelligenda esse. Inter huius novae doctrinae patronos eminent *Augustinus Gervasio* Vindobonensis professor, *Auctor* institutionum theologicarum Lugdunensium, *Eybel*, *Card. La Luzerne*, *Binterim*, et in Gallia non pauci ianseniana factioni adscripti. Istorum autem sententia merito reiicitur, tum quia argumentis iam allatis satis confutatur, tum quia pro se nihil solidi proferre potest (1). Nonnulli cum *Bellarmino* (2) putant, coniugi ad fidem converso etiam tunc licite matrimonium solvere, si coniux infidelis consentiat pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare cum fideli. Sed id negant *Estius*, *Billuart* et alii, quia tum in textu Pauli, tum in decreto *Innocentii* sub determinata

(1) V. Perrone l. c. n. 73-106.

(2) Lib. 12 de matrim. c. 12.

solum conditione matrimonii dissolutio adstruitur.

III. *Matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem unius coniugum dirimitur.*

§ 698. Propositionem hanc esse de fide, patet ex definitione *Concilii Tridentini* Sess. XXIV, can. 6 dicentis: *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* Quo canone Concilium non novam doctrinam proposuit, sed ex vetusta Traditione haustam solemniter definivit. Nam iam *Alexander III* in *Concilio Lateranensi III*, an. 1179 declaravit: « Licitum esse alteri coniugum - monasterium eligere, sicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt, dummodo inter eos carnis commixtio non intervenerit; et alteri remanenti licitum esse videri, ut ad secunda vota transire possit. Quia cum non fuissent una caro effecti, potest unus ad Dominum transire, alter in saeculo permanere, » *Innocentius III* (1) affirmat, se nolle a praedecessorum suorum vestigiis declinare: « Qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum reliquo inconsulto ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari. » Iam ante laudatos Pontifices non obscura suppetunt sanctorum exempla, qui thalamo oppignorati copulam nuptialem fugerunt, et ante matrimonii consummationem sponsas aut maritos deseruerunt, ut monasticam vitam profiterentur, aut castitatem colentes divino se obsequio manciparent, idque haud improbantibus Ecclesiae praesulibus perfecerunt. Huiusmodi exempla collegerunt *Bellarminus* (2) et *Tournely* (3). Quae exempla quamvis rem non conficiant, et exceptionibus obnoxia sint, nihilominus ostendunt, iam in prioribus saeculis inter Sanctos et Ecclesiae praesules eam fidem viguisse, quod matrimonium ratum et nondum consummatum non ita indissolubile sit habendum, ut nullus omnino casus detur, quo dissolvi possit. Quod autem tale matrimonium per professionem religiosam solvatur, *S. Thomas* in suppl. (4) hac ratione probat: « Ante carnalem copulam est inter coniuges tantum vinculum spirituale, sed postea est inter eos etiam vinculum carnale. Et ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis vinculum, quod est ante carnalem copulam, solvitur, quia religio est quaedam mors spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo. » — Quamvis autem omnes theologi in dogmate profitendo consentiant, disputant tamen inter se, dum quaeritur, quo iure matrimonium ratum et nondum consummatum per solemnem religionis professionem dirimatur. Nonnulli enim *ex iure ecclesiastico*, alii *ex iure divino* id repetendum esse censent.

1. Nonnulli putant, matrimonium ratum nondum consummatum neque ex iure naturali neque ex iure divino indissolubile esse, quia *Alexander III* loco citato declaravit, verba Christi: *Non licet viro uxorem suam, nisi causa fornicationis dimittere*, intelligenda esse « secundum interpretationem sacri eloquii de his, quorum matrimonium est carnali copula consummatum. » Hinc quidam existimarunt, matrimonium ratum

(1) Decret. Gregor. lib. 3, t. 32, cap. 14. *Ex parte.* (2) De monach. l. 2, c. 38. (3) Q. 5, art. 2, concl. 4. (4) Q. 61, art. 2.

tanquam vinculum tantum spirituale per mortem spiritualem, quae in solemni religionis professione contingit, dirimi, et quidem sua sponte solvi. — Sed huic sententiae obstant, quae § 696 dicta sunt, praecipue cum sacramentum recipiatur, quando matrimonium contrahitur, non quando consummatur. Dein professio religiosa est mors metaphorica dumtaxat, quae non omnes naturales relationes tollit, neque iuri alterius iam acquisito officere potest. Ac denique vinculum coniugale est compossibile cum professione religiosa, ut patet in iis, qui mutuo consensu post matrimonium consummatum religionem profitentur. Idcirco alii dicunt, matrimonium ratum per professionem religiosam dirimi non quidem iure naturali, sed *iure ecclesiastico*, seu auctoritate summi Pontificis, cui competit potestas in matrimonio rato dispensandi. Nam summi Pontifices saepius in coniugiis ratis nondum consummatis dispensarunt, ut *Gregorius VII* (1), *Martinus V*, *Eugenius IV*, *Alexander VI*, *Pius IV*, *Paulus V*, *Urbanus VIII* et alii. Si ergo in Ecclesia est potestas in coniugiis ratis nondum consummatis dispensandi, eadem Ecclesia etiam statuere potest, ut matrimonium per solemnem religionis professionem dissolvatur. Quamobrem cl. *Suarez* (2) dicit: « Votum religionis habere hunc effectum (solvendi coniugium ratum fidelium) ex Ecclesiae statuto. » Eandem sententiam sequuntur *Simonnet*, *Drouin*, *La Luzerne*, *Perrone* et alii. Ecclesiae autem statutum ita explicant: Ecclesia auctoritate sibi divinitus tradita potuit contractui coniugali nonnullas conditiones apponere, ut valeat seu legitime contrahatur, ergo et eadem auctoritate potuit eidem contractui iam inito conditiones apponere, ut firmus consistat vel dissolvatur. Potuit ergo Ecclesia iuxta divinam sibi factam potestatem hanc conditionem apponere, ut solvatur vinculum coniugale matrimonii rati et non consummati, si voluerit alter coniugum perfectiorem vitam amplecti per solemnem religionis professionem. Ecclesiam autem hanc conditionem apponere voluisse et actu apposuisse, constat ex facto, seu ex argumentis supra allatis. Ex Ecclesiae statuto itaque omne coniugium Christianorum tacite includit hanc conditionem: *Nisi perfectiorem vitam ante matrimonii consummationem iuxta Ecclesiae doctrinam profiteri velim.* Quamvis autem fideles de hac conditione adiicienda cogitare non soleant, omnes tamen recte sentientes matrimonium contrahunt iuxta mentem et ordinationem Ecclesiae, atque iuri ab hac sibi concesso renuntiare non intendunt. Etiamsi igitur admittatur, matrimonium legitime et absolute contractum iure naturali et divino indissolubile esse, id tamen dici non potest de matrimonio conditionate inito, quod absolute indissolubile est, donec conditione non purificata, ut aiunt, contractus transit in absolutum.

2. Alii dicunt, matrimonium ratum non consummatum per professionem religiosam iure divino solvi. Huius sententiae sunt *Tournely*, *Billuart*, *Thomas ex Charmes*, *Carrière* etc. Praecipua, quibus suam sententiam probant, argumenta sunt sequentia: *a*) *S. Scriptura* quidem certum argumentum non suppeditat; commemorari tamen merentur verba Christi apud Matth.: *Omnis, qui reliquerit - aut patrem, aut matrem, aut uxorem - propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam*

(1) Ap. Baron. ad an. 1074.

(2) De religione tom. 3, lib. 9, c. 23, n. 20.

possidebit (1): quae verba communiter non de solis martyribus exponuntur, sed de iis quoque, qui perfectioris vitae studio a personis caris et bonis terrenis se separant. Necesse est igitur, ut casus dentur, in quibus quis licite, imo et meritorie *uxorem* relinquat, quacum de caetero habitare tenetur. Inter istos autem casus merito recensetur separatio ab uxore perfectioris vitae studio facta vel ante matrimonii consummationem, vel post hanc ex mutuo consensu. Si istos casus tollas, vix exemplum meritoriae in relinquenda uxore abnegationis excogitabis. *b*). *Ex Traditione* recte probatur, iure divino matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvi. Nam huius fidei et disciplinae initium et origo assignari nequit, et summi Pontifices, qui declarant matrimonium ratum solvi per votum solemne, hoc ius non agnoscunt ut suum, sed ut traditione ad se transmissum. *Alexander III* illud eruit *secundum interpretationem sacri eloquii. Innocentius III* recurrit ad revelationem, et cum loco cit. dixisset, matrimonium nunquam solvi posse, *nisi forte fieret ex revelatione divina, quae superat omnem legem;* postea vero profitetur, se declarare, matrimonium ratum per professionem religiosam dirimi, ne a praedecessorum suorum vestigiis declinet. *Ioannes XXII* (2) docet, nec iure divino, nec per sacros canones dissolvi matrimonium per ordines sacros: cum autem immediate subiungit, illud dissolvi per religionis professionem, haud dubie intelligit, iure divino et sacris canonibus in illo fundatis tale dissolvi coniugium. Negari quidem non potest, ante saeculum duodecimum certa monumenta huius dogmatis vix inveniri posse: sed notandum est, traditionem apostolicam etiam per oralem institutionem Episcoporum sibi in Ecclesiis succedentium propagari ad posteros potuisse. Et sane - fidem huius dogmatis, semper in Ecclesia viguisse, ex eo patet, quia contra *Alexandri III* declarationem nemo reclamavit, quod certe factum fuisset, si in re tanti momenti novam prorsus doctrinam proposuisset. Recte ideo hic applicatur regula *S. Augustini* (3): « Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » *c*). Dogmata immutabilia esse, omnes admittunt. Ergo immutabile etiam esse debet dogma a *Conc. Tridentino* (4) definitum. Ast si matrimonium ratum per professionem religiosam solveretur iure pontificio, posset summus Pontifex auferre istud ius seu dispensationem, et efficere, ut matrimonium ratum non solveretur per professionem religiosam: ergo doctrina a *Conc. Tridentino* (5) definita credenda haud amplius esset, et dogma esse desineret. Denique matrimonium ratum dirimi per professionem religiosam, certissimum est, et a nullo Catholico negatur: posse autem summum Pontificem dispensare in matrimonii rati indissolubilitate, incertum est, et a pluribus negatur, ut a *Basilio Pontio*, *Dom. Soto*, *Tournely*, *Billuart*, *Thomas ex Charmes*, et aliis qui dicunt, summos Pontifices non posse dispensare in iure divino, ad quod pertinet indissolubilitas matrimonii rati; unde *Alexander III* (6), *Innocentius III*, et *Nicolaus I* (7), hanc potestatem in

(1) Matth. 19, 29.
(2) In Extrav. *Antiquae* de voto.
(3) Lib. 4 de bapt. c. 24.
(4) Sess. 24, can. 6. (5) Ibid.
(6) In append. Conc. Later. 3, p. 6, c. 8.
(7) Cap. *Hi qui matrimonium*, causa 32, q. 7

se non agnoverunt, nec admiserunt. Quoad Pontifices autem, qui dispensasse dicuntur, observant, vel eos ex aliis rationibus nullitatem matrimonii agnovisse, vel sententiam secutos esse, quae ipsis probabilior, et in certis circumstantiis tutior videbatur; ipsos vero non in factis, sed tunc tantum infallibiles esse, cum loquuntur ex cathedra proponendo aliquod dogma toti Ecclesiae sub anathemate credendum.

Nota. Matrimonium ratum non consummatum nequaquam solvitur per religionis ingressum unius coniugis, sed tantum per eius solemnem professionem, quae fieri debet in religione a s. Sede approbata. Itaque non dirimitur matrimonium per votum simplex castitatis, neque per susceptionem ordinis sacri, neque per professionem in religiosa congregatione a s. Sede non approbata. Conceditur vero a iure coniugibus bimestre ad deliberandum de ingressu religionis, intra quod tempus non tenentur reddere debitum petenti, quo transacto autem tenentur.

IV. *Matrimonium consummatum fidelium nulla unquam de causa, ne adulterii quidem, dissolvi potest quoad vinculum.*

§ 699. *Graeci* a pluribus iam saeculis relicta maiorum suorum doctrina putant, matrimonium consummatum etiam fidelium non solum quoad thorum et habitationem, sed etiam quoad vinculum dirimi posse ob fornicationem vel adulterium compartis; ideoque permittunt, coniuges in causa adulterii ad alias nuptias convolare. Graecis adhaeserunt Protestantes, qui non tantum plures ob causas matrimonii vinculum solvi posse contendunt, sed et Ecclesiae catholicae doctrinam et praxin erroris atque tyrannidis accusant (1). — Errant autem Graeci, et multo gravius Novatores, non errat autem Ecclesia catholica, sed divinam sequitur revelationem, dum docet, matrimonium fidelium consummatum nulla unquam de causa, ne adulterii quidem, quoad vinculum dissolvi posse. Doctrina haec ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus graecis* et *latinis*, ex *Conciliis*, et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* pro indissolubilitate matrimonii etiam in causa adulterii, sat luculenta testimonia exhibet. Christus Matth. c. V, v. 32 inquit: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* Uxor duplici modo dimitti potest, vel ita, ut vinculum matrimonii solvatur, vel ita, ut solum quoad thorum et habitationem separetur. Quaeritur ergo, de quanam dimissione Christus loquatur? At manifestum est, ipsum non de priori, sed de posteriori dimissione loqui; nam si de priori locutus esset, uxor liberata esset a lege viri, et qui eam duceret, non adulteraret: sed quia Christus contrarium dicit, et expresse docet: *Qui dimissam duxerit, adulterat*, evidens est, de sola dimissione quoad thorum et mensam sermonem esse. Apposite cum *Bellarmino* et *Estio Hon. Tournely* ita argumentatur: Haec Christi sententia: *Qui dimissam duxerit, adulterat;* vel universaliter accipienda est, vel cum exceptione: si universaliter, ergo etiam qui dimissam ob fornicationem duxerit, adulterium committit: ex quo patet, quod non fuerat dimissa quoad vinculum, sed tantum quoad thorum; non enim moecharetur, qui illam duceret, nisi adhuc esset priori viro alligata; si vero cum exceptione: ergo

(1) Luther. in I Cor. 7; Calvinus lib. 4, instit. c. 19, n. 37.

qui fornicariam a viro dimissam duxerit, non moechatur, sed validum et licitum coniugium init; quo posito melior est conditio fornicariae, quam innocentis et castae. Siquidem fornicaria iuste dimissa libera est et alteri nubere potest, innocens vero iniuste dimissa nec priorem virum habere potest, nec alteri nubere: atqui absurdum istud esset, ut lex Christi aequissima adulterio inquinatam et iuste dimissam meliori loco esse velit, quam innocentem et iuste dimissam. Pari ratione exponi debet similis Christi sententia: *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur* (1). Duo hic docet Christus; primum, non licere dimittere uxorem nisi ob gravem causam, qualis est fornicatio; secundum, quod qui dimissa uxore aliam ducit, moechatur, et sic adaequate respondet interrogationi Iudaeorum; haec enim duo continebat: primum, utrum liceret dimittere uxorem quacunque ex causa? Alterum, an ea dimissa liceret aliam ducere? Haec enim duo continebat dimissio familiaris apud Iudaeos, quae, licet ipsi non distinguerent in interrogatione, prudenter tamen Christus illa distinguit ad ampliorem eorum instructionem, docetque, nonnisi ob gravem causam, qualis est fornicatio, uxorem quoad thorum dimitti posse, nunquam autem licere ex gravi causa dimissam uxorem ducere. Hanc esse genuinam interpretationem, demonstrant loca parallela. Nam Marc. X, 11 legitur: *Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur.* Christus ergo coram discipulis illimitate adulterii reos pronuntiat illos omnes, qui ducunt uxores a maritis suis dimissas quacunque ex causa. Ita et Luc. XVI, 18: *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Universalis iterum est Christi propositio, *omnis*, nullamque causam excipit: « Qui ergo sumus nos, exclamat *S. Augustinus*, ea testimonia ponderans lib. 1 de adulter. coniug. cap. 9, ut dicamus: Est qui moechatur, uxore sua dimissa alteram ducens; et est qui hoc faciens non moechatur, cum Evangelium dicat, omnem moechari, qui hoc facit? » Sic intelligenda esse verba Christi, manifestum est ex interprete divinitus inspirato, nempe ex S. Paulo, qui nulla pariter adiecta conditione, sed simpliciter et absolute pronuntiat, sola morte solvi vinculum coniugale, nec debere uxorem a viro discedere, quamdiu ille vivit: I Cor. VII, 10 ait: *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et v. 39: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit.* Et Rom. VII, 2 etc., nulla facta fornicationis mentione sine ulla restrictione scribit: *Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* « Haec verba Apostoli, ait *S. Augustinus* (2), toties repetita, toties inculcata vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt

(1) Matth. 11, 9.

(2) Lib. 2 de adult. coniug. c. 5.

Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur coniux ob causam fornicationis... nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem si mortuus fuerit vir eius. » Ex verbis ergo Apostoli S. Doctor probat, vinculum matrimonii ne per adulterium quidem dissolvi.

2. *Patres Graeci* verba Scripturae eodem modo ut nos intellexerunt, et matrimonii vinculum ne per adulterium quidem dissolvi, docuerunt. *Hermas* lib. 2, Pastor. mand. 4, n. 1, ubi sermo est de dimittenda adultera uxore, Pastor dicit: « Si permanserit in vitio mulier, - dimittat illam vir, et vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam et aliam duxerit, et ipse moechatur. » Postea subiungit, virum adulteram poenitentem recipere debere, et concludit: « Propter poenitentiam ergo non debet dimissa coniuge sua aliam ducere. Hic actus similis est in viro, et in muliere. » *S. Iustinus M.* Apol. 1 (1), inter doctrinae capita, quae Christus circa castitatem dedit, istud recenset: « Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur... Quemadmodum etiam ii, qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ita et qui mulierem aspiciunt ad concupiscendam eam, peccatores sunt apud magistrum nostrum. » *Athenagoras* (2) ait: « Ut natus est unusquisque nostrum, manet, vel unicis copulatur nuptiis; secundae enim decorum quoddam adulterium sunt; qui enim uxorem suam dimiserit et duxerit aliam, adulterat, inquit Dominus noster, nec eam dimitti sinens, cuius virginitati finem quis imposuit, nec aliam insuper duci. » Sine exceptione loquitur Athenagoras, et certe licitum non habuit, ut quis ob fornicationem unius coniugis ad alias nuptias transiret, qui etiam (quamvis erronee) post coniugis mortem secundas nuptias interdixit. *Clemens Alexand.* (3) scribit: « Legem (Christus) aperte constituit: Non dimittes uxorem praeterquam propter fornicationem: adulterium autem existimat coniungi matrimonio, vivo aliquo ex separatis. — Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur eam, hoc est, cogit eam moechari. Non solum autem qui dimisit, est eius causa, sed etiam qui eam suscipit, praebens mulieri peccandi occasionem; si enim non suscepisset eam, reverteretur ad virum. » Quae verba vinculi coniugalis indissolubilitatem aperte adstruunt. *Origenes* (4) habet: « Quae autem adultera est uxor, etiamsi viro alteri nupta videatur, priore etiamnum vivo; ita virum repudiatam duxisse visum non tam ipsius maritum, quam adulterum esse dicendum, a Servatore nostro demonstratum est. » *S. Basilius* (5) dicit: « Quae a viro relicta est, mea quidem sententia manere debet. Si enim Dominus dixit: Si quis relinquat uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; ex eo, quod eam adulteram vocet, praeclusit ei coniunctionem cum alio. Quomodo enim possit vir quidem esse reus, ut adulterii causa, mulier vero inculpata, quae adultera a Domino ob coniunctionem cum alio appellata est? In quae S. Doctoris verba *Arcudius* (6) disserit: « Quodsi de ea, quae iniuste dimittitur, sic censet S. *Basilius*, profecto idem iu-

(1) N 15. (2) In Legat. pro Christ. n. 33.
(3) Lib. 2 Strom. c. 23.
(4) Comm. in Matth. t. 14, n. 24.
(5) Ep. 199 ad Amphil. can. 48.
(6) De matrim c. 13

dicium faceret, et multo magis de ea, quae iusta de causa sit repudiata: non enim melioris conditionis est adultera, quam sit casta. » *S. Gregorius Naz.* (1) uxorem vitiosam et inertem vocat pestem, « quam nulla liceat ratione fugare. » *S. Epiphanius* (2) dicit quidem, illos, qui dimissa uxore adultera aliam ducunt, « ab omni culpa absolvi, neque ab Ecclesia, aut aeterna vita reiici » sed ibid. (3) catholice omnino loquitur dicens: « Mulier alligata est nuptiis, quanto tempore vivit vir eius: si autem mortuus fuerit vir, libera est cui vult nubere: quo quidem declarat, post viri obitum ab omni illam peccato liberam esse, adeo ut contradicere nemo audeat. » Haec verba si quis cum prioribus conferat, haerebit anceps circa mentem huius S. Patris, et cum Petavio non invitus agnoscet depravatum esse priorem ipsius textum. *S. Chrysostomus* (4) exponens verba Christi: *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, expresse ait: « Mulierem expulsam semper remanere uxorem eius, a quo expulsa est. » Lib. de Virginitate, cap. 40 diserte docet, quantacunque superveniat inter coniuges discordia et dissensio propter malos alterutrius mores, sola morte finem coniugio imponendum esse. « Fer inquit, omnem hanc servitutem, futura demum libera, cum obierit. » Et paulo inferius: « At quid si nollet in gratiam redire? Habes alterum effugium et evasionem: quanam? Eius mortem expecta. » Et de lib. Repud. n. 1, haec habet: « *Mulier*, inquit (Apostolus) *alligata est legi:* oportet igitur, ut minime separetur vivente viro, neque alium superinducat maritum, neque secundas nuptias adeat. — Atque adeo etiamsi libellum repudii det, etiamsi domum relinquat, etiamsi ad alium abeat, legi adstricta adulteraque est. Quando igitur vir eiicere vult uxorem et uxor relinquere virum, huius memor sit dicti, et Paulum putet esse praesentem et persequi se clamando et dicendo: Mulier adstricta est legi. Nam quemadmodum servi fugitivi, etiamsi domum herilem relinquant, catenam secum trahunt: ita et mulieres, etiamsi viros relinquant, legem habent pro catena se persequentem et adulterii accusantem, accusantem etiam eum, qui duxerit, et dicentem: Adhuc superest maritus, et facinus hoc adulterium est. — Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? quando? Tunc cum a catena liberata fuerit, quando vir morietur. — Liberam autem illam post viri mortem esse factam, dicens, ostendit, servam antea adhuc vivente viro fuisse. Quae autem serva est ac subdita legi, etiamsi millies libellum repudii accipiat, adulterii legabitur lege. » Cum haec loca adeo clara sint, non operosum erit, benigne interpretari, quae idem S. Doctor aliis in locis habet, dum ex. gr. dicit, per fornicationem matrimonium esse solutum, munditiam totam avolasse, atque maritum post fornicationem non esse amplius maritum: quibus solummodo dicere vult S. Doctor, matrimonium quoad habitationem esse solutum, et hanc minime continuandam, ne maritus adulterium uxoris approbare videatur, atque uxorem adulteram coniugale in virum ius amisisse, nequaquam autem matrimonii vinculum esse abruptum.

3. *Patres Latini* clarissime docent, matrimonium consummatum fidelium nulla de causa, ne adulterii qui-

(1) In laudem Virgin. carm. 2.
(2) Haer. 59, n. 4. (3) N. 6
(4) Hom. 17 in Matth. 5, 32.

dem, dissolvi posse. *Tertullianus* contra Marcion. (1) haeretico obiicienti, Christum contrarium esse Moysi, cum prohibuerit repudium a Moyse permissum, reponit, Christum non absolute et simpliciter divortium prohibuisse, sed tantum sub hac conditione, ne facto divortio novae nuptiae fierent. Ait enim, Christum « conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, et aliam ducat: *Qui dimiserit*, inquit, *uxorem, et aliam duxerit, adulterium committit super eum;* et qui a marito dimissam duxerit, aeque adulter est, ex eadem utique causa dimissam, qua non licet dimitti, ut alia ducatur; illicite enim dimissam, ut scilicet ducatur pro indimissa, ducens adulter est. Manet enim matrimonium, quod non rite (id est, non quoad vinculum) diremptum est. Manente matrimonio nubere adulterium est. » *Tertullianus* universaliter docet, ex lege Christi non licere ita uxorem dimittere, ut alia ducatur, et ne causam quidem fornicationis excipit: quod si credidisset, secundum legem Christi in casu adulterii matrimonium solvi posse, sine dubio id affirmare non omisisset, quoniam sic adversarium eo facilius refellere potuisset. Idem in lib. de Monog. (2) saepius repetit, uxorem a viro legitime repudiatam non posse alteri nubere, quia, ait: « Quos Deus coniunxit, homo non separabit.... Solus enim ille séparabit, qui et coniunxit. Separabit autem non per duritiam repudii, quam exprobrat et compescit, sed per debitum mortis. » Dein addit: Sed illi (Romani) etiam non repudiantes adulteria commiscent; nobis, et si repudiemus, ne nubere quidem licebit. » *S. Ambrosius* in Luc. (3) scribit: « Dimittis ergo uxorem quasi iure sine crimine: et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet: sed divina prohibet. — Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: *Quae Deus coniunxit, homo non separet.* — Pone, si repudiata non nubat: et haec viro tibi debuit displicere, cui adultero fidem servat? Pone, si nubat: necessitatis illius tuum crimen est, et coniugium quod putas, adulterium est. » Et lib. 1 de Abrah. (4) sine omni exceptione generalem regulam statuit dicens: « Vinctus es uxori, noli quaerere solutionem, quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii. » *S. Hieronymus* (5) ad Amand. scribit: « Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet. — Animadverte, quid dicat: Qui dimissam acceperit, adulter est; sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est qui eam acceperit. Unde et Apostoli gravem coniugii sarcinam intelligentes: *Si ita est*, inquiunt, *non expedit homini uxorem accipere.* Ad quos Dominus: *Qui potest*, inquit, *capere capiat:* statimque sub exemplo trium Eunuchorum virginitatis infert beatitudinem, quae nulla carnis lege tenetur. » Hinc non alia ratione excusat *Fabiolam*, quae dimisso marito alteri, quia leges Caesarum permittebant, nupserat, quam quod ignoraverit « Evangelii vigorem, in quo nubendi causatio, viventibus viris, feminis amputatur, » ut scribit in ep. ad Ocean. (6), Ibidem vero refert etiam duram et

(1) Lib. 4. c. Marcion. c. 34.
(2) Cap. 9. (3) Lib. 8 n. 5 et 6.
(4) Cap. 7, n. 59. (5) Ep. 55, n. 3.
(6) Epist. 77, n. 3.

publicam poenitentiam, quam Fabiola ob commissam culpam sustinuit. Ne autem quis putet, ex sententia *S. Hieronymi* solum uxoribus separatis, vivente viro, nubere permissum non esse, S. Doctor ipse loc. cit. definitis verbis ait: « Apud nos, quod non licet feminis, aeque non licet viris; et eadem servitus pari conditione censetur. » *Innocentius I* in Epist. ad Exsup. Tolos. (1) inquit: « Requisivit dilectio tua de his etiam, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui ergo, vel quae viro, vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hae personae, quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum illud, quod legimus in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, moechatur;* similiter *et qui dimissam duxerit, moechatur.* Et ideo tales omnes a communione fidelium volumus abstinendos. » *S. Augustinus*, cuius testimonia iam adduximus (n. 1), ita doctrinam catholicam propugnavit, ut hanc ob tanti doctoris auctoritatem ab Ecclesia occidentali receptam fuisse asserant adversarii non attendentes vetera monumenta, quae ostendunt, iam ante Augustini mortem eandem doctrinam in Ecclesia viguisse. *S. Isidorus Hispan.* (2) ait: « Sacramentum ideo inter coniugatos dictum est, quia sicut non potest Ecclesia dividi a Christo, ita nec uxor a viro. Quod ergo in Christo et Ecclesia, hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus coniunctionis inseparabile sacramentum est. » Eandem doctrinam propugnant *Ven. Beda* (3), *Paschasius Radbertus* (4), *Ioannes VIII* (5), *Ivo Carnot.* (6), *Lanfrancus* (7), *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Durandus* et scholastici omnes.

4 *Concilia* doctrinam catholicam confirmant. *Eliberitanum* an. 313, can. 9 statuit: *Fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur, ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de saeculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit. Milevitanum II* seu potius *Carthaginense* an. 418, can. 17 ait: *Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam doctrinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungantur; sed ita maneant, aut sibi reconcilientur. Quod si contemperint, ad poenitentiam redigantur. Arelatense I* an. 319, can. 10 inquit: *De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit, ut in quantum possit, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis licet adulteris, alias accipiant:* ideo autem Concilium dicit, exhortatione magis quam praecepto tales urgendos esse, quia tunc per leges civiles impune licebat eis alia inire coniugia. Idem, non tamen instar consilii fidelibus suadetur, sed velut lex certa iniungitur in *Concil. Herdfortiensi* an. 673 in Anglia can. 10; in *Foroiuliensi* an. 791 in Italia, can. 7; in *Suessionensi* an. 744, c. 9; *Parisiensi VI*, an. 829, lib. 3, c. 2; *Namnetensi* an. 895, c. 12, et *Bituricensi* an. 1031, can. 16 in Gallia,

(1) Cap. 6. (2) Lib. 2 de offic. eccl. c. 19.
(3) Comm. in Marc. 10.
(4) Comm. in Matth.
(5) Epist. 65 ad Ederedum.
(6) Ep. 125 ad Daimbertum.
(7) Ep. 10 ad Thom.

et in *Triburiensi* an. 895, can. 46 in Germania. Ex his patet, universam Ecclesiam occidentalem in hac doctrina statuenda consensisse. Ideo *Eugenius IV* in decreto pro Arm. approbante *Concil. Florentino* declaravit: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat separationem thori facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit. Conc. Tridentinum* Sess. XXIV, praeter can. 5 iam citatum, alium de matrimonii indissolubilitate edidit; nam can. 7 definit: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, dum docuit et docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.* Canonem hunc non ad disciplinam, sed ad fidem spectare, cum enuntiet, quid Ecclesia iuxta Evangelium et apostolicam doctrinam doceat, nulli potest subesse dubio. Porro canon iste iam ita erat paratus, ut anathema feriret eum, *qui diceret, matrimonium consummatum ob adulterium dissolvi.* Cum autem oratores Veneti monerent, sic Graecos in ditione veneta degentes, qui uxorem adulteram deserebant, et novas nuptias iniebant, veterem maiorum suorum, ut dicebant, consuetudinem sequentes, anathemate percelli, quoad tumultum et secessionem a Sede apostolica, id est, a vera Ecclesia provocarentur; in praesentem formam canon mutatus est, ita quidem, ut Graeci, matrimonium in casu adulterii solvi posse putantes, anathemate directe non ferirentur, et tamen a doctrina sua defendenda ut de fide certa, seu ut evangelicae et apostolicae doctrinae conformi prohiberentur. Ex quo apparet S. Synodum sententiam suam non immutare, sed solum talibus verbis concipere voluisse, quibus fides et praxis Graecorum directe anathemati non subiiceretur. Unde et *Pallavicinus* Hist. *Conc. Trident.* (1) observat, « merum sonum, non autem significationem variatam esse. » Et sane, si Ecclesia non errat, dum docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium unius coniugis matrimonii vinculum non posse dissolvi: vera est doctrina eius, et quidem tam certo vera, quam certo non errat; atque doctrinae evangelicae et apostolicae conformiter docet. Hinc nonnulli theologi putant, de fide definitum, et dogma catholicum esse, quod matrimonium etiam ob adulterium unius coniugis non dissolvatur. Alii autem id negant, quia Ecclesia ex prudenti oeconomia ab hac definitione abstinuit, et anathema contra eum direxit, qui dicit, Ecclesiam errare, dum docet etc. Quamobrem ille tantum haereticus esset, qui propugnaret, de fide certum esse, quod matrimonium ob adulterium unius coniugis quoad vinculum dissolvatur, et inde concluderet, Ecclesiam catholicam doctrinam erroneam sequi.

5. *Rationes theologicae* ex ipsa matrimonii natura petuntur. Christus enim ait: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Ast si per adulterium matrimonium dissolvi potest, dicendum foret, hominem impia voluntate et nefario opere vinculum illud solvere posse, quod Deus coniunxit: hac porro sententia admissa latissima panderetur via adulteriis et

(1) Lib. 22, c. 4, n. 3.

connubiorum dissolutionibus. Quos enim initi foederis coniugalis poeniteret, illi praesentissimum haberent medium sese ab exoso iugo liberandi, et ad alias nuptias transeundi, fidem nempe matrimonii frangendo. Atque tali rationi lex, quae solutionem matrimonii propter adulterium permitteret, ansam sceleribus committendis daret: quod quam alienum sit a sapientia et sanctitate divina, neminem latere potest. Dein matrimonium fidelium magnum est mysterium, quia significat coniunctionem Christi et Ecclesiae per charitatem, iuxta illud Apostoli: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (1). Ergo cum spiritualis illa Christi et Ecclesiae coniunctio sit omnino indissolubilis, quia Christus sponsam suam nunquam deseret; etiam matrimonium fidelium debet esse pro omni casu indissolubile; alias si signum sacrae huius coniunctionis dissolvi posset, indicaretur, etiam rem significatam, nempe coniunctionem Christi et Ecclesiae posse aliquando dissolvi.

Nota 1. Quamvis matrimonium fidelium consummatum nulla de causa ne adulterii quidem quoad vinculum dissolvi possit, iustis tamen ex causis permitti potest, ut coniuges quoad thorum et habitationem disiungantur. Negant id Protestantes, qui acriter contendunt, manente coniugii vinculo causam nullam esse coniuges a contubernio et thoro separandi, quae adeo coniuncta esse volunt, ut quamdiu subsistit vinculum, subsistat etiam obligatio commanendi. Ast talis sententia ipsi S. Scripturae repugnat. Nam Christus inquit: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari* (2). Cum autem, ut probatum est, Christus hic non loquatur de dissolutione matrimonii quoad vinculum, ergo loquitur de dimissione quoad thorum et habitationem, talemque coniugum separationem ob crimen adulterii et similes causas licitam declaravit. Et Apostolus ait: *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (3). Ergo Apostolus supponit, per divortium non dirimi matrimonium quoad vinculum, quia decernit, mulierem separatam debere manere innuptam, et divortium ex iusta causa esse licitum; alias optionem non daret mulieri vel redeundi ad maritum, vel non redeundi, modo alteri non nubat. Hinc *Eugenius IV* in decr. ait: *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est.* Et *Conc. Trident.* Sess. XXIV, can. 8 definit: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum multas ob causas separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.* Talem separationem iam licitam declaraverant *Alexander III*, Decr. cap. *Quaesivit* de divortiis, *Urbanus III*, cap. *De illa*, *Innocentius III*, cap. *Quanto.* Iustae autem divortii causae censentur non solum adulterium certum et probatum, sed etiam haeresis seu fornicatio spiritualis, grave scandalum, quo unus coniux alterum ad peccandum impellit, implacabile odium et saevities mariti, continua iurgia, verbera, machinatio caedis etc. Gravissime certe peccat, qui iniqua separationis causa existit, seque emendare tenetur: pars autem innocens ordinarie non ex proprio arbitrio al-

(1) Ephes. 5, 32. (2) Matth. 5, 32. (3) I Cor. 7, 10, etc.

teram nocentem deserere, sed a iudicio ecclesiastico separationem quoad thorum et habitationem poscere potest. Ex mutuo porro consensu coniuges quoad thorum et mensam disiungi possunt, ut perfectioris vitae statum amplectantur, iuxta verba Christi in Matth. XIX, 29.

Nota 2. Non solum Graeci et Novatores, sed etiam insignes theologi *Caietanus*, *Catharinus*, *Erasmus* et *Launoius* doctrinae catholicae varias difficultates opponunt, quas solvere oportet.

Obi. I. Christus Matth. XIX, 9 loquitur de dimissione uxoris ob fornicationem quoad vinculum, quia loquitur de ea, quae in lege veteri in usu erat, et de qua a Pharisaeis interrogabatur quae erat dimissio quoad vinculum. Idem dic de altero loco Matth. V, 32. Sensus ergo verborum Christi est: Qui excepta fornicationis causa, uxorem dimittit et aliam ducit, moechatur: e contrario autem, qui propter causam fornicationis uxorem dimittit et aliam ducit, non moechatur.

Resp. Christus per verbum dimittere non intelligit dissolutionem vinculi coniugalis, sed separationem quoad thorum et habitationem. Nam Matth. c. XIX, v. 6 iam declaraverat, ex institutione divina matrimonium unum esse et indissolubile. Supponit ergo principio certo, quod matrimonium, quo fiunt duo in carne una, ita a Deo coniunctum sit, ut a nullo homine separari posset. Quia ergo iuxta hoc principium in N. L. matrimonium nunquam quoad vinculum solvitur, docet tamen Christus, quod dimissio uxoris, seu separatio quoad thorum et mensam fieri possit ob fornicationem, aut similem gravem causam. Eodem modo intelligendus est locus Matth. V, 32; nam in isto capite Christus perfectiora sua praecepta opponit documentis minus perfectis V. T., ac ibi dicit: In antiquo foedere permissum erat, ut uxor repudiaretur, et alia duceretur: in novo autem foedere licet permissum sit, uxorem ob adulterium quoad thorum et habitationem dimittere, nullatenus autem licet aliam ducere; nam vinculum coniugale manet, et ideo qui dimissam ducit, moechatur. Falsa autem est consequentia, quae a contrario infertur. Nam verba Christi duo membra continent, et exceptio causae fornicationis ad prius tantum membrum pertinet; quapropter dici quidem potest: qui uxorem absque culpa adulterii dimittit, peccat: ergo qui eam propter adulterium dimittit, non peccat: at sicut Christus non dicit: qui sine adulterio dimissam ducit, moechatur, ita nec dicere licet: qui propter adulterium dimissam ducit, non moechatur.

Obi. II. Si verba Christi de dissolutione matrimonii impropria intelliguntur, aliud absurdum sequitur, nempe ex sola fornicationis causa posse uxorem a viro dimitti, etiam quoad thorum et habitationem: quod falsum esse Catholici diffiteri nequeunt, cum *Conc. Trident.* (1) multas divortii causas agnoscat.

Resp. Qui unam causam commemorat, non propterea alias excludit. Ita Christus fornicationis quidem solius mentionem fecit, sed caeteras causas non exclusit, quae aliis in locis S. Scripturae indigitantur, ut Tit. III, 10: *Haereticum hominem devita.* Matth V, 29: *Si oculus tuus dexter sca[illegible]zat te, erue eum, et proiice abs te*, etc. Unam autem fornicationem voluit Christus ut divortii causam designare, tum quia est praecipua et capitalis causa separationis ab

(1) Sess. 24, can. 8.

usu coniugii, tum quia ea de causa potest vir ab uxore in perpetuum separari, tum quia sic voluit carpere pravam Iudaeorum consuetudinem, qui nullis aut levissimis de causis uxores suas dimittebant.

Obi. III. Multi Patres antiqui, praecipue *Clemens Alex.*, *Origenes*, *Lactantius*, *S. Basilius*, *S. Epiphanius* et alii docuerunt, coniugium quoad vinculum per adulterium solvi, quod, teste *Launoio*, declaravit etiam *Ioannes VIII.*

Resp. Nonnulli theologi singula testimonia Patrum nobis opposita expenderunt, et de plerisque solide ostenderunt, quod doctrinae catholicae non repugnent, ut *Bellarminus*, *Tournely*, *Sardagna* et alii. Sufficit autem ad obiectionem elidendam sequentia respondere : 1° Citatis testimoniis opponimus Patres iam n. 2 citatos, quorum maior est numerus et auctoritas: unius vero et alterius Patris dissensus argumentum traditionis non labefactat, praecipue cum agatur de re, quae solemni Qcclesiae iud icio definita non fuerat. E 2° uaedam loca Patrum, ex. gr. *S. Basilii* et *S. Epiphanii*, quibus abutuntur adversarii, obscura sunt et ambigua, atque etiam de sola separatione quoad thorum et habitationem intelligi possunt. 3° Interdum Patres de iis tantum loquuntur, quae iuxta leges civiles sancita tunc temporis erant. Ita *Lactantius* (1) dicit, « adulterum esse qui praeter causam adulterii dimissam uxorem duxerit : » ubi prae oculis habuit leges civiles, a quibus dimissae adulterae permittebatur, ut ad alias nuptias transiret. Nam ibidem haec addit : « Non enim sicut publici iuris (legis nempe civilis) ratio est, sola mulier adultera est, quae habet alium; maritus autem, etsi plures habeat, a crimine adulterii solutus est... Sed divina lex duos in matrimonium, quod est corpus unum, pari iure coniunxit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa distraxerit. » 4° Nonnulla Patrum testimonia adversarii corruperunt et vitiarunt. Sic ex. gr. cum *Ioannes VIII* Epist. 65 ad Ederedum respondisset : « Cum priorem legitimo sibi matrimonio iunctam quisquam deserere nequeat, *nulla ratione prorsus* illi conceditur aliam vivente priore conducere : » *Launoius* incommoda illa verba : *nulla prorsus ratione*, plane sustulit, ita ut sententia negans in affirmantem mutaretur. Item in *Ioannis VIII* verbis : « Praecipimus, neque virum ab uxore, neque uxorem a viro nisi causa fornicationis discedere, quod si *ob hoc* discesserit, manere innuptum, vel innuptam ;» *Launoius* mutavit vocem *hoc* in *aliud*, qua mutatione alia omnino evadit Pontificis mens. Ultimo observamus, quod, si obscura et ambigua videantur vel S. Scripturae loca, vel traditionis testimonia, institutum habeamus a Christo supremum controversiarum iudicem, atque huius esse, sensum Scripturae genuinum determinare, et divinam traditionem ab adventitiis quibusque doctrinis secernere. Supremus iste et infallibilis controversiarum iudex est Ecclesia, quae iam mentem suam declaravit. De fide enim certi sumus, Ecclesiam non errare, dum docet, matrimonii vinculum etiam ob crimen adulterii non dissolvi.

Obi. IV. Plura Concilia, ut *Arelatense I* (2), *Venetense* in minori Britannia (3), *Vermeriense* (4), *Compediense* (5), et ipsum *Poenitentiale Romanum* in causa adulterii potestatem

(1) Lib. 6 instit. c. 23.

(2) An. 314. (3) An 465.
(4) An. 752. (5) An. 757.

tribuunt coniugi innocenti, ut iterum nubat; vetant autem parti nocenti.

Resp. Ut isti canones intelligantur, attendendus est rigor antiquae disciplinae, vi cuius non solum coniugi adultero, sed etiam coniugi innocenti, qui tamen in huiusmodi causis non sine culpa putabatur, interdictum fuerit, post alterutrius mortem ad secundas nuptias transire. Ab hoc rigore Ecclesia pedetentim recessit, et ideo citata Concilia et *Poenitentiale Romanum* potestatem faciunt coniugi innocenti, ut non vivente adhuc coniuge adultero, sed post huius mortem secundas nuptias iniret. Id patet ex *Conc. Foroiuliensi* (1) quod clarius rem proponit can. 10 statuens: *Ut resoluto fornicationis causa coniugali vinculo non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera: sed nec adulterae, quae poenas gravissimas vel poenitentiae tormentum luere debet, alium accipere virum, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito.* Idem habent *Concilium Friburiense* (2) can. 43, et *S. Leo M.* Epist. 167 in resp. ad inquis. 13. Si quae tamen Concilia provincialia sunt, aut poenitentialia, quae commode explicari non possint de solutione quoad thorum et habitationem, de iis dicendum est, quod ab evangelica et apostolica doctrina recesserint, sed excusationem quandam mereantur, cum ageretur de quaestione, quam iam *S. Augustinus* (3) perdifficilem declaravit, et quae nondum iis temporibus expedita, nec ullo adhuc Ecclesiae universalis iudicio explanata fuit. — Neque illud silentio praetereundum est, quod non pauci abusus quandoque in nonnullis provinciis irrepserint circa coniugiorum dissolutionem, qui aperte pugnant cum lege evangelica ac doctrina universae Ecclesiae, ex quibus propterea adversarii nullum pro causa sua possunt patrocinium quaerere.

(1) An. 791. (2) An. 895.
(3) Lib. de fide, et oper. c. 19, n. 35.

ARTICULUS III.

De sacramenti matrimonii existentia seu veritate.

§ 700. Sacramentum matrimonii negarunt *Gnostici*, *Manichaei*, *Priscillianistae* et *Albigenses*, qui nuptias non Deo vero et bono, sed principio malo seu tenebrarum principi adscribentes eas proinde velut ex natura sua malas damnabant, ac admittere recusarunt, ipsas per gratiam divinam sanctificari. *Lutherus* (4) admittit quidem contra veteres haereticos, nuptias esse a Deo institutas, ideoque bonas et honestas ex natura sua, sed negat eas fuisse a Christo sacramenti N. Legis honore donatas. *Calvinus* (5) sacramenti rationem non magis matrimonio convenire affirmat, quam agriculturae et sutoricae arti. Protestantes antesignanos suos secuti matrimonium e numero sacramentorum expunserunt: contra quos ex *S. Scriptura* et ex *Traditione* probatur, matrimonium verum esse novae legis sacramentum, a Christo Domino institutum.

I. *Argumenta ex S. Scriptura deprompta.*

§ 701. In S. Scriptura varia testimonia occurrunt, quae si recte expendantur, et praecipue si simul conferantur, satis clare ostendunt, matrimonii sacramentum vere in N. L. a Christo Domino institutum esse.

1. Deus in statu naturae integrae ita matrimonium instituit, ut sit unum et indissolubile (6). Cum autem per

(4) Lib. de captiv. Babyl.
(5) Lib. 4 Instit. c. 19, § 34.
(6) Gen. 1, 27, etc.; 2, 22, etc.

lapsum protoparentum rebellis enata esset concupiscentia, nimis durae videbantur hominibus infirmatis et corruptis leges de matrimonii unitate et indissolubilitate latae: quamobrem Deus in veteri lege sapientissime et benignissime tum polygamiam toleravit, tum libellum repudii permisit; quo factum est, ut ipsa etiam uxor ad novas nuptias transire potuerit. Christus autem, ut iam probatum fuit, in statu naturae reparatae tum polygamia penitus interdicta, tum libello repudii, quo vinculum coniugale solveretur sublato, matrimonium ad pristinam dignitatem revocavit, legesque de matrimonii unitate et indissolubilitate restauravit. Negari vero non potest, quod istae leges observatu difficiles sint etiam pro hominibus baptizatis, in quibus deleta est quidem iniquitas, sed manet infirmitas. Non obstantibus autem hisce legibus promulgatis, Christus in genere de doctrina sua evangelica dicit: *Iugum meum suave est, et onus meum leve* (1). Doctores porro omnes observant, praecepta evangelica, quae ad maximam hominis perfectionem diriguntur, *iugum suave* et *onus leve* vocari, non quasi in se leviora et observatu faciliora sint, sed ideo, quia homines in nova lege uberioribus gratiis ad illa observanda corroborantur. Ex hoc autem principio recte infertur, Christum, qui pro matrimonio leges observatu difficiles praescripsit, speciales etiam gratias praeparasse, quibus matrimonium contrahentes adiuti praefatas leges fideliter valeant observare. Cum autem, ut ex hactenus dictis apparet, ex sapientissima Christi ordinatione in N. L. speciales gratiae internae per signa externa conferri soleant; pleno iure concluditur, etiam coniugibus, qui sensibili modo contractum ineunt, gratias speciales per rem subiectam sensibus conferri; et ideo matrimonium verum et proprium est sacramentum.

2. Ioan. II, 1 etc. legitur: *Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat Mater Iesu ibi. Vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias.* Cum autem actiones Filii Dei incarnati plenae fuerint mysteriis omnesque ad gloriam Patris et salutem animarum directae, certe nec casu nec fortuito, sed divino factum est consilio, ut cum Matre sua Christus Iesus, et cum eo discipuli ad nuptias in Cana Galilaeae invitati sint; divinus enim Redemptor nuptias praesentia sua non solum licitas et honestas declarare, sed etiam gratia sua sanctificare et ad sacramenti dignitatem elevare voluit. Hoc idem conceptis verbis docent Ss. Patres. *S. Epiphanius* (2) dicit: « Duabus mihi de causis videtur (ad nuptias) invitatus esse Christus. Primum, ut aquae similem ac diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem nuptiarum castimonia et honestate constringeret. Tum ut, quod deerat, emendaret, ac iucundissimi vini suavitate mulceret et gratia. » Et alibi (3): « Venerabiles esse nuptias, ac Dei aspirante gratia coeleste regnum obtinere, quis vel ex eo non cognoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret? » *S. Ambrosius* (4) profitetur: « Neque nos (virginitatem commendantes) negamus, sanctificatum a Christo esse coniugium divina voce dicente: Erunt ambo in carne una et in uno spiritu. » *S. Chrysostomus* (5) inquit: « Vocant eum

(1) Matth. 11, 30. (2) Haer. 51, c. 30.
(3) Haer. 67, c. 6.
(4) Epist. 42 ad Siric. n. 3.
(5) Hom. 21, al. 20, in Ioan. n. 1

ad nuptias, ipseque adest; non enim ad dignitatem suam respiciebat, sed erat ad beneficium nobis inferendum paratus. Nam qui non dedignatus est formam servi accipere, multo minus dedignabitur ad nuptias servorum venire. Qui cum publicanis et peccatoribus versabatur, multo minus recusabit cum invitatis ad nuptias venire. » Quibus verbis S. Doctor non obscure innuit, Christum ad nuptias venisse, non solum ut gratiam spiritualem sponsis ibi praesentibus conferret, sed etiam ut *nobis* beneficium praestaret, et sponsis omnium temporum gratiam sacramentalem praepararet. Ideo in Homil. de verbis illis Apostoli (1) *Propter fornicationes*, etc. n. 2 (2) dicit: « Quod factum est a civibus Canae Galilaeae, fiat et ab iis, qui nunc ducunt uxores: Christum habeant in medio sedentem. Quo vero pacto id fieri potest? Per ipsos Sacerdotes: *Qui enim*, inquit, *recipit vos, me recipit* » (3). *S. Augustinus* (4) ait: « Per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut coniugalis castitas firmaretur, et ostenderetur sacramentum nuptiarum. » *S. Maximus* Taurin. (5) sic loquitur: « Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum potestate constituit (ratione scilicet humani contractus), nunc praesentiae benedictione sanctificet, » scilicet humano contractui adiungens dignitatem et efficaciam sacramenti. *S. Cyrillus Alex.* (6) inquit: « Ipse (Christus) invitatus venit (ad nuptias), ut miraculum faceret, ac praeterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus, ac totam in meliorem statum revocaturus erat, non solum iis, qui iam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed et iis quoque, qui postea nasciturі essent, gratiam praestitueret, et eorum ortum sanctum efficeret. » Hoc idem docet in Epistola ad Nestorium, approbata a Patribus Ephesinis, qui ipsimet dixerunt, *Christum dispensatorie ipsis tunc benedixisse nuptiis, cum in Cana Galilaeae cum sanctis vocatus Apostolis adesse dignatus est* (7).

3. Paulus ad Ephes. de matrimonio scribit: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (8). Fatendum est, non ex eo certum inferri posse argumentum, quia matrimonium ab Apostolo *sacramentum* appellatur; vox enim sacramenti etiam pro re arcana, pro signo, symbolo, etc., sumitur, et hoc sensu etiam in loco citato intelligenda est. Sed nihilominus verba Apostoli optime inserviunt ad certum pro sacramenti matrimonii existentia argumentum construendum. Nam ad verum et proprie dictum sacramentum requiritur, ut sit signum sensibile rei sacrae, et efficax gratiae sanctificantis a Christo Domino pro omni tempore institutum: atqui conditiones istae omnes matrimonio recte conveniunt. Nam, 1° in mutuo coniugum consensu seu contractu externo habemus signum exterius ac sensibile. Idem vero contractus, seu coniunctio coniugalis est signum rei sacrae, nempe unionis Christi cum Ecclesia, tum naturalis per incarnationem, tum spiritualis per charitatem; idipsum enim evidenter colligitur ex Apostolo Eph. V, ubi commendans mutuam coniugum inter se

(1) I Cor. 7, 2. (2) T. 3 ed. maur. Rohor. seu Venet. p. 126.
(3) Matth. 10, 40.
(4) Tract. 9 in Ioan. n. 2.
(5) Hom. 1 de Epiphania.
(6) Lib. 2 Comment. in Ioan. c. 2, v. 1.
(7) V. Tournely de matr. c. 2, a. 2, concl. 3
(8) Ephes. 5, 32.

dilectionem exemplo Christi, qui Ecclesiam sponsam suam ita dilexit, ut seipsum tradiderit pro ea, inter alia primaevam matrimonii institutionem adducit ac intimam coniugum unionem; ait enim: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (1): quasi diceret, tametsi coniunctio maritalis, si in se spectetur, res non magna videatur, in genere tamen signorum res magna est, quia magnum aliquid significat, Christum videlicet et Ecclesiam, eorumque inter se coniunctionem. « Per hoc enim, ait *Estius* (2), quod homo relictis parentibus adhaeret uxori suae, et cum ea una caro efficitur, mystice significatur, Filium Dei e sinu Patris, ac quasi relicto Patre in terras descendisse, ut Ecclesiae coniungeretur, unumque cum ea corpus per incarnationem efficeretur. » Ita eundem locum interpretatur *S. Gregorius Naz.* (3), *S. Hieronymus* (4), et *S. Chrysostomus*, qui Hom. 57 in Genes. ait: « An non audis Paulum dicentem, sacramentum esse nuptias et imaginem dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam exhibuit? » Et (5) in Epist. ad Ephes., hanc ipsam profert expositionem, quam descripsit mox citatus *Estius*. Matrimonium igitur vere est sacramentum, hoc est, symbolum seu signum unionis Christi cum Ecclesia. 2° Non est autem signum pure speculativum et otiosum, sed practicum et efficax gratiae. Id quoque ex verbis Apostoli colligitur. Nemo enim dubitare potest, coniunctionem Christi cum Ecclesia gratia supernaturali perfici, quod Apostolus ibidem declarat dicens: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (6). At si coniunctio Christi cum Ecclesia supernaturalis est et in communicatione gratiae consistit, nonnisi inepte coniunctio viri cum femina illius unionis signum seu symbolum diceretur, si nullam rem supernaturalem in se contineret, et communicatione gratiae non perficeretur. Necessario igitur ex verbis Apostoli infertur, sicut coniunctionem Christi cum Ecclesia, ita et unionem maris et feminae, seu matrimonium gratia supernaturali perfici et firmari. Argumentum istud crescit, si ad contextum attendatur. Paulus enim coniugibus gravia officia proponit dicens: *Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea* (7). Exigit ergo ab uxoribus obedientiam perfectam, et a viris amorem supernaturalem. Nemo autem negaverit, ad haec officia praestanda opus esse gratia Salvatoris, et quidem iugi, qualem nempe sacramenta tribuunt ad statum sanctificandum, atque ad eius finem obtinendum. Talem autem gratiam dari supponit Paulus, dum duo motiva proponit, quibus coniuges ad officia sua implenda incitentur. Primum motivum petit ex ipsa matrimonii institutione facta a Deo in primordiis mundi, ita ut duo sint in carne una. Alterum motivum petit ex eo, quia matrimonium signum est coniunctionis

(1) Ephes. v. 31. (2) In 4 dist. 26, § 5.
(3) Or. 37, al. 31, n. 7.
(4) Comment. in Eph. 5. 28
(5) Hom. 20, n. 4. (6) V. 25
(7) Ibid. v. 24 etc.

Christi cum Ecclesia, et quia ideo in nova lege coniugibus fidelibus gratia supernaturalis confertur. Quae certe probatio vim habet maximam, si supponat, signum illud seu sacramentum efficax esse et productivum gratiae, quam significat; e contra infirma prorsus ac nulla, si supponat, signum illud sterile esse et vacuum. Ita ex textu Apostoli argumentantur *Patres Tridentini* cap. unico de matrim. (1) dicentes: *Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit. Quod Paulus innuit dicens: Viri, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, mox subiungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Denique, 3° non deest institutio Christi permanens. Quamvis enim matrimonium longe ante Christum extiterit sub ratione naturalis unionis seu contractus, non tamen extitit sub ratione sacramenti proprie dicti. Christus enim matrimonium ad dignitatem sacramenti elevavit, et sicut in novo foedere leges unitatis, et indissolubilitatis pro omni tempore tulit, ita etiam coniugibus gratiam pro omni tempore praeparavit, ut praefatas leges fideliter observare valeant.

Nota. Remanent difficultates solvendae, quae argumento biblico opponuntur.

Obi. I. Verba Apostoli: *Sacramentum hoc magnum est*, etc., non referuntur, ut observat *Calvinus* (2), ad matrimonium, sed ad unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem quam idem Apostolus *magnum pietatis sacramentum* appellat (3). Quodsi ad coniugalem maris et feminae unionem referantur, ad summum concludi posset, matrimonium Adami et Evae, de quo uno Apostolus loquitur, signum fuisse unionis Christi cum Ecclesia, non autem quodvis aliud matrimonium.

Resp. Calvini interpretatio omnino absurda est, et contra regulas hermeneuticas peccat. Siquidem per pronomen *hoc* verba illa referuntur ad praecedentia: *Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est.* Deinde si Apostolus appellare voluisset sacramentum coniunctionem Christi cum Ecclesia, non dixisset: sacramentum hoc magnum est *in Christo et in Ecclesia*, sed: sacramentum Christi et Ecclesiae magnum est. Adde, quod graece dicitur: εὐς Χριστον καὶ ἐκκλησίαν, *in Christum et Ecclesiam;* quibus verbis clare indicatur, mysterium esse in coniugio, cuius significatio refertur ad Christum et Ecclesiam. Falsum praeterea est, quod de uno Adami et Evae matrimonio sermo sit. Apostolus enim verba quidem Adami (4) citat. Adamus autem eo loco non loquitur de se, sed de omni alio coniugio. Alias non diceret, *relinquet homo*, sed *relinquam:* neque diceret, *relinquet patrem et matrem*, ipse enim patrem et matrem non habebat. Ipse Christus (5) verba illa refert ad omne legitimum coniugium. Et ita etiam verba Pauli intelligenda esse, patet ex eo, quia non dicit: Sacramentum magnum fuit, sed loquitur in praesenti: *Sacramentum magnum est*, ut ostendat matrimonium nunc inter fideles initum esse signum congruum et efficax coniunctionis Christi et Ecclesiae.

Obi. II. Etiamsi detur, matrimonium fuisse institutum a Deo, non

(1) Sess. 24. (2) Lib. 4 inst. c. 19.
(3) I Tim. 3, 16. (4) Gen. 2, 24. (5) Matth. 19, 5.

probatur esse sacramentum; nam etiam agricultura est a Deo (1), nec tamen est sacramentum. Quod si matrimonium propterea est sacramentum, quia rem sacram, nempe Christi et Ecclesiae coniunctionem, significet, sexcenta erunt sacramenta; sic enim thesaurus, semen, granum sinapis et alia multa in Evangelio regnum coelorum, aut res divinas adumbrant.

Resp. Nos non appellamus matrimonium sacramentum propterea, quod a Deo sit institutum, sed quia institutum est tanquam mysterium ad significandam rem sacram, et ad gratiam conferendam. Et sic etiam altera pars obiectionis refellitur. Non enim ideo tantum matrimonium sacramentum est, quia est signum rei sacrae, sed quia est signum a Christo institutum, cui adnexa est gratia. Deinde Paulus nusquam utitur matrimonio tanquam *similitudine* Christi et Ecclesiae: alias dixisset: Christus dilexit Ecclesiam, sicut viri diligunt uxores suas, prout dictum est: *Simile est regnum coelorum thesauro.* At non ita dixit, sed e contrario: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*, quod est argumentum a re significata ad rem significantem. Quapropter inepta sunt exempla a Calvino prolata.

Obi. III. Iuxta doctrinam catholicam, sacramenta novae legis operantur quod significant: atqui matrimonium, quod unionem Christi cum Ecclesia significat, istam nullo modo efficit: ergo non habet efficaciam ad constituendum novae legis sacramentum requisitam.

Resp. Effatum illud theologorum: Sacramentum id efficere, quod significat, alium sensum non habet, quam sacramenta N. L. vim habere gratiae conferendae. Notandum vero est, in eadem re subiecta sensibus, quae ad rationem sacramenti concurrit, plures significationes adesse posse, neque necesse esse, ut omne id quod significatur, actu efficiatur. Sic corpus mysticum Ecclesiae, et mors Christi cruenta significantur per eucharistiam; sed neque corpus Ecclesiae, neque mors Christi cruenta per eucharistiam efficiuntur: quia autem per istam etiam unio animae cum Christo per gratiam significatur et efficitur, nemo dubitat, eucharistiam esse verum sacramentum. Pari modo matrimonium significat quidem coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam non efficit: simul autem etiam significat castam dilectionem inter marem et feminam, et hanc non solum significat, sed etiam efficit, ut probatum fuit.

Obi. IV. Omnia sacramenta N. L. conferunt gratiam; at matrimonium non confert gratiam: et quidem non primam; hanc enim duo tantum sacramenta, baptismus et poenitentia, producunt: neque secundam; alias enim melius esset nubere, quam non nubere, contra illud, quod ait Apostolus: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; et qui non iungit, melius facit* (2).

Resp. Ad hanc obiectionem respondet *Bellarminus* (3): « Per matrimonium conferri gratiam, quae prima et secunda dici potest. Nam etsi hoc sacramentum non sit principaliter institutum ad remittenda peccata, illa tamen remittere potest eo modo, quo a sacramentis eucharistiae, confirmationis et extremae unctionis remittuntur; et siquidem id fiat, erit prima gratia; sin autem, erit secunda. Neque obstat, quod continentia sit excellentior matrimonio; nam aliud est comparare statum cum statu, a-

(1) Gen. 3, 17, etc. (2) I Cor. 7, 38.

(3) De matr. contr. l, c. 5, resp. ad arg. 12

liud statum cum sacramento. » Procul dubio melius est continentem esse, quam nubere; sed etiam melius est nubere quam uri, et melius est nubentibus sacramentum suscipere, quam sacramenti gratia carere. Sic melius est aegroto habere pro malo suo remedium, quam non habere; sed non est melius aegrotum esse, quam sanum. — Responderi etiam potest ad eandem obiectionem cum distinctione: melius est abstinere a matrimonio, si concipiatur sub ideâ carnalis copulae, non autem, si concipiatur ut res sacra: alioquin Beata Virgo, quae semper, quod perfectius est, amplexa est, B. Iosepho non nupsisset.

Obi. V. Admitti nullatenus potest, matrimonium gratiam divinam producere, quod iuxta Apostolum ab oratione retinet (1), et mentem a Deo avocat (2), et quod ab Ecclesia ut immunditia spectatur, ita ut Sacerdotes illud inire prohibeantur. Quod si matrimonium sacramentum esset, dicendum foret, pugnam inter sacramenta dari, et unum alteri opponi, quoniam qui ordinem suscipit, matrimonium recipere nequit.

Resp. Matrimonium a Deo institutum, et ideo honestum et licitum esse, iam probatum fuit. Ex fragilitate autem hominum fit, ut matrimonio iuncti inordinate saecularibus curis et carnalibus deliciis inhient, et sic ab oratione impediantur, et quoad mentem a Deo avocentur. Ad quod praecavendum sapientissime Deus sacramentum instituit, quo coniuges ad christianam sobrietatem servandam, et officia sua implenda corroborentur. Ecclesia vero matrimonium semper commendavit tanquam in se bonum et honestum et a Christo sanctificatum. Quod si interdum a nonnullis Conciliis, vel Roman. Pontificibus coniugium immunditiae nomine donatum est, non ratione sui, sed aut ratione subiecti incapacis ob vota vel alia impedimenta ad matrimonium contrahendum, aut ratione actus coniugalis non quidem absolute, sed respective ad munditiem, quam praesefert continentia, ita coniugium denominatum est. Arcet vero Ecclesia Sacerdotes a nuptiis tanquam a statu minus perfecto ac minus convenienti dignitati et muneribus sacerdotalibus, non autem tanquam a re mala. Non ergo pugnat sacramentum cum sacramento, sed status cum statu. Et sane vir, mortua uxore sine liberis, ordines recipere potest.

(1) 1 Cor. 7, 3. (2) V. 33 et 34.

II. *Argumenta ex Traditione petita.*

§ 702. Traditio, quae est alter revelationis fons, etiam sola sufficit ad dogma catholicum constituendum; unde si nullum argumentum biblicum sat solidum extaret, ex sola traditione invicte probari posset, matrimonium verum esse N. L. sacramentum. Cum autem traditio etiam sit linea, iuxta quam S. Scriptura est exponenda, argumenta biblica, quae adduximus, per eam ita confirmantur, ut omnes obscuritates et difficultates penitus evanescant. Argumentum autem traditionis petitur ex *Ss. Patribus*, ex *Ecclesiae constanti persuasione et praxi*, et ex *definitionibus Conciliorum*.

1. *Ss. Patres* multiplici modo pro sacramenti matrimonii existentia testimonium ferunt. Nam: 1° nonnulli tradunt, Christum, dum nuptiis in Cana Galilaeae adfuit, iisdem benedictionem, sanctitatem et gratiam, qua antea carebant, adiunxisse, et sacramentum nuptiarum instituisse; ut ex Graecis *S. Epiphanius*, *S. Chrysostomus* et *S. Cyrillus Alex.*, ex Latinis *S. Ambrosius*, *S. Augustinus* et

S. Maximus § praec. n. 2 citati. 2° Alii Christianorum coniugium inter res sacras numerant ad religionem pertinentes, a ministris Ecclesiae certo ritu celebrandas. Ita *S. Ignatius M.* in Epist. ad Polycarpum (1) scribit : « Decet, ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi coniugium faciant, quae nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant. » *Clemens Alex.* lib. 3 Strom. ait: « Matrimonium aliquid sacrum est et divinum. » *Tertullianus* lib. de pudic.(2) inquit: « Penes nos occultae quoque coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professae iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur. » Huc etiam referuntur Patres, qui dicunt, coniugia benedictione sacerdotali perfici et sanctificari debere, quorum testimonia in articulo sequenti adlegabuntur. 3° Multi Patres matrimonium sensu stricto sacramentum appellant, quod specialem gratiam divinam adnexam habeat. *Clemens Alexand.* (3) ait: « Sanctificatur itaque matrimonium, quod iuxta Logon celebratur, ubi nuptiae Deo subiiciuntur, et sincero corde in plenitudine fidei peraguntur. » *Origenes* (4) inquit: « Deus quidem hic est, qui duo in unum compegit, ut ex quo mulier viro nupsit, duo amplius non sint; et quoniam coniunctionis auctor est Deus, propterea iis inest gratia, qui a Deo coniuncti sunt; quod non ignorans Paulus connubium verbo Dei consentaneum gratiam esse pronuntiat (5), quemadmodum castus caelibatus gratia est: » id est, quemadmodum perpetua castitas speciale donum Dei est, ita specialis gratia coniugibus divinitus est concessa. *S. Athanasius* Epist. ad Amunen, comparans virginitatem cum matrimonio maiorem quidem illi quam isti gratiam tribuit, sed tamen gratiam aliquam matrimonio adnexam esse clare significat scribens: « Si quis nuptias elegerit, culpa quidem vacat, sed tot tantaque non consequetur dona. Consequetur tamen aliqua, siquidem et ipse fert fructum tricesimum. » *S. Gregorius Naz.* (6) haec habet: « Non enim, quia honoratior est virginitas, idcirco turpe et ignominiosum est matrimonium. Christum imitabor, purum illum, inquam, pronubum et sponsum, qui et miraculum in nuptiis edit, et coniugium praesentia sua honestat. In id tantum incumbe, ut purum sit matrimonium, atque ab obscoenarum cupiditatum contagione liberum. Hoc unum posco: a dono (gratia sacramentali) securitatem accipe, ac vicissim istud dono repende, ut certo tempore, quamdiu scilicet assignatum fuerit orationi tempus omni negotio praestabilius, a re uxoria abstineas, idque ex communi pacto et consensu. » *S. Gregorius Nyssenus* (7) matrimonium approbat, « cum non sit a benedictione Dei alienum, » et haereticos confutat, « qui Ecclesiae praecepta atque instituta corrumpunt, res a Deo creatas detestantes, quasi impurae illae sint, et ad malum trahant: » quibus verbis matrimonium ut res sacra, Ecclesiae subiecta, et benedictione divina donata exhibetur. *S. Chrysostomus* verba Pauli: *Qui vult nubat, tantum in Domino* (8), ita exponit: « Non nubat tanquam gentilis, sed tanquam Christiana, non propter libidinem, sed propter sacramentum » (9). *S. Ambrosius* (10) ait: « Cognoscimus, prae-

(1) Cap. 5. (2) Cap. 4.
(3) Lib. 4 Strom. cap. 20.
(4) Comment. in Matth. lib. 14, n. 16.
(5) I Cor. 7, 7. (6) Orat. 40, n. 18.
(7) Lib. de Virg. c. 8.
(8) I Cor. 7, 39.
(9) V. Tournely l. c. concl. 2.
(10) Lib. 1 de Abraham, c. 7, n. 59.

sulem custodemque esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui: et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam solvat. Et ideo, quia in Deum peccat, sacramenti coelestis amittit consortium. » *Innocentius I* (1) ad Probum scribit: « Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitus erat divina gratia fundatum, conventumque secundae mulieris, priore superstite, nullo pacto posse esse legitimum. » *S. Augustinus* (2) dicit: « In civitate Domini, in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, sed etiam sacramentum commendatur. » Idem, lib. de bono coniug. (3): « In nostrarum (uxorum) nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas uteri. » Et ibid. (4): « Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius vivit. » Imo in toto isto libro S. Doctor totus in eo est, ut sacramenti matrimonii dignitatem, utilitatem et efficaciam demonstret: inter alia (5) habet: « Ad hoc nuptiae sunt, ut illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum non deformis et dissoluta fluitaret, habens de seipsa irrefraenabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem; de se ipsa progressum immoderate coëundi, de nuptiis modum caste procreandi. » Et de Gen. ad litt. (6): « Hoc nuptiarum bonum verum tripartitum est: fides, proles, sacramentum. » *S. Leo M.* (7) ad Rusticum Narbon. scribit: « Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum: dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium, » id est, quae se viro iunxit, sed sacramentum matrimonii non recepit. Ex his patet, quam valde hallucinatus sit *Calvinus* asserens, ante *Gregorium M.* nullam huius sacramenti apud veteres Scriptores ecclesiasticos mentionem fieri.

2. Firmissimum argumentum suppeditat constans Ecclesiae occidentalis et orientalis consensus. Iste autem consensus iam ex iis manifestus est, quae § 516 dicta sunt; ubi probatum fuit, semper, ubique et ab omnibus creditum fuisse, septem esse N. L. sacramenta; tot autem sacramenta non adessent, si matrimonium ex sacramentorum numero expungeretur. Quod si in specie quaedam hic exponenda sint, perpetua fides de sacramenti matrimonii existentia in Ecclesia Latina patet ex eius *libris ritualibus et sacramentalibus*, qui inter septem sacramenta semper matrimonium recensent, ut ostendit *Martene* de ant. Eccl. ritibus (8) patet ex variis *Conciliis particularibus*, quae matrimonium ut rem sacram considerantia varias circa istud leges tulerunt et imprimis ordinarunt, ut coniugia in facie Ecclesiae inirentur et a Sacerdote benedicantur: patet ex decreto *Lucii III*, an. 1181, qui « universos, qui de sacramento corporis et sanguinis D. N. I. Christi, vel de baptismate, seu peccatorum remissione, aut de matrimonio, vel de reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia praedicat et observat, - vinculo per-

(1) Epist. 9. (2) Lib. de fide, et oper. c. 7. (3) Cap. 18, n. 21. (4) Cap. 24, n. 32. (5) Cap. 5. (6) L. 9, c. 7. (7) Ep. 92, n. 4. (8) L. 1, c. 9, a. 5.

petui anathematis » innodat : patet *ex consensu theologorum*, qui per quatuor saecula a Petro Lombardo usque ad Lutherum floruerunt, et, quamvis varias disceptationes de matrimonio haberent, constanter tamen docuerunt, matrimonium verum esse N. L. sacramentum : patet *ex professione fidei Graecorum* in *Conc. Lugdunensi II*, an 1274 recitata, in qua palam testati sunt, quod *tenet et docet S. R. Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, aliud sacramentum confirmationis, aliud poenitentiam, aliud eucharistiam, aliud sacramentum ordinis, aliud matrimonium, aliud extremam unctionem :* patet denique ex *Constitutione Martini V* (*Inter cunctas*), quae de haeresi suspectum inter alia interrogari iubet : « Utrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremae unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter? » — Eadem fides *Ecclesiae Graecae*, quamvis a Romana Ecclesia diuturno schismate divisae constat ex eorum *libris symbolicis* (1), et *Euchologiis* apud *Goar* in euchol. ubi agit de matrimonio sub titulo : *De officio coronationis nuptiarum*, et *Renaudot.* de perpet. fidei (2) : constat ex cel. *Simeone Thessalonicensi*, qui lib. de Initiatis (3) fidem Ecclesiae suae de sacramento matrimonii clare exponit : constat ex *Ieremia Graecorum Patriarcha*, qui sub finem saeculi XVI in censura confessionis Augustanae ex nomine totius Ecclesiae Graecae septem profitetur esse sacramenta, ac de matrimonio peculiariter ait : *Divinum sacramentum esse, atque unum ex illis septem, quae Christus et Apostoli Ecclesiae tradiderunt :* constat denique ex Conciliis adversus Cyrillum Lucarim coactis, ex quibus *Synodus CPtana* an. 1638 sub Cyrillo Borrhoeensi habita dicit : *Anathema Cyrillo* (Lucari) *nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Iesu Christi, Apostolorum traditione, praxique perpetua septem Ecclesiae sacramenta, baptisma videlicet, chrisma, poenitentiam, eucharistiam, sacerdotium, extremam unctionem et matrimonium : sed falso asserenti, duo tantum a Christo data esse aut instituta, baptismum et eucharistiam.* Et in alia *Synodo CPtana* an. 1647 sub Parthenio celebrata articulo 15 dicitur : *Negat* (Cyrillus Lucaris) *Ecclesiae sacramenta quinque; sacerdotium, sacram unctionem, sacrum oleum, confessionem cum poenitentia, et honorabiles nuptias, quae omnia ut sacramenta et divinam gratiam conferentia antiqua nobis traditio reliquit.* Eandem esse *Coptorum, Iacobitarum, Syrorum* aliorumque orientalium fidem, probant publica eorum euchologia, in quibus de matrimonio agitur perinde ac de sacramentis reliquis ; ostendunt *Assemanus* (4), ac *Renaudotius* loc. cit. — Ergo cum Protestantes ostendere nequeant, quo auctore, quo tempore, qua occasione, quo loco nova haec opinio invaluerit, dicendum est, universam Ecclesiam ab Apostolis edoctam ita semper credidisse. Valet igitur hic celebre *Tertulliani* effatum : « Ecquid verisimile est, ut tot ac tanta in unam fidem erraverint? Variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. Caeterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. »

3. *Concilium Florentinum* in decreto pro Armenis dicit : *Septimum est sacramentum matrimonii, quod*

(1) Conf. orthod. p. 1, q. 98.
(2) Tom. 5, l. 6, c. 1. (3) Cap. 33.
(4) In bibl. orient. tom. 3. p. 1 et 2.

est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Tridentinum Sess. XXIV, cap. unico de matrim. seu in prooemio ait: *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus coniugiis per Christum gratia praestet; merito inter novae legis sacramenta sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiae Traditio semper docuerunt.* Et can. 1 definit: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.*

Nota. Argumento ex Traditione petito sequentia opponunt adversarii.

Obi. I. Antiqui Patres, qui contra haereticos nuptias ut malas et noxias condemnantes pugnabant, nullum validius argumentum urgere poterant, quam sacramenti dignitatem matrimonio a Christo additam: attamen de ea nec verbum habent. Imo nec ipse Iovinianus, licet totus esset in extollendo connubio super virginitatem, omniaque argumenta, quae ad rem suam facere viderentur, diligentissime conquisivisset, dignitatem sacramenti in medium profert. Matrimonium igitur illo aevo ut sacramentum creditum non est, et a nonnullis Patribus in latiori tantum significatione ita appellatum fuit.

Resp. Argumentum, quod petitur ex Patrum silentio in pugna adversus haereticos, utpote negativum, plane evertitur ex positivis argumentis, quae adduximus. Ratio etiam silentii reddi potest. Nam Patres operam perdidissent in adstruenda sacramentali nuptiarum dignitate adversus eos, qui nuptias ut impuras et a malo principio invectas traducebant. Quod vero spectat ad Iovinianum, observare iuverit, ipsius quaestionem non attigisse praecise matrimonium, ut contrahitur, sed potius *statum* coniugalem, quem *statui* seu professioni virginitatis et continentiae praeferebat. Notandum porro est, pauca Patrum scripta contra praefatos haereticos exarata ad nos pervenisse: sed in istis paucis nonnulla inveniuntur, in quibus Patres non obscure ad dignitatem sacramenti provocant, ut *S. Irenaeus* (1), *Tertullianus* (2), *Clemens Alexand.* (3), *S. Gregorius Naz.* (4), *S. Chrysostomus* (5), *S. Augustinus* (6). Certe autem Patres matrimonio in sensu stricto sacramenti dignitatem attribuunt, quoniam illi non solum nomen sacramenti adscribunt, sed et iam asserunt, matrimonium rem sacram esse, nuptias in Cana Galilaeae a Christo sanctificata esse, gratias annexas habere etc. Negari autem omnino non potest, aevo Patrum in Ecclesia catholica fidem de sacramenti matrimonii existentia viguisse. Hanc fidem enim *Nestoriani* et *Eutychiani*, qui a saeculo V ab Ecclesia separati sunt, nonnisi ab eadem Ecclesia discere potuerunt.

Obi. II. *Petrus Lombardus* penitus negavit, per matrimonium gratiam conferri, et cum ipso nonnulli alii docuerunt, matrimonium institutum tantum fuisse in remedium peccati, ut actus coniugii licitus fiat. *S. Thomas* quidem, *S. Bonaventura* et *Scotus* docuerunt, per matrimonium gratiam conferri; sed hanc sententiam non ut de fide certam, sed ut *probabiliorem* defendunt. *Durandus* aperte

(1) Lib. 1, c. 30.
(2) Lib. 1, c. Marcion. c. 29.
(3) Lib. 3 Strom. (4) Orat. 37 et 40.
(5) Hom. 20 in Epist. ad Ephes.
(6) Lib. de bono coniug.

negavit, matrimonium esse sacramentum. Non ergo satis constans est Ecclesiae traditio de sacramenti matrimonii existentia.

Resp. Certum est, Petrum Lombardum et omnes theologos admisisse matrimonium tanquam unum ex septem Ecclesiae sacramentis a Christo institutis; et certum pariter est, scholasticos omnes cum Magistro sententiarum hoc agnovisse discrimen inter sacramenta V. L. et sacramenta N. L., quod ista *conferant gratiam*, illa vero gratiam tantum significent. Mirum igitur est, quomodo Lombardus circa efficaciam sacramenti matrimonii aberrare potuerit. Cl. *Estius* (1) ita ad eius auctoritatem respondet: « Ad illud, quod 2 dist. dicit (Magister sentent.), coniugium esse in remedium tantum, non improbabiliter responderi potest ex S. *Thoma* eum locum explicante, quod ibi Magister loquatur de principali fine, seu effectu sacramenti matrimonii. Quamvis enim omnia sacramenta et contra peccatum valeant, et auxilium bene vivendi praestent, recte tamen trifariam ista secundum Magistrum dividuntur, quod quaedam principaliter instituta sint ad iuvandum hominem in bono, ut confirmatio, eucharistia et ordo; quaedam ad delenda et vitanda peccata, ut reconciliatio, extrema unctio et matrimonium; quaedam ad utrumque effectum, ut baptismus, quo et vetus homo moritur et novus nascitur. » S. *Thomas*, S. *Bonaventura* et *Scotus* dixerunt, *probabilius* esse, quod matrimonium conferat gratiam, quando haec veritas nondum fuit ab Ecclesia solemniter definita, et ideo culpabiliter non errarunt. Caeterum S. *Thomas* in suppl. (2) satis solide aliter sentientes refellit, et doctrinam catholicam probat. Observandum pariter est, quod S. *Thomas* plura, quae in commentariis super magistrum sententiarum scripserat, ex quibus supplementum desumptum est, postea emendaverit in summa, quam aetate magis provectus exaravit. Iam vero in *Summa* (3), expresse reprobat illorum sententiam, qui negant, conferri gratiam in matrimonio, ac praeterea absolute pronunciat: « Dare pecuniam pro matrimonio, in quantum est Ecclesiae sacramentum, est illicitum. » *Durandus* male audiit tanquam haereticus, eo quod negaverit, matrimonium esse sacramentum, ita ut in secundis curis operum suorum, ad hanc haeresis invidiam declinandam admiserit, matrimonium esse sacramentum, etsi cum nonnullis aliis coaevis theologis negaverit conferre gratiam. Caeterum *Durandus* (4) scribit: « Tenendum est absolute, quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia, Extr. de haeret., ubi numerat matrimonium inter alia sacramenta: » et quod attinet collationem gratiae (5) exposita sententia canonistarum, de qua profitetur, se nihil velle pronunciare, pergit: « Moderni autem theologi quasi communiter tenent, quod per sacramentum matrimonii confertur gratia, nisi contrahentes ponant obicem, sicut fit in aliis sacramentis, quibus aequiparatur sacramentum matrimonii in hoc casu, quia non videretur ab eis posse teneri, quod matrimonium sit sacramentum novae legis. » Ex his patet, per disceptationes scholasticorum nullatenus labefactari, aut obscurari argumentum pro dogmate catholico ex traditione petito.

(1) In 4 d. 26, § 9.
(2) Q. 42, art. 3.
(3) 2 2, q. 100, art. 2 ad 6.
(4) Lib. 4 dist. 26, q. 3, n. 5.
(5) Ibid. n. 8.

ARTICULUS IV.

De sacramenti matrimonii ministro.

§ 703. Duae dantur circa sacramenti matrimonii ministrum theologorum sententiae. Sententia prior vult ipsos contrahentes ministros, ita ut aut eorum quivis sibi sacramentum administret, aut alter alteri, vir uxori, uxor marito. Altera sententia est eorum, qui tenent, sacramenti matrimonii ministrum esse Sacerdotem. Neutram sententiam esse de fide definitam, sed utramque catholice propugnari posse, apertissime constat ex iis, quae scribit *Benedictus XIV* de Syn. Dioec. lib. 8, cap. 13, ubi totam controversiam proponit, et praecipua utriusque sententiae argumenta adducit, ac demum num. 9 concludit: « Utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus, non animo quemquam inducendi ad unam, aut alteram amplectendam, sed ut Episcopis sit persuasum, utramque esse probabilem, suosque habere magnae auctoritatis patronos; atque inde non decere discant, ut ipsi iudicis partes assumant, quaestionemque definiant, de qua Ecclesia hactenus nihil pronunciavit, sed theologorum disputationi permisit. » Agitur igitur de controversia, in cuius pertractatione prae caeteris observandum est celebre *S. Augustini* dictum: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. » Ut autem, quantum in huiusmodi materiis fieri potest, veritas detegatur, necesse omnino est, ut mente a praeconceptis opinionibus et a studio partium libera utriusque sententiae argumenta sedulo perpendantur.

I. *Sententia, quae contrahentes ministros esse dicit sacramenti matrimonii.*

§ 704. Qui asserunt, contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii, sequentibus utuntur argumentis.

1. *Eugenius IV* in decreto pro Armenis ait: *Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Ex quibus verbis sic argumentari licet: Causa efficiens sacramenti matrimonii est illius minister; sed iuxta Pontificis verba causa efficiens sacramenti matrimonii sunt contrahentes: ergo iidem sunt etiam illius ministri. Nec obstat, quod Pontifex non dicat: Causa efficiens sacramenti matrimonii, sed simpliciter: *Causa efficiens matrimonii* etc. Nam *Eugenium IV* in his verbis loqui de matrimonio, ut est sacramentum, constat: 1° quia loquitur de matrimonio, quod immediate ante dixerat esse *septimum sacramentum;* id enim exigit sermonis series, nec verisimile est, quod proponens agere de matrimonio ut sacramento, statim ab instituto deflectat: 2° quia initio huius capitis dicit: *Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum..... faciliori doctrina sub hac brevissima redigimus formula;* Armeni vero instructione indigebant circa sacramentum matrimonii, non circa contractum coniugalem; 3° quia nullum alium ministrum designat, neque Sacerdotis meminit, cuius tamen praesentiam cum aliqua formula debuisset requirere, ne forte eius defectu nullum esset sacramentum, si vera esset aliter sentientium doctrina. Ita *Billuart* (1).

2. *Conc. Tridentinum* Sess. XXIV in prooem. de matrim. inquit: *Cum igitur matrimonium in lege evange-*

(1) De matrim. diss. 1, art. 6

lica veteribus connubiis per Christum gratia praestet; merito inter N. L. sacramenta adnumeratur. Quibus verbis S. Synodus docet, Christum non solum approbasse coniugium in statu innocentiae institutum, sed praeterea gratiam promeruisse, quae naturalem coniugum amorem perficeret, eaque gratia praestare matrimonium in nova lege veteribus connubiis; ex quibus patet, iuxta Tridentinum nihil immutasse Christum in contractu matrimonii, sed solum illum gratia sua exornasse, quo factum est, ut contractus ille, qui antea non erat nisi naturalis, quique a solis contrahentibus per mutuum consensum perficiebatur, elevatus sit ad dignitatem sacramenti. Cum autem dicitur, Christum matrimonialem contractum elevasse ad dignitatem sacramenti, sensus certe non est, Christum voluisse, ut qui matrimonium legitime contrahunt, possint, si velint, praeter matrimonium etiam suscipere sacramentum; sed Christum voluisse, ut matrimonium esset sacramentum, seu ut ipse contractus constituat sacramentum. Ita cl. *Perrone* de matrim. (1), *Liebermann* (2).

3. *Idem Concilium* Sess. XXIV, cap. 1 de reform. matr. inquit: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit, et proinde iure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera et rata esse negant; - nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.* Ast iuxta communem loquendi usum Tridentini praesertim aetate receptum per matrimonia *vera et rata* intelligebantur non meri contractus naturales et civiles, sed sacramenta. Imo secundum iura omne matrimonium christianorum ratum esse sacramentum declaravit *Innocentius III* (3) dicens: « Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum: inter fideles autem verum, et ratum existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum. » Docet ergo Pontifex matrimonium inter infideles esse verum et non ratum, quia defectu baptismi non est sacramentum: inter fideles autem ratione baptismi esse ratum, quia est sacramentum. Itaque *Concilium Tridentinum* definivit, matrimonia clandestina, antequam impedimentum clandestinitatis statueretur, fuisse matrimonia *vera*, id est, valida et *rata*, id est, sacramenta. Sed matrimonia ista sine praesentia et benedictione Sacerdotis solo contrahentium consensu perficiebantur: ergo non Sacerdos, sed contrahentes sunt huius sacramenti ministri.

4. Communis scholasticorum sententia fuit, contrahentes esse sacramenti matrimonii ministros, non vero Sacerdotem. Audiatur *S. Thomas*, cuius auctoritas maximi semper habita est. Hinc in 4 dist. 26, q. unica, art. 3 ait: « Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quae est quoddam sacramentale. » Et dist. 28 (4) dicit: « Consensus expressus per verba de praesenti inter personas legitimas ad contrahendum matrimonium facit; quia haec duo sunt de essentia sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat. Unde si omittantur,

(1) Cap. 1, n. 40. (2) De matr. c. 2, art. 3.
(3) Cap. *Quanto* de divort. extra. l. 4, t. 19.
(4) In 4, q. unica, art. 3.

verum est matrimonium, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.» Et ibid. (1) ait: « In matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, quae est obligatio, quia quicunque est iuris sui, potest se alteri obligare. Et ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quasi de essentia sacramenti. » *S. Bonaventura* (2) ita loquitur: « Ad esse matrimonii ista duo sufficiunt, scilicet legitimitas in personis, et unitas in consensu. Ad solemnitatem vero et decorem, sive honestatem requiritur et parentum traditio, et Sacerdotum benedictio: haec autem ita sunt ad decorem sacramenti, ut tamen sint de necessitate praecepti. » *Scotus* (3) inquit: « Sacramentum matrimonii est expressio certorum verborum maris et feminae sibi invicem significantium traditionem mutuae potestatis corporum ad prolem debite procreandam, ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad coniunctionem mutuam animorum gratiosam. » Praeclara haec theologiae lumina secuti sunt scholastici omnes, ita quidem, ut cum *Melchior Canus* assereret, non contrahentes, sed Sacerdotem esse sacramenti matrimonii ministrum, haec sententia tanquam *nova* et in scholis inaudita considerata fuerit. Pro eadem quidem sententia etiam *Guillelmus Parisiensis* et *Paludanus* adduci consueverunt, sed perperam. Nam prior lib. de septem sacram. (4) loquens de matrimoniis clandestinis ait: « Nec sic contrahentes possunt separari, cum ibi verus sit consensus per verba de praesenti expressus; licet illa quae dicta sunt (scilicet testes, benedictio Sacerdotis etc.) deficiant, quae non sunt de essentia sacramenti, sed solus consensus praedictus. » Posterior (5) aperte profitetur, quod omne sacramentum debeat a Sacerdote administrari, non autem matrimonium, cui perficiendo non requiritur Sacerdos, ostenditque, quodlibet sacramentum aliquid habere sibi proprium, in quo cum reliquis non convenit. Ex hoc iam unanimi scholasticorum consensu gravissimum pro hac sententia argumentum exurgit. Cum enim Episcopi et alii Pastores communem totius scholae sententiam secuti fuerint, vel oportet falsam esse sententiam *Cani*, vel universam Ecclesiam per 400 annos circa essentiam sacramenti matrimonii errasse. Ita *Bellarminus* (6).

5. Rationes theologicae sententiam istam confirmant. *a*) Matrimonia clandestina ante *Tridentinum* semper ut indissolubilia habita sunt. Haec vero indissolubilitas ab ipso sacramento oritur, non autem ex solo naturali aut civili contractu, qui per se dissolubilis est, ut patet ex coniugiis infidelium, quae dissolvi possunt per alterutrius coniugis conversionem, secus ac eveniat in fidelium connubiis, quae semel legitime contracta et consummata nunquam quoad vinculum possunt dissolvi: ergo matrimonia clandestina sine praesentia et benedictione Sacerdotis contracta vera fuerunt sacramenta. *b*) *Tridentinum* dum nuptiae ineuntur, imponit quidem parocho, ut dicat: *Ego vos in matrimonium coniungo*, sed statim addit: *vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum*. At si Concilium putasset, parochum esse ministrum, quomodo

(1) Ad 2. (2) In 4 dist. 28, q. 5.
(3) In 4 dist. 26, q. unica. (4) Cap. 26. (5) In 4 dist. 26, q. 4
(6) Lib. 1, c. 7

potuisset ei pro forma praescribere quaecunque verba, quae sint iuxta ritum in unaquaque provincia receptum? Hoc argumentum dicit *Card. Pallavicini* sibi evidens visum fuisse ad probandum, contrahentes ipsos veros esse ministros, non vero parochum, aut alium Sacerdotem. Adde: verba, quae iuxta adversarios formam sacramenti constituunt, nova esse, ac desiderari prorsus in omnibus fere antiquis ritualibus; imo alicubi Sacerdotem haec sola verba pronunciare: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (1). — *c)* Si Sacerdos esset minister, multa Christianorum matrimonia rationem sacramenti non haberent. Nam si quod matrimonium ob occultum impedimentum invalide initum fuerit, iubentur quidem coniuges inter se consensum renovare, non vero iterum Sacerdotis ministerio uti. Matrimonia a Protestantibus mutuo consensu inita, valida et indissolubilia sunt, quamvis illis nulla Sacerdotis benedictio accesserit: quod si coniuges ad Ecclesiam catholicam redeant, sciente et approbante Ecclesia nulla ipsorum coniugiis benedictio sacerdotalis applicatur. Etiam inter Catholicos interdum contingit, virum et feminam matrimonium inter se contracturos inopinantem parochum adire, et coram eo, quamvis invito et reluctante, ac duobus testibus ibidem fortuito adstantibus, mutuum in coniugium consensum exprimere, atque inde statim se subducere, quin parochus ullum, nisi fortasse obiurgationis, verbum protulerit. Eiusmodi matrimonium in sententia Melchioris Cani est validum in ratione contractus, sed ob defectum sacerdotalis benedictionis non est sacramentum. Ne itaque sic copulati fideles perpetuo careant gratia, quae ex sacramento matrimonii in contrahentes derivatur, deberet Ecclesia illos compellere, aut saltem hortari atque inducere ad suum contractum legitime consuetisque adhibitis sacris ritibus iterum renovandum coram eodem parocho, cuius verbis fiat sacramentum: atque ob eandem rationem coram Sacerdote aut praecipere, aut saltem instaurari curaret clandestina coniugia in locis inita, ubi Tridentini decretum non est receptum. Cum autem in neutro casu coniugii renovationem ab Ecclesia urgeri videamus, non temere inde coniicimus, utrumque contractum, quamquam Sacerdotis benedictione non obsignatum, iam ab Ecclesia haberi pro sacramento. Hoc argumentum prae caeteris grave reputat *Benedictus XIV* (2). — *d)* Cum ex dogmate catholico sacramenta sint signa gratiam divinam in nobis efficientia, inter actionem sacramenti cuiusvis externam, atque eius interiorem effectum, qui in matrimonio proprie est unio animorum gratia divina sanctificata, ut uxor adhaereat viro, quemadmodum Ecclesia Christo et uxor diligat virum, quemadmodum Christus Ecclesiam; necessario quaedam similitudo seu analogia intercedere debet: quae manifesto inter effectum illum atque pactionem seu contractum coniugalem, quatenus mutua coniugum traditione atque acceptatione perficitur, minime autem inter illum et benedictionem sacerdotalem locum habet nisi forsan dicere velis, Sacerdotem non tam nuptiis benedicere, quam potius coniuges nomine Christi atque Ecclesiae matrimonii vinculo coniungere. Verumtamen et tunc non potest non animadverti, coniunctionem illam, quae fit per Sacerdotem, omnem vim

(1) V. Martene, lib. 1, q. 2, c. 9.

(2) Lib. 8, v. 13, n. 8.

et efficaciam a consensu contrahentium recipere, et in se spectatam omni prorsus vi ac virtute esse destitutam: ita *Schwetz*, Theol. dogm. tom. 3 (1). Accedit solemnis non quidem *Concilii oecumenici*, verumtamen supremi Ecclesiae capitis, gloriosissime regnantis *Pii IX* declaratio, qui in allocutione habita in Concistorio secreto die 27 septemb. 1852, haec pronuntiavit: « Nihil dicimus de alio illo decreto (a republica Neogranatensi edito), quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, eiusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ecclesiae in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur, iuxta iam damnatos haereticorum errores, atque adversus Ecclesiae catholicae doctrinam, ut matrimonium tanquam civilis tantum contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis iudicarentur: cum nemo ex Catholicis ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum; ac *propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum*, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum, ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde *a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse*, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere. » Iuxta eadem principia in Encycl. *Pii IX* (*Ad Apost. Sedis fastigium* die 22 aug. 1851) damnantur propositiones *Ioan. Nep. Nuytz* dicentis: « Nulla ratione ferri posse Christum matrimonium evexisse ad dignitatem sacramenti: matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse etc. » Quae propositiones damnantur ut respective falsae, temerariae, schismaticae.... haereticae etc. Ex quibus patet, sacramentum matrimonii esse inseparabile a contractu coniugali, seu non posse inter fideles dari validum matrimonium quod non sit sacramentum. Ast si statuitur, ministrum matrimonii esse Sacerdotem; hoc deficiente sacramentum matrimonii non reciperetur, et tamen validus contractus coniugalis iniri posset, ut patet ex matrimoniis clandestinis, quae ante *Concilium Tridentinum* valida et rata fuerunt: ergo sacramentum matrimonii etiam inter fideles a foedere coniugali separari posset: quod cum dicere non liceat, etiam defendere non licet, ministrum matrimonii esse Sacerdotem, et necessario infertur, matrimonii sacramenti ministrum esse contrahentes. Quod etiam confirmatur ex responsione data a *Pio VI* ad Episcopum Lucionensem 28 maii 1792, pro tempore gallicanae persecutionis, quando legitimi parochi dispersi erant, declarante: « Quoniam complures ex illis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, istorum profecto coniugia contracta coram testibus, et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut saepe saepius declaratum fuit a s. Congreg. *Conc. Trid.* inter-

1) § 156, n. 1.

prete. » Cum autem omnia fidelium matrimonia sint sacramenta, concludendum est, illorum ministrum esse contrahentes, non autem Sacerdotem, sine quo hinc inde valide et licite celebrari possunt.

Nota. Hanc sententiam contra Melchiorem Canum eiusque asseclas acerrime defenderunt *Bellarminus*, *Suarez*, *Vasquez*, *Sardagna*, *Barbosa*, *Fagnanus*, *Boucat*, *Gonet*, *Gotti*, *Billuart*, *Patuzzi*, *S. Alph. a Ligorio*, *Perrone*, *Klee*, et alii multi.

II. *Sententia, quae sacerdotem dicit sacramenti matrimonii ministrum.*

§ 705. Huius sententiae indolem et controversiae genesin enarrat *Benedictus XIV* de Synodo dioeces. (1), qui (2) *Guill. Parisiensis* sententiam referens inquit : «In unoquoque matrimonio, etiam fidelium, distinguendam voluit *Guillelmus* in suo tract. de sacr. matrimon. cap. 9 rationem contractus a dignitate sacramenti, docuitque, illam quandoque ab hac separari : etenim (aiebat) minister sacramenti matrimonii est Sacerdos, qui solus potest contractum coniugii, de se mere civilem et profanum sua benedictione consecrare, et efficere, ut per eam tanquam formam elevetur ad causandam gratiam ex opere operato eo pacto, quo aqua elementaris, quae est materia sacramenti baptismi per verba a ministro prolata, quae sunt eiusdem sacramenti forma, virtutem acquirit abluendi interiores animae sordes producendique gratiam : quare, si contingat, pergebat *Guillelmus*, matrimonium sine Sacerdotis praesentia iniri, validum et firmum utique erit in ratione contractus, nequaquam autem sacramenti naturam ac virtutem participabit. » Hanc Guillelmi sententiam tempore *Concilii Tridentini* proposuerunt aliquot theologi Parisienses, duce *Simone Vigorio*, eamque strenue defendit *Melchior Canus*, « cuius argumenta, ait idem *Benedictus XIV* ibid. (3), etsi totis viribus convellere studuerit *Bellarminus* (4), non ideo tamen a Cani opinione omnes retraxit. » Siquidem graves theologi ipsum secuti sunt, ut *Caietanus*, *Toletus*, *Ledesma*, *Petrus de Marca*, *Estius*, *Sylvius*, *Juenin*, *Natalis Alex.*, *Serry*, *Drouin*, *L'Herminier*, *Tournely*, *Collet*, *Du Hamel*, *Gervasio*, multique alii recentiores. Argumenta vero, quibus innititur haec sententia sunt sequentia.

1. *S. Scriptura* sententiae huic aperte suffragatur. Nam Ioan. XX, 21 Christus ait ad discipulos suos : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Christus ergo Apostolos misit, ut eadem potestate gaudeant, quam ipse in terris ad homines sanctificandos exercuerat. Sed Christus nuptiis in Cana Galilaeae benedixit, et hac benedictione effecit, ut cum contractu matrimoniali gratia coniungeretur (5) ; ergo etiam discipulis suis potestatem dedit, ut et ipsi per benedictionem gratiam cum contractu matrimoniali coniungant, seu ut sacramentum matrimonii administrent : quod non obscure iam ideo indigitatur, quia expresse legitur quod *et Iesus et discipuli eius ad nuptias* venerint (6), quo ostenderetur, ad nuptias legitime celebrandas discipulos quoque Christi concurrere debere. — Idcirco Paulus ad Cor. scribit : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (7). Dubitari autem non potest, per mysteria Dei non solum sublimes Evangelii ve-

(1) Lib. 8, cap. 12 et 13.
(2) Can. 13, n. 1. (3) N. 3.
(4) Lib. 1 de matrim. cap. 7.
(5) § 701, n. 2. (6) Io. 2, 2. (7) I Cor. 4, 1

ritates, quae ab Apostolis praedicandae erant, sed praecipue N. L. sacramenta intelligenda esse. Evangelium enim ex praecepto Christi (1) omnibus praedicandum erat: Sacramenta vero nonnisi dignis et dispositis dispensanda sunt. Unde *S. Chrysostomus* (2) explicans citatum locum Pauli, ait: « Dispensatores autem dixit, ostendens, non omnibus haec (mysteria, sacramenta) danda esse, sed quibus oportet, et quibus ea sunt dispensanda. » Paulus ergo declarat, Apostolos eorumque successores esse sacramentorum dispensatores seu ministros, quod et omnes Catholici circa sacramenta hactenus pertractata admittunt. Ast cum de ministro sacramenti matrimonii sermo est, plurimi aliter sentiunt, et dicunt, argumenta analogica non valere, cum de institutis divino-positivis agitur, ac ideo ex proprietatibus unius sacramenti concludi non posse ad proprietates alterius, quia quodlibet fere sacramentum habet aliquid sibi proprium, quod in altero desideratur. — Sed argumentum, quod ex verbis Pauli deducitur, non est mere analogicum sed vere biblicum. Paulus enim propositione generali Apostolos declarat *dispensatores mysteriorum Dei*. Ubi Apostolus nil excipit, neque nobis excipere licet. Si exceptio facienda sit, haec, cum agatur de veritate revelata, ex S. Scriptura vel ex Traditione probanda est. Sic, ex. gr., etiam laicos, feminas, haereticos, etc., valide semper, et in casu necessitatis licite baptizare posse, ex traditione divino-apostolica probatur, et ab Ecclesia definitum est. Exceptioni autem locum dandum esse circa sacramenti matrimonii ministrum, neque ex S. Scriptura probari potest, quod adversarii admittunt, neque ex traditione, quia prior sententia ante saeculum duodecimum ignota fuit, et ab istius patronis ne unus quidem Pater citatur, qui dixerit, circa sacramentum matrimonii exceptionem faciendam esse, eiusque ministrum esse contrahentes, neque demum ex definitionibus Ecclesiae, quia, ut omnes fatentur, non agitur de dogmate solemniter ab Ecclesia definito.

2. *Ss. Patres* non solum benedictionem in nuptiis semper adhibitam fuisse testantur, sed eandem convenientem, praeceptam, necessariam dicunt, eique gratiam adscribunt, quae nubentibus confertur. *S. Ignatius M.* (3) scribit: « Decet, ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi coniugium faciant, quae nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem: omnia ad honorem Dei fiant. » Episcopi ergo sententiam exigit, ut nuptiae forent secundum Dominum, hoc est, eam consequerentur benedictionem seu gratiam, quae a Christo adnexa est Christianorum coniugio. *Clemens Alex.* l. 3 Paedag. (4) coarguens mulieres alienis sese crinibus exornantes sic quaerit: « Cui manum imponet presbyter? cui benedicet? Non mulieri, quae est ornata, sed alienis capillis, et per ipsos alii capiti. » *Tertullianus* (5) ait: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet. » Quibus verbis docet, Ecclesiam matrimonium inter fideles conciliare, et benedictionem ab Ecclesia impertitam coniugia obsignare, sanctificare, Deo grata et felicia reddere. Idem (6) inquit: « Pe-

(1) Matth. 28, 2; Marc. 16, 15.
(2) Hom. 10, in 1 ad Cor. n. 2
(3) Epist. ad Polycarp. [illegible]
(5) Lib. 2 ad uxor. c. [illegible]
(6) Lib. de [illegible]

nes nos occultae quoque coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur.» *Tertullianus* quidem hic montanistarum rigorem prodit: sed nullibi montanistae ideo erroris arguuntur, quia benedictionem sacerdotalem in nuptiis necessariam existimaverunt. *S. Evaristus* relatus in can. *Aliter* (1) ita loquitur: « Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur... uxor petatur... et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a Sacerdote benedicatur... Ita peracta legitima scitote esse connubia; aliter vero praesumpta, non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes. » Decretum istud, ut observat *Benedictus XIV*, l. c. (2) genuinum quidem non est, sed tamen praesumitur fabricatum ad normam disciplinae, quae in Ecclesia vigebat in fine octavi, aut initio noni saeculi, et probat, matrimonia saltem licite sine benedictione sacerdotali iniri non potuisse. *S. Siricius* Epist. ad Himerium Episc. Tarrac. (3) dicit: « De coniugali autem violatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturae Sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.» Nonnulli putant, Pontificem loqui de benedicendis sponsalibus de futuro; sed graves rationes huic opinioni obstant; nam non constat, etiam in sponsalibus de futuro benedictionem sacerdotalem adhibitam fuisse; constat vero, per *desponsatam* eam intelligi, quae coniugium iam iniit iuxta Matth. I, 18. Certum pariter est, sponsalia de futuro saltem per mutuum dissensum solvi posse, unde coniugium cum altero non *omnibus modis inhiberi* potuisset: denique sermo est de desponsatione, quae coniuncta est *cum sacramento;* alias eius violatio sacrilegium non esset: nunquam autem creditum est, sponsalia de futuro esse sacramenta. Idem ibid. (4) scribit: « Una tantum, et ea, quam virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus acolythus et subdiaconus esse debet. » Quomodo autem uxor *communi per Sacerdotem benedictione percipi* dici potest, si Sacerdos sacramenti matrimonii minister non est? — *S. Basilius* (5) de matrimonio fidelium dicit: « Hoc vinculum naturae, hoc per benedictionem impositum dispares quoque animos coniungere debet. » *S. Gregorius Naz.* Epist. ad Procopium (6) se excusat, quod ad nuptias Olympiadis, cui « grex Episcopor. aderat, » venire nequeat, et addit: « Nam alioquin quantum ad voluntatem attinet, et adsum, et simul festum celebro, iuvenilesque dexteras inter se iungo, atque utrasque Dei manui. Convenit enim, ut quemadmodum tibi alia omnia bona, ita matrimonium quoque in optimum quemque finem, et secundum communia nostra vota fiat. » Per quae verba praeclare ostendit, per Sacerdotem manus nubentium iungi, et sic coniuges Deo uniri, quod per gratiam tantum fieri potest. *S. Ambrosius* Epist. ad Vigilium (7) inquit: « Cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia? » — Ne-

(1) Cap. 30, q. 5. (2) Cap. 12, n. 5.
(3) Cap 4. (4) N. 13.
(5) Hom. 7 in Hexaem. n. 5.
(6) Ep. 193, al. 57. (7) Ep. 19, al 23, n. 7.

mini dubitare licet, coniugium *sanctificari* per sacramentum a Christo institutum, sed hanc sanctificationem repetit S. Doctor non ab ipso contractu, sed a *velamine sacerdotali et benedictione*. *Innocentius I* Epist. ad Victric. (1) postquam dixit, primos parentes in paradiso a Deo benedictos fuisse cum matrimonio iuncti sunt, addit: « Quam formam etiam Sacerdotes omnes servare, usus ipse demonstrat Ecclesiae. Satis enim absurdum est (pergit), aliquem credere uxorem ante baptismum acceptam, post baptismum non computari: cum benedictio, quae per Sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutae doceatur. » *S. Chrysostomus* Hom. 48 in Genes. (2), turpes cantilenas et intempestivam pompam in nuptiis carpit, et ita prosequitur: « Cur honesta nuptiarum mysteria publice dehonestas? Cum oporteret haec omnia depellere, et verecundiam principio docere puellam, et Sacerdotes vocare, et precibus et benedictionibus concordiam coniugii constringere, ut amor sponsi augeatur et puellae continentia crescat, et omnia quae fiunt, eo spectent, ut virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturque e medio omnes diaboli insidiae, et ipsi Dei auxilio uniti iucunde vitam perficiant. » His verbis salutares sacramenti matrimonii effectus egregie proponuntur, et precibus ac benedictionibus Sacerdotum adscribuntur. *S. Isidorus Hisp.* (3) ait: « Quod in ipsa coniunctione connubia a Sacerdote benedicuntur, hoc etiam a Deo in prima coniunctione hominum factum est. Sic enim scriptum est.: *Fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit eum; masculum et feminam creavit eos, et benedixit eos dicens: Crescite et multiplicamini*. Hac ergo similitudine fit nunc in Ecclesia, qua tunc factum est in paradiso. » *S. Ildephonsus* (4) inquit: « Si malae sunt nuptiae, emendate regulam Ecclesiae, damnate qui in toto orbe sunt, Sacerdotes nuptiarum initia benedicentes et in Dei mysteriis sociantes. » *S. Hormisdas* (5) decernit: « Quod nullus fidelis, cuiuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino. » Cum *Lotharius* repudiata *Teuthberga* duxisset *Gualdradam*, quam ad suum flagitium excusandum a se iam ante Teuthbergam ductam fuisse affirmabat, *Nicolaus I* (in commonit. pro legatis in Franc. missis) ordinavit, ut assertionis veritas examinaretur, et dein addit: « Si vero minime probatum fuerit Gualdradam fuisse uxorem legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis per benedictionem scilicet Sacerdotis filio nostro Lothario extitisse coniunctam, suggerite illi, ut non moleste ferat, legitimam sibi (si ipsa innocens apparuerit) reconciliari uxorem. » *S. Bernardus* (6) scribit: « Comitem Radulphum et uxorem eius Deus coniunxerat per ministros Ecclesiae, et Ecclesia per Deum, qui dedit talem potestatem hominibus. » Radulphus autem et uxor eius per ministros Ecclesiae non ratione contractus, quem ipsimet mutuo consensu inire debuerunt, sed ratione sacramenti, quod ministri Ecclesiae dispensant, a Deo coniuncti fuerunt: unde S. Doctor addit, quod Deus illis *talem potestatem* dederit. Igitur testimonia Patrum manifeste

(1) Ep. 2, c. 6. (2) N. 6, in fine.
(3) Lib. 2 de off. eccl. c. 20 n. 5.
(4) Lib. de haeres.
(5) Rel. a Grat. D. 50, 30, q. 5, *Nullus*
(6) Epist. 210.

evincunt, in matrimonio gratiam conferri per Sacerdotis benedictionem, et ideo Sacerdotes vere esse huius sacramenti ministros.

3. *Concilia* idem argumentum invicte confirmant. *Carthaginense IV* cui interfuit *S. Augustinus* (1) dicit: *Sponsus et sponsa, cum benedicendi sunt a Sacerdoti, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia benedictionis ipsius in virginitate permaneant.* Nemo dubitabit, hoc monitum coniugibus dari propter reverentiam sacramento, quod acceperunt, debitam: Concilium autem dicit: *pro reverentia benedictionis*, quod certe non dixisset, nisi credidisset, quod per ipsam benedictionem sacramentum perficiatur. *Concil. Londinense* (2) in constit. de nupt. n. 8 statuit: *Nuptiis presbyter intersit, qui de iure cum Dei benedictione eorum coniunctionem adunare debet in omni felicitatis plenitudine. Lateranense II* (3) de simonia ait: *Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel abbatibus ponendis in sedem, seu introducendis presbyteris in Ecclesiam, nec non pro sepulturis et exequiis mortuorum et benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid requiratur.* Ergo benedictio nubentium est sacramentum; nam manifeste inter sacramenta numeratur, ut patet ex voce *aliis*, quae vox non ad priora, sed ad solam benedictionem nubentium referri potest, ac si dicatur: pro administratione matrimonii et aliorum sacramentorum. *Martinus V* in fine *Concilii Constant.* iubet suspectos de haeresi interrogari: *An credant, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremae unctionis, vel solemnizationis matrimonii peccet mortaliter?* — Ubi matrimonii solemnizationem, quae fit per benedictionem sacerdotalem, vocat sacramentum, et sat luculenter declarat, sacramentum matrimonii non suscipi, nisi solemnizetur, seu a Sacerdote benedicatur. Certe tam sapiens Pontifex, si credidisset, sacramentum matrimonii solo consensu perfici, et benedictionem sacerdotalem ecclesiasticae tantum institutionis esse ac solemnitatis causa praeceptam, non eandem fidem exegisset pro matrimonii solemnizatione, sicut pro susceptione sacramentorum, quae sunt divinae institutionis et ex praecepto divino suscipienda. *Conc. Colonien.* (4) ait: *Quod sacramentum* (matrimonii), *quis, si sicut decet, acceperit, accedente sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Et in Enchiridio eiusdem Concilii auctoritate edito cap. ult. de matrimonio legitur: « De ministro huius sacramenti postremo videndum est. Ut forsan quidam non improbanda ratione dicant, matrimonium certum ministrum non exigere, quod coniuges in se casto amore et religiose consentientes Deus ipse coniungat; tamen videmus, et in veteri lege quosdam fuisse, qui Dei vice coniuges coniungerent; quanto ergo magis putandum est, in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, *legitimos huius sacramenti ministros esse?* » Quid clarius? Sed mirum, quod etiam haec verba alio sensu exposita fuerint, quia in eodem Enchiridio *verbum* etiam ex parte contrahentium requiritur. Sed hic sermo est, non de ministro, sed de materia

(1) An. 398, can. 13. (2) An. 850.
(3) An. 1179, cap. 9. (4) An. 1536, p. 7, cap. 40.

et forma, et ideo requiritur consensus verbis expressus. Nullatenus autem per hoc negatur ministerium Sacerdotis, sicut si dicitur, ex parte poenitentis quoque verbum requiri, nempe accusationem peccatorum, non ideo negatur, Sacerdotem esse ministrum poenitentiae.— *Conc. Tridentinum*, Sess. XXIV de reform. matrim. cap. 1 inquit: *Ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, ubi parochus viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum.* Ne autem quis existimaret, Concilium parochi tanquam testis, non tanquam necessarii ministri praesentiam requisivisse, consulto ibidem vetuit, ne quivis alius Sacerdos, sed tantum proprius parochus hanc benedictionem impertiri posset. Unde recte sequens argumentum infertur. Quemadmodum parochus, dum sacramenta baptismi et poenitentiae administrat haec verba pronunciare tenetur: *Ego te baptizo* etc., *Ego te absolvo* etc.; ita etiam in administratione matrimonii iuxta Tridentinos Patres dicere debet: *Ego vos in matrimonium coniungo* etc. Atqui, dum priora verba profert, vere agit necessarii illorum sacramentorum ministri personam: ergo etiam in matrimonio tanquam minister praefata profert verba. Quod si negaretur, maximum absurdum sequeretur. Matrimonium enim considerandum est ut contractus, et ut sacramentum. Ast iuxta omnes theologos contractus solo maris et feminae mutuo consensu perficitur: quapropter, si parochus matrimonium non efficit sub ratione sacramenti, sub nullo respectu vere dicere potest: *Ego vos in matrimonium coniungo*, sed haec verba in ore parochi non solum absona, sed prorsus falsa sunt, et Tridentinis Patribus illa praescribentibus maxima contumelia infertur. Ideo alterius sententiae patroni huic formulae, *Ego vos coniungo*, hunc affigunt sensum: *Declaro vos coniunctos*, seu *coniunctionem vestram approbo*. Sed verba accipienda sunt in propria et nativa eorum significatione, quando nihil est aut absurdum contra rationem, aut falsum contra fidem, aut perversum contra mores; at nihil tale occurrit in praesenti negotio, ut satis per se notum est. Porro nullus dixerit, verborum istorum: *Ego vos coniungo*, naturalem et obvium sensum hunc esse: *Ego vos coniunctos declaro*, vel *coniunctionem vestram approbo:* secus eodem iure dici posset, haec verba: *Ego te absolvo* non aliud significare, quam: *Ego te declaro a Deo absolutum,* vel *poenitentiam tuam approbo.* Nec refert, quod *Tridentinum* addat: *vel aliis utatur verbis* etc. Constans quippe ac firma debet esse sacramenti forma quoad sensum et significationem, licet quoad sonum verborum et modum loquendi varia sit, quomodo etiam nonnihil discrepat forma aliquorum sacramentorum inter Latinos et Graecos, quamquam eadem sit quoad sensum et significationem essentialem verborum. Ideo *Tridentina Synodus* permittit, ut Sacerdotes non quibuslibet pro suo arbitrio, sed iuxta *receptum uniuscuiusque provinciae ritum* aliis utantur verbis, quibus significent, se vere sacramentum matrimonii conferre. — Post *Conc. Tridentinum* confirmata fuit eadem sententia in pluribus Conciliis provincialibus, ut in *Cameracensi* an. 1565, in *Rhemensi* an. 1583, in *Turonensi* an. eodem, in *Rothomagens*

an. 1581, in *Avenionensi* an. 1585, in *Mechliniensi* an. 1607, in *Mediolanensi V* sub *S. Carolo*, in quo dicitur: *Cum sacramenta quinque tantum, scilicet baptismum, poenitentiam, eucharistiam, matrimonium et extremam unctionem parochus administrare possit* etc.

4. Praeter Patres et Concilia alia quoque *monumenta* adduci possunt, quae ostendunt, Sacerdotem in Ecclesia habitum fuisse ut sacramenti matrimonii ministrum. *Rituale Romanum vetus* (an. 1494 collectum per Albertum Castellanum O. P.) haec habet: « Contrahentibus respondentibus, se nec affines nec consanguineos esse, Sacerdos pronuntiet verba, quae sunt forma huius sacramenti. » Alterum *Romanum* iussu *Pauli V* editum in praefatione inter sacramenta, quorum administrationem dicit ad parochos pertinere recenset matrimonium. Et in omnibus ritualibus romanis editis ab anno 1589 haec verba a Sacerdote proferenda notantur: *Ego vos in matrimonium coniungo* etc., qui ritus etiam in omnibus fere ritualibus Ecclesiarum particularium praescriptus legitur. Imo etiam in antiquis ritualibus aut eadem, aut aequivalentia verba occurrunt a Sacerdote tanquam ministro proferenda: quam in rem *P. Martene* de ant. Eccl. ritibus (1) laudat vetus rituale *Lemovicense*, *Rhemense*, *Leodiense* et *Ambrosianum* iussu Caesaris Montii Card. et Archiep. Mediol. editum. — Accedit Ecclesiae Graecae schismaticae consensus, qui patet ex *Orthodoxa confessione cath. et apost. Ecclesiae Orientalis*, in qua quaest. 115 haec habentur: « Quodnam sextum est mysterium (sacramentum)? *Resp.* Honorabile coniugium, quod primo quidem mutuo viri feminaeque in se invicem consensu... instituitur... Deinde sancitur consecraturque haec illorum consensio ac promissio per Sacerdotem. » Graecos benedictionem sacerdotalem in nuptiis maxime necessariam habuisse, patet ex Resp. *Nicolai I* ad consult. Bulgar. (2) et ex *Goarii* Euchol. qui testatur, Graecos in benedicendis nuptiis forma deprecativa uti, quam etiam in aliis sacramentis adhibent. — Observatione quadam dignum esse censetur, quod etiam in Ecclesia Latina, quamvis communis sit theologorum sententia, contrahentes esse sacramenti matrimonii ministros, contraria tamen sit fidelium fides, quibus intime persuasum est, nubentes mutuum suum consensum quidem verbis exprimere debere, sed eosdem per Sacerdotem copulari et sacramentum recipere. Scandalum hincinde timendum foret, si quis coram populo diceret, sacramentum matrimonii non per Sacerdotem, sed ab ipsis nubentibus administrari. Hinc Pastores animarum in publicis institutionibus ab hac sententia proponenda abstinere solent, et si sponsos admonent, ut digne sacramentum matrimonii recipiant, vix unquam eos adhortantur, ut intentionem eliciant illud administrandi. Observatione, inquam, haec digna sunt, tum quia ex fide Ecclesiae discentis non raro fides Ecclesiae docentis dignosci potest, tum quia etiam Ecclesia discens tota a fide deficere nequit.

5. *Rationes theologicae* secundam hanc sententiam confirmant. *a*) In confesso est apud omnes, matrimonium Ecclesiae potestati penitus subiectum esse; nam *Conc. Tridentinum* Sess. XXIV. can. 12 definit: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos,*

(1) Tom. 2, p. 2, lib. 1, c. 9.

(2) Cap. 3.

anathema sit. Ast si contrahentes sunt ministri, Ecclesia ad matrimonium quoad essentiam suam constituendam positive nihil omnino confert; non contractum, qui mutuo coniugum consensu perficitur; non sacramentum, quod iterum a contrahentibus administratur. Ecclesiae ergo solum conceditur, ut per caeremonias accidentales matrimonii celebrationem magis solemnem reddat, vel per impedimenta dirimentia sacramentum ipsum irritum reddat. Imo posita illa sententia dicendum erit, sacramentum existere, quod summus Pontifex per legem quidem irritantem impedire, vel per dispensationem permittere, sed non obstante plenitudine potestatis a Christo acceptae nunquam conferre potest. — *b) Eugenius IV* cum septem sacramenta in Decreto pro Armenis enumerasset, postmodum dicit: *Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia:* quae verba attente considerans *Estius* (1) ita argumentatur: « *Concilium Florentinum* declarat, omnia sacramenta tribus perfici, quorum tertium est persona ministri conferentis sacramentum. Intelligit autem ministrum Ecclesiae, quia addit *cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Nam quomodo facit Ecclesia, quod nunquam facit, aut facere potest minister Ecclesiae? Unde ex istis posterioribus verbis fit tale argumentum: Omne sacramentum sic institutum est, ut illud facere debeat Ecclesia (per suos scilicet ministros), nisi ob necessitatem, ut in baptismo, alius faciat, supplens vicem ministri Ecclesiae, qui tamen etiam debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: ergo etiam sacramentum matrimonii sic institutum est, ut debeat fieri per ministrum Ecclesiae. » Praeterea sacramenta dicuntur perfici *verbis tanquam forma* iuxta antiquissimum adagium: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Omnes autem admittunt, mutuum consensum etiam per nutus tantum exprimi, et sic contractum matrimonialem validum iniri posse: sed prioris sententiae patroni talem contractum etiam sacramentum esse dicunt: habetur ergo sacramentum sine verbis, seu sine forma, quod aperte repugnat decreto *Eugenii IV*, in quo generalis regula pro omnibus sacramentis statuitur: et neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione probari potest, circa matrimonium exceptionem dari in iis, *sine quibus non perficitur sacramentum.* Caeterum priorem sententiam circa materiam et formam sacramenti matrimonii magnis difficultatibus involvi, in articulo sequenti ostendetur. *c)* Omnes theologi concedunt, sacerdotalem nuptiarum benedictionem semper in Ecclesia non solum usitatam, sed etiam graviter praeceptam fuisse; neque enim aliter intelligi posset, quod dicit *Conc. Tridentinum* loc. cit. de matrimoniis clandestinis: *Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.* Ecclesia enim non detestatur sacramenta, sed indignam eorum susceptionem. Ast, aiunt prioris sententiae patroni, benedictio sacerdotalis ab Ecclesia tantum instituta fuit et praecepta ad solemnitatem matrimonii promovendam et ad varias inordinationes praecavendas. Nullibi autem probant, quo tempore, a quo Concilio, vel a quo Pontifice haec institutio et ordinatio facta sit: quod

(1) In 4 Dist. 26, § 10.

si id probari nequeat, in hac quoque materia sicut in aliis insistendum est regulae *S. Augustini* (1) dicentis: « Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » Imo cl. *Klee* in dissert. dogmat. - archaeol. de matrimonio (2), citat C. Nic. c. Arab. V in quo dicitur: *Exigit Deus ab omnibus Christianis tam viris quam mulieribus, ut matrimonia sacris celebrent benedictionibus et precibus, quoniam hisce mediantibus licita fit virorum et mulierum copula:* quo in canone benedictio sacerdotalis petitur ex praecepto divino, quo admisso dubitari nequit, eam exigi ratione sacramenti, quod a Sacerdote tanquam ministro recipiendum est. Nec obstat, quod *Tridentinum* dicit: clandestina matrimonia *Ecclesia..... prohibuit.* Nam in canonibus ecclesiasticis multa prohibentur, quae iam divinitus prohibita sunt, seu divina prohibitio explicatur et inculcatur. Imo Ecclesia pro potestate sua legislativa etiam talia prohibet, quae in prohibitione divina non continentur. Et sic Ecclesia etiam illa coniugia clandestina prohibuit, quae occulte quidem ab aliquo Sacerdote benedicebantur, sed sine praeviis denuntiationibus et testibus, atque ideo graves inordinationes pepererunt. *d)* Iuxta sententiam priorem sacramentum matrimonii in multis differt a caeteris sacramentis. Singulare enim est, quod huius sacramenti non sit unus minister, sed duo: non ordinati, sed laici, vir et mulier; quod iidem sint suscipientes et conferentes, quod vir vel a muliere sacramentum recipiat, vel ipse sibi conferat, cum nullus sibi ipsi sacramentum, quod in actione consistit, ne baptismum quidem ministrare possit; quod denique sacramentum sine verbis seu forma detur, imo et sine intentione, quia sufficit intentio contractum ineundi, quamvis animus de susceptione sacramenti non cogitet, aut etiam contra illam protestetur. Certum est, quod ex sapientissima Christi, omnium sacramentorum Auctoris, voluntate omnia discrimina sufficienter declarari possint. At Christum haec discrimina voluisse, ex fontibus revelationis, duce infallibili Ecclesiae magisterio, probandum esset: quamdiu vero id probatum non est, quomodo tot discrimina affirmare licet?

Nota 1. Qui hanc sententiam defendunt argumentis prioris sententiae sequentia opponunt:

1. *Eugenius IV* non dicit: *Causa efficiens* sacramenti matrimonii, sed simpliciter: *Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus* etc. Loquitur ergo de contractu matrimoniali qui mutuo consensu efficitur, ut *Eugenii* verba etiam in *Catech. Rom.* (3) ita intelliguntur. Neque ideo a suo instituto deflectit; nam, etiam dum de prioribus sacramentis tractat, primo ipsum sacramentum enuntiat, et mox eiusdem materiam determinat: quod idem etiam hic loci praestat. Cum enim dixisset: *Septimum est sacramentum matrimonii* etc., mox eiusdem materiam determinat, quae est contractus, qui mutuo consensu efficitur. Silentium vero Pontificis de ministro sacramenti matrimonii argumentum duntaxat negativum suppeditat, quod non enervat positiva. Silet autem Pontifex de ministro sacramenti matrimonii, vel quia noluit quaestionem inter theologos controversam dirimere, vel quia intellexit,

(1) Lib. 4 de bapt. c. 24, n. 31.
(2) Mogunt 1833, cap. 7, pag. 67, litt. o.
(3) P. 2, cap. 8, n. 4.

Armenos hac de re instructione non indigere. Caeterum si *Eugenius* de causa efficiente, seu de ministro sacramenti matrimonii loqui voluisset, non dixisset, quod mutuus consensus *regulariter* tantum per verba exprimatur, sed quod etiam per solos nutus exprimi possit, cum antea pro forma, cuiuslibet sacramenti *verba* exegisset, *sine quibus non perficitur sacramentum.*

2. *Conc. Tridentinum*, cum dicit in prooem. in N. L. cum matrimonio gratiam coniunctam, nihil nisi dogma catholicum de instituto a Christo sacramento matrimonii indigitat, modum autem non determinat, quo sacramentum istud administrandum aut recipiendum sit. *Tridentinum* porro his verbis non infirmat id, quod *Conc. Florentinum* ad quodlibet sacramentum perficiendum necessarium dicit, nempe materiam, formam et ministrum cum intentione. Recte ideo dicitur, quod et omnes admittunt, contractum matrimonialem verbis, aut signis expressum esse materiam proximam sacramenti matrimonii: ita ut accedente forma et legitimo ministro cum intentione gratia sacramentalis coniugibus conferatur. Admittimus ergo, Christum nihil immutasse in contractu matrimonii, qui nunc quoque a solis contrahentibus per mutuum consensum perficitur: sed Christus etiam pro isto contractu gratiam promeruit, quae sub debita forma ab iis confertur, qui sunt *dispensatores mysteriorum Dei*. Neque ideo liberum est fidelibus an sacramentum suscipere velint nec ne: sed sub gravi omnibus fidelibus praeceptum est, ut, si matrimonium contrahere velint, sacramentum quoque per benedictionem sacerdotalem suscipere debeant. — Falsa porro est argumentatio, qua dicitur: Christus matrimonium elevavit ad dignitatem sacramenti; ergo quodlibet matrimonium inter fideles contractum est sacramentum, seu ipse contractus est sacramentum; haec enim argumentatio petitione principii laborat, quoniam id pro certo supponitur, quod probandum est: supponitur nempe, quod contrahentes ipsi sint ministri et alio ministro opus non sit. Id vero nec ex institutione Christi, nec ex *Tridentino* probari potest, quod Sess. XXIV, can. 1 in genere definit, *matrimonium esse vere et proprie sacramentum.* Christus enim etiam poenitentiam, quae iam in V. T. pro peccatoribus ad iustificationem obtinendam necessaria fuit, in N. T. ad dignitatem sacramenti elevavit, et tamen omnes Catholici admittunt, non quamlibet poenitentiam sacramentum esse, sed eam tantum, quae cum confessione peccatorum et absolutione sacerdotali coniuncta est. Sicuti ergo Christus dicitur poenitentiam elevasse ad dignitatem sacramenti, quia voluit, ut actus poenitentis externe manifestati sint *materia sacramenti:* ita et Christus matrimonium ad dignitatem sacramenti elevavit, quia voluit, ut mutuus coniugum consensus verbis vel signis expressus materiam constituat sacramenti. *Tridentinum* vero in canone citato non definit, quodlibet matrimonium verum et ratum, esse sacramentum, sed solum, existere in N. L. matrimonii sacramentum a Christo institutum. Idem enim Concilium Sess. XIV, can. 1 definit: *In catholica Ecclesia poenitentiam esse vere et proprie sacramentum*, et Sess. XXIII, can. 3: *Ordinem, sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum*; ex quibus definitionibus nemo infert, omnem poenitentiam, vel quemlibet ordinem esse sacramentum. Quamobrem sicut etiam in N. L. poenitentia

sine sacramento existere et iustificationem quoque parere potest (§ 639): ita etiam matrimonium sine sacramento existere, et contractum naturalem indissolubilem constituere potest.

3. Si certum esset, *Conc. Tridentinum* per *matrimonia vera et rata* intellexisse coniugia, quae sunt vera sacramenta, certum pariter esset ac de fide definitum, quod clandestina matrimonia ante *Conc. Tridentinum* vera fuerint sacramenta, atque exinde necessario inferendum esset, non Sacerdotem conferre hoc sacramentum, sed ipsos contrahentes esse eiusdem ministros. At id de fide definitum non esse, omnes theologi fatentur: imo, teste *Pallavicino* (1), « nunquam declaravit Concilium, clandestina matrimonia fuisse sacramenta, adeo ut graves theologi id negent. » Certum autem est, istos theologos, qui pro ministro sacramenti matrimonii Sacerdotem assignabant, nunquam fuisse a *Conc. Tridentino* damnatos. Qualiscunque ergo fuerit aut prius, aut tempore Concilii loquendi modus nihil tamen ex citato canone inferri potest, praeterquam quod clandestina matrimonia valida fuerint atque indissolubilia ratione initi contractus.

4. Ipse cl. *Tournely* de matrimon. q. 3, art. 2, postquam probavit, Sacerdotem esse sacramenti matrimonii ministrum, candide fatetur: « Si ex auctoritate et numero scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubio opposita sententia. » Recte autem hic applicatur celebre *Benedicti XIV* dictum, qui lib. 8 de Synod. dioec. cap. 10, n. 11 cum varias scholasticorum sententias de materia ordinis recensuisset, subiungit: « Haec omnia placuit hic exponere, non ut postremae huic sententiae calculum adiiceremus, sed eo tantum consilio, ut perspicuum fieret, eam, quamvis habeat contra se universam fere aciem scholasticorum, ab istorum tamen ictibus nihil sibi metuere, imo et sua iacula habere, quae in eos intorqueat. » — Generatim dum de materiis actum est ad dogmata fidei non pertinentibus, hincinde *novae sententiae* propositae sunt, quae licet a communi scholasticorum consensu declinarent, a multis tamen sine scrupulo propugnatae sunt: exemplo sint sententiae *Lud. Molinae* de scientia media, de statu naturae purae, de gratia versatili, de decreto praedestinationis hypothetico etc. Quo iure ergo *M. Canus* ob novitatem doctrinae redargui potuit, cum sententiam propugnaret, communiori quidem scholasticorum opinioni contrariam, sed S. Scripturae et Patrum traditioni magis conformem? — Notandum porro est, quod multi theologi minus recte contra Cani sententiam adlegentur. Nonnulli enim aperte distinguunt contractum matrimonialem et sacramentum, aiuntque, contractum, qui solo mutuo consensu perficitur, validum et indissolubilem dari posse, quin ipsi per benedictionem sacerdotalem ratio sacramenti accedat: talem vero contractum nihilominus *sacramentum* vocant lato sensu, seu per synecdochen, quia contractus iste inter fideles initus ex institutione Christi materiam proximam sacramenti constituit, et ex praecepto Christi per sacramentum sanctificari debet; et hoc sensu voces *matrimonium* et *sacramentum* quandoque univoce sumpserunt. Id manifeste patet ex *Guillelmo Paris.*, qui omnium consensu, etiam *Benedicti XIV*, apertissime sententiam Cani propugnavit, et tamen l. c. scribit: « Nec sic contrahentes possunt sepa-

(1) Hist. Conc. Trid. lib. 23, c. 9, n. 13.

rari, cum ibi verus sit consensus per verba de praesenti expressus, licet illa, quae dicta sunt, testes (benedictio sacerdotalis etc.), deficiant, quae non sunt de essentia sacramenti sed solum consensus praedictus: » ubi manifeste per *sacramentum* non intelligit nisi matrimonium ratione contractus validum et indissolubile, sed gratia sacramentali destitutum. Eodem modo intelligendus est *Petrus Lombardus* (1) dicens: « In huius sacramenti celebratione sicut in aliis quaedam sunt pertinentia ad substantiam sacramenti, ut consensus de praesenti, qui solus sufficit *ad contrahendum matrimonium;* quaedam vero pertinentia ad decorem, et solemnitatem sacramenti, ut parentum traditio, Sacerdotum benedictio... sine quibus legitime fit coniugium quantum ad virtutem, non quantum ad honestatem sacramenti. » — *S. Thomas* pro utraque sententia citari solet. Scribens enim in libro sententiarum docet, contrahentes esse ministros matrimonium suo consensu efficientes; benedictionem vero Sacerdotis esse duntaxat aliquid sacramentale, non partem sacramenti essentialem. Ast in iisdem commentariis principia statuit, quae cum hac sententia componi nequeunt. Nam in supplemento, quod ex commentariis eiusdem desumptum est (2) dicit: « Solus est ille minister sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod solius Sacerdotis est » (3). « Sacramenta, in quibus gratia confertur, dispensare ad solos Sacerdotes pertinet » (4). « Nullius sacramenti dispensatio laicis ex officio competit » (5). « Matrimonium, secundum quod est sacramentum *consistens in dispensatione ministrorum Ecclesiae*, non competere infidelibus. » Et contra Gentes (6) idem angelicus Doctor ait: « Ea quae per ministros Ecclesiae populo dispensantur, sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundum quod consistit in coniunctione maris et feminae, intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare, est Ecclesiae sacramentum; unde et quaedam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiae adhibetur. » Recte ideo eruditi asserunt, *S. Thomam* ab initio quidem illi sententiae adhaesisse, quae contrahentes dicit sacramenti matrimonii ministros, sed eum postea re maturius perpensa sententiam mutasse, prout fatentibus omnibus alia plura, quae in commentariis scripserat, in summa correxit. Quapropter non sine solido fundamento *Sylvius* dicit, quod angelicus Doctor, si summam absolvisset, Sacerdotem pro sacramenti matrimonii ministro clare assignasset. Id manifeste colligitur ex 2 2, q. 100, art. 1 ad 6, ubi de simonia agens atque ostendens, illicitum esse pro sacramentis pecuniam dare, ait: « Quidam dicunt, quod pro matrimonio licet pecuniam dare, quia in eo non confertur gratia. Sed hoc non est usquequaque verum, ut in tertia parte huius operis ostendetur. Et ideo aliter dicendum est, quod matrimonium non solum est Ecclesiae sacramentum, sed etiam naturae officium. Et ideo dare pecuniam pro matrimonio in quantum est naturae officium, licitum est: in quantum vero est Ecclesiae sacramentum, est illicitum; et ideo secundum iura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur. » Quibus verbis in matrimonio distinguit contractum et sacramentum: rationem vero sacramenti apertissime repetit a benedictione sa-

(1) Dist. 28, litt. F. (2) Q. 8, art. 1.
(3) Q. 22, art. 1. (4) Q. 31, art. 1.
(5) Q. 59, art. 2 ad 1. (6) Lib. 4, c. 78.

cerdotali. *S. Bonaventura* loco citato benedictionem Sacerdotis requirit ad decorem sacramenti, eamque dicit esse de necessitate praecepti. Et in Breviloq. (1) indigitans sacramentorum ministros ait: « Baptismus autem et matrimonium, licet *ad Sacerdotes spectent*, possunt tamen praeter ordinem sacerdotalem dispensari de facto, maxime in articulo necessitatis: » quibus verbis Sacerdotem sicut baptismi, ita et matrimonii ordinarium ministrum declarat, eamque sententiam prodere videtur, quam *Maldonatus* adoptavit, qui de matrim. p. 1 resp. ad arg. 6 tertiae sententiae dicit: « Ordinarium ministrum huius sacramenti (matrimonii) esse Sacerdotem: sed quemadmodum baptismus potest conferri ab iis, qui non sunt Sacerdotes, quod attinet ad essentiam, ita etiam matrimonium dari potest ab iis, qui non sunt Sacerdotes. » Etiam de mente *Scoti* disputatur, ita quidem, ut *Claud. Frassen* in *Scoto Academ.* (2), Sacerdotem esse sacramenti matrimonii ministrum, defendat. — Non ergo tam universalis et constans erat scholasticorum consensus, et illi ipsi, qui contrahentes ministros esse dicebant, doctrinam suam non ut fidei dogma venditabant; et ideo neque ipsi, neque Episcopi eis consentientes in fide errabant, praecipue quia omnes contractum, seu consensum verbis, aut signis externis expressum ut essentialem materiam, benedictionem autem Sacerdotis de necessitate praecepti esse credebant. — Si sententia *Cani* prorsus nova, et traditioni divinae contraria fuisset, absque dubio *Conc. Tridentinum* eam improbasset et damnasset, ut statim in suo germine extirparetur: quod cum factum non sit, sequitur, eam ut vere catholicam defendi posse.

5. *Ratio theologica*, quae petitur *a*) ex matrimonii indissolubilitate, refellitur per ea, quae § 696 dicta sunt. Contractus enim matrimonialis valide initus, ex iure divino et naturali indissolubilis est. Ille autem, qui legem indissolubilitatis tulit, in eadem etiam dispensare potest. Ex dispensatione ergo divina repetendum est, quod matrimonium ab infidelibus contractum dissolvatur, si coniux infidelis non consentiat cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris; sicut etiam, ex dispensatione divina repetendum est, quod matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem unius coniugum dirimatur, quamvis ratio sacramenti cum tali matrimonio coniuncta fuerit: *b*) *Secunda ratio theologica* refutatur per ea, quae in tertio argumento n. 3 circa formam a *Tridentino* praescriptam observata fuerunt. Quodsi haec forma in antiquis ritualibus non invenitur, illud ipsum observandum est, quod eruditissimi theologi, cum de aliis sacramentis sermo est, passim observant, nempe ob disciplinam arcani, aut ex sancta quadam reverentia, aut ex aliis iustis rationibus formam sacramentorum essentialem in ritualibus antiquis non fuisse expositam, sed per oralem institutionem ministris sacris communicatam. Ideo etiam Patres et Concilia frequenter quidem de benedictione loquuntur, quam Sacerdotes nubentibus conferre debent, et tamen verba non indicant, quibus haec benedictio perficienda erat. Dubitare autem non licet, *Conc. Tridentinum* a Spiritu sancto coactum et directum legitimam pro conferendo matrimonii sacramento formam assignasse. *c*) Negari non potest, difficultatem *in tertia ratione*

(1) P. 6, cap. 5.
(2) Tract. 3 de matr. Disp. ult. a. 1, q. 3.

theologica propositam maioris momenti esse. Sed notandum est, quod etiam admissa priori sententia non omnis difficultas evanescat, ex praxi Ecclesia petita. Cum enim omnes admittant, benedictionem sacerdotalem semper praeceptam fuisse, quaeri potest, cur Ecclesia eos, qui ante *Tridentinum* clandestino modo, aut nunc praesente quidem, sed reluctante parocho, aut in haeresi matrimonium contraxerunt, non compulerit, et non compellat ad sacerdotalem benedictionem postea saltem percipiendam, cum tamen eadem Ecclesia praecipiat, ut caeremoniae accidentales baptismi suppleantur, si infans ab ostetrice baptizatus fuit? Multo magis benedictio sacerdotalis coniugibus, qui eam non perceperunt, praescribenda foret, quia graves theologi eam ad sacramentum percipiendum necessariam dicunt, et Ecclesia hac de re nihil definivit: qua in dubietate videtur, Ecclesiam non debere negligere praeceptum, quo praefati coniuges ad benedictionem recipiendam adigerentur. Haec difficultas etiam patronis prioris sententiae solvenda manet. At non tam difficile est, admissa secunda sententia difficultatem tollere. In hac enim sententia contractus verbis, aut signis expressus est materia proxima sacramenti, qua deficiente istud conferri nequit. Graves autem theologi cum *Durando*, *Vasquez* et *Basilio Pontio* docent, quod contractus coniugii semel valide initus, nisi cum iniretur, sacramenti naturam induerit, nunquam poterit sacramentum effici. Nam, ait cl. *Sardagna* (1): « Longe probabilius est, quod matrimonium semel validum in ratione contractus, non possit deinde renovari, et assequi virtutem sacramenti, quia res semel valide donata et tradita, cum non sit amplius sub dominio donatoris, non potest amplius valide donari; sicque deficeret materia sacramenti matrimonii. » Alii quidem existimant cum *Sanchez*, matrimonium, quod fuit validum solum in ratione contractus, posse deinde renovari, et assequi virtutem sacramenti, qua prius caruit. Ecclesia vero ipsa sua praxi sententiae priori suffragatur, aut saltem, quia materia dubia est, non vult sacramentum periculo nullitatis exponere. Praeterea attendendum est, quod ratio sacramenti consistat in gratia, quae fideliter dispensanda, et indignis neganda est. Quamvis ergo coniuges fideles sacramentum recipere teneantur, Ecclesia tamen, sicut ipsum contractum impedire et dirimere, ita etiam benedictionem sacramentalem ex iustis causis negare potest, dicente Christo: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (2). Hinc declarari potest, quare secundo nubentibus benedictio sacerdotalis negari consueverit. — Quod caetera attinet, Ecclesia, si matrimonium ob occultum impedimentum dirimens invalidum fuit, solam consensus renovationem, non autem praesentiam parochi et testium requirit, neque benedictionem sacramentalem repetit, ne publica scandala et alia incommoda sequantur. Coniuges protestantes ad Ecclesiam redeuntes, praeter allatam rationem ideo quoque a Sacerdote non benedicuntur, ne putent, haereticorum coniugia ab Ecclesia ut valida non haberi, eaque dissolvi posse. — Verum quidem est, quod admissa secunda sententia multa matrimonia, imo omnia clandestina ante *Concil. Tridentinum* inita sacramento matrimonii caruisse dicantur. Sed

(1) Tom 8, art. 8, controv. 1, n. 357.

(2) Matth. 7, 6.

cl. *Tournely* (1) respondet: « Si quid in eo durum sit, totum esse refundendum in eos, qui contra legem Ecclesiae et disciplinam nuptias celebrabant clam et in abscondito sine praesentia et benedictione Sacerdotis; eos enim peccasse dubitari non potest. Quamquam igitur daremus matrimonium sic ab illis initum verum fuisse sacramentum, gratia tamen sacramentali fuisse illos privatos fateri debent adversarii propter obicem, quem ponebant, imo et novo sacrilegii peccato se inquinasse, cum indigne sacramentum perciperent: quo novo sacrilegii peccato videntur liberari in ea, quam hic propugnamus, sententia; siquidem matrimonium sic clam ab illis contractum non erat verum sacramentum: ergo quamquam grave foret eorum peccatum ob neglectas Christi et Ecclesiae leges, saltem carebat ea gravitate, quae propria est sacrilegii. » *d*) Omnes theologi admittunt, in quolibet sacramento adesse debere rem externam seu subiectam sensibus, quae gratiae significandae et efficiendae vim habeat. Talem rem externam theologi vocant materiam: sic, ex. gr., in baptismo ablutio est materia, quia ablutio corporis significat et efficit ablutionem animae; sed tamen iuxta doctrinam catholicam id tantum fit accedente debita forma et legitimo ministro: ita etiam in matrimonio consensus mutuus externe manifestatus significat unionem animorum gratia divina sanctificatam; ut autem haec efficiatur, debent accedere debita forma et legitimus minister, qui iuxta secundam sententiam est Sacerdos. Verum quidem est, quod mutuum consensum soli contrahentes perficiant, et sic materiam proximam ponant: sed etiam in sacramento poenitentiae Sacerdos non ponit materiam proximam, quae consistit in actibus poenitentis; et tamen nemo dubitat, Sacerdotem sacramenti poenitentiae ministrum esse. Idem dicendum est de matrimonio, in quo Sacerdos iubetur dicere: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris* etc., contractum nempe naturalem ineunt et manifestant contrahentes; unionem vero animorum gratia divina sanctificatam efficit Sacerdos conferens sacramentum.

Nota 2. Qui contrahentes sacramenti matrimonii ministros esse censent, facile ostendunt, qua ratione sacramentum a foedere coniugali separari nunquam possit, ita ut quilibet contractus matrimonialis inter fideles initus sit sacramentum. Qui autem defendunt, Sacerdotem esse sacramenti matrimonii ministrum, non possunt admittere, quod deficiente Sacerdote benedicente sacramentum matrimonii perficiatur et gratia sacramentalis obtineatur quia sacramenta sine legitimo ministro perfici nequeunt. Negari ergo non potest, quod ex citatis declarationibus pontificiis priori sententiae magnum pondus accessisse videatur. Quinimo - si allatae declarationes pontificiae ut definitiones dogmaticae considerandae sint, etiam quaestionem de ministro sacramenti matrimonii dirimentes; omnes theologi catholici posteriorem sententiam deserere, et priorem amplecti tenerentur. — Varia autem obstant, quominus in allatis decretis definitio dogmatica, quaestionem de ministro sacramenti matrimonii dirimens, inveniatur. Nam: 1° Constans est tum Rom. Pontificum, tum Conciliorum consuetudo, errores heterodoxorum condemnandi, non autem theologorum catholicorum quaestiones dirimendi; sic, ex. gr., cum post

(1) L. c ad Obj. 2. inst. 2.

promulgatam bullam *Unigenitus* nonnulli clamarent, quasdam Augustinianorum et Thomistarum sententias per eam proscriptas esse, *Clemens XI* declaravit, suae mentis non fuisse, sententiam quandam condemnare, quae ante dictae bullae promulgationem in scholis catholicis libere tradita fuit. Neque credere licet, ab hac universali consuetudine recessisse sapientissimum Pontificem *Pium IX*, qui immaculatam B. V. Mariae conceptionem, iam ab omnibus catholicis in honore habitam, nonnisi post plurima examina et diligentissimam inquisitionem de fide credendam esse pronuntiavit. 2° Loquitur summus Pontifex de veritate, quam omnes catholici noscunt, et in qua omnes consentiunt; ait enim: « Cum nemo ex catholicis ignoret, aut ignorare possit matrimonium etc. » Incognitum autem certe non fuit summo Pontifici, theologos catholicos dari, qui Sacerdotem pro ministro sacramenti matrimonii assignant. Non ergo hanc quaestionem ingreditur; sed veritatem proponit, quam omnes catholici admittunt, quod matrimonium a Christo sit elevatum ad dignitatem sacramenti, et quod ideo quilibet contractus coniugalis inter fideles sit res sacra, cum ratione sacramenti inseparabiliter coniuncta. 3° Idem confirmatur ex fine adductarum declarationum in quibus summus Pontifex illos oppugnat, qui divinae revelationi aperte repugnantes ita matrimonium a sacramento separare nituntur, ut illud ut merum contractum civilem, ac ideo civili, non autem ecclesiasticae potestati subiectum considerare praesumant. Istorum igitur impiam sententiam damnat summus Pontifex, non autem sententiam theologorum catholicorum, qui licet ad integrum sacramentum perficiendum benedictionem sacerdotalem necessariam esse dicant, ipsum tamen contractum coniugalem ex Christi institutione rem sacram esse dicunt, et ideo exclusive potestati ecclesiasticae subiectum. 4° Vere enim etiam in hac sententia inseparabilitas contractus coniugalis cum sacramento non negatur, sed affirmatur. Nam eoipso quod matrimonium a Christo ad dignitatem sacramenti evectum est, contractus coniugalis inter fideles initus constituit materiam proximam sacramenti, ad quem constituendum non opus est intentione contrahentium, sed sufficit ordinatio Christi, nec requiritur *verbum* ut *forma*, quia contractus etiam per nutus iniri potest: inseparabiliter ergo talis contractus cum sacramento coniunctus est, et quia generatim materia proxima sacramentorum immediate, et exclusive potestati Ecclesiae subiacet, idem de matrimonio dicendum est. Unde in sententia eorum, qui huius ministrum Sacerdotem dicunt, nequaquam Ecclesiae iura violantur, aut minuuntur. 5° Imo in eadem sententia, posita a contrahentibus materia proxima, sacramentum tum ex praecepto divino per benedictionem sacerdotalem perfici debet, quae ut essentialis sacramento, et divinitus ordinata proponitur. Certum est benedictionem sacerdotalem a primordiis Ecclesiae non solum usitatam sed et praescriptam fuisse; alias vix intelligi posset, quare Ecclesia *matrimonia clandestina semper detestata sit* (1), magnum profecto in iis defectum et delictum agnoscens. Necessitas ergo benedictionis sacerdotalis vel a praecepto divino, vel a lege ecclesiastica repetenda est: sed non potest ex primis saeculis decretum aut summi Pontificis, aut Concilii assignari per quod

(1) Conc. Trid. de reform. matr. c. I

illa introducta sit. Insistendum ergo esse videtur regulae S. *Augustini* (1): « Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » 6° *Benedictus XIV* propius quaestionem de ministro matrimonii attigit in sua decretali, seu Epistola ad Archiepisc., Goanum, incip. *Paucis ab hinc* (2) docens, quod « matrimonii materia est mutua corporum traditio verbis et nutibus assensum exprimentibus, et mutua corporum acceptatio forma: » quibus verbis aperte contrahentes ut sacramenti matrimonii ministros assignat: sed tamen neque ipse summus Pontifex, nec aliquis theologus existimavit, quaestionem definitam esse, et contrariam sententiam defendi non posse. Multo minus id ex citatis declarationibus pontificiis inferri potest, in quibus de ministro matrimonii sermo non instituitur, sed solum inseparabilitas contractus cum sacramento asseritur, quae in utraque sententia affirmatur. 7° *Pius VI* in funestis temporum adiunctis dispensavit in impedimento clandestinitatis ex ea parte, quae ad validitatem matrimonii praesentiam parochi, aut Sacerdotis ab eo deputati requirit, et ita permisit, ut sine praesentia et licentia legitimi parochi ab alio Sacerdote nuptiae benedici possint. — Ex his concludendum est, quod etiamnum utraque sententia catholice defendi possit, et quod cuique liberum sit, ei sententiae adhaerere, pro qua graviora argumenta militare cognoscit.

ARTICULUS V.

De sacramenti matrimonii materia, forma, subiecto, et effectibus.

§ 706. Quae in hoc articulo dicenda sunt, ex iis, quae hactenus pertractata fuerunt, vel iam nota sunt, vel tanquam corollaria deducuntur; brevi igitur tractatione haec absolvere licet.

I. *De sacramenti matrimonii materia et forma.*

§ 707. In matrimonio materiam et formam adesse debere, omnes theologi admittunt, quia *Conc. Florentinum* in Decreto unionis matrimonium non excipit, dum dicit: *Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma et persona ministri... Quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* Sicuti autem circa ministrum sacramenti matrimonii in duas sententias abeunt, ita etiam non consentiunt in eiusdem materia et forma assignanda.

1. Theologi qui tenent, contrahentes esse ministros matrimonii, multum inter se dissentiunt in determinanda eiusdem sacramenti materia et forma. Plures huiusmodi sententias enumerat et confutat cl. *Tournely* (3). — Communior autem sententia est eorum, qui cum *Soto*, *Bellarmino*, *Suarez*, *Sanchez* et *Gonetto* dicunt, utriusque contrahentis consensum verbis, seu signis expressum esse materiam simul et formam, sed sub diversa consideratione; est enim materia, quatenus significat corporum traditionem, et est forma, quatenus mutuam exhibet eorundem acceptationem. Id probant ex eo, quia sacramentum matrimonii nihil est aliud, quam contractus civilis elevatus ad esse sacramenti, nulla mutatione facta circa materiam et formam: ergo ea est materia et forma sacramenti, quae contractus: atqui in contractibus civilibus, consequenter in matri-

(1) Lib. 4 de bapt. c. 24, n. 31.
(2) An. 1758, 19 martii.
(3) De matrim. q. 3, art 1.

moniali, traditio rei seu consensus in traditionem exterius expressus est materia, acceptatio vero seu consensus in acceptationem est forma. Imo quia sacramentum matrimonii perficitur *per modum contractus*, contractus vero etiam solis signis perfici potest, non necessario mutuus consensus verbis exprimitur, sed sacramentum matrimonii solis quoque signis externis seu nutibus perfici potest; haec enim signa externa seu huiusmodi nutus aequivalent verbis. — Hanc opinionem reiicit *Estius* (1), quia forma sacramenti debet significare effectum sacramenti ut sacramentum est, non vero ut aliquid humanum aut naturale aut civile: atqui verba ista: *Accipio te in meam*, aut alia quaecunque aut verba aut signa, quibus exprimitur mutuus consensus in traditione vel acceptatione reciproca corporum, non significant effectum sacramenti, neque omnino sacrum aliquid, sed tantum coniugalem obligationem, quam significarent etiam, si non esset coniugium in sacramentum institutum; unde et communia sunt fidelibus et infidelibus. Praeterea iuxta hanc opinionem in sacramento eadem est materia, quae forma, cum tamen iuxta antiquissimum et generale axioma debeat verbum accedere ad elementum, ut fiat sacramentum. Quinimo plerique, qui huic opinioni inhaerent, affirmant, sacramentum matrimonii etiam solis signis, vel nutibus conferri posse, ita ut verbis tanquam forma opus non sit. Cuius rei hanc rationem assignant, quia sacramentum matrimonii confertur *per modum contractus*, contractus autem etiam signis et nutibus iniri possunt. Sed recte etiam dicitur: Baptismus confertur *per modum ablutionis*, extrema unctio *per modum unctionis*, quibus dictis solum enuntiatur, ablutionem esse materiam proximam baptismi, atque unctionem esse materiam proximam extremae unctionis, non autem forma in verbis consistens excluditur, quamvis tum ablutio tum unctio sine verbis perfici possit: ergo etiam dum dicitur, sacramentum matrimonii confertur *per modum contractus*, id solum significatur, contractum esse materiam proximam sacramenti, verba autem ad formam sacramenti necessaria ideo nullatenus excluduntur. Nec refert, quod dicant, sacramentum matrimonii consistere in contractu, seu esse ipsum contractum; nam etiam tali propositione non enuntiatur nisi materia proxima sacramenti. Ut enim observat *S. Thomas* (2) generatim nomen sacramenti a materia proxima desumi, vel ipsa materia proxima sacramentum dici solet, ut baptismus seu ablutio, extrema unctio, poenitentia etc. Si quis ita argumentaretur: poenitentia administratur per modum iudicii, seu est iudicium; iudex autem etiam nutibus, seu scripto sententiam suam manifestare potest, et ideo etiam confessarius poenitenti absolutionem sine verbis, solis nutibus, aut scripto indicare potest: omnes theologi tali conclusioni repugnarent, eamque cum indignatione reiicerent.

2. Iuxta sententiam eorum, qui sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum esse dicunt, *materia remota* sacramenti matrimonii sunt contrahentium corpora, seu, ut aliqui volunt, dominium mutuum in corpora in ordine ad usum coniugalem. *Materia proxima* est contractus, seu mutuus consensus verbis vel signis expressus; consensus vero iste in se includit tum mutuam traditionem cor-

(1) In 4 Dist. 26, § 11.

(2) In 4 Dist. 1, q. 1, art. 1, q. 5, ad 1; et Dist. 9, q. 1 art. 1, q. 1 ad 2.

porum, tum mutuam acceptationem, quoniam quilibet contractus tum traditionem tum acceptationem postulat. *Forma* reponenda est in his aut similibus secundum cuiusque Ecclesiae consuetudinem verbis a Sacerdote proferendis : *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quae verba unionem animorum exprimunt gratia divina sanctificatam, quam Sacerdos a Deo invocat ac Spiritus sanctus per ipsum largitur.

II. *De sacramenti matrimonii subiecto.*

§ 708. In subiecto alia ad validam, alia ad licitam sacramenti matrimonii susceptionem requiruntur.

1. Subiectum sacramenti matrimonii sunt *duae personae diversi sexus baptizatae* et *legitimae:* baptizatae, quia nonnisi per baptismum capaces reddimur reliquorum sacramentorum; legitimae autem, quoniam qui impeditus est ad matrimonium ineundum, seu ad foedus coniugale pangendum, eo ipso etiam impeditus est ad sacramentum matrimonii recipiendum, quod deficiente materia proxima conferri nequit.

2. Consensus ad matrimonium requisitus debet ex utraque parte esse: 1° *verus et internus*, prout exigit natura contractus onerosi, qui sine interno voluntatis actu iniri nequit: hinc si consensus sit ex alterutra parte fictus, nullum est matrimonium; qui tamen ficte consensit, peccavit mortaliter tum contra veritatem, mentiendo in re adeo gravi, tum contra religionem violando sanctitatem sacramenti, tum contra charitatem decipiendo proximum in re magni momenti, tum contra iustitiam, alium defraudando re solemniter promissa; unde tenetur iniuriam resarcire per veram contractus celebrationem: 2° *signo aliquo externo expressus;* alias non posset utrique parti innotescere et mutuo acceptari; 3° *de praesenti*, quia si esset de futuro, non traditionem, sed tantummodo traditionis ipsius promissionem contineret: et sic matrimonium differt a sponsalibus, in quibus promittitur dumtaxat matrimonium futurum ; 4° *simultaneus*, seu moraliter eodem tempore ab utraque parte praestitus ita, ut unius partis consensus non sit revocatus, dum exprimitur consensus alterius; alioquin non esset mutuus duorum in idem consensus; 5° *omnino liber;* nam matrimonium est vinculum voluntatis, electionis atque amoris, quod sine libertate nullimode concipi potest: quapropter *Concilium Tridentinum* (1) in dominos temporales ac magistratus tulit excommunicationem, si iniqua coactione matrimonii libertatem impedierint.

3. Illi quoque, qui ad secundas nuptias transeunt, valide et licite sacramentum matrimonii recipiunt. Hac de re nullum quidem dubium est in sententia eorum, qui contrahentes dicunt matrimonii ministros, qua admissa dicendum est, coniuges etiam bigamos, contractu ipso sacramentum matrimonii et conferre et recipere. Si autem Sacerdos est huius sacramenti minister, dicendum esse videtur, quod secundae nuptiae gratia sacramentali priventur, quia secundae et ulteriores nuptiae sacerdotali benedictione carent, ut statutum legimus in can. 7 *Conc. Neocaesariensis*, et in can. 1 *Concilii Lateranensis* sub *Alexandro III.* — Sed hanc difficultatem tollit cl. *Tournely* loco cit. (2) dicens : « Secundae et ulteriores nuptiae carent quidem aliqua benedictione accidentali, quae intra

(1) Sess. 24, cap. 9 de Reform. matrim.

(2) Obi. 3, Resp. ad 2.

missarum solemnia a Sacerdote pronuntiatur post dictum: *Libera nos* etc., et incipit ab his verbis in Rituali Parisiensi: *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris* etc.; at non carent alia benedictione essentiali, per quam Sacerdos tanquam Dei et Ecclesiae minister coniuges in matrimonium coniungit, et quae talis est: *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob ipse vos coniungat, impleatque benedictionem suam in vobis, et ego coniungo vos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Causa vero et ratio, cur ulterioribus nuptiis deneget Ecclesia benedictionem illam accidentalem, duplex est potissimum. Prima, quia secundae et ulteriores nuptiae quamdam praeseferunt incontinentiae speciem, a qua procul abest castissima Christi sponsa, unde et poenitentiam imponebat olim secundo nubentibus, et benedictionem denegabat, ut magis inde suum in continentiam studium et amorem significaret. Hanc rationem et causam nitide exponit rituale *Leodiense* apud *P. Martene* (1): *Hanc benedicendi formam*, inquit, *non impendet Sacerdos secundis nuptiis, sed primis dumtaxat*, non quidem, quod secundae nuptiae non verum ac legitimum matrimonium contineant, sed quod non tam perfecte sicut primae Christi Domini unius sponsi cum sua sponsa Ecclesia unicam ac simplicem repraesentet coniunctionem. Secunda ratio erat, quia benedictio haec instar est cuiusdam consecrationis, cuius finis est foecunditas mulieris; cum igitur consecratio non iteretur, et mulier, quae iam nupsit, foecunditatem adepta praesumatur, non repetitur illa benedictio, quae tota tendit ad impetrandam foecunditatis gratiam. Rationem hanc reddit *Conc. Lateranense III* sub Alexandro III cap. 1: *Vir*, inquit, *vel mulier ad bigamiam transiens non debet a presbytero benedici: quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari.* Canon *Concilii Neocaesariensis*, qui citatus est, certe ad rem nostram praesentem non pertinet; neque enim prohibet dari secundo nubentibus benedictionem, sed Sacerdotibus tantum vetat, ne intersint conviviis, quae celebrantur in secundis nuptiis. » Secundo nubentibus non benedictionem Sacerdotis essentialem, sed solum accidentalem, seu cum maiori solemnitate coniunctam negatam fuisse, ex aliis quoque monumentis constat. Sic *S. Ambrosius*, vel alius antiquus Auctor Comment. in I Cor. VII, 40 ait: « Primae nuptiae sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundae autem etiam in praesenti (id est, in ipsa celebratione) carent gloria. » Et saec. IX *S. Theodorus Studites* (2) Naucratio interroganti: « Quomodo in secundis nuptiis, cum a Sacerdote non coniungantur, verum coniugium cogitari possit? Respondet, quod istas nuptias (Sacerdos) modo minus solemni benedicit. »

4. Ut sacramentum matrimonii licite percipiatur, necesse est, ut sponsi sint in statu gratiae, quia sacramentum matrimonii sacramentis vivorum adnumeratur. Necesse pariter est, ut non solius explendae libidinis causa, sed ob fines honestos, nempe ad prolem procreandam, ad mutuum vitae adiutorium obtinendum, vel etiam ad remedium contra concupiscentiae illecebras inveniendum coniugium ineant. Necesse denique est, ut omnes leges adimpleant a legitima potestate pro ordinata nuptiarum celebratione latas.

(1) De ant. Eccl. rit. tom. 2, p. 2, ord. 14.
(2) Lib. 1 Ep. 50.

III. *De sacramenti matrimonii effectibus.*

§ 709. 1. Praecipuus sacramenti matrimonii effectus est *gratia divina*, quae coniugibus confertur fidelibus, ut officia sua rite adimpleant, ut nempe viri non carnali tantum affectu, sed casto et sancto amore uxores suas diligant, et uxores viris suis subditae sint. Haec gratia innuitur in S. Scriptura (1) et a Patribus, dum dicunt, matrimonia per benedictionem sacerdotalem sanctificari. Saluberrimos istos gratiae effectus praecipue *S. Chrysostomus* praeclare describit, cum Hom. 48 in Genesin docet, quod, dum nuptiae celebrantur, oporteat « Sacerdotes vocare, et precibus et benedictionibus concordiam coniugii constringere, ut amor sponsi augeatur, et puellae continentia crescat, et omnia, quae fiunt, eo spectent, ut virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturque e medio omnes diaboli insidiae, et ipsi Dei auxilio muniti iucunde vitam perficiant. » Idem confirmatur ex orationibus Ecclesiae, quas in conciliatione matrimonii ad Deum dirigit, - ut Deus sponsis det temperantiam et corroboret illos, ut simul perfectam corporis et animae custodiant castitatem, - ut det illis pacificam conversationem, charitatem mutuam veramque pacem, quam impetus passionum non turbet: - ut det illis filios benedictionis et sanctitatis, ut quod generatio ad mundi ediderit ornatum, regeneratio ad Ecclesiae perducat augmentum. *Conc. Tridentinum* Sess. XXIV in prooem. doctrinam de sacramento matrimonii proponens ait: *Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit.*

2. Inter sacramenti effectus merito etiam *matrimonii indissolubilitas* recensetur. Quamvis enim haec ex iure naturali et divino petenda sit, eadem tamen indissolubilitas maxime firmatur per sacramentum, quod causas dissolvendi matrimonium removet eidemque sacrum sigillum imponit, quod non disrumpitur nisi per unius coniugis mortem. Ideo *Catechismus Rom.* (2) dicit: «Quamvis matrimonio, quatenus naturae est officium, conveniat, ut dissolvi non possit, tamen id maxime fit, quatenus est sacramentum; *qua ex re etiam in omnibus*, quae naturae lege eius propria sunt, summam perfectionem consequitur.»

3. Per sacramentum matrimonii iura et officia sanctificantur. Nam si coniugalis copula licita fit, sacramentum efficit, ut haec ex honesto fine et debito modo perficiatur. Si per usum matrimonii proles procreetur, sacramentum ad eandem sancte educandam iuvat. Si coniuges invicem cohabitare et se mutuo adiuvare tenentur, sacramentum efficit, ut etiam alter alterius onera portet, ut omnis dissensionis causa vitetur, et mutuum adiutorium ex charitate christiana praestetur.

ARTICULUS VI.

De potestate Ecclesiae circa matrimonium legislativa et iudiciaria.

§ 710. Quamvis de hac materia a potiori et ex professo agant iuris sacri Doctores et Scriptores, eandem nihilominus etiam in theologia dogmatico-polemica paucis pertractare iuvat, tum quia ordo et contextus operis id postulat, tum quia de dogmatibus agitur a non paucis adversariis

(1) Eph. 5, 25-33.

(2) P. 2, cap. 8, n. 11.

acerrime impugnatis, contra quos *Concilium Tridentinum* plures edidit dogmaticas definitiones. Agendum idcirco *est de potestate Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, et de potestate Ecclesiae causas matrimoniales diiudicandi.*

I. *De potestate Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonium dirimentia.*

§ 711. Impedimenti nomine universim intelligitur, quidquid nuptiis vel contrahendis, vel contractis obicem ponit, easque vel illicitas, vel irritas reddit: unde duplicis generis sunt impedimenta. Quaedam enim ita cum matrimonio pugnant, ut illud non modo illicitum, verum etiam invalidum nullumque reddant; unde *dirimentia* appellantur. Quaedam sic resistunt matrimonio contrahendo, ut contractum non irritent, quamvis non sine gravi peccato contrahatur, ecclesiasticas leges, quibus id vetatur, infringendo: atque haec impedimenta *impedientia* vocantur. — Prioris generis impedimenta, nempe dirimentia, quaedam iure divino, naturali, quaedam legibus ecclesiasticis sunt constituta. Atque de his nunc quaeritur, an Ecclesia legitimo et proprio iure potestatem exerceat matrimonia fidelium certis limitibus circumscribendi, a quibus si exorbitent, irrita sint atque invalida? — Post *Waldenses*, qui ubique Ecclesiae potestatem coarctare et infringere studuerunt, etiam *Lutherus* et *Calvinus*, ambo in matrimonio nihil nisi humanum, civile et politicum agnoscentes sola impedimenta, quae in Levitico constituta sunt, admiseruut, atque potestatem statuendi impedimenta Ecclesiae denegarunt, contendentes, causas matrimoniales omnes non spectare ad iudices ecclesiasticos, sed ad Principes saeculares. — Post Novatores etiam inter Catholicos quidam, praecipue Iansenianorum placitis addicti extiterunt, qui matrimonium tanquam merum contractum civilem considerabant, omnemque talem contractum dirimendi potestatem Ecclesiae denegabant. Nominandus hic prae caeteris est *Launoius*, qui *Marci Ant. de Dominis*, apostatae vestigia premens in suo opere de regia in matrimonium potestate asserere non erubuit, ad solos reges et principes saeculares spectare ius statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, ita ut Ecclesia illud exercere non possit nisi vel cum usurpatione, vel ex indulgentia et concessione principum saecularium. Doctrina haec, inter Catholicos nova et inaudita saeculo proxime elapso plures asseclas nacta, et ex Gallia in Germaniam quoque translata est mediante praesertim famoso *Iustino Febronio*. Imo non in sola theoria iste error propinatus, sed et in praxin deductus est ope canonistarum et theologorum aulicorum a *Iosepho II* imperatore, qui in sua legislatione matrimoniali tanquam fundamentale principium statuit, matrimonium esse contractum mere civilem, et qua talem ad normam aliorum contractuum profanorum dirigi debere a foro civili, ideoque solum principem posse statuere impedimenta valorem matrimonii concernentia, et Ecclesiam pro conservanda religiosa honestate et moralitate nonnisi prohibitiones quasdam posse constituere. Ut autem hanc doctrinam ad speciem systematice proponere et defendere possent, theologi aulici contenderunt, matrimonium considerandum esse, ut contractum et ut sacramentum; ut contractum, soli subesse potestati civili, ut sacramentum vero subesse Ecclesiae. Posita hac distinctione sublata est Ecclesiae potestas statuendi impedimen-

ti matrimonium dirimentia; nam Ecclesia non potest facere sacramentum irritum et nullum, si omnia ad sacramentum conferendum requisita ponantur: sic, ex. gr., Ecclesia non potest efficere, ut baptismus sit nullus, qui a laico, etiam nulla urgente necessitate sub debita materia et forma ac requisita intentione confertur. — Ast in hoc gravissime aberrarunt praedicti theologi, quod dicerent, matrimonium ut contractum non subesse Ecclesiae, et Ecclesiam hunc contractum irritare non posse. Argumenta enim sole clariora ostendunt, quod contractus matrimonialis vel maxime Ecclesiae subsit, et ab ipsa irritari possit, et quod ideo Ecclesia potestatem habeat impedimenta matrimonium dirimentia statuendi. Dogma hoc catholicum ex *S. Scriptura*, ex *Traditione*, ex *rationibus theologicis* et ex *Conc. Tridentino* probatur. Ex iisdem autem argumentis patebit, quod Ecclesia hanc potestatem iure proprio, non a principibus concesso exerceat, et quod eam exclusive habeat.

1. *Ex S. Scriptura* pro dogmate catholico primum argumentum peti potest. Sicut nimirum iam in antiquo foedere Deus ipsemet respectu matrimonii plures pro populo hebraico leges condiderat, ita et in N. T. Christus Dominus nova dare dignatus est praecepta matrimonialia, per quae matrimonium ad pristinam ac originariam puritatem, cuius prototypon exhibitum fuerat in paradiso, revocavit. Sacra quippe Evangelia testantur, Christum statum coniugalem ad primaevam monogamiae simplicitatem, et ad vinculi indissolubilitatem reduxisse, eundemque dimissionem uxoris fornicariae ratam quidem habuisse, ita tamen, ut aliam ducendi facultatem, vivente priore, penitus prohibuerit; ex quo derivatur id, quod dicimus *ligaminis* impedimentum. Hisce eloquiis et doctrinis (1) Christus luculenter ostendit, coniunctionem matrimonialem quoad substantiam ipsam atque essentiam neutiquam rebus mere profanis ac civilibus esse accensendam, sed tanquam *obiectum sacrum*, imo tanquam obiectum speciali quodam modo *divinum* considerandam esse, quia sicut Deus ipse matrimonium instituit (2), ita ipse solus eius vinculum solvere potest, dicente Christo: *Quod Deus coniunxit homo non separet*. Si autem matrimonium est obiectum sacrum, illi profecto potestati subest, cui generatim potestas in sacra divinitus commissa est. Et si matrimonium res quaedam speciali modo divina est, in eius substantiam atque essentiam nemo exercere potestatem valet, nisi hanc a Deo acceperit. Atque Christus non principibus saecularibus, sed Apostolis potestatem in sacra dedit; hisce facultatem ligandi et solvendi concessit (3) et ad eosdem dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (4); quibus verbis potestatem sacram, quam ipse in terris ut supremum Ecclesiae caput exercuit, in Apostolos transtulit. Sicuti ergo Christus circa coniunctiõnem matrimonialem leges tulit, et impedimentum ligaminis statuit, ita etiam Apostoli non ex indulgentia principum, sed ex concessione Christi circa coniunctionem matrimonialem leges ferre, et impedimenta matrimonium dirimentia statuere potuerunt. Et revera Apostoli, optimi voluntatis Christi interpretes, auctoritate a Christo sibi concessa freti plures de fidelium matrimoniis leges tulerunt, praesertim Paulus I Cor. VII,

(1) V. § 693, et § 696
(2) Matth. 19. 4. etc.
(3) Matth. 16, 19; et ibid. 18, 18.
(4) Ioan. 20, 21.

aliisque in locis, in quibus circa coniugia neoconversorum Christianorum aut ineunda, aut non ineunda varia statuta profert. Ipsi ergo S. Scripturae repugnant, qui Ecclesiae potestatem denegant impedimenta matrimonium dirimentia statuendi: quodsi adversarii loca Scripturae adducta aliter interpretari conentur, omnes eorum cavillationes solvit apostolici et ecclesiastici sensus linea, iuxta quam S. Scriptura exponenda est, et infallibilis Ecclesiae definitio, ut ex dicendis abunde patebit.

2. *Traditionis* argumentum petitur ex Ss. Patribus et Conciliis, ex quibus patet, Ecclesiam iam ab antiquissimis temporibus impedimenta matrimonium dirimentia statuisse. *Tertullianus* lib. de coron. mil. c. 13 impedimentum commemorat, quod ex disparitate cultus oritur, et quod certe ab ethnicorum legibus non fuerat statutum. *S. Siricius P.* in Epist. ad Himerium vetuit, ne monachi et moniales connubia contrahant, quia, ait, « id ecclesiastica iura condemnant. » *S. Basilius* in Epist. ad Diodor. inquit, prohibitum esse, ne vir secundas nuptias cum sorore prioris uxoris contrahat, propterea « quod sanctiones istae (nempe de impedimento affinitatis) a sanctis viris nobis sint traditae. » Idem in Ep. ad Amphil. (1) scribit: « Qui autem sui fratris uxorem accepit, non prius admittitur (ad communionem eccles.) quam ab ea recesserit. » *S. Leo P.* nuptias earum mulierum, quae a maritis suis in servitutem deductis secundum permissionem legum civilium aliis nubebant, rescindi iussit. Idem in Epist. ad Anastas. Thessal. negat subdiaconis matrimonium concedendum esse: et in Epist. ad Rusticum Narbon. impedimentum conditionis agnoscit. *S. Gregorius M.* lib. 14 Epist. 17 testatur, impedimentum affinitatis usque ad septimam generationem eo tempore extensum fuisse: dicit autem solum se pro Anglorum gente, quae nuper ad fidem venerat, ne a bono quod coeperat, metuendo austeriora recederet, idem impedimentum ad quartam generationem restrinxisse. — Concilia eandem Ecclesiae persuasionem et praxin confirmant. *Conc. Eliberitanum* initio saeculi IV habitum statuit can. 15 *Gentilibus minime in matrimonium dandae sunt virgines Christianae, ne aetas in flore tumens in adulterio animae resolvatur:* can. 61: *Si quis post obitum uxoris suae sororem eius duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstineri:* can. 66: *Si quis privignam suam duxerit uxorem, eoquod sit incestus, placuit, nec in fine dandam esse ei communionem. Ancyranum* an. 314 can. 10: *Desponsatas puellas, et post ab aliis raptas, placuit erui et eis reddi, quibus antea fuerant desponsatae, etiamsi eis a raptoribus vim illatam constiterit. Neocaesariense* an. 314, can 2: *Mulier, si duobus nupserit fratribus, abiiciatur usque ad diem mortis. Toletanum II* an. 351, can. 5: *Haec salubriter cavenda sancimus, ne quis fidelis propinquam sanguinis sui, usquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari. Chalcedonense oecumenicum* can. 26 monachorum et virginum velatarum matrimonia damnat, simul permittens Episcopis, ut indulgentia, seu dispensatione in iis uti possint. *Agathense* an. 506, can. 61 diversos consanguinitatis ed affinitatis gradus statuit matrimonium dirimentes. *Aurelianense I* an. 511, can.

(1) Cap. 23.

18: *Ne superstes frater thorum defuncti fratris ascendat, neve se quisquam amissae sorori uxoris audeat sociare: quod si fecerint, ecclesiastica districtione feriantur. Moguntinum* an. 813, can. 54 statuit, *ut in quarta generatione nullus amplius coniugio copuletur: ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur.* Multa adhuc alia Conciliorum et Rom. Pontificum decreta adduci possent, quae idem probant; sed haec sufficiant, ut ostendant, Ecclesiam quovis tempore impedimenta matrimonium dirimentia statuisse. Id quidem multi ex adversariis non negant, sed dicunt, Ecclesiam ex concessione seu conniventia principum hoc ius exercuisse. Ast falso; nullus quippe princeps assignari potest, qui hoc ius Ecclesiae concesserit, aut qui de eius praetensa usurpatione unquam conquestus sit. Ipsi potius principes saeculares leges canonicas circa matrimonium latas laudant et commendant; ut quaedam matrimonia ab Ecclesia irrita declarentur, postulant, ad Ecclesiae auctoritatem confugiunt, ut impedimenta quibus tenentur, solvantur, nec non disertis verbis declarant, se edictis suis solos civiles attingere effectus. Historia Ecclesiastica multa exhibet huiusmodi exempla, quae ostendunt, principes ipsos agnovisse, quod Ecclesia iure proprio et independenti impedimenta matrimonium dirimentia statuat.

3. *Rationes theologicae* ex imperii sacri indole et fine, et ex matrimonii dignitate, quam in nova lege obtinuit, petuntur. Christus enim eam Ecclesiae suae in res spirituales potestatem concessit, quae necessaria est ad optimum christianae reipublicae regimen, ad mores rite et sancte instituendos, et ad salutem animarum promovendam. Atqui talis est potestas ferendi leges, quae spectant publicam sacramentorum administrationem, nuptiarum solemnitatem et conditiones, quibus fideles possunt eas licite ac valide celebrare. Ipsa igitur indoles et finis imperii sacri postulat, ut coniunctio matrimonialis potestati Ecclesiae subsit, et per hanc admitti vel impediri, firmari vel irritari possit. — Et sane adversarii non ex aliis rationibus potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia principibus saecularibus tribuunt, nisi quia cives imperio principum subsunt, et quia ab illorum connubiis bene, vel male initis magna ex parte bonum civitatis dependet. Ast, si fatentibus adversariis principes ex hac duplici ratione potestatem in contractum matrimonialem exercere, eundemque infirmare ac irritare possunt, multo magis idem Ecclesia iure proprio valet. Nam fideles ex ordinatione Christi imperio sacro Ecclesiae subiiciuntur quod tanto praestantius est, quanto anima corpori praestat, et salus aeterna felicitati temporali praeferenda est. Et ex matrimonio debite, vel indebite contracto non magis bonum reipublicae, quam bonum societatis religiosae, imo quoad ipsos coniuges magna saltem ex parte tota vitae ratio et salus aeterna dependet. Adversarii igitur ex principiis, quae ipsi statuunt, admittere debent, Ecclesiam proprio iure potestatem in contractum matrimonialem exercere, eundemque irritare posse. Vel maxime autem considerandum est, quod matrimonium sit verum N. L. sacramentum a Christo institutum: ex hoc enim sequitur, matrimonium rem sacram esse, et soli Ecclesiae plenam in illud potestatem competere. Neque id solum ex sententia eorum sequitur, qui dicunt, contrahentes ipsos

esse sacramenti huius ministros, et contractum matrimonialem nullo modo a sacramento inter baptizatos separari posse. Eadem enim conclusio non minus ex sententia eorum eruitur, qui dicunt, Sacerdotem esse sacramenti matrimonii ministrum, et contractum verbis vel signis expressum esse materiam proximam eiusdem sacramenti. Omnes enim admittunt, materiam remotam et proximam sacramentorum solius Ecclesiae potestati, administrationi et directioni subesse. Sic, ex. gr., princeps equidem potestatem in aquas naturales tenet: sed si aqua in usum baptismi benedicta, et in baptisterio reservata sit, talis aqua ut res sacra consideratur, et nulli principi in mentem venit, in talem aquam potestatem sibi arrogare, sed eius reservatio et applicatio Ecclesiae penitus committitur. Sic pariter nempe nemo dubitat, principes iura sua in balsamum, oleum etc. exercere posse: sed chrisma et oleum infirmorum post episcopalem benedictionem ut res sacrae considerantur a potestate saeculari exemptae, soli Ecclesiae subiectae et ab ipsa sola applicandae. Idem dicendum est de consecratione panis et vini in eucharistia et de aliis sacramentis. Ergo etiam contractus matrimonialis, quia materiam proximam sacramenti constituit, penitus subest soli Ecclesiae potestati. Omnes enim, qui per baptismum Ecclesiam ingrediuntur, grave praeceptum urget, vi cuius, si matrimonium inire velint, etiam sacramentum suscipere tenentur, et ideo quilibet contractus baptizatorum matrimonialis ex ordinatione Christi materiam proximam sacramenti, adeoque rem sacram constituit, in quam sola Ecclesia potestatem exercere potest.

4. *Conc. Tridentinum* Sess. XXIV, mox ab initio profitetur, se de sacramento matrimonii ea proponere et definire velle, quae *Sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt: adversus quam* (doctrinam), *impii homines huius saeculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo praetextu Evangelii libertatem carnis introducentes multa ab Ecclesiae catholicae sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena scripto et verbo asseruerunt, non sine magna Christifidelium iactura.* Protestatur deinde, quod ad Novatorum *haereses et errores* damnandos procedat. Et quia *Lutherus* et *Calvinus* Ecclesiae potestatem impedimenta matrimonii dirimentia statuendi negabant, sequentia definivit, can. 3: *Si quis dixerit, eos tantum consaguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit.* Et can. 4: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Quibus verbis Concilium satis clare definivit, Ecclesiam et potuisse et posse impedimenta matrimonii dirimentia statuere, et in eos, qui id negant, anathema tulit; ita ut nemo de dogmate catholico dubitare possit. Ast nihilosecius extiterunt inter Catholicos quoque nonnulli, quos unico verbo *Launoianos* vocare placet, qui verum germanumque sensum Concilii per versutas interpretationes eludere conati sunt. Eorum cavillationes ad tria potissimum referuntur capita: 1.° Isti canones, a-

iunt, non sunt dogmaticae decisiones, sed nonnisi disciplinares ordinationes: vel si forte dogmaticae sunt, per illos; 2.° Ecclesia non definivit ius nativum et proprium, sed solum a civitate sibi delegatum; vel denique, 3.° sub nomine Ecclesiae Concilium intellexit totam communitatem christianam, in qua adest potestas impedimenta matrimonii dirimentia statuendi, quia in illa continetur et princeps, cui praefata potestas competit, et qui nomine Ecclesiae designatur. Verum quis ignorat, a *Conc. Tridentino* in omnibus Sessionibus per *canones* semper dogmata fidei fuisse decisa, resque mere disciplinares in decretis de reformatione fuisse stabilitas? - Nec unquam Ecclesia in aliqua Synodo errores circa res mere disciplinares anathemate profligavit. — Ecclesiam porro decidisse potestatem mere delegatam gratis asseritur; ergo gratis negatur, alioquin deberent nominari illi principes, qui istud ius Ecclesiae commiserunt. Contrarium potius ex ipso verborum tenore apparet, cum Concilium dicat, Ecclesiam impedimenta statuere non solum hucusque *potuisse*, sed etiam in praesenti et in futurum posse. Quomodo tales definitiones convenirent iuri mere delegato? Dogmata ab Ecclesia definita immutabilia sunt, ius autem delegatum revocari potest; quod si fieret, non amplius verum, sed falsum esset, quod Concilium citato can. 3 definivit: canon igitur de iure Ecclesiae proprio et inamissibili intelligendus est. — Denique sub nomine Ecclesiae in citatis canonibus significari plebem christianam eiusque principes; quis sanae mentis credere potest, cum in omnibus aliis locis Concilium nomine Ecclesiae intelligat Hierarchiam, seu Congregationem praesulum ecclesiasticorum? Sane cum hic de exercitio potestatis sermo sit, nonnisi Ecclesia docens et imperans intelligi potest. - Caeterum (ut ad omnes huiusmodi vanas obiectiones generatim respondeamus) ecclesiasticas definitiones interpretari non spectat ad privatum quemque doctorem, vel theologum, sed ad ipsam Ecclesiam veritatis magistram. Ecclesia autem iam pridem iteratis vicibus sensum verum canonum Tridentinorum explicavit. Praesertim id praestitit summus Pontifex *Pius VI* in Bulla *Auctorem fidei*, in qua doctrina *Synodi Pistoriensis* prop. 59 asserentis: « Ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia; quod ius originarium praeterea dicitur cum iure dispensandi essentialiter connexum, subiungens, supposito assensu vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii, quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare, *canonum* 3, 4, 9, 12 Sess. XXIV *Conc. Trident. eversiva, et haeretica* declaratur. »

Nota 1. Nonnulli theologi, ut *Tournely, Maurus Schenkl*, et alii Ecclesiae quidem potestatem impedimenta matrimonium dirimentia statuendi tribuunt, sed eandem potestatem etiam principibus saecularibus adiudicant. Communius autem et quidem recte theologi asserunt, principes saeculares matrimonium in ra-

tione vinculi et sacramenti dirimere, seu ipsum contractum matrimonialem irritare non posse. Nam matrimonium est res sacra et speciali modo dominio divino subiecta: nemo igitur in eius substantiam potestatem exercere potest, nisi illam a Deo obtinuerit. Deum autem hanc potestatem principibus saecularibus dedisse, nullo argumento probari potest. Contrarium vero, ut iam dictum est, ex eo evincitur, quia Christus matrimonium ad dignitatem sacramenti elevavit, et ideo in ratione vinculi et sacramenti potestati saeculari subduxit. Praeterea ipsa sana ratio docet, non posse eandem rem sub una eademque ratione indivisibili duabus essentialiter diversis potestatibus subesse, alioquin pomum discordiae inter utramque proiectum dici deberet, quod certe absque iniuria divinae providentiae affirmari nequit. Cum igitur de fide certum sit, matrimonium ratione vinculi interni et essentialis valoris subesse Ecclesiae, recte concluditur, illud ratione eiusdem vinculi et validitatis non posse civitati subiacere. Ipsi imperatores christiani, si leges matrimoniales tulerunt, quibus quaedam coniugia irritari videbantur, id nonnisi ad leges canonicas custodiendas et vindicandas fecerunt. Ut expresse *Iustinianus* (1) his verbis asserit: « His igitur quae sacris canonibus definita sunt, insistentes, praesentem sancimus legem. » Interdum etiam principes christiani, quando optabant impedimentum aliquod constitui, legem non ferebant, sed Concilia rogabant, ut ferretur, prout a rege Galliae factum constat tempore *Conc. Tridentini*, quod votis regis quoad impedimentum clandestinitatis satisfecit, nequaquam autem quoad impedimentum minorennitatis. Vide *Pallavicin.* Hist. *Conc. Tridentini* (2). Constanter praeterea Rom. Pontifices docuerunt, principibus saecularibus potestatem non competere impedimenta matrimonium quoad vinculum dirimentia statuendi. Ita docet *Benedictus XIV* de Syn. dioec. lib. 8, cap. 12, n. 6, ubi prolata Novella 89 *Leonis* imp. addit: « Verum haec constitutio, cum a principe laico prodierit, non potuit matrimonii validitatem quoad forum conscientiae infringere. » Persaepe etiam S. Congregationes valida declararunt Christianorum connubia cum impedimentis civilibus irritantibus inita. Qua de re maxime attendenda est responsio S. Poenitentiariae data 1 iun. 1824 ad Episcopum Vivariensem, quae declarat nullitatem impedimentorum civilium quoad Christianorum coniugia, et insuper addit: « Ita eruitur ex instructione a suprema Inquisitione per S. Congregationis Concilii organum ad Episcopum Brexinonen. an. 1824 transmissa: *Matrimoniis fidelium, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, qualiacumque tandem fuerint impedimenta a saeculari potestate, Ecclesia non consulta nec probante, perperam ac nulliter constituta.* » Haec vero responsio extat in Rituali Bellicensi t. 3. Cum ergo sententia, quae omnem principibus saecularibus denegat potestatem circa vinculum Christianorum coniugiorum, menti et auctoritati Sedis apostolicae tam aperte innitatur pro indubitata et certa habenda est.

Notq 2. Exinde tamen non sequitur, civitati nullum omnino in matrimonium ius et potestatem compe-

(1) Nov. 137

(2) Lib. 22, c. 1, n. 16, s. c. 4; et lib. 23, c. 8, n. 10.

tere. Lubentissime potius conceditur, principes saeculares posse pro bono publico societatis, cui invigilare debent, leges ferre, quibus coniugia subditorum civiliter ordinentur, eaque disponere, quae civiles atque externos effectus, utpote dotem, haereditatem, ac eiusmodi circumstantias et consectaria status coniugalis attinent. Haec omnia matrimonii vinculo sunt extrinseca, et obiecta essentialiter profana, quae ex indole et natura sua spectant ad legislationem profanam. Christus ipse luculentum huius rei praebuit argumentum. Etiamsi enim, ut probavimus, plures de matrimonio leges tulerit et matrimonium uti rem sacram sicut potestati suae, ita etiam Ecclesiae a se institutae subiecerit: nullatenus tamen, cum interpellaretur de divisione haereditatis, ullam sententiam tulit, aut legem aliquam pronuntiavit, sed ab omni actu abstinuit dicendo: *Quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos* (1)? Quodsi ergo principes saeculares de matrimonii effectibus externis dispositiones faciunt, dummodo istae non contradicant legibus divinis, naturalibus vel ecclesiasticis, quilibet Christianus iuxta monitum Pauli (2), easdem observare tenetur. — Historia quoque testatur, imperatores et principes pietate illustres, non contradicente Ecclesia statuta de matrimonio fecisse: nunquam autem Sedes apostolica in conventionibus, seu concordatis cum diversis civitatum rectoribus initis, iuri principum leges matrimoniales ferendi obstitit, sed potius earundem observantiam Christifidelibus inculcavit, prout, ex. gr., fit in novissima instructione pro iudiciis ecclesiasticis imperii Austriaci, Romae die 4 mai 1855 approbata, in qua dicitur § 69: « Sanctum est Christiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam Dominus ipsē nos per Apostolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constitutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter Christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit; civi tamen Austriaco haud licet negligere praescriptiones, quas lex Austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit. » Quid clarius, atque praeclarius hisce verbis dici posset?

Nota 3. Si Ecclesia habet potestatem leges matrimoniales ferendi, consequenter etiam gaudet iure in legibus a se latis dispensandi, et ideo etiam impedimenta matrimonialia humanitus instituta relaxandi. Quaestio autem movetur, cuinam hoc ius in Ecclesia praecise competat, an soli summo Pontifici, an etiam Episcopis? Sed si res ad trutinam iuris communis ponderatur, facile patescit, Episcopos ex se non habere hanc dispensandi potestatem, quia iuxta indubiam regulam iuris inferior non potest dispensare in lege superioris. Ita quoque sentit *Benedictus XIV* (3), et sic etiam habet hodierna praxis Ecclesiae, vi cuius Episcopi non possunt relaxare impedimenta dirimentia nisi ex speciali concessione, qualis, ex. gr., tribui solet Episcopis Germaniae in facultatibus, ut dici solet, quinquennalibus. Verum equidem et indubitatum est ex historia priscorum saeculorum, Episcopos quondam etiam in dirimentibus impedimentis dispensasse. Ast hoc fecerunt aut propter angustias et necessitates temporum, aut ex concessione tacita vel expressa summorum Pontificum, aut ex per-

(1) Luc. 12, 14. (2) Rom. 13, 1, etc.

(3) Lib 9 de Syn. Dioec cap. 2.

missione Conciliorum generalium, ut ex *Concilio Chalcedonensi* superius exemplum allegatum est.

Nota 4. Praecipua ratio, ob quam nonnulli potestatem impedimenta matrimonii dirimentia statuendi Ecclesiae denegabant, et principibus saecularibus tribuebant, ex eo peti consuevit, quia matrimonium est contractus civilis, civiles autem contractus imperio civili subiiciuntur. Gloriabantur isti de sententia eorum theologorum, qui pro materia proxima sacramenti matrimonii assignabant contractum civilem. Quam infirma autem nulliusque momenti sit haec ratio ab adversariis adducta, patet ex argumentis, quibus probatum est, contractum matrimonialem quoad essentiam et validitatem a Christo imperio civili penitus subductum, et tanquam rem sacram Ecclesiae penitus subiectum esse. Approbari porro nullatenus potest sententia theologorum eorum, qui contractum *civilem* pro materia proxima sacramenti matrimonii assignant. Matrimonium enim, quod tanquam officium naturae institutum est, supponit *contractum naturalem*. Si autem contrahentes regimini politico subsunt, huiusque leges observant, *contractum civilem* inire dicuntur. Si porro iidem contrahentes societati religiosae aggregati et imperio sacro subiecti sunt, et iuxta huiusce ordinationes invicem paciscuntur, *contractum religiosum seu ecclesiasticum* inire recte dicuntur. Nullatenus autem admitti potest, Christum *contractum civilem* pro materia sacramenti a se instituti designasse. Christus enim pro omnibus hominibus baptizatis, qui nubere volunt, sacramentum matrimonii instituit: dari vero possunt homines baptizati nulli regimini subiecti, qui ideo contractum quidem naturalem, non autem civilem inire possunt: in his ergo materia proxima sacramenti deficeret, si ea per contractum civilem constitueretur. Praeterea tempore Christi dominabantur imperatores ethnici, quorum leges matrimoniales legibus divinis adversabantur: quis iam dicet, Christum voluisse, ut contractus iuxta leges principum ethnicorum initus sit proxima sacramenti materia? — Denique in variis ditionibus variae leges a principibus pro matrimonio praescribuntur. Christus autem certe noluit, materiam sacramenti proximam in quolibet regno variam esse, et a principum arbitrio dependere. Rectissime igitur concluditur, materiam proximam sacramenti matrimonii esse contractum naturalem, seu potius religiosum seu ecclesiasticum, iuxta leges divinas et ecclesiasticas initum: ideo sacramentum soli suscipere possunt baptizati, qui per baptismum Ecclesiam ingressi legibus divinis et ecclesiasticis subiiciuntur. Multas Neotericorum difficultates solvit cl. *Perrone* de matrim. cap. 3.

II. *Causae matrimoniales spectant ad iudices ecclesiasticos.*

§ 712. In rebus matrimonialibus dubia et lites emergere posse, per se patet, et certe maximi momenti est cognoscere, a quonam tribunali causae istae diiudicandae sint. Ad hanc quaestionem solvendam immortalis *Benedictus XIV* de Synodo dioeces. lib. 9, cap. 9 (1), tria causarum matrimonialium genera distinguit, atque his verbis doctrinam catholicam proponit: « Aliquae (causae matrimoniales) versantur circa initi foederis coniugalis firmitatem; et hae nullo Catholicorum contradicente in solo Ecclesiae foro sunt pertractandae... Aliae sunt causae excitatae aut super validi-

(1) N. 3 et 4.

tate sponsalium, aut super iure instituendi divortium quoad thorum et cohabitationem; et istae pariter ob illum respectum, quem habent ad matrimonii sacramentum, ad solum iudicem ecclesiasticum deferuntur, quod deducitur ex cap. 10, *Ex litteris*, de sponsalibus, et ex cap. *Porro*, de divortiis. Sponsalia quippe praevia sunt ad matrimonium celebrandum obligatio, et per divortium iura relaxantur utrique coniugum ex matrimonio quaesita. Aliae demum sunt causae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe, atque immediate respiciunt ; uti sunt lites, quae moventur super dote, donatione propter nuptias, haereditaria successione, alimentis et similibus; et istas ad iudices saeculares pertinere, ex communi doctorum sensu recte docent cl. *Bellarminus* (1), et *Tannerus* (2). » Iuxta hanc distinctionem causae illae, quae vinculo matrimonii extrinsecae sunt, et ad iura et bona temporalia referuntur, a potestate civili diiudicari possunt. Causae vero, quae relationem habent ad ipsum matrimonii vinculum, seu ad sacramentum, spectant ad iudices ecclesiasticos, nempe ad Episcopos et praecipue ad primatem. Haec propositio ex *ipsa matrimonii natura*, ex *S. Scriptura*, ex *Traditione*, et ex *Concilio Tridentino* probatur.

1. *Matrimonium* est sacramentum, atque iam in se spectatum res sacra seu res conscientiae, ac immediatae institutionis divinae, a legibus divinis et ecclesiasticis quoad suam internam rationem et essentiam unice pendens. Ad solam autem Ecclesiam pertinet iudicare de sacramentis rebusque sacris generatim, ac proi de etiam de matrimonio speciatim : ad iudices nempe ecclesiasticos, et non ad alios, spectat disquirere, utrum coniugium legitimum et honestum sit, ad legis divinae et ecclesiasticae normam exactum, nec ne; aliter enim paci et tranquillitati conscientiae fidelium, nec non communi Ecclesiae saluti male esset prospectum.

2. *Christus* ipse iudicavit causam inter partes (quas vocarunt *Hillel* et *Schammai*) concertantes de repudio et divortio, ut legitur Matth. V, 32, et Matth. XIX, 3 etc., nec eam ad magistratum politicum remisit, prout fecit, cum ageretur de haereditate, Luc. XII, 14.— Pari modo S. Paulus Apostolus I Cor. VII, 12 quaestionem decidit de coniugiis eorum, quorum una pars ad fidem evangelicam transierat, ubi notanter ait: *Caeteris ego dico, non Dominus* etc. *Si quis frater uxorem habet infidelem* etc., quibus verbis indicavit, se non solum ut interpretem legis divinae, sed etiam ut iudicem legitimum hac in quaestione decisionem edere et ius dicere voluisse. Idem Apostolus in eadem Epistola (3) energice et cum sancta indignatione obiurgavit eos, qui causas suas traherent ad iudices *iniquos*, id est, infideles, saeculares, et non potius ad *sanctos*, seu ad Christianos, quamvis in isto loco solum ageretur de negotiis temporalibus. Quanto magis causae Christianorum matrimoniales, utpote obiecta sacra, iuxta mentem Apostoli ad tribunal Ecclesiae spectabunt?

3. *Ex traditione* constat, causas matrimoniales diiudicandi potestatem inter Christianos semper Ecclesiae adscriptam fuisse. Nunquam enim legimus, tribus praesertim prioribus Ecclesiae saeculis, Christianos ad civiles magistratus causas coniu-

(1) Lib. un. de matrim. cap. 4
(2) Tom. 4, disp. 8, n. 166.
(3) Cap. 6, v. 1, etc.

gales iudicandas detulisse, ut observat *Bellarminus* (1). Imo quaestiones eiusmodi in Episcoporum Concilio fuisse olim decisas, colligitur ex fragmento Epistolae ab *Alexandro II* ad quemdam *Guillelmum* de Monasteriolo scriptae, atque ab *Ivone* (2) et *Gratiano* (3) relatae, in qua Pontifex eidem *Guillelmo* interdicit, ne propriam uxorem consanguinitatis praetextu, « praesumat dimittere, vel aliam ducere, donec Episcoporum religiosorum Concilium causam istam examinaverit. » Audivimus etiam superius litem inter *Lotharium* et *Teuthbergam* super validitate coniugii inter eos antea contracti discussam fuisse in Synodo *Aquisgranensi;* cumque ab istius sententia Teuthberga appellasset ad *Nicolaum I,* eodem Pontifice iubente fuisse iterum examinatam in *Synodo Metensi.* Similia monumenta, nempe Rom. Pontificum decreta et Conciliorum sanctiones magno in numero ex omnibus saeculis prostant, et luculenter probant, causas matrimoniales semper ad forum ecclesiasticum deductas, et a iudicibus ecclesiasticis decisas fuisse. Atque hinc factum est, ut Lutheri sectatores vel primo ipso reformationis, quam vocant, saeculo, principium de solius regiminis civilis in matrimonia auctoritate non ubique adoptaverint. Imo eousque progressi sunt Protestantes, ut recipere coeperint ius canonicum Catholicorum, illudque ceu normam in causis matrimonialibus diiudicandis ad forum suum ecclesiasticum derivare studuerint. Hinc *Boëhmerus* scribere non dubitavit: « Adeo matrimoniales causae ad concistoria nostra spectant, ut doctrina iuris pontificii de hac materia fere recepta sit... ut nequidem magistratus saecularis per modum praeventionis de iis cognoscere queat... proinde quaestio principalis tamdiu suspendenda, donec de causa natalium in foro ecclesiastico fuerit cognitum » (4). Hanc eandem sententiam Anglicani sectantur, quamvis suo Regi tribuant proprietatem principis, seu capitis Ecclesiae. Nec mirum, cum vel ethnici ipso naturae lumine ducti matrimonium tanquam rem sacram habuerint, et Sacerdotibus iudicandam reliquerint (5).

4. *Conc. Tridentinum* doctrinae S. Scripturae et perpetuae traditionis insistens Sess. XXIV, can. 12 definivit: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.* Indigne quidem nonnulli tulerunt, quod Ecclesia definitionem dogmaticam de re ediderit, quam ipsi vel ad solam disciplinam, vel etiam maxima ex parte ad iudicia civilia pertinere putabant. Graviter autem ita sentientes aberrarunt. Vere etenim agebatur de materia dogmatica, quoniam credendum est, potestatem causas matrimoniales diiudicandi Ecclesiae competere; et quia haec potestas a Christo Ecclesiae tradita tempore Concilii a Novatoribus negabatur, rectissime *Patres Tridentini* praefato canone Ecclesiae potestatem contra adversarios vindicant. Eundem porro canonem optime interpretatur *Pius VI* in Epistola, quam in forma Brevis dedit ad Episc. *Motulensem* (6) scribens: « Ignotum non est, quosdam adesse, qui saecularium principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba huius canonis captiose interpretantes illud defendendum susceperunt: ut, quoniam *Tridentini Patres* hac dicendi formula

(1) Lib. un. de matrim. cap. 32, n. 3, etc.
(2) P. 9, c. 32.
(3) Dec. p. 2, cap. 10, 35, q. 6.
(4) Iur. eccl. Protestant. tom. 2, tit 2, § 25 et seq. (5) V. Perrone l. c. n. 257.
(6) Die 16 sept. 1788.

usi non fuerint: ad *solos* iudices ecclesiasticos, aut *omnes* causas matrimoniales, - potestatem reliquerint iudicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quae sunt meri facti. Sed scimus etiam, hanc captiunculam, et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant, et complectantur; spiritus vero, sive ratio legis adeo patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquant. Si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis: sicut haec sacramentalis ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hae causae spectare unice debent ad iudices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus, ut concors est canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere Ecclesiae iuribus satis superque eorum scripta demonstrant. Etenim, ut verbis utamur *Van-Espenii* (1), unanimi consensu receptum est, *causas sacramentorum esse mere ecclesiasticas, easque, quantum ad substantiam eorum, ad iudicem ecclesiasticum privative spectare; nihilque circa eorum validitatem, aut invaliditatem iudicem saecularem posse decernere;* eo quod hae ex natura sua sunt mere spirituales. Et sane si quaestio versatur de validitate ipsius matrimonii solus iudex ecclesiasticus est competens, ipseque solus de hac quaestione cognoscere potest. » Idem *Pius VI* in Constit. *Auctorem fidei* propositionem 58 Synodi Pistoriensis damnavit, quae statuit, « sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto subiacere, - quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae: quae quidem propositio *falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans* declaratur, et ut talis proscribitur. »

Nota. Errores Novatorum, qui ab initio solis principibus civilibus causas matrimoniales iudicandi potestatem adscripserunt, saeculo proxime elapso regna quaedam catholicae fidei addicta obcaecaverunt et inquinaverunt, ita ut in *Austria* sub *Iosepho II* imper., anno 1783, prodierit edictum publicum matrimoniale, cuius principium fuit, matrimonium per se vim pacti civilis habere, eiusque ac omnium, quae ex eo fluunt, iurium et obligationum sanctiones solis principum legibus, controversiarum vero de iis motarum discussionem solis civilibus iudiciis competere. In eundem sensum redactus est novus codex civilis Austriacus, an. 1811 promulgatus, per quem causarum matrimonialium decisio magistratibus politicis adiudicata fuit. Ecclesia quidem contra haec decreta principiis catholicis penitus contraria frequenter protestata, sed non audita est, et in causis matrimonialibus ad solum fere conscientiae forum remissa de tristi hoc rerum statu vehementer ingemuit, donec tandem sub imperatore augustissimo, *Franc. Iosepho* felicissime regnante, quem clementissimus Deus diutissime sospitem et incolumem servet, his rerum publicarum perturbationibus finis fuerit impositus per Concordatum cum Sede apostolica initum (an. 1855), in cuius art. 10 haec habentur: « Cum causae ecclesiasticae

(1) Ius eccl. p. 3, t. 2, c. 1. n. 4

omnes, et in specie quae fidem, sacramenta, sacras functiones, nec non officia et iura ministerio sacro annexa respiciunt, ad Ecclesiae forum unice pertineant, easdem cognoscet iudex ecclesiasticus, qui proinde de causis quoque matrimonialibus iuxta sacros canones, et Tridentina cum primis decreta iudicium feret. »

Usus doctrinae de sacramento matrimonii.

§ 713. 1. Ex sacramenti matrimonii institutione sapientia et bonitas Christi Salvatoris nostri maxime elucet. Matrimonium enim a Deo ipso, a quo nonnisi bona et sancta procedunt, institutum est, et quidem ad optimum finem, nempe ut coniuges tum filios procreantes genus humanum propagarent, tum ut mutuum sibi vitae adiutorium praestarent. Concupiscentia autem ex peccato originali enata effecit ut homines non tam ad procreandam prolem, quam potius ad explendam libidinem nuptias inirent, eademque hominum corruptio ita discordiarum semina sparsit, ut ipsi etiam coniuges non tam se mutuo adiuvarent et recrearent, quam potius dissensionibus et rixis se molestarent, infelicesque redderent. Ita non solum inter ethnicos, sed etiam inter carnales Iudaeos matrimonium a sua primaeva dignitate degeneraverat. Christus vero exhibere sibi voluit *gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam et rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (1). Necesse est autem, ut etiam in Ecclesia Christi coniuges existant, per quos regnum Christi in terris conservetur et multiplicetur. Quoniam vero in coniugibus fidelibus deleta est quidem per baptismum iniquitas, sed manet infirmitas, ideo Christus pro iisdem speciale sacramentum instituit, quo efficeretur, ut concupiscentia, quae manet in renatis, nonnisi ad bonum finem dirigatur, et amor inter sponsos ita sanctificetur et corroboretur, ut nullo irae et luctarum turbine concutiatur. Gratias igitur agamus divini Redemptoris nostri clementiae, quae non solum bono coniugum providit, sed et bono filiorum, qui ex divinitus sanctificato coniugio nascuntur, et bono Ecclesiae, quae a coniugibus magno N. L. sacramento sanctificatis sanctam prolis educationem et exigere et expectare potest.

2. Cum Deus conservationem et propagationem humani generis velit, dubitari non potest, dari quasdam personas ad coniugium vocatas. Quamobrem qui matrimonium contrahere gestiunt, admonendi sunt a curatoribus animarum, ut non caeco modo naturales stimulos sequantur, sed vocationem divinam explorare, et si hanc cognoverint, non ex alio fine coniugium inire praesumant, nisi ut voluntati divinae obtemperantes gloriam Dei et spiritualem salutem tum propriam tum alienam promovere possint. Admonendi iidem pariter sunt, ut ad sacramentum matrimonii digne recipiendum diligenter se praeparent, atque ideo ab omni inordinato affectu, scurrili verbo et inhonesto actu solertissime caveant, ne gratia divina se indignos reddant; e contra vero per orationes et bona opera benedictionem divinam promereri satagant. Cum autem pro nuptiarum celebratione ad solitum examen, et multo magis cum ad tribunal poenitentiae accedunt, sedulo examinandi sunt, an forte cum aliis sponsalia inierint: vel inter se affinitatem contraxerint, aut alio canonico impedimento irretiti sint, ne sacramentum periculo nullitatis ex-

(1) Eph. 5, 27.

ponatur, aut sacrilegium committatur.

3. Coniuges post sacramentum matrimonii receptum monendi sunt, ut se velut instrumenta Creatoris sanctissimi revereantur, et ab omni re abstineant, qua iustos limites castitatis coniugalis laederent, ne in seipsos ardentiore amore victi adulteri sint: ut praeterea amorem gratia sacramentali sanctificatum continuo foveant, fidem, quam sibi invicem dederunt, integerrime colant, onera status patienter ferant, et salutem mutuam sincero studio promoveant: ac demum ut prolem tanquam a Deo sibi donatam considerent, et in ea ad veram pietatem ac vitae sanctitatem educandam omnem curam ac operam collocent.

INDEX

SECTIO II.

DE SACRAMENTIS

TRACTATUS II.

§ 524. De sacramentis in specie *pag.* 3

CAPUT I.

§ 525. De baptismo . . . . » 4

ARTICULUS I.

§ 526. De divina baptismi institutione » 8
§ 527. I. De veritate institutionis baptismi factae per Christum . » 9
§ 528. II. De tempore institutionis baptismi factae a Christo . » 14

ARTICULUS II.

§ 529. De materia et forma baptismi » 16
§ 530. I. De materia remota baptismi » ibi
§ 531. II. De materia proxima baptismi 23
§ 532. III. De forma baptismi . » 32

ARTICULUS III.

§ 533. De ministro baptismi . » 42
§ 534. I. Ordinarii baptismi ministri sunt Episcopi et Presbyteri » ibi
§ 535. II. Extraordinarius baptismi minister est Diaconus . » 45
§ 536. III. Minister baptismi in necessitate est quilibet homo. » 46

ARTICULUS IV.

§ 537. De baptismi effectibus . » 53
§ 538. I. Baptismus tollit omnia peccata, tum originale, tum personalia . 54
§ 539. II. Baptismus omnem poenam, etiam temporalem, peccatorum delet . . . . . » 57
§ 540. III. Baptismus confert ex opere operato gratiam sanctificantem » 61
§ 541. IV. Baptismus characterem imprimit, aliosque effectus producit . . . . . » 65

ARTICULUS V.

§ 542. De necessitate baptismi . » 68
§ 543. I. Baptismus fluminis ad salutem necessarius est necessitate tum medii, tum praecepti . » 69
§ 544. II. Baptismus flaminis supplet baptismum fluminis . *pag.* 82
§ 545. III. Baptismus sanguinis supplet baptismum fluminis . » 86

ARTICULUS VI.

§ 546. De subiecto baptismi . » 90
§ 547. I. Infantes valide et licite baptizantur . . . . . » 92
§ 548. II. Baptisma infantibus conferre expediens est, idque pro annis discretionis in ipsis veras obligationes parit . . . » 100
§ 549. III. Variae quaestiones de subiecto baptismi solvuntur . » 104

ARTICULUS VII.

§ 550. De caeremoniis baptismi solemnis . . . . . » 109
§ 551. Usus doctrinae de baptismo » 116

CAPUT II.

§ 552. De confirmatione . . » 119

ARTICULUS I.

§ 553. De veritate sacramenti confirmationis . . . . . » 120
§ 554. I. Argumentum biblicum . . . » 121
§ 555. II. Argumentum ecclesiasticum 127

ARTICULUS II.

§ 556. De materia et forma confirmationis . . . . . » 139
§ 557. I. De materia confirmationis » ibi
§ 558. II. De forma confirmationis » 145

ARTICULUS III.

§ 559. De ministro confirmationis » 147
§ 560. I. Solus Episcopus est minister ordinarius confirmationis » 148
§ 561. II. Simplex sacerdos potest esse minister confirmationis extraordinarius . . . . » 155

ARTICULUS IV.

§ 562. Doctrina reliqua de confirmatione . . . . . » 158
§ 563. I. De effectibus confirmationis » ibi
§ 564. II. De necessitate confirmationis » 161

§ 565. III. De subiecto confirmat. *pag.* 163
§ 566. IV. De caeremoniis confirmationis . . . . » 165
§ 567. Usus doctrinae de confirmatione» 167

CAPUT III.

§ 568. De eucharistia . . . » 168
§ 569. De divina eucharistiae institutione . . . . . » 171
§ 570. Momentum doctrinae, et ordo dicendorum . . . . . » 176

DISSERTATIO I.

§ 571. De eucharistia, quae est mysterium altissimum . . » 177

ARTICULUS I.

§ 572. De reali Christi in eucharistia praesentia . . . . » 178
§ 573. I. Argumentum biblicum . . » 180
§ 574. *A.* Ex verbis promissionis » 181
§ 575. *B.* Ex verbis institutionis . » 188
§ 576. *C.* Ex verbis Apostoli Pauli » 200
§ 577. II. Argumentum ecclesiasticum » 203
§ 578. *A.* Ex Ss. Patribus . . » ibi
§ 579. *B.* Ex Conciliis et Liturgiis » 223
§ 580. *C.* Ex praescriptione . » 225
§ 581. III. Reflexio philosophica . » 229

ARTICULUS II.

§ 582. De transsubstantiatione . » 237

ARTICULUS III.

§ 583. De eucharistiae reservatione et adoratione . . . » 249
§ 584. I. Christus in eucharistia praesens est modo permanente, etiam extra sumptionem . » 250
§ 585. II. Christus in eucharistia cultu latriae adorandus est . » 256

ARTICULUS IV.

§ 586. De praesentia Christi, et communione sub una vel utraque specie . . . . » 261
§ 587. I. Totus et integer Christus sub unaquaque specie eucharistica continetur . . . » 263
§ 588. II. Communio sub utraque specie laicis neque praecepta, neque necessaria est . . » 266
§ 589. III. Iure prudenterque Ecclesia usus calicis non sacrificantibus sustulit . . . . » 279
§ 590. Usus doctrinae de eucharistia, altissimo mysterio . . » 282

DISSERTATIO II.

§ 591. De eucharistia, quae est sacramentum efficacissimum . » 284

ARTICULUS I.

§ 592. De materia et forma eucharistiae . . . . *pag.* 285
§ 593. I. Prima materia remota eucharistiae est panis triticeus . » 286
§ 594. II. Panis triticeus, sive azymus sit sive fermentatus, est materia valida eucharistiae . . » 287
§ 595. III. Altera materia eucharistiae remota est vinum de vite » 296
§ 596. IV. Aqua miscenda est vino in calice offerendo . . . » 298
§ 597. V. Materia eucharistiae proxima sunt species, ut continent corpus et sanguinem Christi » 301
§ 598. VI. Formam eucharistiae constituunt verba dominica . » 302

ARTICULUS II.

§ 599. De ministro eucharistiae . » 305
§ 600. I. Soli Episcopi et Sacerdotes sunt ministri eucharistiae conficiendae . . . . . » 306
§ 601. II. Eucharistiam dispensant sacerdotes ut ordinarii, diaconi ut extraordinarii ministri » 309

ARTICULUS III.

§ 602. De effectibus eucharistiae » 310
§ 603. I. Eucharistia per se et directe peccata mortalia non remittit » ibi
§ 604. II. Eucharistia peccata venialia et temporales peccatorum poenas diluit . . . . » 314
§ 605. III. Eucharistia fideles cum Christo et inter se unit . . » 316
§ 606. IV. Eucharistia gratias copiosas ad peccata vitanda, et exercendas virtutes confert . » 317
§ 607. V. Eucharistia pignus aeternae gloriae tribuit . . . » 321

ARTICULUS IV.

§ 608. De necessitate eucharistiae, eiusque subiecto . . . » 322
§ 609. I. Nemini actualis eucharistiae perceptio necessaria est necessitate medii, sed solis adultis necessaria est necessitate praecepti . . . . » ibi
§ 610. II. Ad eucharistiam digne et cum fructu sumendam non sufficit sola fides, sed aliae quoque dispositiones requiruntur . » 328
§ 611. Usus doctrinae de efficacissimo eucharistiae sacramento . » 330

DISSERTATIO III.

§ 612. De eucharistia quae est sacrificium praestantissimum . *pag.* 333

ARTICULUS I.

§ 613. De sacrificiis generatim . . » ibi
§ 614. I. Definitio sacrificii in sensu stricto et proprio accepti . » 334
§ 615. II. Sacrificii proprie dicti divisiones . . . . . » 336
§ 616. III. Necessitas sacrificii proprie dicti . . . . . » 339

ARTICULUS II.

§ 617. De veritate seu existentia sacrificii eucharistici . . . . » 340
§ 618. I. Argumenta ex S. Scriptura petita . . . . . » 341
§ 619. *A.* Missae sacrificium in V. T. praefiguratum et praenuntiatum fuit . . . . . » ibi
§ 620. *B.* Sacrificium missae a Christo in ultima coena institutum fuit » 349
§ 621. *C.* Sacrificium missae ab Apostolis frequentatum fuit . . » 353
§ 622. II. Argumenta ex traditione deprompta . . . . . » 354
§ 623. *A.* Ex Ss. Patribus . . » ibi
§ 624. *B.* Ex Liturgiis, Conciliis et praescriptione . . . . . » 359

ARTICULUS III.

§ 625. Doctrina reliqua de missae sacrificio . . . . . » 361
§ 626. I. De essentia sacrificii missae » ibi
§ 627. II. De fine seu effectibus sacrificii missae . . . . . » 365
§ 628. III. De obiecto sacrificii missae » 371
§ 629. IV. De ministro sacrificii missae » 373
§ 630. V. De subiecto sacrificii missae » 375
§ 631. VI. De missis privatis . . » 377
§ 632. Usus doctrinae de praestantissimo eucharistiae sacrificio » 385

CAPUT IV.

§ 633. De sacramento poenitentiae » 387

ARTICULUS I.

§ 634. De existentia sacramenti poenitentiae . . . . . » 392
§ 635. I. Christus Ecclesiae potestatem remittendi peccata tradidit » 393
§ 636. II. Ecclesia omnia peccata remittere potest, ita ut nullum peccatum irremissibile sit . » 402
§ 637. III. Poenitentia est verum N. L. sacramentum, et quidem a baptismo distinctum . . . » 408

ARTICULUS II.

§ 638. De contritione . . . . *pag.* 413
§ 639. I. Contritio perfecta hominem iustificat. priusquam sacramentum poenitentiae suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto, quod in illa includitur » 419
§ 640. II. Ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum non est necessaria contritio charitate perfecta . . . . . » 423
§ 641. III. Attritio ex solo metu gehennae, seu poenarum timore concepta bona est, et utilis . » 425
§ 642. IV. Ut attritio in sacramento poenitentiae sufficiat, coniuncta esse debet cum amore Dei initiali . . . . . » 432

ARTICULUS III.

§ 643. De confessione . . . . » 438
§ 644. I. Argumentum ex S. Scriptura depromptum . . . . . » 441
§ 645. II. Argumentum ex Ss. Patribus petitum . . . . . » 446
§ 646. III. Argumentum ex aliis monumentis ecclesiasticis desumptum . . . . . » 459

ARTICULUS IV.

§ 647. De sacramenti poenitentiae materia, forma, ministro, subiecto et effectu . . . . . » 470
§ 648. I. De poenitentiae sacramenti materia remota . . . . » ibi
§ 649. II. De poenitentiae sacramenti materia proxima . . » 473
§ 650. III. De poenitentiae sacramenti forma . . . . . » 476
§ 651. IV. De poenitentiae sacramenti ministro . . . . . » 482
§ 652. V. De sacramenti poenitentiae subiecto et effectibus . » 489

ARTICULUS V.

§ 653. De satisfactione . . . » 496
§ 654. I. De satisfactionis possibilitate et necessitate . . . » 497
§ 655. II. De imponenda satisfactione sacramentali . . . . » 504
§ 656. III. De tempore satisfactionis persolvendae . . . . » 506

ARTICULUS VI.

§ 657. De indulgentiis . . . » 509
§ 658. I. De potestate Ecclesiae indulgentias concedendi . . . » 511
§ 659. II. De thesauro meritorum Chri-

sti et sanctorum Ecclesiae dispensationi commisso . *pag.* 515
§ 660. III. De indulgentiarum efficacia et utilitate . . . » 521
§ 661. IV. Doctrina reliqua de indulgentiis . . . . . » 525
§ 662. Usus doctrinae de poenitentiae sacramento . . . » 531

CAPUT V.

§ 663. De sacramento extremae unctionis . . . . . » 533

ARTICULUS I.

§ 664. De sacramenti extremae unctionis existentia, seu veritate » ibi
§ 665. I. Argumentum ex S. Scriptura depromptum . . . » 534
§ 666. II. Argumentum ex traditione petitum . . . . . » 539

ARTICULUS II.

§ 667. Doctrina reliqua de sacramento extremae unctionis . » 546
§ 668. I. De extremae unctionis materia remota . . . . . » ibi
§ 669. II. De extremae unctionis materia proxima . . . » 548
§ 670. III. De extremae unctionis forma » 551
§ 671. IV. De extremae unctionis ministro . . . . . » 554
§ 672. V. De extremae unctionis subiecto . . . . . » 558
§ 673. VI. De extremae unctionis effectibus . . . . . » 561
§ 674. VII. De extremae unctionis necessitate et iteratione . » 565
§ 675. Usus doctrinae de sacramento extremae unctionis . » 567

CAPUT VI.

§ 676. De sacramento ordinis . » 568

ARTICULUS I.

§ 677. De sacramenti ordinis existentia seu veritate . . . » 570
§ 678. I. Argumentum ex S. Scriptura petitum . . . . . » 571
§ 679. II. Argumentum ex traditione haustum . . . . » 575

ARTICULUS II.

§ 680. De sacramenti ordinis extensione seu ambitu . . . . » 578
§ 681. I. De fide est, presbyteratum esse proprie dictum sacramentum » 580
§ 682. II. Episcopatus est sacramentum et ordo a presbyteratu distinctus . . . . . » 581
§ 683. III. Certum est, diaconatum esse verum sacramentum . *pag.* 584
§ 684. IV. De subdiaconatu, ordinibus minoribus et tonsura . . » 585

ARTICULUS III.

§ 685. Doctrina reliqua de sacramento ordinis . . . . . » 590
§ 686. I. De sacramenti ordinis materia et forma . . . . . » ibi
§ 687. II. De sacramenti ordinis ministro . . . . . » 596
§ 688. III. De sacramenti ordinis subiecto . . . . . » 599
§ 689. IV. De sacramenti ordinis effectibus . . . . . » 600
§ 690. Usus doctrinae de sacramento ordinis . . . . » 609

CAPUT VII.

§ 691. De sacramento matrimonii » 610

ARTICULUS I.

§ 692. De matrimonii unitate . » 612
§ 693. I. De polygamia simultanea » 613
§ 694. II. De polygamia, et polyandria successiva . . . » 616

ARTICULUS II.

§ 695. De matrimonii indissolubilitate » 619
§ 696. I. Matrimonium iure naturali et divino indissolubile est . » ibi
§ 697. II. Matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum, si alter-utro coniuge ad fidem converso nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris » 623
§ 698. III. Matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem unius coniugum dirimitur . . » 626
§ 699. IV. Matrimonium consummatum fidelium nulla unquam de causa ne adulterii quidem, dissolvi potest quoad vinculum . » 629

ARTICULUS III.

§ 700. De sacramenti matrimonii existentia, seu veritate . » 639
§ 701. I. Argumenta ex S. Scriptura deprompta . . . » ibi
§ 702. II. Argumenta ex traditione petita . . . . . » 645

ARTICULUS IV.

§ 703. De sacramenti matrimonii ministro . . . » 651

§ 704 I. Sententia, quae contrahentes ministros esse dicit sacramenti matrimonii . . . . *pag.* 651
§ 705 II. Sententia, quae sacerdotem dicit sacramenti matrimonii ministrum . . . . . » 656

ARTICULUS V.

§ 706. De sacramenti matrimonii materia, forma, subjecto et effectibus . . . . . » 672
§ 707. I. De sacramenti matrimonii materia et forma . . . » ibi
§ 708. II. De sacramenti matrimonii subjecto . . . . » 674
§ 709. III. De sacramenti matrimonii effectibus . . . *pag.* 676

ARTICULUS VI.

§ 710. De potestate Ecclesiae circa matrimonium legislativa et judiciaria . . . . . » ibi
§ 711. I. De potestate Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonii dirimentia . . . . » 677
§ 712. II. Causae matrimoniales spectant ad judices ecclesiasticos » 685
§ 713. Usus doctrinae de sacramento matrimonii . . . . » 689

V. ex Deleg. D. D. Archiep.
GHIRINGHELLO.

INSTITUTIONES

THEOLOGIAE THEORETICAE

SEU

DOGMATICO-POLEMICAE

CONCINNATAE

A REVERENDISSIMO

P. ALBERTO A BULSANO

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM EX-DEFINITORE GENERALI
PROVINCIAE TIROLENSIS DEFINITORE AC LECTORE ETC. EMERITO

PARS QUINTA

DE DEO OMNIUM CONSUMMATORE

VOLUMEN VI.



Editio Sexta.

—

AUGUSTAE TAURINORUM
Eq. PETRUS MARIETTI
TYPOGR. PONTIF. ET ARCHIEP.
MDCCCLXXVIII

Editor sibi vindicat jus proprietatis.

THEOLOGIAE

DOGMATICO-POLEMICAE SPECIALIS

PARS V.

DE DEO OMNIUM CONSUMMATORE

Nexus et momentum doctrinae.

1. Deus infinitus, aeternus et immutabilis semper idem est, et anni eius non deficiunt (1). Quaecumque autem extra Deum existunt, mutationi obnoxia sunt, ita ut ibidem *sicut opertorium* mutanda dicantur. De ipso etiam homine scriptum est: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (2). Qualescunque autem vicissitudines in rebus creatis contingunt, non casui fortuito adscribendae sunt, sed providentiae divinae, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (3). Deus nempe, qui omnia creavit, ipse etiam omnia conservat (§ 254), et omnia in mundo physico, et in mundo morali ita gubernat, ut ad finem sibi praefixum dirigantur (§ 256-260). Huius iam sapientissimae et efficacissimae gubernationis effectus indagare, atque ideo Deum tanquam omnium rerum a se creatarum *Consummatorem* considerare oportet. Ut autem infinita Dei sapientia in omnium rerum contingentium consummatione rite cognoscatur, fines rerum singularum partiales, et finem universarum rerum totalem distinguere oportet; atque attendere necesse est, sapientiae congruum esse, finem inferiorem hincinde negligi, ut finis nobilior obtineatur; finem autem totalem et nobilissimum esse gloriam Dei, seu manifestationem attributorum divinorum (§ 141). Quamvis igitur non omnes creaturae fines suos partiales consequantur, omnia tamen ita a Deo gubernantur, ut in omnibus finis totalis obtineatur.

2. Inter opera Dei visibilia principem locum tenet homo, de quo canit Psalmista: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum* etc. (4). Et Eccli. XVII, 4 dicitur: *Dedit illi potestatem omnium, quae sunt super terram*. Rectissime ideo dicitur, omnes creaturas, oculis nostris conspicuas, propter hominem conditas, hominem vero propter Deum creatum esse (5). Homo enim anima rationali, libera et immortali praeditus (6), imo et-

(1) Ps. 101, 27. (2) Iob 14, 1, etc.
(3) Sap. 8, 1. (4) Ps. 8, 6, etc.
(5) § 141, nota 1. (6) § 198, etc.

iam supernaturalibus donis insignitus est (1), ut Deo in hac vita serviat, et in altera vita eodem fruatur in aeternum. Cum autem humanum genus per peccatum a dignitate sua delapsum, donis supernaturalibus privatum, talibusque vulneribus repletum esset, ut ad nobilem suum finem pertingere non potuisset: ipse unigenitus Filius Dei incarnatus est, et opus Redemptionis suscepit, quo peccata sustulit, et gratiam supernaturalem promeruit qua homines a peccatis ablui, sanctificari, iustificari, atque ita spiritualiter corroborari possunt, ut perfectam moralitatem exercere, et aeternam felicitatem assequi valeant. Ex quibus patet, sicut Creationem, Conservationem et Gubernationem, ita etiam Redemptionem et Sanctificationem proxime ad finem hominis promovendum dirigi. — Quodsi ad homines in statu naturae reparatae viventes oculos reflectamus, videmus quidem, multos media salutis parta a Christo assidue adhibentes, perfectam sectari moralitatem, sanctamque ducere vitam; alios vero tepide in via virtutis progredi, atque levioribus saltem culpis inquinatos cernimus; quinimo tales quoque observamus, qui media salutis aut negligentes, aut male adhibentes a via iustitiae penitus declinant, gravibus criminibus contaminantur, ac impoenitentes ex hac vita decedunt. Cum autem tam diversus sit status moralis hominum in hac terra viventium, quaeritur, qualis eorum sors in altera vita erit? — Hanc quoque quaestionem divina Revelatio solvit dicens: Deus *reddet unicuique secundum opera eius* (2). Sicut enim Deus hominum Creator, Conservator, Gubernator, Redemptor et Sanctificator est, ita etiam omnium hominum Iudex, et quidem bonorum Remunerator, malorum autem Vindex erit. Haec doctrina Revelationis in hac ultima Theologiae theoreticae parte pertractanda est.

3. Dubitari nequit, doctrinam de Deo omnium Consummatore summi momenti esse. Ex ipsa etenim divinae perfectiones maxime elucent, ut Maiestas Dei, eiusque supremum in omnes res dominium, cui omnia subiecta sunt; omnipotentia, cui nemo resistere potest; omniscientia, quae scrutatur corda et renes, et cui nihil prorsus occultum manet; fidelitas in promissis, iustitia remunerativa, et superabundans bonitas, qua iustos in aeternum beatos reddit, iustitia vindicativa, qua impios confundit, aeternisque poenis afficit etc. Quodsi praecipuum Theologiae officium est, attributa divina praedicare, et sic gloriam Dei promovere, magna utique solertia etiam tractatus de Deo omnium Consummatore suscipiendus est. Summi momenti etiam pro homine est, ut sortem cognoscat, in altera vita exspectandam. In diversissima enim iustorum et impiorum sorte aeterna, efficacissima tum spei, tum timoris motiva invenit, quibus ad moralitatem assidue sectandam adigatur. Et sane ideo varius bonorum et malorum status in altera vita per divinam Revelationem nobis patefactus est, ut homines, qui solo amore ad finem suum non pertrahuntur, saltem timore a vitiis arceantur, atque spe retributionis ad opera bona incitentur. Veritates igitur revelatae, statum hominum in altera vita concernentes, sedulo declarandae, solide probandae, et continuo ruminandae sunt.

4. Quoniam Deus simplicissimus (§ 20), aeternus (§ 25), et tempori nullo modo subiectus est, omnia, quae vult, uno et simplicissimo actu per-

(1) § 203 et 204.

(2) Matth. 16, 27; Rom. 2, 6.

ficit. Quoniam autem nos hunc unum simplicissimum et infinitum actum uno obtutu perspicere non valemus, idcirco varios actus in Deo, iuxta nostrum concipiendi modum, sibi succedentes, mente nostra distinguimus. Eodem modo procedendum est, dum de Deo Iudice, bonorum Remuneratore, et malorum Vindice sermo instituitur. Imprimis enim decreta concipimus, quibus Deus ab aeterno aliis quidem coelestem gloriam tribuere, aliis vero aeternas poenas infligere statuit: dein vero eorundem decretorum divinorum executionem pensamus. Haec autem sub duplici respectu, seu in duplici tempore consideranda est. Deus enim decreta sua, hominum sortes in altera vita concernentia, ex parte iam exsequitur in morte cuiusvis hominis: solemniter vero, publice et universaliter praefata decreta divina executioni mandantur in fine mundi. Ut igitur doctrina de Deo omnium Consummatore, seu de Deo Iudice integre et ordinatim pertractetur, 1° *de decretis divinis, aeternas hominum sortes concernentibus*, 2° *de istorum decretorum divinorum executione in morte cuiusvis hominis*, et 3° *de eorundem decretorum executione in fine mundi agendum est.*

Nota. Non homines tantum, sed etiam reliquas creaturas a Deo gubernari, ac ideo etiam aliquando consummari, seu ad fines suos perduci, Revelatio docet. Scriptum est enim: *Coelum et terra transibunt* (1): ubi per coelum et terram ea omnia intelliguntur, quae hunc visibilem mundum constituunt. Dantur igitur etiam decreta divina, creaturas ratione carentes respicientia, et haec quoque infallibiliter executioni mandabuntur. Cum autem natura materialis, ratione ac libero arbitrio destituta, et ideo studii veri et honesti incapax, finem absolutum in seipsa non habeat, sed propter hominem facta sit, cuius etiam dominio subiecta fuit (2): manifestum est, eam non absolute considerandam esse, sed in relatione ad hominem, cuius sortes sequitur. Ideo, quamdiu homo in statu innocentiae versabatur, natura quoque materialis uberrimis benedictionibus divinis repleta fuit. Deus enim gratiae animae et corporis, in qua hominem condiderat, gratiam quoque loci adiecit; et quamvis locus hic limitibus esset circumscriptus, ex Ss. Litteris tamen coniici potest, conditionem reliquarum terrae partium quoad rem ipsam, seu essentiam a paradiso haud fuisse diversam. Cum autem homo per peccatum a dignitate sua delapsus esset, terra quoque maledicta, seu deterior reddita est (3). Quam maledictionem naturae humanae reparator Christus non sustulit, sed sapientissime ordinavit, ut ipsa natura deterior reddita continuo tristissimum lapsum in hominis mentem revocaret, eidem seipsum abnegandi, et crucem tollendi occasionem praeberet, atque sic spiritualem eiusdem finem promoveret. Quando autem totum genus humanum consummandum, et in alterius vitae status transferendum erit, cum non amplius adsint homines viatores, quibus natura materialis inserviat, tunc *coelum et terra transibunt*, seu penitus immutabuntur. Ex quibus patet, quod recte in hac ultima Theologiae theoreticae parte de decretis divinis, aeternas hominum sortes concernentibus, et de eorum executione agatur, quoniam exinde etiam omnium rerum consummatio cognoscitur.

(1) Matth. 24, 35.
(2) Gen. 1, 26; Ps. 8, 5, etc.
(3) Gen. 3, 17, etc.

SECTIO I.

DE DECRETIS DIVINIS AETERNAS HOMINUM SORTES CONCERNENTIBUS

§ 715. Inter decreta divina ea profecto maximam nostram attentionem merentur, quae aeternas hominum sortes concernunt. Nam, ut scite observat *S. Thomas* (1), Deus speciali ratione providet naturis intellectualibus et rationalibus, quia istae « praecellunt alias creaturas et in perfectione naturae, et in dignitate finis: in perfectione quidem naturae, quia sola natura rationalis habet dominium sui actus, libere se agens ad operandum, caeterae vero creaturae ad opera propria magis agantur, quam agant: in dignitate autem finis, quia sola creatura intellectualis ad ipsum ultimum finem universi sua operatione pertingit; scilicet cognoscendo et amando Deum; aliae vero creaturae ad finem ultimum pertingere non possunt, nisi per aliquam similitudinis ipsius participationem. » Quamvis autem omnes homines eadem naturae perfectione gaudeant, et ad eundem nobilissimum finem conditi sint, hunc tamen non omnes consequuntur, quoniam debito modo moralitatem non sectantur, sine qua, ut ipsa ratio docet (2), consummata felicitas obtineri nequit. Ideo divina quoque Revelatio nos quidem certos reddit, Deum velle, omnes homines salvos fieri (3), Christum pro omnibus mortuum esse, et salutis viam aperuisse (4); sed tamen testatur, multos non in lege Domini ambulantes, verum alia via incedentes, in aeternam perditionem ruere (5). — Cum igitur diversae sint hominum in altera vita sortes, et alii quidem aeternis praemiis remunerandi, alii vero aeternis suppliciis afficiendi sint; duplex quoque decretum divinum distinguendum est, nempe decretum, quo Deus aliquos aeternis praemiis remunerare, et decretum, quo Deus alios aeternis poenis afficere ab aeterno statuit. Primum *Praedestinatio*, alterum *Reprobatio* nominari solet. De hoc duplici decreto sermo hic instituendus est.

Nota. Cum decreta, seu iudicia Dei incomprehensibilia sint (6), cum maxima modestia in hac tractatione procedendum, et non tam humanis ratiociniis indulgendum, quam potius ad doctrinam Revelationis et Ecclesiae attendendum est. Facilius tamen gravissimus iste tractatus intelligi posse videtur, cum plures veritates, quae illi lucem affundunt, iam pertractatae fuerint; actum enim iam est de bonitate (7), et de iustitia Dei (8), de hominis destinatione (9), de Redemptionis efficacia, conditionibus et universalitate (10), de gratiae distributione (11), de efficacia Sacramentorum etc.

CAPUT I.

DE PRAEDESTINATIONE

1. *Praedestinatio* iuxta vocis etymologiam accipitur pro quavis praeordinatione, qua de rebus, antequam fiant, aliquid statuitur, decernitur, definitur. In hac latissima significatione quodlibet decretum, de futura rerum contingentium sorte in mente divina conceptum, praedestinatio appellari potest. In sensu autem nonnihil strictiore per praedestinationem illa decreta divina significantur, quae aeternas hominum sortes concernunt; antiquitus enim non solum decretum, quo Deus aliquos ad aeternam gloriam

(1) Lib. 3, c. Gentes, cap. 3.
(2) Th. gen. § 41.
(3) 1 Tim. 2, 4.
(4) § 379.
(5) Matth. 7, 13.
(6) Rom. 11, 33.
(7) § 49, etc.
(8) § 48.
(9) § 202.
(10) § 375-380.
(11) § 411, etc.

destinat, sed etiam decretum, quo Deus pro aliis aeternas poenas constituit, praedestinatio dici consuevit. Ita *S. Augustinus*, qui specialem librum de praedestinatione Sanct. exaravit (1), scribit: « Quomodo ergo istis dixit: *Non estis ex ovibus meis?* = quia videbat eos ad sempiternum interitum praedestinatos, non ad vitam aeternam sui sanguinis pretio comparatos. » Et *Concilium Valentinum III*, an 855, can. 3 ait: *Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem.* Usu tamen theologico factum est, ut praedestinatio divina in bonam solummodo partem usurpetur, pro electione scilicet et destinatione aliquorum ad gratiam et gloriam: et in hoc sensu praedestinatio in isto capite sumitur.

2. Praedestinatio a *S. Augustino* lib. de praedest. Sanct. (2) definitur: « Gratiae praeparatio, » et paulo prolixius lib. de dono perseverant. (3): « Praedestinatio nihil est aliud quam praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. » *S. Thomas* 1, q. 23, art. 1 scribit: « Ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae praedestinatio nominatur: » ubi per rationem transmissionis intelligit collectionem illorum mediorum, qua Deus in tempore utitur ad perducendam creaturam rationalem in vitam aeternam. » Idem angelicus Doctor ibidem (4) inquit: « Praedestinatio est quaedam ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, in mente divina existens. » Et in I sent. Dist. 40, q. 1, art. 2 de praedestinatione ait: « Est praeparatio gratiae in praesenti, et gloriae in futuro. » *Scotus* in I sent. q. unica inquit: « Praedestinatio est electio creaturae rationalis vel intellectualis ad gratiam et gloriam. » Et in III sent. Dist. 7, q. 5: « Praedestinatio est praeordinatio alicuius ad gloriam principaliter, et ad alia in ordine ad gloriam. » Definitiones istae quamvis verbis discrepent, quoad substantiam tamen conveniunt. Recte ideo praedestinatio dicitur illud decretum divinum, quo Deus ab aeterno gratiam et gloriam aeternam hominibus illis largiri statuit, qui eandem revera consecuturi sunt.

3. Iuxta communiorem theologorum sententiam praedestinatio partim ad intellectum divinum, partim ad voluntatem divinam pertinet: ad intellectum quidem, quatenus supponit praescientiam finis beatissimi, qui in consecutione aeternae gloriae consistit, et simul continet dispositionem mediorum, quibus creatura rationalis perducenda est ad salutem; praescire enim, disponere et dirigere proprium est intellectus: ad voluntatem vero, quatenus Deus ex affectu misericordiae decernit electis dare gratias efficaces et gloriam. Hinc S. Scriptura, de divina praedestinatione loquens, actus exprimit, partim ad intellectum, partim ad voluntatem pertinentes: sic Rom. VIII, 29 dicitur: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, etc.; et Ephes. I, 5: *Praedestinavit nos - secundum propositum voluntatis suae.*

4. Theologi praedestinationem sub vario respectu considerandam esse docent. Ita *Carolus Iosephus Tricassinus* in celebri disputatione theologica de praedestinatione hominum ad gloriam (5) adnotandum esse dicit, « praedestinationem tripliciter hic sumi posse; 1° pro praedestinatione ad gratiam simpliciter, seu ad gratiam

(1) Tract. 48 in Ioan.
(2) Cap. 10. (3) Cap. 14. (4) Art. 2.
(5) P. 1, sect. 1.

nude et solitarie sumptam; 2° pro praedestinatione ad gloriam etiam simpliciter, seu nude et solitarie sumptam; 3° pro praedestinatione ad gratiam simul et ad gloriam: nam cum ibi sint diversi termini, ita et diversae debent esse definitiones et essentiae: nam aliud est praedestinare ad gratiam, aliud praedestinare ad gloriam, aliud praedestinare ad utramque: et per consequens aliud est praedestinatio ad gratiam, aliud praedestinatio ad gloriam, et aliud praedestinatio ad utramque, quod valde notandum est, et omnino memoriae commendandum, ne in toto decursu disputationis laboretur in aequivoco, et uni praedestinationi tribuatur, quod soli convenit alteri, aut uni perperam denegetur, quod merito soli denegetur alteri, sed unicuique tribuatur, quod illi conveniens est, et etiam denegetur, quod illi disconveniens est, et ita in hac nostra disputatione perspicua et clara et vera sint omnia. » Hac de causa theologi praedestinationem distinguunt in *incompletam*, seu *inadaequatam*, et in *completam* seu *adaequatam*. Ita *Thomas ex Charmes* (1) ait: «Praedestinatio sumitur dupliciter: 1° *incomplete* pro praedestinatione vel ad gratiam nude et solitarie sumptam, vel ad gloriam nude item et solitarie sumptam; 2° *complete* pro praedestinatione ad gratiam simul et gloriam, seu quatenus non tantum respicit gloriam aeternam, sed etiam omnia gratiae dona, quibus creatura rationalis ad gloriam perducitur: haec ergo gratiam specialem, perseverantiam simul et gloriam complectitur. » Talis distinctio etiam in S. Scriptura occurrit. Haec enim testatur, dari praedestinationem ad gratiam sine praedestinatione ad gloriam, seu dari decretum Dei aeternum, aliquibus gratiam concedendi, qui vitam aeternam consecuturi non sunt; unde dicitur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (2). Nullatenus quidem dari potest praedestinatio ad gloriam sine praedestinatione ad gratiam; sed tamen in S. Scriptura praedestinatio ad gloriam, nude et solitarie sumpta, meritis hominum adscribitur, quin de praedestinatione ad gratiam sermo fiat. Ita Christus praedestinationis ad gloriam decretum aeternum exprimit, dicens: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit:* (3) et ibid.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (4); quibus in locis praedestinatio ad gratiam non negatur, sed reticetur. Denique praedestinationem ad gratiam et gloriam simul exprimit Paulus ad Rom. scribens: *Quos autem praedestinavit* (ad gloriam) *hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit* (5).

5. In doctrina de praedestinatione caute distinguere oportet dogmata catholica et opiniones theologorum. De fide nempe est, dari praedestinationem, eamque certam et immutabilem esse ex parte Dei; non autem ex parte hominis, qui sine speciali revelatione certus esse non potest de sua praedestinatione. Si autem quaeritur de causa praedestinationis moralis, seu de modo, quo Deus decretum praedestinationis concipit, variae dantur sententiae, quarum aliquae haereticae sunt, aliae vero, licet e diametro sibi opponantur, catholicae tamen propugnari possunt. Nonnulli enim theologi

(1) Tract. de Deo Diss. 4, c. 3, q. 3, nota 2.
(2) Matth. 20, 16. (3) Matth. 19, 29.
(4) V. 17. — Cf. Matth. 25, 34, etc.
(5) Cap. 8, 30.

catholici decretum praedestinationis ad gloriam *absolutum*, ante praevisa merita conceptum, defendunt; alii vero decretum praedestinationis ad gloriam *hypotheticum*, seu post praevisa merita conceptum, propugnant (1). Maior theologorum consensio datur circa praedestinationis effectus, quamvis in eorundem declaratione pro diversitate systematum quaedam discrepantia detur. Ut igitur doctrina de praedestinatione recte et integre proponatur, agendum est: 1° *de praedestinationis existentia et certitudine;* 2° *variae de causa morali praedestinationis sententiae tum haereticorum, tum theologorum catholicorum enumerandae sunt;* 3° *argumenta eorum, qui decretum praedestinationis absolutum defendunt, afferenda et refellenda;* 4° *argumenta eorum, qui decretum praedestinationis hypotheticum propugnant, proponenda et defendenda sunt; ac demum* 5° *aliqua de effectibus praedestinationis dicenda sunt.*

Nota. Praedestinatio in sacris Litteris appellatur etiam *praeparatio regni* (2); *inscriptio in librum vitae* (3); *propositum* (4); Praedestinati autem vocantur *electi* (5); *praeordinati* (2); *scripti in libro vitae* (7); *vasa misericordiae* (8); *vasa in honorem* (9); *benedicti* (10); *vocati aeternae haereditatis* (11).

ARTICULUS I.

De praedestinationis existentia et certitudine.

§ 717. Praedestinationis existentiam negarunt omnes, quicunque generatim decreta divina admittere recusarunt (12). Dari praedestinationis decretum, *Pelagiani* quoque inficiati sunt. Eiusdem certitudinem et immutabilitatem cum Pelagianis negarunt etiam *Semipelagiani*. *Calvinus* unumquemque fidelem certum esse debere, et quidem certitudine fidei, de sua propria praedestinatione, affirmavit. Contra quos errores doctrina catholica de *praedestinationis existentia* et *certitudine* proponenda, probanda et vindicanda est.

I. *De praedestinationis existentia.*

§ 718. De fide est, dari decretum divinum, per quod ab aeterno omnes illi ad gratiam et gloriam praedestinantur, qui hanc aliquando consecuturi sunt. Dogma hoc catholicum *ex S. Scriptura, ex Traditione et rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* pro dogmate catholico clarissima testimonia exhibet. Matth. XXV, 34 Christus electos sic alloquitur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* quibus verbis aeternae beatitudinis *regnum*, ad quod possidendum electi vocantur, dicitur iisdem *paratum*, nempe in mente divina, et quidem *a constitutione mundi*, id est, per decretum aeternum. Luc. X, 20 Christus docet, non de donis gratis datis, sed de praedestinatione ad aeternam gloriam gaudendum esse; ait enim: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sint in coelis;* et Apoc. XX, 15 dicitur: *Qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis:* ex quibus verbis patet, omnes, qui a perditione liberantur, et aeternam beatitudinem consequuntur, *in libro vitae scriptos esse:* per librum vitae autem et per nominum inscriptionem non intelligitur nisi praedestinationis

(1) Cf. § 134, n. 4. (2) Matth. 25, 34.
(3) Luc. 10, 26. (4) Rom. 8, 28, etc.
(5) Matth. 20, 16. (6) Act. 13, 48.
(7) Apoc. 20, 15. (8) Rom. 9, 23.
(9) Rom. 9, 23. (10) Matth. 25, 34.
(11) Hebr. 9, 15, etc. (12) § 134, nota 2.

decretum, in mente Dei ab aeterno existens. Apostolus Rom. VIII, 28 etc. scribit : *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secumdum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.* Quibus verbis Paulus manifeste testatur, Deum eos praescire et praedestinare, qui Filio Dei in sanctitate huius et in felicitate alterius vitae conformes fiunt: imo et expresse dicit, omnes, qui a Deo vocantur, et iustificantur, et glorificantur, iam ab aeterno a Deo praedestinatos fuisse. Alii quidem volunt, in verbis citatis non de praedestinatione ad gloriam, sed solum de praedestinatione ad gratiam sermonem esse, de qua etiam loquitur Ephes. I, 4 etc., scribens: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae.* Ast nihilominus ex citatis Pauli verbis argumentum inferri potest. Nam si nemo venit in tempore ad fidem et gratiam, nisi qui ab aeterno ad hanc praedestinatus est a Deo, a fortiori nemo venit ad gloriam, quae est fructus gratiae, nisi ab aeterno ad hanc et illam praedestinatus a Deo.

2. *Traditionem*, seu fidem perpetuam Ecclesiae de praedestinationis existentia contestatur *S. Augustinus*, qui ex professo contra Semipelagianos librum de praedestinatione Sanctorum exaravit. Huic addidit alium librum de dono perseverantiae, in quo iterum multa de praedestinatione ad gratiam et ad gloriam disseruit; nam cap. 19 (1) scribit: « Hoc scio, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. » In eodem porro capite doctrinam suam auctoritate *S. Cypriani*, *S. Ambrosii* et *S. Gregorii Naz.* confirmat. Ibidem cap. 21 (2) ait: « Nimiae contentionis est, praedestinationi contradicere, vel de praedestinatione dubitare. » Denique cap. 23 (3) inquit: « Praedestinationis huius fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. » *S. Prosper* in Resp. I ad obiect. Gallorum dicit: « Praedestinationem Dei nullus catholicus negat. » Et in Epist. ad Ruffin.: « Praedestinationem tam impium est negare, quam ipsi gratiae contraire. » *S. Fulgentius* lib. de Incarn. et gratia Christi, cap. ultim. haec habet: « Deus, qui hominem condidit, ipse praedestinatione sua et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiae ad proficiendum, et donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, praeparavit: quippe non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atque incommutabili habet dispositum voluntate. Cuius praedestinationis veritatem... si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitae praesentis impietatis suae contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obstitit, non abiecerit, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, et praedestinavit ad regnum. » *S. Gregorius M.* (4) ait: « Ipsa perennis regni praedestinatio ita ab omnipo-

(1) N. 48. (2) N. 56. (3) N. 65.

(4) Dialog. lib 1, c. 8.

tenti Deo disposita est, ut ad hoc electi ex labore perveniant; quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante saecula disposuit donare. »

3. *Rationem theologicam* nobis suppeditat *S. Thomas* (1) hoc suo ratiocinio: Cum aeterna vita sit finis, naturae creatae modum et proportionem excedens, adeoque nullus hominum virtute propria pertingere ad illam possit; necesse est, ut ad ipsam homo, quemadmodum a sagittario sagitta mittitur in signum, a Deo dirigatur, qui solus et naturae, quae dirigitur, et finis, ad quem ille ordinatur, et mediorum, quibus ordinatur, est auctor. Huius autem ordinis ratio, quae in tempore perficitur, cum nihil fiat a Deo, quod ante ab aeternitate non definierit, ex aeternitate fuit in mente Dei; atqui ratio haec est praedestinatio; igitur in Deo est, eaque ita est ad salutem necessaria, ut hanc obtinere nemo possit, qui non fuerit praedestinatus. — Breviter ita argumentari licet: Quod Deus facit in tempore, id ab aeterno facere decrevit, cum Deus nulli sit mutationi obnoxius, imo nec tempori subiectus. Atqui ex Revelatione certum est, Deum nonnullis hominibus gratiam et gloriam dare in tempore: ergo istam dare hominibus illis ab aeterno decrevit; hoc autem decretum est ipsa praedestinatio, quae ergo vere existit.

Nota. Praedestinationis existentiam omnia ea confirmant, quae de decreti praedestinationis certitudine, causa movente, seu qualitate et effectibus dicenda sunt. Interim praecipua difficultas, quae praedestinationis existentiae opponi solet, solvenda est.

Obi. I. Doctrina praedestinationis periculosa videtur, noxia libertati, et ita comparata, ut homines vel in socordiam aut desperationem iniiciat, vel in temerariam praesumptionem ac securitatem. Quippe si ab aeterno sors nostra praedefinita est, valebit istud dilemma, quo multi defatigantur ac turbantur: Vel sum praedestinatus, vel non: si sum praedestinatus, salutem certissime consequar; irrita enim esse non potest absoluta Dei voluntas, atque ita, tametsi genio et cupiditatibus licentius indulgeam, certo certius aderit mihi etiam non sollicito finalis perseverantiae gratia: si vero non sum praedestinatus, quidquid boni egero, tandem deserente gratia in aeternum peribo; soli enim praedestinati salvi esse possunt. Narrat *S. Augustinus* lib. de dono persev. (2), simili dilemmate quemdam in suo monasterio turbatum fuisse, ac deserto monasterio ad saeculi pompam rediisse.

Resp. Ad hoc dilemma solvendum varia a variis responderi solent. 1° In genere observare oportet, doctrinam divinitus revelatam sanctam, et ita comparatam esse, ut homines ad finem sibi praefixum, scilicet ad moralitatem, ad sanctitatem, et ad felicitatem perducantur (3). Certissime igitur etiam doctrina revelata de praedestinatione talis est, ut moralitatem et sanctitatem promoveat, nullatenus autem eiusdem impedimenta producat, qualia sunt temeraria praesumptio et negligentia in iis, qui se praedestinatos putant, et desperatio ac socordia in iis, qui timent, se e praedestinatorum numero non esse. Et sane - ex adducto dilemmate infertur, hominem sollicitum esse non debere de sua salute, ad quam, quidquid tandem egerit, vi praedestinationis perventurus praesumitur. Haec autem consequentia contraria est ver-

(1) 1. q. 23. art. 1. (2) C. 15, n. 48.

(3) V. Th. gen. § 107, et 264

bis Christi: *Contendite intrare per angustam portam* (1), et verbis Pauli: *Sic currite ut comprehendatis* (2), (*bravium*, id est, aeternae vitae praemium). Quodsi consequentia aperte falsa est, etiam dilemma, ex quo deducitur, putidum sophisma est, eo vitio laborans, quod Logici vocant *a falso supponente seu ab ignorantia elenchi*. 2° *Hon. Tournely* tr. de Deo (3) adductum dilemma ita impugnat: « Absurditas et falsitas dilemmatis clarior adhuc videbitur, si ad res humanas, ordinarias, temporales ac civiles transferatur. An vero quisquam erit tam stolidus ac fatuus, qui sic ratiocinari velit? Vel Deus praescivit ac decrevit, me intra mensem in vivis fore, vel non praescivit: si primum, manducem, vel non manducem, in vivis ero: si non praescivit, quidquid egero, moriar. Pariter vel Deus praescivit, me a tali morbo liberandum, vel non: si praescivit, remediis utar, vel non utar, a morbo certissime convalescam, secus non convalescam. Non puto, quemquam fore mente ac ratione praeditum hominem, qui tam insulsi dilemmatis obtentu velit aut vitam suam, aut sanitatem in apertum discrimen adducere, ab alimentis abstinere, aut negligere remedia. Quid ita? quia intimo conscientiae sensu cuilibet notum est, ea omnia a Deo non decerni, nisi quia novit futurum, ut assumantur media ad rem obtinendam omnino necessaria, alimenta nempe ad conservationem vitae, remedia vero ad restitutionem sanitatis. » 3° Cl. *Billuart* de Deo (4) decantati dilemmatis falsitatem ingeniose ostendit dicens: « Si huic dilemmati aliqua vis inesset, nemo melius eam intelligeret, quam daemon, homine longe perspicacior et versutior, sicque cessarent omnes illorum (malignorum spirituum) insidiae et tentationes, ipsis sic philosophantibus: Vel homines sunt praedestinati, vel non sunt; si sint praedestinati frustra illos tentamus, non obstantibus enim tentationibus nostris certo salvabuntur; si non sint praedestinati, etiam nobis non tentantibus certissime damnabuntur. Et tamen omnia isti agunt, omnia commovent, ut homines trahant in suas partes tentando, insidiando, imaginationem turbando, obiecta, et occasiones offerendo etc., ac si nulla esset praedestinatio. Agnoscunt ergo daemones, praedestinationem nihil impedimenti adferre, quominus homines boni sint vel mali, felices vel infelices, utcunque maluerint; nisi forte dicas: daemones ita se gerere, quia non agnoscunt praedestinationem. At quomodo possunt non agnoscere, quod et fides et ratio, et infelix eorum experientia tam luculenter evincunt? » — 4° Qui praedestinationis decretum absolutum, seu ante merita praevisa conceptum defendunt, omnem tamen lapidem movent, ut praefatum dilemma enervent, et pestiferas, quae ex eo deducuntur, consequentias amoliantur. Ita cl. *Billuart* loc. cit. inquit: « Falsum omnino esse, quod ex asserta praedestinatione inferunt arguentes, scilicet: *Si sum praedestinatus, quidquid egero, salvabor*. Quia Deus non praedestinat ad finem, quin simul praedestinet ad media, quibus finis obtineri potest, et debet: media autem ad salutem sunt bona opera, fuga peccati, cura et sollicitudo salutis, perseverantia in bono etc. Providentia, inquit S. Doctor (5), cuius praedestinatio est pars, non subtrahit causas secundas, sed sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secun-

(1) Luc. 13, 24. (2) I Cor. 9, 24.
(3) Quaest. 22, art 1. concl. 1.
(4) Diss. 9. art. 3. (5) 1, q. 23, art. 8.

darum subiaceat providentiae. Sicut igitur sic providentur naturales effectus, ut etiam media, seu causae naturales ad illos effectus ordinentur; sic ne quibus illi effectus non provenirent; v. gr., sic Deus providet et ordinat messem futuram, ut etiam culturam agri et seminationem provideat et ordinet: ita a Deo praedestinatur salus alicuius, ut etiam sub ordine praedestinationis cadat, quidquid hominem promovet ad salutem, ut sunt orationes vel propriae vel aliorum, bona opera, sollicitudo, perseverantia in bono, vel quidquid huiusmodi, sine quibus salutem nemo consequitur. Unde e contra praedestinatis conandum est sollicite ad bene operandum, orandum, perseverandum, quia per huiusmodi praedestinationis effectus certitudinaliter impletur; propter quod dicitur II Petr. I, 10: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* » 5° Longe facilius, atque solidius inordinatis adducti dilemmatis consequentiis via praecluditur ab illis, qui decretum praedestinationis hypotheticum, id est, post praevisa merita conceptum esse docent. In istorum enim sententia Deus vult omnes homines salvos fieri, ideo omnibus talia gratiae auxilia suppeditat, quibus salutem suam consequi possint, atque eos ab aeterno praedestinat, quos ab aeterno praevidet, ope gratiae bona opera perfecturos, et in statu gratiae obituros esse. Quilibet ergo ita apud se cogitare potest et debet: Si gratia supernaturali, quam mihi Deus ex gratuita bonitate concedit, non resistam, sed fideliter utar, et praecipue si per orationem uberiora et efficaciora auxilia obtineam, Deo adiuvante bene vivam, et bene moriar, atque sic praedestinatus et salvus ero. Iuxta hanc igitur sententiam ipsa praedestinationis doctrina ad recte vivendum impellit. — 6° Certum est, neutram ex indigitatis sententiis de fide credendam esse, sed utramque catholice propugnari posse. Dantur autem veritates de fide certae, quas considerans contra perturbationes ex decantato dilemmate oriri solitas, praemuniri valet. De fide enim est, ut inferius ostendetur, decretum divinum reprobationis hypotheticum esse, seu neminem a Deo reprobari nisi propter praevisum mortale peccatum aut originale, aut actuale. De fide est, peccatum originale deleri per baptismum, et peccata actualia post baptismum commissa deleri per poenitentiam, quam peccator agere potest et debet, quia Deus non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat. De fide pariter est, non dari aliqua Dei praecepta, quae hominibus iustis, volentibus et conantibus sint impossibilia, neque deesse illis gratiam, qua possibilia fiant. Qui has veritates certissimas rite perpendit, qualemcunque de praedestinationis decreti qualitate sententiam amplectatur, ita apud se cogitare potest: Sine peccato mortali non reprobabor: ast per baptismum iustificatus peccata mortalia vitare possum, quia non deest mihi gratia, praecepta divina observandi: hac igitur gratia adiutus recte vivam, et certe non reprobabor (1).

Obi. II. Quamvis dicatur, decretum praedestinationis post praevisa merita concipi, eadem tamen difficultas redit. Quia enim scientia divina est efficax, seu causa rerum (2), Deus non praevidet merita, quia fiunt, sed ideo fiunt, quia a Deo praevidentur. Unde quilibet apud se ita argumentari pot-

(1) Cf. P. Segneri Conc. Quadr. 31 pro Dom. Pass.

(2) § 29, n. 2.

est: Si Deus praevidet, et praevidendo efficit mea merita, haec a me ponentur, et certissime salvabor; at si Deus non praevidet mea merita, haec nunquam a me ponentur, et certissime damnabor.

Resp. Haec difficultas iam per ea soluta est, quae § 33 de divinae praescientiae concordia cum libertate humana dicta sunt. Tantum enim abest, ut haec praescientia liberum arbitrium tollat, ut hoc potius efficiat. Nam si omnia per Verbum facta sunt, etiam libertas indifferentiae per Verbum facta est. Homo igitur ideo ita liber est, ut ab eius arbitrio dependeat, actum naturalem ponere, vel non ponere, quia Deus cognoscit et vult, eum ita liberum esse. Fatendum quidem est, quod nos limitata nostra ratione hunc actum divinum, nempe creationem, conservationem, et gubernationem libertatis humanae perfecte intelligere non possimus; nullatenus autem ideo aut libertatis humanae existentiam, aut scientiae divinae efficaciam negare licet, quia intimum harum veritatum nexum non perspicimus: falsa potius censenda est quaelibet sententia, in qua una vel altera veritas negatur, aut valde obscuratur. — Sicuti autem in ordine naturali scientia Dei efficax non tollit libertatem indifferentiae, ita etiam in ordine supernaturali posita gratia non tollit talem concursum liberi arbitrii, ut ab isto quoque dependeat, gratiae cooperari, vel non cooperari, et salutem aeternam promereri, vel non promereri: unde verum est celebre *S. Augustini* dictum: « Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te. » Simili modo argumentatur *S. Thomas* (1) loco supra citato.

Obi. III. Praedestinatio praecipue dependet a voluntate divina, quae aliquibus gratiam efficacem, et perseverantiam finalem concedit, et aliis non concedit: unde perseverantia finalis dicitur donum gratuitum, quod Deus ex speciali dilectione tribuit electis. Unusquisque igitur sic argumentari potest: Vel sum praedestinatus ad gratiam, praesertim efficacem, et perseverantiam, vel non: si primum, quidquid egero, tandem consequar illam, et salvus ero; si secundum, quidquid egero, damnabor. Ad quid ergo meae salutis curam habebo?

Resp. Huius quoque argumentationis falsitas patet ex inde deducta consequentia, moralitati adversa, et ideo a christianae revelationis indole aliena. Propositum vero dilemma non sine magna difficultate solvitur ab illis, qui absolutum praedestinationis decretum defendunt: facile vero solvitur ab iis, qui hypotheticum praedestinationis decretum propugnant. In hac quippe sententia, ut diximus, supponitur, Deum omnibus dare vel offerre gratias sive proxime, sive remote sufficientes tum ad fidem tum ad salutem; si homo proinde his consenserit et oraverit, alias obtinebit, ipsamque consequetur perseverantiam; quod si secus fecerit, sibi soli imputare debet, si perierit. En verba *S. Augustini*, qui in lib. de corrept. et grat. cap. 3, inter caetera haec habet: « O homo in praeceptione cognosce, quid debeas habere; in correptione cognosce, tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere. » Fatemur quidem, ex peculiari Dei praedilectione effici, ut electus gratias efficaces, et praesertim donum finalis perseverantiae consequatur; cum tamen Deus nihil cuipiam debeat, si alicui non dat gratiam ut praevisam efficacem, quid inde adversus Dei iustitiam, aut misericordiam sequitur,

(1) I, q. 23, art. 8.

si gratia a Deo reprobo concessa sufficientissima ex se sit ad opus bonum obtinendum et ad perseverandum, et ex pura malitia recipientis, seu potius respuentis effectum non habeat? Profecto non Deo, sed sibi reprobus imputare debet, quod restiterit eidem gratiae, quae praevisa est inefficax ex solo abusu eius, cui confertur. Hinc rursus optime S. *Augustinus* (1) ait: « Non deserit (Deus), nisi deseratur, ut pie semper iusteque vivatur » (2).

II. *De praedestinationis certitudine.*

§ 719. Praedestinationis certitudo vel *in Deo*, vel *in hominibus* considerari potest. In Deo praedestinatio certa, infallibilis et immutabilis est; in mente autem hominum, seclusa speciali revelatione, semper incerta manet. Doctrina haec catholica firmis innititur argumentis.

1. *Deus* numerum praedestinatorum, omnesque electos singillatim certo cognoscit, ita ut eius praescientia nec falli, nec mutari, atque ideo numerus praedestinatorum nec minui, nec augeri possit. Quam veritatem ipsa S. Scriptura confirmat. Nam Christus Io. VI, 39 ait: *Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die:* id est, *ut omne, quod* per aeternae praedestinationis decretum Pater *dedit mihi*, cuiuscunque sit gentis, gradus, conditionis, aetatis, vel sexus, *non perdam ex eo*, non sinam ullum perire, sed ei opituler, eum foveam et conservem, donec in portum salutis aeternae deduxerim, et *resuscitem illud in novissimo die*, id est, in fine mundi: ex quibus verbis patet, nullum ex electis, quos dedit Pater Filio, periturum, sed infallibiliter salvatum iri, et aeterna donandum in coelo gloria. Hoc idem confirmat Christus dicens, Io. X, 27 etc.: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea:* quibus verbis significatur summa certitudo rationis, qua in salutem aeternam diriguntur praedestinati. Paulus II Timoth. II, 18 cum de aliquibus dixisset, quod a veritate exciderint, mox v. 19 addit: *Firmum fundamentum Dei stat; habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt eius*, id est, qui discedunt ab iniquitate, qui invocant nomen Domini, et in aeternum cum ipso coniuncti manent. *S. Augustinus* in Epist. ad Paulin. (3) scribit: « Certus est Dei praescientiae definitus numerus, et multitudo Sanctorum, quibus *diligentibus Deum*, quod eis donavit per diffusum in cordibus eorum Spiritum sanctum, *omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti* » (4). Et lib. de corrept. et grat. (5) inquit: « Horum (praedestinatorum) si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. » Itaque iuxta *S. Augustinum* tanta certitudine certum est, neminem praedestinatorum esse periturum, quanta certum est, Deum nunquam esse fallendum, aut humano vitio vincendum. *S. Fulgentius* lib. de fide (6) ait: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiae gratuita bonitate Deus facit, ante

(1) Lib. de nat. et grat. cap. 26.
(2) Cf Enar. in Ps. 145, n. 29; et Lib. de correct et grat. cap. 13.
(3) Ep. 186, n. 25.
(4) Rom. 8, 28.
(5) Cap. 7.
(6) Cap. 35.

constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei praedestinatos a Deo. Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus praedestinavit ad regnum coelorum, nec quemquam eorum, quos non praedestinavit ad vitam, ulla ratione posse salvari. » Ratio theologica ex dictis manifesta est; praedestinatio enim est actus intellectus, et voluntatis divinae, quia Deus omnes salvandos cognoscit, iisdemque voluntate consequente, et efficaci aeternam gloriam tribuere vult: quemadmodum autem intellectus divinus in sua praescientia falli non potest, sic nec impediri, aut superari potest eius voluntas consequens et efficax, de qua scriptum est: *Omnis voluntas mea fiet* (1). Ergo praedestinatio est omnino certa et immutabilis et infallibilis quoad consecutionem sui effectus.

2. Quam certa est praedestinatio in mente Dei, tam incerta est in mente hominum. Nemo enim absque speciali revelatione infallibiliter certus esse potest de sua praedestinatione. Haec propositio, quae de fide credenda est, patet ex *S. Scriptura*. Nam Eccli. IX, 1 dicitur: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*. S. Paulus inquit: *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time* (2), et: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat* (3). — Hinc concludit: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini* (4). Timori autem locus non daretur, si homo de praedestinatione sua infallibiliter certus esset. — Hanc certitudinem hominibus, speciali revelatione destitutis, etiam *Ss. Patres* denegant. *S. Hieronymus* (5) ait: « Ne beatum dixeris quempiam ante mortem; quamdiu enim vivimus, in certamine sumus; quamdiu in certamine, nulla est certa victoria. » *S. Augustinus* (6) scribit: « Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse confidat? » Idem (7): « Ad quam vocationem (secundum propositum) pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, nisi cum de hoc saeculo exierit: in hac autem vita humana, quae tentatio est super terram, qui videtur stare, videat, ne cadat. » *Auctor* l. 2 de Vocat. Gent., cap. ult. dicit: « In remotissimo ab humana cognitione secreto praefinitio huius electionis abscondita est. Et de nullo ante ipsius finem pronunciari potest, quod in electorum gloria sit futurus, ut perseverantem humilitatem utilis metus servet, et qui stat, videat, ne cadat. » *S. Bernardus*, serm. 1 de Septuages. ita loquitur: « Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de praedestinatis ad vitam, ego de numero electorum? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos. » Eandem doctrinam definivit *Concilium Tridentinum*, Sess. VI, can. 16 dicens: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit*. Et caput 12 eiusdem Sess. docet: *Nemo quoque quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum: quasi verum esset, quod iustificatus, aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat; nam nisi ex*

(1) Isa. 56, 10. (2) Rom. 11, 20.
(3) I Cor. 10, 12. (4) Phil. 2, 12.
(5) Lib. 2 adv. Pelag.
(6) Lib. de corrept. et grat. cap. 13.
(7) Lib. de dono persev. cap. 19

speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus elegerit. — Rationes theologicae petuntur ex dogmatibus iam probatis. Nemo enim absque speciali revelatione infallibiliter certus esse potest de sua iustificatione (§ 469): ergo nec de sua praedestinatione. Et si quis vere iustificatus sit, a gratia excidere (§ 471) et salutem amittere potest. Necessarium ergo cuique est donum perseverantiae finalis (§ 411), quod non cadit sub meritum de condigno, cum Deus nunquam promiserit operibus iusti perseverantiam finalem in gratia tanquam mercedem operum bonorum (1). Ergo praescindendo a speciali Dei revelatione nemo potest infallibiliter certus esse de sua praedestinatione.

Nota 1. *Pelagiani* et *Semipelagiani* hominum salutem non divinae gratiae, sed incertis liberi arbitrii viribus aut ex toto, aut saltem ex parte tribuentes, decretum praedestinationis divinum infallibiliter certum et immutabile esse negarunt. Eundem fere errorem tenent *Sociniani*, omnesque, qui de Dei praescientia, et de necessitate, ac efficacia gratiae male sentiunt. Sequentia ab istis obiiciuntur.

Obi. I. Praedestinationem immutabilem non esse, *S. Scriptura* testatur. In hac enim praedestinationis decretum *liber vitae* appellatur. Atqui liber vitae non est immutabilis; qui enim in eo conscripti sunt, possunt deleri, et qui ex eo deleti sunt, possunt iterum inscribi. Ita Moyses Deum pro Israëlitis deprecabatur: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti* (2). Moysi autem respondit Deus: *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Augeri etiam posse numerum in eo libro scriptorum, indicat idem Moyses Deut. I, 11 ita Israëlitis bene ominans: *Dominus Deus Patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia.* David de impiis ita loquitur: *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur* (3). Similia loca plura in Ss. Litteris occurrunt, quae ostendunt, praedestinationis decretum mutabile esse.

Resp. Sicut in S. Scriptura triplex vita secernitur, nempe vita corporis temporalis, vita animae spiritualis, et vita gloriae aeterna, ita etiam liber vitae, qui metaphorice scientiam divinam significat, in triplici sensu sumitur. Falluntur ergo adversarii, dum putant, per *librum vitae*, semper praedestinationis decretum intelligendum esse. Nam *S. Hieronymus* in Epist. ad Algasiam (4) et *S. Gregorius M.* (5) observant, in verbis Moysis librum Dei non sumi pro libro aeternae praedestinationis, sed pro libro viventium in hoc mundo. Nempe orabat Moyses Dominum, ut, si nollet parcere populo, eum ex hac vita eriperet, ne videret mala gentis suae. Hoc sensu idem Moyses, Deum similiter oravit dicens: *Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me... ne tantis affligar malis* (6). Verba autem Dei, Moysi respondentis (7) hunc sensum habent: Ei, *qui peccaverit mihi*, vitam spiritualem, aut in poenam peccati etiam corporalem vitam auferam. Sic etiam alia verba Moysis Deut. I, 11 in sensu obvio intelliguntur de multiplicatione populi Israëlitici; versiculo enim praecedenti dixerat: *Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellae coeli plurimi... addat ad hunc numerum* etc. Verba Ps. LXVIII, 29, non ut mala imprecatio, sed ut vaticinium sumi debent, quo

(1) § 484, n. 2. (2) Exod. 32, 31, etc.
(3) Ps. 68, 29. (4) Q. 9.
(5) Lib. 7 Mor. c. 7. (6) Num. 11, 15.
(7) 32, 33.

praedicitur, inimicos Messiae vita spirituali, aut, ut vult *Theodoretus*, etiam corporali privandos esse (1). *S. Augustinus* in eundem locum dicit: « Delebuntur de libro viventium, id est, non ibi se esse cognoscent; nam versus, qui sequitur, exponit quod dictum est, et cum iustis non scribantur. » Quod si adducta testimonia, ut nonnulli volunt, de praedestinatione intelligantur, ea exponenda sunt de decreto, vi cuius Deus *voluntate antecedenti* vult omnes homines salvos fieri, seu de praedestinatione ad gratiam, a qua homines excidere possunt, non autem de decreto, vi cuius cognoscit, et voluntate consequenti praedestinat salvandos.

Obi. II. Christus Dominus Patrem aeternum alloquens Io. XVII, 12 dicebat: *Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Qui autem dicuntur a Patre Christo dati, certo sunt praedestinati: ergo etiam inter istos adesse possunt, qui pereant.

Resp. Iudas, seu *filius perditionis*, non fuit a Patre Christo datus ex aeterna praedestinatione ad gloriam, cum potius esset « praedestinatus perditioni, » ut loquitur *S. Augustinus* (2). Ex iis enim, qui ex aeterna praedestinatione ad gloriam fuerunt Christo dati, neminem prorsus periisse testatur idem S. Evangelista Ioann. (3), qui repetens eadem verba Christi, sine ulla exceptione inquit: *Ut impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Sensus ergo huius loci est: *Nemo ex iis periit, quos dedisti mihi; sed Iudas periit, qui mihi datus non erat, cum filius esset perditionis*, ut scilicet particula *nisi* aequivalcat coniunctioni adversativae *sed.* Hic loquendi modus non est inusitatus in Ss. Litteris, ut cum Naaman Syrus dixit Eliseo: *Non faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino soli* (4), non certe quasi Dominum Israëlis inter Deos alienos recenseret, sed ut significaret, se Domino soli in posterum sacrificaturum esse. Haec fuit phraseologia Hebraeorum, quae in novo quoque Testamento quandoque occurrit, ut Apoc. XVI, 27: *Non introibit in eam aliquid coinquinatum, nisi*, id est, sed tantum *qui scripti sunt in libro vitae.*

Obi. III. Praedestinatio non est certa et immutabilis, quia S. Scriptura frequenter insinuat, ipsos etiam praedestinatos posse salute excidere. Nam Apoc. III, 11 dicitur: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam;* ergo coronam vi praedestinationis uni praeparatam, alter accipere potest. II Petr. I, 10: legitur: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* ergo praedestinatio in se non est certa, sed certa fieri debet per bona opera. I Cor. IX, 27 Apostolus ait: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Ergo cum Paulus ipse de sua praedestinatione timuerit, praedestinatio non est immutabilis.

Resp. Citata loca doctrinae catholicae non repugnant. Nam corona, de qua loquitur S. Ioannes iuxta multos interpretes non est gloria coelestis, sed fides, obedientia, constantia in bono, ita ut sensus sit: Retine constanter quod habes, nempe fidem, charitatem, zelum, patientiam caeterasque virtutes hactenus obtentas, ut nemo adimat mercedem virtuti tuae, si perseveraveris, promissam et praeparatam. *S. Thomas* autem eun-

(1) V. Calmet. (2) Tr. 107 in Io. n. 7. (3) Cap. 18, v. 9. (4) IV Reg. 5, 17.

dem locum interpretatur de corona gloriae, non in se, sed in spe et iure: nam (1), inquit: « Corona dicitur esse alicuius dupliciter: uno modo ex praedestinatione divina, et sic nullus coronam suam amittit; alio modo ex merito gratiae; quod enim meremur, quodammodo nostrum est; et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco eius subrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, secundum illud Iob: *Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis* » (2). Verba S. Petri ost ndunt, nos per opera bona facere nostram electionem certam non Deo, sed nobis, quia sollicitudo bonorum operum est signum praedestinationis. Item per bona opera certam facimus electionem nostram, quatenus per illa praedestinationis effectus certitudinaliter impletur, quia Deus nos elegit ad gloriam per bona opera et preces sive proprias, sive aliorum consequendam, ut docet *S. Thomas* (3). Ex verbis Pauli id unum legitime inferri potest, Apostolum eo tempore, quo haec scripsit, nondum habuisse revelationem, plenamque certitudinem de aeterna sua salute. Caeterum idem Apostolus Rom. VIII, 30 praedestinationis certitudinem praedicat, dicens: *Quos* (Deus) *praedestinavit, hos et vocavit... iustificavit... glorificavit.*

Obi. IV. Si dicitur praedestinatos aut graviter peccare non posse, aut post peccatum necessario veram poenitentiam agere debere, negatur eorundem libertas, quae tamen de fide est credenda. Admissa autem eorum libertate, etiam admitti debet, quod graviter peccare, sine poenitentia mori et sic in aeternum damnari possint. Praedestinatio ergo certa et immutabilis dici nequit.

Resp. Indubitatum est libertatem per praedestinationem nec tolli, nec minui, quia, ut docet *S. Thomas* loc. cit. (4), praedestinatio non est aliquid in praedestinato, sed tantum in praedestinante; unde nihil ponit in praedestinato, quod quovis modo eius libertatem laedat: sed relinquit ipsum liberum ad bene, vel male agendum, ac si non esset praedestinatio. Certum autem et immutabile manet praedestinationis decretum, quia Deus omnia praevidet, et eius praescientia falli non potest; unde qui praevidetur a Deo in statu peccati obiturus, praedestinatus non fuit.

Nota 2. Protestantes qui a fidelibus certam de propria iustificatione fidem exigunt, pariter docent posse, et debere quemlibet fidelem infallibiliter certum esse de sua praedestinatione, et perseverantia finali in gratia. Ita docent *Calvinus* (5), *Bucerus* in colloquio Ratisb., *Chemnitius* in Exam. *Conc. Trident.* (6), *Theodorus Beza* et alii. Argumenta, quibus sententiam suam probare tentant, ad sequentia potissimum reducuntur.

Obi. I. S. Scriptura nos certos reddit, quod per orationem omnia, ergo etiam perseverantia finalis et salus aeterna, obtineantur. Nam Christus ait: *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis* (7). Adest ergo promissio divina, vi cuius perseverantia finalis orantibus certissime datur. Quamobrem Iac. I, 6, dicitur: *Postulet autem in fide nihil haesitans.* I Io. V, 14 etc. legitur: *Haec est fiducia, quam habemus ad eum: quia, quodcumque petierimus secundum voluntatem e-*

(1) 1, q. 23, art. 6 ad 1.
(2) Cap. 31, v. 24. (3) L c. art. 3.
(4) Art. 2. (5) Lib. 3 Inst. c. 2, § 16.
(6) Sess. 6, cap. 12. (7) Marc. 11, 24.

ius, audit nos. Et scimus, quia audit nos, quidquid petierimus. Scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Promissiones istae divinae fallere non possunt, et ideo de fide certi sumus, quod per orationem obtineamus perseverantiam finalem, et quae cum ea connexa est, vitam aeternam.

Resp. Etiam nos catholici de veritate promissionum divinarum, et de efficacia orationis, debito modo peractae, nullatenus dubitamus; fide enim divina credere tenemur, Deum et praestare posse quae petimus, et verbis suis certissime staturum, modo nullus sit defectus ex parte nostra. At vero fide divina credere nec possumus, nec debemus, nos omnia praestitisse, aut praestituros esse, quae Deus a nobis exigit; aut nos orare, prout oportet, orationem nostram gratiae supernaturalis auxilio elici, eandem debita humilitate et confidentia dotatam, satis ferventem et constanter duraturam esse, sine qua tamen perseverantia finalis non impetratur, dicente Christo: *Oportet semper orare et non deficere* (1). Quoniam igitur de orationis nostrae rectitudine et perfectione infallibiliter certi non sumus, ideo etiam de obtinenda perseverantia finali, et salute aeterna infallibilem certitudinem habere non possumus.

Obi. II. S. Scriptura testatur, fideles certos esse posse de sua praedestinatione. Nam Roman. VIII, 16, Apostolus ait: *Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* I Thess. I, 4, scribit: *Scientes, fratres, dilecti a Deo, electionem vestram:* Paulus plenam certitudinem sibi ipsi adscribit dicens, II Timoth. IV, 8: *Reposita est mihi corona iustitiae.* Paulo consonat S. Ioannes, dicens: *Haec scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei* (2).

Resp. Iam § 469, not. 2 ad obi. IV, probatum est, quod ex verbis Apostoli Rom. VIII, 16, inferri nequeat, nos de obtenta iustificatione sine speciali revelatione fidei certitudinem habere posse; si autem de fide certi non sumus, quod hic et nunc simus filii Dei, seu gratia sanctificante praediti, etiam de fide certi esse non possumus, quod futuri simus haeredes Dei. Quodsi etiam certo cognosceremus, nos vere iustificatos esse, certo tantum inferre possemus, quod hic et nunc ius actuale ad gloriam aeternam habeamus; non autem de fide certi essemus, quod gloriam aeternam consecuturi simus, quia per peccatum lethale cum gratia sanctificante ius ad beatitudinem coelestem amittere possumus (§ 471). I Thess. I, 4, Apostolus vel loquitur tantum de electione Thessalonicensium ad vocationem fidei evangelicae; vel, si de electione ad gloriam illi sermo est, spem duntaxat suam, ac fiduciam, non vero plenam de illorum salute certitudinem declarat. II Tim. IV, 8, Paulus vel firmam suam fiduciam obtinendae coronae iustitiae manifestat, vel certitudinem sibi adiudicat ex speciali, quam habuit, revelatione. Citata verba Ioannis, sicut et aliae similes locutiones, quibus idem Apostolus saepe utitur, solum indicant firmam illam spem, quam habere possunt et debent omnes, qui credunt in Christum, se consecuturos vitam aeternam ipsis promissam (3). Cum tamen salus fidelibus baptizatis promissa suspendatur a

(1) Luc. 18, 1. (2) I Epist. 5, 13. (3) Marc. 16, 16

conditione incerta bonorum operum, et finalis perseverantiae, nemo potest citra divinam revelationem de ea certus esse.

Nota 3. Quamvis absque speciali revelatione praedestinatio non sit certa respectu nostri certitudine absoluta et infallibili, possumus tamen de praedestinatione nostra esse certi certitudine morali, quae, licet non excludat omnem formidinem, excludit tamen anxietatem, et quandam confert fiduciam. Haec moralis certitudo eo maior et firmior est, quo magis in homine praedestinationis signa conspicua sunt. Talia praedestinationis signa Christus ipse *in octo beatitudinibus* assignavit (1): ex quibus, aliisque S. Scripturae eloquiis theologi varia *praedestinationis signa* proponere solent. Praecipua autem sunt sequentia; I. *Humilitas*, quia Christus ait: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur*. Quae verba considerans *S. Gregorius M.* (2) ostendit, in praedestinatis humilitatem et in reprobis superbiam conspicuam fieri; et inter alia dicit: « Quia Redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan rex est superborum, aperte cognovimus, quod evidentissimum reproborum signum est superbia; e contra humilitas electorum. » II. *Rerum caducarum contemptus, et amor coelestium*, dicente Christo: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (3). Hinc Ss. Doctores passim magnum praedestinationis signum iis adscribunt, qui ex recta intentione mundo valedicentes in Ordine religioso sacram professionem emittunt. III. *Ardens et constans studium audiendi verbum Dei;* Christus enim Io. VIII, 47, inquit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit;* ex quibus verbis *S. Gregorius M.* (4) colligit, signum praedestinationis esse, si quis verba Dei audiat, eiusque sanctis inspirationibus obediat. Unde Christus de suis ovibus dicit: *Oves meae... vocem meam audient* (5). Sicut nempe ovis, quae audit vocem pastoris, secura est a lupo et salva, quae vero non audit, errans a lupo devoratur; sic et qui Christi pastoris vocem audiunt, salvantur; qui non audiunt a daemone devorantur. Quamobrem Christus iterum exclamat: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* (6). Hinc *S. Bernardus*, serm. 1 in Septuag., monachis suis hoc maximum praedestinationis dat signum, quod verba Dei cum fructu audiant. IV. *Assiduum in bono proficiendi studium*, seu iugis peccata vitandi, et virtutes exercendi conatus, iuxta effatum Christi: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (7). Idem patet ex parabola Matth. XXV, 14 etc., in qua aeternam retributionem accipiunt, qui de acceptis talentis lucrum reportarunt, servus autem malus et piger, qui acceptum talentum in terra abscondit, reprobatus est. V. *Frequens et digna S. Eucharistiae perceptio;* clarissimae enim sunt promissiones Christi: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (8). Idcirco S. Eucharistia a Ss. Patribus, et ab Ecclesia *pignus haereditatis aeternae*, et *viaticum* appellatur, quo iter ad

(1) Matth. 5, 3-10.
(2) Lib. 34 Mor. cap. 22, et seq.
(3) Matth. 19, 29. (4) Hom. 19 in Evang.
(5) Io. 10, 16. (6) Luc. 11, 28.
(7) Matth. 5, 6.
(8) Io. 6, 55. — Cf. ibid. v. 52, 57 et seq.

aeternam beatitudinem feliciter perficitur. VI. *Devotio erga B. V. Mariam,* cui Ecclesia accommodat ista verba Prov. VIII: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino:* et de qua sermonem faciens *S. Anselmus,* citatus a *S. Antonino* (1) ait: « Sicut impossibile est, ut illi, a quibus oculos suae misericordiae avertit, salventur; ita necessarium est, ut hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, iustificentur et glorificentur. » VII. *Charitas proximi*, opera misericordiae corporalis, et spiritualis sedulo exercens. Nam Ps. XL, 2 dicitur: *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* Et Tob. IV, 21: *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Christus ipse Matth. XXV, profitetur, se in extremo iudicio iis vitam aeternam daturum esse, qui opera misericordiae exercuerunt. Huc etiam merito refertur dilectio *inimicorum*, cui plena peccatorum remissio promissa est, et quae veros constituit filios Dei in aeternum salvandos, dicente Christo: *Diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est* (2). VIII. *Tribulationes* huius vitae multae et graves, patienterque toleratae certissimum praedestinationis signum constituunt. Nam Iudith ait: *Omnes, qui Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt fideles* (3). Paulus scribit: *Quem diligit Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit;* et: *Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiae* (4). Petrus: *Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut in revelatione gloriae eius gaudeatis exultantes* (5). Abraham epuloni in flammis sepulto hoc signum apponit: *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem* (id est, in altera vita) *hic consolatur, tu vero cruciaris* (6). Hinc *S. Chrysostomus* (7) de Lazaro inquit: « Quem videris virtutis studiosum, innumeris tamen affligi molestiis, beatum hunc puta, ut qui commissa peccata hic diluat, et illic paratam habeat mercedem. »

(1) P. 4, tit. 15, c. 14, § 7.
(2) Matth. 5, 44. (3) C. 8, v. 23.
(4) Hebr. c. 12, v. 6 et 11.

ARTICULUS II.

De causa praedestinationis morali sententiae variae.

§ 720. Sicut iustificationis, ita etiam praedestinationis ad gloriam variae causae distingui possunt: *Causa efficiens*, seu *principalis* est ipse Deus, seu aeternum Dei decretum. *Causa finalis proxima* est beatitudo electorum; et *remota*, seu *suprema* est gloria Dei. *Causa meritoria externa*, et *principalis* est Christus Redemptor, qui morte sua *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis - tulit de medio* (8), et aeternam beatitudinem nobis promeruit (9). *Causa instrumentalis* dici potest gratia, per quam homines vocantur, iustificantur, et meritorum capaces redduntur. — In istis praedestinationis ad gloriam causis admittendis theologi consentiunt. Ulterius autem assignari solet eiusdem praedestinationis ad gloriam *causa meritoria interna*, seu *secundaria*, quae in homine invenitur, ideo *moralis* vocatur, Deumque ad conci-

(5) I Petr. 4, 13. — Cf. Iac. 1, 12.
(6) Luc. 16, 25. (7) Hom. 3.
(8) Col. 2, 14. (9) § 377.

piendun praedestinationis ad gloriam decretum movet. Circa hanc causam moralem quaestio movetur, et variae sententiae dantur. Quam controversiam iam S. *Thomas* indigitat I, q. 23, art. 5 scribens: « Nullus fuit ita insanae mentis, qui diceret, merita esse causam divinae praedestinationis ex parte actus praedestinantis; sed hoc sub quaestione vertitur, utrum ex parte effectus praedestinatio habeat aliquam causam; et hoc est quaerere, utrum Deus praeordinaverit, se daturum effectum praedestinationis alicui propter merita aliqua. » Notandum porro est, quod in praefata quaestione solvenda nonnulli a recta fide defecerint, et sententias heterodoxas propugnaverint; alii vero in varias quidem sententias abierint, sed ab hortodoxa fide non recesserint. Distinguere idcirco oportet *sententias haereticorum* et *sententias theologorum catholicorum;* illas refellere, istas vero hic loci clare exponere decet.

I. *Sententiae haereticorum refelluntur.*

§ 721. Non pauci moralem praedestinationis causam curiosius investigantes, et in hac inquisitione non tam doctrinae revelatae, quam potius fallacibus rationis suae principiis inhaerentes, graviter aberrarunt, quorum heterodoxae sententiae cautissime vitandae sunt.

1. *Manichaei*, *Priscillianistae* aliique, sicut duo summa principia statuerunt, ita etiam asseruerunt, homines alios quidem natura bonos, alios vero natura malos esse, et exinde totam rationem vel praedestinationis, vel reprobationis peti. — Ast in hac impia sententia negatur, Deum O. M. omnium hominum Creatorem esse, naturam humanam, quae bona condita fuit, per peccatum originale corruptam esse, et hominem in actionibus suis bonis et malis liberum esse. Penitus reiicienda est ergo sententia, tam gravibus erroribus innixa.

2. *Origenes*, Platonicorum placita secutus, contendebat, animas corpori praeexistere, et antequam carnalibus vinculis colligarentur, aliam in aëre, aut in quodam sidere vitam gessisse, atque in hac praecedenti vita sibi comparasse merita, vel demerita, propter quae aut praedestinarentur aut reprobarentur. At haec praeexistentia animarum non solum omni prorsus argumento destituta, ac plane commentitia est, sed etiam ex Scripturis impugnatur. Primo enim constat ex historia Geneseos, universorum Conditorem antea formasse corpus Adam ex limo terrae, deinde inspirasse in faciem eius *spiraculum vitae*, et hominem factum tunc esse in animam viventem. Non ergo anima corpori praeexistebat. Secundo reiicitur ex Apostolo, qui Rom. V ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Nullum ergo datur peccatum, antequam anima informet corpus; alias mors et peccatum non per Adam intrasset in mundum, sed per meritum animae antecedenter praevaricatae. Imo Rom. IX, 11 de Iacob et Esau dicitur: *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali;* quae verba nihil ad rem facerent si animae eorum, priusquam in corporeum carcerem detruderentur, aliquid fuissent promeritae. Et II Cor. V, 10 Apostolus docet, iudicandos esse homines secundum ea, quae gesserunt in corpore; scribit enim: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Tertio damnata est Origenistarum sententia in Concilio generali V, cap. 1 his verbis: *Si quis dicit, aut sentit, praeexistere homi-*

num animas, utpote quae antea mentes fuerint, et sanctae virtutes, satietatemque cepisse divinae contemplationis, et in deterius conversas esse, demissasque in corpora supplicii causa, anathema sit. Et *Conc. Braccarense I* an. 561, can. 6 inquit: *Si quis animas humanas dicit, prius in coelesti habitatione peccasse, et pro hoc in corpora humana, in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* Ultimo etiam Ss. Patres doctrinam catholicam contra Origenistas defenderunt, praecipue *S. Gregorius Nyss.* lib. de Opificio hominis, *S. Augustinus* in lib. contra Priscill. et Origenist. ad Orosium (1), *S. Cyrillus Alex.* (2), et *S. Leo M.* qui (3) ad Turribium scribit: « Catholica fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur, nisi ab Opifice Deo, qui et ipsarum est Creator et corporum. »

3. *Pelagiani* praedestinationis causam repetebant ex bonis operibus viribus naturae elicitis; cumque necessitatem gratiae reiicerent, docebant, solam hominis voluntatem aut bonam, aut malam esse causam, cur praedestinentur alii ad vitam, alii ad mortem. Inter disputandum vero, cum eo adducti fuissent, ut aliquam gratiam admittere cogerentur, eam ad facilius, non vero ad simpliciter bene agendum necessariam esse dixerunt; ita tamen, ut eius praeparatio a Deo fieret ex praevisis liberi arbitrii meritis mere naturalibus. — Ast haeretica haec sententia iam per ea satis confutatur quae P. IV, Sect. 1, c. 2 et 4 dicta sunt. Certum enim est, gloriam aeternam per excellentiam esse bonum ordinis supernaturalis, cum quo opera mere naturaliter bona nullam proportionem habent. Haec igitur nunquam esse possunt causa moralis, quae Deum moveat ad decretum praedestinationis concipiendum; sed ad hoc requiruntur opera bona in ordine supernaturali, quoniam haec sola salutaria sunt, et meritoria pro vita aeterna. — Dogma autem catholicum est, ad omnes et singulos actus salutares necessariam esse gratiam actualem (§ 409); et dogma pariter catholicum est, gratiam omnino gratuito a Deo conferri (§ 439). Ergo praedestinatio ad primam gratiam omnino gratuita est, cuius nulla datur ex parte praedestinati causa. Ideo Paulus ait: *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia* (4); et: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei* (5)? - *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus* (6). Et II Timoth. I, 9: *Nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia.* Eandem doctrinam *S. Augustinus* contra *Pelagianos* acerrime defendit, cuius argumenta omnia eo collineant, ut ostendat, praedestinationem ad primam gratiam esse omnino gratuitam, atque independentem a bonis operibus absolute, aut conditionate praevisis. Eodem sensu *Concilium Arausicanum II*, cap. 18 definit: *Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.* Et *Tridentinum* Sess. VI, cap. 8 docet: *Gratis iusti-*

(1) Vid. lib. 11 de Civ. Dei, c. 23.
(2) Lib. 1 in Ioan. cap. 9. (3) Epist. 93.
(4) Rom. 11, 6. (5) V. 35
(6) Ephes. 2, 8.

ficari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur, si enim gratia est, iam non ex operibus; alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.

4. *Semipelagiani* agnoscebant quidem, nos non posse propriis viribus absque gratia Dei bona opera perficere; contendebant tamen, initium et praeparationem ad illa, ut pium credulitatis affectum, desiderium, petitionem auxilii, quae inter bona opera non recensebant, esse a nobis: sicut, inquiebant, licet infirmus non possit sibi praeparare medicinam, potest tamen desiderare, et petere medicum. Hinc inferebant, Deum decrevisse dare gratiam iis, quos praeviderat se ad illam his initialibus actibus praeparaturos, et gloriam iis, quos praeviderat in accepta gratia propria libertate sine dono speciali perseveraturos usque in finem. Haec quoque sententia ut haeretica reiicienda est. Dogma enim catholicum est, etiam ad initium fidei et operis salutaris necessariam esse gratiam supernaturalem, quae nos semper praevenire debet, ut pium credulitatis affectum concipiamus, et voluntatem ad recte agendum praeparemus (§ 410): et dogma pariter est, non posse hominem iustificatum sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseverare (§ 411). Hinc S. *Augustinus Semipelagianorum* sententiam strenue impugnavit, eamque penitus contrivit per verba Apostoli: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (1). *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (2); et: *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (3)? Haec etenim verba Apostoli *Semipelagianorum* sententiae e diametro opponuntur; nam si haec vera esset, homo sufficiens esset cogitare aliquid a se, seu per solas vires naturales, quod conduceret ad vitam aeternam, quia mereri posset gratiam, et ideo haec volentis potius, quam miserentis esset Dei, atque homo respectu suae salutis haberet aliquid, quod non acceperit, et de quo gloriari posset. Idcirco hanc quoque sententiam Ecclesia ut haereticam damnavit, et *Conc. Arausicanum II*, can. 25 declaravit: *Hoc etiam salubriter profitemur, et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per misericordiam Dei adiuvamur, sed ipse nobis, nullis praecedentibus bonis meritis, et fidem, et amorem sui prius inspirat.*

5. *Nonnulli*, ut salvarent dogma de necessitate gratiae, aliam viam ingressi dixerunt, moralem praedestinationis causam esse bonum gratiae usum a Deo praevisum: putant nempe Deum praedestinasse, se daturum gratiam iis, quos praescivit gratia bene usuros; sicut si Rex daret alicui arma, campos et pecunias quia praevidet, eum his donis bene usurum esse. — Ut autem cognoscatur, quomodo etiam haec sententia ab orthodoxa fide deficiat, distinguenda est praedestinatio ad gloriam nude et solitarie sumpta, et praedestinatio ad gratiam, nude et solitarie sumpta. Omnes enim Catholici credunt et profitentur, adultos quoscumque gratia bene uti, et per gratiam opera meritoria perficere debere, ut aeternam beatitudinem actu consequantur: imo iuxta multorum theologorum catholicorum sententiam haec ipsa bona opera, seu merita a Deo praevisa mo-

(1) II Cor. 3, 5. (2) Rom. 9, 16. (3) I Cor 4, 7.

ralem causam praedestinationis ad gloriam constituunt. Aliter autem sentiendum est de praedestinatione ad gratiam nude et solitarie sumpta; haec enim non potest adscribi bono gratiae usui a Deo praeviso. Deus enim gratiam suam supernaturalem gratuito, et ex misericordia dispensat, etiam iis, de quibus praevidet, quod ea bene usuri non sint; nam Matth. XX, 19: *Multi sunt vocati, pauci vero electi:* et Matth. XXV, 15 etiam servo malo et pigro unum talentum datur (1). Dein si Deus per liberi arbitrii consensum, et bonum gratiae usum praevisum ad concedendam gratiam moveretur, haec iterum volentis potius, atque currentis acquisitio, quam miserentis Dei donum esset. Denique ipse liberi arbitrii consensus, seu bona voluntas in homine exorta, gratiae effectus est, dicente Apostolo: *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate* (2). Id ergo, quod est praedestinationis ad gratiam effectus, huius causa moralis dici nequit. Firmiter itaque principio iam declarato, et probato insistendum est, quod praedestinatio ad primam gratiam sit omnino gratuita, atque independens a bonis operibus absolute aut conditionate praevisis.

II. *Sententiae theologorum catholicorum exponuntur.*

§ 722. Theologi catholici omnes docent, praedestinationem ad primam gratiam omnino gratuitam esse. Imo etiam dum de praedestinatione ad gloriam, nude et solitarie sumpta agitur, non ex omni parte inter se dissentiunt. Nam praedestinatio ad gloriam considerari potest vel *in ordine intentionis*, vel *in ordine executionis*, hoc est, vel ex parte Dei aeterno suo consilio ac decreto nonnullos ad gratiam et gloriam destinantis, vel in tempore decretum suum exequentis. Quaestio inter theologos catholicos non movetur de praedestinatione in ordine executionis, quae est ipsa actualis gloriae retributio. Omnes enim secundum clarissimam Revelationis doctrinam admittunt, bona opera, seu merita in adultis gloriam aeternam praecedere debere, quia haec merces est et corona, quae non nisi legitime certantibus titulo iustitiae debita rependitur. De sola ergo praedestinatione secundum ordinem intentionis hic controvertitur. Quaeritur nempe, an divinum praedestinationis decretum *ante*, vel *post merita praevisa* conceptum sit. Decreta enim divina dividuntur in *absoluta*, quorum ratio a solis attributis Dei internis petitur, et in *hypothetica*, ad quae formanda concurrunt etiam res extra Deum positae. Multi igitur theologi decretum praedestinationis absolutum esse dicunt, vi cuius Deus praedestinatis efficaciter gloriam aeternam dare decrevit ex mero suo beneplacito, et independenter a praevisis eorum meritis supernaturalibus, quae tanquam praedestinationis effectus consideranda sunt. Alii vero theologi praedestinationis decretum hypotheticum esse defendunt, dicuntque, Deum, qui omnia ut praesentia videt, praedestinatis conferre gloriam aeternam decrevisse propter praevisa eorum merita supernaturalia. Istae duae sententiae iam clarius exponendae sunt, quibus etiam tertia iungi potest, quae de utraque aliquid participare videtur.

1. Theologi catholici, qui primam sententiam defendunt, pro fundamentali principio ponunt dogma catholicum de peccato originali, per quod omnes homines gratia sanctificante

(1) Cf. §-427 (2) Phil. 2, 13.

privati incurrerunt iram et indignationem Dei, ac aeternae damnationis rei facti sunt. Existimant porro, Deum ex hac communi, ac perdita corruptionis massa certum electorum numerum gratuito discrevisse, iisdemque media salutis efficacia, seu tales gratias praeparasse, quibus certo et infallibiliter a peccatis purgantur, bonis operibus et virtutibus ornantur, in bono perseverant, et aeternam beatitudinem consequuntur. Iuxta hanc sententiam praedestinatio ad gloriam praecedit praedestinationem ad gratiam, quia Deus gratias efficaces ideo nonnullis hominibus concedit, quia eosdem ab aeterno ad beatitudinem praedestinavit. Ideo etiam decretum praedestinationis ad gloriam *absolutum* dicitur, quia in mente divina absque ullo ad praevisa merita respectu concipitur, quae eiusdem decreti effectus, non vero eiusdem causa dicenda sunt. Ex eadem ratione praedestinatio ad gloriam *mere gratuita* vocatur, quia nihil ex parte hominis occurrit, quod illam mereretur. — Admittunt quidem huius sententiae patroni, Deum velle omnes homines salvos fieri, voluntate nempe antecedenti, seu conditioni alligata: *si ipsi velint*. Dum autem docent, Deum non velle homines salvos facere nisi volentes, id intelligunt de volitione, non quam ab hominibus expectat, sed quam in praedestinatis ipsemet vi gratiae suae operatur. Eodem modo fatentur, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, et omnibus quidem sufficientia, solis autem electis efficacia salutis media praeparasse. — Hanc sententiam propugnant *Augustiniani*, *Thomistae*, nonnulli *Scotistae* (ut *Mastrius*), *Estius*, *Sylvius*, *Suarez*, *Tolctus*, *Thyphanius*, *Simonet*, et cum multis aliis *Bellarminus*, qui de grat. et lib. arbitrio (1) scribit: «Sedes Apostolica non tantum semel, sed etiam secundo et tertio adversus *Pelagianorum* reliquias pro defensoribus gratuitae praedestinationis sententiam tulit, ut iam haec sententia non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiae catholicae dici debeat. »

2. Theologi catholici, qui secundam sententiam propugnant, pro fundamentali statuunt, Deum supposito etiam peccato originali, velle vere et sincere omnes et singulos homines, saltem adultos salvos fieri, et Christum ex eadem sincera voluntate applicationis meritorum suorum pro iisdem mortuum esse, et sanguinem fudisse. Ex hoc principio inferunt, Deum intuitu meritorum Christi ex gratuita misericordia tales omnibus adultis gratias praeparasse, quibus bene utentes recte vivere, et aeternam salutem promereri possint. Deus igitur, ante cuius oculos omnia praesentia sunt, illos ad aeternam gloriam praedestinat, quos praevidet gratia bene usuros, merita sibi comparaturos, et in statu gratiae obituros. Ast etiam huius sententiae defensores fatentur, perseverantiam finalem speciale esse divinae misericordiae donum, tum quia speciali gratia opus est, ut quis omnes semper tentationes vincat, quodlibet grave peccatum devitet, et innocentiam usque in finem conservet, tum quia Deus absolutus vitae et mortis dominus est, et solum gratuitae ipsius misericordiae adscribendum est, si quis non statim post commissum peccatum, sed tantum post obtentam iustificationem morte arripiatur. Caeterum in hac sententia praedestinatio ad gratiam est ratione prior praedestinatione ad gloriam, et praedestinatio ad gloriam ratione posterior ad praevisionem absolutam

(1) Lib 2, cap. 11.

meritorum, ut vere dici possit, ideo hominem praedestinari ad gloriam, quia gratia Dei adiutus ponet haec merita, non autem ideo quis ponet haec merita, quia est praedestinatus ad gloriam. Idcirco in hac sententia decretum praedestinationis ad gloriam *hypotheticum* dicitur, quia ad illud formandum merita hominis ope gratiae sibi comparata, et a Deo praevisa concurrunt. Ex eadem ratione praedestinatio *non mere gratuita* vocatur, quia, licet homo primam gratiam nullo modo promereri possit, ope tamen gratiae tum huius augmentum, tum gloriam aeternam et eiusdem augmentum promereri potest, et debet (§ 483). — Pro hac sententia inter veteres scholasticos citari solent *Alexander Alensis, Albertus M., S. Bonaventura, Aureolus, Gabriel Biel, Sadoletus* et alii. Maxime autem hanc sententiam defenderunt *Molina, Gregorius de Valentia, Leon. Lessius, Vasquez, Becanus, Petavius, Card. Sfondratus, Carolus Ios. Tricassinus* Ord. Cappuc., *Frassen* Min. Observ., *Tournely* et alii plurimi. Hos inter merito recensendus est *S. Franciscus Salesius,* qui in epistola ad P. Leonardum Lessium data 26 aug. ann. 1613 scribit: « Vidi in Bibliotheca Collegii Lugdunensis tractatum de praedestinatione ; et quamvis nonnisi sparsim, ut fit, oculos in eum conicere contigerit, cognovi tamen, Paternitatem vestram sententiam illam antiquitate, suavitate et Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam de praedestinatione ad gloriam post praevisa opera amplecti, et tueri; quod sane mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiae et gratiae magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicavi. » Qui hanc epistolam suppositi tiam esse censuerunt, confutati sunt per eiusdem autographum, quod conservatum fuerat in domo professa Soc. Iesu, thecae argenteae inclusum (1).

3. Nonnulli admiserunt quidem, gratiam ab extrinseco efficacem esse, eamque a clementissimo Deo omnibus conferri, et praedestinationem post praevisa merita fieri. Ut autem ostenderent, quomodo Deus specialem erga electos dilectionem et misericordiam exhibeat, eosdemque indeclinabiliter ad salutem aeternam perducat, aliam viam ingressi sunt ad praedestinationis naturam, et qualitatem declarandam. Posita nempe voluntate generali in Deo salvandi omnes, et praeparatione auxiliorum sufficientium ad illam salutem consequendam, dicunt, Deum per scientiam mediam praescire, quomodo quisque iis uteretur, si in his vel illis circumstantiis poneretur: qua praescientia conditionali posita, ex omnibus, quos voluntate generali ad salutem ordinat, aliquos speciali dilectione et misericordia seligit, quos statuit ponere in his circumstantiis, in quibus praevidit, eos bene usuros gratia, et in ea perseveraturos, iisque salutem decernit: alios autem statuit ponere in his circumstantiis, in quibus praevidet, eos non bene usuros gratia, qui ideo ob negatam gratiam circumstantiis congruam negative, et ob praevisa peccata positive reprobantur. Ex quibus patet, electionem et discretionem salvandorum a reprobis esse ex gratuita voluntate Dei. Sed quia in salute duo sunt connexa, nempe gratia, seu merita et gloria, dicunt, Deum prius decrevisse gratiam, seu merita, et eorum intuitu

(1) V. Theod. Eleuther. seu Livinum de Meier, Hist. Controv de Auxil. vindicata lib. 1, cap. 11.

gloriam, sicque praedestinationem ad gratiam propriam electis, et reipsa salvantem esse gratuitam, praedestinationem autem ad gloriam esse ex praevisis meritis gratiae. Ita sentiunt communiter *Congruistae*. Conveniunt isti cum secunda sententia, quatenus decretum praedestinationis hypotheticum, post praevisa merita conceptum, et praedestinationem non mere gratuitam admittunt: conveniunt autem cum primae sententiae assertoribus; sicuti enim isti dicunt, solis praedestinatis praeparari gratias efficaces, quibus infallibiliter salvantur, ita isti asserunt, solos praedestinatos obtinere gratias in circumstantiis congruis, quibus certo consentiunt, merita sibi comparant, perseverant et salvantur.

Nota 1. *Ambrosius Catharinus* singularem de praedestinatione sententiam proposuit. In tractatu nempe de praedestinatione, quem durante adhuc *Concilio Trident.* edidit, duos distinguit hominum salvandorum ordines. Primus est eorum, quos insigniter electos et praedestinatos vocat, et inter quos praecipue B. V. Mariam, Apostolos, Patriarchas, Prophetas, aliosque insignis pietatis Sanctos collocat. Hos autem ante omnem meritorum praevisionem praedestinatos esse contendit, quibus tanta, et tam efficacia ac infallibilia salutis assequendae media Deus ex suo beneplacito largitur, ut certissime et indeclinabiliter ad vitam perducantur aeternam. Certitudinem huius praedestinationis *Catharinus* repetit non a scientia Dei tantum, sed maxime a providentia, seu decreto ipsius efficaci, absoluto et antecedenti. — Alter salvandorum ordo est eorum, qui communi providentiae relicti, ac communibus duntaxat auxiliis adiuti, praesciuntur quidem a Deo ex meritis salvandi, at non ex speciali decreto et absoluto, antecedente omnem meritorum praevisionem: horum numerum certum quidem esse, ait, ex praescientia, non vero ex speciali Dei providentia. Hinc *Catharinus* de negato praedestinationis decreto accusatur a *Dominico Soto*, *Billuart*, *Gazzaniga* et aliis: imo *Bannesius* (1) illius sententiam manifestam haeresin appellare non dubitat. Alii autem theologi *Catharinum* a dicto errore vindicant. Ita cl. *Tournely* de Deo, et div. attr. (2) inquit: « Cum docet *Catharinus*, aliquos esse quidem salvandos, sed a Deo non electos, nec praedestinatos, non sic intelligendum est, quasi omnem omnino Dei praedestinationem ab iis, qui salvi fiunt, removendam arbitretur; neque enim adeo stolidus fuit praestantissimus theologus, ut gloriam quibusdam fortuito contingere putaret, quibus non fuisset aeterno Dei, et meritorum intuitu posteriore decreto destinata. Contendit igitur, quosdam ad salutem pervenire non praedestinatos (in sensu *Augustinianorum*, et *Thomistarum*) praedestinatione videlicet gratuita, quae omnem meritorum praevisionem antevertat, vi cuius singularia et infallibilia salutis media seligantur. » Caeterum manifestum est, in systemate *Catharini* duas theologorum sententias invicem coniungi. Sicuti enim *Augustiniani* et *Thomistae* omnes praedestinatos, ita *Catharinus* eos, quos ad primum salvandorum ordinem refert, per gratias ab intrinseco efficaces, aeterno et absoluto Dei decreto sibi praeparatas, ad salutem indeclinabiliter perduci dicit. Quoad illos vero, qui ad secundum salvandorum ordinem pertinent, admittit cum *Molinistis* auxi-

(1) In I p. q 23, art. 7.

(2) Q. 22, art. 1.

lia omnibus communia, seu gratias ab extrinseco efficaces, quibus consentientes bene operantur, uberiora auxilia consequuntur, merita sibi comparant, et ad aeternam salutem perveniunt. Sententiae autem, quae catholice defendi possunt, etiam in uno systemate coniunctae reprehendi non posse videntur. Quoniam autem *Catharinus* ex una quidem parte de utriusque scholae placitis participavit, ex altera vero parte utrique scholae contradixit, theologos universos hac in re adversarios habuit.

Nota 2. Variae theologorum sententiae de morali praedestinationis causa dependent a variis systematibus, quibus efficaciam gratiae declarare nituntur. Qui docent, nunquam bonum opus perfici, nisi detur gratia ab intrinseco efficax; necessario inferunt, illos solos praedestinatos esse, quibus ex gratuita misericordiae gratiae ab intrinseco efficaces ad bene operandum, et ad perseverandum in bono praeparatae sunt. Qui dicunt, omnibus gratias versatiles concedi, quae per consensum datum efficaces redduntur, cohaerenter cum suo systemate decretum praedestinationis ex praevisis meritis repetunt. Ut autem illi, quos Deus salvare decrevit, infallibiliter ad finem suum perveniant, opus esse, aiunt *Congruistae*, ut Deus eosdem in circumstantiis congruis reponat, in quibus per scientiam mediam certum eorum consensum gratiae praestandum praevidet. — Quod autem § 429 de placitis scholarum observatum fuit, hic quoque perpendendum est. Sicuti enim systemata a theologis excogitata mysteria gratiae perfecte declarare nequeunt, ita multo minus decreta salutem hominum respicientia perfecte dilucidare valent. Nam *Incomprehensibilia sunt iudicia* Dei (1), et inter angustos systematis a finita et infirma ratione humana excogitati limites coarctari non possunt. Deus enim omnipotens et liberrimus, sapientissimus et clementissimus multiplici modo gratias suas elargitur (§ 440); et dum quosdam efficacissimis, imo et extraordinariis, ac plane mirabilibus modis, ut ex. gr., Paulum Apostolum, vocat, dirigit, et ad salutem perducit, non ideo tamen alios negligit, sed omnibus talia auxilia praebet, quibus salutem suam actu consequi possunt, dummodo gratias divinas in vacuum non recipiant, libero suo arbitrio iisdem resistentes. Caeterum fatendum semper est, nos decreta divina comprehendere non posse. Quodsi sententia quaedam theologica de causa praedestinationis morali adoptanda sit, illa profecto praeferenda est, ex qua sapientia, iustitia, bonitas Dei, eiusque seria voluntas salvandi omnes clarius elucent; secundum quam porro melius intelliguntur frequentia et gravia S. Scripturae monita, quibus indiscriminatim homines ad orandum, ad vigilandum, ad certandum et ad contendendum excitantur, ut salutem suam operentur, et quae demum generatim aptior est ad christianam perfectionem promovendam. Quam regulam attendentes secundum sententiam primae praeferendam esse censemus, et ideo huius argumenta enervare, illius vero confirmare studemus.

(1) Rom. 11, 33.

ARTICULUS III.

Argumenta eorum, qui decretum praedestinationis absolutum defendunt, afferuntur et refelluntur.

§ 723. Qui dicunt, Deum absque respectu ad merita praevisa decreto absoluto aliquos ex massa damnationis seligere, iisdemque tales gratias

efficaces praeparare, quibus adiuti infallibiliter ad aeternam beatitudinem perveniunt, sententiam suam ex *S. Scriptura*, ex *Traditione*, auctoritate potissimum *S. Augustini* et *S. Thomae*, atque *rationibus theologicis* probare tentant. Argumenta haec, a primae sententiae patronis afferri solita, candide proponemus, ita tamen, ut mox in notis ea adiiciamus, quae ad illa infirmanda et refellenda inserviunt.

I. *Argumenta ex S. Scriptura petita.*

§ 724. 1. Exod. XXXIII, 18 etc. Moyses orat: *Ostende mihi gloriam tuam;* et Deus respondet: *Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram te: et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit:* quibus verbis gloria aeterna Moysi promittitur, et simul generali sententia asseritur, eam soli misericordiae Dei, seu mere gratuitae electioni divinae adscribendam esse. David quoque salutem suam non meritis suis, sed absoluto voluntatis divinae decreto adscribit; Dei enim bonitatem laudans ait: *Salvum me fecit, quoniam voluit me* (1). Sap. IV, 11 de iusto praedestinato dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius... Consummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Iustus ergo non propter merita praevisa, sed quia eius anima iuxta beneplacitum divinum electa erat, mundi periculis matura morte abreptus est, ut secure ad destinatam sibi gloriam perveniret. Ezech. XXXVI, 22 promittens Deus electis suis immutationem cordis, aliaque spiritualia bona, quae sunt effectus praedestinationis aeternae, ait: *Non propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum.*

2. Matth. XI, 20 etc., Christus, cum durissimum iudicium civitatibus impoenitentibus praenuntiasset, (v. 25 etc.) ita loquitur: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te:* opponit ergo Christus reprobis praedestinatos; horum autem electionem soli beneplacito Patris adscribit. Et Luc. XII, 32 alloquens suos discipulos dicit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum:* quibus verbis clare pronuntiat, nihil timendum esse electis, quia per gratias efficaces certo ad regnum aeternum perducuntur: istorum vero electionem iterum a solo beneplacito Patris repetit. Io. X, 26 ad Iudaeos obduratos dicit: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Oves hic designant praedestinatos, quae ideo vocem pastoris audiunt, quia sunt ex ovibus, seu ex praedestinatis. Io. XV, 16 Christus ad discipulos suos inquit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat:* quibus verbis apertissime declaratur, electionem non ex meritis praevisis, sed ex gratuita Christi bonitate factam esse, eandemque electionem causam esse fructus, qui per gratiam producitur, et vitam aeternam promeretur. Act. XIII, 48 post praedicationem Pauli legitur: *Crediderunt, quotquot*

(1) Ps. 17, 22.

erant praeordinati ad vitam aeternam: ubi praeordinatio ad vitam aeternam assignatur tanquam causa fidei, quam praestiterunt. Certum igitur est Deum aliquos ex massa damnationis seligere, iisdemque gratias efficaces concedere, quibus adiuti fidem concipiunt, bene operantur, et in bono usque in finem perseverant.

3. S. Paulus in *Epistola ad Romanos* ex proposito de praedestinatione mere gratuita agit, eam explicat, probat, et contra impugnantes defendit. Nam cap. VIII, v. 28 ait: *Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam - quos praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit:* quo in loco praedestinatio *propositum Dei* dicitur, et secundum hoc propositum, seu propter praedestinationis decretum homines vocari, iustificari et glorificari dicuntur. Tum cap. IX quaerens, cur tam pauci ex Iudaeis in Christum credèrent, cum tamen ad Iudaeos, utpote filios Abrahae, factae sint repromissiones salutis? Respondet autem, non omnes carnales filios Abrahae in aeternis Dei consiliis fuisse filios promissionis, seu praedestinatos, sed aliquos tantum prae aliis gratis electos. Hanc autem gratuitam praedestinationem probat exemplo *Iacobi* et *Esau*, qui ex iisdem parentibus, et eodem concubitu nati fuerunt, et ex quibus tamen prior non ex operibus, sed ex gratia vocantis electus, posterior vero derelictus fuit; ait enim (v. 11 etc.): *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccae): *Quia maior serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Certum quidem est, Iacobum iustum fuisse, et ope gratiae divinae opera supernaturalia peregisse; et tamen negatur, eum intuitu meritorum praevisorum electum fuisse, sed haec electio gratuitae Dei bonitati adscribitur. Idcirco Apostolus prosequitur: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor, cuius misereor, et misericordiam praestabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quae verba ostendunt, electionem hominum a sola divina misericordia pendere, quam Deus nemini debet, atque ideo sine iniustitia uni exhibere, et alteri negare potest. Ad omnes autem querelas eorum, quibus gratuita ista et sola Dei voluntate suspensa electio iniusta videri solet, penitus dissipandas, Paulus (v. 20) addit: *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Quibus verbis apertissime gratuita bonorum electio significatur; nullus quippe fuisset huiusmodi querelarum locus, si praedestinatio a praevisione meritorum penderet. — Idem Apostolus in aliis quoque epistolis eandem doctrinam proponit. Ephes. I, 4 etc. scribit: *Elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae.* Clare hic indigitat Paulus, homines eligi a Deo, non quia sancti et immaculati futuri esse praevidentur, sed ut sancti et immaculati fiant ac maneant, eosdemque praedestinari

non propter merita praevisa, sed *secundum propositum voluntatis suae*, id est, absoluto decreto, seu ex gratuita bonitate: et (v. 11) addit: *In quo* (Christo) *etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Similiter II Tim. I, 9 ait: *Deus nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia:* quibus verbis gratuita electio adscribitur quidem meritis Christi, non autem meritis hominis praevisis.

Nota 1. Per loca ex V. T. citata praedestinatio mere gratuita nullatenus probatur. Nam Ex. XXXIII, 18, Moyses non postulat aeternam beatitudinem, sed in hac mortali vita faciem Dei, seu gloriam Dei extraordinario modo videre cupit. Denegatur autem Moysi in hac vita mortali perfecta visio beatifica (v. 20), promittitur tamen imperfecta, quae quidem plane extraordinaria sit (v. 23). Ideo Deus (v. 19) profitetur, se ex indebita bonitate, et ex speciali erga Moysen amore id praestare, quia talia dona extraordinaria, seu istas gratias gratis datas nemini debet, sed ex mere gratuita bonitate impertitur; quod indicatur per verba: *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.* Si petitio Moysis et responsio Dei de aeterna beatitudine intelligerentur, haec Moysi denegaretur per verba: *Non poteris videre faciem meam:* omnes idcirco concedere debent, de sola visione faciei divinae in hac vita sermonem esse. — Ps. XVII, 22, David non loquitur de aeterna sua salute, sed de liberatione ab insidiis inimicorum, vel, ut alii cum *S. Athanasio* et *Fusebio Caes.* putant, de iustificatione, quam ex gratuita misericordia Dei post tristissimum lapsum suum obtinuit. — Ex verbis Sap. IV, 11, nequaquam probari potest, iustum ex hac vita raptum fuisse, eo quod praedestinatus esset ante praevisa merita: imo potius contrarium ex hoc ipso loco erui posse videtur. Nam (v. 13), dicitur: *Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius:* specialis ergo Dei erga illum electum dilectio supponit, non antecedit illius merita praevisa. Quod si sub figura *Henoch* iustus hic repraesentetur, sicut multi post *S. Ambrosium* volunt interpretes, iustus ille perinde ac *Henoch* raptus fuit ad feliciorem statum propter merita; de *Henoch* enim dicitur: *Ambulavit Henoch cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Dominus* (1). — Ex verbis Ezech. XXXVI, 22 inepte praedestinatio mere gratuita infertur. Praedicitur enim ibi, quod Deus Iudaeos ex captivitate liberaturus, in patriam reducturus, et gratiam poenitentiae ac conversionis concessurus sit: haec omnia autem Deus praestare dicitur non propter Iudaeorum merita, sed *propter nomen sanctum suum*, ne blasphemetur in gentibus, et ut ipsius omnipotentia et misericordia cognoscatur et praedicetur. Itaque de praedestinationis decreto hic nec verbum occurrit. Nec adaequate dicitur, gratiam conversionis, de qua Propheta (v. 25 et seq.) loquitur, praedestinationis effectum fuisse, quasi Iudaei hanc gratiam acceperint, quia ante merita praevisa absoluto decreto praedestinati fuerunt. Certum enim est, quod gratiae supernaturales etiam illis concedantur, qui praedestinati non sunt. Denique verba Dei ad omnes Iudaeos e captivitate reduces

(1) Gen. 5, 24.

diriguntur: quis autem dicet, hos omnes praedestinatos fuisse, cum potius constet, etiam post reditum in patriam multos ex Iudaeis a recto tramite deviasse?

Nota 2. Matth. XI, 20 etc. sermo non est de praedestinatione ad gloriam, sed potius de praedestinatione ad gratiam. Christus enim cum a sapientibus et prudentibus secundum carnem indigne et proterve lumen Evangelii respui videret, laudat Patrem suum, eique gratias agit, quod profunda sui Evangelii mysteria parvulis, seu vere humilibus corde et animo docilibus manifestet. Adorat insuper Christus hanc illius erga ipsos providam benignitatem. Quodsi verba Christi de praedestinatione ad gloriam intelligantur, ea multo magis sententiae favent, quae decretum praedestinationis hypotheticum defendit, quia iuxta beneplacitum Patris illi soli praedestinari dicuntur, qui parvuli, seu vere humiles esse noscuntur. — Luc. XII, 32, Christus non loquitur de beneplacito absoluto et efficaci dandi gloriam aeternam; alloquitur enim omnes suos Apostolos, inter quos erat Iudas traditor, pro quo haud dubie efficax illud et absolutum beneplacitum non habuit. Ergo sub conditione duntaxat Christus regnum proponit, si nempe bonis operibus, divina adiuvante gratia, illud promereri voluerint, quod ex contextu manifestum est. Nam in eodem sermone discipulos hortatur ad vitae contemptum, et ad martyrium (v. 4), ad timorem Dei, *qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* (v. 5), ad confessionem sui nominis (v. 8), et ad vigilandum (v. 16 etc). Tum illos excitat, ut rerum temporalium curam deponant (v. 22-30), et ad altiora mentem suam erigant (v. 31). Quodsi immediate (v. 32) subiungit: *Nolite timere* etc., non timorem de salute aeterna, sed timorem de rerum temporalium penuria deponendum esse docet. Nam a maiori ad minus Christus hic arguit, quasi diceret: Si complacuit Patri vestro dare vobis regnum, primarios vos Ecclesiae ministros constituere, et aeternam beatitudinem praeparare, an non de rebus ad communem istam vitam necessariis vobis providebit? Quibus dictis discipulos hortatur, ut ad perfectiora et excellentiora contendant (v. 33 et seq.). Quae omnes circumstantiae ostendunt, Christum loco citato non loqui de beneplacito, seu proposito dandi gloriam absoluto et efficaci, sed de conditionato, quod nempe pendeat, ac suspensum sit ex meritis bonorum operum. Quinimo conditio ad regnum obtinendum requisita, in ipsis Christi verbis indigitatur. Docet enim *V. Beda*, gregem illum vocari pusillum ob humilitatem eorum et propter hanc eis regnum decerni: unde Card. *Hugo* locum ita explicat: Complacuit Patri vestro vobis dare regnum; vobis, inquit, et vestris similibus, id est, humilibus: ubi et in confirmationem istius explicationis adducit textum illum Matth.: *Sinite parvulos*, id est, humiles, *ad me venire: talium est enim regnum coelorum* (1). — Io. X, 26 etc., verba Christi vere et litteraliter intelligenda sunt de praedestinatis ad gratiam, non de praedestinatis ad gloriam. Christus enim Iudaeis, subdolam quaestionem proponentibus (v. 24), exprobrat incredulitatem, in qua pertinaciter haerent, quamvis doctrinam salutis ipsis annuntiasset, et multa miracula patrasset. Vocati ergo fuerunt ad fidem, sed vocationi non adinstar ovium paruerunt, sed per liberum arbitrium resistentes gratiam in vacuum recepe-

(1) C. 19, v. 14

runt. Ideo ad eosdem dicit: *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, id est, quia ex malitia cordis vestri qualitates non habetis pro ovibus meis requisitas. Has autem qualitates explicat dicens: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Manifeste ergo Christus loquitur de gratia fidei, quam aliqui recipiunt, et oves Christi fiunt; alii autem reiiciunt, et pereunt. Nec obstat quod dicat Christus: *Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea:* per vitam enim aeternam intelligi potest fides in Deum verum et in Iesum Christum, iuxta illud Io.: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum* (1). Reliqua autem verba hunc sensum referunt: Oves meae, copiosis gratiis munitae, et a me protectae non peribunt ex mea culpa, sed si aliquae pereunt, sua culpa pereunt; nec quisquam tam potens est, ut possit eas mihi eripere, nisi sponte a me abeant. Quodsi cum *S. Augustino* per oves, de quibus hic loquitur Christus, intelligantur soli praedestinati, nil ex iis aliud colligitur, quam quod illi infallibiliter sint perventuri ad vitam aeternam. Haec tamen infallibilitas non oritur ex decreto Dei antecedente praevisa merita, sed potius ex praescientia, qua Deus absolute, certo et infallibiliter praevidet, quinam sint ad gloriam perventuri. — Locus Io. XV, 16, non potest intelligi de electione ad gloriam, tum quia Iudas, qui erat unus ex discipulis, quos alloquebatur, non erat praedestinatus, tum quia paulo infra Christus dicit, illam electionem esse causam, cur mundus Apostolos odio habeat; at mundus non poterat eos odisse ob electionem ad gloriam, cum eam non cognosceret: ergo necesse est, quod loqueretur de alia electione cognita mundo. Locutus est igitur vel de electione ad gratiam et fidem, ut vult *S. Augustinus* (2); vel de electione ad Apostolatum, ut interpretantur *S. Cyrillus Alex.*, *S. Chrysostomus*, *Theophilactus*, *Euthymius*, *Estius* et alii, quia verba subsequentia aperte munus apostolicum describunt: *Ut eatis, et fructum afferatis* etc. — Multi putant, Act. XIII, 48, sermonem esse de praeordinatis ad fidem, quae per synecdochen *vita aeterna* (3) dicitur, ita ut sensus sit, eos omnes in tempore credidisse, qui ad credendum ab aeterno erant praeordinati, id est, gratiae beneficio dispositi, quem sensum suggerit vox graeca τεταγμένοι ordinati, dispositi. Quodsi etiam daretur, sermonem ibi esse de praedestinatis ad gloriam, sensus erit, omnes illos credidisse in tempore, quos Deus ab aeterno per scientiam visionis praevidens credituros et perseveraturos, praeordinavit ad vitam aeternam. Tantum ergo abest, ut praedestinatio sit causa bonorum operum, quin potius bona opera sint causa praedestinationis; quapropter nihil est in citato textu, quod faveat praedestinationi ante praevisa merita, aut quod sit contrarium praedestinationi post praevisa merita. Ipsi etiam adversarii admittere nequeunt, omnes, qui praeordinantur ad fidem, seu hanc recipiunt, esse etiam ad gloriam praedestinatos.

Nota 3. Paulus Rom. VIII, 28-30, fideles ad confidentiam et ad fortitudinem in tribulationibus exhortatur, ut ex praecedentibus et subsequentibus manifeste patet. Ideo dicit: *Scimus, quoniam diligentibus Deum*

(1) Cap. 17, 3. (2) Tract. 86 in Ioan. et lib. de praedest. Ss. c. 17 et 19.

(3) Io. 17, 3.

omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti: ista autem dilectio est charitas cordibus infusa, seu gratia sanctificans, qua fit, ut quaecumque huius vitae adversa, calamitates, pressurae, persecutiones cedant in bonum electorum. Sensus ergo verborum Pauli est: Ne diffidamus ob infirmitatem nostram, sed certissimum habeamus, quod Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, iis nempe, qui ex gratuito Dei proposito ad sanctitatem vocati sunt, Deique vocationi obedierunt. De istis porro dicit Apostolus, quod per passiones Filio Dei incarnato similes fieri debeant, et addit: Quos autem ad hanc conformitatem cum Christo *praedestinavit*, hos et *vocavit* ad passiones, per easdem *iustificavit*, id est, iustiores et sanctiores reddidit, imo et *glorificavit*, id est, magnos, celebres et gloriosos fecit, gratiis ac meritis refertos, ac in aeternum remunerandos. Haec interpretatio contextui maxime consona est. Si autem cum aliis verba Pauli de praedestinatione ad gloriam exponantur, nullatenus tamen ex iis absolutum praedestinationis decretum probari potest, quia causa moralis praedestinationis in iis non indigitatur, sed tantum dicitur, in praedestinatis (sive ante, sive post merita praevisa praedestinentur) omnia gratiae divinae adscribenda esse, quia a Deo ad fidem vocantur, a Deo per baptismum iustificantur, a Deo denique, perseverantiae finalis gratiam concedente, glorificantur. — Quae Paulus in eadem epistola cap. IX scribit, non de gratuita praedestinatione ad gloriam, sed de gratuita praedestinatione ad gratiam dicta sunt, quod ex contextu et scopo huius epistolae recte infertur. Nam, ut observat cl. *Bernardinus a Piconio* (1) in praefat. ad hanc epist: « Scopus Apostoli in hac epistola est ostendere, quod Christi gratia nec Iudaeis data sit ob mosaicae Legis observantiam, nec gentilibus ob legis naturalis custodiam, sed mere gratis, et ex pura Dei misericordia. » Quod idem docet etiam *S. Augustinus* (2) scribens: « Intentionem Apostoli, quae per totam epistolam viget, tenebo, quam consulam. Haec est autem, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israëlitae gloriari, quod datae sibi legi serviissent, et ex hoc evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant, eandem gratiam dari gentibus, tanquam indignis, nisi iudaica sacramenta susciperent. » Si ad hunc scopum Pauli attendatur, clare patebit, nullum argumentum pro absolute praedestinationis decreto ex hoc capite desumi posse. Apostolus enim, ut Iudaeorum iactantiam retunderet, ostendit, Deum in distributione gratiarum suarum liberrimum esse, nec aliquid ideo hominibus debere, eo quod ex Abrahamo descendant. Ideo adducit exemplum Iacobi et Esau, qui ambo Abrahami nepotes fuerunt, et tamen, cum neuter bona aut mala merita haberet, Deus ex liberrima voluntatis suae electione decrevit, ius primogeniturae, et alia bona temporalia Iacobo conferre, et Esau negare (Deus enim *diligere* dicitur, dum bona concedit, et *odio habere*, dum ea negat, § 40) Non ergo hic de praedestinatione Iacobi ad gloriam, et aeterna reprobatione Esau sermo est, sed de collatione et negatione bonorum temporalium. Quod clarius adhuc patet, si attendatur, quod interpretes observant, nempe in verbis citatis non tam

(1) Triplex expos.

(2) Lib. 1 ad Simplic. q. 2, n. 2.

de singularibus personis Iacob et Esau sermonem esse, quam potius de duobus populis, Israëlitico nimirum et Idumaeo. Nam cum Rebecca Deum consuleret, cum parvuli, quos in utero gestabat, inter se colliderentur, ei responsum est: *Duae gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur; populusque populum superabit, et maior serviet minori* (1). Quod quidem in personis Esau et Iacob impletum non fuit, sed in populis ab utroque ortis; tempore quippe Davidis Idumaei ex Esau progeniti Israëlitarum ditioni subiecti sunt (2). Unde per Malach. cum dixisset Deus: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, explicat quomodo dilexerit et oderit his verbis: *Posui montes eius* (Esau) *in solitudinem, et haereditatem eius in dracones deserti* (3). Itaque dilexit Deus Iacob, quoniam dedit ei terram fluentem lacte et melle: odio habuit Esau, quoniam dedit ei terram steri-lem et desertam. Admittunt quidem nonnulli ex adversariis, in adducto exemplo de distributione mere gratuita sermonem esse; sed, aiunt, hoc ipsum exemplum Paulus applicat ad praedestinationem mere gratuitam declarandam. Id vero prorsus negamus, quia Apostolus in hac epistola non loquitur de praedestinatione ad gloriam, sed de praedestinatione ad gratiam, quam mere gratuitam esse contra Iudaeos propugnat. Accedit alia gravissima ratio expositionem adversariorum penitus reiiciendi. Nam eodem modo loquitur Apostolus de electione Iacob, ac de reprobatione Esau: si ergo illa repraesentabat praedestinationem ad gloriam, haec autem reprobationem a gloria, sequitur, quod eodem modo fit reprobatio ac illa electio, seu quod, sicut Iacob sine bonis operibus praevisis praedestinatus, ita Esau sine malis operibus praevisis reprobatus est, cum tamen iuxta doctrinam catholicam decretum reprobationis hypotheticum sit, et nemc damnetur, seu suppliciis afficiatur sine peccato. Neque reponere licet, per reprobationem Esau figurari reprobationem negativam, quae est sola exclusio gloriae, et est sine praevisis meritis, non vero positivam, quae consistit in inflictione poenae, et est ex praevisis peccatis. Ad quod respondemus, per reprobationem Esau non solum figurari reprobationem negativam, sed etiam positivam, quia decretum illud Dei: *maior serviet minori*, non est quidpiam mere negativum, sed etiam positivum, et vera inflictio poenae, quae consistebat in servitute dura et actuali, quam populus Idumaeus tempore Davidis subire debuit. Admissa ergo adversariorum expositione sequeretur, iuxta doctrinam Apostoli aliquos homines sine praevisis peccatis etiam positive reprobari, quod fidei catholicae repugnat. Idem porro falsum consectarium inferendum esset ex v. 20 etc.: *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Quae verba ad praedestinationem, et reprobationem hominum applicata, innuere viderentur, quod sicut *Calvinus* impie docuit, aliqui homines absoluta Dei voluntate ad gloriam, alii vero absoluta Dei voluntate ad damnationem aeternam creati sint. Necesse igitur est, ut fateamur, Paulum in citato capite non de praedestinatione ad gloriam, sed de praedestinatione ad gratiam loqui, quam omnino gratuitam esse (v. 15-19) pro-

(1) Gen. 25, 23. (2) V. II Reg. 8, 14. (3) Cap. 1, 2. etc

bat: deiu (v. 20-23) Iudaeos perstringit indigne ferentes, quod etiam Gentilibus gratia fidei conferatur; et ideo dicit, quod, sicut figulus *ex eadem massa* vasa in honorem, et vasa in contumeliam facere possit; certe etiam Deus Gentilibus non minus quam Iudaeis gratiam suam impertiri potest, quia illi sicut isti, homines sunt, nec illi, nec isti gratiam fidei promeruerunt, et omnes ad eandem massam perditionis pertinent, sanguine Christi redemptam. Addit praeterea, quod Deus suam potentiam, patientiam et bonitatem clarius ostendat, dum eos, qui ob crimina sua irae et vindictae divinae rei erant, diu sustinuit, et *vasa misericordiae* constituit, *quae praeparavit in gloriam* suam, ut nimirum per eorum fidem et bona opera glorificetur. Ex his demum concludit (v. 24): *Vocavit nos non solum ex Iudaeis, sed etiam ex Gentibus*, quam Gentium vocationem a Prophetis praedictam esse ostendit (v. 25 etc.), ac postremo v. (30-33) difficultatis in hoc capite propositae nodum solvit dicens, Gentes iustificatas esse, quia in Christum crediderunt, Iudaeos vero ad iustitiam non pervenisse, quia in Christum credere noluerunt, *sed quasi ex operibus* (legis mosaicae) tumuerunt, ipsoque tumore suo caecati *offenderunt in lapidem offensionis*, in Christum scilicet, cuius humilitatem intuentes eum ut Messiam noluerunt agnoscere, sed repulerunt. Ex his omnibus manifeste patet, in citato capite nono de praedestinatione ad gratiam, seu de vocatione ad fidem sermonem esse, et ideo ex illo mere gratuitam praedestinationem ad gloriam, seu absolutum praedestinationis decretum nullatenus probari posse. — Idem dicendum est de verbis Pauli Ephes. I, 4 etc., in quibus iterum non agitur de praedestinatione ad gloriam, sed de praedestinatione ad gratiam vocationis et iustificationis: unde *S. Augustinus* lib. de praedest. Ss. (1) valde urget locum istum contra *Semipelagianos*, qui volebant, nos praedestinari ad initium fidei, seu ad primam gratiam ex meritis arbitrii, et non ex gratia Dei; quos confutat S. Doctor ex eo, quod hic dicit Apostolus, Deum nos elegisse, non quia eramus sancti, sed *ut essemus sancti et immaculati*, id est, nos ad fidem vocasse, et per baptismum iustificasse, ut vitam sanctam et immaculatam agamus. Et sane hic sensus patet ex consequentibus, ubi Apostolus ait: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum... in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum:* quae omnia denotant gratiam et non gloriam, quandoquidem adoptio, redemptio et remissio peccatorum pertinent ad gratiam iustificationis. Idem patet ex eo, quod Apostolus illa verba dirigat ad omnes fideles Ephesios, ad quos scribebat. At non est verisimile, quod illi omnes essent praedestinati ad gloriam, cum Christus dicat: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (2), et cum in parvulo Apostolorum grege repertus sit aliquis reprobus: saltem non poterat Apostolus omnium praedestinationem ad gloriam scire, nisi per revelationem specialem. At modus loquendi illius nihil indicat eiusmodi, sed tantum scientiam generalem, et cuivis obviam, quae erat de eorum praedestinatione ad gratiam, seu ad illam fidem, quae per dilectionem operatur, in quantum illi omnes erant baptizati, et ferventes Christiani. Quodsi Apostolus ipse non noverat suam praedestinationem per certam aliquam revelationem, cum ipse de ea

(1) Cap. 17, etc. (2) Matth. 20, 16.

non securus, sed timens et tremens dicat: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* (1): quanto minus sciebat praedestinationem ad gloriam omnium illorum Ephesiorum, cum illa praedestinatio sit mysterium absconditum, et paucissimis Sanctis revelatum? — Restat ergo ut admittatur, Paulum non de praedestinatione ad gloriam, sed solum de praedestinatione ad gratiam loqui. Idem dicendum est de verbis Pauli II Tim. I, 9, in quibus nonnisi de praedestinatione ad gratiam loquitur. Sensus enim verborum est: *Deus nos liberavit* a vitiis et aeterna morte, iustificans nos in baptismo, et *vocavit nos vocatione sua sancta*, id est, vocatione ad vitae sanctitatem, *non secundum opera nostra*, quae mala erant, et, si naturaliter bona fuerunt, tamen primam gratiam promereri non poterant, sed *secundum propositum suum et gratiam* etc., id est, ex liberali beneplacito suo, quo decrevit ab aeterno gratiam nobis dare intuitu meritorum Christi. Apostolus ergo solummodo negat, praedestinationem ad gratiam intuitu operum praecedentium fieri, non autem negat, praedestinationem ad gloriam fieri intuitu meritorum supernaturalium praevisorum. Idem dicendum est de alio loco qui obiici solet, nempe de verbis Pauli Tit. III, 5: *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti;* Paulus enim hic non loquitur de salute completa, quae obtinetur per gloriam, sed de salute incompleta, seu inchoata, quae obtinetur in baptismo per gratiam iustificantem: hanc vero mere gratuitam esse ostendens, negat, eam conferri propter opera iustitiae, quae fecimus nos (2).

(1) I Cor. 9, 27.

II. *Argumenta ex auctoritate S. Augustini et discipulorum eius deprompta.*

§ 725. Qui praedestinationem mere gratuitam defendunt, nituntur praecipue auctoritate *S. Augustini*, quia, ut ipse *Petavius* (3) profitetur, in his materiis minor ratio habenda est veterum Ecclesiae Patrum, qui ante Pelagianam haeresin floruerunt, quam eorum, qui postea secuti sunt, quia latini Patres hac in parte graecis anteponendi sunt, cum haeresis Pelagiana non graecam, sed latinam Ecclesiam exercuerit, et quia ex consensu theologorum princeps omnium Patrum latinorum est *Augustinus*, cuius de gratia sententiam, quotquot deinde consecuti sunt Patres et Doctores, tum vero Ecclesiae Rom. Praesules, Praesulumque conventus aliorum ratam et catholicam esse iudicarunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab *Augustino* positum et decretum esse constaret. Ideo, aiunt, genuina de praedestinatione ad gloriam doctrina ex *S. Augustino* et ex eius discipulis, qui optime eius mentem assecuti sunt, petenda est.

1. *S. Augustinus* apertissime docet, Deum ante praevisa merita decretum praedestinationis concipere, ac ideo praedestinationem mere gratuitam esse. Lib. de corrept. et grat. cap. 7, n. 13 ait: « Quicunque ab illa originali damnatione (non meritis suis, ut dixerat n. 12), sed ista divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium, quod et procuratur eis audiendum Evangelium; et cum audiunt credunt, et in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem

(2) Cf. Car. Ios. Tricassinum de praedest. hom. P. 2, sect. 1. (3) L. 9 de praedest. c. 6

perseverant; et si quando exorbitant, correpti emendantur, et quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerunt, redeunt, et nonnulli accepta gratia in qualibet aetate periculis huius vitae mortis celeritate subtrahuntur. Haec enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiae operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiae. Rom. XI, 6: *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi, propter quod dictum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi;* sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiae, non praecedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum.» Postea vero totus in eo est, ut ostendat, tali modo electos seu praedestinatos perire non posse. S. Doctor hic aperte docet, electionem ad gloriam esse ante praevisa merita, Deumque ex vi et virtute illius electionis, dare electis merita et praeservationes singulares, et perseverantiam ipsam, ut infallibiliter gloriam consequantur, sibi gratis praedestinatam. Idem confirmatur ex iis, quae n. 16 de non electis, seu de reprobis dicit scribens: « Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide christiana ac conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitae huius finis inveniat, procul dubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in istorum numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis praescientia Dei et praedestinatione discreti, et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi, sed in eis vocati, de quibus dictum est: *multi vocati*, non in eis, de quibus dictum est: *pauci vero electi.* Et tamen quis neget eos electos, cum credunt et baptizantur, et secundum Deum vivunt? Plane dicuntur electi a nescientibus, quid futuri sint non ab illo, qui eos novit non habere perseverantiam, quae ad vitam aeternam perducit electos, scitque illos ita stare, ut praescierit esse casuros. » Hinc evidens est, *Augustinum* sensisse, neminem ab illa massa separari, nisi quem Deus coelesti regno destinarit ac gloriae, ac ne tum quidem, cum iustus et sanctus est, qui ad illam gloriam minime est electus, ab eadem massa damnata segregari. Quod autem de electione non ad gratiam solam, sed etiam ad gloriam, et ad hanc praecipue loquatur S. Doctor, non solum verba illa persuadent: « Electi sunt ad regnandum cum Christo, sed hoc praeterea, quod de eodem electionis genere capiendus sit, de quo Matth. XXII, 14 sermo est, cum dicitur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* » Ibi vero ex *Augustini* mente de electis ad gloriam agitur, quos scilicet convivio interesse rex patitur, a quo plures illos vocatos, sed non electos reiicit. Sed observanda sunt imprimis illius verba in eodem libro cap. 10, n. 28, ubi de liberatione posterorum Adami a massa illa perditionis agens, inquit: « Quotquot ex hac stirpe gratia Dei liberantur, a damnatione utique liberantur, qua iam tenentur adstricti: unde etiamsi nullus liberaretur, iustum Dei iudicium nemo iuste reprehenderet. Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiae sunt agendae, quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur. » Hinc perspicuum est, loqui *Augustinum* de ea liberatione, qua a perditionis massa et damnatione per praedestinationem et electionem ad

gloriam segregantur aliqui, caeteris in illa relicti et reprobatis: hanc vero segregationem gratis ac sine meritis ait fieri.

2. *Idem* clarissime mentem suam exponit in lib. de praedest. Sanctorum, cap. 10, n. 19, dicens: « Praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est, ut dixi, praeparatio; gratia vero est ipsius praedestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahae in semine eius fidem gentium, dicens: *Patrem multarum gentium posui te* (1), unde dicit Apostolus: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini* (2), non de nostrae voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus erat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona, quae pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quae praecepit; non illi faciunt, ut ipse faciat quod promisit: alioquin, ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, et quod a Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahae. » Clare hic docetur, Deum ex mera sua voluntate praedestinare homines ad fidem et opera, quibus consequuntur salutem: unde consequens est, quod praedestinatio sit ante praevisa merita, quae iuxta S. Doctorem praedestinationis effectus sunt, non causa; nam si esset post praevisa merita, homines facerent, ut ipse faciat, seu ut aeternam gloriam concedat. Ibidem cap 18, n. 37 cum citasset verba Apostoli Ephes. I, 3-12, subiungit: « Cernitis, quanta manifestatione apostolici eloquii defendatur haec gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, ut retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, praedestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti et immaculati futuri eramus, sed elegit praedestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suae, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur: fecit hoc secundum divitias gratiae suae, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto Filio suo, in quo sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum, non nostrum, sed eius, qui universa operatur, usque adeo, ut ipse in nobis operetur et velle. Operatur autem secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae eius. » Sermonem hic esse de praedestinatione ad gloriam, patet ex cap. 19, n. 38, ubi S. Doctor declarat, quod haec omnia scripserat, ut refutet tum *Pelagium*, qui docuit, homines ad gloriam eligi, quia a Deo praevidentur sancti, et immaculati futuri liberae voluntatis arbitrio, tum *Semipelagianos* asserentes, illos homines ad gloriam praedestinari, quos Deus praescit, per se initium fidei posituros, et in bono perseveraturos. Porro lib. de dono persever. (3) haec habet: « Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex praedestinatis, illum non esse. *Nam si fuissent ex nobis*, ait unus praedestinatorum (Ioan.), qui de pectore Domini biberat hoc secretum, *mansisset utique nobiscum* (4). Quid est, quaeso: *Non erant ex nobis?* etc. — Nonne utrique vocati fuerant, et vocantem secuti, utrique ex impiis iustificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati? — Vera sunt haec, secundum haec

(1) Gen. 17, 5. (2) Rom. 4, 16. (3) Cap. 9, n. 21. (4) I Io. 2, 19.

omnia ex nobis erant; veruntamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum. Quae est tandem ista discretio? Patent libri Dei; — non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati; non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, — non erant praedestinati secundum propositum eius, qui universa operatur. Nam si hoc essent, et cum illis sine dubitatione mansissent. » Anne clarius doceri posset, donum perseverantiae non concedi nisi eis, qui praedestinati sunt, et non ex alia ratione, nisi quia gratuita Dei bonitate ex massa perditionis discreti sunt? — Eandem veritatem confirmat ibid. cap. 14, n. 35, dicens: « Haec est praedestinatio Sanctorum, nihil aliud: praescientia scilicet, et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Caeteri autem ubi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur? ubi Tyrii relicti sunt, et Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum; etiam unde crederent, est negatum. » S. Doctor ergo censuit, Deum prius eligere ad fidem, dein decernere media ad eam consequendam efficacia, et e contra ideo non dare illa media, quia non praedestinavit ad fidem. Ergo similiter dicendum est de praedestinatione ad gloriam, scilicet quod censuit *Augustinus*, Deum prius eligere quosdam ad gloriam, et deinde decernere eis media ad illam consequendam efficacia: et e contra non dare illa media iis, quos non vult eligere ad gloriam. Et sic patet, quod praedestinatio ad gloriam est ante previsa merita, cum illa praedestinatio sit causa meritorum in omnibus iis, qui praedestinati sunt ad illam.

3. *Idem* in Enchiridio cap. 98, n. 25, citans verba Pauli Rom. IX, 18 etc., subiungit: « Sentiens (Apostolus) quemadmodum posset hoc, quod dictum est, permovere eos, qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiae, *quid ergo dicemus?* ait, *numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Iniquum enim videtur, ut sine ullis bonorum, malorumve operum meritis unum Deus diligat, oderit alterum. Qua in re si futura opera, vel bona huius, vel mala illius, quae Deus utique praesciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret: *Non ex operibus,* sed diceret: ex futuris operibus, eoque modo istam solveret quaestionem: imo nullam, quam solvi opus esset, faceret quaestionem. Nunc vero cum respondisset: *Absit*, id est, absit, ut sit iniquitas apud Deum, mox ut probaret, nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit: *Moysi enim dicit: Miserebor, cuius misertus ero, et misericordiam praestabo, cui misericors fuero.* Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, sive iudicium poenale ingerat digno, sive misericordiam praestet indigno? » Clare, ut observat *Estius* (1), ostendit hic locus, dilectionem seu praedestinationem Iacob non solum non fuisse ex operum praescientia, quae ille ex viribus naturae sine gratia facturus putaretur, sed nequidem ex praescientia bonorum operum, quae fecit ex gratia; huiusmodi enim erant futura ipsius Iacob opera, ex quibus praevisis negat *Augustinus*, eum fuisse praedestinatum. Et in Epist. ad Paulinum (2) ait: «Certus est ergo Dei praescientiae definitus numerus, et multitudo Sanctorum, quibus *diligentibus Deum - omnia cooperantur*

(1) In I Dist. 41, § 4.

(2) Epist. 186, al. 106, c. 7, n. 25, etc.

in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt, etc. Hi sunt filii promissionis, hi sunt electi, qui per electionem gratiae salvi fiunt, ubi dictum est: *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia, iam non est gratia.* Haec sunt vasa misericordiae, in quibus Deus etiam per vasa irae notas facit divitias gloriae suae. — Caeteri autem homines ad istam societatem non pertinentes, quorum tamen et animam, et corpus Dei bonitas operata est, et quidquid habet ipsa natura praeter vitium, quod eidem inflixit superbientis voluntatis audacia, propter hoc a Deo praesciente creati sunt, ut in his ostenderet, liberum desertoris arbitrium sine sua gratia quid valeret; et in eorum iustis et debitis poenis vasa misericordiae, quae non suorum operum meritis, sed gratuita Dei gratia sunt ab illa concretione discreta, quid sibi collatum esset, addiscerent, ut omne os obstruatur, et qui gloriatur in Domino glorietur. » Clare hic S. Doctor tradit, praedestinatos ex gratuita misericordia, per electionem gratiae (non propter bona opera praevisa) a massa perditionis segregari.

4. S. *Prosper* in Epist. ad Rufin. (1), scribit: « Ex omni numero hominum per saecula cuncta natorum, certus apud Deum, definitusque est numerus praedestinati in vitam aeternam populi, et secundum propositum vocantis Dei electi. » Et ad obiectionem secundam Vicentianam ait: « Quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. » Et ad obiectionem undecimam respondet: « Ad praedestinationem eius (quae fit ad vitam, aut ad interitum) nihil aliud referri potest, nisi quod aut debitam iustitiae retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiae largitatem. » Ergo iuxta S. *Prosperum* praedestinatio, quae est ad vitam aeternam, ex gratiae largitate est, quemadmodum ea, quae est ad interitum sempiternum, est ex retributione iustitiae. Auctor lib. 1 de vocat. gent. (2) inquit: « Sunt, qui longam agentes in flagitiis et sceleribus aetatem Sacramento baptismatis Christi in ipso vitae fine renovantur, et sine ullo suffragio bonorum operum in regni coelestis consortium transferuntur. » Et lib. 2 (3) « Deus his, quos elegit sine meritis, dat, unde ornentur et meritis. » S. *Fulgentius* (4) ait: « Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua praedestinavit ad regnum. Quia enim eos tales praedestinando praeparavit, ut regno digni essent, praeparavit utique secundum propositum vocandos, ut obediant; praeparavit iustificandos, ut accepta gratia recte credant, et bene vivant; praeparavit etiam glorificandos, ut Christi cohaeredes effecti regnum coelorum sine fine possideant. » Et ibid. (5): « Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiae gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei praedestinatos a Deo: neque perire posse aliquem eorum, quos Deus praedestinavit ad regnum coelorum, nec quemquam eorum, quos Deus non praedestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari. Praedestinatio enim illa gratuitae donationis est praeparatio, qua nos Apostolus ait praedestinatos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. » S. *Gregorius M.* (6) ait: « Scriptum est: *Qui vult omnes salvos fieri et ad*

(1) Cap. 11. (2) Cap. 17. (3) Cap. 35.
(4) Lib. de fide, cap. 3, n. 42.
(5) Cap. 35, regula 32.
(6) Lib. 5 in 1 Reg. cap. 14.

agnitionem veritatis venire; omnes quippe homines vult salvos fieri, quia de omni hominum genere eligit, quos ad gaudium aeternae salutis trahit. » Ergo iuxta *S. Gregorium M.* electio praecedit, et qui eliguntur, per gratiam ad aeternam beatitudinem trahuntur.

5. *S. Thomas* praedestinationem mere gratuitam esse docet. Nam I, q. 23, art. 4, inquit: « Praedestinatio aliquorum in salutem aeternam praesupponit secundum rationem quod Deus velit illorum salutem. Ad quod pertinet electio et dilectio; dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis aeternae - electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus prae aliis vult, cum quosdam reprobet. » — Hoc deinde discrimen adnotat, quod nos homines diligimus, et eligimus, quia boni sunt; Deus vero diligendo et eligendo eos bonos facit: unde ibid. ad 2, ait: « Quando voluntas eligentis provocatur ad eligendum a bono in re praeexistente, tunc oportet, quod electio sit eorum, quae sunt (id est, ob merita), sicut accidit in electione nostra: sed in Deo est aliter, ut dictum est. Et ideo, ut dicit *Augustinus*, eliguntur a Deo, qui non sunt (merita habentes); neque tamen errat, qui eligit. » Ibidem art. 5 ex professo negat, quod praescientia meritorum sit causa praedestinationis. Q. 9 de verit., art. 2 inquit: « Quod Deus alicui velit dare gratiam et gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. » Et in cap. 9 Epist. ad Rom., Lect. 3, haec habet: « Non potest esse, quod merita consequentia gratiam, sint ratio miserendi aut praedestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum quam misericorditer aliquos liberat. » Et in cap. 1 Epist. ad Ephes. exponens ista: *In qua nos sorte vocati sumus*, ait: « Ponit (Apostolus) voluntariam Dei praedestinationem... cuius quidem praedestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas. »

Nota 1. Theologi, qui hypotheticum praedestinationis decretum defendunt, varias ingrediuntur vias, ut argumentum ex auctoritate *S. Augustini* petitum enervent. Nonnulli fatentur quidem, *S. Augustinum* praedestinationem mere gratuitam vere tradidisse; aiunt autem, ipsum hac in re ab antiquiorum Patrum doctrina recessisse, novamque semitam invenisse, quam deserere licet, ut antiquiori et communiori Patrum traditioni inhaereatur. Alii admittunt, in materiis de gratia auctoritati veterum Patrum praeferendam esse auctoritatem *S. Augustini*, qui ex professo illas materias contra haereticos pertractavit, et cuius doctrina a summis Pontificibus et Conciliis approbata et commendata fuit; observant vero, haec intelligenda tantum esse de dogmatibus gratiae contra *Pelagianos* et *Semipelagianos* a S. Doctore propugnatis, et ab Ecclesia definitis. Doctrinam autem *S. Augustini* de praedestinatione mere gratuita ad fidem non spectare, probat *Petavius* (1) ex decreto *S. Coelestini* Papae, qui, cum in Gallia de variis materiis gratiam respicientibus, et praesertim de praedestinatione mere gratuita ab *Augustino* tradita controversiae agerentur, in Epist. I ad Episc. Gall. dogmata catholica de gratia accurate exposuit; inter haec autem doctrinam de praedestinatione mere gratuita non recensuit, sed addidit: « Profundiores vero, difficilioresque partes occurentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia

(1) De Deo, lib. 10, cap. 1, n. 2.

ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum praedictas regulas apostolicae Sedis nos scripta docuerunt. » Alii tamen contendunt cum *Baronio* (1), *Bellarmino* (2) et *Bossueto* (3), etiam doctrinam S. *Augustini* de gratuita praedestinatione ad fidem spectare. Observat autem cl. *Bossuetus* (4) doctrinam S. *Augustini* differre a doctrina illorum theologorum, qui absolutum praedestinationis decretum propugnant. Isti enim loquuntur de praedestinatione ad gloriam in abstracto, seu nude et solitarie sumpta; S. *Augustinus* vero loquitur de praedestinatione completa, et adaequata ad gratiam et gloriam simul, quam gratuitam dicendam esse omnes catholici profitentur, quia primam gratiam nemo promereri potest. Generatim ut doctrina S. *Augustini* rite intelligatur, ante oculos habendus est scopus, quem in suis elucubrationibus praefixum habuit. Pugnavit enim contra *Pelagianos*, qui praedestinationem ad gratiam, et gloriam bonis operibus per vires naturales peractis, et contra *Semipelagianos*, qui illam initio fidei per liberi arbitrii vires posito attribuebant: idcirco toties negat, praedestinationem ex meritis hominis profluere, eamque ex mere gratuita Dei misericordia provenire adseverat. Et quia *Semipelagiani* etiam affirmabant, hominem per naturales liberi arbitrii vires in bono perseverare posse, S. *Augustinus* variis argumentis ostendit, gratiam divinam etiam ad perseverandum in bono usque in finem necessariam, et perseverantiam speciale esse donum Dei. Ex his patet, quod S. *Augustino* multo magis de praedestinatione ad gratiam, quam de praedestinatione ad gloriam disserendum fuit. Caeterum S. Doctor non negavit, quod, qui creavit nos sine nobis, non salvet nos sine nobis, et quod salus aeterna actu obtinenda tum a Deo, gratiam elargiente, tum ab homine, gratia recte utente, et per gratiam bona opera perficiente dependeat. Quia autem haeretici ea, quae sunt Dei, aut negabant, aut valde extenuabant, ea vero, quae sunt hominis nimis extollebant, S. *Augustinus* e contra ea, quae Dei sunt, in scriptis contra sui temporis haereticos acerrime defendit; ea vero, quae hominis sunt, utpote ab adversariis non negata, fuse exponere et probare necessarium non putavit. Varia idcirco, quae ad plenam praedestinationis ad gloriam cognitionem requiruntur, in his tractatibus a S. Doctore reticentur, ast non negantur, sed alibi exponuntur. — Haec si rite animadvertantur, haud difficile est ostendere, ex testimoniis S. *Augustini* citatis non posse decretum praedestinationis absolutum, seu praedestinationem mere gratuitam probari, quod clarius patebit, si testimonia ipsa propius inspiciantur, et accuratius examinentur.

Nota 2. Testimonium S. *Augustini* ex lib. de corr. et grat. c. 7 tale non est, ut sententiam adversariorum evincat. Nam S. Doctor loquitur ibi de praedestinatione completa et adaequata secundum omnes ipsius effectus, inter quos est et ipsamet gloria, seu vita aeterna; ac contendit contra *Pelagianos*, quos ex professo impugnat, omnes illos effectus divinae gratiae tribuendos esse, non meritis naturae, sicut illi haeretici contendebant. Effectus ergo praedestinationis a S. Doctore describuntur, causa au-

(1) Ad ann. 190.
(2) Lib. 2 de grat. et lib. arb. cap. 11.
(3) Defens. Tradit. et SS. Patrum P. 2, lib. 12, cap 15. (4) Ibid. cap. 16.

tem praedestinationis moralis non attingitur, cum haec quaestio prorsus extranea foret susceptae adversus *Pelagianos* disputationi. Et sane nihil est in textu nobis obiecto, in quo solum describitur executio praedestinationis secundum se, per quod determinetur, qualis sit illa praedestinatio, an ante, an post praevisa merita; nam utraque illa praedestinatio ad gloriam, sive ante, sive post praevisa merita habet suam executionem, et omnia, quae ibi afferuntur ad illam executionem, aeque bene conveniunt executioni praedestinationis post praevisa merita, ac praedestinationis ante praevisa merita. Nam qui tenent, praedestinationem fieri post praevisa merita, recte possunt dicere, quod « quicunque ab illa originali damnatione ista divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium, quod eis procuratur audiendum Evangelium etc. » Haec enim omnia tam bene sequuntur ex infallibilitate praedestinationis factae post praevisa merita quam ex causalitate praedestinationis factae ante praevisa merita; bene enim haec inferuntur ex eo, quod Deus praevidit, eos fore salvandos, cum sine illis omnibus salvari non possint. Attendendum denique est, quod in citato textu non est sermo de praedestinatione ad gloriam, sed tantum de discretione ex massa perditionis, et praedestinatione ad donum perseverantiae, cuius executio describitur, et explicatur, quomodo illud fiat a Deo in homine sine praeiudicio correptionis faciendae, quod est totum S. *Augustini* intentum, ut ex contextu apparet. Cum autem ista finalis perseverantia prorsus gratuita sit, atque cum gloria immediate coniungatur, mirum non est, si S. Doctor de gloria loquatur tanquam de proximo et immediato perseverantiae fructu: nec tamen inde inferri merito potest, praedestinationem ad gloriam in mente ac consilio Dei mere gratuitam esse, quemadmodum gratuita est finalis perseverantia. Plus certe, quam vel ipsi adversarii velint, inde probaretur, nempe gloriam non tantum in intentione, sed etiam in executione omnino gratuitam esse, sicut omnino gratuita est etiam in executione finalis perseverantia. Hic unus igitur scopus erat S. Doctoris, praedestinationem ad gloriam non fieri ex praevisis meritis naturae. Utrum vero fiat ex praevisis meritis gratiae, et prior sit electio ad gloriam, quam ad perseverantiam, aut viceversa, tametsi data opera non inquirat S. Doctor, obiter tamen insinuare videtur, prius a Deo intendi et destinari electis perseverantiam, quam gloriam, quae fructus est, ac merces perseverantiae. « Quis, inquit ibidem (1), in aeternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiae dono? » Igitur propter praevisam finalem perseverantiam electi ordinantur in vitam aeternam: ergo praedestinatio ad perseverantiam prior est praedestinatione ad gloriam non tantum in executione, sed etiam in intentione. — Etiam in fine cap. 7, n. 16 S. Doctor loquitur de praedestinatione ad perseverantiam. Non negamus quidem, quod per *electos* intelligat praedestinatos ad gloriam; ast non dicit: quia electi seu praedestinati ad gloriam non sunt, ideo etiam donum perseverantiae non accipiunt, sed contrariam proponit sententiam asserens: quia non praevidentur perseveraturi, ideo nec sunt electi: qua de causa de non perseveraturis loquens *praescientiam*, et *praedestinationem* coniungit, dicens: « Non enim sunt a massa illa perditionis praescientia

(1) Lib. de cor. et gr. cap. 6 n. 10.

Dei, et praedestinatione discreti, et ideo-nec electi. » Male igitur ex citato textu infertur, quod praedestinatio ad gloriam sit ante praevisa merita, et causa praedestinationis ad finalem perseverantiam. Si ita esset, quaerenti ex *Augustino*, cur nonnullis, qui aliquamdiu cristiane vivunt, perseverantia non detur, facile reposuisset S. Doctor, causam esse manifestam, quia praedestinati ad gloriam non sunt. At non ita respondet S. *Augustinus*, sed ibid. (1) scribit: « Si a me quaeratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, qua christiane viverent, dilectionem dedit, *me ignorare respondeo.*» — Tandem cap. 10, n. 28 S. *Augustinus* loquitur de praedestinatione completa, et adaequata, quam gratuitam esse omnes admittunt; vel potius loquitur de praedestinatione *in executione*, quia verba facit de actuali *liberatione* hominum a damnatione; ab ista autem liberatione certe merita ex parte adultorum non excludit, sed eam gratia fieri, et gratis fieri dicit, quia omnino gratuita est redemptio Christi, et gratuito conceduntur gratiae, per quae merita ponuntur.

Nota 3. In libro de praedestinatione Sanctorum S. *Augustinus* confutat *Semipelagianos* dicentes, initium fidei per vires arbitrii ab homine poni, ac propterea eidem a Deo gratias praeparari. Contra istum errorem capiti 10 dicit, hominem salutis religionis dignum fieri *non voluntate humana*, per vires humanas agente, sed *gratia*, vel *praedestinatione divina*; gratia enim praecedere debet, ut fides concipi possit: ergo haec gratia homini a Deo praeparari debet, et haec ipsa gratiae praeparatio est praedestinatio. Id probat ex Apostolo de *operibus bonis* dicente: *Quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus* (2). Quod autem eadem gratiae praeparatio hominibus necessaria sit ad initium fidei, probat ex promissione Abrahae facta per verba Gen. XVII, 5: *Patrem multarum gentium posui te*, et sic argumentatur: Promiserat Deus, quod ipse facturus fuerat, non quod homines (scilicet soli); alioquin ut promissa Dei compleantur, non in Dei, sed in hominum esset potestate, et quod a Domino promissum est, ab ipsis redderetur Abrahae. Et infra repetit contra eos idem absurdum dicens: « Ac per hoc, ut promissa sua Deus possit implere, non est in Dei, sed in hominis potestate. Quod si veritas et pietas nos credere vetat, credamus cum Abraham, quoniam *quae promisit, potens est et facere.* Promisit autem filios Abrahae, quod esse non possunt, si non habeant fidem. » Ecce totum, quod S. Doctor intendit, ubi solum manifesta est argumentatio contra eos, qui Deo negabant omnem concursum praevium ad initium fidei. Unde illa consequentia, seu absurdum ab *Augustino* deductum ex praedictis verbis Apostoli non est contra nos, qui admittimus praedictam gratiam Christi praeviam, et efficacem in voluntate hominis ante initium fidei, sed solum contra *Semipelagianos*, qui nullam eiusmodi gratiam admittebant, sed volebant illud initium esse a solo homine. — In eodem libro cap. 18 non agitur de praedestinatione ad gloriam, sed de praedestinatione ad gratiam, et praecipue ad initium fidei (ut ait *Augustinus* communiter) per dilectionem operantis: unde sensus totius textus est, quod Deus nos elegit ad primam fidem, seu ad initium fidei ex mera sua voluntate, quam ibi *propositum Dei* vocat S. Doctor, et non ex humano merito, quod adstruebant illius

(1) Cap. 8. (2) Eph. 2, 10.

adversarii ante gratiam. Ideo nihil inculcat ibi frequentius *Augustinus*, quam Deum nos elegisse, non quia eramus sancti, per quod destruit meritum pure humanum ante gratiam, sed *ut essemus sancti*, per quod statuit gratiam, et praedestinationem ad illam, seu illius praeparationem ex mero proposito divino et non ex humano, ut volebant adversarii. — Haec omnia ostendunt, in citato textu de praedestinatione ad gratiam sermonem esse, quod confirmatur ex capite sequenti, in quo profitetur, se errores *Pelagianorum* et *Semipelagianorum* impugnare, qui necessitatem gratiae vel ad omne opus bonum, vel saltem ad initium fidei negabant: unde, ostendens de qua electione loquatur, cap. 19, dicit: « Non quia credidimus, sed ut credamus, elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur. » Negat quidem S. Doctor, praedestinationem ad gloriam fieri ob praevisa merita naturalia, ut volebant *Pelagiani*, vel ob initium fidei per liberi arbitrii vires positum, et a Deo praevisum, ut contendebant *Semipelagiani*: non negat autem praedestinationem ad gloriam fieri ob praevisa merita supernaturalia, seu ob praevisa bona opera ope gratiae facta. Nam lib. de grat. et lib. arbitr. (1), ait de *Pelagianis:* « Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam vero merita humana sic praedicant, ut ea ex semetipso hominem habere dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus: *Quis te discernit?* etc. » Librum de dono perseverantiae exaravit *S. Augustinus*, ut contra *Semipelagianos* ostenderet, etiam perseverantiam finalem esse gratuitum donum Dei: ergo in hoc quoque libro sermo est de praedestinatione ad gratiam, et non de praedestinatione ad gloriam, saltem non de hac nude et solitarie sumpta: ergo ex illo perperam argumenta contra nos desumuntur. Imo in citato cap. 9 mox ab initio S. Doctor ostendit, se non credidisse, praedestinationem ad gloriam esse causam vocationis efficacis et perseverantiae, nec proinde quod praedestinatio ad gloriam sit ante praevisa merita: nam si hoc credidisset, propositae quaestioni respondisset: hic pius perseverat, quia est praedestinatus ad gloriam, ille non perseverat, quia non est praedestinatus ad gloriam; attamen non sic respondet, sed recurrit *ad inscrutabilia iudicia Dei*. Unde manifestum est, quod nunquam credidit, praedestinationem ad gloriam esse causam istorum, nec proinde illam esse ante praevisa merita. Ast interpretando praedicta verba de praedestinatione ad gratiam, bene cohaerent omnia. Nam cum dicit, esse inscrutabile, cur huic detur perseverantia, illi non, verum dicit, quia cum collatio et intentio conferendi gratiam sint Deo mere voluntariae, ideo nullus illius scit causam. Cum autem dicit postea: « Illud autem debet esse certissimum, quod hic, cui dat fidem et perseverantiam, est ex praedestinatis; ille autem, cui has non dat, non est ex praedestinatis, » per haec non reddit rationem praecedentium, sed tantum in illa incertitudine, et ignoratione causae praecedentium asserit id, quod est certum, scilicet quod causa illa (qualis sit, quae nobis est incognita) se tenet ex parte Dei, et non ex parte solius humani arbitrii, ut volebant adversarii. Quae sequuntur, non sunt nisi explicatio et confirmatio eorum, quae dicta sunt de necessitate doni perseverantiae finalis. Ideo citat verba Ioannis (2), eaque

(1) Cap. 6, n. 5. (2) I Ep. 2, 19.

sic materiae pertractatae applicat; si praedestinati fuissent ad perseverantiam, perseverassent; sed quia non perseveraverunt, signum est, quod non fuerunt praedestinati ad perseverantiam, seu non fuerunt discreti, non fuerunt, secundum propositum vocati, non electi in Christo etc., quae omnia iuxta modum loquendi S. Doctori consuetum sunt synonyma nihil aliud significantia, quam gratuitam voluntatem divinam, a qua fluxit donum perseverantiae in bono usque in finem. — In argumentatione vero, quam adversarii deducunt ex cap. 14 eiusdem libri, ubi loquens *Augustinus* de Tyriis et Sidoniis, ait, iis negatum esse unde crederent, quia non erat eis datum ut crederent, recte negatur consequentia propter magnam disparitatem, quae est secundum S. Doctoris principia inter praedestinationem ad fidem, et praedestinationem ad gloriam: prior agnoscitur et defenditur a *S. Augustino* ut mere gratuita, quae ideo sic fieri dicitur, ut ad fidem praedestinati prius eligantur, et dein media illis procurentur efficacia ad consequendum finem illum, ad quem electi sunt. At vero altera praedestinatio, quae est ad gloriam, non agnoscitur ab *Augustino* ut mere gratuita, ut inferius ostendetur. Et sane unus S. Doctoris scopus erat contra *Semipelagianos* ostendere, quod fidei gratiam nemo promereri possit, ad quod probandum exemplum Tyriorum et Sidoniorum affert: ast etiam iuxta doctrinam *S. Augustini* fideles per opera bona ope gratiae peracta gloriam promereri possunt et debent. Non bene ergo arguitur ab una praedestinatione ad alteram. Nam licet non repugnet rei gratuitae decerni ante merita, quia cum sit gratuita, non dependet a meritis, tamen repugnat rei non mere gratuitae decerni ante merita, quia haec non a sola misericordia Dei, sed etiam a meritis dependet.

Nota 4. In Enchiridio loc. c. (1) *S. Augustinus* loquitur de sola praedestinatione ad gratiam iustificantem, seu conversionem peccatoris: et ratio est, quia ibi solum volebat probare summam Dei potestatem ad convertendum hominum corda, et voluntates in bonum, sine eo, quod deberet exspectare bonam eorum dispositionem, ut volebant illius adversarii *Pelagiani:* ad quem finem impertinens erat loqui de praedestinatione ad gloriam, conveniebat autem loqui de praedestinatione ad gratiam conversionis. Ideo mox ab initio capitis ait: « Quis porro tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? sed cum facit, *per misericordiam* facit, » id est, non ob meritum praecedens, quod postulabant adversarii, sed ex mere gratuita bonitate. Addit S. Doctor, quod neque ob praevisa bona opera futura gratia conversionis concedatur, sed ex pura misericordia, quae nemini debetur: id vero probat ex Apostolo Rom. IX, et ex Exod. XXXII, 19: *Moysi enim dicit: Miserebor cuius misertus ero, et misericordiam praestabo cui misericors fuero:* ac subiungit: « Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, sive iudicium poenale ingerat digno (id est, ei qui nobis dignus videtur, ut ex. gr., Tyrii et Sidonii, qui videntes miracula Christi poenitentiam egissent), sive misericordiam praestet indigno? » Ubi evidentissimum est, quod per *misericordiam* intelligat gratiam, et non gloriam, cum gloria nunquam praestetur indigno, sed semper digno, et promer-

(1) Cap. 98

renti eam ex condigno: e contra vero prima gratia, seu gratia conversionis, de qua ibi loquitur, nunquam datur digno, sed semper indigno. Male igitur *Estius* ea ad praedestinationem ad gloriam refert, quae solum de praedestinatione ad gratiam conversionis dicta sunt. — Etiam Epistola ad Paulin. (1), tota est de praedestinatione ad primam gratiam sanctificantem, qua constituimur filii et amici Dei; quod patet ex titulo ipsius Epistolae, quae est contra *Pelagianos*, cum quibus S. Doctor non disceptabat de praedestinatione ad gloriam, sed de pradestinatione ad gratiam. Ideo in fine capitis 6 dicit: « Laudet misericordiam, qui liberatur » nempe a peccato per gratiam sanctificantem, « non culpet iudicium, qui punitur, » quia illa gratia, ut antea probaverat, non ob praecedentia merita datur, et nemini debetur. Dein cap. 7 inquit, homines nescire, cur unus gratiam conversionis accipiat, alter vero non accipiat, Deum vero haec omnia nosse: unde subiungit: « Certus est ergo Dei praescientiae definitus numerus, et multitudo sanctorum etc. » ubi per *sanctos* omnes intelligit gratia sanctificante ornatos. Quodsi etiam per sanctos intelligerentur praedestinati ad gloriam, non tamen in citato textu determinatur, an illi sint praedestinati ad gloriam ante, vel post praevisa merita, sed tantum dicitur, illum numerum esse Deo cognitum et definitum, abstrahendo a modo, quo ille numerus definitus est. Nam in quacunque sententia sive praedestinationis post, sive ante praevisa merita, vera debet esse illa *Augustini* assertio, quod Deus novit, quantus est numerus sanctorum, sive electorum ad gloriam. Quod si quis verba *S. Augustini* attentius perpendere vellet, praedestinationem ad gloriam nude et solitarie sumptam in mente divina potius post praevisa merita, quam ante praevisa merita fieri diceret, quia numerus ille sanctorum, seu electorum vocatur *Dei praescientia definitus numerus*, quasi diceretur, quod ex praescientia meritorum definitus est quoad personas: et paulo infra, ait: « Quos ante praescivit; » ergo prius praescitus erat ille numerus quoad personas, quam quoad illas definiretur. Et iterum infra loquitur de reprobis (sine dubio praescitis, antequam definiretur eorum numerus) eodem modo ac de praedestinatis; his enim illi opponuntur, cum S. Doctor dicit: « Caeteri autem homines ad istam societatem non pertinentes, a Deo praesciente creati sunt: » atqui haec praescientia praecessit eorum reprobationem, ut norunt omnes catholici: ergo et illa praecessit aliorum praedestinationem. Caeterum nec ipsi adversarii admittere audebunt, *S. Augustinum* affirmare, quod Deus reprobos creaverit, ut peccantes ostenderent, liberum desertoris arbitrium sine sua gratia quid valeret, et sic iustis poenis afficiantur; sed ipsimet fateri coguntur, aliter verba S. Doctoris accipienda esse. Verba enim ista proxime non pertinent ad reprobationem, ut nec ad praedestinationem, sed tantum afferunt causam secundariam creationis reproborum, quam, ut ipse assolet *Augustinus*, ponit loco primariae, tanquam summae Dei sapientiae magis convenientem, eo modo, quo lib. de corrept. et grat. cap. 7, ait, Christum elegisse Iudam ad effundendum suum sanguinem; ubi non vult dicere, quod Christus ad id eum elegisset primario et directe, sed vult dicere, quod elegerat eum

(1) Ep. 186

ad effundendum sanguinem suum tanquam ob finem secundarium, quia nempe praesupposita, et praevisa eius malitia Christus ea utiliter et sapienter usus est ad redemptionem hominum. Simili modo in eodem libro cap. 14: « Deus de iis, qui non faciunt quae vult, facit ipse quae vult, » id est, de iis, qui non faciunt voluntatem eius imperantem, facit ipse voluntatem suam punientem: non quod primario voluerit punire eos; nam sic vellet etiam primario fundamentum suae punitionis, scilicet peccatum, quod absurdum, et impossibile est, sed quod praesupposita, et praevisa eorum malitia, et rebellione, vult ostendere in eis iustitiam suam vindicativam puniendo eos, et ex opposito simul bonitatem suam parcendo aliis, qui in eadem damnatione erant, subministrando eis gratias efficaces, quibus a peccatis, in quae prolapsi fuerant, resurgerent. Hoc sensu intelligenda sunt in citata Epistola verba S. Doctoris de reprobis dicta, quae ideo nullo modo praedestinationi post praevisa merita adversantur (1).

Nota 5. S. *Prosper* in Ep. ad Ruffin. vere dicit, certum ac definitum esse numerum praedestinatorum ad gloriam; at qua ratione sint illi praedestinati, an post, vel ante merita gratiae praevisa, non explicat; ergo testimonium istud non est ad rem praesentem, ut nec alia duo, quae subiiciuntur, ex quibus hoc unum extundi potest, salutem aeternam gratiae tribuendam esse; quis vero istud in dubium revocat? Nostra etenim opera nullius pretii sunt ac valoris sine gratia Christi; quapropter vita aeterna, quae retribuitur meritis gratiae, dicitur etiam gratia, nempe in radice et origine: aliunde tamen certum est, vitam aeternam titulo iustitiae nostris bonis operibus tanquam praemium ac mercedem rependi: et haec ipsa opera bona, per gratiam facta causam praedestinationis moralem constituunt, quod nullibi negat S. *Prosper*. — Auctor lib. 1 de vocat. gent. (2) hoc unum habet, esse nonnullos, qui post longam in flagitiis transactam vitam in fine convertuntur, et tum virtute sacramentorum, tum ardore ac vehementia contritionis, licet non diuturnitate temporis, tot flagitia Deo miserante expungunt: sed quid haec ad praedestinationem ad gloriam ante, vel post praevisa merita gratiae? Nihil profecto. Et lib. 2 (3), loquitur de gratia, quae gratis a Deo conceditur, non meritis liberi arbitrii; alioquin gratia non esset gratia: unde merito dicit: « Quos Deus elegit sine meritis, dat, unde ornentur et meritis, » id est, Deus eligit homines ad gratiam sine praevisis meritis, sed per gratiam efficit, ut sibi merita comparent. — S. *Fulgentius* (4), non aliud docet, quam quod ii, qui regnabunt cum Christo, habebunt regnum istud ex meritis gratiae, et non ex meritis naturae: quod peremptorie ostenditur ex immediate consequentibus verbis, ubi brevi repetit id, quod ibi diffuse disseruerat, dicens: « Ad quod Regnum diversis temporibus per sacramenta, quae ad fidem Incarnationis suae, illi pervenerunt, quos Deus gratis, nullo bonae voluntatis, vel boni operis merito praecedente salvavit. » Numquid illos ita gratis salvavit, ut nulla omnino merita habuerint? Certe hoc falsum est; nam cum ibi sermo sit de praedestinationis executione, seu de collatione gloriae (ut patet per haec verba: *Salvavit*,

(1) Cf. Tricassin. op. cit. p. 2, paragr. 1-17.

(2) Cap. 17. (3) Cap. 35.
(4) Lib. de fide ad Petr. c. 3.

et *pervenerunt*), collatio autem gloriae secundum fidem catholicam non sit sine meritis, absque dubio S. *Fulgentius*, cum dicit: « Gratis et sine merito salvavit, » solum excludit meritum naturae et arbitrii, et non meritum gratiae. Ita pariter cum superius dixit, praedestinationem *gratuita bonitate* fieri, excludit merita naturae, non vero merita gratiae praevisa. Praeterea loquitur de praedestinatione completa et adaequata, quam ex gratuita bonitate fieri omnes admittunt, quia etiam praedestinationem ad gratiam complectitur, quae mere gratuita est. Ideo S. Pater mox addit, quod si qui Deo obediant, recte credant, bene vivant, et sic salventur, haec omnia gratiae divinae adscribere debeant. Igitur textus citatus non est contra nos, sed solum contra *Pelagianos* et *Semipelagianos*, qui adstruebant meritum naturae, et nolebant meritum gratiae, quod nos cum S. *Augustino* et veris illius discipulis admittimus, et profitemur. In altero textu (1), hoc unum docet, quod certissimum est, neminem ex praedestinatis perire: at unde repetenda sit illa divinae praedestinationis certitudo, an ex decreto Dei absoluto et antecedenti omnem futuri praescientiam, an ex praescientia, quae decretum Dei antecedit, non exponit S. *Fulgentius:* ab ista tamen quaestione, tanquam a principio et fundamento praesens controversia tota dependet. — S. *Gregorius M.* (2), non tam de praedestinatione ad gloriam, quam potius de praedestinatione ad fidem loquitur, quod patet ex verbis, quae praecedunt: « Omni creaturae Evangelium praedicare praecipit, quia omnia genera hominum duci ad fidem voluit, » et ex textu Apostoli citato: *Vult omnes . . . ad agnitionem veritatis venire.* Nec obstat, quod infra dicit, illos electos trahi ad gaudium salutis aeternae; unusquisque enim trahitur ad illud gaudium, cum trahitur ad fidem et ad gratiam iustificantem; cum utraque vocetur in Scripturis vita aeterna (3), in quantum utraque conducit ad vitam aeternam. Et communiter illud verbum *trahi* sumitur in materia praedestinationis, et gratiae pro gratia efficaci ad fidem et gratiam sanctificantem: ut S. *Augustinus* (4), ait: « Ille trahitur ad Christum, cui datur, ut credat in Christum. » — Imo si in textu S. *Gregorii M.* sermo esset de praedestinatione ad gloriam, nihil tamen contra nos argui posset, quia S. Doctor dicit: « Trahit, quos eligit; » non dicit autem: trahit, *quia elegit*. In qualibet vero sententia certum est, quod Deus trahit, quos eligit, cum nullatenus dubitari possit, quin datae sint gratiae trahentes, seu efficaces iis, quos Deus elegit: sed valde controvertitur, an ideo datae sint illae gratiae trahentes, seu efficaces, quia electi sunt, an vero e contra ideo electi sint, quia illi habuerunt gratias trahentes, seu efficaces, quibus consenserunt; id non determinat ibi S. Pontifex, et ideo nec adversarii ex eius verbis determinare possunt.

Nota 6. S. *Thomas* 1, q. 23, art. 4 loquitur de voluntate salutis aliquorum completa et adaequata, quae ad gloriam et gratiam simul feratur; quae certe voluntas in Deo antecedit actualem gratiae et gloriae collationem. Etiam in nostra sententia verum est, quod S. *Thomas* dicit, praedestinationem aliquorum praesupponere, quod Deus velit illorum salu-

(1) Ibid. cap. 35.
(2) Lib. 5, in I Reg. c. 14.
(3) Io. 3, 36; I Io. 3, 16.
(4) Lib. 1 ad Bonifac. cap. 3

lem: praesupponitur enim in Deo aeterna voluntas, illis ex gratuita misericordia gratiam concedendi, et ob praevisa merita gloriam tribuendi, et ideo isti recte diligi, et prae aliis eligi dicuntur. Quae autem S. Doctor in resp. ad 2 habet, manifeste ad collationem gratiae referuntur, quod ex adducto discrimine patet; nos enim nomines eligimus, quia boni sunt, Deus autem non confert gratiam bonis, sed conferendo gratiam bonos facit. Quodsi (art. 5) ex professo negat, quod praescientia meritorum sit causa praedestinationis, ipse in corpore articuli declarat, quod loquatur de meritis naturalibus, quae a *Pelagianis* et *Semipelagianis* ut causa praedestinationis assignabantur. Equidem inferius etiam illis se opponit, qui dixerunt, « quod merita sequentia praedestinationis effectum sunt ratio praedestinationis; ut intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui, et praeordinavit, se ei daturum, quia praescivit, eum bene usurum gratia. » Sed, ut ipsa verba praeseferunt, hic loquitur de sola collatione gratiae, et negat, Deum ideo gratiam conferre, quia bonum eiusdem usum praevidet; unde ibid. ad 1 dicit: « Usus gratiae praescitus non est ratio collationis gratiae nisi secundum rationem causae finalis. » In corpore autem articuli dicit, quod praedestinatio ad gloriam dici possit effectus praedestinationis ad gratiam, per quam merita ponuntur: « sicut si dicamus, quod Deus praeordinavit, se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod praeordinavit, se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam. » In caeteris vero textibus ab adversariis contra nos adlegatis S. Doctor loquitur vel de sola praedestinatione ad gratiam, quae certe pure gratuita est, nec ullum supponit ex parte praedestinati meritum, vel de praedestinatione completa et adaequata ad gratiam et gloriam: et ideo eius dicta nobis non adversantur. Nam etiam in nostra sententia ex mera liberalitate procedit, quod Deus velit alicui dare gratiam, per quam bona opera perficere possit et propter haec merita tribuere gloriam, quae omne meritum longe excedit. In cap. IX Ep. ad Rom. Lect. 3, Angelicus manifeste loquitur de sola praedestinatione ad gratiam, ac negat, quod merita consequentia gratiam praevisa sint causa miserationis et praedestinationis ad gratiam primam; asseritque, liberationem e statu peccati soli Dei voluntati, seu soli misericordiae divinae adscribendam esse. Certe enim *S. Thomas* non negat, quod Deus ab aeterno decreverit iis, qui in statu gratiae sanctificantis, et ope gratiae actualis bona opera perficiunt, augmentum gratiae concedere; et multo minus negat, Deum ab aeterno decrevisse, ob merita gratiae aeternam gloriam tribuere: hoc ipsum enim ibidem clare profitetur, ut inferius dicetur. Eodem modo etiam in cap. 1 ad Ephes. loquitur de praedestinatione ad primam gratiam, quia exponit verba Apostoli (v. 11) *in quo etiam et nos sorte vocati sumus:* gratiam autem vocationis mere gratuitam esse, omnes catholici admittunt. Observandum denique est, *S. Thomam* fidissimum esse *S. Augustini* discipulum, et cum isto errores *Pelagianorum* et *Semipelagianorum* strenue impugnare; ex quo recte infertur, quod de meritis naturalibus, seu de operibus bonis per solas arbitrii vires peractis loquatur, dum dicit, praedestinationis rationem non esse merita nostra, sed meram Dei voluntatem (1).

(1) Cf. Tournely de Deo, q. 22, art. 2, concl 5, obi. ex S. Thoma.

III. *Argumenta ex rationibus theologicis.*

§ 726. 1. Quicunque prudenter, et ordinate agit, prius intendit finem quam media; media enim non appetuntur propter se, alias non forent media, sed finis, sed appetuntur propter finem, et ex amore finis: sic aegrotus prius intendit sanitatem quam medicinam; imperator exercitus prius victoriam quam praelium: unde commune theologorum et philosophorum proloquium est, finem esse primum in intentione, et ultimum in executione. Atqui praedestinatorum finis est gloria aeterna, media autem ad hunc finem sunt merita per gratiam comparanda; quod probatur tum ex ratione, quia merita non quaeruntur propter se, sed propter praemium, quod est merces meritorum, et ultimum, quo adepto cessant merita, tum ex *Conc. Tridentino* Sess. VI, cap. 7, ubi dicitur, quod *finalis causa nostrae iustificationis est gloria Dei et Christi, et vita aeterna*: ex quo patet, quod gratiae, quas Deus concedit, et merita, quae per istas comparantur, sunt media, quibus tendimus ad vitam aeternam ut ad ultimum finem. Ergo Deus, qui est infinita sapientia, et ideo prudentissime ac ordinatissime agit, prius intendit finem electorum, id est, prius eos ad aeternam beatitudinem praedestinat, et propter hunc finem decernit eis concedere gratias, quibus merita sibi comparent.

2. Praedestinatio ad gratiam, ut omnes fatentur, est ante praevisa merita; ergo talis est etiam praedestinatio ad gloriam; haec enim penitus ab illa dependet, cum nemo praedestinetur ad gloriam, qui non sit praedestinatus ad gratiam: atqui praedestinatio ad gratiam tota pendet a mera voluntate Dei, seu a mere gratuita eius bonitate: ergo et praedestinatio ad gloriam.

3. Praedestinatio est praeparatio gratiarum, quibus homo ad aeternam salutem perducitur. Illis ergo tales gratiae praeparantur, qui a Deo praedestinati sunt. Nam efficax volitio mediorum ad finem efficacium supponit efficacem intentionem finis: Deus ergo, quia ex gratuita bonitate vult praedestinatis conferre media efficacia ad gloriam, quae non confert reprobis, efficacem habet intentionem dandi istis gloriam ante praevisa merita.

4. Aeterna nostra salus maxime dependet a perseverantia finali, quam qui obtinet, salvatur; qui non obtinet, damnatur. Sed perseverantia finalis est speciale donum, quod ex mera Dei misericordia, et non ex meritis hominum provenit: ergo sicut mere gratuita est praedestinatio ad perseverantiam finalem, ita et mere gratuita est praedestinatio ad gloriam aeternam.

5. « Nullum, ait *S. Augustinus* l. de dono persev. cap. 24, est illustrius praedestinationis exemplum, quam ipse Iesus, » Salvator noster. Sed praedestinatio Christi fuit ante praevisa merita, ut ibidem *S. Augustinus* docet; ergo talis est etiam praedestinatio nostra. Ita etiam B. V. Maria gratuito electa fuit in Matrem Dei, et propter hanc electionem a peccato originali praeservata, et plurimis gratiis repleta est, quibus sanctissimam vitam duxit, et summam gloriam adepta est. Imo omnes fere electiones in Ss. Litteris commemoratae a gratuita Dei voluntate repetuntur. Sic gratuito electus est Abraham, ut esset pater omnium credentium. Inter eius filios gratuito electus est Isaac, et ex duobus geminis eiusdem gratuito electus est Iacob. Ite-

rum ex duodecim filiis eius gratuito electus est Iudas, ut ex eo Regum series propagaretur, atque ex eius tribu Messias expectatus nasceretur. Si autem electiones ad inferiora bona gratuita Dei bonitate fiunt, quanto magis gratuita erit praedestinatio ad gloriam, quae est bonorum maximum?

6. Infantes baptizati ante annos discretionis decedentes gloriam aeternam consequuntur, ad quam igitur ab aeterno praedestinati fuerunt. In istis autem manifeste causa praedestinationis non potest esse praevisio meritorum; nulla enim sunt eorum merita, cum rationis usu carentes bona opera perficere non possint. Quamobrem si isti ad aeternam felicitatem perveniunt, hoc fit ex absoluto praedestinationis gratuitae decreto. « Neque enim, ait *S. Augustinus* (1), fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire, cum sit utriusque causa communis; aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandae, vel liberandae sint animae, quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in coelis est (2). » — Quodsi parvuli absoluto decreto, seu ante praevisa merita praedestinantur, recte concluditur, Deum eodem modo cum adultis procedere, et istos quoque ante praevisa merita praedestinare.

7. Omnium electorum praedestinationem mere gratuitam esse, patet ex ipsius fine, qui secundum Apostolum Rom. IX, 23, alius non est, quam ostensio divitiarum gratiae et misericordiae Dei in vasa misericordiae. At vero si Deus praedestinaret homines propter merita, non ostenderet divitias gratiae suae, sed potius iustitiae suae: ergo praedestinatio ad gloriam non est facta post praevisa merita. Id confirmatur ex alia ratione. Nam si in praedestinatione ad gloriam Deus habuit rationem meritorum, et non praedestinavit homines ex mera sua voluntate, tollitur vera ratio praedestinationis divinae respectu praedestinati, et reprobi, quia tunc tota differentia petetur a meritis et non meritis, et non a praedestinatione et non praedestinatione Dei, et ita petetur a nobis, et non a Deo; quod est contra Apostolum dicentem: *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?*

8. Paulus, cum plura de praedestinatione ad gratiam, et gloriam disseruisset, stupore abreptus exclamat Rom. XI, 33 etc.: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* Decretum ergo praedestinationis pro hominibus incomprehensibile est. At si esset hypotheticum, incomprehensibile non esset. Rationi enim humanae maxime accommodata, facilisque intellectu est sententia eorum, qui dicunt, Deum illos praedestinare, quorum praevidet merita; illos vero reprobare, quorum praevidet demerita. Reiicienda est ergo haec sententia, ut verificetur dictum Apostoli, decretum praedestinationis incomprehensibile esse.

9. Doctrina de praedestinatione mere gratuita multo magis homines consolatur, et ad firmiorem confidentiam excitat, quam doctrina adversariorum. In illa enim salus dependet a Deo, qui gratias efficaces concedit, per quas homo certo merita sibi comparat, et in bono perseverat: in hac autem salus multo magis dependet ab homine, qui est infirmitas ipsa, facile vincitur, facile labitur. Ideo *S.*

(1) Lib. de dono persev. cap. 12.

(2) Matth. 10, 29.

Augustinus (1) inquit: « Sane cum Apostolus dicat: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio* (2), miror homines infirmitati suae se malle committere, quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei: quid ergo? tua ne tibi voluntas de teipso certa est, nec times? *Qui videtur stare, timeat, ne cadat* (3). Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? » (4).

Nota 1. De prima ratione theologica maxime gloriantur adversarii, eamque penitus invictam autumant *Billuart*, *Gazzaniga* et alii. Ast eandem penitus conterere, haud arduum est. Negari quidem non potest, prudentiae consonum esse, prius finem intendere, et propter finem media applicare, Deum autem infinitam sapientiam esse. Ut autem propositio maior recte intelligatur, addendum est, prudentiae consonum esse, prae omnibus et in omnibus finem primarium, totalem seu supremum intendere, cui omnes fines secundarii tanquam media subiiciuntur. Notandum porro est, Deum ens simplicissimum, absolutum, independens ac nullius rei egens non sibi, sed creaturis finem praefigere (§ 139). Finis autem totalis totius universi non est felicitas hominis (§ 140), sed gloria Dei externa (§ 141); nam Prov. XVI, 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Quamobrem Deus etiam in creatione et gubernatione hominum gloriam suam externam tanquam finem principalem, seu supremum intendit, et ad hunc convenientissima media decernit; ideo nempe hominibus sine ipsorum meritis non solum intellectum et liberam voluntatem, sed etiam revelationem et gratias supernaturales impertitur, ut in statu quoque naturae lapsae Deum cognoscere, amare et glorificare, et sic praemium aeternum promereri possint: in quo Deus summam potentiam, miram sapientiam et immensam bonitatem suam manifestat. Hominibus autem, quibus facultates naturales et gratias supernaturales impertitur, non adimit liberum arbitrium, nec eos pathologico modo ad finem suum cogit, sed vult, ut libero modo ad finem suum tendant: atque ideo illos, quos praevidet gratiis bene usuros, Deum glorificaturos, et in eius gratia decessuros, praedestinat ad gloriam, ut in hisce suam fidelitatem in promissis, iustitiam remunerativam, imo et superabundantem bonitatem ostendat, dando eis gloriam eorum merita longe excedentem: eos vero, quos praevidet gratiis abusuros, peccata commissuros, et sine poenitentia decessuros, reprobat, et ad supplicia aeterna destinat, ut in iis suam sanctitatem et iustitiam vindicativam manifestet. Ita contraria prorsus conclusio prodit, si ille finis totalis perpenditur, quem Deus teste revelatione in omnibus primario, seu principaliter intendit. Nullius igitur roboris est argumentum adversariorum, quia laborat falso supposito, quo existimant, felicitatem hominum aeternam, et quidem aliquorum tantum eligendorum, esse finem primarium, quem Deus in eorum creatione et gubernatione intendit. Inepte etiam nobis opponitur *Conc. Tridentinum*, quod nostrae sententiae suffragatur, quia finalem nostrae iustificationis causam assignans primo ponit *gloriam Dei et*

(1) Lib. de praedest. SS. cap. 11.
(2) Hebr. 11, 16. (3) I Cor. 10, 12.
(4) Cf. Bossuet, Tradit. PP. defens. p. 2, l'b. 12, cap. 19, etc.

Christi, et secundario *vitam aeternam*. Imo etiamsi *finis hominis partialis* consideretur, falsum est, quod principalis ipsius finis sit felicitas aeterna, cum potius principaliter ad moralitatem, seu ad Deo serviendum creatus sit, ad quem finem primario tendere debet, ac dein tanquam mercedem gloriam aeternam sperare potest (§ 201). Itaque Deus, si ad finem hominis partialem respicit, primario et principaliter eius moralitatem intendit, et secundario eius felicitatem aeternam, quam ut mercedem moralitatis promittit, et tanquam motivum ad moralitatem excitans adhibet. Recte ideo *Car. Ioseph Tricassinus* (1), propositae ab adversariis rationi theologicae respondet: « Retorqueo argumentum in adversarios sic: Ordinate volens aliquid, prius vult efficaciter finem, quam media: sed merita nostra habent quasi rationem finis respectu Dei, et glorificatio nostra quasi rationem medii, cum ipse proponat nobis gloriam ad sollicitanda nostra merita. — Ergo ex ipsomet principio adversariorum sequitur, quod Deus prius voluit merita nostra, quam glorificationem nostram; et ita quod praedestinatio nostra ad gloriam est post praevisa merita. »

Nota 2. Ex eo, quod praedestinatio ad gratiam sit ante praevisa merita, nullatenus sequitur, quod idem dicendum sit de praedestinatione ad gloriam. Haec quidem ita pendet ab illa, ut sine illa esse non possit, et per eam impediri queat, ne sit, non praedestinando scilicet ad gratiam: sed non ita pendet ab illa, ut semper eam sequatur, et posita praedestinatione ad gratiam, poni consequenter debeat praedestinatio ad gloriam, ut patet in multis reprobis, qui *vocati* et praedestinati fuerunt ad gratiam, et tamen non sunt *electi*, seu non fuerunt praedestinati ad gloriam: non ergo necessario connexa est praedestinatio ad gloriam cum praedestinatione ad gratiam, sed necessarium est aliud decretum, quo praedestinantur homines ad gloriam, quod sit diversum et distinctum ab eo, quo praedestinantur ad gratiam. Admitti autem nullatenus potest, quod haec duo decreta eodem modo a Deo concipiantur: nam praedestinatio ad gratiam necessario fit ante praevisa merita, quia nemo primam gratiam - saltem de condigno - promereri potest: sed praedestinatio ad gloriam supponit merita, quia ideo Deus dat gratiam, ut merita sequantur, et ideo decretum praedestinationis ad gloriam non concipitur ante praevisa merita, seu sine praevisis meritis. Christus ipse optime rem declarat in parabola *de decem servis*, quibus mere gratuita bonitate *dedit decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini, dum venio* (2). Quamvis autem concessio mnarum mere gratuita, et ante praevisa merita facta sit, elargitio tamen praemii, seu mercedis non mere gratuita fuit, et illis tantum facta est, qui accepta dona bene adhibuerunt, et ex illis lucrum reportarunt.

Nota 3. Fatemur cum *S. Augustino*, praedestinationem esse praeparationem gratiarum, quibus homo ad aeternam salutem perducitur: nisi enim homini gratiae praepararentur, et actu concederentur, neque merita sibi comparare, neque aeternam salutem consequi posset. Ast non omnes gratiae eodem modo a Deo praeparantur et conferuntur; nam prima gratia etiam electis praeparatur et confertur omnino gratuito, et ante praevisa merita; sed non hoc idem

(1) P. 2, parag. 1, punct. 1.

(2) Luc. 19, 13, etc.

de omnibus posterioribus gratiis dici potest. Nam dogma catholicum est, quod homines iusti per bona opera augmentum gratiae promereri possint: hoc ergo augmentum gratiae seu gratiae uberiores et efficaciores praeparantur electis propter praevisa eorum merita. Hinc non potest dici, ideo tantum aliquos uberiores et efficaciores gratias consequi, quia ante praevisa merita absoluto decreto praedestinati fuerunt; sed potius dicendum est, ideo ipsos uberiores et efficaciores gratias consequi, quia prioribus gratiis bene utentes augmentum gratiae promerentur. Quod autem reprobos attinet, isti quoque non solum sufficientes, sed quandoque magnas et singulares gratias accipiunt, quae autem effectum non habent ob resistentiam perversae voluntatis. Quot enim, et quantae gratiae concessae sunt Pharaoni, cui Deus stupenda signa et portenta exhibuit, ut converteretur a malitia sua? Quot et quantae gratiae concessae sunt Iudae Iscariotae, qui factus Apostolus non minus quam caeteri doctrinam Christi audivit, eius miracula vidit, imo et singulari monita, et signa amoris obtinuit? Quot et quantae gratiae datae sunt Iudaeis, in quorum plateis Christus ipse praedicavit, coram quibus tot signa et prodigia patravit, quos toties, et tam instanter ad poenitentiam invitavit, ut exclamaret: *Ierusalem, Ierusalem! — quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat filios suos sub alas et noluisti?* (1). Quibus verbis Christus ipse declarat, non ex defectu gratiarum, sed ex defectu voluntatis, perversam gratiis resistentiam opponentis, Iudaeos reprobatos esse. Collabitur igitur etiam tertia ratio theologica, ab adversariis adducta, tum quia Deus etiam reprobis vult media salutis exhibere; tum quia ipsis quoque praedestinatis dat media efficacia ad gloriam conditionate et dependenter ab eorum libera cooperatione. Quaecumque enim supponatur gratiae efficacia, de fide est, voluntatem ipsi semper posse dissentire, si velit, et ideo non est efficax in actu secundo, nisi voluntas, a gratia mota et excitata, ipsi consentiat.

(1) Matth. 23, 37.

Nota 4. Fatemur, quod perseverantia finalis sit speciale donum Dei, et ex mera misericordia divina, non autem ex meritis hominum proveniat. At vero si ad istud donum obtinendum non dantur merita de condigno, quae ex iustitia illud exposcere possint, dantur tamen merita de congruo. Iusti enim per preces et bona opera de congruo merentur, et impetrant gratiam perseverantiae. « Hoc ergo donum Dei, iniquit *S. Augustinus* (2), suppliciter emereri potest, licet, cum datum fuerit, amitti contumaciter non possit.» Imo (3) dicit: Deum illud donum « nonnisi conantibus praeparasse.» Ideo etiam *Conc. Tridentinum* (4) de perseverantia agens dicit: *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tam etsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.* Ideo Concilium fideles *hortatur ut cum timore et tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in orationibus et oblationibus, in ieiuniis et castitate* etc., satis clare ostendens, iustos per tales orationes et conatus perseverantiae finalis donum de congruo promereri et impetrare posse. Nec id-

(2) Lib. de dono persev. cap. 6.
(3) Ibid. cap. 16. (4) Sess. 6, cap. 13.

eo perseverantia finalis cessat esse speciale donum misericordiae divinae. Nam merita de congruo, et impetrationis non impediunt meram Dei misericordiam, cum non adstringant Deum ex iustitia, sed tantum ex quadam decentia bonitatis et clementiae. Ita eleemosyna, a divite pauperi distributa, non cessat esse donum mere gratuitum, quamvis eam hic supplicibus precibus, et bonis moribus ab illo impetraverit.

Nota 5. Exempla praedestinationis allata non probant adversariorum sententiam. Nam praedestinatio Christi est exemplar praedestinationis nostrae quoad gratiam, non vero quoad gloriam. « Non est necessarium, ait *S. Thomas* (1), quod exemplatum exemplari quoad omnia conformetur, sed sufficit, quod exemplatum aliqualiter imitetur suum exemplar: alias sequeretur, quod sicut Christus fuit actu beatus ante merita, ita etiam nos deberemus esse beati ante merita; quod est absurdum. » Ideo angelicus Doctor ibid. (2) docet, quod praedestinatio Christi est exemplar praedestinationis nostrae quoad terminum, et effectum gratiae. Neque aliud intendit *S. Augustinus*, qui in toto libro citato loquitur de praedestinatione ad gratiam, seu ad donum perseverantiae, et cap. 24 explicat illam similitudinem praedestinationis nostrae cum praedestinatione Christi quoad gratiam sanctificantem, quae nos facit esse filios Dei adoptivos « sine ullo merito praecedentis voluntatis nostrae, » sicut ipse fuit Filius Dei naturalis « sine ullo merito praecedentis voluntatis eius. » Quodsi concedatur, praedestinationem Christi esse etiam exemplar praedestinationis nostrae ad gloriam, distinctio est ineunda. Non potest enim praedestinatio humanitatis Christi esse exemplar praedestinationis nostrae *quoad gloriam essentialem;* quia haec humanitati Christi vi unionis hypostaticae debita erat, et a primo conceptionis instanti concessa (§ 309): fuit tamen quantum *ad accidentalem gloriam;* quia, quemadmodum Christo ab aeterno destinata fuit a Patre exaltatio nominis, gloriosa resurrectio, admirabilis ascensio, et ineffabilis gloria ob merita illius absolute praevisa iuxta illud *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum* (3); ita et nobis praeparatur in coelis gloria, quia Deus per scientiam visionis praevidet, per aerumnas forti animo toleratas, aliaque pia opera conformes nos futuros capiti nostro Christo. — Non negamus, B. V. Mariam a peccato originali praeservatam, et maximis gratiis repletam fuisse, quia ad summam Dei genitricis dignitatem electa fuit, quae sicut in totius humani generis bonum ordinata est, ita etiam summam puritatem et sanctitatem postulabat. At ex mere gratuita electione Mariae ad maternitatem non potest fieri conclusio ad mere gratuitam praedestinationem electorum, cum prorsus dispar sit ratio; nam maternitas illa non fuit proposita omnibus mulieribus, aut alicui earum ut obtinenda per merita, sed fuit singulare privilegium et beneficium a Deo praedestinatum et procuratum B. V. Mariae: aeterna autem gloria proposita est omnibus hominibus ut obtinenda per merita, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, et salus per merita tantum obtineri potest. Non implicat ergo, Mariam ante praevisa merita in Matrem Dei praedesti-

(1) 3 p., q. 24, art. 3 ad 3.
(2) In corp. art.

(3) Hebr. 2, 9. — Cf. Phil. 2, 8, etc.; Luc. 24, 26.

natam esse; implicaret autem, homines ante praevisa merita praedestinari, qui sine meritis non possunt salvari. Idem respondendum est circa caeteras electiones, quae ex S. Scriptura contra nos afferuntur. Agitur enim ibi de electionibus ad dignitates, quae non proponuntur omnibus hominibus ut obtinendae per merita, et quae ideo sine respectu ad merita ex liberrimo et sapientissimo voluntatis divinae decreto fiunt, et inepte tanquam exemplaria proponuntur electionis ad gloriam, quae omnibus ut obtinenda per merita proponitur. Sunt etiam qui negant, commemoratas electiones ante praevisa merita factas fuisse. Nam Ss. Patres, B. V. Mariam maternitatem divinam per virtutes suas, praecipue per humilitatem et puritatem promeruisse dicunt. Et certe Deus ab aeterno singularia merita Abrahami, Isaaci et Iacobi etc. praevidit.

Nota 6. Certum est, quod parvuli post baptismum ante rationis usum decedentes non habeant, imo nec habere possint merita, propter quae praedestinentur. Falsa est autem consequentia, quae ex istis infantibus infertur ad praedestinationem adultorum, qui ut vitam aeternam obtineant, merita habere possunt et debent. Si quis ex. gr. diceret: pauperes ostiatim mendicantes non debent solvere regi vectigalia, ergo nec divites: falso argumentaretur, quia pauperes illi non debent solvere vectigalia, quia non habent unde solvant; divites autem debent solvere, quia habent unde solvant. Eodem modo disserendum est de parvulis et adultis quoad praedestinationem ad gloriam; parvuli non praedestinantur ob merita, quia haec habere non possunt; adulti autem merita habere possunt et debent: ergo propter illa praedestinantur. Praeterea merita distingui possunt vel stricte et proprie sumpta, qualia sunt opera bona ab homine iusto cum gratia peracta; vel improprie et largo modo sumpta, scilicet prout extenduntur ad id omne, cui debetur gloria, etiamsi non sit opus, nec actus bonus a voluntate elicitus: iam vero parvuli baptizati non habent quidem merita stricte et proprie sumpta, habent autem merita improprie et largo modo sumpta, habent enim gratiam sanctificantem, per quam participant de meritis Christi, et ius acquirunt ad gloriam aeternam: adeoque parvuli et adulti praedestinantur propter praevisa merita; parvuli propter impropria et largo modo sumpta merita; adulti vero propter propria et stricte dicta merita. Nam sicut Deus non praedestinasset adultum, nisi perseveraturum praevidisset in gratia, ita nec parvulum nisi decessurum praevidisset in gratia: et sic utrique conveniunt in principali praedestinationis modo, scilicet quod utrique non praedestinantur nisi post praescientiam, et quod Deus non ideo dat gratiam perseverantem usque ad mortem, quia praedestinavit eos ad gloriam, ut volunt adversarii; sed ideo praedestinavit eos ad gloriam, quia praevidit eos decessuros in gratia.

Nota 7. Paulus Rom. IX, 23 loquitur de praedestinatione completa et adaequata, quae iuxta omnes mere gratuita est, et ostensio divitiarum gratiae Dei in vasa misericordiae rectissime dicitur. Exinde autem inferri non potest, praedestinationem ad gloriam nude et solitarie sumptam esse ante praevisa merita. Quamvis enim haec post praevisa merita adstruatur, praedestinatio tamen completa et adaequata, de qua loquitur Apostolus, vere est ostensio divitiarum gratiae

Dei in vasa misericordiae, tum quia gratuito, et ex sola misericordia Deus homines lapsos redemit, et aeternae gloriae capaces reddidit; tum quia gratuito et ex sola misericordia gratiam illam elargitur, sine qua homo opus meritorium perficere nequit; tum quia Deus ex mera benignitate ac liberalitate, nulla adactus necessitate, decrevit bonis operibus aeternam mercedem tribuere, cum tamen omnia opera nostra bona aliunde Deo debeantur titulo creationis et supremi dominii, quin ea praemio supernaturali remunerari teneatur; tum denique quia immensa, quam Deus electis concedit, gloria merita eorum longe excedit. — Neque verum est, quod in nostra sententia tota discretio et differentia praedestinatorum a reprobis petatur a nostris meritis, et non a praedestinatione Dei. Petitur enim partim a meritis, partim a praedestinatione Dei, imo ab hac multo magis quam a meritis nostris, cum haec nullam ex se habeant vim nos discernendi a reprobis in ordine ad gloriam, sed illam totam habeant a praedestinatione Dei, qui mere voluntarie elegit nostra opera, seu merita, ut daret nobis gloriam, cum posset ea non eligere, et alio modo nos praedestinare, si vellet; imo etiam illa ipsa merita sint a Deo nos ad illa movente et excitante, et ea ipsa suadente et producente, et per hoc nos discernente. Ex quo patet, nostram sententiam non repugnare verbis Apostoli, qui non loquitur de discretione, quae fit ad gloriam, sed de discretione, quae fit per gratiam mere gratuito concessam. Ita enim verba Apostoli intelligit *S. Augustinus* (1) scribens: « *Quis enim te discernit?* ait idem Apostolus homini tanquam de semetipso et de proprio bono glorianti. »

(1) Lib. 2 ad Bonifac., cap. 7.

Et paulo infra: « Ergo ille discernit, qui unde discernaris impertit, poenam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo. »

Nota 8. Paulus Rom. XI, 33 in genere decreta, seu *iudicia Dei incomprehensibilia* nominat. Ergo si decretum praedestinationis, ut sit incomprehensibile, deberet esse absolutum, seu ante praevisa merita conceptum; etiam decretum reprobationis, ut sit incomprehensibile, deberet esse absolutum, seu ante praevisa demerita conceptum; hoc autem, ut infra ostendetur, dogmati catholico adversatur. Negamus porro, in sententia adversariorum decretum salutem aeternam hominum respiciens incomprehensibile dici posse. Tunc enim incomprehensibilitas adest, cum alicuius effectus sufficiens causa assignari, seu nexus inter causam et effectum explicari nequit. At in adversariorum sententia sufficiens causa assignari et intelligi potest, cur isti, non vero illi salutem aeternam consequantur; causa enim sufficiens est absoluta Dei voluntas, quae prioribus, non vero posterioribus gratias efficaces praeparavit, quibus aut innocentiam conservant aut post peccatum conversi in Dei gratia decedunt. Multo magis decretum praedestinationis incomprehensibile dicendum est, si post praevisa merita conceptum dicatur. « Licet enim, ait *Thomas ex Charmes* (2), in nostra sententia nonnullae difficultates ad quietem animarum emolliantur, multae tamen supersunt, quas nullus mortalium poterit unquam solvere; ait *Tournely:* « Quare ex multis efficacibus gratiae auxiliis, quae tali homini Deus conferre posset, cum quibus salvus fieret, ea tamen duntaxat conferat, quibus

(2) De Deo Diss. 4, cap. 3, q. 3, art. 2 ad Obj. 5.

non consentiet, alteri vero ea, quibus praevidetur consensurus? Quare illum efficaciter trahat, non istum? *O altitudo!* Quare e duobus iustis unum ex hac vita rapiat, dum iustus est, alterum vero tentationum periculis obnoxium relinquat quibus futurum est, ut aliquando succumbat? *O altitudo!* quare uni etiam non oranti perseverantiam det, alteri vero non det? *O altitudo!* Quare e duobus hominibus unum, qui longe maioribus implicatus est sceleribus, efficaciter convertat, alterum vero non ita scelestum derelinquat? *O altitudo!* Quare e duobus infantibus originali peccato aequaliter infectis permittat unum baptizari, antequam moriatur, alterum vero non baptizari? *O altitudo!* »

Nota 9. Non negamus, sententiam adversariorum pro praedestinatis plenam consolationis esse, et in istis firmissimam fiduciam procreare posse: contrarium autem dicendum est de iis, qui praedestinati non sunt, et quibus gratiae efficaces usque in finem praeparatae non sunt. Et cum sine speciali revelatione nemo de sua praedestinatione certus sit, quis laudatae consolationis particeps erit? *S. Augustinus* l. cit. impugnat Pelagianos et Semipelagianos, impie docentes, quod per vires liberi arbitrii seipsos discernere, et per conatus naturales salutem suam certa reddere possint, et ad hoc gratia supernaturali non indigeant: contra istos ostendit, longe firmiorem esse fiduciam, quae in gratia divina, quam quae in infirmis liberi arbitrii viribus reponitur. Ergo etiam haec ratio theologica nostrae sententiae non adversatur, quia tum necessitatem, tum efficaciam gratiae ad salutem profitemur, imo et docemus, quod per preces et actus bonos ope gratiae elicitos auxilia divina ab intrinseco efficacia consequi, et per eosdem ipsam perseverantiam finalem de congruo promereri possimus (§ 435).

ARTICULUS IV.

Argumenta pro hypothetico praedestinationis decreto exponuntur, et defenduntur.

§ 727. Dum propugnamus, praedestinationem ad gloriam nude et solitarie sumptam esse post praevisa merita, denuo profitemur praedestinationem ad gratiam ante praevisa merita, et mere gratuitam esse (§ 439). Deus autem pro ineffabili sua sapientia vario ac multiplici modo (§ 440), gratias suas hominibus elargitur, ut etiam in statu naturae lapsae bene operari, recte vivere, et salutem suam consequi possint. Gratia autem non est necessitans, nec tollit liberum arbitrium, quod idcirco illi vel consentire vel resistere potest (§ 426). Hinc fit ut, posita gratia, alii bene operentur, merita sibi comparent, et iusti usque in finem permaneant, alii vero gratiis divinis resistentes merita negligant, male operentur, et obdurati in peccatis moriantur. Haec autem omnia Deus ab aeterno clarissime praevidet, atque ideo, sicut istos propter praevisa demerita reprobat, ita illos propter praevisa merita praedestinat. Decretum ergo praedestinationis est *hypotheticum*, et praedestinatio ad gloriam, nude et solitarie sumpta, non mere gratuita est dicenda. Haec nostra sententia ex *S. Scriptura*, ex *Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

I. *Argumenta ex S. Scriptura.*

§ 728. 1. Matth. XXV, 34 etc. Christus praedestinatos alloquens, ait: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mi-*

hi manducare etc. Quo in loco non tantum agitur de actuali retributione gloriae pro electis, sed etiam de eiusdem praeparatione, seu destinatione aeterna in mente Dei: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi:* quid est autem *paratum* etc., nisi ab aeterno destinatum? (quod ex locis parallelis Rom. IX, 23; I Cor. II, 9 manifeste patet). Quare autem eis regnum destinatum est? Propter praevisa, quae futura erant, eorum opera misericordiae. Id manifeste colligitur ex particula causali *enim* quae illa duo verba *possidete* et *paratum* subsequitur, et utrumque afficit, rationem assignans, ex qua gloria coelestis non solummodo ipsis conferatur, sed iam ab aeterno ipsis parata fuerit. Respondent adversarii, particulam causalem *enim* non referri ad verbum *paratum*, sed tantum ad verbum *possidete*, ut sensus sit: possidete ex meritis regnum vobis gratuito praeparatum. Verum talis interpretatio penitus reiicienda est. Nam: 1° Christus declarat, eodem modo praeparatum esse regnum coelorum praedestinatis, quo praeparatur poena eterna reprobis; statim enim (v. 41) adiungit: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius; esurivi enim et non dedistis mihi manducare*, etc. Atqui de fide est, Deum non tantum actu infligere, sed etiam ab aeterno praeparasse poenam aeternam reprobis ob praevisa eorum demerita: eodem modo ergo ex prioribus verbis Christi inferendum est, Deum non tantum dare, sed etiam praeparasse gloriam aeternam praedestinatis ob praevisa eorum merita. 2° Christus magnitudinem divini amoris erga electos exprimit, dum dicit, quod ipsis *a constitutione mundi*, id est, ab aeterno regnum paratum fuerit: ergo per particulam causalem *enim* affert non tantum causam collationis, sed etiam causam praeparationis gloriae. Ideo *S. Chrysostomus* (1) ita verba Christi exponit: « Antequam essetis, inquit, haec vobis parata erant, quia sciebam, vos tales esse futuros, » ubi manifeste praeparatio regni, seu praedestinatio praevisis meritis adscribitur. Ita pariter *S. Hieronymus* (2) eadem verba Christi explicans ait: « Hoc iuxta praescientiam Dei accipiendum est, apud quem futura iam facta sunt, » praescientia vero non respicit executionem, seu collationem gloriae actualem, sed solum illius praeparationem ob futura merita praecognita; ad hanc igitur praeparationem retulit particulam causalem *enim* maximus in exponendis Scripturis Doctor. 3° Denique vix intelligi potest, quod Deus ab aeterno decreverit gratis dare gloriam, et tamen in tempore illam tribuat propter merita et tanquam praemium; cum enim, ex. gr., dux exercitus alicui militi tribuit praemium ob illius clare gesta, signum est, eum nonnisi post victoriam victoriae absolute decrevisse illi dare praemium.

2. Matth. XX, v. 1-16, Christus sub parabola patrisfamilias, primo mane conducentis operarios ut mitteret eos ad vineam suam, explicat totum negotium praedestinationis ad gloriam, ut factae propter merita. Nam per patremfamilias ipsum Deum intelligi, nemo est qui dubitet. Primo quidem sermo est de praedestinatione ad gratiam, quae omnino gratuita exhibetur, quia variis temporibus homines vocantur *otiosi in foro stantes*, id est, nulla praevia merita habentes. Vocantur autem tanquam operarii, ut in vinea laborent, et pro labore exan-

(1) Hom. 79, al. 80, n. 2.

(2) Comment. in Matth.

tlato eis merces promittitur. Ubi notandum valde est, quod antequam paterfamilias mittat eos in vineam suam, *conventionem facit cum eis*, quod est respicere opera et merita; et tandem in fine praestat eis mercedem, de qua convenerant, scilicet *denarium diurnum*, qui iuxta S. *Augustinum* (1) et S. *Thomam* (2) repraesentat vitam aeternam, seu coelestem beatitudinem: quod ostendit, executionem non aliter factam esse, quam praedestinationem, cum non aliter mercedem det paterfamilias, quam prout convenerant, et ipse paterfamilias eis destinaverat, et quidem propter suscipiendum laborem destinaverat. Sicuti ergo paterfamilias operariis a se gratuito vocatis propter laborem, quem suscepturi erant, destinavit mercedem; ita et Deus hominibus a se gratuito vocatis praeparat, et destinat aeternam gloriam propter merita, quae ope gratiae sibi comparant, et quae ipse ab aeterno praevidet. Nec obstat interpretationi nostrae, quod (v. 10 etc.), de primis operariis murmurantibus legitur, eo quod paterfamilias pares ipsis faceret eos, qui minori tempore laboraverant. Nam iuxta omnes S. Scripturae interpretes in parabolis non ad omnia et singula attendendum, quae quandoque ad ornatum, vel ratione contextus inseruntur, sed tantum ad principalem intentionem referentis. In adducta autem parabola principalis Christi intentio est ostendere, quod homines quovis tempore ad fidem, per quam salus obtinetur, gratuito vocentur, et quod propter merita in aeternum remunerentur. Iam vero, quae de operariis murmurantibus dicuntur, non possunt referri ad remunerationem operariorum, seu ad collationem gloriae, tum quia in Beatis neque est error in intellectu, neque murmur, neque invidia in alios, tum quia mensura retributionis respondebit mensurae meritorum. Ea igitur referuntur ad vocationem operariorum, seu ad praedestinationem ad gratiam, quae mere gratuita est, et a sola voluntate Dei dependet: vel si etiam de praedestinatione ad gloriam sermo est, ea intelligenda tantum sunt de praedestinatione ad gloriam completa et adaequata. Christus enim ibi redarguit superbam Iudaeorum opinionem putantium, ad se solos spectare vocationem ad fidem, et ad regnum coelorum, sibique iniuriam fieri, dum etiam gentes ad gratiam et gloriam vocantur. Nec tamen inde inferri potest, totam parabolam de gratia vocationis, seu de praedestinatione ad gratiam exponendam esse: quae enim de remuneratione operariorum, seu *de redditione mercedis*, propter laborem impensum in parabola dicuntur, nullatenus de praedestinatione ad gratiam exponi possunt: atque ideo firma stat argumentatio nostra.

3. Rom. VIII, 29 etc., Paulus inquit: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit*. Locus iste quem ipsi adversarii de praedestinatione ad gloriam interpretantur, hanc esse post praevisa merita, manifeste ostendit. Id probatur 1° *ex ipsis Pauli verbis*, quia ibi praescientia praecedit praedestinationem; prius enim ibi dicitur *praescivit* quam *praedestinavit*: ergo consequens necessario est, quod praescientia praecedat illam praedestinationem, cum S. Scriptura nihil ponat inconsulto et imprudens

(1) Serm. 59 de verbis Dom. c. 4.

(2) 1 2, q. 5, art. 2 ad 1.

ter. In sententia adversariorum praedestinatio esset causa, vel quasi causa praescientiae divinae, cum in hac opinione in tantum res futura praesciatur, in quantum est futura per praedestinationem; posita enim praedestinatione ante praevisa merita, praedestinati in tantum sunt conformes futuri imagini Filii sui, in quantum sunt praedestinati et electi, ut tales fierent, cum praedestinatio in hac sententia sit causa meritorum et omnium bonorum in praedestinatis, seu non ideo homines praedestinantur, quia eorum merita praevidentur, sed ideo eorum merita sequuntur et praevidentur, quia sunt praedestinati: ergo iuxta hanc sententiam praescientia non praecederet praedestinationem, sed hanc sequeretur, et Paulus non debuisset dicere: *Quos praescivit et praedestinavit*, sed debuisset dicere: *Quos praedestinavit et praescivit;* quod cum non sit in S. Scriptura, sed plane contrarium, consequens necessario est, quod praedestinatio illa non sit ante praescientiam, seu ante praevisa merita, sed post praescientiam seu post praevisa merita; cum sit praedestinatio ad gloriam. 2° Idem confirmatur *ex contextu.* Nostra enim explicatio, quae praescientiam meritorum praemittit praedestinationi ad gloriam, optime convenit cum intentione Apostoli. Nam in citato capite VIII fideles adhortatur ad patientiam, a qua pendere dicit, ut simus cohaeredes Christi in gloria; ait enim (v. 17): *Si autem filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Deinde ostendit, tribulationes leves esse, si comparentur cum gloria, dicens: *Existimo enim, quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*, et quae tanta est, ut etiam insensibiles creaturae, filiorum Dei servae, ingemiscentes dominorum suorum glorificationem expectent. Ex hoc infert, quod multo magis nos ipsi hanc gloriam ardenter exspectare et desiderare, atque ideo aerumnas huius vitae patienter tolerare debeamus; ait enim (v. 25): *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Ne autem fideles, infirmitatis suae conscii, animum despondeant, addit (v. 26): *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram*, et ideo (v. 28): *Diligentibus Deum omnia*, etiam maximae tribulationes, et persecutiones *cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Quod ut clarius ostendat, tandem exponit seriem praedestinationis, dicens: *Nam quos praescivit, et praedestinavit* etc., fidelibus luculentissime ostendens, quam sint utiles tribulationes patienter toleratae, utpote quae praevisae sint causae predestinationis ad gloriam, ex qua vocatio, iustificatio, et glorificatio consequuntur. Continuat autem Apostolus sermonem (v. 26) incoeptum, per quem fideles ad confidentiam in auxilio Dei collocandam excitat, eisque persuadet, quod Deus, qui eos praedestinavit, vocavit et iustificavit, si eum invocent (v. 26) et diligant (v. 28), mandata eius observando ipsos etiam glorificabit, uberes gratias in hac vita concedendo, et aeternam gloriam retribuendo. Ideo concludit (v. 31): *Quid ergo dicemus ad haec? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* — 3° Eodem modo etiam *Patres* verba Pauli Rom VIII, 29 exposuerunt. *Origenes* in Ep. ad Rom. (1) pluries de Deo dicit: « Quos praescivit, hos et praedestinavit. » *S. Ambrosius* (2) inquit: Quos praescivit, hos et praedestinavit,

(1) Lib. 7. (2) Lib. 5 de fide, cap. 16.

quia non ante praedestinavit, quam praescivit, sed quorum merita praescivit, horum praemia praedestinavit. » *Theodoretus* in eundem locum ait: « Non simpliciter praedestinavit, sed cum praescisset, praedestinavit. » *Sedulius Scotus* Hiberniensis in Epist. ad Rom. scribit: « Hos, quos praescivit futuros devotos sibi, ipsos elegit ad promissa praemia capessenda. » Et paulo post: « Aliud est praescire, aliud praedestinare: praescientia itaque gerenda praenoscit, postmodum praedestinatio retribuenda describit: illa praevidet merita, haec praedestinat merita. »

4. I Cor. II, 9 legitur: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum:* ubi non est dubium, quin sermo sit de praedestinatione ad gloriam, cum loquatur Paulus de praeparatione gloriae, quae praeparatio iuxta S. *Augustinum* et omnes theologos sumitur pro praedestinatione; unde etiam S. *Thomas* in I Cor. II, lect. 3 ait: « *Quod praeparavit Deus*, id est, praedestinavit. » Cum autem dicitur, quod praeparavit gloriam *iis qui diligunt illum*, vere dicitur, quod praeparavit illam ob charitatem et dilectionem hominum erga eum, cum verba ista, *qui diligunt illum*, causam praeparationis assignent: unde S. *Thomas* l. c. dicit: Praeparavit Deus gloriam diligentibus se, quia « essentiale praemium aeternae gloriae charitati debetur secundum illud: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (1), in quo perfectio aeternae gloriae consistit. » Ergo manifestum est, sensum verborum Pauli esse, quod gloria aeterna praedestinata est hominibus ob charitatem, seu dilectionem eorum erga Deum, et consequenter ob merita hominum. Describitur ergo ab Apostolo decretum praedestinationis divinum, et quidem hypotheticum, quia gloria sub conditione dilectionis, seu meritorum praeparata dicitur. Sicuti ergo, si quis diceret: Ista corona praeparata est vincentibus; istud praemium paratum est merentibus; istud donum praeparatum est servitium certum praestantibus; nemo negaret, quod victoria sit conditio, sub qua praeparata est corona; meritum est conditio, sub qua praeparatum est praemium; et servitium praestitum est conditio, sub qua praeparatum est donum: ita etiam negari non potest, iuxta effatum Pauli, dilectionem Dei, seu merita esse conditionem, sub qua praeparata est gloria. Itaque omnes quidem homines Deum diligere debent (2), et etiam possunt, quia Deus impossibilia non iubet; gloria autem iis tantum praeparatur, qui praevidentur Deum dilecturi. Praevisa ergo dilectio, seu praevisa merita sunt causa moralis praeparationis gloriae, seu praedestinationis divinae.

5. II Tim. IV, 7 etc. Paulus scribit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius;* ubi verbum *reposita* clare significat praedestinationem; reponere enim idem est ac parare, asservare, recondere pro aliquo, cui destinatum est, quod omnino significat verbum graecum ἀπόκειται, id est, reposita est, reservata est, destinata est; unde τὸ ἀπόκειμενον significat destinatum, et pro aliquo positum. Ita hoc verbum interpretatur S. *Thomas* lect. 2 in hoc caput dicens: « *Reposita est*, id est, secun-

(1) Io. 14, 21. (2) Matth. 22, 37.

dum aeternam praedestinationem reservata. » Quod etiam confirmatur ex sequentibus verbis, ubi notatur executio ut distincta a praecedentibus, *quam reddet*, inquit Apostolus, *mihi in illa die iustus iudex:* unde cum notetur hic executio, consequens est, quod id quod praecedit, significet intentionem, seu ipsam praedestinationem. Manifeste ergo Apostolus adseverat, *coronam iustitiae*, id est, vitam aeternam meritis debitam non solum a iusto iudice reddendam esse, sed eandem etiam propter eadem merita iam ab aeterno *repositam*, paratam et destinatam fuisse. Addit Paulus, quod eodem modo omnibus Christianis, qui in suo statu bene certaverint, bene cucurrerint, et fideles fuerint, ita ut diligere possint iudicis adventum, iam ab aeterno reposita, parata et destinata sit corona iustitiae apud Deum.

6. Iac. II, 5 legitur: *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod promisit Deus diligentibus se.* Sermo hic est de praedestinatione non tantum secundum ordinem executionis, sed etiam secundum ordinem intentionis, quod probat verbum *Elegit... haeredes regni. Elegit* autem, seu ab aeterno ad regni haereditatem praedestinavit eos, quos praevidit *pauperes in hoc mundo*, id est, mente et spiritu a rebus terrenis avulsos, et *divites in fide*, quae per charitatem operatur. Ideo additur de eodem regno: *quod promisit Deus diligentibus se*, ubi iterum dilectio Dei affertur tamquam ratio, et causa praedestinationis non tantum secundum ordinem executionis, sed etiam secundum ordinem intentionis, quia verbum *promisit* non ad executionem, sed ad intentionem referendum est, ideoque hypotheticum exhibet praedestinationis decretum.

7. II Petr. I, 10 Princeps Apostolorum Christianis scribit: *Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Ergo vocatio et electio nostra certa non est ante opera bona, cum per ista certa fieri debeat, sed est veluti in suspenso ita, ut si quis a bono deficiat, et in peccata ruat, salutem suam amittere possit: cuius periculi memor Paulus inquit: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* (1); et Apoc. III, 11 dicitur: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Per quae Spiritus sanctus innuit, salutem nostram esse simpliciter incertam, et esse semper verum periculum perdendi eam usque ad finem vitae, quod non potest consistere cum praedestinatione ante praevisa merita, bene tamen cum praedestinatione post praevisa merita. Nam si praedestinatio facta est ante praevisa merita, unde petetur incertitudo salutis nostrae, quam S. Scriptura innuit, cum decretum Dei absolutum et independens a nostris operibus nullo modo possit falli nec in se, nec in subiecta materia, sed certo et infallibiliter effectum habiturum sit, idque ex principiis intrinsecis, cum media, quibus utitur ad habendum suum finem, seu ad procurandam nostram salutem, assumantur ut efficacia, et certo salutem nostram allatura? In nostra autem sententia bene intelligitur ista incertitudo salutis in praedestinatis, nam licet extrinsece, et ex praevisione Dei salus electorum sit certa et infallibilis, sicut et alia omnia libere et contingenter futura, quae sunt in natura, tamen simpliciter est fallibilis et in-

(1) I Cor. 9, 27.

certa, quia nempe fit per media, quae de se sunt fallibilia et incerta, et nulli subsunt decreto antecedenti infallibili, per quod eligantur ut intrinsece efficacia, et certo salutem allatura. Deus enim absoluto quidem decreto, et mere gratuita bonitate homines praedestinat ad gratiam : gratiis vero aut consentire, aut resistere possunt, et ideo sicut illos reprobat, quos praevidet gratiis abusuros, et male operaturos, ita illos praedestinat, quos praevidet gratiis consensuros, et merita sibi comparaturos: unde in nostra sententia salus hominum est absolute fallibilis et incerta iuxta id, quod postulat S. Scriptura. — His accedit, quod in opposita sententia nunquam id verificetur, quod docet S. Petrus, nempe per conatus, et bona opera vocationem et electionem hominis certam fieri, et quod monitum ipsius pro omnibus supervacaneum et inutile dicendum sit. Homines enim vel sunt praedestinati, vel reprobi. In praedestinatis vocatio et electio ad aeternam vitam decreto absoluto et infallibili iam certa est, et non per conatus, et bona opera hominis certa redditur: unde recte *Th. ex Charmes* l. c. ait: « Supposito, quod certa sit vocatio, et electio ante praevisa merita, poterit sic quis ratiocinari: Si me Deus praedestinavit, et opera necessaria sint ad aeternam gloriam, faciet, ut bona opera eliciam; si sollicitudo necessaria est, faciet quoque, ut sim sollicitus etc.; nihil ergo ex me curae esse debet, quam ut non curem; neque enim Deus magis tenere se potest, quominus me bene operantem sollicitum et perseverantem faciat, quam sibi ipse mentiri queat. » In reprobatis autem, quibus gratiae efficaces praeparatae non sunt, quis dicet, quod per bona opera illorum vocatio et electio certa fieri possit? Ad quid ergo Apostolorum Princeps omnibus fidelibus acclamat: *Satagite, ut per bona opera certam*, etc.

8. Denique sententiam nostram confirmant omnia S. Scripturae loca, in quibus bona opera accensentur, quibus gloria aeterna tamquam praemium, seu merces promissa est. Ita apud Matth. Christus dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum... Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum...* Atque: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis* (1). Item: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (2); ibid.: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (3). Tobias: *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam* (4). I Cor. IX, 24: *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis.* II Tim. II, 5: *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Haec et plurima alia similia testimonia biblica nobis manifestant voluntatem Dei, coelestem gloriam bonis operibus, virtutibus, et meritis tanquam mercedem, seu praemium decernentem. Vult nempe Deus pauperibus spiritu dare regnum coelorum; vult graves persecutiones propter iustitiam perferentibus copiosam merce-

(1) Matth. 5 v 3 10 12. (2) Matth [illegible] (3) Matth. 19, 29. (4) C. 1, 11. etc.

dem conferre; vult affectus suos naturales propter Deum abnegantibus centuplum, et vitam aeternam tribuere, etc.: quid autem est haec voluntas Dei, nisi decretum divinum, salutem hominum respiciens, et quidem hypotheticum, propter merita gloriam aeternam decernens?

Nota. Adversarii, ut argumenta biblica enervent, duplex statuunt in Deo praedestinationis ad gloriam decretum: unum *intentionis*, quo Deus gratuito, et sine praevisis meritis vult hos et illos salvare, his et illis gloriam dare; alterum *executionis*, quo Deus vult illos iam gratis praedestinatos salvare, et beatificare, propter merita; qua facta distinctione aiunt, adducta S. Scripturae testimonia intelligenda esse de decreto executionis, quod propter merita concipitur per gratias efficaces producta, non autem de decreto intentionis, quod mere gratuitum, imo et causa est, cur gratiae efficaces praeparantur. — At per istam distinctionem allata argumenta non infirmantur. Nam, ait *Car. Ioseph. Tricassinus* (1): « Istud figmentum duplicis decreti — *novum est;* nullum enim eius reperies vestigium neque in Scriptura, neque apud Ss. Patres, neque apud antiquiores Theologos, neque etiam apud philosophos..... unde ergo illa duplicitas decreti — introducta est? — Sane ex necessitate, et angustiis adversariorum, quaerentium undique, qua fugerent inextricabilem difficultatem. Urgebat enim S. Scriptura, aperte dicens, regnum coelorum datum et paratum electis propter merita; et aliunde ratio, et usus commonstrabat apertissime, quod nunquam est alia intentio in exequendo quam in decernendo, et per consequens quod etiamsi Scriptura loqueretur de sola collatione gloriae, cum tamen dicit aperte, gloriam in executione dari propter merita, satis superque demonstrat, illam etiam praedestinari, seu decerni propter merita: hinc ergo confugiendum fuit ad novum istud figmentum duplicis decreti, quorum unum esset intentionis et gratuitum, per quod defenderent praedestinationem suam ante praevisa merita; alterum vero executionis propter merita per quod defenderent se contra textus Scripturae manifestos. » Praeterea allata distinctio absona est, quia duo decreta, praedestinationem ad gloriam respicientia unum intentionis absolutum et mere gratuitum, alterum executionis hypotheticum, et non mere gratuitum haud bene inter se cohaerent, sed sibi invicem repugnant. Nam ait *Tricassinus* ibidem (2): « Impossibile est, ut quod pure et omnino est gratuitum, sit etiam aliquo modo onerosum; et quod omnino est absolutum, sit etiam conditionatum. Nam mere gratuitum et onerosum, absolutum et conditionatum opponuntur inter se, — ita ut uni et eidem secundum eadem omnia convenire non possint... et per consequens fatendum est, quod si primum decretum est pure gratuitum et absolutum, ipsum necessario perimitur, et rectractatur a secundo quod est onerosum et conditionatum. Et certo nemo negabit, quod si quis promisisset absolute aliquid alicui, et postea vellet, ut ille, cui promisit, mereretur, aut emeret illud, nemo, inquam, negaret quin per secundum dictum retractasset primum; et ratio est, quia primum erat de donatione, et secundum de venditione: at venditio negat, et retractat donationem: et sunt actus omnino oppo-

(1) Op. cit. P. 1, sect. 6, paragr. 1, p. 2.

(2) Pag. 3.

siti, in quantum donatio est mere gratuita et venditio est onerosa. » — Denique adversariorum distinctio contraria est naturae decretorum divinorum. Decreta enim divina non sunt nisi ipsa voluntas Dei. Cum autem Deus simplicissimus sit (§ 20), et ne duo quidem temporis momenta in ipso distingui possint (§ 25), ideo omnia uno, et simplicissimo actu vult, et decernit (§ 39). Quapropter sicut distinctio attributorum, ita etiam distinctio decretorum divinorum petitur a mente nostra, quae unum et simplicissimum divinae voluntatis actum uno obtutu intelligere nequit. Hinc etiamsi concederemus, in praedestinatione ad gloriam decretum intentionis, et decretum executionis distingui posse, memores tamen esse debemus, in Deo unum, idemque simplicissimum praedestinationis ad gloriam decretum esse: atque ideo, si fatentibus adversariis decretum executionis hypotheticum est, propter merita conceptum, necessario hoc idem dicendum est de decreto intentionis.

II. *Argumenta ex traditione.*

§ 729. Decretum praedestinationis hypotheticum, seu praedestinationem post praevisa merita factam esse, varia argumenta ex traditione petita probant.

1 Patres *S. Augustino* antiquiores et coaevi sententiam nostram haud obscure proponunt. *S. Iustinus M.* (1) ait: « Edocti a Prophetis, poenas ac supplicia, et bonas remunerationes pro meritis actionum cuiusque irrogari verum esse confirmamus. — Fatum ineluctabile illud esse dicimus, his, qui bona eligunt, merita praemia, his vero, qui contraria, debita supplicia statuta esse: » quibus verbis fato ineluctabili ethnicorum opponit aeterna et infallibilia decreta divina, quibus illi, quorum bona opera praevidentur, ad gloriam praedestinantur, sicut illi, quorum peccata praevidentur, reprobantur. *Origenes* Comment. in Epist. ad Rom. (2) scribit: « Paulus ait, *quos Deus praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, evidenter ostendens, quod eos, quos praescivit Deus tales futuros, ut Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes, ac similes imaginis eius praedestinavit et gloria. Praecedit ergo praescientia Dei, per quam noscuntur, qui in se labores, et virtutes habituri sint, et ita praedestinatio sequitur. » *S. Hilarius* in Ps. 64 explicans v. 4 *Beatus quem elegisti, et adsumpsisti: inhabitabit in atriis tuis*, ita loquitur: « Electi sunt nuptiali veste conspicui, puro et integro novae nativitatis corpore splendidi: itaque non res indiscreti iudicii electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est. *Beatus* ergo, *quem elegit Dominus*, beatus ob id, quia electione sit dignus. Scire autem nos convenit, hic beatus, in quam rem electus fuerit, scilicet ad id, quod sequitur: *Inhabitabit in tabernaculis tuis*. Omnis perfectio bonorum inhabitationis coelestis est requiei, multae mansiones in coelis... Plures enim inhabitationes dignitati inhabitantium praeparantur: sed licet diversa sit dignitas (differt enim stella a stella) in gloria; tamen quotquot habitationibus (variis licet) digni habebuntur, fidei fructum et honorem coelestis gloriae possidebunt. » Loquitur S. Doctor de electione ad gloriam, et de praeparatione gloriae, quae non ad decretum executionis, sed ad decretum intentionis refe-

(1) Apol. 1, n. 43. (2) Lib. 1, n. 3.

runtur. *S. Epiphanius* (1) explicans verba Christi: *Non est meum dare vobis sed quibus paratum est a Patre meo* (2), inquit: « Hoc vult ostendere, quod non iuxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate etc.; » ex quo infert: « Non est meum dare vobis, sed si laboraveritis, erit vobis paratum a Patre meo. » S. Pater per istam gloriae preparationem intelligit praedestinationem in mente, non vero executionem in tempore: sed talem praeparationem sub conditione « si laboraveritis » et consequenter propter praevisa merita fieri, dicit ergo, decretum praedestinationis hypotheticum profitetur. *S. Ambrosius* (3) in eadem verba Christi: *Non est meum dare vobis*, etc. dicit: « Non est meum, quia iustitiam servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens (electionem) addidit: *Quibus paratum est a Patre meo*, ut ostenderet, Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Unde et Apostolus ait: *Quos praescivit et praedestinavit*, non enim ante praedestinavit, quam praesciret, sed quorum merita praescivit, eorum merita praedestinavit: » quo nihil clarius, et validius pro nostra sententia dici, aut excogitari potest. Idem S. Doctor, aut verius alius antiquus auctor in Epist. ad Rom. c. 8 exponens verba: *Quos praescivit et praedestinavit*, ait: « Quos praescivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa capessenda: » et ibid. (4): « *Miserebor, cuius misereor*, hoc est, ait, eius miserebor, cuius praescius eram, quod misericordiam daturus essem, sciens conversurum illum, et mansurum apud me. » *S. Chrysostomus* in Matthaeum (5) haec habet: « *Venite*, dicet Deus, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ante constitutionem mundi.* Hoc nomen quot, quantisque bonis aequiparari potest, quod benedicti sint, et a Patre benedicti! et undenam tanto honore dignati sunt? quaenam causa fuit? *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi potum.* Quanti honoris, quantae beatitudinis verba! Non dixit, accipite, sed haereditate possidete, quasi proprium, quasi paternum et vestrum, iam vobis olim debitum. Antequam enim essetis, haec vobis parata erant, quia sciebam vos tales esse futuros. » In Epist. ad Rom. (6) in illa verba: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, inquit: « Qua igitur de causa ille quidem amabatur, hic autem odio habitus est... quia hic malus, ille bonus erat. Atque illis nondum natis, ille honorabatur, hic condemnabatur. Illis enim nondum natis dicebat Deus: *Maior serviet minori.* Cur ergo hoc dixit Deus? Quia non expectat, ut homo, a rerum exitu videre quis bonus, quis non talis sit, sed antea videt, quis bonus, quis non talis erit. » Id vero applicat ad praedestinationem et reprobationem hominum; nam (7) cum dixisset, Deum solum omnia futura praenoscere, ait: « Qui vero arcana mentis novit, ipse scit perspicue, quinam corona digni sint, quinam poena, et supplicio. » Et inferius rediens ad dilectionem Iacobi, et ad verba eidem dicta: *Maior serviet minori;* « Hoc enim, inquit, et praescientiae est, quod ex ipsa parturitione eligeretur, ut appareret, ait, electio Dei, quae secundum propositum, inquit, et praescientiam facta est. » Idem in cit. Homilia (8) ex-

(1) Lib. adv. haeres. haer. 69, n. 58.
(2) Matth. 20, 23. (3) Lib. 5 de fide cap. 6.
(4) In cap. 9, v. 15. (5) Hom. 79, n. 2.
(6) Hom. 16, n. 5. (7) N. 6. (8) N. 8.

planans verba Pauli: *Ut notas faceret divitias gloriae suae erga vasa misericordiae, quae praeparavit ad gloriam*, observat, Deum copiosas gratias elargiri, non ut potentiam suam ostendat homines ad bonum necessitando, sed ut homines gratiis recte utentes libere convertantur, bene operentur, et sic eius gloriam maxime promoveant. Ideo (1) subdit: « Cum (Paulus) dicit: *Quae praeparavit ad gloriam*, non totum Dei esse, dicit. Nam si hoc esset, nihil impediret, quominus omnes salvi essent, sed rursum eius praescientiam ostendit..... Sicut ergo Pharao ex propria iniquitate vas irae factus est, sic et hi vasa misericordiae ex probitate sua. Nam etsi quod plus est, Dei sit, at nos quoque parum quid intulimus. » Ad quod probandum ostendit necessitatem gratiae, sine qua homo nihil potest; addit autem, Deum gratias maxima liberalitate elargiri, ac ideo interrogat: « Unde ergo hi vasa irae, illi misericordiae? Ex proprio voluntatis proposito. Deus autem valde bonus cum sit, in ambobus eandem ostendit benignitatem. Etenim non eos tantum, qui salvi facti sunt, miseratus est, sed etiam Pharaonem, quantum in se erat; nam eandem diuturnam patientiam tam hi, quam ille, experti sunt. Quod si is non servatus sit, ex eius voluntatis proposito totum est. Nam quantum ad Deum pertinet, nihil minus habuit, quam ii, qui salvi facti sunt. » Quae verba S. Doctoris perpendens *Tricassinus* (2) dicit: « Notent adversarii, quam male sentiant ipsi de bonitate Dei, cui tam paucos attribuunt salvos in comparatione multitudinis infinitae damnatorum, licet velint, Deum ex sua mera voluntate illos salvasse, nec quidpiam aliud spectasse, quam bonitatem suam. Vult autem *Chrysostomus*, quod si Deus in praedestinatione hominum solum respexisset ad voluntatem et bonitatem suam, omnes omnino salvasset. » Idem S. Doctor clarissime mentem suam aperit Hom. 1 in Ep. ad Ephes. n. 2, explanans verba Apostoli: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum* etc., dicit: « Non enim nostris ex laboribus, vel recte factis hoc suppetit, sed ex charitate, neque ex charitate solum, sed etiam ex virtute nostra. Nam si id e sola charitate penderet, salvari omnes oporteret. Sin autem sola ex virtute nostra, supervacaneus fuisset adventus illius, et quaecunque sunt ab eo administrata. Verum neque sola ex charitate, neque sola ex virtute nostra illud accidit, sed ex utroque. *Elegit enim nos*, inquit; qui autem elegit, scit quid eligat » (3). — *S. Hieronymus* lib. 2 adv. Iovin. (4) ait: « Paratae sunt in coelo diversae, et plurimae mansiones plurimis diversisque virtutibus, quas non personae accipiunt, sed opera. » Inducit dein Salvatorem ita loquentem: « Frustra igitur a me petitis, quod in vobis situm est, quod Pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. » In cap. 1 Isaiae dicit: « Deus liberum servat arbitrium, ut in utramque partem, non ex praeiudicio Dei (idest, non ex sententia antecedente cognitionem causae), sed ex meritis singulorum, vel poena, vel praemium sit. » Et Epist. ad Hedib. (5) loquens de reprobis et praedestinatis ad gloriam inquit: « Vasa misericordiae, quae praeparavit ad gloriam, quae vocavit, hoc est, nos, qui non solum ex Iudaeis sumus, sed etiam ex gentibus, non salvat irra-

(1) N. 9. (2) Sect. 4, par. 1.
3) Cf. Hom. in Ps. 138, n. 1, etc.
(4) Cap. 15. (5) Quaest. 10.

tionabiliter, et absque iudicii veritate, sed causis praecedentibus (id est, meritis), quia alii susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte noluerunt... Ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates. » At hoc verum non esset, si ante voluntatum praevisionem hos eligeret ad gloriam, non illos.

2. *S. Augustinus* ipse pro nostra sententia rectissime citatur. Nam l. 1 ad Simplician. quaest. 2, explicans illud Apostoli: *Cum nondum nati essent* etc. (1), ita loquitur: « Non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quae eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius: sed quia illud (propositum) manet, ut iustificet credentes, ideo invenit opera, quae iam eligat ad regnum coelorum. » Hic manifeste S. Doctor distinguit praedestinationem ad gratiam a praedestinatione ad gloriam in hoc, quod prima sit ex liberalitate donorum gratiae, altera vero ex praevisione meritorum, quae homo post sui iustificationem per gratiam factam acquirit. Quod utrumque clarius explicans addit: « Non tamen electio (ad gloriam) praecedit iustificationem, sed electionem iustificatio; nemo enim eligitur, nisi iam distans (per opera bona praevisa) ab illo, qui reiicitur. Unde quod dictum est: *Elegit nos ante mundi constitutionem*, non video, quomodo sit dictum, nisi praescientia » (operum scilicet cum gratia Dei elicitorum). Istud porro *S. Augustini* testimonium eo pluris fieri debet, quod lib. 3 Retract. hunc librum recensens nihil plane ex illa secunda quaestione retractaverit, imo potius tum lib. de praedest. Ss. c. 4, tum lib. de dono persev. c. 21, commendat tanquam doctrinam sanam eam, quae in illa secunda quaestione continetur, ac fatetur, Deum doctrinam hanc sibi revelasse, cum scriberet ad Episcopum Simplicianum. Frustra igitur nonnulli cum *Bellarmino* ad vim huius argumenti elidendam reponunt, *Augustinum* haec scripsisse, cum iunior esset, et ante exortam haeresin Pelagianam; nam iam Episcopus erat, cum anno 397 ad Simplicianum scripsit, et quadragenario maior. Eandem praeterea doctrinam etiam in aliis libris proposuit. L. 1 de Civ. Dei cap. 8, loquens de bonis vitae futurae, dicit, ea esse praeparata, id est, praedestinata iustis solis, et non aliis; et per hoc indicat, iustitiam illorum esse causam obiectivam praedestinationis eorum: ait enim: « Placuit divinae providentiae praeparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. » — Serm. 100 de verbis Evang. (2) n. 3 inquit: « Quos voluit Dominus, hos elegit: elegit autem, ut dicit Apostolus, et secundum suam gratiam, et secundum illorum iustitiam: » electio vero, quae fit secundum Dei gratiam, et nostram iustitiam, fit propter bona opera mediante gratia peracta. Hinc S. Doctor paulo infra praemissis his Apostoli verbis: *Reliqui mihi septem millia qui non curvaverunt genua ante Baal*, Deum sic loquentem inducit: « Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me praesumentes, non de se, nec de Baal, » hoc est in me sperantes. Ubi Deus non ad gratiam, quam merita non praecedunt, sed ad gloriam illos eligere dicitur, quorum rectos sensus novit. Lib. 2 de peccat. merit. et remiss. cap. 29 dicit: « Dominus noster hanc suam medelam (scilicet remissionem peccatorum, quam acquisivit sanguine suo) nullis generis humani temporibus ante ul-

(1) Rom. 9 (2) Al. S. 7 de verbis Dom

timum futurum iudicium denegavit, quos per certissimam praescientiam, et iustissimam misericordiam secum regnaturos in vitam praedestinavit aeternam.» Hoc testimonium est decretorium, quia praedestinari *per certissimam praescientiam, et iustissimam misericordiam* est certe praedestinari propter praevisa merita. Hinc S. Doctor praemittit semper praescientiam praedestinationi: sic l. de Spir. et litt. c. 50 ait: « Diffundit charitatem in cordibus eorum, quos praescivit, ut praedestinaret; praedestinavit, ut vocaret; vocavit, ut iustificaret; iustificavit, ut glorificaret. » Lib. de corrept. et grat. cap. 9: « Qui vere sunt filii, praesciti, et praedestinati sunt.» Enarr. in Ps. 68 (1), ostendens, electos non deleri de libro viventium, inquit: « Praescius est, praedestinavit omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum Filio suo in vita aeterna, » id est, praescivit eos, qui mererentur eligi, antequam eos praedestinaret; unde non potest falli, ac per hoc nullus de hoc libro deleri. Ita etiam Enarr. in Ps. 88 (2), ait: « Manet immobile testamentum eius (Christi, gentes in haereditatem accipientis), quia ipse praesciens praedestinavit haeredes. »

3. Patres *S. Augustino* posteriores, imo et fidissimos ipsius discipulos pro nostra sententia citare licet. Imprimis *S. Prosper* in Epistola ad *S. Augustinum* (3) constantem priorum saeculorum traditionem de praedestinatione post praevisa merita contestatur, scribit enim: « Retractatis priorum de hac opinionibus pene omnium par invenitur, et una sententia, qua propositum, et praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscuiusque praeviderit, et sub ipso gratiae adiutorio, in qua fuisset voluntate et actione praescierit. » Et *S. Prosperum* ab hac sententia non recessisse, patet ex eius responsione 15 ad obiect. Gallorum cap. 16, ubi praescientiam praemitti praedestinationi ostendit dicens: « Qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, sed certum numerum praedestinatorum (scilicet quoad personas determinatum), durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiae Dei, qui et omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, et voluntatis suae propositum in eis implet, quos praescitos praedestinavit, praedestinatos vocavit, vocatos iustificavit, iustificatos glorificavit. » Quibus verbis aperte reprehenditur sententia adversariorum, qui volunt, certum numerum etiam quoad personas determinatum a Deo eligi et praedestinari ante merita, cum e contra S. Pater doceat, Deum esse ex se paratum ad omnes praedestinandos, qui meruerint, sine absoluta determinatione unius prae alio. Idem in resp. 12 ad obiect. Vincent. loquens de iis, qui a recta fide defecerunt (4) dicit: « Voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia praesciti sunt casuri, non sunt praedestinati. Essent autem praedestinati, si essent reversuri, et in sanctitate, ac veritate mansuri.» De *S. Prospero* autem testatur cl. *Gazzaniga* (5) ipsum a doctrina *S. Augustini* ne transversum quidem digitum deflexisse. Auctor lib. 2 de Vocat. Gent. c. 35 ait: « His, quos elegit (Deus) sine meritis, dat, unde ornentur et meritis: et frustra dicitur,

(1) Serm. 2, n. 13. (2) Serm. 2.
(3) Inter Epist Augustin. 225, n. 8.
(4) I Io. 2, 19.
(5) De praedest. cap. 3, n. 137.

quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint. » Loquitur hic de duplici electione; primo quidem de electione seu praedestinatione ad gratiam, quae est sine meritis, secundo de electione, seu praedestinatione ad gloriam, quam ex meritis fieri docet, cum clare asserat, homines fieri electos, seu praedestinatos, quia operantur, seu propter bona opera praevisa. *S. Fulgentius* lib. 1 ad Monim. cap. 24 inquit: « Ostensurus Deus, quid reddendum praesciverit, et quid donandum, praedestinavit illos ad supplicium, quos a se praescivit voluntatis malae vitio discessuros; et praedestinavit ad regnum, quos ad se praescivit misericordiae praevenientis auxilio redituros, et in se misericordiae subsequentis auxilio esse mansuros. » Ibid. cap. 26 ait: « Paratum esse a Deo non solum regnum, ubi laetentur boni, sed et ignem aeternum, ubi crucientur mali: » ubi eodem modo dicit regnum paratum bonis, seu praedestinatum propter eorum bonitatem, ac ignem aeternum malis propter eorum malitiam. Et paulo post addit: « Posset enim Apostolus, quos dixit *vasa misericordiae* (sic vocans praedestinatos ad gloriam), vasa iustitiae nuncupare; sed si vasa iustitiae nuncuparentur, forsitan ex seipsis habere iustitiam putarentur. » Ubi manifestum est, *S. Fulgentium* velle praedestinatos ad gloriam tam recte esse vasa iustitiae, quam vasa misericordiae, sed non ita vocari propter inconveniens assignatum; per quod clare demonstrat, illos vere praedestinatos ob eorum iustitiam, seu bonitatem praevisam, non quidem ut a seipsis, sed ut a Deo excitante, et adiuvante acquisitam. *S. Io. Damascenus* lib. 2 de fide orth. cum iam cap. 29 dixisset, Deum voluntate antecedenti omnes homines salvos fieri velle, cap. 30 loquens *de praescientia et praedestinatione* ait: « Illud scire interest, Deum omnia quidem praescire, sed non omnia praedefinire. Praescit enim ea, quae in nostra potestate sunt, at non item ea praefinit. Nec enim malitiam patrari vult, nec rursus virtuti vim infert. Quocirca divina iussio cum praescientia coniuncta praefinitionem efficit. »

4. *Scholasticorum antesignani* non obscure praedestinationem post praevisa merita tradunt. Ita *Alexander de Hales*, I p., q. 28, memb. 3, art. 1, post resolutionem in responsione ait: « Ex parte praedestinationis nec principale significatum (quod est actus Dei praedestinantis) est ex meritis, nec etiam primum connotatum, quod est infusio gratiae; sed collatio gloriae ex meritis est. » Quod autem loquatur non tantum de decreto executionis, sed etiam de decreto intentionis, patet tum ex eo, quia haec distinctio ipsi penitus incognita fuit, tum ex art. 3 eiusdem quaestionis et membri, ubi distinguens praedestinationem, prout est actus Dei, a praedestinatione, prout terminatur ad creaturas, ait: « Praescientiam meritorum esse rationem praedestinationis ultimo modo sumptae, et non aliter: » quod adnotat, ne etiam praedestinatio ad gratiam, quae praecedit, ex meritis fieri putetur. — *B. Albertus M.* in I, dist. 40, post art. 19 titulo: *Ad quid est electio?* in solutione sic loquitur: « Electio propter multa potest fieri: fit autem meo iudicio ad iustitiae ostensionem, quae aperitur in usu liberi arbitrii sequente, quoniam electus sponte gratiae adhaeret, et non electus sponte a gratia avertitur. » Et dist. 41, art. 3 in solutione ait: « Merita futura nullo modo eliciunt propositum Dei (id est actum Dei praedestinantis); ex parte

autem effectus, in quo terminabilis est (actus Dei) praedestinatio, et reprobatio ad tempus habent rationem meriti.» Actus nempe Dei, quo vult omnes homines salvos fieri, et gratiam concedere, a meritis petere non licet; supposita autem hac praedestinatione ad gratiam, decretum praedestinationis, sicut decretum reprobationis hypotheticum a *B. Alberto* adstruitur. *S. Bonaventura* in 1, dist. 40, art. 2, q. 1, quaerit, an praedestinatio inferat necessitatem salutis libero arbitrio, et respondet: « Praedestinatio non est causa salutis nisi includendo merita. » Et infra dicit, quod « praedestinatio duo importat, et rationem praescientiae, et rationem causae.» Et adhuc infra: « Praeter rationem causae importat rationem praescientiae, et praescientia quidem totum includit in cognitione, scilicet liberum arbitrium, et eius cooperationem. » Et tandem ita concludit: « Et quia praescientia nullam imponit necessitatem consequentis, sed tantum consequentiae, similiter nec praedestinatio. » Ergo praedestinatio iuxta S. Doctorem supponit praescientiam, quae equidem in Deo falli non potest, sed tamen contingentiam et libertatem actuum non tollit; haec est enim necessitas consequentiae iuxta modum loquendi scholasticis eius aevi usitatum. Idem dist. 41, art. 1, q. 2 in corp. inquit: « Si quaeratur quare magis voluit (Deus) salvare Petrum, quam Iudam? respondetur, quod iste habuit mala merita, ille vero bona: » et hic S. Doctor non loquitur de praedestinatione secundum executionem, sed de praedestinatione secundum intentionem, cum utatur hoc verbo *voluit*, quod significat electionem, et intentionem, non vero executionem. — Hoc idem fusius declarat in Compend. theol. verit. (1), in quo de praedestinatione agens inter alia dicit: « Voluntate prima vult Deus omnem hominem salvum fieri, in quantum homo est. Voluntate autem secunda non vult iustum hominem reprobum, in quantum ipse est talis. Voluntas igitur antecedens respicit ordinem naturae in finem, prout a Deo condita est. Voluntas vero consequens respicit ordinem personae, prout est libero arbitrio suo, vel alieno in finem disposita. » Quibus verbis clare indigitatur, voluntatem praedestinantem respectum habere ad opera personae, atque ideo istorum praescientiam supponere. *S. Thomas* in Ep. ad Rom. (2) habet: «Circa ordinem praescientiae et praedestinationis dicunt quidam quod praescientia meritorum bonorum et malorum est ratio praedestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus praedestinat aliquos, quia praescit eos et in Christum credituros et secundum hoc littera sic legitur: *Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii sui, hos praedestinavit.* Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, quae datur meritis: sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno divinitus praeparatum; unde eadem ratione omnia beneficia, quae nobis confert ex tempore, praeparavit nobis ab aeterno. Unde ponere, quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cuius praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud quam gratiam ponere dari ex meritis nostris, et quod principium bonorum operum est ex nobis, et consummatio est ex Deo. » Hic manifeste S. Doctor distinguit praedestinationem adaequatam ab inadaequata, quae tantum

(1) Lib. 1, cap. 30. (2) Cap. 8, lect. 6.

est ad gloriam, et istam ab operibus bonis absolute praevisis fieri, ait *rationabiliter* dici posse; quod idcirco veritati consonum esse declarat. Reponunt quidem adversarii, sensum verborum *S. Thomae* esse, quod rationabiliter dici posset, Deum nos praedestinasse ad gloriam ex praevisis meritis *in falsa hypothesi*, quod Deus praedestinaret solum ad gloriam, non autem ad merita ipsa, hoc est, si merita non essent effectus praedestinationis; ipsum vero absolute negare, quod praedestinatio ad gloriam peti possit ex praevisis meritis, quia « sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare etc.» Sed errant, qui haec obiiciunt: nullus enim theologus catholicus negat, Deum non solum ad gloriam, sed etiam ad gratiam praedestinare. Quia autem non omnes, qui praedestinantur ad gratiam, etiam praedestinantur ad gloriam, non est falsa hypothesis, si decretum praedestinationis ad gloriam distinguitur a decreto praedestinationis ad gratiam, et si illud nude et solitarie sumptum petatur a meritis praevisis; et hoc est, quod affirmat *S. Thomas*. Idem confirmatur ex aliis angelici Doctoris testimoniis. Nam comment. in Matth. (1) in haec verba: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, ait: «Qui fide credunt, omnes vocati sunt, sed illi electi, qui bona opera faciunt; et isti sunt pauci. » Comment. in Epist. ad Ephes. (2) dicit: « Potest aliquid creatum esse ratio voluntatis divinae ex parte voliti, sicut dum vult coronare Petrum, quia legitime certavit.» Verbum *vult* indicat actum voluntatis aeternum, quia voluntas Dei immutabilis est; et ideo significat praedestinationem secundum intentionem, et non solum secundum executionem. Nec obstat id, quod sequitur: « Sed hoc non est causa volendi, sed est causa, quod ita fiat: » per hoc enim tantum negat, quod hoc sit causa decreti legitime certantes coronandi, seu causa eius volitionis secundum se, cum causa talis volitionis sit eius sola bonitas, ut supra testatus est; non vero negat, imo vero affirmat, esse causam, cur illa voluntas terminetur ad hunc effectum libere volitum praecedens meritum, in quo est formalis praedestinatio ad gloriam. Praeterea *S. Thomas* cum praedestinatione coniungit praescientiam. Ita in quaest. disput. q. 6 de veritate ad 4 docet: « Praedestinationis ordinem supponere voluntatem humanam, » scilicet volitiones humanas praevisas. In Summa 3 p., q. 1, art. 3 ad 4 ait, « quod praedestinatio supponit praescientiam futurorum. » In I sent. (3) adseverat « praedestinationem includere in suo intellectu praescientiam. » Et ibid. (4) dicit: « In intellectu praedestinationis includitur voluntas consequens, quae respicit opera, non quasi causam voluntatis, sed sicut causam meritoriam gloriae. » Et in Summa I, q. 23, art. 5 ita loquitur: « Effectum praedestinationis considerare possumus dupliciter: uno modo in particulari (id est, inadaequate), et sic nihil prohibet, aliquem effectum praedestinationis esse causam, et rationem alterius; posterius quidem prioris secundum rationem causae finalis, prius vero posterioris secundum rationem causae meritoriae; sicut si dicamus, quod Deus praeordinavit, se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod praeordinavit se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam.» S. Doctor hic per *posterius* intelligit praedestinationem ad gloriam,

(1) Cap. 20. (2) Lect. 1
(3) Dist. 40, q. 3 in corp (4) Dist. 41, art. 3 ad 5.

et per *prius* praedestinationem ad gratiam ; et ideo dicit, praedestinationem ad gloriam esse causam praedestinationis ad gratiam, quia haec propter illam datur, ergo secundum rationem causae finalis : item dicit, praedestinationem ad gratiam esse causam praedestinationis ad gloriam secundum rationem causae meritoriae, quia gratia producit merita, et propter merita fit praedestinatio ad gloriam. Utramque, ait, propositionem verificari : unam, si dicamus, quod Deus praeordinavit, se daturum alicui gloriam ex meritis ; alteram, si dicamus, quod praeordinavit se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam. Manifeste igitur S. *Thomas* declarat, praedestinationem ad gloriam inadaequate sumptam, seu ut praecisam a praedestinatione ad gratiam, esse ex meritis. — *Scotus* diversas de praedestinatione theologorum sententias in I sent. (1) expendens, et cum Apostolo exclamans : *O altitudo divitiarum* etc. monet, eam sententiam eligendam esse, quae magis placet. Et ibid. (2) varias difficultates affert, quae ex sententia de praedestinatione ante praevisa merita sequuntur, et in opposita declinantur : quamvis igitur huic non manifeste subscribat, eidem tamen non repugnat. *Henricus a Gandavo* in quodlib. 4 (3) ait : « Praedestinatio respectu primae gratiae nullam causam meritoriam habet, licet habeat eam respectu cuiuslibet sequentis, includendo sub praedestinatione et gratiam finalem perseverantiae, et etiam gloriam. » *Sixtus Senensis* in Biblioth. Sancta l. 6 annot. 251 sub finem, cum negasset primam gratiam esse ex meritis, sic pergit : « Si quis vero interroget, utrum sequentes divini ordinis gradus in divina praevisione causam habeant meritoriam, procul dubio respondendum est, Deum ab aeterno decrevisse, daturum se incrementa amplioris iustitiae his, qui bene usi sunt primo gratiae iustificantis dono, ac deinde ob merita bene servatae iustitiae redditurum se eis perpetuae beatitudinis coronam. » Idem docet *Innocentius V*, qui in I, dist. 41, q. 2 de praedest. art. 2 ait : « Est ratio, secundum quam congrue fertur voluntas Dei ad praeparandam illi gratiam, et gloriam, cuius praescit merita ; » ubi per gratiam, quam ibi iungit cum gloria, non intelligendus est de prima gratia, quae non cadit sub meritum, sed de secunda, et sequentibus, quae cadunt sub meritum aeque ac gloria. *Gabriel Biel* (4) licet credat, aliquos, ut B. Mariam V., S. Paulum etc. praedestinatos esse ante merita, reliquos, tamen ex praevisis meritis praedestinatos esse dicit. *Thomas de Argentina* (5) ait : « Dico, salvo meliori iudicio, quod causa praedestinationis ipsorum adultorum videtur esse bonus usus liberi arbitrii (a gratia adiuti) ab aeterno praecognitus, finaliter duraturus. » Alios eiusdem sententiae theologos citat *Tricassinus* (6).

5. *In Conciliis* nihil quidem expressum et formale invenitur, quod asserat praedestinationem ad gloriam esse ante, vel post praevisa merita ; aliqua tamen in eis inveniuntur, quae non obscure indicant, praedestinationem ad gloriam esse post praevisa merita. *Conc. Arausicanum II* cap. 25 ait : *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante,*

(1) Dist. 41, q. 1.
(2) Disp. 58, cap. 10, n. 161. (3) Q. 19.
(4) In I Dist. 41, quaest. unica, art. 2.
(5) In 1 dist. 41, art. 2.
(6) P 1, sect. 5, par. 4.

quae ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Quibus verbis Concilium testatur, quod non solis praedestinatis, sed *omnibus baptizatis* tales gratiae praeparatae sint, quibus aeternam salutem consequi possint. Conditio quidem apponitur, sed ea non petitur ex parte Dei, sed ex parte hominis; notanda enim sunt haec verba: *Si fideliter laborare voluerint*, quae denotant, nostram salutem non pendere a solo Dei decreto, sed etiam ab operibus nostris, cum illa particula *si* denotet conditionem et dependentiam: ex quo evidens est, quod salus nostra non est praedestinata ante praevisa merita, seu ante praevisam cooperationem nostram liberam, cum ipsa pendeat a nostris meritis, seu a praedicta cooperatione nostra libera. *Carisiacum II*, an. 853, cap. 3 declarat, quod *Deus omnipotens omnes homines vult salvos fieri, licet non omnes salventur:* distinguit ergo circa salutem hominum voluntatem Dei antecedentem a consequenti, quae iuxta praevisa merita vel demerita concipitur. Et cap. 4 inquit: *Christus I. D. N., sicut nullus homo fuit vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quod vero non omnes passionis eius mysterio redimantur, non respicit ad magnitudinem et pretii copiositatem, sed ad infidelium et non credentium ex fide, quae per charitatem operatur, respicit partem, quia poculum humanae salutis* (verba sunt *S. Prosperi* a Concilio relata), *quod confectum est de infirmitate nostra, et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur:* quibus verbis declaratur, tales gratias a Christo omnibus promeritas et praeparatas esse, ut aeternam salutem consequi possint, nisi ipsi gratias negligant, et illis resistant. *Valentinum III*, an. 855 habitum, cap. 2 docet: *Deum praescire et praescisse aeternaliter et bona, quae boni erant facturi, et mala, quae mali sunt gesturi - fideliter tenemus; et placet tenere, bonos praescisse omnino per gratiam suam, bonos futuros, et per eandem gratiam aeterna praemia accepturos; malos praescisse per propriam malitiam malos futuros, et per suam iustitiam aeterna ultione damnandos, ut secundum Ps. LXI, 12, quia potestas Dei est, et Domini misericordia, ut reddat unicuique secundum opera sua:* quo in loco decretum praedestinationis petitur a praescientia bonorum operum, sicut decretum reprobationis a praescientia malorum operum cum hoc unico discrimine, quod bona opera per gratiam perficiantur, mala vero opera ex perversa hominis voluntate proficiscantur quod discrimen omnes Catholici admittunt. Idem Concilium cap. 3 dicit: *Fideliter fatemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum, in damnatione autem perieturorum meritum malum praecedere iustum Dei iudicium.* Notandum est, quod Concilium loquens de causa praedestinationis ad vitam, non tribuit eam immediate gratiae, ut faciunt adversarii, sed tantum mediante opere, dicens: *In electione salvandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum;* asserit nempe, quod gratia praecedit meritum gloriae, non autem electionem ipsam immediate: quod est aliquo modo innuere, quod gratia non est causa immediata prae-

destinationis ad gloriam, ut volunt adversarii, sed solum operis et meriti ad illam consequendam praedestinati. *Tridentinum* Sess. VI, cap. 13, loquens de perseverantiae munere ait: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.* Iuxta quae verba Concilii dicendum est, quod non solis praedestinatis, sed omnibus baptizatis gratiae praeparantur, quibus, nisi ipsi defuerint, certo salutem consequentur. Opponuntur ergo haec verba sententiae adversariorum, qua dicunt, gratias efficaces, quibus aeterna salus obtinetur, illis solis praeparari, qui decreto absoluto ante praevisa merita praedestinati sunt.

6. *Ex orationibus Ecclesiae* iam *S. Augustinus* contra *Pelagianos* invicta petiit traditionis argumenta, quia Ecclesia in publicis orationibus sensus suos manifestat. Recte igitur etiam ad nostram sententiam confirmandam orationes Ecclesiae afferuntur. In Missis ferialibus totius Quadragesimae, ut et in fine Litan. Ss., haec habetur Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis* etc.: Ecclesia ergo profitetur, Deum eorum misereri, quorum fidem et opera praenoscit. Non est itaque sermo de praedestinatione ad gratiam, quam non antecedunt fides et opera, et quae non datur, quia fides et opera futura praenoscuntur. Sermo igitur est de praedestinatione ad gloriam, et Ecclesia miserationi seu praenotioni divinae praemittit praenotionem, seu praescientiam meritorum fidei et operum, ob quam voluit Deus ob infinitam bonitatem suam nostri in aeternum .. sereri, seu nos praedestinare ad gloriam. Praeterea Domin. V post Pentecosten Ecclesia orat: *Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti* etc., ubi dilectionem Dei, quae est in electis, proponit ut obiectum praedestinationis eorum, seu ut causam praeparationis bonorum aeternorum, et proinde facit eam priorem praedestinatione eorum. Quae cum ita sint, concludendum est, Ecclesiam non credere, praedestinationem ad gloriam esse ante praevisa merita, sed eam propendere in nostram sententiam, quae praedestinationem ad gloriam post praevisa merita factam esse censet.

III. *Argumenta ex rationibus theologicis.*

§ 730. 1. Ex ratione et revelatione constat, homines ideo conditos esse, ut veritatem cognoscentes, moralitatem perfectam libere sectentur, et mediante ista felicitatem summam et aeternam consequantur (§ 202). Homines quidem a nobilissimo isto fine delapsi sunt (§ 219); Christus autem naturam humanam lapsam reparavit (§ 338); peccata enim sustulit (§ 376), et gratias supernaturales promeruit (§ 377), ita ut omnes homines finem suum ultimum iterum assequi possint (§ 779). Ideo omnes Christiani profiteri tenentur, se creatos esse, ut Deo serviant, et in aeternum salvi fiant. Certum ergo est, quod omnes perfectam moralitatem sectari debeant, quia Deus hunc finem ipsis praefixit; et quod omnes perfectam moralitatem sectari possint, quia Deus impossibilia non iubet, et quod omnes ad aeternam felicitatem pervenire valeant, quia haec a Deo moralitati promissa est. Haec autem omnia non verificantur admissa sententia adversariorum. Nam si Deus absoluto de-

creto aliquos tantum ad gloriam praedestinavit, et his solis gratias praeparavit, quibus moraliter vivere, et in bono perseverare valeant; quomodo verum est, quod omnes homines ad eundem finem conditi sint, et quod omnes per moralitatem ad felicitatem pertingere possint? — Magna profecto contradictio oritur tum quoad Deum, qui maiori hominum numero finem praefixit quem sincere non vult; tum quoad homines, qui ad moralitatem obligantur, quam tamen deficiente gratia Redemptoris exercere non valent. Quae inconvenientia ut effugiantur, omnino necesse est, ut dicatur, Deum omnes homines velle salvos fieri, et omnibus gratias praeparare, quibus moraliter vivere possint, et illos praedestinare, quorum merita praenoscit.

2. Omnes theologi docent, quod quilibet Christianus sicut ad fidem et charitatem, ita etiam ad spem theologicam obligetur. « Obiectum autem spei, ait *S. Thomas* (1), est uno modo beatitudo aeterna, et alio modo divinum auxilium, ut ex dictis (art. 1 et 2) patet. Et utrumque eorum proponitur nobis per fidem, per quam nobis innotescit, quod ad vitam aeternam possumus pervenire, et quod ad hoc paratum est nobis auxilium.» Fundamenta autem spei sunt omnipotentia Dei, qua proposita, nobis bona concedere potest misericordia Dei, qua eadem nobis concedere vult; et praecipue fidelitas eius in promissis, qua omnia quae promisit, certissime adimplet. Quamobrem si quilibet Christianus ad spem theologicam obligatur, dicendum est, quod Deus cuilibet aeternam beatitudinem et auxilia, quibus eam obtinere valeat, non solum dare possit, sed etiam velit, imo et promiserit, dummodo requisitas ad illa bona obtinenda conditiones adimpleat. Ast in sententia adversariorum absoluto decreto aliquos, non autem reliquos ad aeternam gloriam praedestinat, et hi gratias efficaces non praeparat, quibus salutem consequantur. Quomodo autem haec cum obligatione spei conciliantur? quomodo ille, qui praedestinatus non est, sperare potest beatitudinem aeternam, quam Deus ipsi non vult concedere, et auxilia efficacia, quae ipsi non vult impertiri? — Recte ideo *Tricassinus* op. cit. (2) observat, « quod adversariorum sententia tollat spem christianam. Nam si credo, quod electio Dei est mere gratuita, iam video manifeste, quod non possum sperare salutem consequendam per collaborationem et cooperationem meam cum auxiliis divinis mihi collatis, quandoquidem certo scio, quod electio mere gratuita, et ante praevisa opera facta non habet respectum ad meum laborem et cooperationem meam, sed ad meram Dei voluntatem, quae non est in potestate mea, et quam non possum mereri, nec precibus flectere cum non habeat respectum ad ista, sed sit ante praevisionem et existentiam istorum omnium. Frustra ergo est spes christiana; frustra contendit ad salutem, cum id nullo modo pendeat a nostro labore cum gratia, sed a sola electione Dei gratuita, nulla praevisione praemissa. »

3. Adversarii ipsi admittunt praedestinationem secundum executionem factam esse ob merita, et fides ipsa docet, actualem gloriae retributionem fieri ex meritis: exinde autem recte concluditur, quod etiam praedestinatio secundum intentionem, seu gloriae praeparatio fiat ob merita absolute praevisa. Nam, ut dictum est

(1) 2 2, q. 17, art. 7.

(2) P. 1, sect. 7, paragr. 9, p. 1.

(§ 728 in nota), distinctio praedestinationis secundum intentionem et secundum executionem fit an tum in mente nostra, in Deo autem intentio et executio est unus idemque simplicissimus voluntatis actus. Praeterea omnes admittimus, prædestinationem ad primam gratiam non cadere sub meritum, quia nemo in tempore gratiam meretur. Ast si prima gratia per merita obtinenda esset, Deus non decerneret ab aeterno illam dare, nisi propter meritum. Ergo a pari, quia gloria aeterna obtinenda est per merita, Deus ab aeterno non decernit illam dare nisi propter merita. Denique theologi omnes inferunt, reprobationem positivam ab aeterno fieri ex praevisis peccatis, quia fit in tempore propter peccata. Ergo a pari dicendum est, praedestinationem ad gloriam ab aeterno fieri ex praevisis meritis, quia gloria in tempore datur propter merita.

4. Petrus cum ex speciali revelatione didicisset, ad fidei salutem etiam Gentes vocari, dixit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur iustitiam, acceptus est illi* (1). Acceptor personarum dicitur, qui in distributione dignitatum et beneficiorum non ad merita respicit, sed merum suum arbitrium sequitur. Certum quidem est, quod Deus liberrimus et undequaque independens iustitiam distributivam laedere nequaquam possit (§ 48), et quod omnia bona et optima sint, quae Deus vult (§ 49 etc.). At hic non quaeritur quid Deus decernere et efficere *possit*, sed quid decernere et efficere velit. Revelatio autem nobis actualem Dei voluntatem et ordinationem manifestat: negatur nempe tum in verbis Petri, tum alibi (2) quod Deus sit acceptor personarum, et ideo negatur, quod Deus, dum agitur de salute hominum, merum arbitrium sequatur, et ad merita non respiciat. Non potest id quidem de prima gratia intelligi, quam nemo promereri potest, et quae ideo sine respectu ad merita conceditur. Necessario ergo dicitur, in citatis S. Scripturae locis negari, quod Deus in decretis, gratiarum secundarum distributionem et aeternae gloriae collationem concernentibus, ad merita non respiciat. Neque dicere licet, quod haec solum ad praedestinationem secundum executionem referantur. Nam acceptio personarum affectum cordis designat, qui distributionem beneficiorum praecedere, et huius causa motrix esse solet. Vere ergo in citatis Scripturae locis negatur, praedestinationem secundum intentionem sine respectu ad merita fieri.

5. Quoniam Deus *universa propter semetipsum*, id est propter honorem suum et gloriam *operatus est*, etiam circa praedestinationem hominum ad salutem aeternam ea sententia praeferenda est, in qua infinitae Dei perfectiones clarius manifestantur. Sed in nostra sententia clarissime elucet *Omnipotentia Dei*, quae per gratiam Redemptoris effecit, ut omnes homines, quamvis per labem originalem corrupti, finem suum consequi possint: elucet *Sapientia Dei*, quae ineffabili modo per gratiam ita operatur, ut liberum hominis arbitrium non tollatur, nec minuatur, et ut proinde salus hominis aeterna tum a gratia, tum a libero arbitrio dependeat, et tum gratiae, tum libero arbitrio adscribenda sit: elucet *Sanctitas Dei*, quae non solum omnes homines ad perfectam moralitatem obligat, sed etiam omnes per sanctissima praecepta, per efficacissima media et per fortissima motiva ad illam perducere satagit: elucet *Bonitas*

(1) Act. 10, 34, etc.

(2) Rom. 2, 11; Eph. 6, 9; Coloss. 3, 25.

et Misericordia Dei, quae neminem vult perire, et omnibus talia media suppeditat, quibus salutem suam consequi possint: elucet *Iustitia Dei*, quae reddit unicuique secundum opera eius (1); iis, qui merita sibi compararunt, vitam aeternam tribuit, illis vero supplicia aeterna infligit, qui gratiis quas habuerunt, restiterunt, praecepta quae observare poterant, violarunt, bona opera quae perficere poterant, neglexerunt, et peccata quae fugere poterant, perpetrarunt, et qui propterea omnino inexcusabiles, ac gravissima poena digni existunt. In sententia autem adversariorum haec eadem attributa non tam clare splendescunt, sed potius obscurari videntur, cum dicitur, Deum non omnes homines velle salvos fieri, et non omnibus talia auxilia praeparasse, quibus perfectam moralitatem et felicitatem consequi possint: divino praedestinationis decreto, sine respectu ad merita concepto, et ad aliquos tantum restricto, adscribendum esse videtur, cur multi sint vocati, pauci vero electi: imo gratiarum defectus reprobis excusationem quamdam delictorum suorum afferre videtur.

6. Cum Christus omnes homines ad perfectam moralitatem, seu ad sanctitatem obliget (2), ac propterea contestatus sit, se ad ignem charitatis accendendum in terram venisse (3), dubitari profecto non potest, quin omnia doctrinae christianae capita ita comparata sint, ut in fidelibus sanctitatem promoveant. Quamobrem illam de praedestinatione sententiam veritati magis conformem iudicare debemus; quae aptior est ad homines ad sanctitatem excitandos. Satis autem manifestum est, hoc de nostra sententia dicendum esse. In confesso enim est apud omnes, ad moralem perfectionem promovendam utilissimum esse, ut homines intime persuasi sint, se ad Deo serviendum, et ad summo Bono in aeternum fruendum creatos esse, et ut nobilissimum hunc finem perpetuo ante oculos habeant, et serio in corde meditentur. Vere autem, admissa praedestinatione post praevisa merita, quilibet homo sine exceptione rectissime apud se cogitat: sicut certum est, quod Deo servire debeam, ita certum est, quod hoc praestans in aeternum salvus fiam; nec ad hoc praestandum gratiae mihi desunt, quae me praeveniunt, et quarum augmentum per orationem et alia media obtinere possum, et ideo, dummodo ipsemet serio velim, gratia adiutus peccata fugiam, merita mihi comparabo, et salutem aeternam consequar. Quis negabit, homines cogitationibus istis ad vitam sancte instituendam efficaciter impelli? — E contra, admissa praedestinatione ante praevisa merita ad paucos restricta, quis sibi persuadebit, se in felicissimo istorum numero contineri, et se vere creatum esse ad Deo in aeternum fruendum? Quis non timebit, sibi gratias praeparatas non esse, quibus bonum constanter perficiat, et in bono usque in finem perseveret, seque ideo certe in peccatum grave ruiturum, in hoc tristi statu obiturum, et in aeternum periturum esse? — Cogitationes tales absque dubio cor perturbant, et spem labefactant in eo, qui se praedestinatum esse non arbitratur. Ille autem, qui se absoluto decreto praedestinatum esse confidit, facile putabit, se, qualemcunque vitam agat, certo conversionis gratiam ab intrinseco efficacem obtenturum, post adeptam iustificationem obiturum, et gloriam aeter-

(1) Rom. 2, 6, etc. (2) Matth. 5, 48; 22, 37; Luc. 1, 75; Ephes. 1, 4; I Petr. 1, 16.

(3) Luc. 12, 49.

nam consecuturum esse. Desperatio autem et praesumptio duo mala sunt, quae moralitati maxime adversantur.

7. Ultima ratio theologica petitur ex iis, quae dicenda sunt capite sequenti, ubi ostendetur, Deum omnes homines velle salvos fieri, atque ideo neque positive, neque negative aliquem reprobari, nisi propter peccatum mortale, et decretum reprobationis hypotheticum esse. Ex hoc vero recte infertur, decretum quoque praedestinationis hypotheticum esse, quoniam quilibet praedestinatus est, quem Deus praenoscit obiturum immunem a peccato mortali.

Nota. Rationibus theologicis, iis praecipue, quae ab inconvenientibus petuntur, adversarii duas opponunt responsiones, quas affert cl. *Billuart* (1) dicens: « *Prima* est, mysteria fidei nostrae, in quorum numero reponenda est praedestinatio, non esse aestimanda ex ratiunculis mentis humanae, sed ex revelatione divina, cui submitti debet ratio. Quapropter explicanda est praedestinatio eo modo, qui magis congruit S. Scripturae et traditioni; quod si quaedam obiiciat ratio, explicanda sunt; quod si non ita clare fieri potest, id non rebus, sed nostrae tarditati imputandum. Unde si praedestinationis gratuitae concordiam cum aliis certis, puta, cum arbitrii libertate satis capere non possemus, firmiter tamen tenendum foret, haec inter se necti, sed nexum esse nobis impervium, exemplo Apostoli, qui cum praedestinationem gratuitam aperte docuisset, et obiecisset sibi quae hic nobis obiiciuntur, non eam tamen ideo emendat aut emollit, sed recurrit ad inscrutabilia iudicia Dei, et obiicientem admonet suae tenuitatis: *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo?* — *Secunda* responsio generalis est, haec omnia ferme inconvenientia fuisse obiecta *Augustino* a *Semipelagianis:* unde inferunt, eandem esse *Augustini* et *Thomistarum* doctrinam, nec propter eas esse recedendum a sententia praedestinationis gratuitae, quam his non obstantibus usque ad mortem defendit *S. Augustinus.* » — Sed has responsiones generales refellere haud arduum est. Admittimus enim, revelationi divinae certae, et ab Ecclesia declaratae submittendam esse rationem, et mysteria religionis credenda esse, quamvis a nobis quoad nexum intrinsecum non intelligantur. At sicut adversarii sententiam nostram neutiquam ut haereticam condemnare, ita sententiam suam nullo modo ut certo revelatam, et de fide credendam proponere possunt. Male ergo arguunt, dum dicunt, sententiam de mere gratuita praedestinatione ad gloriam inadaequate sumptam, sicut mysteria fidei, non obstantibus difficultatibus credendam esse. Mysteria fidei rationem quidem superant, sed rationi non repugnant, sicut praefata sententia certis veritatibus, ex. gr., voluntati Dei salvandi omnes, meritis et charitati Christi pro omnibus mortui, destinationi, et libertati hominum etc., repugnare videtur. Dicunt quidem, sententiam suam magis congruere S. Scripturae et traditioni; sed ex dictis contrarium elucet. Apostolum Rom. cap. IX et XI, non de praedestinatione ad gloriam, sed de praedestinatione ad gratiam, seu de gratia vocationis loqui, iam probatum est (§ 724 in not.). De eadem gratia vocationis et perseverantiae loquitur *S. Augustinus*, aut saltem de praedestinatione completa et adaequata (§ 725, nota 1). Praedestinationem autem ad gratiam mere gratuitam esse, a liberrima voluntate Dei de-

(1) De Deo Diss. 9, art. 5, § 5.

pendere, et ideo a nobis comprehendi non posse, omnes admittimus. Adversarii vero potius praedestinationem ad gloriam inadaequate sumptam difficultatibus involvunt; sed praedestinationem ad gratiam et perseverantiam comprehensibilem reddunt. Admisso enim absoluto praedestinationis decreto, facile declaratur, cur uni, non vero alteri donum perseverantiae detur? Ratio manifesta est, quia ille, non vero iste praedestinatus fuit: in qua responsione a S. *Augustino* recedunt, qui lib. de dono pers. (cap. 9) non ita respondet, sed ignorantiam suam fatetur, et ad inscrutabilia iudicia Dei recurrit. Hinc patet magna differentia inter difficultates motas a *Semipelagianis* contro doctrinam S. *Augustini*, et motas contra sententiam adversariorum: illae enim gratiam vocationis et perseverantiae concernebant, istae praedestinationem ad gloriam inadaequate sumptam attingunt. Ambae igitur responsiones generales adversariorum rationes nostras theologicas non enervant; quae autem singillatim respondent ad easdem, petuntur a principiis iam satis superque in hoc tractatu refutatis.

ARTICULUS V.

De effectibus praedestinationis.

§ 731. Effectus praedestinationis est id omne, quod virtute praedestinationis factae Deus ex speciali affectu confert electo, ut eum ad gloriam perducat. Unde ad effectum praedestinationis tres requiruntur conditiones: *prima*, ut talis effectus sit a Deo, quemadmodum ipsa praedestinatio formaliter sumpta est a Deo: *secunda*, ut detur ex meritis Christi; nam Ephes. I, 4 etc. Deus *elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem*, — *praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*: et Act. IV, 12: *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: tertia*, ut certissime ad ipsius gloriae consecutionem conducat sive formaliter, sive dispositive, sive etiam occasionaliter. De tribus potissimum hic a theologis quaestio moveri solet, an sint praedestinationis effectus, nempe *de bonis supernaturalibus*, *de bonis naturalibus*, et *de permissione peccati*.

1. *Bona supernaturalia*, quae a Deo intuitu meritorum Christi electis tribuuntur, ut salutem suam certo operentur, *S. Augustinus* de praed. Ss. cap. 10, comprehendit sub uno nomine *gratiae*, inquiens: «Gratia est ipsius praedestinationis effectus.» Communiter tamen theologi solent tres eiusdem praedestinationis effectus proprios distinguere, scilicet *vocationem*, *iustificationem* et *glorificationem*, iuxta dictum Apostoli: *Quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit* (1). Sub *vocationis* autem nomine omnia illa beneficia veniunt gratiae actualis, quae iustificationem praecedunt, tam externa, quam interna, ut praedicatio Evangelii, miracula, fraterna correctio, bona aliorum exempla, a parentibus christianis ortus et educatio, lumina, inspirationes, pii credulitatis affectus, ipsa fides, sanctae cogitationes, et alia huius generis, quibus homines a Deo electi excitantur, et ad consecutionem gratiae sanctificantis perducuntur. Nomine *iustificationis* non solum intelligitur gratia sanctificans, et habitualis, quae in iustificatione infunditur, sed etiam habitus fidei, spei et charitatis atque aliarum vir-

(1) Rom. 8, 30.

tutum supernaturalium; item dona Spiritus sancti, gratiae sacramentales, et omnia bona opera meritoria vitae aeternae, quae iustificationem consequuntur, potissimum autem finalis perseverantia, sine qua ultimus effectus praedestinationis haberi nequit, scilicet glorificatio. Quamobrem vocatio, et iustificatio sine ultimo perseverantiae dono non sunt propriae iustificationis effectus, cum etiam in reprobis persaepe inveniantur quibus dantur ex generali, sincera et hypothetica, non autem ex efficaci et absoluta voluntate eos salvandi. *Glorificatio* demum significat aeternam electorum felicitatem, ad quam revocantur omnia dona gloriae accidentalis, quae vel animam, vel corpus respiciunt, et ab illa benevolentia proveniunt, qua Deus electos dilexit ob merita, et per quam tot et tanta suae largitatis dona ipsis praeparavit. — Et haec quidem sine controversia generatim in scholis docentur. Dissentiunt autem theologi, dum quaeritur, an *bonus usus gratiae*, qui a nostro libero arbitrio dependet, in recensitis praedestinationis effectibus numerari debeat? — *Augustiniani* et *Thomistae* etiam bonum usum gratiae, et liberi arbitrii consensum inter praedestinationis effectus numerant, quia ipsae gratiae ab intrinseco efficaces, quae electis dantur, praefatum consensum producunt. *Congruistae* gratiam quidem ab extrinseco efficacem admittunt; sed eam electis in circumstantiis congruis conferri dicunt, in quibus a Deo consensuri praevidentur: unde in istis quoque liber eorum consensus, si non immediate, saltem mediate ab eorundem praedestinatione repetendus est. *Molinistae* vero aliter sentiunt qui gratiae efficaciam, vel ineffaciam a consensu liberi arbitrii dati, aut negati repetunt. Fatentur quidem, quod consensus eatenus praedestinationi adscribi possit, quatenus haec est causa gratiae benigne a Deo concessae, qua negata consensus sequi non posset; nullatenus autem admittunt, quod iste consensus, quem homo praestare potest, semper praedestinationis virtute sequatur. Aiunt enim, Deum omnibus adultis gratias sufficientes, quibus salutem operentur, benigne concedere, eumque illos praedestinare, quos praevidet gratiae consensuros, et merita sibi comparaturos; illos vero reprobare, quos praevidet gratiis abusuros, et in peccatis decessuros: ex quo inferunt, bonum gratiae usum cum meritis inde prodeuntibus causam potius, quam effectum praedestinationis dicendum esse. Qui autem systematum synthesin (§ 435) admittunt, recte distinctionem ineunt, et dicunt, bonum usum gratiae, seu liberi arbitrii consensum quandoque causam et quandoque effectum praedestinationis dici posse; causam quidem, cum a Deo gratiae ab extrinseco efficaces conferuntur; effectum vero, cum per orationem aliaque bona opera gratiae ab intrinseco efficaces obtinentur, et ipsum donum perseverantiae impetratur, a quo maxime aeterna salus dependet.

2. Inter *bona naturalia* ea dumtaxat sunt, et dici possunt effectus praedestinationis, quae ex speciali Dei providentia, et amore ad vitam aeternam ordinantur. Bona ergo temporalia a Deo concessa non sunt effectus praedestinationis proprie tales, sed veluti *per accidens:* quia nempe, quamquam ex natura sua non tendant in hominum electorum salutem, iisdem tamen utitur Deus ad eorum utilitatem. Huiusmodi sunt bona naturalia, ut bona indoles, tempera-

mentum moderatum, ingenium docile, intelligendi facilitas, aliaque id genus; non quasi haec aliquam afferant dispositionem ad gratiam, quae est ordinis supernaturalis, sed quia obices plerumque removent et ita *per accidens* ad salutem electorum conferunt. Idem dicendum est de bonis fortunae, de honoribus, de bona valetudine et aliis adiunctis, quae pro electis occasiones sunt, et media bonorum operum ac meritorum. Unde Apostolus ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti* (1). Et S. *Thomas* (2) docet, bona temporalia « directe et simpliciter cadere sub merito, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam aeternam: » et haec ipsa bona temporalia, quae a Deo petuntur, dicit (3), respici a spe « secundario in ordine ad beatitudinem. » — Saepe etiam bona naturalia a Deo negata, seu mala tum naturae, tum poenae, quibus ex speciali Dei providentia electis praebetur occasio meritorum, sunt pariter per accidens effectus eorundem praedestinationis; ipsis enim dicebat Apostolus: *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* (4). Et de his nulla controversia moveri solet, quamvis etiam in istorum praedestinationis effectuum consideratione et explicatione theologi non consentiant. Certum enim est, quod salus hominis spiritualis tunc tantum promoveatur per bona temporalia, si haec bene adhibeantur, et adversitates, si patienter tolerentur: ad utrumque autem gratia divina opus est, et consequenter prior dissensio renovatur. Qui enim praedestinationem ante praevisa merita propugnant, dicunt, Deum per gratias ab intrinseco efficaces in electis efficere, ut praefatis adiunctis, bene utantur, et salutem suam certo operentur. Qui autem praedestinationem post praevisa merita defendunt, dicunt, quod Deus, sicut vult omnes homines salvos fieri, ita *omnia suaviter disponat*, bona, et mala temporalia quoad omnes homines sapientissime ordinet, et ad eorum salutem dirigat, gratiasque sufficientes concedat, quibus non resistentes, sed consentientes in praefatis adiunctis salutem suam promovere possint; unde et Paulus testatur, *diligentibus Deum omnia in bonum cooperari;* ex quo inferre licet, quod, sicut quilibet Deum perfecte diligere debet et potest, ita etiam quilibet hoc assequi possit, ut ipsi omnia in bonum cooperentur. Nullatenus autem ideo negatur, quod Deus hincinde pro infinita sua sapientia, omnipotentia et bonitate in variis adiunctis, praecipue in tribulationibus per gratias ab intrinseco efficaces ita hominem afficiat, et consensum ipsius producat, ut eiusdem conversio certissime perficiatur, et salus promoveatur, quod quidem in Apostolo Paulo, latrone in cruce, aliisque evenisse cernimus. Miracula autem gratiae, sicut miracula naturae, pro regula generali statui nequeunt.

3. Quaestio etiam movetur a theologis *de malis culpae*, non quidem an peccata, in quae electi quandoque delabuntur, sint praedestinationis effectus; certum enim est, Deum non esse peccati auctorem: sed *de ipsa permissione peccati*, quae a Deo est, an scilicet ista dici possit praedestinationis effectus, quando electi maiori cum virtutum incremento a peccatis resurgunt. Et quidem communis est Ss. Patrum vox, infinita Dei bonitate aliquando fieri, ut electi in

(1) Rom. 8, 28. (2) 1 2, q. ult., art. ult. (3) 2 2, q. 17, art. 2 ad 2. (4) Phil. 1, 2.

peccata lapsi magis infirmitatem suam cognoscant, atque inde magis humilientur, de seipsis diffidant, confidant in Deum, poenitentiam agant, bonis operibus fervidius incumbant. Ita *S. Basilius* in Regul. brev. (1) dicit: « Id quoque scire operae pretium est, contingere saepe piorum delicta, divina providentia ita disponente ad eorum utilitatem. Deus enim labi eos aliquando permittit ad sanandam priorem quamdam animi elationem, quale est, quod a Petro dictum est, et in eo ipso obtigit. » *S. Ambrosius* (2) ait: « Sancti, sicubi forte ut homines corruerint, naturae magis fragilitate quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse aestimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. » *S. Augustinus* (3) scribit: «Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando praesumpsit. Hoc dicit et sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, et quaerent *nomen tuum, Domine:* id est, ut tu eis placeas quaerentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt, quaerendo suum. » Ex his aliisque similibus Ss. Patrum locutionibus, quae frequenter occurrunt, colligunt theologi bene multi, permissionem peccati in electis esse effectum praedestinationis, non quidem secundum se, sed *occasionaliter* seu prout est occasio maiorum bonorum. Verum pius et doctus *Contensonius* (4) recte observans, peccatum neque a Deo esse, neque ad vitam aeternam ordinari, negat, peccati permissionem inter beneficia, seu effectus praedestinationis recenseri posse, bene vero, « bonum usum, seu fructum, qui ex lapsu in peccatum elicitur, esse praedestinationis effectum, quatenus praedestinati efficiuntur ex casu humiliores, cautiores, ferventiores, orationis studiosiores, et propriae infirmitatis magis conscii... Et sane, subtractio gratiae, prout se tenet ex parte hominis, non est beneficium Dei, sed poena et ultio: non est etiam per Christum; neque enim Christus mortuus est, ut gratia careremus, sed ut eam ex eius plenitudine hauriremus; non conducit etiam per se ad gloriam sed potius divertit. Sed omnis effectus praedestinationis est beneficium Dei speciale; praedestinatio enim est praeparatio beneficiorum: est etiam per Christum, in quo nos elegit ante mundi constitutionem: perducit etiam ad vitam aeternam: ergo haec subtractio gratiae non est effectus praedestinationis, sed providentiae generalis, ad cuius supremum regimen pertinet aliqua mala in universo permittere. Unde relinquitur, solum bonum usum lapsuum, et quotidianarum culparum esse effectum praedestinationis; unde et illum bonum usum a Deo petere possumus. Non tamen possumus ab eo petere, ut permittat nos cadere in peccata etiam sub conditione, quod sint idonea ad nostrum profectum, ut quidam haud recte dixit: si enim non sunt facienda mala ut veniant bona, qua ratione petere possumus, ut veniant mala sub aliqua spe boni? Absit huiusmodi petitio, quae sane non habetur in Oratione dominica, in qua potius rogamus: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* » His ra-

(1) Inter. 81. (2) Apol. 1 de David, c. 2.
(3) Lib. 14 de Civ. Dei, c. 13
(4) Lib. 2, Diss. 6, c. 1.

tionibus alii contradicunt: sed res tanti non videtur esse momenti, ut in ea diutius debeamus immorari: et fortasse tota controversia de verbis potius, quam de re ipsa agitatur.

Usus doctrinae de praedestinatione.

§ 732. 1. Ex dictis patet, duas de qualitate decreti praedestinationis, seu de huius causa morali inter theologos vigere sententias, quarum utraque catholice defendi potest. In utraque autem sententia verissimum est, consilia Dei incomprehensibilia esse et investigabiles vias eius, neminemque mortalium praedestinationis mysterium perspicere posse. Qualis autem inde usus practicus eruendus sit, optime docet cl. *Bernardinus a Piconio* in triplici Expos. Ep. Pauli etc. (1) scribens: « In hac veritatis absconsione quid faciendum? 1° Deum veritatis fontem humiliter adoro: 2° meam in divinis ignorantiam sincerus agnosco; 3° Scripturarum divinarum profunditatem cum sancto tremore, et fremitu aspicio. Denique infinitam Dei sapientiam, in eis praedestinationis mysterium nobis ita manifestantem, ut et illud occultet, admirans revereor, huicque Dei consilio infinite sapienti me subiiciens, sacram et divinam praedestinationis caliginem trepidus adoro, temerarius perscrutari non praesumo. Cavebo igitur maxime, ne, quod Deus voluit nobis absconditum, curiosior penetrare velim, et quod nobis manifestum esse voluit, piger et otiosus negligam. Hodie quamplurimi de arcano praedestinationis mysterio acriter disputant, quasi tota salus in huius mysterii cognitione consistat; penetrare volunt, imo se penetrasse putant, quod Deus voluit cunctis mortalibus impenetrabile. Sed heu! toti huic curiosae impenetrabilis praedestinationis investigationi dediti nota sibi praedestinatorum opera supini negligunt; de Dei negotio curantes, suum non curant. Duo sunt in praedestinationis mysterio distinguenda: unum quod proprium Dei negotium est, homines nimirum ab aeterno praedestinare; alterum, quod hominum est negotium, bona scilicet praedestinatorum opera facere, malum fugere, bonum operari. — Quid fit ab hominibus? Satagunt quod Dei est; negligunt quod suum est: sollicite et anxie student, quomodo nos Deus praedestinet, ante, an post praevisa merita; et haec ipsa meritorum opera, sine quibus nemo praedestinatus est, peragere non curant. Utinam ego praedestinati faciam opera, malum fugiam, bonum operer! Caetera divinae sapientiae et bonitati remitto. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* etc. *Diligam ergo te, Domine! Diligam te Deus fortitudo mea; refugium meum, susceptor meus, adiutor meus, tota spes mea! In manibus tuis sortes meae:* tantum te diligam. »

2. Non raro iustae quoque et piae animae internis torquentur timoribus, dum reflectunt, decreta divina, salutem hominum respicientia, immutabilia, nobis autem incognita esse. Anxie idcirco hincinde quaerunt, an praedestinati sint, necne? — Imo malignus spiritus iisdem quandoque suggerit, ipsos, quomodocumque vivant, infallibiliter salvandos fore, si praedestinati sunt; secus vero omnes eorum conatus irritos fore, quia certo in peccatum grave lapsuri, et in eo perituri sunt. Qua ratione autem talis tentatio vincenda sit, praeclare docet *Ludovicus Argentaniensis* in consultationibus theolog. et spir. (2) de praedestinatione, ubi inter alia

(1) In observ. morali ad Rom. 8, v. 28, etc.

(2) P. 1 de excellentiis Dei, consult. 17, a. 1.

dicit, tentatori, ex immutabilitate decretorum divinorum tam pestiferam consequentiam inferenti, respondendum esse: Si ita est « quare ergo dixit Deus in propheta Ezechiele: *Etiam si dixero iusto, quod vita vivat* (vita nempe aeterna, quod idem est ac dicere: tu es praedestinatus), *et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius oblivioni tradentur, et in iniquitate, quam operatus est, in ipsa morietur* (1). Et ibidem adiungit: *Si autem dixero impio: morte morieris* (id est, morte aeterna, quod idem est ac dicere : tu es reprobatus), *et egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque iudicium, et iustitiam... vita vivet, et non morietur* (2). Ah! quomodo hoc dicis, Domine, cum aeterna tua decreta prorsus immutabilia, et omnia tua verba ipsissima veritas sint? Imo alibi per Ierem. Deus dicit: *Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi, ut facerem ei* (3). Nonne expresse dixerat Ninivitis, quod ipsorum civitas intra quadraginta dies sit subvertenda? Et nihilominus, quia poenitentiam egit, conservata fuit. Nonne dixit regi Ezechiae, quod intra paucos dies sit moriturus? Et nihilominus, quia ex contrito lacrymatus est corde, vixit adhuc quindecim annis. Dicamus ergo quidquid voluerimus, de immutabilitate decretorum Dei; concedamus quoque, infinite vera esse omnia ipsius verba: ipse tamen novit mutare sententiam suam, si nos mutamus vitam nostram : quod est oraculum S. *Ambrosii* certissimum (4) dicentis: *Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Quidquid ergo sit de aeternis Dei decretis, quae adoro, quin ea perspiciam; quidquid mihi dici possit de praedestinatione, vel reprobatione mea; quando etiam Angelus de coelo loqueretur mihi, vel Deus ipse proprio ore mihi diceret: Tu vives in aeternum, quia iustus es; certissimus tamen sum, quod, si lapsus fuero in peccatum, et in illo usque in finem perseveravero, aeterna sim morte periturus; nam Deus bene noverit mutare sententiam, si vitae meae mutavero rationem. Et quando expresse mihi diceret: Tu morieris in aeternum, quia peccator es: semper tamen certissimus sum, quod si egero poenitentiam, et perseveravero in abominatione peccatorum meorum usque in finem, salvandus sim. Deus enim noverit suam mutare sententiam, si noverim ego mutare vitam. — Nec terrorem mihi unquam incutiet, nec temerariam in me securitatem progignet fallax ille discursus: Si praedestinatus sum, salvus ero, quidquid contigerit; et si reprobatus sum, damnabor, quidquid fecero, quia immutabilia sunt decreta Dei. Nihil ex hoc concludam, quia nescio, quale sit de me decretum divinum. Sed ecce fundamentum, cui innitar, et quod maximam securitatem praebet: Si egero poenitentiam, et servavero mandata Dei, salvus ero. Hic est articulus fidei, de quo magis dubitare non possum, quam de eo, quod existit Deus. Certum pariter est, quod si voluero, possim poenitentiam agere, et observare mandata Dei, quia gratia ipsius mihi nunquam deest, nec pro uno, nec pro altero; et hic quoque est articulus fidei eiusdem cum priori certitudinis. Ergo conclusio est infallibilis: *Si voluero salvabor.* Quid perturbabo me ob decreta divina, quae incognita mihi sunt? Ego nonnisi huic veritati secu-

(1) Cap. 33, v. 13. (2) V. 14. (3) Ierem. 18, 8. (4) Lib. 2 in Luc.

rus debeo inniti, quae luculenter cognita mihi, et certissima est: *Si voluero salvabor!* Siquidem, si voluero, omnia illa perficere possum, quae Deus me iubet facere ad vitam aeternam promerendam. Nolo autem per haec dicere, quod nonnisi a sola voluntate mea dependeat salus; novi enim, quod praecipue dependeat ab adoranda voluntate Dei: sed certus sum, quod ipse salutem meam velit; certus sum, quod non ob alium finem traxerit ex nihilo, nisi ut mihi fruitionem sui largiatur aeternam, et quandoquidem hunc finem mihi vult voluntate vera; vult quoque, et porrigit mihi omnia media ad hunc finem necessaria; nihil ergo amplius requiritur, quam cooperatio voluntatis meae. Et ecce quare tam confidenter dicam, salutem aeternam a me dependere, et quare securus asseram: *Si voluero, salvus ero.* »

3. Magna prudentia opus est, dum in publicis institutionibus de praedestinatione disseritur; et certa ab incertis, seu dogmata ab opinionibus theologorum secernenda sunt, ne auditores perturbentur potius, quam aedificentur. Recte ideo cl. *Klüpfel* inst. theol. dogm. lib. 1, § 51, cum duplicem theologorum de praedestinatione sententiam exposuisset, et utriusque argumenta indigitasset, hoc monitum adiungit: « Quam vero cumque ex his opinionibus adoptaveris; caveas, ne de ea sentias magnificentius, ut in circulis, aut pro concione vendites quasi veritatem indubitatam; neque committas, ut sententia duriore populum turbes, aut doctrinam oppositam superciliose iudices, imprudenterque damnes, laesis prudentiae et charitatis legibus. Praedicandum potius est id, in quo omnes consentiunt, videlicet Deum bonum, optimum esse, condidisse omnes ad felicitatem, neminemque damnaturum immerentem; culpam penes nos residere, si felicitate excidamus. » Ipse *S. Augustinus* (1) magnam cautionem praescribit, cum de praedestinatione disseritur, « quae non ita populis praedicanda est, ut apud imperitam, vel tardioris intelligentiae multitudinem redargui quodammodo ipsa sua praedicatione videatur: sicut redargui videtur et praescientia Dei (quam certe negare non possunt) si dicatur hominibus: Sive curratis, sive dormiatis, quod vos praescivit, qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem, vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit; sed dicendum est: *Sic currite, ut comprehendatis*, atque ut ipso cursu vestro ita vos esse praecognitos noveritis, ut legitime curreretis. » Simili modo vult, ut et de praedestinatione disseratur: et variis prudentiae regulis propositis, dicit, etiam dum gratuitum perseverantiae donum explicatur, addendum esse: « Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam *a Patre luminum*, a quo *descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum* sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a praedestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur..... Faciet vos perseverare in se usque in finem vitae, cui quotidie dicimus: *Et ne nos inferas in tentationem.* »

CAPUT II.

DE REPROBATIONE

§ 733. 1. *Reprobare* vi nominis est reiicere quod menti, vel voluntati oc currit: etenim et falsa reprobamu mente, et mala seu minus bona, e

(1) Lib. de dono persev., c. 22.

fini inutilia reprobamus voluntate. Etiam in S. Scriptura hoc sensu vox reprobationis occurrit, et significat alicuius rei improbae, vel vilis et contemptibilis reiectionem. Sic I Reg. XV, 9 dicitur: *Quidquid vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt;* I Cor. I, 19: *Prudentiam prudentium reprobabo.* Caeterum usu Patrum et theologorum reprobatio specialiter accipitur pro decreto Dei, quo statuit ab aeterno aliquos a vita aeterna excludere et damnare: quo etiam sensu eandem vocem sumit Apostolus I Cor. 9 dicens: *Castigo corpus meum..... ne..... reprobus efficiar.*

2. *Reprobatio*, sensu theologico accepta, a Magistro sententiarum definitur: « Praescientia impietatis quorumdam, et praeparatio damnationis eorumdem » (1) Dicitur *Praescientia impietatis*, ut detur intelligi, quod sicut praedestinatio fit ex praevisis meritis, sic et reprobatio ex praevisis demeritis. Dicitur *impietatis*, per quod intelligitur vel peccatum originale solum, vel actuale solum, vel utrumque simul coniunctum in adultis peccatoribus non baptizatis. Dicitur *praeparatio damnationis eorundem*, per quod intelligitur efficax et absolutum Dei decretum aliquos a gloria excludendi, et ad supplicium aeternum deputandi.

3. *Existere reprobationis decretum*, tam certum est, quam certum est, esse tales, qui a felicitate aeterna excludendi sunt, et miseria aeterna afficiendi, atque quam manifestum est, Deum nihil velle et agere in tempore, quod non ab aeterno decrevit. Dari autem infelicissimos homines, qui a salutis via aberrantes in aeternam perditionem ruunt, Christus ipse declarat dicens: *Lata et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi intrant per eam* (2). Idem testatur, in extremo iudicio damnationis sententiam in quosdam ferendam esse; legitur enim: *Tunc dicet (Filius hominis) his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius* (3). Certum igitur est, Deum in tempore aliquos a gloria aeterna exclusurum, et ad aeterna supplicia damnaturum esse: ergo Deus etiam ab aeterno istorum impietatem praevidit, et damnationem eorundem praeparavit. Hinc *Concil. Valentinum III*, an. 855, can. 3 pronuntiavit: *Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem.* Decreti huius existentia etiam semper ab omnibus admissa, et solum a nonnullis incredulis impugnata fuit, qui falsae philosophiae principiis decepti dixerunt, Deum infinite bonum et misericordem non posse homines quosdam reprobare, atque infelicissimos reddere. Quantum autem a veritate aberrent qui ita sentiunt, patet ex eo, quia iuxta doctrinam rationis et revelationis Deus non solum infinite bonus, sed etiam infinite iustus est (§ 48), et quia finis totius universi non est felicitas hominis (§ 140), quae solummodo per moralitatem obtinetur (§ 202), sed gloria Dei (§ 141), seu manifestatio perfectionum divinarum; Deus autem sicut bonitatem beneficia largiendo, ita iustitiam peccatoribus poenam infligendo manifestat. Neque obsistit decretum reprobationis voluntati Dei, qua *vult omnes homines salvos fieri* (4). Haec enim voluntas Dei non est absoluta, sed hypothetica, conditioni nempe alligata, nisi homines per peccatum salute aeterna se indignos reddant. Voluntas ergo Dei seria ac sincera

(1) Lib. 1 sent. dist. 4. (2) Matth. 7, 13. (3) Matth. 25, 24. (4) I Tim. 2, 4.

salvandi omnes sita est in eo, quod invitet omnes ad agnitionem veritatis, et quod omnibus ad Ecclesiam, ad salutis media, quae praeparavit Christus, pateat via. Quod si vero sunt, qui vocanti obluctentur, neque credant Evangelio, neque legi obediant, respuantque media parata, exhibitaque sibi; eos non salvare, sed reprobare decrevit Deus. Unde perspicuum est stare cum voluntate Dei seria et sincera salvandi omnes, decretum reprobationis hypothethicum. Quam in rem praeclare scribit *S. Augustinus* L. de spir. et lit. (1): « *Vult Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire*, non sic tamen, ut adimat eis liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi insuppliciis potestatem eius, cuius indonis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret, quid se contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. »

4. Reprobatio duo importat, nempe exclusionem a gloria, et inflictionem poenarum aeternarum, quae ex ipsis Christi verbis manifeste inferuntur: prior enim reprobationis pars indigitatur per verba: *Discedite a me maledicti*, posterior vero per additionem, *in ignem aeternum*, per quem horrendae damnatorum poenae significantur. Hinc theologi distinguunt reprobationem *positivam* et *negativam*. Reprobatio positiva est decretum divinum, quo aliqui excluduntur a vita aeterna, et deputantur ad poenas aeternas: haec etiam dicitur *adaequata*. Reprobatio negativa est privatio praedestinationis ad gloriam, seu exclusio ab aeterna beatitudine, sive illa fiat per actum voluntatis divinae positivum, sive non: et haec dici potest reprobatio *inadaequata*. — Magna iam controversia agitatur circa *causam reprobationis positivae et negativae*. Quaeritur enim utrum ex parte hominis sit aliqua causa, quae Deum moveat, ut ipsum reprobet, an vero reprobatio fiat a solo Dei beneplacito, qui aliquos praedestinando alios reiicit vel positive, vel saltem negative? In qua quaestione solvenda, dum de causa reprobationis positivae agitur, omnes Catholici consentiunt, iuxta manifestam divinae revelationis doctrinam decretum reprobationis positivae hypotheticum, scilicet ex praevisis demeritis conceptum esse, asserentes: dantur autem haeretici, qui contrarium sentiunt, sicut praedestinationis, ita et reprobationis decretum absolutum admittunt, statuuntque, sine respectu ad merita aliquos ad malum, et ad aeternam damnationem destinatos esse. Dum vero de causa reprobationis negativae quaeritur, etiam theologi catholici inter se dissentiunt; nam qui praedestinationem post praevisa merita defendunt, unanimi consensu adseverant, negative quoque neminem reprobari nisi propter praevisum peccatum. Qui autem praedestinationem ante praevisa merita propugnant, cohaerenter suo systemati, decretum reprobationis negativae absolutum, sine respectu ad praevisa demerita conceptum, dici posse contendunt: gravius autem aberravit hac in re *Iansenius*, qui reprobationem negativam etiam in hominibus baptizatis a peccato originali repetendam esse dixit. Ut iam errores indigitati

(1) Cap. 33, n. 58.

refellantur, et vera doctrina catholica stabiliatur, agendum est: 1° *de causa reprobationis positivae*, et 2° *de causa reprobationis negativae*.

Nota. Infelicissimi homines, qui a gloria coelesti exclusi aeternis poenis afficiuntur, communiter reprobi dicuntur (1): sed aliis quoque nominibus in S. Scriptura designantur: dicuntur enim *ignoti* iuxta verba stultis virginibus dicta: *Nescio vos* (2), *maledicti* (3), *filii gehennae* (4), *filii perditionis* (5), *haedi* (6), *vasa irae apta in interitum* (7), *olim praescripti in hoc iudicium* (8). — Nonnulli putant, quod reprobi in S. Scriptura etiam nuncupentur *odio habiti*, iuxta illud: *Esau odio habui* (9); *despecti*, secundum verba Ecclesiastes: *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit* (10), *repulsi*, ut Ps. LXXXVII, 5: *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Alii autem solidius asserunt, his denominationibus non semper reprobos designari, quia Deus illos quoque, quibus in rebus temporalibus auxilium denegat, aut bona terrena subtrahit, odio habere vel despicere vel repellere dicitur.

ARTICULUS I.

De causa reprobationis positivae.

§ 734. 1. Qui liberum hominis arbitrium penitus extinctum esse dicunt (§ 406), necessario ex hoc inferunt, in salutis negotio nihil a libera hominis cooperatione, sed omnia a solo Dei beneplacito dependere; et sic prolabuntur in *praedestinatianismum*, seu in gravissimum illorum errorem, qui docent, quod Deus aequa ratione aliquos ad aeternam damnationem praedestinet, sicut aliquos ad aeternam salutem, adeo quidem, ut sola Dei voluntas causa sit, cur alii damnentur, alii salventur. Errorem istum iam saeculo quinto disseminatum fuisse alii affirmant, alii negant. Probabile est, hunc errorem traditum fuisse tum a *Lucido* presbytero, tum saeculo nono a *Godeschalco* Monacho, qui tamen a *Rabano Mauro* et ab *Hincmaro* strenue correptus ad saniora consilia rediisse, et doctrinam suam mitigasse videtur, unde a *S. Remigio* et aliis communioni ecclesiasticae redditus fuit. Certum autem est praedestinatianismum a *Wicleffo*, a *Ioan. Hussio* et a Reformatoribus saeculi decimisexti ex orco revocatum fuisse. *Lutherus* enim, liberum arbitrium extinctum esse dicens, necessario ut verus praedestinatianus est habendus, quamvis ex falso suo principio pessimam hanc consequentiam aut non deduxerit, aut saltem manifeste non pronuntiaverit. *Calvinus* vero principiis suis pressius insistens, aperte affirmavit, Deum tam ad bonum quam ad malum, tam ad vitam aeternam quam ad damnationem aeternam ineluctabili necessitate praedestinare. Nam. lib. 3 instit.(11) scribit: « Homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in aeternam mortem praedestinantur: » Ibid.(12): «Ubicumque regnat hoc Dei placitum, nulla in consideratione veniunt opera: » atque (§ 11): « Si non possumus rationem reddere, cur Deus suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam eius voluntatem. Cum enim Deus dicitur vel indurare, vel misericordia prosequi quem voluerit, eo admonentur homines nihil causae quaerere extra eius voluntatem. » Ex eodem

(1) I Cor. 9, 27. (2) Matth. 25, 12
(3) Matth. 25, 41. (4) Matth. 23, 15.
(5) Io. 17, 12. (6) Matth. 25, 32.
(7) Rom. 9, 22. (8) In Epist. Iudae, v. 4.
(9) Rom. 9, 13. (10) C. 7, v. 14.
(11) C. 13, § 2. (12) C. 22, § 3.

principio deducit, Deum impellere ac necessitare reprobos ad peccandum; ait enim lib. 1 eorund. Instit. (1): «Homo iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet: » et lib. 3 (2): « Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem, praesertim cum ex Dei ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas.» Hinc Deum peccati auctorem dicere non veretur ibid. (3). Addit quoque Deum reprobos misere decipere ac illudere, simulando, velle se illos adiuvare, cum tamen velit illos perdere; inquit enim (4): « Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis absordescant, lumen accendit, sed ut reddantur caeciores; doctrinam profert, sed qua magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur. » Dura quidem ipsi Calvino haec sententia visa est; non tamen ab ea proferenda et propugnanda abstinuit; etenim scribit (5): « Decretum quidem horribile fateor; inficiari tamen non poterit, quin praesciverit Deus, quem exitum habiturus esset homo, antequam ipsum conderet, et ideo praesciverit quia decreto suo sic ordinarat. » Eandem duram sententiam propugnarunt *Theodorus Beza*, *Bucerus*, *Petrus Martyr* et alii Calvini sectatores; nonnulli autem doctrinam magistri sui mitigare studuerunt. Omnes scilicet Calviniani absolutam reprobationem non tantum negativam, sed et positivam adstruebant contendentes, Deum certos homines ante praevisa eorum mala merita non solum ab aeterna felicitate excludere, sed etiam poenis positivis addicere velle; sed in eo non inter omnes conveniebat, utrum Deus ante lapsum protoparentum praevisum, an vero post huius praevisionem illud decreverit. Illi, qui prius statuebant, *antelapsarii*, qui posterius, *post* vel *superlapsarii* dicti sunt. Notandum vero est, quod ipse *Calvinus* non semper sibi constiterit, prout haeriticis omnibus mos est; nam in antidoto *Conc. Trid.*, et in libris contra Pighium videtur in peccato originali tanquam in causam reiicere hominum, etiam fidelium, reprobationem, peccandi necessitatem, et alia supra recensita. Huic posteriori sententiae subscribunt plerique recentiores Calvinistae, qui doctrinam antesignani sui quovis modo mitigare satagunt.

2. Iuxta doctrinam catholicam decretum reprobationis positivae est hypotheticum ex praevisione peccati conceptum: *Deus enim nullum positive reprobat, ac poenis addicit ante praevisionem peccati.* Haec propositio est de fide, et probatur ex *S. Scriptura*, ex *traditione* et *rationibus theologicis*.

Nota. Si quaevis doctrina eo maioris momenti est, quo magis per eam gloria Dei et hominum moralitas promoventur; summi profecto momenti est, ut impia Calvini doctrina, per quam perfectiones Dei maxime obscurantur, et moralitas hominum aut per praesumptionem, si se praedestinatos putant, aut per desperationem, si se reprobatos autumant, penitus labefactatur, solide confutetur, et ut doctrina catholica, per quam bonitas, iustitia, et aliae perfectiones Dei manifestantur, hominesque spe aeternae salutis ad moralitatem excitantur, invictis argumentis probetur.

I. *Argumentum ex S. Scriptura petitum.*

§ 735. S. Scriptura plurima testimonia refert, quae invicte probant,

(1) C. 18, § 4. (2) C. 23, n. 9.
(3) Lib. 1 Inst., c. 13, § 3.
(4) Lib. 3 Inst., c. 24, § 13.
(5) Lib. 3 Inst., c. 23, § 7.

Deum nullum positive reprobare ac poenis aeternis addicere ante praevisionem peccati. S. Scriptura enim clarissime testatur, quod Deus velit omnes homines salvos fieri, quod neminem velit perire, non mortem, sed poenitentiam peccatoris desiderans, et quod propter peccata tantum damnationis sententiam ferat.

1. Paulus I Tim. II, 4, conceptis verbis docet, Deum velle omnes homines salvos fieri; loquitur enim de Deo, *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Vera ergo et sincera in Deo voluntas est omnes homines salvandi: voluntas autem haec divina non est absoluta, quia teste Revelatione non omnes salvantur; ergo est hypothetica, conditioni nempe alligata, nisi homines per peccatum salute aeterna se indignos reddant. Deus igitur voluntate antecedenti vult omnes homines salvos fieri, et voluntate tantum consequenti, eos, qui per peccatum salute aeterna indigni facti sunt, vult reprobare et aeternis poenis addicere. Si autem Deus ante praevisionem peccati decreto absoluto aliquos reprobaret et aeternis poenis addiceret, Deus nec voluntate antecedenti, nec voluntate consequenti eorum salutem vellet; et ideo sententia Pauli manifeste falsa esset, quia decretum reprobationis absolutum voluntatem salvandi penitus excludit. Sententia ergo Calvini S. Scripturae apertissime adversatur. — Negari quidem non potest, quod vox *omnes* hincinde non singula alicuius multitudinis individua, sed magnam dumtaxat eius partem significet, ut *Omnis caro corruperat viam suam* (1): *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* (2): *Omnes populi, tribus et linguae adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex* (3). Certum tamen est, per vocem *omnes* vere et proprie singula alicuius multitudinis individua intelligi, ut ex. gr., dum Rom. V, 12 dicitur: *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Eodem autem sensu in citato textu I Tim. II, 4, vocem *omnes* accipiendam esse, et per *omnes homines* vere ac proprie omnes ac singulos, nemine excepto, intelligi, gravissima argumenta probant. Nam *a*) id probatur ex verbis immediate praecedentibus; dixerat enim Apostolus (v. 1 etc.): *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus..... hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire:* in quae verba ita disserit *Bernardinus a Piconio* (Tripl. exposit.): « Attendo Apostoli scopum, et sermonis contextum. Primo, asseruit, pro omnibus orandum esse. Haec propositio universalis est et nullam prorsus suscipit exceptionem; nec enim nobis fas est, quemquam ab orationibus nostris excludere; hoc fatetur etiam *Estius.* Secundo, ut hanc propositionem universalem probet Apostolus, seu ut nos ad illam in praxin redigendam excitet, id est, ut nos excitet ad orandum pro omnibus, affirmat talem orationem bonam esse et Deo gratam. Tertio, hoc ipsum, scilicet orari pro omnibus, pulcrum et gratum esse Deo, probat ex eo, quod Deus salvator noster *vult omnes homines salvos fieri*, et propterea vult, ut ad veritatis cognitionem veniant. Affirmans autem Apostolus, quod *Deus vult omnes homines salvos fieri*, nobis concludendum relinquit, quod

(1) Gen. 6, 12 (2) Ps. 13, 3. (3) Dan. 3, 7.

cum Deum oramus pro omnium hominum salute, divinae tunc conformamur voluntati, quod Deo gratum et acceptum est. His omnibus serio et sincere attentis sic ratiocinor: Si accurate loquitur Apostolus, sique recte probat (quod in dubium revocare nefas), tam late et universaliter sumit in v. 4 *omnes homines*, quam in v. 1 late et universaliter sumpsit *pro omnibus hominibus;* ideo enim vult Apostolus *pro omnibus hominibus* orari a fidelibus, quia *Deus vult omnes homines salvari.* Sicut ergo pro omnibus prorsus hominibus, nemine excepto, nobis orandum esse asseruit (v. 1), ita et in v. 4 affirmat, Deum velle omnes prorsus homines, nemine excepto, salvos fieri. » *b*) Idem confirmatur ex verbis immediate subsequentibus (v. 5 et 6): *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus:* quibus verbis, ut particula *enim* manifeste ostendit, Apostolus probat quod dixerat, nempe Deum velle omnes homines salvos fieri. Ad hoc autem probandum tres rationes adducit, quae omnes evincunt, per omnes homines vere et proprie universos, et singulos, nemine excepto, intelligi. Nam ait *Bernardinus Pic.* l. c.: « Hoc ipsum confirmant rationes, quibus (v. 5 et 6) probat, Deum velle omnium hominum salutem; nimirum quia omnium hominum Deus est, quia Iesus Christus omnium hominum mediator est, et quia hic mediator noster *semetipsum dedit pro omnibus* redimendis hominibus. Deus enim omnium, nemine excepto, creator est hominum. Iesus Christus omnium, nullo secluso, mediator est hominum. Pro omnibus redimendis, nemine excepto, semetipsum obtulit hic mediator Dei et hominum: » ergo Deus vult omnes homines, nemine excepto, salvare. *c*) Idem evincitur ex generali Scripturas interpretandi regula a S. *Augustino* tradita, iuxta quam sensu proprio, et secundum totam latitudinem suam Scripturae verba intelligenda sunt, nisi alia Scripturae loca, aut evidens aliqua ratio, vel potius traditio aliter exposcant: hoc vero nullo unquam solido argumento adversarii probaverunt, neque probare poterunt, sicut tum ex dictis, tum ex dicendis patet: non licet ergo vocem *omnes homines* ad aliquos tantum restringere. *d*) Imo hanc vocem in tota sua latitudine pro omnibus et singulis hominibus, nullo excepto, accipiendam esse ostendunt etiam loca S. Scripturae parallela. Nam Io. I, 9 de Filio Dei incarnato dicitur: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* quae verba certe de illuminatione spirituali intelligenda sunt, per quam salus aeterna obtinetur. Matth. XI, 28 Christus ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Irrisoria certe non est haec Christi invitatio ad laborantes et miseriis oneratos, quales sunt omnes sine exceptione homines, directa: ergo quantum est ex se, paratus est omnes accedentes reficere et salvos facere; et quia impossibilia non iubet, dat etiam vires, ut ad ipsum accedere possimus, si illis sicut oportet uti voluerimus. Matth. XVIII, 11 dicit: *Venit Filius hominis salvare quod perierat;* nemo autem negat, excepto Christo et B. V. Maria, omnes et singulos homines per peccatum originale periisse. Et II Cor. V, 14 etc. dicitur: *Charitas Christi urget nos: aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est*

Christus, ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Igitur, Apostolo pronunciante, pro illis omnibus mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adamo: in eodem ergo sensu quo Paulus dicit: *ergo omnes mortui sunt*, intelligenda est dictio: *pro omnibus mortuus est Christus.* Idem confirmatur per verba eiusdem Apostoli Rom. III, 22 etc.: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes qui credunt in eum; non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Et Rom. VIII, 32: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* quam sententiam ad ipsos etiam infantes pertinere asserit *S. Augustinus* l. 2 de nupt. et concup. cap. 33. In omnibus istis locis sine restrictione adseveratur, Deum omnium hominum velle salutem, dummodo non obstet peccatum praevisum: ita ergo etiam verba Apostoli Pauli intelligenda sunt dicentis: Deus vult omnes homines salvos fieri; nec licitum est restrictionem apponere, quae in S. Scriptura ne verbo quidem indigitatur.

2. In S. Scriptura non solum affirmatur, Deum omnium hominum salutem velle, sed etiam apertissime negatur id, quod *Calvinus* dicit, nempe Deum absolute velle aliquorum damnationem. Nam Ezech. XVIII, 21 etc. legitur: *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea.... vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, vivet. Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* Certe, si quem Deus perdere vellet absolute, maxime impium; et tamen promittit illi gratiam, imo et vitam aeternam, si poenitens resipiscat: ergo Deus vult omnes salvos fieri; quod confirmatur in fine eiusdem capitis (v. 32) per verba: *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: revertimini, et vivite.* Sine restrictione dicitur, Deum non velle mortem peccatorum; quapropter hi omnes ad poenitentiam excitantur, quam proinde agere possunt et debent. Si autem Deus vult, ut peccatores convertantur, certe non vult, ut reprobentur. Iterum Ezech. XXXIII, 11 legitur: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat.* Deum hic iurasse, observat *Tertullianus* (1), ut nempe promptiorem fidem obtineat: « Iurans etiam, *vivo,* dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus iurat! O miserrimos, si nec iuranti Deo credimus!» Porro si Deus mortem impii, id est, damnationem non vult, necesse est, velit salutem; non vult autem omnium salutem absoluta et consequente voluntate: ergo antecedente et conditionata. Sap. I, 13 dicitur: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum;* Ibid. c. XI, v. 25: *Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Deus autem odisse dicitur, cum bona subtrahit, aut poenas infligit: Deus ergo *odisse* dicendus esset, si absolute aliquos reprobaret, a coelo eos excludendo, et ad poenas aeternas destinando. Id autem aperte in S. Scriptura negatur, et ibid. c. XII (2), clare docetur, propter peccatum dumtaxat homines reprobari; ait enim Sapiens: *Quum ergo sis iustus, iuste omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum aesti-*

(1) Lib. de poenit. c. 4. (2) V. 15 et 16

mas a tua virtute. Virtus enim tua iustitiae initium est, et ob hoc, quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Clarissima demum sunt verba Petri: *Patienter agit (Deus) propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* (1). Conceptis verbis hic negatur, quod *Calvinus* dixit, Deum scilicet velle aliquos perire, seu absolute aliquos reprobare; ubi dein ne antecedens quidem voluntas eos salvandi Deo adscribi potest.

3. In S. Scriptura non alia causa damnationis adducitur, nisi peccatum(2). Christus in extremo iudicio ad reprobos dicet: *Discedite a me maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius: Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc. (3). Sicut autem Deus neminem in tempore a gloria excludit, et damnat ad mortem aeternam, nisi propter peccata, ita et neminem ab aeterno a gloria excludendum, ac suppliciis aeternis puniendum destinavit, nisi propter praevisa eius peccata. Voluntas enim divina tempori subiecta non est, quae ideo uno simplicissimo actu decreta concipit et exequitur. Paulus igitur praesentem Dei voluntatem, seu aeternum decretum explicat, cum de futura retributione loquitur dicens: *Qui reddet unicuique secundum opera eius.... Iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum*(4). Neque dicere licet, peccata necessario committi ab iis, qui absolute reprobati sunt, quia gratias non recipiunt, quibus ea vitare possint. Contrarium enim ex S. Scriptura eruitur, quae testatur, reprobos quoque tales gratias obtinere, quibus a peccatis immunes se conservare possint. Hinc Deus causam assignans, ob quam Israëlitae reprobantur, dicit Ose. XIII, 9: *Perditio tua ex te, Israël! Tantummodo in me auxilium tuum;* Isa. V, 4: *Quid est, quod debui facere vineae meae, et non feci? Expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas;* Isa. LXV, 2: *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Prov. I, 24: *Vocavi, etrenuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret;* Matth. c. XXIII, v. 37: *Ierusalem, Ierusalem, — quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Quae verba manifeste ostendunt, reprobos in peccata ruere, non quia gratias haud obtinuerunt, sed quia iisdem restiterunt. Certum igitur est, quod Deus voluntate antecedenti velit omnes homines salvos fieri, et quod solum consequente voluntate eos reprobet, quorum peccatum et obstinatam in malo voluntatem praevidet.

Nota. Adversarii partim argumenta nostra infirmare tentant, partim S. Scripturae testimoniis sententiam suam confirmare student.

Obi. I. Si ex Scriptura constaret, Deum velle omnium omnino salutem, id ideo esset, quia I Tim. II, 4 legitur, Deum velle *omnes homines salvos fieri.* Sed haec verba nihil probant, quia gravissimi interpretes ea restringenda esse docent: vel enim significant, Deum velle omnes homines salvos fieri, quatenus vult omnes salvari, qui reipsa salvantur, id est, omnes electos: vel sumenda sunt de generibus singulorum, non de singulis generum, ita ut sensus sit, Deum

(1) II Petr. 3, 9.
(2) Cf. § 243, n. 1 et 6. (3) Matth. 25.
(4) Rom. 2, 6, etc.

velle ex omnibus generibus hominum aliquos salvare, sive Iudaei sint, sive Gentiles, sive liberi, sive servi, sive principes, sive subditi: vel accipienda sunt pro numero maximo, sed indefinito; et hunc sensum referunt, Deum salvare velle quamplurimos, et tot, ut aliquo modo dici possint omnes. Quaecunque ex his tribus interpretationibus adoptetur, manifestum est, ex citato loco nihil inferri posse contra absolutum reprobationis decretum.

Resp. Allatae tres interpretationes apostolicae menti non conveniunt, quia limitant propositionem, quam S. Paulus fecit universalem, dicens: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Nulla est in terminis, nec in mente exceptio, ut ex probatis constat, et ipsi adversarii confirmant, multiplici sua interpretatione ostendentes, relicto sensu proprio nihil certi affirmari posse. Quinimo praedictae tres interpretationes non modo D. Pauli mentem non assequuntur, sed ex illis contra expressissimam Apostoli mentem sequeretur, non esse pro omnibus hominibus orandum, sed tantum pro aliquibus, nimirum pro salvandis tantum, vel pro aliquibus ex omni genere, vel pro quamplurimis. Et hoc cuilibet homini S. Paulum attente legenti ita perspicuum est, ut ipse *Estius* (Comment. in hunc loc.) has tres interpretationes reiiciat tanquam apostolicae menti, et instituto non congruas: « Quia, inquit, sensum faciunt haud prorsus universalem, ut manifestum est; multos enim homines exceptos relinquunt, et proinde non conveniunt instituto Apostoli, qui docere vult, orandum esse pro omnibus hominibus sine exceptione. Adde, quod ita dicitur Deus omnes velle salvos fieri, ut etiam addi possit, quod neminem velit perire; nam utrumque coniunxit Petrus Apostolus dicens, Deum nolle aliquos perire, sed *omnes ad poenitentiam reverti*(1) atqui haec negatio non recipit dictas tres interpretationes, ergo nec illa affirmatio. »

Obi II. S. Scriptura hincinde per synecdochen loquitur, et ponit causam pro effectu, ut Rom. VIII, 26 dicitur: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* quia facit Sanctos ita postulare. Hoc sensu etiam intelligenda sunt citata verba Pauli, nempe: *Deus vult omnes homines salvos fieri,* id est, Deus dat suis fidelibus servis voluntatem salutis omnium hominum, seu Deus facit, ut sui fideles servi velint omnium hominum salutem, et pro ea orent, et laborent. Ita *Estius*, et alii.

Resp. Negari nequit, S. Scripturam hincinde per synecdochen loqui: sed certum pariter est, quod in exponenda S. Scriptura a sensu verborum proprio sine rationabili causa recedere non liceat. Talis rationabilis causa invenitur Rom. VIII, 26, quia Spiritus sanctus utpote persona divina non postulat, sed oratur, et gratias distribuit. Contrarium vero dicendum est de verbis Apostoli I Tim. II, 4; quia, ut iam probatum est, graves rationes postulant, ut vox *omnes homines*, in sensu proprio, et secundum totam suam latitudinem intelligatur. Imo hanc quoque interpretationem menti apostolicae penitus repugnare, ostendit *Bernardinus a Piconio* (in hunc loc.) dicens: «Mens D. Pauli est, quod per hoc nostrum votum circa salutem omnium divinae conformemur voluntati; hincque Deo grata et accepta est oratio nostra. Supponit ergo D. Paulus, esse in Deo revera voluntatem salutis omnium, cui nostra voluntas, et desiderium circa salutem omnium

(1) II Petr. 3

hominum conformetur. Quomodo enim hac in re Dei voluntati conformabimur, nisi revera sit in Deo voluntas salutis omnium, et nisi id Deus in seipso velit? Addo: ex D. Paulo voluntas Dei circa salutem omnium est regula nostrae voluntatis circa eandem omnium salutem: nostram ergo voluntatem praecedit, sicut regula regulatum: est ergo in Deo revera talis voluntas, antequam sit in nobis. Addo rursus: Paulus hac Dei voluntate salutis omnium utitur tamquam medio, et motivo, quo nostram excitet et moveat voluntatem ad orandum pro omnium salute. In mente ergo D. Pauli haec Dei voluntas non est ipsa fidelium volitio, ut a Deo excitata, cum e contra haec Dei voluntas sit quid nostram voluntatem excitans, movens, et consequenter eam praecedens, et ab ea prorsus distinctum. » Idem praeterea ostendit, ex adversariorum interpretatione absonum omnino sensum prodire. Iuxta illam enim Apostolus diceret: « Orate pro omnium prorsus hominum salute: quare? quia hoc Deo gratum: Unde nosti hoc Deo gratum? Quia *Deus vult omnes salvari*, id est, Deus vobis dat voluntatem salutis omnium. Quaenam est vis huius argumenti tui? Excitas, ut velim, quia Deus dat mihi velle. Si dat velle, ut supponis, revera volo, et infallibiliter volo: frustra igitur hortaris, ut velim, quod ex te iam volo, cum Deus mihi dederit velle. Nullum et inutile redditur argumentum Apostoli per talem interpretationem: est itaque ab eius mente aliena. »

Obi. III. S. *Augustinus*, cuius auctoritas his in materiis maximi habenda est, Apostoli testimonium: *Qui vult omnes homines salvos fieri*, cum restrictione et limitatione interpretatur; nam per *omnes homines* in lib. de praedest. Ss. (1), intelligit omnes electos; in Enchir. (2), omnia hominum genera; et in lib. de corrept. et grat. (3), voluntatem salutis omnium hominum in nobis excitatam. Reprobat ergo S. Doctor illam verborum Pauli interpretationem, quae *omnes homines* in sensu proprio, et secundum totam latitudinem intelligit; huic enim triplicem aliam interpretationem opponit.

Resp. S. Augustinus frequenter S. Scripturae textus in sensu improprio, figurato, aut accommodatitio exponit, non negato, sed admisso sensu proprio et litterali. Idem dicendum est de textu adducto, quia S. Doctor voluntatem Dei generalem et antecedentem salvandi omnes homines nunquam inficiatus est, imo perpetuo eam supponit, ubi agit de morte Christi pro omnibus, de gratia sufficienti omnibus collata, et in locis iam superius citatis, aut mox citandis. Allatam igitur triplicem interpretationem proponit, non ut excludat nostram interpretationem de voluntate Dei generali et antecedente, sed ut excludat fallacem expositionem *Pelagianorum* et *Semipelagianorum*. Illi enim asserebant, Deum velle omnes homines salvos fieri, et quidem voluntate absolute efficaci ex parte sua; sed homines debere etiam praestare, quod suum est, et quidem *propriis viribus*, non viribus gratiae, cuius necessitatem negabant. *Semipelagiani* vero admittebant quidem necessitatem gratiae ad opus bonum ponendum, sed non ad desiderandum, volendum, inchoandum. Utrique ex sua doctrina impia corollaria deducebant. Ex una enim parte inferebant, posita efficaci Dei voluntate salvandi omnes, negotium salutis unice pendere ab homine, *propriis viribus* conatum adhibente, aut saltem initium po-

(1) Cap. 8. (2) Cap. 103. (3) Cap. 15.

nente: ex altera vero parte concludebant, etiam absolutam et efficacem Dei voluntatem non semper impleri, et Deum non posse per gratiam ad se trahere, et compellere aversas a se hominum voluntates, quin eis liberum arbitrium adimat, et necessitatem imponat. Istos errores impugnans *S. Augustinus* noluit disputare, qualis illa Dei voluntas esset, an conditionata, an absoluta (quia mos illius erat, non novas quaestiones excitare, sed subortas compescere et dissolvere quam brevissime poterat); sed manendo in illorum suppositione, scilicet quod voluntas illa esset absoluta, ostendit, etiam hoc admisso, eorum consequentiam non esse necessariam, scilicet quod ideo Deus non salvat aliquos, quia isti propriis viribus conatus non adhibent, nec initium ponunt, et quia ipse non potest eorum voluntates ad se trahere. Et ratio eius erat, quia in textu Pauli non est necesse intelligere omnes omnino homines, sed sufficit intelligere vel omnes electos, vel multos, vel omnia hominum genera; vel etiam totus textus intelligi potest de voluntate salutis omnium hominum in sanctis excitata. Ita per diversas istas interpretationes, quas ostendebat textum illum posse recipere, probabat eis, interpretationem illorum non esse necessario veram; et sic infringebat haereticas eorum consequentias supranotatas contra gratiam Christi necessariam et mere gratuitam, et contra omnipotentiam divinam, quod erat totum illius intentum; non autem dare veram et germanam loci illius interpretationem, ut clare patet ex duobus locis, in quibus magis urget illas interpretationes. Quorum primus est in Epist. ad *Vitalem* (1) *Semipelagianum*, ubi haec habet: « Sicut illud, quod dictum est: *Omnes in Christo vivificabuntur*, cum tam multi aeterna morte puniantur, ideo dictum est, quia omnes, quicumque vitam aeternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictum est: *Omnes homines vult Deus salvos fieri*, cum tam multos nolit salvos fieri (id est, nolit absoluta voluntate in sensu adversariorum), ideo dictum est, quia omnes, qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt, et *si quo alio modo* illa verba apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimae veritati, in qua videmus tam multos (intelligit parvulos sine baptismo decedentes, de quibus ante locutus fuerat), volentibus hominibus, sed Deo nolente salvos non fieri, contraria esse non possint. » Alter locus est ex Enchir. loc. cit. (2) ubi, cum varie interpretatus esset verba supradicta Apostoli, mox addit: « Et *quocumque alio modo intelligi potest*, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse, qui sine ullis ambiguitatibus, si in coelo et in terra, sicut eum veritas cantat, *omnia, quaecumque voluit, fecit*, profecto facere noluit (scilicet absoluta voluntate, ut supra notatum est), quodcumque non fecit. » Ex his locis patet, *Augustinum* noluisse sibi dare veram interpretationem istius loci apostolici, sed tantum dare solutiones ad repellendam pravam adversariorum interpretationem; per hoc enim, quod liberum relinquit cuiuslibet arbitrio locum illum aliter interpretari, dummodo nihil contineat, quod sit contrarium omnipotentiae Dei, ostendit, se nulli praedictarum interpretationum a se datarum adhaerere, sed tantum voluisse locum illum eripere e manibus adversariorum (3).

(1) Ep. 107. (2) Cap. 103.

(3) V. Tricassin. p. 1, sect. 7, par. 2, pun. 5.

Obj. IV. S. Scriptura nullam aliam assignat causam hominum reprobationis praeter unam Dei voluntatem. Apostolus enim Rom. IX, 11 etc. haec aperte habet: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior serviet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui:* ergo sicut Iacob sine bonis meritis dilectus, seu praedestinatus, ita Esau sine malis meritis odio habitus, seu reprobatus fuit. Hinc Apostolus ait: *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (1), ac propterea de *Pharaone* ex nomine ipsius Dei scribit: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam* (2); et clarius adhuc: *Ergo cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat* (3); ac demum concludit, rationem reddens: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (4)? Ergo ab una Dei voluntate reprobatio repeti debet, et decretum hoc absolutum dicendum est.

Resp. Iam alibi (§ 724) observatum est, verba Pauli etiam a theologis catholicis duplici modo exponi. Nonnulli putant, Apostolum in hoc capite vere loqui de praedestinatione ad gloriam, et de reprobatione ad aeternam poenam. Isti haereticis respondent, ex verbis Pauli non posse inferri decretum reprobationis absolutum, quia Apostolus negat quidem peccata actualia, et propria in Esau, non autem negat peccatum originale, propter quod reprobari meruit. Ita iam *S. Augustinus* eandem obiectionem sustulit (5), ad Paulinum scribens: « Nulla plane in utroque opera, vel bona vel mala, sed propria: uterque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, ut omnes in illo morerentur. Quicumque enim ex illo uno (Adamo) multi in seipsis futuri erant, tunc in illo unus erant. Proinde illud peccatum solius esset, si nullus ex illo exiisset. Porro autem in quo erat natura communis, ab eius vitio est nullus immunis. Si ambo, qui nondum propria vel bona vel mala operabantur, rei tamen ex origine nascebantur, laudet misericordiam qui liberatur, non culpet iudicium qui punitur, » id est, uterque propter peccatum originale damnationem meruit; et si Iacob sine bonis meritis ex gratuita misericordia electus fuit, non tamen Esau absolute sine malo merito, sed hypothetice propter peccatum originale reprobatus est. Propter hoc idem peccatum, aiunt, Deus nemini gratiam suam debet, sed iusto iudicio eam negare potest, et sic *indurare* dicitur: neque comparatio figuli difficultatem facessit, quia iam tota massa generis vitiata et corrupta est, unde aliqua vasa non sine peccato, sed propter peccatum originale fiunt *in contumeliam, apta in interitum*, ut praeclare ostendit *S. Augustinus* (6) ad Sixtum scribens: « Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa, utique merito recteque damnata facere aliud vas in honorem indebitum propter misericordiae gratiam, aliud in contumeliam debitam propter irae iustitiam? » — Alii autem theologi rectius omnino negant, in isto capite de praedestinatione ad gloriam, et de reprobatione ad aeternam poenam sermonem esse, quia Paulus solum loquitur de praedestinatione ad gratiam, et ostendit, nullam iniuriam fieri Iudaeis, si Deus

(1) Ibid. v. 16. (2) V. 17. (3) V. 18.
(4) V. 21. (5) Epist. 186, n. 21.
(6) Ep. 194, al. 105, cap. 5.

etiam Gentilibus gratiam fidei impertitur, quia liberrimus est in gratiis supernaturalibus distribuendis, sicut liberrimus est in bonis temporalibus dispensandis, quod exemplo Iacobi et Esau illustratur. Eundem in finem iam in praecedentibus capitibus exposuit doctrinam de transfusione peccati originalis, ex quo intulit, omnes homines, Iudaeos et Gentiles, peccatores esse, et gratia indignos. Unde quia Deus nemini gratiam debet, Iudaei nequaquam Deum iniustitiae arguere possunt, si Gentilibus quoque gratiam vocationis concedit, et etiam ex ipsis facit *vasa in honorem*, cum alii propter peccatum originale, aut propter peccata actualia maneant *vasa irae apta in interitum*. Nihil ergo adversarii ex isto capite pro impia sua sententia eruere possunt, quia scopus Apostoli in tota hac epistola est, ostendere vocationem ad gratiam esse prorsus gratuitam, cum omnes homines non propter absolutum praedestinationis decretum, sed propter peccatum originale, aut etiam propter peccata actualia unam perditionis massam constituant.

Obi. V. S. Scriptura testatur, aliquos absoluto decreto reprobari. Nam Prov. XVI, 4 legitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum:* dantur ergo, qui ad diem malum conditi, seu ad aeternam damnationem a Deo destinati sunt. Quod confirmatur per verba Sap. XIV, 11: *Creaturae Dei in odium factae sunt.*

Resp. Textus Proverbiorum non sententiam adversariorum, sed nostram probat. Legitur enim: *Impium quoque ad diem malum* operatus est Dominus: ergo *impium* duntaxat, id est, eum, qui peccato coinquinatus est, Deus *ad diem malum*, seu ad aeternam damnationem destinat. Manifeste ergo decretum reprobationis hypotheticum dicitur, ex praevisione impietatis conceptum. Et sane genuinus citati textus sensus est, omnia ad Dei gloriam creata esse, ita ut etiam impii, licet inviti, eam promovere debeant, quoniam, dum iustas pro suis peccatis poenas luunt, summam Dei in puniendo iustitiam, odium eius in peccatum, sanctitatemque infinitam manifestant. Sapiens loquitur de idololatris, qui converterunt creaturas *Dei in odium*, seu ut textus graecus habet, *in abominationem Deo.* Describit ergo malitiam hominum, qui creaturis Dei abutuntur; Deus enim omnia diligere, et nihil odisse eorum, quae fecit, dicitur Sap. XI, 25.

Obi. VI. Deus in S. Scriptura dicitur homines *obcaecare, indurare, dare in reprobum sensum*, etc. Sicuti ergo absolute vult aliquorum peccatum, ita etiam absolute vult eorundem damnationem.

Resp. Si vera esset adversariorum argumentatio, Deus constitueretur auctor peccati: quam falsum autem, impium, et vesanum sit id asserere, iam probatum est (§ 242): et quomodo Scripturae loca nobis obiecta intelligenda sint, ibidem declaratum est, praecipue in Resp. ad Obi. IV.

II. *Argumentum ex traditione depromptum*

§ 736. Semper, ubique et ab omnibus creditum est, Deum voluntate generali seu antecedente, velle omnes homines salvos fieri, atque ideo neminem reprobare nisi propter praevisum peccatum. Perpetua haec fides ex *Ss. Patribus*, et ex *Conciliis* probatur.

1. *Ss. Patres*, Augustino priores et coaevi, reprobationis decretum a praevisis peccatis repetunt. Ita *Tertullianus* lib. de praescript. (1), de

(1) Cap. 8.

reprobatione Iudaeorum agens dicit: « Iudaei retro penes Deum fuerunt; dehinc reiecti ob delicta extra Deum esse coeperunt. » *S. Irenaeus* (1), ait: « Quotquot non sunt credituri, Deus cum sit omnium praecognitor, tradidit eos infidelitati eorum, et avertit faciem ab ipsis, relinquens eos in tenebris, quas sibi elegerunt. » *S. Cyprianus* (2), scribit: « Scriptum est: *Deus mortem non facit, nec laetatur in perditione vivorum,* qui neminem vult perire, cupit peccatores poenitentiam agere, et per poenitentiam denuo ad vitam aeternam redire. » *S. Methodius M.* auctor pervetus, in lib. de resurr. ap. *Oecumenium*(3), de illo Apostoli loco disserens, in quo vasorum differentiam ponit, ita loquitur: « *Aliud quidem vas in honorem, aliud vero in ignominiam:* non quod alios bonos, alios non bonos faciat: absit. Dei enim bonitas ad omnes communiter pertinet, et quantum in ipso situm est, hoc est secundum ipsius consilium et voluntatem; vellet omnes probos et fideles esse, ac virtute praeditos: sed ut ius potestatemque divinam exprimeret, qua quaecunque libet, facere potest, istud posuit. » *S. Cyrillus Hier.* (4), inquit: « Cum benignus sit Dominus, non unum vel alterum tantum, sed multos ad aeternae vitae ianuam aditus aperuit, ut omnes ea, quantum in ipso est, nullo impediente, potiantur. » *S. Basilius* (5) explicans ea verba: *Quoniam ira in indignatione eius, et vita in voluntate eius,* haec habet: « Quid ergo dicit? nimirum hoc ipsum esse, quod Deus vult, omnes vitae participes fieri: quae autem calamitates accidunt, eas non de ipsius voluntate (absoluta seu antecedenti) fieri, sed pro eorum, qui peccaverunt, merito decerni. » *S. Gregorius Nyss.* (6) docet, quod, si non omnes homines salvantur, Deus reprehendi nequeat, quia « ad omnes pariter procedit vocatio, nec auctoritatem, nec aetatem, nec Gentium discernens differentiam . . . Itaque in eos, qui ad fidem adducti non sunt, criminatio multo iustius transferri potest, non in eum qui vocavit ad consentionem. » Et in Antir. (7) ait: « Neque divina voluntas in causa est, cur alii salventur, alii pereant; alioquin ad illam voluntatem tanquam ad causam horum perditio referenda esset: sed ex libera voluntate suscipientium verbum Dei alios salvari, alios perire contingit. » *S. Hilarius* in Ps. CXVIII, expendens verba: *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* etc. dicit: « Stat ad ostium Verbum Dei, et pulsat ostium animae nostrae, et dicit: Ecce stans ante ostium pulso: si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum. Vult ergo semper introire, sed a nobis, ne introëat, excluditur. Claudimus enim per haec corporis vitia animae nostrae aditum. Qui si coeperit emundatis omnibus patere, illico introit modo solis, qui clausis fenestrae valvis prohibetur, patentibus vero totus immittitur. Ipsi quidem semper, ut illuminet, promptum est; sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim Verbum Dei sol iustitiae, assistens unicuique, ut introëat, nec moratur lucem suam apertis aditibus infundere. » *S. Ambrosius* lib. de Cain, et Abel (8) ait: « Ideo (Christus) omnibus opem sanitatis detulit, ut quicunque perierit, mortis suae causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium habe-

(1) Lib. 4 adv. haer., cap. 28.
(2) Epist. 52, n. 15.
(3) In cap. 9, Ep. ad Rom.
(4) Catech. 18.
(5) Hom. in Psalm. 29.
(6) Orat. catech., cap. 30.
(7) Ap. Zacagn. v. Tricalet. c. 15, art. 3.
(8) Lib. 2, cap. 3, n. 11

ret, quo posset evadere: Christi autem manifesta in omnes praedicetur misericordia, eo quod ii, qui pereunt, sua pereunt negligentia; qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberantur, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. » Idem l. de Paradiso (1) refellit Gentiles, qui exprobrabant Christo quod Iudam elegisset Apostolum, quem proditorem futurum praenovit, dicens: « Venerat Dominus Iesus omnes salvos facere peccatores, et etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem; et ideo nec proditorem debuit praeterire: quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare. » *S. Hieronymus* Comm. in Ephes. I, 11 ait: « Vult (Deus) salvari omnes, et in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur (liberi enim arbitrii sumus), vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium. » Et in Epist. ad Hedibiam quaest. 11, explicans Apostoli verba: *Aliis odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam* (2), inquit: « Homines suo arbitrio relicti sunt; neque enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli suppliciis mancipentur: ideo odor noster, qui per se bonus est, virtute eorum et vitio, qui suscipiunt, sive non suscipiunt, in vitam transit aut in mortem, ut qui crediderint, salvi fiant, qui vero non crediderint, pereant. » *S. Paulinus Nol.* Epist. 2 scribit: « Omnem, quantum in ipso est, hominem salvum fieri vult, qui fecit omnes; nam et idcirco descendit ad nos, ut ad illum ascenderemus. » Et Epist. 29: « In omni loco plura quotidie mirabilia signa crebrescunt, ut omnem, quantum in ipso est, hominem salvum faciat. Ostendit in raris, quod omnibus, si velint, prosit. » *S. Chrysostomus* (3) in Ep. ad Rom. ait: « Si omnes peccaverunt, cur alii salutem adepti sunt, alii perierunt? Quia non omnes accedere voluerunt: alioquin quantum in ipso fuit, omnes salvati essent; nam omnes sunt vocati.» Et (4) in II ad Tim.: « Numquid etiam pro gentilibus mortuus est Christus? Etiam pro gentilibus mortuus est. Quomodo igitur non crediderunt? Quia noluerunt; suas tamen partes ille implevit. » Et lib. 1 ad Stagir. (5): « Si ex dilectione correptio, ex odio vero derelictio est, neque eiusdem est, quempiam simul et amare et odisse, neque corripere simul, et derelinquere. Quomodo ergo inquies, multi corruerunt? seipsos illi Deo privaverunt, non autem a Deo derelicti sunt. » *S. Isidorus Pelus.* (6) scribit: « Etenim (Deus) modis omnibus salvari vult eos, qui in vitio volutantur, et ad eos ablegant, qui remedium adhibeant, non ignorans quidem fore, ut illi morbo intereant; sed ut omnem eis excusationem eripiat. Nam etsi ab insania non resipiscant isti, hos tamen inde fructus consequitur, quod suas ipse partes sit exsecutus. »

2. *S. Augustinus* eandem doctrinam tradidit. Tract. 12 in Io. (7) inquit: « Misit Deus in mundum Unigenitum Filium suum, non ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Quantum in medico est, paratus est ad aegrum sanandum; ipse se interimit, qui praecepta medici non vult servare. Venit Salvator in mundum: quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non

(1) Cap. 8, n. 39. (2) II Cor. 2, 16.
(3) Hom 16, n. 5. (4) Hom. 7, n. 1.
(5) Seu de provid., n. 6.
(6) Lib. 2, Epist. 270. (7) N. 12.

ut iudicet mundum? Salvari non vis ab ipso? Ex te iudicaberis. » Lib. 3 c. Iulian.(1)« Bonus est Deus, iustus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare quia bonus est; non potest quempiam sine malis meritis damnare quia iustus est.» L. de cat. rudibus(2): « A quo interitu, hoc est, poenis sempiternis Deus misericors volens liberare homines, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiae Creatoris sui, misit Unigenitum Filium suum. » Sicuti autem S. Doctor Deum velle omnes homines salvos fieri docet, ita claris verbis reprobationis decretum a peccatorum praevisione repetit. Lib. de perfectione iustitiae c. Coelestium (3) scribit: « Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum non erat qui faceret, non erat usque ad unum; sed in eo genere hominum quod praedestinatum est ad interitum. Super hos enim respexit Dei praescientia, protulitque sententiam. » Et lib. 1 op. imperf. (4), Iuliano obiicienti, Quod Deus fiat auctor peccati, si creat homines peccato originali infectos, respondet: « Non abstinet Deus bonum formationis suae etiam a stirpe damnata. Sed si tibi displicet, Deum creare, quos damnet, contradic ei, si potes, ne creet eos, quos malos futuros et in malignitate usque in finem perseveraturos, et ob hoc sine dubitatione damnandos esse praescivit. » Cum magistro consonant discipuli. S. *Prosper* in Resp. ad Obi. XII vincent. ait: « Hi de quibus dicitur: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum:* voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia praesciti sunt casuri, non sunt praedestinati. Essent autem praedestinati, si essent reversuri, et in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc praedestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi. » Idem ibid. in Resp. ad Obi. II, inquit: « Sincerissime credendum, atque profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cuius ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus ut Ecclesiis piissime custoditur, Deo pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum. » S. *Fulgentius* lib. 1 ad Monimum (5) scribit: « Praedestinavit (Deus) illos ad supplicium, quos a se praescivit voluntatis malae vitio discessuros. » S. *Prosper* in Resp. ad Obi. III Gallorum ait: « Quod huiusmodi in haec prolapsi mala sine correctione poenitentiae defecerunt, non ex eo necessitatem habuerunt, quia praedestinati non sunt, sed ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione praesciti sunt. »

3. *Concilia* traditam veritatem confirmant. In *Conc. Arelatensi* an. 475 lecta, et probata fuit Fausti Regiensis Episcopi ad Lucidum presbyterum epistola, in qua sex ipsi proponit erroris capita revocanda. Sextum istud est: *Anathema illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.* In *Conc. Lugdunensi* Lucidi retractatio et emendatio facta et probata fuit. *Conc. Arausicanum II,* can. 25 definit: *Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Carisiacum* an. 853, quatuor capitula contra *Godeschalci* errores statuit et definivit: tertium sic habet: *Deus omnipotens omnes homines sine*

(1) Cap. 18. (2) Cap. 26. (3) Cap. 13. (4) N. 130. (5) Cap. 24.

exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum; quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum. Valentinum III, can. 3 dicit: *Fatemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam praecedere meritum bonum, in damnatione autem perituroruni meritum malum praecedere iustum Dei iudicium. Conc. Tridentinum* Sess. VI, can. 13 definit: *Si quis iustificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non recipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum, anathema sit.*

4. *Scholasticorum antesignani* non obscure profitentur, Deum velle omnes homines salvos fieri, et ideo neminem reprobari nisi ob praevisum peccatum. Prae caeteris audiendus est *S. Bonaventura*, qui in I Sent. dist. 46, art. 1, q. 1 fatetur quidem, varie a variis declarari, quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri, et tamen non omnes salventur, et dein sic pergit: « Sed *Damascenus* facit vim in modo volendi; distinguit enim in Deo voluntatem antecedentem, et voluntatem consequentem... Prima scilicet antecedens, dicitur a magistris voluntas conditionalis, sive voluntas qua Deus vult, quantum in se est. Secunda autem, scilicet consequens, dicitur absoluta. Differentia autem inter hanc voluntatem et illam non est secundum diversitatem affectionis sive modi volendi qui sit in Deo, sed secundum rationem connotandi et intelligendi. Prout enim Deus dicitur velle omnium salutem, quantum in se est et antecedenter, connotatur in omnibus ordinatio ad salutem tum ex parte naturae datae, tum ex parte gratiae oblatae. Dedit enim eis Deus naturam, secundum quam possent eum cognoscere, et cognitum quaerere, et invento inhaerere, ac per hoc salutem obtinere. Gratiam similiter obtulit, dum Filium misit et obtulit, cuius pretium omnium saluti sufficit. Leges etiam et mandata tribuit salutis, et ostendit. Ipse enim praesto est omnibus inquirentibus, et prope est omnibus invocantibus eum. Velle ergo hominem antecedenter salvare, est ordinatum ad salutem facere, et volenti pervenire non deesse. Unde velle antecedenter salvare non connotat salutem, sed ordinabilitatem ad salutem. Velle autem consequenter sive absolute salvare, est velle dare salutem ei, quem praescit ad salutem perventurum per suum auxilium et gratiam, et connotat salutis effectum. Et sic non est dicere quod Deus velit omnes homines salvos fieri: *Huic responsioni magis consonant magistri*, quamvis utraque bona sit. Secundum hanc ergo respondendum, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, quantum in se est voluntate antecedente, non autem voluntate absoluta, sive consequente: et quia illa non connotat effectus eventum; ideo non impeditur in hoc, quod non omnes salventur..... Ad illud quod obiicitur, quod voluntas conditionata non cadit in Deum, dicendum, quod non ponitur in Deo velleitas quantum ad defectum plenitudinis voluntatis, nec propter diversos modos volendi, sed propter aliam comparationem in connotando. » S. Doctor hic testatur, magistros sui temporis magis consonare interpretationi *S. Damasceni* circa voluntatem Dei pro salute omnium, quam interpretationi *S. Augustini*, quamvis utraque bona sit, et ipsemet com-

muni magistrorum sententiae inhaerens, *Damasceni* sententiam amplectitur. — *S. Thomas* I, q. 19, art. 6 ad 1 indigitatis interpretationibus *S. Augustini* de voluntate Dei salvandi omnes, mox addit: « Tertio secundum *Damascenum* (locus Apostoli I Tim. II, 4) intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente: quae quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinae, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. Ad cuius intellectum considerandum est, quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum; quod tamen, prout cum aliquo adiuncto consideratur, quod est consequens, consideratio eius e contrario se habet: sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere. Unde potest dici, quod iustus iudex antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suae iustitiae. » Idem lib. 3 c. Gent. (1) scribit: « Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit, potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat. Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinae gratiae receptionem, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum praestat gratiae receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur I Tim. II, 4. Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiae impedimentum praestant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis praeveniatur. » — *Scotus* in I Sent. dist. 46 (2), verba Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri,* sic exponit: « Dico, quod licet illud dictum Apostoli posset exponi de distributione accommodata pro omnibus, qui salvi fient, tamen multo melius potest exponi de voluntate antecedenti sic: id est, vult omnes homines salvare, et salvos fieri, quantum scilicet est ex parte sui, et voluntate sua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, et leges rectas, et adiutoria communia sufficientia ad salutem etc..... Ita dico in proposito, quod etsi Deus non habeat voluntatem beneplaciti (id est, absolutam et consequentem) ad istum salvandum, tamen vult isti illa adiutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter bene vivere, et salvari: propter quae dici potest, quod quantum est ex parte sui, vult omnes salvos fieri. »

Nota. Adversarii ut infirment argumentum ex Traditione depromptum, abutuntur auctoritate *S. Augustini* et *S. Thomae*, et sequentia obiiciunt.

Obi. I. Voluntas antecedens et conditionata non semper impletur: atqui *S. Augustinus* nullam in Deo agnovit veram voluntatem, quae non impleatur. Nam in Enchir. cap. 95 ait: « In

(1) C. 159

(2) Quaest. unica ad 1 arg

clarissima luce videbitur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit et non velit, nihil autem velit, quod non possit; quamque sit verum quod in psalmo canitur: *Omnia, quaecumque voluit, fecit.* Quod utique non est verum, si aliqua voluit et non fecit, et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Quod nisi credamus, subdit cap. 96, periclitatur ipsum nostrae confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. » Similia habet lib. de corrept. et gratia, cap. 14. Ergo cum certum sit, reprobos non fore salvandos, legitime infertur, iuxta S. *Augustinum*, Deum non velle, ut reprobi salvi fiant.

Resp. S. Augustinus loquitur de voluntate Dei absoluta, et consequente, quae semper impletur; non autem ideo negat omnem veram Dei voluntatem, quae ex parte Dei sit efficax, et conditionata ex parte creaturae. Id patet ex scopo S. *Augustini* in obiectis locis refellendi *Pelagianos*, qui nullam voluntatem absolutam, efficacem, et consequentem salvandi electos admittebant, sed omnem Dei voluntatem conditionatam posuerunt, conditione se tenente ex parte creaturae, et quidem *ex solis viribus* liberi arbitrii, addentes, Deum non posse hominem salvare sine his naturalibus conditionibus. Hunc errorem ut impugnet S. Doctor totus in eo est, ut probet, Deum per gratiam liberum arbitrium praevenire, excitare et adiuvare in quolibet actu bono; imo per gratiam efficacem Deum sine libertatis laesione ita operari velle, et perficere, ut actus bonus indeclinabiliter ponatur. Ad quod confirmandum omnipotentiam voluntatis divinae extollit. Caeterum S. Doctor non negavit generalem voluntatem antecedentem salvandi omnes, veram, et seriam ex parte Dei, sed conditionatam ex parte hominis. Nam l. de spir. et litt. cap. 33 ait: « Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles equidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangelio non credunt; nec ideo tamen vincunt, sed seipsos fraudant magno, et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. » Praeterea in Enchir. cap. 102 loquitur S. Doctor eodem modo de voluntate salvandi homines, ac de voluntate salvandi omnes angelos; atqui fatente ipso *Iansenio* (1), Deus habuit « generalem voluntatem benevolentiae erga omnes angelos, ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem aeternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendae media sufficientissima largitus est: » sed tamen certum est, non omnes angelos salvatos, neque in omnibus hanc Dei voluntatem impletam esse: ergo S. *Augustinus* voluntatem divinam, quae ex parte Dei sit efficax, et conditionata ex parte creaturarum, aperte profitetur.

Obi. II. Idem de grat. et lib. arbitr. cap. 21 cum citasset plura loca, in quibus Deus dicitur *obcaecare*, *indurare* etc., ita prosequitur: « His, et talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quae omnia commemorare nimis longum esset, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericor-

(1) Lib. 10 de grat. Chr. cap. 1.

dia, sive ad mala pro meritis eorum. » Reprobi ergo, Deo operante, in malum pertrahuntur.

Resp. Haec *S. Augustini* verba *S. Thomas* (1) ita explicat, « quod Deus dicatur operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates sive ad bona, sive ad mala; aliter tamen ad bona, aliter ad mala; nam ad bona inclinat hominum voluntates *directe, et per se* tanquam auctor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines *occasionaliter*, in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum, sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum. » En qualis sit, interprete Angelico, tam Scripturarum, quam Augustini sensus. Imo ipse Augustinus loco nobis obiecto, postquam iterum dixisset: « Deum operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum; » subdit: « quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem: » quibus verbis non obscure innuit, Deum hominibus propter praecedentem culpam gratias efficaces subtrahere, unde fit, ut in peccata labantur (2).

Obi. III. *S. Thomas* I, q. 19, art. 6 admittit quidem cum *S. Damasceno* voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes, sed ibid. ad 1 docet, quod voluntas antecedens magis velleitas, seu voluntas secundum quid dicenda sit, quam vera et actualis voluntas.

Resp. S. Thomas seipsum interpretatur loco citato dicens: « Simpliciter volumus aliquid secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. » Cum igitur voluntas antecedens abstrahat ab illis circumstantiis particularibus, seu personalibus, mirum non est, quod non dicatur simpliciter voluntas, sed secundum quid, seu velleitas; non quod sit in Deo actus suspensio, vel imperfectio quaedam, aut non sit vera et actualis voluntas, absit; hanc enim *beneplaciti* esse, docet Angelicus. Velleitas ergo, aut voluntas secundum quid appellatur comparate ad voluntatem absolutam et consequentem, quae semper impletur, et finem obtinet, non ita vero voluntas antecedens. Ideo *Gonetus* (3) solvens propositam ex *S. Thoma* obiectionem, dicit: « Per hoc non intendit docere (*S. Thomas*), illam non esse voluntatem de facto aut non esse formaliter in Deo, sed solum illam non esse voluntatem simpliciter, sed secundum quid, quatenus attingit obiectum secundum se, et praecisum a circumstantiis. » S. Doctor comparat etiam voluntatem illam antecedentem voluntati mercatoris, qui imminente tempestate vere et serio vult salvare merces, quas tamen voluntate consequente proiicit in mare, ut vita salvetur. Manifeste igitur per voluntatem Dei antecedentem veram, sinceram et actualem voluntatem intelligit.

III. *Argumentum ex rationibus theologicis deductum.*

§ 737. Rationes theologicae desumuntur a veritatibus iam antea probatis.

1. Christus ut Mediator homines Deo reconciliavit, iisque gratias supernaturales, et aeternam beatitudinem meruit (§ 377). Redemptio haec est universalis, quia Christus pro omnibus hominibus mortuus est (§ 379): Christus ergo vult, omnes homines salvos fieri, quia omnibus gratias supernaturales, et aeternam bea-

(1) Lect. 3 in cap. 9 Ep. ad Rom.
(2) Cf. § 242.
(3) De volunt. Dei Disp. 1, a. 3, § 2, n. 8.

titudinem meruit. Quamobrem si qui non salvantur, id ex alia causa fieri nequit, nisi quia conditiones ad actualem participationem redemptionis requisitae in ipsis non adimplentur (§ 378), cum vel a peccato originali per baptismum non liberantur, vel per peccatum actuale gratiam perdunt: unde ob peccatum dumtaxat reprobantur.

2. Deus omnia operatur ad gloriam suam, seu ad manifestandas infinitas suas perfectiones (§ 141), ergo etiam in destinanda hominum sorte eundem habet finem. Ostendit nempe suam bonitatem, dum omnes homines vult felices reddere; suam misericordiam, cum peccatores patienter suffert, et ad poenitentiam invitat; suam sanctitatem et iustitiam, cum peccatores impoenitentes punit. Ast si aliquem sine praeviso peccato, seu absolute reprobaret, tali actu non bonitatem ostenderet, cum potius crudelem se exhiberet, nec iustitiam, cum non videat peccatum, quod poenam mereatur. Ergo talis actus admitti nequit, qui fini illi adversatur, quem, revelatione et ratione teste, Deus omnibus operibus suis praefigit.

3. In S. Scriptura frequentissime Deus *iustus* dicitur, et eius *iustitia* praedicatur: per iustitiam autem divinam nihil aliud intelligi potest, quam aeterna Dei voluntas bonos remunerandi, et malos puniendi. Quam certum igitur est Deum iustum esse (§ 48), tam certum pariter est, Deum nonnisi malos, seu peccatum dumtaxat puniendi voluntatem habere. In sententia autem Calvini de absoluto reprobationis decreto tota iustitiae divinae notio subvertitur, et ipsa iustitia divina negatur.

4. Deus omnes homines creavit, ut veritatem cognoscentes moralitatem perfectam libere sectentur, et mediante ista felicitatem veram, summam et aeternam consequantur (§ 202). Si haec est omnium destinatio hominum, manifeste sequitur, neminem absolute a Deo ad infelicitatem aeternam destinatum esse. Certum pariter est, Deum sicut totius universi, ita praecipue hominum sapientissimum Gubernatorem esse (§ 257). Deus autem poenas et praemia hominibus proponit, ut eos a peccatis retrahat, et ad bona perficienda impellat (§ 260). Sed si Deus absolute, et sine praevisis demeritis aeternas pro aliquibus poenas destinat, tota sapientissimae gubernationis divinae oeconomia labefactatur, et sic etiam validissima moralitatis motiva e medio tolluntur.

Nota. Adversarii quoque rationibus theologicis abutuntur, praecipue ut negent veram et sinceram Dei voluntatem salvandi omnes, atque inde absolutum reprobationis decretum inferant.

Obi. I. Si Deus vere et sincere vellet omnes homines salvos fieri, certe etiam efficeret, ut omnes infantes, qui ante rationis usum decedunt, baptismum recipiant. Contrarium autem passim observatur: nam multi infantes ex hac vita sine baptismo abripiuntur de quibus profecto dici no potest, quod Deus serio eos velit salvos fieri.

Resp. Sicut Christus pro omnibus mortuus est, ita etiam baptismum pro omnibus instituit, imo etiam praeceptum dedit, ut omnes baptizarentur (1). Voluntas ergo Dei salvandi elucet ex ipsa baptismatis institutione, quod a quovis homine, et per materiam ubique obviam conferri potest. Quod si non omnes infantes baptizantur, nullatenus Deum culpare licet, sed id ex malitia hominum

(1) Matth. 28, 19.

vel ex aliis adiunctis repetendum est, quae per omnipotentiam mutare sapientissimis divinae Providentiae consiliis repugnaret. Hinc *Tricassinus* op. cit. (1) eandem obiectionem solvens dicit: « Si Deus denegat illam primam gratiam efficacem parvulis, quia nempe non efficit, ut perveniant ad gratiam baptismi, tunc communiter hoc accidit vel propter negligentiam, aut malitiam parentum, vel propter rerum ordinem ita se habentem, ut naturaliter non possit parvulus pervenire ad gratiam baptismi, seu ad recipiendum baptismum; et tunc se habet permissive ad hanc privationem, quia non tenetur invertere communem rerum ordinem impedientem hanc baptismi receptionem, nec vim inferre voluntati parentum, qui noluerunt baptismum parvulo conferri, cum maxime pertineat ad sapientem Dei providentiam sinere res agere secundum suam naturam, liberas libere, contingentes contingenter, et non passim miracula facere, susque deque omnia vertere propter bonum aliquorum particularium: sufficit, quod parvulus non damnatur ob hoc, quod non potuit habere baptismum sed quia est in peccato originali, per quod fit reus damnationis aeternae, id est, privationis. Unde privatio ista baptismi in parvulo se habet in ordine supernaturali, quomodo monstra in ordine naturali, et quomodo mors illius adulti, qui incidit in amentiam, apoplexiam, lethargum post peccatum mortale, ista enim omnia permittit Deus, quia ista omnia sinere pertinet ad summum omnium provisorem, qui passim non debet immutare rerum ordinem propter bonum aliquod particulare; et sic bene satisfit huic difficultati pro parvulis. » Caeterum hic recolenda sunt, quae iam fusius pertractata fuerunt (§ 448 praec., n. 3).

Obi. II. Ille censendus non est velle omnium salutem voluntate etiam conditionata, qui cum per ipsum stet ponere conditionem, per collationem nempe gratiae efficacis, eam non ponit: atqui Deus plurimis gratiam efficacem vel ad fidem recipiendam, vel ad poenitentiam agendam non tribuit: ergo non est censendus velle istorum salutem.

Resp. Propositio maior vera esset, si conditio ponenda a solo Deo penderet, id est, si gratia concedenda non exigeret liberam hominis cooperationem, si nempe esset efficax in sensu Iansenii, et necessitaret voluntatem: falsa autem est, quia conditio ponenda etiam ab homine pendet, cuius liberum arbitrium a gratia motum et excitatum vel dissentire potest, vel consentire. Sufficit proinde ex parte Dei, ut dici possit, ipsum habere voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, si omnibus hominibus largiatur gratias vere sufficientes, quibus si homines consenserint, de facto salutem consequantur. Iam vero alibi probatum est, Deum gratias vere sufficientes, non solum iustis (§ 442), sed etiam peccatoribus (§ 443 etc.) ac infidelibus impertiri (§ 447). Generatim loquendo argumenta, quae ex defectu gratiarum petuntur, suspecta merito censentur. Distributio enim gratiarum est operatio divina, quae a nobis perfecte perspici nequit. Quis enim cognoscit internas illuminationes, et inspirationes, quibus Deus pro infinita sua misericordia tum peccatores, tum infideles ad se trahere satagit? et utinam iis consentirent! facile per orationem, et alios actus bonos uberiores, et efficaciores gratias reciperent, quibus ad viam salutis dirigerentur. Non licet igitur

(1) P. 2, sect. 3, paragr. 3

ex gratiarum defectu talia corollaria deducere, quae tum infinitae Dei bonitati, tum certae divinae revelationi adversantur, quae testatur, Deum velle omnes homines salvos fieri, et Christum pro omnibus mortuum esse.

ARTICULUS II.

De causa reprobationis negativae.

§ 738. Quamvis omnes theologi catholici admittant, causam reprobationis positivae esse peccatum lethale praevisum, non tamen ita consentiunt in explicanda reprobatione negativa, et in assignanda eiusdem causa. Nonnullis reprobatio negativa est pura omissio praedestinationis ad gloriam et gratiam efficacem, ac veluti quaedam negatio, seu suspensio actus in Deo non praedestinante. Aliis est actus positivus, quo Deus aliquos praedestinando, alios non vult praedestinare, seu istos vult a gloria excludere. Porro reprobatio negativa duplex a theologis distinguitur, nempe *radicalis*, sive omissio praedestinationis ad gratiam efficacem et finalem, *formalis*, sive omissio praedestinationis ad gloriam. — Dari in Deo reprobationem negativam tam radicalem, quam formalem, manifestum est ex eo, quia Deus nec omnes praedestinavit ad gloriam, neque ad gratiam finalem congruam; secus nemo damnaretur. At quaenam sit *causa* reprobationis negativae, praecipue formalis, non convenit inter ipsos theologos catholicos. Sicuti enim non conveniunt circa praedestinationem, quam vel ante, vel post praevisa merita defendunt, ita etiam dissentiunt in assignanda causa reprobationis negativae.

1. Qui praedestinationem ante praevisa merita defendunt, necessario ex sua sententia inferunt, quod ad negativam reprobationem non requiratur peccatum praevisum, quoniam, si aliqui tantum absque respectu ad merita praedestinantur, caeteri eo ipso non praedestinantur, ac ideo summo illo beneficio privati, seu negative reprobati sunt. Ast etiam in hac conclusione exponenda discordant auctores. Nonnulli reprobationem negativam a sola voluntate Dei absoluta repetunt; aiunt enim, gloriam aeternam beneficium esse gratuitum, nullique vel angelorum, vel hominum debitum, quod idcirco sine ulla prorsus iniustitiae nota aliquibus a Deo denegatur: quo principio posito docent, Deum actu positivo exclusisse reprobos a gloria ante ullum praevisum eorum peccatum, ut eluceret divina iustitia, utque universi pulcritudo magis commendaretur, quae exurgit ex diversitate electorum et reproborum: ex hac autem intentione excludendi positive a gloria volunt Deum progredi ad praeparandum medium, quo haec exclusio habeatur, scilicet denegationem gratiae efficacis, et permissionem peccati, quo praeviso Deus sic exclusis decernit aeternam damnationem, nempe poenam sensus, et poenam damni, quae est ipsa exclusio a gloria, non amplius ut a beneficio indebito, sed tanquam poena pro culpa; nolunt enim, primam exclusionem a regno esse poenam, sed tantum secundam: quia, inquiunt, prima est mera negatio rei indebitae, secunda est privatio propter culpam: sicut si rex deneget alicui dignitatem, quae ipsi non debetur, non est poena; si autem ipsi deneget propter demerita eius, alioquin concessurus, est poena. Ita sentiunt *Estius*, *Sylvius*, *Alvarez*, *Ioannes a S. Thoma*, *Salmanticenses*, *Contensonius* et *alii Thomistae*. Non autem putandum est, quod omnes Thomistae huic sententiae subscripserint; sed non pauci eam ut nimis

duram impugnarunt, et docuerunt reprobationem non esse voluntatem excludendi a gloria antecedenter ad culpae praevisionem, sed esse voluntatem permittendi, ut aliqui a gloria culpa sua excidant; positivam autem exclusionem a gloria includi quidem in reprobatione, sed tamen supposita culpa, eamque subsequi, non antecedere. Hanc sententiam propugnavit cl. *Goudin;* pro eadem citantur *Capreolus* et *Caietanus*, eandemque secuti sunt *Graveson* et *Billuart*. — Cum his fere consentiunt *Bellarminus* et *Suarezius*, qui existimant, Deum ante praevisa demerita nullum exclusisse positive a gloria, exclusisse tamen negative. — *Augustiniani* aliter sentiunt de reprobatione Angelorum, aliter de reprobatione hominum in statu naturae lapsae. Inter Angelos nempe eos fuisse reprobatos volunt, quos Deus auxilio *sine quo*, seu gratia sufficienti quam solam illis necessariam fuisse docent, pro suo libero arbitrio male usuros praevidit; et ita Molinistis hac in parte consentiunt. Hominum vero reprobationem repetunt a peccato originali; considerantes enim, electionem hominum ad gloriam non fieri nisi post praevisionem peccati originalis; adeoque ex massa iam corrupta, consequenter putant, hominum reprobationem negativam non esse nisi iustam derelictionem in eadem massa, seu, ut loquitur *S. Augustinus*, *non liberationem*. Peccatum tamen originale tanquam causam reprobationis negativae assignant cum distinctione: eorum nempe, qui ad gratiam regenerationis non perveniunt, peccatum originale causam reprobationis *proximam* esse statuunt; reprobationem autem adultorum baptizatorum etiam a peccato originali repetunt, sed tanquam a causa *remota* et *radicali*. Hanc sententiam propugnant *L. Berti* (1), *Norisius;* inter Thomistas *Thomas de Lemos*, *Gonetus*, Card. *Gotti*, *Gazzaniga* et alii. *Iansenius* vero peccatum originale etiam in baptizatis causam esse dixit, propter quam privatione illius specialis benevolentiae, qua Deus electos praedestinat, puniantur, et saltem negative reprobentur.

2. Qui praedestinationem post praevisa merita propugnant, nullam admittunt reprobationem negativam, vi cuius quidam absque omni peccato ab aeterna gloria excludantur, quia talis reprobatio pugnat cum vera et sincera Dei voluntate omnes salvandi. Sicut igitur, qui ita sentiunt, electorum praedestinationem factam esse dicunt ex praevisis eorum meritis, consequenter docent, reprobationem tum angelorum, tum hominum factam esse ex praevisis eorum culpis, neminem absoluto et mere gratuito decreto a gloria aeterna excludi, sed reprobationem positivam et negativam petendam esse a peccato praeviso vel originali per baptismum non extincto, vel actuali per poenitentiam non deleto, vel utroque. Hanc sententiam probant, quaecumque iam allata sunt ad demonstrandum, quod praedestinatio ad gloriam facta sit post praevisa merita, quod Deus velit omnes homines salvos fieri, et quod ideo non alia sit causa reprobationis positivae, quam praevisum peccatum. Hinc aliqua tantum hic addimus, tum ut refellantur illi, qui reponunt reprobationem negativam tam Angelorum, quam hominum in exclusione positiva a gloria tanquam a beneficio indebito, sicque esse gratuitam, et ante praevisa demerita, tum ut confutetur error *Iansenii* (2) docentis « veram reprobationis causam (quoad

(1) Lib. 6, cap. 15.

(2) Lib. 10 de grat. Chr. c. 2.

omnes) esse peccatum originale, quo (reprobi) periisse, et damnationem praevidentur meruisse.

I. *Non datur reprobatio negativa a gloria tanquam a beneficio indebito ex solo Dei beneplacito ante praevisum quodcumque peccatum.*

§ 739. Haec propositio variis argumentis a *S. Scriptura, traditione*, et *rationibus theologicis* petitis probatur.

1. Adversarii contendunt, in Deo esse decretum aeternum aliquos sine praevisa culpa non quidem poenis afficiendi, sed tamen ab aeterna gloria excludendi, et hanc exclusionem non esse poenam, sed solum beneficii indebiti denegationem. Sed talis status alterius vitae, medius inter poenam et praemium, plane fictitius est. Nam *S. Scriptura* testatur, post diem iudicii duplicem tantum statum futurum esse, nempe electorum et reproborum, dicente Christo : *Ibunt hi in supplicium aeternum: iusti autem in vitam aeternam* (1). Ergo etiam decretum divinum, aeternas hominum sortes concernens, ad unum vel alterum statum ordinatur. Praetera in S. Scriptura etiam exclusio a regno coelorum peccatis adscribitur. Ait enim Apostolus: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles... regnum Dei possidebunt* (2). Deus ergo propter peccata homines ab aeterna gloria excludit : quod autem Deus semel vult semper vult, et ab aeterno decernit. Et sane, ait cl. *Billuart* (3): « Deus non vult poenam ante culpam, ut concedunt adversarii: atqui a gloria in aeternum excludi est gravissima poena, et summa miseria, imo ipsa essentialis damnatio, nempe poena damni: ergo Deus neminem excludit a gloria ante praevisa demerita. »

2. Iuxta S. Scripturam, et praesertim Apostolum, Deus quantum est ex se, vult sincere, ut omnes salvi fiant, ita ut eorum damnatio ex ipsis solis proveniat: atqui si Deus ante omnem culpam ex parte reprobi praevisam decrevisset positive eum a gloria, et salute aeterna excludere, atque ad id ut ad finem a se intentum media conquireret, palam est, quod, quantum est ex se, non modo non vellet eum salvari, sed contra vellet eum a salute excludi, et in aeternum perire. Ergo ante praevisum peccatum non fuit talis voluntas in Deo. Nam, ut bene observat *Thom. ex Charmes* (4): « Sincerus affectus homines salvandi stare non potest cum reprobatione negativa a gloria... Affectus enim, qui non tam est, quam esset futurus, si nihil obstaret, non est sincerus: atqui iuxta adversarios affectus Dei erga salutem hominum non tam est, quam esset, si nihil aliud obstaret. *Voluntas illa antecedens*, inquit *Alvarez* (5), *actum conditionatum importat in Deo, quo vellet salutem omnium, nisi ex hoc impediretur pulcritudo universi, et bonum universale divinae iustitiae, et misericordiae.* Ergo iuxta illos Deus non tam vult homines salvos fieri, quam vellet; quomodo prodigus vellet parcere sumptibus, nisi vellet satisfacere nimio luxui, et avarus liberaliter agere, nisi vellet ditescere: quomodo autem hoc potest cum his verbis convenire Ezech. XXXIII: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat?* Et cum his Rom. II: *An divitias bonitatis eius et patien-*

(1) Matth. 25, 46. (2) I Cor. 6, 9, etc.
(3) De Deo Diss. 9, art. 9, § 2.
(4) De Deo, Diss. 4, cap. 3, n. 4, art. 1, Concl. 8. (5) Disp. 84, Col. 4, n. 5

tiae et longanimitatis contemnis? Ignorans, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? » — Igitur ut salvetur vera et sincera voluntas Dei antecedens salvandi omnes, necessario dicendum est, Deum neminem reprobare nisi ob praevisum peccatum aut originale, aut actuale, et ideo non dari reprobationem negativam (sive sit mera negatio actus, sive actus positivus), quae fiat ex solo Dei beneplacito ante praevisum quodcunque peccatum.

3. *Ss. Patres*, ut patet ex locis citatis § 736, n. 1, reprobationis decretum repetunt ex praevisis peccatis. Cum autem ipsis distinctio in reprobationem positivam et negativam ignota fuerit, per reprobationem tum exclusionem a gloria, tum inflictionem poenarum intelligunt, et utriusque causam esse praevisa peccata dicunt. Imo fidissimi *S. Augustini* discipuli expresse docent, etiam exclusionem a gloria, seu denegationem aeternae beatitudinis adscribendam esse praevisis peccatis. *S. Prosper* in resp. ad Obi. III Gallor. inquit de reprobis: « Ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri (nempe mali in fine vitae) ex voluntaria praevaricatione praesciti sunt . . . essent autem praedestinati, si essent reversuri, et in sanctitate mansuri; » ubi manifeste reiicit reprobationem negativam, cum asserat, eam fieri ob praevisa peccata actualia. *S. Fulgentius* ad Monim. (1) scribit: « Quaeso, Monime, ut hunc locum Pauli Rom. IX attendas; notum namque est, iram Dei non posse dici, nisi ubi creditur iniquitas praecessisse: » ubi nullam Dei iram agnoscit (qualis existit non solum in condemnatione ad supplicia, sed etiam in exclusione a gloria, quae est poena damni) nisi ubi praecessit iniquitas. *Concilium Valentinum III*, can. 2 cum dixisset, praescientiam Dei non inferre necessitatem, subiungit: *Nec ex praeiudicio eius (Dei) aliquem, sed ex merito propriae iniquitatis credimus condemnari: nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Certe si aliqui ex parte Dei vel per negationem actus, vel per actum positivum a gratia et gloria excluderentur, id maxime vergeret in hominum infelicium istorum *praeiudicium:* negat autem Concilium, ex tali praeiudicio repetendam esse damnationem, et affirmat, etiam reprobos talia auxilia recipere, ut boni esse possint. His accedit consensus Ecclesiae graecae schismaticae, quae constanter hanc fidem retinuit, quod praedestinatio ex praevisis meritis, et reprobatio ex praevisis demeritis facta sit. Nam in suo symbolo, anno 1723 Ecclesiis Russiae transmisso, art. 3 dicit: « Credimus, quod clementissimus Deus illos ad gloriam praedestinaverit, quos ad hanc ab aeterno elegit, illos autem quos ab aeterno reprobavit, damnationi addixerit. Exinde autem non sequitur, Deum voluisse, ut illi iustificentur, et isti reiiciantur, et sine causa damnentur; hoc enim Deo, qui est universalis omnium Pater, apud quem personarum acceptio non est, et qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, nullo modo convenire potest: sed in quantum praevidit, aliquos sua libera voluntate bene usuros, alios eadem abusuros esse, illos ad gloriam, et hos ad damnationem destinavit. »

4. Praecipua ratio, ob quam adversarii absolutum reprobationis negativae decretum defendunt, ex eo pe-

(1) L. 2, c. 24.

titur, quia gloria aeterna est hominibus indebita; beneficium autem indebitum absque iniustitia etiam illis, qui culpa vacant, denegari potest. — Sed haec argumentatio falso supposito laborat, quod ostendit cl. *Tournely* (1) dicens: « Neque vero quidquam momenti habet, quod aiunt, gloriam homini esse indebitam: ita quidem indebita est absolute, quia potuisset Deus hominem non ordinare ad finem supernaturalem; indebita est etiam nunc propter peccatum, cuius demerito excidimus a iure haereditatis filiorum Dei. At debita est supposita gratuita ordinatione Dei, qui fecit hominem rectum, et ad vitam aeternam destinavit; debita est titulo redemptionis per Christum factae, cuius passionis et mortis praetium elevare plurimum ac extenuare videtur sententia quam hic impugnamus; debita est titulo misericordiae ac benignitatis Christi, qui passus est pro nobis, ut donaret nobis vitam, qui nos adiuvat, ut faciamus, quae iubet, qui non patitur tentari nos supra id, quod possumus. » Et sane per Christum Redemptorem lapsa humana natura reparata est; nam Rom. V, 18: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* Omnes igitur homines iterum ad destinationem suam pervenire possunt; et cum Paulus dicit: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, id de hominibus in statu naturae reparatae intelligendum est.

5. *Cl. Billuart* loc. cit. adversarios perstringit ultimo ex implicantia sententiae, quam defendunt. Ait enim: « Dicunt adversarii, Deum in negotio reprobationis incepisse ab intentione manifestandi iustitiam suam punitivam, et vi huius intentionis statim exclusisse reprobos a gloria ut a beneficio indebito; postea decrevisse permittere culpam: atqui exclusio a beneficio indebito et ante culpam est medium prorsus incongruum, et repugnans ad ostensionem iustitiae punitivae, ut patet, quia potius ostendit iustitiam punitivam in ea non habere locum. Ergo ecc. »

Nota. Sicut praedestinatio ad primam gratiam, quam nemo mereri potest, iuxta omnes theologos est omnino gratuita, ita etiam communiter theologi docent, reprobationem negativam *radicalem*, seu omissionem praedestinationis ad gratiam primam et finalem non habere causam ex parte hominis reprobi, sed dependere ex solo beneplacito Dei (2). Quamvis autem gratias istas mere gratuitas esse nullus catholicus neget, considerata tamen infinita Dei bonitate, et meritis Christi recte dicitur, saltem adultis omnibus sufficientes gratias concedi, quibus salutem aeternam consequi possint(3). *Thomistae* autem qui dicunt, illos praedestinatos esse ad gloriam, quibus gratiae ab intrinseco efficaces praeparatae sunt, necessario inferunt, quod caeteri *negative radicaliter* reprobati sint. Ideo etiam moderatiores cum *Billuart* aiunt quod reprobatio non sit voluntas excludendi a gloria sine culpa, sed voluntas permittendi, ut aliqui sua culpa excidant a gloria. Id probant etiam auctoritate *S. Thomae*, qui I, q. 23, art. 3 ait: « Pertinet ad divinam providentiam, ut permittat, aliquos ab isto fine (gloriae) deficere, et hoc dicitur reprobare; » et inferius ait: « Reprobatio includit voluntatem permittendi, aliquem cadere in culpam et inferendi damnationis poenam pro

(1) De Deo q. 23, art. 2, concl. 4.

(2) V. Sardagna tom. 6, art. 3, controv. 6, n. 567. (3) Cf. § 441 et seq.

culpa. » Nullatenus autem putandum est, *S. Thomam* docere, quod Deus aliquos deserat, et ex hac intentione gratias eis deneget, ut in culpam labantur, cuius punitio divinam iustitiam manifestet. Contrarium enim Angelicus Doctor passim tradit. Nam I, q. 79, art. 1 dicit: « Quia Deus omnia inclinat, et convertit ad se sicut in ultimum finem, impossibile est, quod sit sibi vel aliis causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum. » Et in I, dist. 40, q. 4, art. 2 ait: « Cum Deus non velit nisi bonum, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est. Sed quod iste careat gratia, non est simpliciter bonum: unde hoc absolute consideratum non est volitum a Deo. Est tamen bonum, ut careat gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se praeparat, quia iustum est, et hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo, quod huius defectus absolute prima causa est ex parte hominis, qui gratia caret: sed ex parte Dei non est causa huius defectus nisi ex suppositione illius, quod est causa ex parte hominis. » Et q. 24 de verit., art. 14 ad 2 scribit: « Recte homo corripitur, qui praecepta non implet, quia ex eius negligentia est, quod gratiam non habet, per quam potest servare mandata. » Sicuti ergo *S. Augustinus* frequenter docuit Deum neminem deserere, nisi deseratur, ita etiam *S. Thomas* constanter asseruit, gratias sufficientes, quibus praecepta divina adimpleri possint, omnibus dari, easque propter culpam tantum denegari. Minus recte ergo reprobatio ista quasi ex parte Dei petitur, quia gratias reprobis non praeparavit; sed illa semper petenda est ex praevisa culpa, quae etiam causa est gratiae denegatae.

II. *Peccatum originale non est causa reprobationis adultorum baptizatorum.*

§ 740. Certum est, infantes, qui sine baptismo moriuntur, reprobari a gloria propter solum peccatum originale praevisum, cum alterius peccati rei esse non possint. Quod si autem originale peccatum per baptisma remissum et deletum sit, non potest esse causa reprobationis, seu motivum illud, propter quod Deus aliquos adultos baptismate iustificatos ab aeterna gloria excludat, et aeternis poenis afficiat. Ast *Iansenius* etiam in adultis baptizatis peccatum originale reprobationis causam dicere non veretur: nam (1) ait: « Veram reprobationis causam esse peccatum originale, quo (reprobi) periisse, et damnationem meruisse praevidentur. » Et (2) subdit: « Tota illa suppliciorum concatenatio usque ad ultimam damnationem in ignem aeternum radicaliter, et mediate in peccati originalis meritum referenda videtur: immediate tamen prima poenarum istarum promeretur secundam, et ita deinceps, donec ultima tandem velut praecedentium complementum inferatur. » Igitur in mente *Iansenii* peccatum originale etiam per gratiam baptismatis remissum est causa radicalis prima, tametsi non immediata damnationis aeternae reproborum; et rationem inferius reddit, « quia ira contra istud peccatum concepta iam ab aeterno factum est, ut multos eorum noluerit Deus ex integro liberandos a perditione discernere; et ex eadem etiamnum fit, ut si quos temporaliter inde per fidem, aut peccati illius remissionem aliqua ex parte discreverit, in eundem statum damnationis relabantur. » At haec sententia admitti nequit; in a-

(1) Lib. 10 de gr. Chr., c. 2. (2) C. 3.

dultis enim baptizatis peccatum originale non est reprobationis causa.

1. *S. Scriptura* multis in locis testatur peccata remissa peccatori non nocere, nec Deum illorum recordari. Sic Ezech. XXXIII, 12 dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit;* et Ezech. XVIII, 22 de impio poenitente dicit Deus: *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* At si Deus baptizatum propter peccatum originale reprobaret, peccatum remissum illi maxime noceret, et Deus iniquitatis deletae recordaretur, atque ita vera non essent, quae in Ezechiele dicuntur; quamobrem dicendum est, sententiam *Iansenii* S. Scripturae repugnare. Quod confirmatur etiam ex verbis Pauli dicentis: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant* (1), id est, nihil nunc damnatione dignum est in iis, qui per baptismum Iesu Christo sunt insiti, si concupiscentiae resistunt, et ab ea se regi non patiuntur.

2. Christus ait: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (2). Quicunque ergo per baptismum iustificatur, etiam ius acquirit ad beatitudinem aeternam, et ad media hanc promerendi. Ius autem istud, quod solus Deus intuitu meritorum Christi concedit, supponit in Deo veram et sinceram voluntatem baptizato aeternam gloriam tribuendi, nisi per grave peccatum actuale se illa indignum reddat. Non potest ergo in Deo simul voluntas esse, baptizatum propter peccatum originale ab aeterna gloria excludendi, nisi dicatur, baptismum illusorium esse, et effectum non producere, quem clarissima Christi verba eidem attribuunt. Non licet autem tale quid cogitare; unde *Conc. Valentinum III*, can. 5 de baptizatis ait: *Nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio, cum in Ecclesiae Sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, et ipsa sui veritate, ac sinceritate subnixum.* Explicans deinde, quare inter baptizatos non omnes salvi fiant, dicit, illos salvari, qui in iustitia perseverant; *alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quam servare elegerunt, ad plenitudinem salutis, et ad perceptionem aeternae beatitudinis nullo modo pervenire:* quibus verbis pro causa, ex qua baptizati reprobentur, non peccatum originale sed sola peccata actualia assignat.

3. *Concilium Tridentinum* sess. V, can. 5 definit: *Si quis per Iesu Christi D. N. gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema sit.* Igitur per baptismum ita Deus reconciliatur homini, ut illi plene condonet peccatum, et peccati poenam tam aeternam, quam temporalem: atqui prorsus repugnat tam plenae et sincerae reconciliationi, quod Deus peccatum sic condonatum retineat ut motivum reprobationis; haec enim duo sunt incompossibilia: « Volo efficaciter condonare peccatum originale, et volo efficaciter reprobare propter illud, seu in poenam illius. » sicut incompossibilia sunt, quod iudex sincere condonet peccatum homicidae, et tamen velit propter illud homicidam suspendi, quae tamen admittere debet opposita sententia. Addit Concilium in eodem canone: *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.* In baptizatis ergo

(1) Rom. 8, 1. (2) Marc. 16, 16.

nihil est, quod Deus *odit*, id est, propter quod vel gratias subtrahit, vel poenas infligit. Atqui si Deus velit in poenam peccati originalis reprobare illos, quibus remissum, aut remittendum est, vult consequenter in illius poenam illis denegare in tempore gratiam efficacem, et donum perseverantiae; volitio enim efficax finis est causa electionis mediorum, media autem ad reprobationem sunt denegatio gratiae efficacis, et perseverantiae: quo posito in renatis aliquid est, quod Deus odit, et quod vergit in eorum damnationem, et vera non sunt Concilii verba. Denique Concilium ibidem docet, quod renati per baptisma *Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur*. Atqui si peccatum originale esset causa reprobationis a gloria, renatus per baptisma haberet aliquid, quod eum ab ingressu coeli remoratur. Recte ideo *Bellarminus* (1) dicit, sententiam adversariorum per *Conc. Tridentinum* invicte confutari.

Nota 1. Dantur etiam theologi catholici qui contendunt, recte dici posse, quod peccatum originale concurrat ad reprobationem etiam in baptizatis, quatenus est fons et origo peccatorum actualium, ob quae, si per poenitentiam non deleantur, homines reprobantur. At, reponit *cl. Billuart* (2), « hoc sensu peccatum originale potest dici motivum reprobationis eorum, quibus est remissum, non formaliter et in se, sed radicaliter et in suis effectibus: et hoc est dicere, non quod peccatum originale, sed peccatum actuale ex originali promanans sit motivum reprobationis. » Aiunt illi praeterea, quod licet peccatum originale, prout est macula personae, deleatur per baptismum, non tamen deletur, prout est infectio naturae; etenim, inquiunt, per peccatum originale infirmitas naturae est aucta, et concupiscentia effecta magis effrenis, et haec remanent deleta culpa; unde fit, quod homo sit defectibilior et proclivior ad peccatum, atque ob hanc defectibilitatem et proclivitatem magis exigat ex sua conditione, ut permittatur deficere: sicque peccatum originale, in quibus remissum est, ratione huius maioris defectibilitatis, et ardentioris concupiscentiae, quae, ipso quoad culpam deleto, remanent, potest dici concurrere ad reprobationem. At, iterum respondet *cl. Billuart* l. c., « quod bene advertas, ista maior infirmitas, seu defectibilitas non concurrit ad reprobationem ut motivum illius, sed tantum ut conditio, sine qua non, seu ut dispositio aut aptitudo ex parte materiae, sicut vilitas luti non est motivum cur figulus luti fingat quaedam vasa in contumeliam. Quamtumvis enim natura foret defectibilis, Deus non permitteret eam deficere, nisi propter aliquod bonum, ut iam antea observavimus: quod autem natura defectibilis culpam non habens permittatur deficere, praecise et secundum se non habet rationem boni, sed quatenus iste defectus ordinatur ad aliquod bonum: ergo haec naturae infirmitas per peccatum originale aucta non potest dici motivum, ob quod Deus permittat aliquos deficere; sed, ut dictum est, se habet tantum ut conditio, sine qua non, seu ut dispositio materiae ad deficiendum: motivum autem repeti debet ex aliquo bono, quod Deus ex illo defectu intendit, ut est bonum Universi, manifestatio attributorum, maxime iustitiae etc. » Iustitia autem divina in

(1) De grat. et lib. arb. c. 16.

(2) De Deo Diss. 9, art 9, § 4.

baptizatis tunc tantum manifestatur, si, deleta culpa originali, reprobentur ob peccata actualia. Ideo *Conc. Tridentinum* in can. citato dicit: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta synodus fatetur et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet:* noceret autem quam plurimum, si esset causa denegatae gratiae, et reprobationis a gloria. Non licet ergo dicere, peccatum originale esse in baptizatis causam reprobationis propter concupiscentiam, quae in ipsis manet. Quamvis enim haec homines ad peccatum procliviores reddat, observandum tamen est, quod homines per baptismum gratiam sanctificantem, et ius ad validissima salutis media obtineant, et quod iustificati per orationem gratias efficaces consequi valeant, quibus concupiscentiam facile vincere possint. Non ergo propter concupiscentiam, sed propter suam negligentiam, qua media salutis non adhibent, et propter peccata actualia, in quae ideo labuntur, baptizati reprobantur. Nam, ait *Conc. Tridentinum* Sess. VI, cap. 11, *Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Et ibid. cap. 13 dicit: *Deus, nisi ipsi* (iusti) *illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.*

Nota 2. Ad quaestionem: quot sunt *effectus reprobationis?* respondet *Th. ex Charmes* (1), « sunt quatuor, nempe *primus* est permissio peccati, non cuiuscunque, quia peccatum potest per gratiam deleri, sed peccati cum morte coniuncti. *Secundus* est obcaecatio mentis, qua fit, ut homo se peccare non amplius advertat, sicque non convertatur, infallibiliterque moriatur impoenitens; licet enim Deus ei non deneget gratiam illuminationis sufficientem, ipsi tamen in poenam peccatorum praecedentium efficacem denegat. Caecitas autem illa ita est poena peccati, ut sit etiam ipsa peccatum, utpote voluntaria. *Tertius* est obduratio cordis, qua fit, ut obduratus lucentem veritatem reiiciat, monitiones spernat, et adhortationibus hoc unum respondeat: *non possum. Quartus* est poena tum damni, quae in exclusione a gloria, tum sensus, quae in deputatione ad poenas aeternas consistit. Haec enim utraque poena est a Deo, iusto vindice: *Discedite a me maledicti, in ignem aeternum.* » Iam alibi autem (2) declaratum est, quod Deus obcaecet et induret homines, non tribuendo aut intendendo eorum malitiam, sed denegando eis gratias, quibus se indignos reddiderunt: quod docet etiam *S. Augustinus* (3) scribens: « Non indurat Deus infundendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. » Ita ergo recensiti effectus reprobationis intelligendi sunt, ut vera maneant, quae iam probata fuerunt, nempe reprobationis *positivae* causam esse praevisum peccatum, et non admittendum esse absolutum reprobationis *negativae* decretum, quia Deus vere et serio vult, omnes homines salvos fieri. Non igitur homines adulti ideo a gratia deseruntur, et in peccata labuntur, quia reprobati sunt, sed ideo reprobantur, quia gratiis abusuri in peccata lapsuri et in iisdem decessuri praevidentur. Hinc etiam *Th. ex Charmes* l. c. addit: « Resolves, causam meritoriam indurationis esse antecedentia peccata, ut tradit Apostolus Rom. I, 21,

(1) De Deo Diss. 4, c. 3, q. 4, a. 2.

(2) § 242 in Resp. ad Obi. 4.

(3) Epist. 194.

qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt etc. (v. 24), *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Quem locum expendens S. *Augustinus* l. 5 c. Iulian. cap. 3 dicit: *Hic itaque vides causam, propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam; dixit quippe quid mali ante fecissent, et adiunxit: propter quod tradidit illos in desideria cordis eorum; proinde praecedentis est haec poena peccati* » (1).

Usus doctrinae de reprobatione.

§ 741. Si teste Apostolo *quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (2), absque dubio etiam revelata de reprobatione doctrina talis est, ut homines non inutili terrore cruciet, nec in improbam damnationem agat, sed potius a peccatis retrahat, et ad bene vivendum impellat, atque sic eorum moralitatem et felicitatem promoveat.

1. Si praevisum a Deo lethale peccatum unica est reprobationis causa, cuilibet homini acclamandum est: *Quasi a facie colubri fuge peccata; et si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum* (3). Illud solum merito timendum est, sine quo mala caetera non obsunt, et cum quo bona cuncta nihil prosunt ad salutem. Timeant ergo et peccatores et iusti; utrisque enim ruinae periculum impendet; illis quidem, quia iam reprobationis causam in se, peccata nimirum, experiuntur; istis etiam, ne, dum de iustitia sua praesumunt, eo lapsu graviore ruant, quo altius sese efferunt. Peccatores per veram poenitentiam reprobationis causam a se amovere festinent; scriptum est enim: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te* (4). Iusti autem, qui stant, videant ne cadant, et ideo fragilitatis suae memores, in humilitate ambulent, non se super alios efferentes, non suis viribus merita adscribentes, non de sua iustitia praesumentes. Nam, ait S. *Augustinus* (5): « Ipsam praesumptionem superbiae damnat Deus. Praesumptio de iustitia quasi dextera est; cogitatio impunitatis peccatorum quasi sinistra est. Audiamus vocem Dei dicentem nobis: *Ne declines in dexteram, aut sinistram.* Ne praesumas ad regnum de iustitia tua, ne praesumas ad peccandum de misericordia Dei. »

2. Christus cuidam sciscitanti: *Domine, si pauci sunt qui salvantur?* respondit: *Contendite intrare per angustam portam* (6), quasi dicat: Nolite de reprobationis iudiciis sollicite angi, incuriae vestrae ac socordiae nequaquam favete, cogitantes, multos etiam mediocri studio esse salvandos, sed potius solliciti et alacres in virtutis studio estote, per mortificationem continuam cordis passiones frenate, et carnis concupiscentias crucifigite; semper orantes, et nunquam deficientes gratias efficaces impetrare satagite, bona opera sedulo exercentes in via perfectionis usque progredi studete: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi quaerent intrare, et non poterunt*, quia ex his quoque, qui non omnino torpescunt, nec magnis criminibus inquinati esse videntur, multi peribunt. Itaque reprobationis abyssum ne scrutemur, ne sub aquis tam vehementibus in tanto illidentium fluctuum stridore

(1) § 443-446. (2) Rom. 15, 4.
(3) Eccli. 21, 2, etc. (4) Eccli. 5, 8.
(5) Enar. in Ps. 31. (6) Luc 13, 23, etc.

mergamur, sed per electorum semitas, et angustam Evangelii viam ambulare solliciti simus; et sic reprobationis causas vitantes funestos eius effectus non experiemur.

3. Pastoris animarum est, ita doctrinam de reprobatione populo proponere, ut inde gloria Dei et salus animarum promoveatur. Frequenter idcirco fidelibus exponat, Deum velle omnes homines salvos fieri, Christum pro omnibus mortuum esse eisque salutis media praeparasse; Deum infinite misericordem esse, neminem deserere, nisi prius ab homine deseratur, neminem damnare, nisi ob peccatum, et maximum quoque peccatorem per poenitentiam a perditione liberari posse. Reprobationis autem pericula, quae in negotio salutis desides, inordinate viventes, et poenitentiam procrastinantes incurrunt, non reticeat, sed gravibus verbis describat, ut fideles a vitiis retrahat, a tepore excitet, et ad virtutis exercitium impellat. Alios autem admonens de sua imprimis salute sollicitus sit, et cum Apostolo dicat: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne, dum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*

—

SECTIO II.

DE EXECUTIONE DECRETORUM DIVINORUM IN MORTE HOMINIS SEU DE CONSUMMATIONE PARTIALI.

§ 742. Quemadmodum de Deo Creatore scriptum est: *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt* (1), ita etiam de Deo Consummatore dicendum est, quod omnia, quae decrevit, certissime, et exactissime adimpleantur. Voluit nempe Deus, ut homines in hac vita perfectam moralitatem sectentur, et in altera vita summam ac aeternam felicitatem consequantur. Negari ergo non potest, nobilissimum finem hominibus a Deo praefixum esse. Quinimo, ait *V. Beda*, Serm. 3 de Sanctis: « Dei ineffabilis et immensa bonitas etiam hoc providit, ut laborum quidem tempus et agonis non extenderet, nec longum faceret, aut aeternum, sed breve, et, ut ita dicam, momentaneum; ut in hac brevi et exigua vita agones essent et labores, in illa vero, quae aeterna est, coronae et praemia meritorum; ut labores quidem cito finirentur, meritorum vero praemia sine fine durarent. » Summa autem haec felicitas hominibus nonnisi sub conditione perfectae moralitatis promissa est, qua deficiente in altera vita non praemia consequentur, sed poenis subiicientur. Et haec quidem aliquo modo ipsa sana ratio cognoscit, quae tamen hominum in altera vita sortem perfecte explicare, et praemiorum ac poenarum modum describere non valet. Ad divinam igitur revelationem recurrendum est, quae nos edocet, homines ex hac vita in aliam transeuntes mox coram tribunali divino iudicari, et per iustissimi iudicis sententiam in statum praemiorum aut poenarum reponi. Ut haec doctrina rite explanetur, agendum est 1° *de transitu hominum ex hac vita in alteram*, 2° *de statu hominum in altera vita*, et 3° *de nexu Beatorum cum hominibus viatoribus:* quibus declaratis, quaedam *de communione Sanctorum* dicenda sunt.

Nota. Veritas fundamentalis pro tractatibus in hac et sequenti sectione suscipiendis, est *immortalitas animae*, quae iam alibi (§ 200) probata fuit, et per ea, quae in his sectionibus dicenda sunt, maxime confirmatur. - Ubi autem semel persuasum est homini, se cum hoc mortali cor-

(1) Ps. 148, 5.

pore non esse interiturum, nihil potest ipsi esse antiquius, quam scire, quam post hanc brevem, fragilemque vitam habiturus sit sortem. Sed et haec quoque cogitatio vehementer animum nostrum pulsare debet: an illi, qui ex vita iam excesserunt, aliquam nobiscum retineant necessitudinem, et an nos, qui hanc vitam adhuc decurrimus, ei servitia praestare, aut auxilia ab ipsis recipere possimus. Qua de re diligentius nunc inquirendum est, admoto revelationis lumine. Pauca hic videt naturalis ratio, si sola est; siquidem incerta sunt et obscura quae de ipsa animae immortalitate disseruerunt etiam sapientissimi veterum Philosophorum; et quamvis ex ipsa Dei notione concluditur, manere post hanc vitam mercedem virtuti, et poenam vitio; nihil tamen certi habetur, nisi fides rationi occurrat. Quaenam nempe sit piis proposita remuneratio, quae vindicta reservata impiis quae sit viventium cum illis qui defuncti sunt connexio, sola nos docere potest revelatio. Ne ergo animos despondeamus cum ad extremam hominis sortem explicandam perventum est. Ea nunc tractanda sunt, quae omnium, quae praecesserunt, scopus sunt et finis: quo omnis vita nostra, et tota divinae providentiae oeconomia collimat. Ad id enim conditi ac redempti sumus, ad id abluti sumus et iustificati; ad id tot egregia vitae sanctioris praecepta, tot virtutis incitamenta, tot gratiae auxilia nobis concessa sunt, ut haereditatem capiamus salutis, et partem habeamus in regno Christi et Dei.

CAPUT I.

DE TRANSITU HOMINUM EX HAC VITA IN ALTERAM.

§ 743. Hominis conditio in hac terra graphice describitur a Iob dicente: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (1). Quibus verbis clare ostenditur, breves esse dies hominis viatoris, adinstar umbrae cito praeterire, multisque miseriis ac vicissitudinibus subiectos esse. Diebus istis peregrinationis ad finem perductis homo viator a mundi theatro abripitur, et ex oculis hominum evanescit: qua de causa tum floribus comparatur, qui egrediuntur, crescunt, marcescunt et conteruntur, tum animalibus, dicente Ecclesiaste: *Unus interitus est hominis, et iumentorum, et aequa utriusque conditio; sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo iumento amplius* (2). Haec vero, ut probatum est (§ 200, not. 2) de conditione corporis dicta sunt, cuius interitus similis dicitur interitui iumentorum; caeterum inter hunc et illum maxima est differentia; animalia enim intereuntia vita sua undequaque privantur: intereunte autem corpore hominis, anima ipsius non moritur, sed vitam suam continuat. De homine enim idem Ecclesiastes inquit: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* (3). Interitus ergo hominis non est, nisi transitus ex hac vita in alteram, qui ut recte cognoscatur, agendum est 1° *de morte hominis*, et de iis, quae eam immediate sequuntur, nempe 2° *de iudicio particulari, et de executione sententiae in eo latae*.

ARTICULUS I.

De morte hominum.

§ 744. Mors est solutio vinculi ac commercii, quod corpus inter et ani-

(1) Iob 14. 1 et 2. (2) Eccle. 3, 19. (3) 12, 7.

mam in homine adest, seu est separatio animae, seu spiritus a corpore. Mors naturalis in S. Scriptura variis nominibus exprimitur et declaratur: mors piorum hominum vocatur somnus; sic Deut. XXXI, 16: *Dixit Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis;* et Io. XI, 11: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum:* mortui dicuntur congregari ad populum suum, Gen. XXV, 8: *Mortuus est Abraham, et congregatus ad populum suum;* ibid. (v. 17): *Ismaël appositus est populo suo;* et Gen. XXXV, 29: *Isaac appositus est populo suo.* Praeterea mors dicitur via universae terrae Iosue XXIII, 14: *Hodie ingredior viam universae terrae;* exitus, et a nobis iter Sap. III, 2, etc.: *Aestimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter, exterminium; illi autem sunt in pace;* et Hebr. XIII, 7: *Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem;* reditus corporis in terrae pulverem, et spiritus ad Deum Eccle. XII, 7: finis, scilicet vitae: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (1); dissolutio, seu resolutio: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* (2); *Tempus resolutionis meae instat* (3); depositio tabernaculi praesentis: *Velox est depositio tabernaculi mei* (4); et requies a laboribus: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (5). — De morte iam, quae inter novissima hominis primum locum tenet, et recte primus in alteram vitam gressus vocatur, tractandum est, eiusque *causas* exponere, *universalitatem* ac *certitudinem quoad substantiam, incertitudinem vero quoad horam* probare, *effectus quoad corpus* et *animam* ostendere, ac demum *solatia quaedam contra mortis terrores* adiicere oportet.

Nota. Mors in triplici alio sensu in S. Scriptura usurpatur: 1° pro damnatione impiorum post hanc vitam, iuxta cogitandi et loquendi modum Hebraeis usitatum, qui olim mortem malorum maximum habuerunt, indeque gravissima quaevis mala, et maximam infelicitatem mortis nomine designarunt: ita Prov. XIV, 12 legitur: *Est via quae videtur homini iusta; novissima autem eius deducunt ad mortem,* id est, ad damnationem aeternam; et ibid. X, 2: *Iustitia vero liberabit a morte,* non quidem a temporali, sed ab aeterna: 2° pro morte spirituali, qua homo per lethale peccatum gratia sanctificante privatur: ut Ephes. II, 1: *Vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris* etc.; et v. 5. *Et cum essemus mortui peccatis* etc.; 3° pro perfecta concupiscentiae abnegatione, qua pii carni et mundo veluti moriuntur, et in Deo vivere incipiunt ut Rom. VI, 2, dicitur: *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* et v. 11: *Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.*

I. *Mortis causae.*

§ 745. Triplex mortis causa distingui potest, scilicet, *efficiens, physica,* et *moralis.*

1. Mortis causa efficiens est Deus ipse, qui sicut omnia creavit, ita omnia conservat et gubernat, et quidem tam sollicita providentia, ut sine voluntate Patris ne unus quidem ex passeribus super terram cadat (6). Multo minus homo sine voluntate Dei morte abripi potest: sed Deus, qui hominibus vitae beneficium praeparavit, etiam terminum vitae posuit; et sicut vinculum corpus inter et ani-

(1) Matth. 10, 22. (2) Phil. 1, 23
(3) II Tim. 4, 6. (4) II Petr. 1, 14.
(5) Apoc. 14, 13. (6) Matth. 10, 29

mam strinxit, ita et pro beneplacito suo solvit. Ideo dicitur I Reg. II, 6: *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos, et reducit.* Tob. XIII, 1: *Magnus es, Domine, in aeternum, et in omnia saecula regnum tuum: quoniam tu deducis ad inferos et reducis, et non est qui effugiat manum tuam.* Sap. XVI, 13: *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.* Apoc. I, 18 Filius Dei dicit: *Ecce sum vivens in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni.* Sicuti ergo nemo mortem, quam Deus absolute non vult, alteri potest inferre, ita nemo mortem, quam Deus ab aeterno decrevit, a se, vel ab altero propellere valet; nam *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (1).

2. Mortis causa physica est talis alteratio partium solidarum et fluidarum corporis, sive talis deterioratio organismi, qua subsecuta, vita organica et etiam sensitiva cessat, ac omnis influxus animae in corpus impossibilis redditur. Haec iterum vel est remota, nempe successiva alteratio partium corporis, quae longiori ante mortem tempore iamiam succedit, et hominem quasi ad mortem praeparat; vel proxima, sive talis alteratio, quae statim ac subsecuta est, aut instantanee, aut paulo post mortem adducit. Haec porro corporis alteratio vel per causas externas producitur, ex. gr., per occisionem, gravem lapsum, suffocationem etc.; vel per causas internas, quas medicis indagandas relinquimus.

3. Mortis causa moralis est peccatum primum protoparentum in omnes homines transfusum, ut iam probatum est (2). Recte autem inter morales mortis causas etiam peccata actualia numerantur, quae saepe efficiunt, ut vita decurtetur, et mors acceleretur. Iam enim naturaliter per indomitas passiones, praecipue per gulam, ebrietatem, luxuriam et iracundiam vires corporis conteri, sanitatem laedi, morbos procreari, vitamque breviorem reddi, ipsi medici fatentur, et continua experientia testatur. Certum porro est, quod etiam in poenam peccatorum actualium dies hominis minuantur, et mors citius advocetur. Nam Iob de impio ait: *Antequam dies eius impleantur, peribit, et manus eius arescent* (3). Idem scribit: *Numquid semitam saeculorum custodire cupis, quam calcarunt viri iniqui? Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum* (4). Prov.: *Timor Domini apponet dies: et anni impiorum breviabuntur* (5). Eccles.: *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo* (6). Eccli.: *Qui odit correptionem, minuetur vita* (7).

(1) Sap. 21 30.

Prover 6.

(2) § 206, n. 4, et § 214, n. 1. (3) C. 15, v. 32. (4) C. 22, v. 15, etc. (5) C. 10, v. 27. (6) C. 7, v. 18. (7) C. 19, v. 5 (8) C. 14, v 5 (9) C. 2, v. 16. (10 C. 9, v. 4

II. *Mortis universalitas et certitudo quoad substantiam.*

§ 746. A mortis lege exemptum esse neminem, praeter experientiam testatur S. Scriptura pluribus locis. Mors enim vocatur Iosue XXIII, 14: *Via universae carnis;* Iob XXX, 23: *Constituta domus omni viventi.* II Reg. XIV, 14 legitur: *Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur.* Iob: *Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt* (8). Eccles.: *Moritur doctus similiter ut indoctus* (9); ibid.: *Nemo est qui semper vivat, et qui huius rei habeat fiduciam* (10). Eccli.: *Memor esto, quoniam mors non tardat, et*

testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi;- Omnis caro sicut foenum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi (1). Ibid.: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur* (2). Rom. V, 12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Hebr. IX, 27: *Statutum est hominibus semel mori.* Omnes ergo homines nobiles sicut ignobiles, docti sicut indocti, divites sicut pauperes, morti subiecti sunt. Nam, ait *S. Chrysostomus* (3), « quod mortem attinet, nonne et hic eadem aequalitas? nonne tam divitibus, quam pauperibus immaturae mortes accidunt? atque etiam post mortem non tam his, quam illis omnibus similiter corpus dissolvitur, favillaque fit et pulvis, ac vermes gignit? » — Praeclare *S. Augustinus* serm. 279 de tempore (4), dicit: « Omnibus hominibus natis constituit Deus mortem, per quam de isto saeculo emigrent. Exceptus eris a morte, si exceptus fueris a genere humano. Quid facis? numquid tibi modo dicitur: elige, utrum velis esse homo?- Iam homo es, venisti: quomodo hinc exeas, cogita: natus es, moriturus es. Fuge, cave, repelle, redime; mortem potes differre, non auferre: veniet, etsi nolis; veniet quando nescis. Quid ergo times, quod, etsi nolueris, erit? Time potius, quod si nolueris, non erit (id est, time malam mortem). Recte ideo Poëta canit:

> Mors incertarum rerum certissima cunctis:
> Incertum quando, certum aliquando mori. »

Nota 1. His non obstantibus, *Menander Samaritanus*, Simonis Magi discipulus, quoddam confinxit gregalibus suis baptisma, quo qui tingerentur, promisit immortales futuros et incorruptibiles. Insanum hoc commentum, a Patribus coaevis et ab Eusebio (5) relatum, ipsa experientia refutavit. — Eandem fere insaniam adoptavit *Philippus Rosenfeld, Saxo*, inter alia docens, moriturum esse neminem, quicunque Evangelium rite servaverit, quoniam Christus dixit: *Si quis ex ipso manducaverit, non morietur;* et: *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (6): quae verba haereticus homo de vita corporali intellexit, iuxta expositionem Patrum et doctrinam Ecclesiae de vita spirituali et aeterna intelligenda. — *Theophrastus Paracelsus*, et quidam *Sinenses*, teste Rigault (7), medicamentis vitam perpetuam reddi posse existimarunt. — Tandem *Io. Asgil, Anglus*, Parlamenti assessor, speciali opere de immortalitate hominum super terram edito, absolutam moriendi necessitatem negavit, atque statuit, medium consequendi immortalitatem corporis esse fidem firmam et miraculosam, qua Henoch effugit mortem. — Ex his patet humanam rationem eousque aberrare posse, ut veritatem neget, quam non solum fides docet, sed etiam experientia quovis tempore confirmat.

Nota 2. Universalitati mortis opponi videntur, quae de *Henoch* et *Elia* in S. Scriptura narrantur. Nam Gen. V, 24 legitur: *Ambulavit (Henoch) cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et IV Reg. II, 11 etc.: *Cumque pergerent* Elias et Eliseus, *et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in coelum: Eliseus autem - non vidit*

(1) Eccli. c. 14, v. 12, 18. (2) C. 25, v. 33.
(3) Serm. 5 de Anna, n. 5.
(4) Al. 24 ex Sirmondianis, n. 9.
(5) Hist. eccl. lib. 2, c. 20.
(6) Io. 6, 50, etc.
(7) De christ. exped. ad Sinas, c. 9.

eum amplius. Ambo igitur in alteram vitam translati sunt, quin eorum animae a corporibus solverentur; seu quin mortem gustarent. — Notandum autem est, quod nonnulli verba Moysis de ipso obitu Henochi interpretentur, tum quia mors in S. Scriptura iisdem fere terminis exprimitur, ut Iob XXII, 16, et XXXII, 22; Ps. XLVIII, 16; Eccli. XIX, 3; Ionas IV, 3; tum quia Sap. IV, 10 etc. de Henoch dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.... Consummatus in brevi, explevit tempora multa... condemnat autem iustus mortuus vivos impios* etc.; tum quia Rabbini magno consensu Henochum vere mortuum esse testantur. Eliam vero quidam ipso igne, quo involvebatur et abripiebatur, consumptum fuisse putant. — Recepta vero in Ecclesia sententia est, Henochum et Eliam mortuos non esse, sed vivos usque ad ultima mundi tempora reservari. Haec sententia S. Scripturae et Traditioni conformior est. Nam si Moyses mortem Henochi enarrare voluisset, non immutasset modum loquendi eousque servatum, cum aliorum Patriarcharum obitum referens ait: *Et mortuus est*. De *Henoch* autem primo observat, illum bene gestis Dei favorem sibi conciliasse; tum subdit: *tulit illum Deus;* cumque ea verba non satis aperta esse intelligeret, adiecit: *et non apparuit*, quibus profecto innuitur, superstitem illum adhuc in loco extra mundum versari. Paulus aperte testatur, Henochum mortuum non esse, ad Hebr. scribens: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus* (1). Liber Sapientiae dicit, Henochum *in brevi* consummasse vitam terrestrem; quae autem sequuntur, in genere de morte iustorum intelligenda sunt, qui ut Henoch tempus vitae meritis replent. Ss. Patres quoque Henochum et Eliam mortuos non esse credunt. *S. Clemens Rom.* (2) docet, Henochum obedientiae et fidelitatis merito translatum fuisse, nullibi autem scriptam eius mortem reperiri. S. *Irenaeus* (3) translatum Henochum perhibet, et hodie usque servatum. *Tertullianus* adv. Iudaeos de Henocho dicit: « Necdum mortem gustavit, haereditatis candidatus. » *S. Hieronymus* (4) ad Pammach. scribit: « Henoch translatus est in carne; Elias carneus raptus est in coelum: necdum mortui et paradisi iam coloni habent quoque membra, cum quibus rapti sunt, atque translati. » *S. Augustinus* (5), inquit: « Neque enim Henoch et Elias per tam longam aetatem senectute marcuerunt. » Item (6): « Eliam et Henoch non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus vivere. » Absona autem sunt, quae neoterici de Elia comminiscuntur; S. Scriptura enim, Eliam igneo curru translatum, non concrematum fuisse dicit: fulgur aut ignis naturalis etiam pallium combussisset. Non conveniunt autem Patres in assignando loco, in quem Henoch et Elias translati sunt. Certum tamen est, quod e terra abrepti non fuerint in regnum coelorum introducti, quod ante mortem Christi nemini patebat. Hinc *S. Augustinus* (7), scribit: « Nec tamen eos iam in illam spiritualem corporis qualitatem consummatos, qualis in resurrectione promittitur, quae in Domino prima praecessit. » Iisdem visionem beatificam denegant *S. Gregorius Naz.* (8), et *S. Augu-*

(1) Hebr. 11, 5. (2) Ep. I ad Corinth.
(3) Lib. 4 adv. haer. c. 16. (4) Ep. 61.
(5) Lib. 1 de peccat. mer. et remis c. 2.
(6) Lib. 2 de pecc. orig. c. Coelest. c. 23.
(7) Lib. 1 de peccat. merit. c. 3.
(8) Orat 24.

stinus (1). Verum *S. Ambrosius* (2), et *S. Hieronymus* (3), eos coelestium gaudiorum participes esse censent. Communior vero sententia est, quod in paradisum terrestrem, per diluvium non devastatum, translati sint. Refert enim *S. Irenaeus* (4), discipulos Apostolorum docuisse, Henochum et Eliam vitam agere in horto Eden, ubi olim primi parentes vitam duxerunt; « ibi autem manere eos, qui translati sunt, usque ad consummationem. » *S. Augustinus* quoque (5), eosdem in paradisum terrestrem translatos putat; « nam, ait, quo eos credendum est fuisse translatos, nisi ubi est ipsum lignum vitae, unde illis sit potestas vivendi, nec ulla moriendi necessitas? » Sententiam istam tenent *S. Thomas* (6), et *Bellarminus* (7). Alii autem, qui paradisum terrestrem per diluvium deletum esse dicunt, Henochum et Eliam in alio orbis terrarum loco versari opinantur. Recte ideo *S. Chrysostomus* (8) ait: « Multi quaerunt, quomodo translatus sit Henoch? et cur translatus sit? et cur non sint mortui neque ipse, neque Elias? et si adhuc vivunt, quomodo vivant? et in quo habitu? Sed supervacaneum est hoc quaerere. Nam quod ille quidem, nempe Henoch, sit translatus, hic autem, Elias, sit assumptus, dixerunt Scripturae. Ubi autem sunt, et quomodo sunt, non adiiecerunt; non amplius enim dicunt, quam quae sunt necessaria. » Caeterum omnes admittunt, Henochum et Eliam in loco, in quo recepti sunt, feliciter vivere. Ait enim *S. Augustinus* (9): « Neque enim arbitrandum est, Eliam vel sic esse iam, sicut erunt Sancti Dei, quando peracto operis die denarium accepturi sunt; vel sic, quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt. Iam itaque aliquid melius habet, quamvis nondum habeat, quod ex hac vita recte gesta in finem habiturus sit. » Et *S. Gregorius M.* Hom. in Evangelia (10) docet: « Eliam raptum esse in coelum aëreum, ut in secretam quamdam regionem terrae duceretur, ut in magna carnis et spiritus quiete viveret, quoadusque ad finem mundi redeat. » Quodsi Henoch et Elias vivi reservantur, non ideo a mortis lege exempti sunt. Cum enim in consummatione saeculi ut praecones veritatis et praecursores supremi iudicis in terram venturi sint, interficiendi praedicuntur ab Antichristo; legitur enim Apoc. XI, 7: *Cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet eos.* Ideo *Tertullianus* (11) inquit: « Nec mors eorum reperta est, dilata scilicet: caeterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant. » Et *S. Gregorius M.* l. c. ait, Eliam quiete vivere « quoadusque in fine mundi redeat, et carnis debitum solvat. Ille enim mortem distulit, non evasit. » Eadem est sententia omnium Patrum et Doctorum, qui cap. 11 Apoc. de Henoch et Elia interpretantur (12).

Nota 3. Quaestio movetur, an ab universali mortis lege excipiantur illi, qui in novissimo die adveniente Iudice adhuc viventes reperientur. Duae hac de re dantur sententiae. Prima affirmat, illos morti non esse subii-

(1) Lib. 9 de Genesi ad litt. c. 6.
(2) Ep. 38. (3) Ep. 61 ad Pammach.
(4) Lib. 5 adv. haer. c. 5.
(5) Lib. 6, c. Iulian. c. 30.
(6) I, q. 102, art. 2 ad 3, et 3 p. q. 49, art. 5 ad 2. (7) Lib. de grat. primi hom. c. 14.
(8) Hom. 22 in Ep. ad Hebr.
(9) Lib. 9 de Gen. ad litt. cap. 6.
(10) Hom. 29. (11) Lib. de anima, c. 35.
(12) Cf. Calmet Diss. de translatione Henochi ad Ep. ad Hebr., et Natalis Alex. Hist. Vet. Test. tom. 1, diss. 5.

cientos. Nam Apostolus ad Cor. ait: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (1); graeci codices habent: *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur;* ergo negat, omnes morituros esse, quamvis affirmet, omnium corpora *induere incorruptionem* (2). Idem ad Thess. scribit: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus* (3). Igitur qui tunc vivent, simul rapientur cum resurgentibus impertransita morte. Ita sentiunt *S. Chrysostomus, Theophylactus* et plerique Patres graeci. Inter latinos eidem sententiae adhaeserunt *Tertullianus* l. de resur. carnis (4), *S. Hieronymus* Ep. ad Marcel., *S. Augustinus* de peccat. mer. (5). — Sed tamen in Ecclesia latina praevaluit altera sententia, quae dicit, etiam illos, qui in novissimo die vivi invenientur, morituros esse. Haec sententia probatur per supra citata S. Scripturae testimonia, quae neminem a lege mortis excipere permittunt, et quibus addi possunt verba Psal. LXXXVIII, 47; *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* — Neque adversantur verba ad Cor. (6), etiam admissa lectione graeca, quandoquidem ly *dormire* importat quietem, sive somnum, quali donantur, qui iacent in sepulcris. Fato igitur ultimo et ipsi cedent, ut iterum paulo post resurgant. Quia autem dormitio haec erit brevissima, iure merito scribere potuit Apostolus: *Non omnes quidem dormiemus* somno diuturno, et nihilominus *omnes immutabimur* per resurrectionem, quae necessario praecedentem mortem supponit. Innitur haec interpretatio *Oecumenio*, qui in hunc locum sic disserit: « Alii vero (id est, Graeci) dicunt, Apostolum dixisse: *non dormiemus*, de longa morte, quasi corruptione et dissolutione opus sit. Siquidem in puncto temporis, subitoque impetu et mori et resurgere dormitionem esse negant. » Ita pariter ad Thess. (7), Apostolus non negat, sed non nominat mortem in iis, qui instante Christi adventu erunt adhuc viventes, quia inter eorum extinctionem et resurrectionem perbreve tempus excurret; idcirco haec tam cito contingent, ut Apostolus dicere potuerit, quod raptus viventium erit simultaneus cum resurgentibus. Nullam ergo a lege mortis exceptionem esse, communiori sententia defendunt Patres latini. Ipse *S. Augustinus* sententiam suam l. de peccat. mer. (8), expositam retractavit l. 2 Retract. (9), et l. 20 de Civ. Dei (10), ita disserit: « Dixit Apostolus, cum de resurrectione corporum ad Corinthios loqueretur: *Omnes resurgemus* (11), vel sicut alii codices habent: *Omnes dormiemus.* Cum ergo nec resurrectio fieri possit, nisi mors praecesserit, nec dormitionem possimus illo loco intelligere nisi mortem; quomodo omnes vel dormient vel resurgent, si tam multi, quos inventurus in corpore est Christus, nec dormient nec resurgent? Si ergo Sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes, eique in obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit: *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi*

(1) I Cor. 15, 51.
(2) V. 53.
(3) I Thess. 4, 15, etc.
(4) C. 41 et 42.
(5) Lib. 2, cap. 31.
(6) I Cor. 15, 51.
(7) I Thess. 4.
(8) Lib. 2, c. 31.
(9) Cap. 33.
(10) Cap. 20.
(11) I Cor. 15, 51.

moriatur: sive ubi dicit: *Omnes resurgemus*, aut *omnes dormiemus:* quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi, quamlibet paululum, tamen ante moriantur; ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, quam dormitio praecedit, quamvis brevissima, non tamen nulla. » Hanc sententiam suo aevo communiorem fuisse, testatur *S. Thomas* (1). — Ecclesia tamen hac de re nihil definivit, et ideo utraque sententia catholice defendi potest. Hinc *Gennadius* lib. de Eccles. dogmat. cap. 7, cum approbasset dicentes, neminem a lege mortis exemptum iri in ultimo Christi adventu, addit: « Verum quia alii et alii aeque catholici et eruditi viri, qui credunt, anima in corpore manente immutandos in incorruptionem et immortalitatem eos, qui in adventu Domini vivi inveniendi sunt, et hoc eis imputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem in immutationem deponant, non morte: quolibet quis acquiescat modo, non est haereticus, nisi ex contentione haereticus fiat. Sufficit enim in Ecclesiae lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.

III. *Mortis incertitudo quoad diem et horam.*

§ 747. Sicut nullus a morte eximitur, ita etiam nemo absque speciali revelatione divina scit mortis suae diem vel horam: ex sapientissimis autem rationibus a Deo constitutum est, ut homines ignorent mortis suae tempus.

I. S. Scriptura incertitudinem horae mortis frequenter commemorat. Eccles. IX, 12 legitur: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, quum eis extemplo supervenerit.* Christus in parabola de decem virginibus, quae in adventu sponsi inopinato extinctas lampades habuerunt, et ideo a nuptiis exclusae sunt, hoc adiicit monitum: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* (2). Idem habet: *Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis filius hominis veniet* (3). Paulus ad Thess. dicit: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient* (4). II Petr. III, 10 legitur: *Adveniet autem dies Domini, ut fur.* Hinc Iacob scribit: *Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, qui ignoratis quid erit in crastino. Quae est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit, et si vixerimus, faciemus hoc aut illud* (5). Apoc. III, 3: *Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.* Ibid. XVI, 15: *Ecce venio sicut fur.* Sed cur comparatur adventus Domini cum adventu furis? Respondent interpretes cum *Theophylacto*, *V. Beda*, et aliis, quod sive sermo sit de iudicio particulari animae nostrae in hora mortis, sive de iudicio universali omnium hominum in fine mundi, Christus Dominus se comparat furi, non quoad actum furandi, sed quoad silentium et secretum, quo fur observat horam, qua putat herum vel abesse vel dormire; itaque clam incautum invadit, domumque eius perfodit, bonaque illius diripit: simili enim modo multoties homines incautos, inopinate, quando se magis

(1) Lect. 8 in cap. 15 Ep. ad Corinth.
(2) Matth. 25, 13. (3) Luc. 12, 40.
(4) I Thess. 5, 2, etc.
(5) C. 4, 13, etc.

deliciarum somno ingurgitant, ad mortem ac iudicium vocat Dominus.

II. *Causa prima*, atque praecipua, cur Deus ultimam mortis horam nobis incognitam esse voluit, haec est, ut refraenet nos a peccandi libidine, et frangeret pertinaciam persistendi in peccatis. Christus ipse incertitudinem horae, qua anima a corpore separata ad iudicium divinum rapitur, tanquam gravissimum peccata vitandi motivum proponit; ait enim: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis huius vitae, et superveniat in vos repentina dies illa* (1). Et sane, qui serio perpendit, se quovis temporis momento morte praeoccupari posse, quomodo peccatum mortale committere audebit, per quod aeternam damnationem mereatur? Oblivionem mortis continuo insidiantis tristem esse peccatorum causam, testatur S. *Gregorius M.* (2) scribens: « Reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia hic se vivere diutius arbitrantur. » — Eadem mortis incertitudo illos, qui iam in peccata lapsi sunt, ad poenitentiam non differendam impellere debet. Quando enim nossent homines corrupti terminum vitae suae, vix ullus resipisceret, et poenitentiam ageret nisi vitae instante termino. Dum vero hunc nesciunt, semper metuere coguntur. Unde idem *S. Gregorius* (3) ait: « Horam ultimam Dominus noster voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut, dum praevidere non possumus, ad illam sine intermissione praeparemur. » - *Secunda causa* mortis quoad horam incertae est, ut homines quovis tempore bona opera, ad salutem aeternam necessaria, solerter perficere satagant. Ideo Christus dicit: *Videte, vigilate et orate: nescitis enim, quando tempus sit. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cuiusque operis, et ianitori praecepit ut vigilet. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne, cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate* (4), bonis operibus perficiendis sedulo insistentes, quia finem vitae vestrae nescitis. Et Apoc. XVI, 15, dicitur: *Ecce venio sicut fur. Beatus, qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem eius;* quibus verbis mortis incertitudo tanquam motivum adducitur bona opera quovis tempore perficiendi, ne haec negligentes et differentes, ob turpissimam nuditatem confundantur et reprobentur. Et sane, si nossent homines terminum vitae suae, plurima bona opera omitterentur. Nam si, ex. gr., aegrotus sciret, se in ea, qua detinetur, infirmate non moriturum, peccata per confessionem nondum expiaret, nec sacra se communione pasceret, Deum, et sanctos non invocaret, vota nulla faceret, nil eleemosynae in pauperes erogaret, sacrificia pro se offerri non curaret, iniurias non remitteret, vitae emendationem non promitteret, sed omnia haec differret usque ad ultimam vitae horam, adeoque Deo faecem dumtaxat e vini sui dolio propinaret, reliquum omne mundo et diabolo apponeret. At non decet, neque placet Deo, ut in fine vitae solum ei serviatur ex proposito, sed potius ut omnem vitam obsequio eius impendamus, quia totum ei debemus. Sapientissime ergo Deus constituit, ut hora mortis hominibus maneat ignota. — *Tertiam causam* affert *S. Chrysostomus*

(1) Luc. 21, 34, etc. (2) Lib. 3, Mor. c. 10. (3) Hom. 13 in Evang. (4) Marc. 13, 33, etc.

docens, incertitudinem horae mortis efficere, ut homines ad recte agendum alacriores fiant, actus heroicos proponere, et maiora sibi merita comparare possint. Nam Hom. 9 in Ep. 1 ad Thessal. (1) inquit: « Nemo unquam virtutis per totam vitam curam gereret, si dies (mortis) sciretur, nec occultus esset; sed extremum diem cognoscens post mille patrata scelera ad lavacrum tunc (instante morte) veniret, atque ita hinc migraret . . . Si quis iuvenis sciret, se extremum diem clausurum ante senectutem, sicut debilissima et languidissima animalia, postquam fuerunt comprehensa magis deficiunt, finem expectantia, sic ille foret affectus. Neque viri fortes haberent mercedem. Si enim scirent, quod omnino post tres annos oporteret excedere, et quod antea id ipsis evenire nequeat, quam haberent mercedem, si res graves et asperas auderent aggredi? dicere enim eis quispiam posset: Quoniam pro tribus annis bono et fidenti estis animo, propterea aditis pericula, scientes, vos antea mori non posse. Qui enim cognoscit fieri posse, ut in quovis periculo moriatur, et scit fore quidem ut vivat, si non praeceps et temerarium capiat consilium, fore autem ut moriatur, si ea temere et audenter aggrediatur, maximum profert indicium animi sui alacritatis, et ostendit, quod hanc vitam despiciat. Exemplo autem hoc vobis faciam manifestum. Si Patriarcha *Abraham* praesciens fore, ut filium non occideret, eum sursum duxisset, habuissetne aliquam mercedem? Quid vero si *Paulus*, cum praescivisset fore, ut non moreretur, pericula despexisset, quonam modo fuisset admirandus? Sic enim vel ignavissimus in ignem desiliret, si aliquem fide dignum haberet sponsorem quod tutus sit futurus. Sed tres pueri non sunt eiusmodi, sed audi eos dicentes: *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis. Quod si noluerit, notum sit tibi rex, quod deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti non adoramus* (2). Videte, quam multa sint lucra, et his plura ex eo quod ignoretur decessus.» — *Quartam causam* constituunt emolumenta temporalia, quae ex incertitudine horae mortis in humanum genus redundant. Hac enim posita rectissime hominibus aurea regula praescribitur; quod pro requisitis bonis temporalibus sibi comparandis laborare debeant solerter, quia diu in hac terra vivere possunt; sed moderate ita, ut officia nobiliora non laedant, quia citius quam putant, ex hac vita migrare queunt. At si nossent homines diem mortis suae, sibi tantum viverent, et providerent, non posteritati. Plerique arbores non sererent, vineas non plantarent, domos non extruerent: plurimi omnia sua absumerent, posteris nihil relinquerent de suis facultatibus: imo aliqui ex mera invidia sua perderent, defoderent, aut in flumen proiicerent, ne posteri eis gauderent. Exemplo sunt insani milites, qui, cum e loco migrent, quo reversuros se non putant, omnia devastant quae vel abligurire, vel secum auferre nequeunt. Ex eadem mortis praescientia pax et tranquillitas inter homines summopere violaretur. Qui enim scirent, se multos annos victuros, facile insuperbirent, nimium insolescerent, et tyrannice alios opprimerent; qui vero scirent, se brevi tempore in hac vita mansuros, deiecto semper animo essent, vel etiam in desperationem prolaberentur, ad officia sua implendi inepti, sibique et aliis

(1) Cap. 5, n. 2 et 3.

(2) Dan. c. 3, v. 17, etc.

molesti. Iidem vix invenirent, qui cum ipsis matrimonium, vel alius contractus inire vellet: et sic in brevi quoque sua terrestri peregrinatione maximas miserias experiri cogerentur. Incertitudo ergo horae mortis magnum pro humano genere beneficium est dicendum.

IV. *Mortis effectus quoad corpus.*

§ 748. Per mortem corpus hominis in pulverem redigitur, sed tamen dignitate sua non privatur.

1. Quamprimum anima ex corpore egressa est, finem accipit vita terrestris, et corpus omni sensu motuque destituitur. De mortuis itaque dici potest, quod Propheta regius de idolis gentium dicit: *Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt: aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt: manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo* (1). Corpori omni calore et activitate destituto *solum superest sepulcrum* (2), in quo caro putrescit, et a vermibus consumitur, membra ipsa paulatim disiunguntur, ossa quoque arescunt, comminuuntur, et in cineres abeunt. Ita in quolibet homine adimpletur sententia, a Deo in Adamum lata: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Deus quidem omnipotens, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, etiam corpus exanime incorruptum servare potest, quod non solum in corporibus Christi, et B. V. Mariae, post breve tempus resuscitatis, sed etiam in nonnullorum sanctorum corporibus evenisse scimus: ast secluso tam speciali privilegio, quilibet mortalis cum Iob dicere debet: *Putredini dixi: pater meus es: mater mea, et soror mea vermibus* (3).

2. Sicut statua aurea in plurimas partes discissa pretium internum, seu materiale non amittit, ita etiam corpus humanum, licet in tenuissimas particulas resolutum, non in nihilum abit, nec interna sua dignitate privatur. Nam respectu praeteriti, semper illius corporis substantia manet, quod Creator summa sapientia et bonitate formavit, quod Filius Dei per incarnationem suam nobilitavit, et quod Spiritus sanctus tanquam templum suum sanctificavit: respectu autem futuri est corpus illud, quod pro nobili sua destinatione resuscitandum, et in aeternum glorificandum est. Historia docet, quod populi cultiores antiqui, vel naturali instinctu commoti, vel traditione edocti, corporibus exanimatis honorem detulerint, et pro eorundem sepultura magnam curam gesserint. Caeterum ea res hebraeis adeo cordi fuit, ut nullis per orbem populis, imo nec aegyptiis, omnium superstitiosissimis, caederent (4). Etiam inter christianos corpora emortua in honore habita, et magna sollicitudine sepulta esse, plurima monumenta testantur. — *S. Augustinus* quidem l. 1 de Civ. Dei cap. 12 docet, quod privatio sepulturae, et aliae iniuriae martyrum corporibus illatae damno ipsos afficere nequeant, dicente Christo: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius, quid faciant* (5): in quae verba s. Doctor ait: « Absit, ut falsum sit, quod Veritas dixit; dictum est enim, aliquid eos facere cum occidunt, quia in corpore sensus est occidendo; postea vero nihil habere, quod faciant, quia nullus sensus est in corpore occiso. » Et post ea addit: « Proinde omnia ista, id

(1) Ps. 113, 13. (2) Iob 17, 1.
(3) C. 17, v. 14.
(4) V. Calmet diss. de funeri' turis hebraeorum ad lib. E

4.

est, curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exequiarum magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum. » Sed cap. 13 inquit: « Nec ideo tamen contemnenda et abiicienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera usus est spiritus. Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid huiusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque coniunctius, quam quaelibet indumenta, gestamus. Haec enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, et exsequiae celebratae, et sepultura provisa: ipsique dum viverent, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt (1): et Tobias sepeliendo mortuos Deum meruisse, teste angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosae mulieris bonum opus praedicat, praedicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super corpus eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commendantur in evangelio, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter, atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt. »

Nota. Teste *Moshemio*, in notis ad systema intellectuale Curdworthi (2), veteres philosophi docuerunt, « fieri haud posse, ut corpus totum et anima a se invicem dissolvantur, sed deponi in morte corticem duntaxat corporis nostri externum, subtilissimam autem, et maxime activam corporis portionem cum anima semper unitam manere. » Eandem sententiam proposuit *Petrus Poiret* (3). Etiam cl. *Leibnitius*, cum observasset, secundum naturae leges statum e statu deduci, et singillatim insecta nonnulla in varias transformari formas, eodem manente animali, hanc ipsam transformationem in corpore humano locum habere statuit, ita quidem, ut nec per generationem existere incipiat, sed tantum evolvatur, variis materiae accessionibus auctum, nec in morte intereat, sed tantum involvatur, quasi in se contractum; atque hinc principii loco ponit (in syst. novo naturae): « Sunt evolutiones et accretiones, quas generationes appellamus, quemadmodum involutiones et diminutiones, quas mortem vocamus. » Huic sententiae assensum praebuerunt plures theologi tam lutherani, quam calviniani. Imo etiam inter catholicos nonnulli ab eadem non se prorsus alienos ostenderunt: ita cl. *Wiest* (4), dicit: « Quae quidem opinio, cum Ecclesia catholica per mortem semper intellexerit separationem a corpore organico, quod in oculos incurrit, huiusque visibilis machinae corporeae resolutionem, quam opinionis huius patroni non negant, dogmati catholico non videtur repugnare, quamvis suis non careat difficultatibus. » Merito autem dicitur quod praefata opinio et nulli solido fundamento incumbat, et doctrinae catholicae repugnet. Nam neque ex s. Scriptura, neque ex traditione probari potest, partem corporis post mortem animae unitam manere, neque ratio hac de re certum praebet argumentum. Analogicum enim Leibnitii argumentum, ex insectis in varias formas transmutatis deductum, frivolum est, cum

(1) Gen. cap. 47 et 50.
(2) Can. 5. s. 3. § 16.
(3) In Oecon. div. t. 4, c 2, § 15.
(4) Instit. theol. t. 6. § 287 in nota.

nullum huius transmutationis vestigium appareat in animalibus quadrupedibus, ad quorum classem homo quoad corpus pertinet. Communis porro est philosophorum, et theologorum doctrina, quod duplex tantum sit in homine substantia, corporalis et spiritualis; illa corruptibilis, haec incorruptibilis: in morte autem huius duplicis substantiae separatio fit; unde Eccles. XII, 7 dicitur: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Id autem non plene verificatur, si pars corporis non in terram revertitur, sed post mortem cum anima unita manet. Denique dogma catholicum est, quod totum corpus humanum in die novissimo resuscitetur, et transformetur, dicente Paulo: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (1): quod iterum non plene verificatur in sententia Leibnitii, quae proinde ut doctrinae orthodoxae contraria penitus reiicienda est.

V. *Mortis effectus quoad animam.*

§ 749. Mors animam non interimit, nec substantialibus facultatibus privat, sed tamen meritis finem imponit.

1. « Immortalitas animarum, ait *Calmet* in Diss. de natura animae (2), dogma commune erat non apud chaldaeos tantum, aegyptios, hebraeos, indos, atque orientales caeteros, sed apud latinos pariter et barbaros, ut tamquam communis generis humani persuasio iure meritoque possit haberi. » Iam *Seneca* (3) scripsit: « Cum de aeternitate animarum disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. » Hanc animae immortalitatem extra omne dubium ponit Revelatio divina, ut iam § 200 probatum est. Quodsi anima immortalis est, et corpori superstes manet, absque dubio natura sua non privatur, sed substantiales suas retinet facultates, intellectum, memoriam et voluntatem. Has facultates Christus ipse adscribit diviti mortuo, et sepulto in inferno (4); hic enim probe cognoscit felicitatem Lazari, ac tristissimum statum suum, quinque fratrum suorum, et vitae, quam gerunt, rationis probe recordatur, vultque, imo ardenter desiderat tum sitis suae refrigerationem, tum efficacem fratrum suorum correptionem. Hinc *S. Paulinus* Epist. 3 ad Ausonium (inter Poëm.), cum dixisset, se nunquam, imo nec post mortem amici sui obliturum esse, rationem reddit dicens: « Mens quippe lapsis quae superstes artubus de stirpe durat coeliti, sensus necesse est simul et affectus suos teneat aeque ut vitam suam, et ut mori, sic oblivisci non capit, perenne vivax, et memor. » Et *S. Hieronymus* Ep. ad Heliodor. (Epitaph. Nepotiani defuncti) de hoc eodem in fine scribit: « Charitas nunquam excidit: haec semper vivit in pectore: ob hanc Nepotianus noster absens, praesens est, et per tanta terrarum spatia divisus utraque complectitur manu. Habemus mutuae obsidem charitatis. »

2. Quamvis anima per mortem substantiam et vires suas non amittat, privatur tamen facultate merendi. Nam ad meritum requiritur status viatoris, ut § 478, n. 2 probatum est. Hinc cum morte tempus merendi terminari dicitur. *S. Thomas* (5) scribit: « Meritum et demeritum pertinent ad statum viae; unde bona in viatoribus sunt meritoria, mala vero demeritoria. In Beatis autem bona non sunt meritoria, sed pertinent ad

(1) I Cor. 15, 44. (2) Art. 9. (3) Epist. 2.

(4) Luc. 16, 22, etc.

(5) 2 2, q. 13, art. 4 ad 2.

eorum beatitudinis praemium. Et similiter mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinent ad damnationis poenam. » Saniores quoque Philosophi agnoverunt, non aliam esse hominis destinationem, quam ut moralitatem in hac vita sectetur, et sic in altera vita congruam felicitatem consequatur. Extiterunt quidem recentioribus temporibus nonnulli, qui perfectibilitatis systema secuti dicerent, hominem etiam post mortem in altera vita continuo perfici, et ad moralitatem ac felicitatem tendere debere. Quaeri autem ex illis potest, an iste status in altera vita in aeternum, vel an per aliquod tantum tempus perduraturus sit? — Si primum asserant, plurimi conatus adhibentur, et nunquam ad finem, seu terminum pervenitur: si secundum admittant, deberent tempus assignare, quo obligatio proficiendi desinat; tale autem tempus per solam rationem determinari nequit: haec enim in naturalibus quoque multa ignorat, et, fatentibus Philosophis, multo minus statum animarum in altera vita describere, valet. Revelatio autem solum huius vitae mortalis stadium pro tempore merendi assignat; nullibi autem aut leges praescribit in altera vita servandas, aut actiones in altera vita positas meritorias, vel demeritorias esse dicit. Negari ergo neutiquam potest, per mortem tempus merendi terminari.

Nota. Veteres non pauci putarunt, animas in morte non ad aliam vitam extra hanc terram transire, ut actionum suarum vel praemium, vel poenam consequerentur, sed potius vel in corpora brutorum detrudi, vel in alia corpora humana transmigrare, ut novis discriminibus subiicerentur. Haec animarum ab uno in aliud corpus transmigratio *metempsychosis* dicta est. Quis hanc opinionem primus invexerit, non facile evincitur. Multi eam Pythagorae tanquam primo auctori adscribunt. Alii ab Aegyptiorum idololatria illam originem traxisse opinantur ut *Berti* (1), *Lactantius* (2) omnes stoicos huius commenti accusat. *Iustus Lipsius* (3) Indos huius erroris fontes facit. S. *Augustinus* lib. 10 de Civ. Dei, c. 30 scribit, Platonem credidisse, humanas animas ad corpora bestiarum devolvi, idque pluribi asseruisse in Phaedro, in Timaeo, et in extremo de republica. — Quam falsa autem et absurda sit talis opinio, facile ostenditur. Nam ut innotescat metempsychosis, testimoniis opus est fide dignis, vel ex divina revelatione, vel saltem ex humana auctoritate petitis, oculis enim ipsa cerni non potest, nec sensibus percipi; unde argumentum empiricum locum non habet. Ast in divina revelatione ne verbum quidem invenitur, quod dictae opinioni faveat. Nonnulla enim S. Scripturae loca, quae a quibusdam Iudaeis ad metempsychosin trahebantur, alium omnino sensum habent, ut ostendit *Calmet* cit. (4), et cuilibet legenti patet. Imo divina revelatio illi commento aperte contraria est, quoniam clare docet, animas in morte a corpore separatas a Deo illico iudicari, et statim in tali loco reponi, in quo aut praemia reciperent, aut debitas poenas luerent, quod articulo sequenti probabitur. Quodsi metempsychosis ex divina revelatione probari nequit, ex humana auctoritate saltem argumenta petenda essent. Sed quis eam testari potest? — Nemo reminiscitur eorum, quae in alio cor-

(1) Lib. 12, c. 6.
(2) Lib. 3 instit. div. c. 18.
(3) Lib. 3 Physiol. diss. 12.
(4) Diss. de nat. anim. art. 7.

pore perpetravit. Ergo qui putat, se in alio corpore vitam egisse, id nulla ratione affirmat, nec probabili ducitur coniectura. Reponunt Platonici, quod animae, priusquam in corpora intrent, potantur oblivione. Verum *S. Irenaeus* (1), ita Platonem perstringit: «Si oblivionis poculum potest, posteaquam ebibitum est, omnium factorum obliterare memoriam: hoc ipsum unde scis, o Plato, cum sit nunc in corpore anima tua, quoniam priusquam in corpus introëat, a daemone potata est oblivionis medicamentum? » Asseruntur ergo, quae ignorantur, ac precaria omnino est haec animarum revolutio. Deinde si posset corporum admixtio omnium praeteritorum delere memoriam, dum quis e somno evigilat, non reminisceretur eorum, quae soporatus, et quiescente corpore vidit in somniis; rediens enim actio corporis in animam omnem tolleret recordationem. Id vero quotidianae experientiae adversatur, cum anima recordetur, quae apud se vidit, et in phantasmate egit, eaque post plurimum temporis nuntiet proximis. Insuper aggravat quidem corpus animam, quae illo utitur tanquam organo et instrumento; et si corporea moles disrumpitur, mens humana nequit operari per sensus, quemadmodum artifex externum opus sine instrumentis non perficit: sed quaecunque corporis permixtio et affectio non potest efficere, ut anima, quae est suapte natura substantia cogitans, omnem prorsus internam cogitationem et reminiscentiam deperdat; quemadmodum nec defectus instrumentorum potest impedire, atque omnino delere ideam ac perceptionem artificis. — Quodsi transmigratio animarum ab uno corpore humano in alterum admitti nullatenus potest, toleranda multo minus est sententia eorum, qui putant, animas hominum etiam in corpora brutorum transire. Haec absona opinio et Deo iniuriam infert, et hominis dignitatem deprimit. Deus enim hominem condidit ad imaginem et similitudinem suam; atque haec divina imago in anima potissimum sita est. Si daretur animarum transmigratio, corpora quoque brutorum fierent habitaculum spiritualis animae: igitur etiam belluae essent procreatae ad imaginem et similitudinem Dei. Sed, ait *S. Augustinus* (2): « Anima humana facta est ad imaginem, et similitudinem Dei: non dabit imaginem suam cani, et porco. » Praeterea iumenta, quae hominum usui deserviunt, absque ullo crudelitatis scelere vapulant, freno reguntur, imo et occiduntur. Admissa vero transmigratione animarum, iumentis esset peculiaris honor habendus. Nam, scribit *S. Augustinus* contra Adimantum Manich. (3): « Quid ergo faciet de tanto scelere, si quando tardum iumentum plagis, aut concitatum freno fatigavit, in quo forte patris eius anima fuerit? ut non dicam, quod etiam occidere parentes suos inter pediculos, et pulices potuerit, a quorum isti interfectione non temperant. »

(1) Lib. 2 adv. haer. c. 33.

VI. *Solatia quaedam contra terrores mortis.*

§ 750. Recte observat *Paschalis* (4), quod in statu naturae integrae timor mortis iustus fuit, quia per hanc vita recta et beata destruenda erat; quod autem in statu naturae lapsae timor mortis iniustus sit, cum per istam vitae miseriis et periculis repletae finis imponatur. Ast quoniam amor vitae naturae insitus est, idcirco timor mortis inter homines communis est.

(2) Enar. in Ps. 146, 9 (3) Cap. 12.
(4) In cogitat. n. 30.

« Mors, ait S. *Petrus Chrysologus* (1), cum satis viventibus sit amara, satis turbat ipso exitu, plus conturbat exemplo: mortuum quoties quis viderit, toties se morti eiulat destinatum. Sic de morte non potest non dolere mortalis. » Religio autem christiana varia solatia suppeditat, quibus terrores mortis aut minuantur, aut penitus tollantur.

1. Prima ratio mortem non timendi, sed hilari animo acceptandi, est ipsa *Voluntas Dei*. Infideles quidem, qui omnia aut casui fortuito, aut ineluctabili fato, aut necessario naturae cursui adscribunt, et altius mentem non extollunt, omni solatio destituti mortem tanquam extremum infortunium reformidant. Christiani autem probe cognoscunt, quod sine voluntate Patris nihil contingere possit, et quod idcirco Deus ipse ab aeterno ordinaverit, quo tempore, quo loco, quo morbo, quibus in circumstantiis quisque moriatur. Hanc iustissimam, sapientissimam et benignissimam Dei voluntatem quilibet adorare, et se ipsi humiliter et hilariter submittere debet.

2. Quotquot ante nos homines extiterunt, mortem subierunt. Quis autem recusabit subire, quod Reges potentissimi, Philosophi doctissimi, homines sanctissimi effugere non valuerunt? mors tributum est omnibus pendendum. Quid ergo tristaris, cum pendis quod debes, et facis quod nemo non facit? Christus ipse, Filius Dei incarnatus, mortem durissimam pertulit, ut mortis nostrae amaritudinem per amarissimos languores suos dulcoraret: quod Christi *exemplum* maximum debet Christiano solamen praebere.

3. Mors plurimis huius terrestris vitae miseriis finem imponit. Continuo enim verificatur dictum Iobi: *Homo, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. Breves hominum dies multas complectuntur miserias; nam, ait *S. Gregorius M.* (2), « angustantur ad vitam, dilatantur ad miseriam. » Tot, tantaeque sunt miseriae, quas quilibet patitur homo toto vitae decursu, ut vix enarrari possint. Quis enim dicet corporis dolores, aegritudines, animi angores, tristitias, anxietates? — Recte *S. Augustinus* (3) inquit: « Tota vita ista intelligentibus tribulatio est. Sunt enim duo tortores animae, non quidem simul torquentes, sed cruciatum alternantes: horum tortorum nomina sunt timor, et dolor: cum tibi bene est, times; cum male est, doles. » Neque ullus homo, quantumvis secunda fruatur fortuna, est immunis aut a timore, aut a dolore: quod non ignorans Vates regius ait: *Tota die tribulatus sum* (4). Inde concludit *S. Augustinus:* « Nullus ergo Christianus dicat, esse diem, in quo non sit tribulatus; tota die tribulatio, et quando bene est, utique tribulatio. » Neque a tribulationibus, quas in vita patitur, potest eximi nisi per mortem, quae ideo bona noncupatur. Nam, ait *Tertullianus* (5): « Vitam qui malum dixerit, habet mortem, quam bonum dicat. » Et *S. Chrysostomus* (6), exclamat: « Non audis Psalmum CXIV, 7 dicentem: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*. Deus mortem beneficium vocat, et tu luges?... Nam portus tranquillus mors est. Perpende nempe, quot malis plena sit vita praesens; cogita, quoties ipsi maledixeris. Nam in peius semper res vertuntur; atque

(1) Serm. 64, 2 de Lazaro.
(2) Lib. 2 Mor. c. 16.
(3) Serm. 42 de verb. Dom.
(4) Ps. 83. (5) In Scorp. cap. 5.
(6) Hom. 31 (al. 32) in Matth. n. 3.

a principio non modicam damnationem sortitus es (1)..... At de futuris rebus nihil simile dicitur, imo contrarium prorsus, Isa. XXXV, 10: *Effugit dolor, tristitia, et gemitus.* »

4. Mors etiam animam a plurimis peccandi, et salutem perdendi periculis eripit. Quamdiu enim in hac vita sumus, concupiscentiis carnis, scandalis mundi, et tentationibus diaboli continuo impugnamur, et nisi indesinenter vigilemus et oremus, facillime vincimur, atque ideo in perpetuo discrimine versamur, cum gratia divina salutem aeternam amittendi. Desiderandum ergo nobis est, ut per mortem a tot periculis liberemur, et cum Propheta regio dicere possimus: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (2). Praeclare hanc mortem exoptandi rationem proponit *S. Cyprianus* (3) dicens: « Quid aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum quotidie geritur, quam adversus iacula eius, et tela continuis afflictionibus dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris saecularibus assidua, et iugis, et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, et undique diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, instat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod lex divina prohibet; compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur. Et delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cum magis concupiscendum sit, et optandum ad Christum, subveniente velocius morte, properare? » Similia habent *S. Ambrosius* l. de bono mortis cap. 4, et *S. Bernardus* in transit. Malachiae.

5. Corpus quidem dissolvitur, in putredinem et pulverem abit: id autem fit, ut aliquando in meliorem statum redigatur. Nam et semina in terra corrumpi debent, ut crescant et fructus ferant. Et ita etiam corpus nostrum in terra seminari debet, ut meliorem induat formam: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* (4). Hinc *S. Gregorius Nyss.* (5) ait: « Nihil aliud mors est, quam vitiositatis expiatio. Etenim cum initio natura nostra tanquam vas quoddam bonorum capax a Deo omnium conditore procreata fuisset, at hostis animarum nostrarum malum in nos fraudulenter infudisset, nec ideo locus amplius bono relictus esset: ob hanc causam, ne insitum nobis vitium perennaret, meliori providentia vas ad tempus morte dissolvitur, ut elapsa vitiositate humana natura reformetur, et ab omni labe sincera in vitam pristinam instauretur. Hoc enim resurrectio sibi vult, ut sit naturae nostrae priorem in statum restitutio. Quamobrem, si impossibile est, naturam in melius instaurari sine resurrectione, haec autem, nisi mors praecesserit, fieri non possit; bona utique mors est, quae mutationis in melius initium nobis fiat, et vita. » Et *S. Chry-*

(1) Gen. 3. (2) Ps. 123, v. 6, etc.
(3) Lib. de mortal. n. 3.
(4) I Cor. 15, 42, etc.
(5) Orat. fun. in Pulcher. Imp.

sostonus (1) inquit: « Mortem ergo despiciamus, etiamsi nondum eius tempus advenerit, nam ad multo meliorem vitam resurrecturi sumus. At dices: corpus corrumpitur? — et ideo maxime gaudendum, quod corpus corrumpatur, et mortalitas pereat, non autem substantia corporis. Neque enim si conflari videres statuam, perniciem id diceres, sed meliorem materiae usum, sic et de corpore cogita, et ne lacrymeris: flendum sane esset, si in poena mansisset. »

6. Quamdiu sumus in hoc corpore, tamdiu sumus peregrini et elongati absentesque a patria, in terra aliena tanquam exules versamur. Unde *S. Bernardus* (2) ait: « Illa circa corpus occupatio quid est nisi a Deo quaedam absentatio? et absentatio quid nisi peregrinatio? et peregrinamur ergo a Domino, et in corpore peregrinamur (3). » Neque ab hoc exilio nisi per corporis dissolutionem possumus revocari. Quare regius Vates de exilii sui diuturnitate conqueritur: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (4)! et alibi sic Deum precatur: *Educ de custodia animam meam* (5), id est, libera me de carcere, in quo anima mea detinetur; sicut enim carcer habet vincula, quibus ligantur qui in eo includuntur, ita anima vinculis ligatur in corpore. Horum vinculorum solutionem exoptat Apostolus dicens: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (6). Sicut nempe homo in custodia inclusus de ruina carceris non tristatur, sed gaudet, sperans desiderata frui libertate; ita nec iustus de dissolutione corporis affligitur, quae exilium eius et carcerem terminat, gaudet potius, quod ad coelestem patriam pervenire possit. Hinc *S. Cyprianus* (7) dicit: «Considerandum est, et identidem cogitandum, renuntiasse nos mundo, et tanquam hospites et peregrinos isthic interim degere. Amplectamur diem, qui assignant singulos domicilio suo qui nos isthinc ereptos, et laqueis saecularibus exsolutos paradiso restituit et regno coelesti. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velocius charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam coepimus: quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat iam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lactitia est? Qualis illic coelestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum aeternitate vivendi? Quam summa et perpetua felicitas! — Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus; triumphantes illic virgines, quae concupiscentiam carnis et corporis continentiae robore subegerunt... Ad hos, fratres, avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus. »

Nota. Haec sunt praecipua solamina, quibus Religio revelata non solum terrores mortis lenit, sed etiam transitum ex hac vita in alteram dulcem et exoptandum reddit. Verum

(1) Hom. 34 (al. 35) in Matth. n. 4.
(2) Tract. de praec. et disp. c. 27.
(3) II Cor. 5, 6. (4) Ps. 119, 5.
(5) Ps. 141, 8. (6) Phil. 1, 23.
(7) Lib. de mortal. n. 10

equidem est, dicta solatia ad eos tantum pertinere, qui gratia sanctificante ornati, et piam vitam agentes felicem de hac vita exitum sperare possunt, de quibus proinde scriptum est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* (1). Contrarium dicendum est de iis, qui a lege divina regressi, et inimici Dei facti conscientiam peccatis onustam gerunt, quia legitur Ps. XXXIII, 22: *Mors peccatorum pessima*. At istis quoque poenitentiae portus patet, ad quem recurrentes Deo ita reconciliari possunt, ut hilari animo mortem acceptare, et cum bono latrone transitum in paradisum sperare queant.

Usus doctrinae de morte.

§ 751. 1. Doctrina proposita de morte perfectiones divinas nobis clare manifestat. Omnes enim homines vanitati, et continuae mutationi, morti et corruptioni subiecti sunt: Deus *solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem* (2). Merito igitur caducitatem hominum perpendentes cum Apostolo exclamamus: *Regi autem saeculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Amen* (3). Omnipotentiam suam Deus luculentissime ostendit, dum homines ex hac vita eripit, quando et quomodo sibi placuerit, ita ut neque principes per suam potentiam, neque medici per suas artes contra decretum divinum mortem aut arcere, aut retardare valeant. Iustitiam divinam praedicat mors ut stipendium peccati. Sapientiam suam Deus commonstrat, dum mortem quoad substantiam certam, et quoad horam incertam vult, ut homines quovis tempore ab amore mundi, et a vitiis retineantur, et ad virtutis studium impellantur. Denique bonitas divina ex eo elucet, quod clementissimus Deus in revelata a se Religione tum solatia nobis praebuerit, quibus mors in peccati poenam sustinenda levior et dulcior reddatur, tum media suppeditaverit, quibus felicem ex hac vita transitum consequi possimus.

2. *S. Io. Chrysostomus* (4) ostendit, sapientissime a Deo ordinatum esse, ut hominum corpora in sepulcris corrumpantur, et in pulverem abeant. Scribit enim: « Si corpora non corrumperentur, malum omnium deterrimum, superbia in multis vigeret; etenim cum res ita se habeat corporeque vermibus scatente, multi tamen se Deos existimari studuerint, quid non futurum erat, si corpus (incorruptum) mansisset? — Secundo, non credidissent, corpora ex terra ortum habere, nam si eius fine id testificante adhuc quidam dubitant, quid non suspicarentur, nisi hoc viderent? Tertio, corpora magis diligerentur, plurimique magis carnales, et crassiores facti essent; nam si nunc quidam sepulcris, et urnis haerent, etiam corporibus consumptis, quid non facerent, si ipsam formam (integram) haberent? Quarto, homines futura non desiderassent. Quinto, illi qui dicunt, mundum esse immortalem, hinc in opinione firmarentur, ut assererent, Deum non esse Creatorem. Sexto, non agnosceretur animae virtus, nec quantum praesens conferat anima corpori. Septimo, multi ex defunctorum suorum amore, urbibus relictis, in sepulcris habitaturi erant, et insanorum instar mortuos suos frequenter allocuturi. Nam si nunc quidam imagines effingentes, quia corpora retinere non possunt, sed invitis ipsis illa defluunt, ligneis tabulis haerent, quid non absurdi tunc excogitassent? »

(1) Ps. 115, 5. (2) I Tim. 6, 16. (3) I Tim. 1, 17.

(4) Hom. 34 (al. 35) in Matth. n. 4

3. Frequens mortis memoria nunquam satis commendari potest. Deus ipse Adamo mortem proposuit, ut eum a peccato retineret (1); et postquam peccavit, iterum memoriam mortis inculcavit (2), ut eum ad poenitentiam permoveret. Memoria igitur mortis utilis est iusto, ut a peccato retineatur, et peccatori, ut ad poenitentiam moveatur. Eccli. VII, 40 monitum legitur divinum: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Hinc Ss. Patres memoriam mortis tanquam efficacissimum contra peccata remedium praescribunt. *S. Petrus Damiani* (3) ait: « Si superbiae spiritus inflat, sepulcrum ad mentem redeat: necessario illic rigidae cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos procul dubio, pulveremque pensamus. » *S. Bernardus* (4) inquit: « Si te luxuria tentat, obiice tibi memoriam mortis. » Hac memoria munitus castitatem servans Tobias iunior a daemone, qui libidinosos septem Sarae maritos interemerat, illaesus evasit; nam, ait *S. Ambrosius* (5): « Opportune quem memoria mortis a carnali copula retraxerat, vivus invenitur, ut discamus, nullo salubriori remedio carnalia coërceri, quam sepulcro. » *Clemens Alex.* (6) scribit: « Ut mors est animae separatio a corpore, ita et cogitatio est velut mors rationalis, abducens et separans animam a motibus et perturbationibus. » *S. Gregorius M.* (7) dicit: « Perfecta vita est mortis meditatio, quam dum iusti solicite peragunt, culparum laqueos evadunt. » Et *S. Laurent. Iustin.* (8) exclamat: « O bona mortis consideratio! quis quanta per te acquirantur emolumenta valet intelligere? quis potest capere? quis propalare? Utilis est tui memoratio ad fugandum vitiorum exercitum, ad fugiendum peccatorum laqueos. »

4. Homines terrenis bonis inhiantes, vitiisque dediti memoriam mortis fugiunt ita, ut *S. Eucherius* (9) dixerit: « Nihil ita quotidie homines, ut mortem vident, nihil ita obliviscuntur, ut mortem. » Idcirco animarum pastores saluberrimam mortis memoriam, inter fideles excitare, ac conservare, et iuxta exemplum Christi eosdem frequentissime ad continuam vigilantiam impellere tenentur (§ 747). Omnes enim mortis memores esse debent, ut se ad mortem praeparent; et omnes ad mortem serio se praeparare debent, ut felicem mortem consequantur.

(1) Gen. 2, 17. (2) Gen. 3, 19.
(3) Opusc. 15, c. 23. (4) Serm. 7 de tentat.
(5) Serm. de mort. (6) Lib. 7 Strom. c. 6.

(7) Lib. 13 Mor. c. 20. (8) De lign. vit. c. 4.
(9) In Paraenesi ad Valerian.

ARTICULUS II.

De iudicio particulari, et executione sententiae in eo latae.

§ 752. Deus frequentissime in S. Scriptura *iudicare* dicitur. Cum enim sit summus regni divini moralis gubernator, ideo etiam hominum viatorum actiones quovis tempore iudicat, eisque non raro iam in hac vita terrestri aut poenas infligit, aut praemia elargitur. Ita iam in primordiis mundi iudicium exercuit in protoparentes, mandatum divinum transgressos, et in totum genus humanum, quod corruperat viam suam, atque ideo per diluvium deletum est, excepta familia Noë, quae propter suam iustitiam conservata est. Israëlitae legem divinam praevaricantes diris poenis afflicti, eandem vero observantes uberrimis benedictionibus repleti sunt. Negari ergo nequit, quod homines iam in hac vita terrestri frequenter iudicium divinum, eiusque effectum experiantur.

Speciale autem tempus pro iudicio divino tum in fine hominis, tum in fine mundi statutum est. Certum enim est, quod *post mortem hominis mox iudicium particulare habeatur*, et quod *sententia in eo lata statim executioni mandetur*. De hoc iudicio particulari modo disserendum est.

I. *De iudicii particularis certitudine.*

§ 753. Anima per mortem a corpore soluta mox subit iudicium particulare, in quo omnes eius actiones in vita terrestri peractae, sive bonae sive malae, ab omniscio et iustissimo Iudice examinantur, et vel praemio vel poena dignae pronuntiantur. Iudicium hoc, quod de quovis homine particulatim immediate post eius obitum exercetur, *particulare* appellatur, ut a iudicio universali, quod de omnibus angelis et hominibus simul in fine saeculorum fiet, distinguatur. Certitudo huiusce iudicii particularis ex *S. Scriptura*, ex *Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* V. et N. T. de iudicio particulari immediate post mortem habendo nos certos reddit. Nam Eccli. XI, 28 etc. dicitur: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas..... In fine hominis denudatio operum illius.* Ex contextu patet, quod S. Scriptor, ut observat *Calmet* (i. h. l.) illud scandalum amovere satagat, quo nonnulli perturbantur, dum in hac vita iustos infelices, impios autem felices cernunt. Provocat ideo ad alteram vitam, in qua condigna fit retributio operum tam bonorum, quam malorum; hanc autem retributionem, dicit, facile a Deo fieri *in die obitus* uniuscuiusque, quia *in fine*, seu in morte *hominis* fit *denudatio operum illius*, id est, bonitas, aut malitia operum discutietur, detegetur. et manifestabitur, quod non potest referri ad iudicium universale, cum illud *in die obitus* fieri dicatur: aperte igitur iudicium particulare commemoratur, in quo homini ostenditur, an ipsius opera praemio vel poena digna sint. Paulus II Cor. V, 10 scribit: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum*, id est, ut unusquisque referat, quod ipsi debitum est, praemium vel poenam, convenienter vitae bonae vel malae quam duxit, quamdiu fuit in corpore. Hic locus equidem de iudicio universali exponi solet. Sed cum Apostolus (v. 6) dicat: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino*, et (v. 8) addat, quod optemus abesse *a corpore, et praesentes esse ad Dominum*, unde et (v. 9) ei *placere contendimus*, ac immediate subiungat: *Omnes enim nos manifestari oportet* etc., ex hoc contextu concludendum esse videtur, quod de iudicio particulari sermo sit, quod statim post solutionem animae a corpore instituitur. Id confirmatur per eiusdem Apostoli verba Hebr. IX, 27: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium:* nullum hic ponitur intervallum inter mortem et iudicium; hoc ergo immediate post illam sequetur. Textus iste tam clare iudicium particulare adseverat, ut nonnisi temere in alium sensum contorqueatur. Quamobrem *Muratorius* (1) dicit: « Neque iniuria hisce verbis utimur, cum nulla ibi inter mortem hominis, et occultum iudicii Dei tribunal mora interponatur. Et quamvis nonnulli arbitrentur, ibi Apostolum loqui non de singulari, sed de universali iudicio Dei in fine mundi, doctrina tamen de privato Dei iudicio statim a morte hominum ex

(1) Tract. de Parad. cap 8.

iisdem verbis multo rectius ac verisimilius resultat, utpote quae etiam ex aliis Ss. Litterarum et Patrum documentis deprehenditur firmissima,imo sine temeritate, ac laesione christianae fidei negari non potest. »

2. *Ss. Patres* iudicii particularis certitudinem contestantur. *Athenagoras* (1) ait: « Intime persuasi, quod de tota vita nostra Deo, qui nos et mundum creavit, rationem reddere debeamus, sobriam, beneficam, et patientem vitam agimus credentes, quod mala, quae patimur, et ipsa tormenta, quae nobis vitam rapiunt, non possunt comparari cum bonis, quae alteram vitam ingressi a magno Iudice pro miti, bona et sobria vita consecuturi sumus. » *Tertullianus* contra eum, qui secretum illud in hominis morte iudicium negarat, disserens inquit: « Quid amplius vis esse mortem, confusa spe, et incerta expectatione ludentem, an vitae recensum iam, et ordinationem iudicii inhorrentem? praelibari putas iudicium, an incipi? praecipitari, an praeministrari? » *Tertullianus* hic haeresin oppugnans ita argumentatur: Num animae post egressum e corporibus incertae et ambiguae de statu suo usque in diem Iudicii supremi permanent, et, quod sequitur, neque praemium, neque supplicium ad illud usque tempus recipiunt? ita sane mors meliorem hominis partem spe confusa, et expectatione incerta luderet. An non ergo potius *vitae recensum*, seu plenam recognitionem, et *ordinationem iudicii* tunc animus horret et expavescit? Neque universali iudicio illi per istud secretum quidquam demitur; quod enim in singulos homines peculiari iudicio decernitur, illud omnibus et singulis hominibus iudicium patefaciet supremum: quod iam, ut Afer loquitur, *non praecipitatur*, *nec praelibatur*, sed potius *incipit*, et praeministratur. *S. Ambrosius* lib. de bono mort. (2) inquit: « Statutum est hominibus semel mori, et post mortem iudicabitur unusquisque iuxta merita sua; ante mortem nulla est perfecta laudatio. » *S. Ephraem* Serm. de hora mortis (3) graphice describit iudicium particulare, statim post mortem instituendum, et dicit, quod « ministri Dei veniant, et animam recipiant..... quod accusatores compareant..... et omnia peccata proferant, in iuventute et senectute... cogitationibus verbis et operibus commissa; quod anima timore, et tremore repleatur; quod Angeli animam adprehendant, et abducant. Nos autem corpori exanimato ultimos honores exhibemus, et sicut peregrinum e sua domo ad sepulcrum deferimus. » *S. Io. Chrysost.* (4) ait: « Sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad iudicium pertrahuntur: sic omnes animae, cum hinc emigraverint, variis peccatorum poenis implicitae ad terribile illud ducentur tribunal. » Et alibi (5) diviti, eleemosynas negligenti, mortem ante oculos ponit, et quaerit: « Quid tum dices, — cum tribunal illud terribile, cum iudicium incorruptum aderit, — cum humanarum rerum erit cessatio, cum neque pater, neque mater, neque vicinus, neque rex, neque viator, neque hospes te iuvare poterunt? Sed stabit solus homo cum operibus suis, quorum causa vel condemnabitur, vel coronabitur. » *S. Augustinus* (6) scribit: « Rectissime, et valde salubriter creditur, iudicari a-

(1) In Legat. n. 12. (2) Cap. 3.
(3) Tom. 3, opp. graec. cal. p. 260, etc.
(4) Hom. 14 in Matth. n. 4.
(5) Hom. in Ps. 48, n. 6.
(6) L. 2 de anima, et eius orig. cap. 3 (al. 4), n. 3.

nimas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari. » *S. Cyrillus Alex.* (1) dicit, quod animabus e corpore egredientibus occurrant daemones, peccata accusantes, et Angeli, bona opera proferentes. Postea addit, quod pro bonis aut malis operibus a iusto Iudice praemium, vel poena decernatur. Demum auditores ad poenitentiam exhortatur dicens: « O fratres! considerate, quales nos esse oporteat, dum rationem singillatim reddemus eorum, quae fecerimus, sive magna sint, sive parva; nam etiam otiosorum verborum causam apud iustum Iudicem dicemus. » *S. Gregorius M.* (2) inquit: « Cum semper iudicia districta pertimescant (electi), tunc tamen haec vehementer metuunt, cum ad solvendum humanae conditionis debitum venientes districto Iudici adpropinquare se cernunt; et fit tanto timor acrior, quanto et retributio aeterna vicinior... Crescit pavor vicina retributione iustitiae, et urgente solutione carnis, quanto magis districtum iudicium iamiamque quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. » Ab eodem magno Pontifice (3) visiones, seu revelationes de particularibus animarum iudiciis referuntur, et adprobantur.

3. Rationes quoque theologicas pro iudicii particularis certitudine referre licet. *a*) Cum enim in morte tempus bene, maleque agendi sit exhaustum, par est omnino, ut unusquisque iudicium, quale quidem promeritus est, subeat. Cur enim istud ulterius differatur? Haec certe dilatio multum affligeret iustos, de sua salute incertos; neque haec afflictio iis ad salutem quidquam prodesset. Imo probi iuxta, et improbi toto tempore inter mortem, et supremum iudicium interiecto forent aequales ob statum dubitationis, et formidinis plenum. Ipsa ideo ratio sapientiae, et iustitiae divinae consonum esse agnoscit, ut homo finito tempore merendi, et demerendi in termine suo constitutus futurum suum statum, quem promeruit, cognoscat: et ideo, ut ait *S. Thomas* (4); « Anima separata a corpore habet statum immutabilem, et accipit suum iudicium. » *b*) Aliam rationem idem angelicus Doctor affert in 4 Sent. Dist. 42, quae ad hoc fere reducitur: Quilibet homo est singularis persona: et est etiam pars quaedam totius generis humani: ideo duplex iudicium ei debetur; unum singulare, in quo recipiet praemium vel poenam iuxta ea, quae in vita terrestri gessit, sed quoad animam tantum, et ita, ut sententia in ipsum lata non omnibus patefiat: aliud iudicium ei debetur, in quantum pars est totius generis humani, quod est iudicium universale, in quo sententia in ipsum lata omnibus manifestatur, et corpus cum anima praemio aut poena afficitur. *c*) Veritas iudicii particularis confirmatur per ea, quae mox dicentur: probabitur enim, animas e corporibus egressas mox vel praemio vel poena affici: haec autem Iudicis sententiam necessario supponunt, quia agitur de remuneratione, vel punitione creaturarum rationalium, quas scire convenit, qua de causa remunerentur vel puniantur. Iudicium ergo statim post mortem admittendum est, quia sententia in eo lata mox executioni mandatur.

Nota 1. Distinguunt theologi duplex iudicium, discussionis nempe, et retributionis. Per primum iudicii

(1) Hom. 13, de divers.
(2) Lib. 24 Mor. c. 12.
(3) Lib. 4 dial. c. 36 et 38.
(4) 3 p., q. 59, art. 5 ad 3.

genus discutiuntur ea omnia, super quae ferendum est iudicium. Alterum vero sententiam dicit vel remunerationis, vel punitionis. Iudicium discussionis in Deo est metaphoricum; omniscius enim omnia uno actu comprehendit, et deliberat (§ 30). Iudicium autem retributionis, sive prolationis sententiae realiter existit, et est de fide credendum. Probe autem actiones divinae ab humanis distinguendae sunt. Iudices enim humani sicut magno labore actiones hominum investigant, et in tali inquisitione etiam decipi possunt: ita etiam magno persaepe verborum apparatu indigent, ut homines vel praemio, vel poena dignos pronuntient, nec internam semper in omnibus persuasionem procreare possunt. Deus autem, sicut discussione non indiget, sed per omniscientiam suam omnes hominum actiones perfectissime cognoscit, ita etiam per sapientiam et omnipotentiam suam sine verborum strepitu efficere potest, ut animae de statu suo aut poena, aut praemio digno penitus persuasae reddantur. Hinc *S. Augustinus* l. 20 de Civ. Dei (1), loquens de libro scripto, qui in iudicio proferendus dicitur, inquit: « Quaedam vis est intelligenda divina, qua fit, ut cuique opera sua vel bona vel mala in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset, vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul omnes, et singuli iudicentur. Quae nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodam modo legitur, quidquid ea faciente recolitur. »

Nota 2. Si quaeritur de tempore iudicii particularis, communis sententia est, quod immediate post mortem instituatur. Videntur quidem nonnulla monumenta ostendere, quod iudicium particulare vel mortem praecedat, vel post obitum aliquantulum differatur. Si fidem praestamus relationibus *S. Gregorii M.* (2), exempla habemus, quae denotant, iudicium particulare evenire in instanti ante mortem. Tale fertur fuisse iudicium *Chrysorii* et cuiusdam monachi, qui paulo ante mortem sententiam suae damnationis audierunt. Similia praebet *V. Beda* lib. 5 Hist. anglic. (3) Etiam *S. Ioan. Climachus* in Scala Parad. cap. 7, narrat de quodam monacho, quod instante morte accusationibus responderit, quasi in iudicio constitutus. Nihilosecius credi non debet, iudicium contingere ante mortem, cum homo sit adhuc in via, et possit mereri et demereri. Qua de re visiones et revelationes mox dictae non erant effectus actualis iudiciii, sed imagines supernae excitatae ad terrorem gentis iniquae, et ad magisterium servorum Dei. Nec potiori probabilitate nitet sententia propugnans, iudicium post mortem aliquamdiu differri, licet testimonia non desint, quae huic opinioni favere videantur. Haec praesto sunt in libro *S. Augustino* adscripto de cura pro mortuis agenda cap. 12, nec non in l. 4 Dial. *S. Gregorii M.* cap. 25. Celebre est exemplum quod narratur in vita S. Brunonis, de quodam Parisiensi Doctore in templo ad exequias exposito, qui primo die post mortem clamavit: *In iusto Dei iudicio accusatus sum;* die secunda: *Iudicatus sum;* tertia die demum clamavit: *Condemnatus sum.* Similia narrat *Leontius* in vita *S. Ioannis Eleemosynarii.* — Notandum vero est, quod veritas istarum revelationum historica a multis Criticis in dubium trahatur, et quod ista facta extraordinaria, si ea vere contigisse admit-

(1) Cap. 14. (2) Lib. 4, Dial. cap. 38. (3) Cap. 14 et 15.

tatur, communi tamen sententiae de iudicio particulari ordinarie immediate post mortem instituendo non adversentur. Recte enim ratiocinatur *Cl. Bellarminus* lib. 2 de purgator. c. 4, dicendo, probabilius sustineri posse in exemplis a *V. Beda* allatis, iudicium ante mortem non peractum, sed praeostensum tantum fuisse; in exemplo autem Doctoris Parisiensis iudicium non dilatum in alteram diem, sed solum altera die manifestatum esse.

Nota 3. Cum Ioan. V, 22 dicatur: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*, rectissime cum theologis asseritur, iudicium particulare a Christo Deo et homine exerceri. Hoc autem non ita intelligendum est, quasi Filius Dei incarnatus veniat ad singulos morientes, ut de illis iudicium ferat, loquendo de reali descensu in diversis etiam locis, dum multi simul moriuntur. Nec etiam hoc intelligendum est, quasi animae statim ferantur in coelum ad tribunal Iudicis, ut Christo praesententur; nam id de animabus damnandis non est verisimile; ut quid enim ascenderent in coelum, statim descensurae in infernum? Intelligenda ergo haec sunt de visione intellectuali, simili illi, quam habuit S. Stephanus paulo ante mortem, cum dixit: *Ecce video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei* (1). Dicendum nempe est, animam in ipso instanti mortis, dum a corpore soluta est, intellectualiter elevari ad videndum Christum Iudicem, ut est in coelo cum maiestate, scilicet in gloria corporis, et in potestate, scilicet cum coelestium spirituum comitatu; et sic etiam intellectualiter elevabitur ad audiendam sententiam Iudicis, quae fit per intellectualem locutionem, seu illuminationem, per quam etiam in illo instanti cognoscit, se iudicari, et salvari vel damnari imperio Christi. Hoc ergo volunt Patres, dum dicunt, animas praesentari ad tribunal Iudicis: et sic intelligendi sunt aliqui dicentes, Christum venire in morte uniuscuiusque. Non enim id intelligendum est secundum praesentiam localem, sed secundum efficaciam, per quam fit ut statum suum cognoscat anima et imperium Iudicis, et ex vi illius statim tendat in locum meritis suis debitum. Ita sentiunt graves theologi cum *Gregorio Arim.* (2) et *Abulensi* (3).

Nota 4. Ex dictis colligi potest, quid censendum sit de loco, in quo iudicium particulare instituitur. Cum enim visio intellectualis ubique perfici possit, admitti etiam sententia eorum potest, qui cum *S. Bonaventura* (4) docent, animam manere in illo instanti iuxta corpus suum, ibique sententiam percipere divini Iudicis. Monet tamen *Bellarminus* lib. cit., quoad locum nihil certi asseri posse. Quod caetera adiuncta attinet, cum *Cl. Wiest* (5) observat *Gregor. Feiér* (6): « Quod quidam Patres et Ascetae iudicium istud ita peragi dicant, ut, dum anima divino sistitur Iudici, adsit Angelus Custos agens advocatum, et diabolus agens accusatorem, et inter accusationes et excusationes anima tremens expectet Iudicis sententiam. Verum haec ideo dicta sunt ut fideles iudicium humano more propositum magis expavescant, eiusque rigorem bene merendo declinent; uti facile intelligitur. Revera accusator et excusator erit propria cuiusque conscientia, perfecte

(1) Act. 7, 55. (2) De iud. part. cap. 5.
(3) In cap. 24 Matth.
(4) In 4 sent. Dist. 20 in 1 P.
(5) Tom. ult. § 288 (6) Tom. 7, § 7, not. 1.

cognoscens facta sua praemio aut poena digna: ista etiam conscientia erit ille liber scriptus, in quo quisque uno intuitu leget, quae gessit in corpore suo, iuxta illud, quod scriptum est Luc. XIX, 21: *De ore tuo te iudico; serve nequam.* » Et sane Iudex omniscius neque accusatore, neque defensore indiget, ut statum animae moralem perfectissime perspiciat. Sed Deus omnipotens multa per se praestare potest, ad quae tamen perficienda ministerio Angelorum utitur; et diabolus in libro Iob tanquam accusator coram Deo exhibetur. A priori determinari nequit, quid Deus velit, praecipue cum de statu alterius vitae agitur. Cavendum proinde est, ne, quae Patres et Ascetae dicunt, ut absona derideantur, aut ut falsa reprehendantur, quamvis pro certo tenendum sit, modum iudicii divini a modo iudicii humani longissime differre.

II. *De executione sententiae in iudicio particulari latae.*

§ 754. Vetus fuit Chiliastarum error, animas hominum defunctorum usque ad diem iudicii extremi in incerto relinqui. *Tatianus* Orat. contra Graecos, n. 13 tradidit, animas impiorum cum corporibus interire, et in die iudicii resuscitandas esse. Extiterunt etiam inter Iudaeos nonnulli, qui asseruerunt, defuncti animam coelestis felicitatis adhuc incapacem per integrum annum aberrare in mundo, et maxime circa sepulcrum et cadaver, suum versari, memorem veteris hospitii; quam opinionem Iudaei a Philosophis alexandrinis accepisse, existimat *Iac. Brucherus*(1). *Lactanctius* quoque hac in re aberravit, qui (2) scribit: « Nec tamen quisque putet, animas post mortem protinus iudicari. Omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Iudex meritorum faciat examen. Tum, quorum fuerit probata iustitia, ii praemium immortalitatis accipient: quorum autem peccata et scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati. » De eodem errore a *Cl. Tournely* (3) *S. Iustinus M.*, *S. Irenaeus*, *Tertullianus*, *Theophilus Antioch.*, et alii scriptores ecclesiastici arguuntur. Certum est, *Vigilantium* docuisse, animabus iustorum, etiamsi certae sint de futura gloria, hanc tamen ante universalem resurrectionem non esse conferendam; nam *S. Hieronymus* lib. c. Vigilant. n. 6, ita eundem obiurgat: « Ais, vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum et Martyrum consedisse, nec posse de suis tumulis, et ubi voluerint, adesse praesentes... sed in libera honestaque custodia in fortunatorum insulis, et in campis elysiis recludantur. » Porro *Iacobitae, Copti in Aegypto*, et *Nestoriani* adserunt, tam electis beatitudinem, quam reprobis supplicia differri quoad omnes resurgant et iudicentur. Eandem fere sententiam Graecos schismaticos amplexos esse, constat ex *S. Thomae* opuscolo 3 (4) contra Graecos, Armenos et Saracenos exarato, et ex *Conc. Florentino* Sess. 1. — In eundem errorem abiere *Lutherus* in praelect. in Genes., et *Calvinus*, qui l. 3 Instit. (5) ait, « stultum et temerarium esse inquirere, quo in loco sint animae iustorum, et an gloria fruantur, nec ne. Interea (pergit ille) cum Scriptura ubique iubeat pen-

(1) Hist. crit. phil. tom. 2, p. 902.
(2) Lib. 7 Instit. cap. 21.
(3) De Deo q. 12, art. 1.
(4) Al. 6 cap. 9. (5) Cap. 25, n. 6

dere ab expectatione adventus Christi et gloriae coronam eousque differat, contenti simus his finibus divinitus nobis praescriptis: animas piorum militiae labore perfunctas in beatam quietem consedere, ubi cum felici laetitia fruitionem promissae gloriae expectant. » Quam doctrinam Calvini merito suggillat *Cl. Bellarminus* (1) dicens: « Ubi notanda mira hominis stultitia, qui dicit, stultum et temerarium esse quaerere, utrum animae iustorum gloria fruantur, nec ne: et ipse tamen audacter definit, eas nondum frui gloria, sed eam expectare. » Antesignanis suis adstipulantur multi ex Protestantibus, praecipue autem *Burnetus,* natione Britannus, qui in execrabili suo libro *de statu mortuorum et resurgentium* docet, tunc solum iustis praemia et impiis supplicia retribuenda esse, quum Christus visibilis totum genus humanum in iudicium adducet: imo ne tunc quidem iustis aditum futurum esse in coelos, atque ad beatificum Dei adspectum, sed post mille tantum annos in terrae deliciis prius transigendis: ex quo patet, quod Millenariorum errorem, iam a tot saeculis excisum, in vitam revocare ausus sit vir iste haereticus. — Verum Ecclesia catholica constanter credidit, homines singulos immediate post mortem iudicari, et sententiam in hoc particulari iudicio latam, sive *praemium*, sive *poenam* respiciat, protinus executioni mandari, ita ut animae iustorum perfecte purae ad praemia in coelo sine dilatione admittantur; animae iustae quidem, sed non perfecte purae, illico in purgatorium: animae autem impiae, peccato mortali inquinatae, statim in infernum detrudantur. Veritas huius doctrinae catholicae iam solidis argumentis probanda est.

(1) Lib. I de Beatit Sanct. cap. I.

Nota. Quicumque purgatorium admittunt, etiam credunt, statim post mortem animas in istud descendere, quia post extremum iudicium locus purgationis non erit. Haud igitur opus est ut in specie probetur, sententiam in animas iustas sed non perfecte puras latam statim executioni mandari; id enim manifestum fiet, dum probatur, dari purgatorium, et animas in eum detentas per suffragia fidelium viventium iuvari. Immediata ergo sententiae executio solum probanda est respectu *iustorum perfecte purorum*, et respectu *impiorum.*

A. *Animae iustae et perfecte purae protinus in coelis excipiuntur.*

§ 755. Certum est, quod in V. T. animae a corpore solutae quantumvis sanctae et omnino purae coelum, propter peccatum originale omnibus hominibus clausum, penetrare non potuerint, quae ideo in loco subterraneo qui *limbus Patrum*, aut sinus Abrahae dictus est, in quo paradisi gaudiis non fruebantur, sed etiam nullis poenis afficiebantur, ut docet *S. Thomas* in supplem. (2) — Christus autem per mortem suam peccatum sustulit, coelumque reseravit, ac ideo ad inferos descendit, ut animas sanctas et perfecte purgatas e limbo liberaret, et ad gloriam transferret (§ 382). In novo igitur Foedere animae sanctae, quibus in morte nihil luendum est, aut quae plenam in purgatorio satisfactionem praestiterunt, statim in coelis excipiuntur, et coelesti beatitudine fruuntur: quod dogma catholicum ex *S. Scriptura,* ex *Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* sat luculenter doctrinae catholicae suffragatur. Christus ipse ait ad latronem in cruce,

(2) Q. 69, art. 4 et 5.

per contritionem perfectam plene iustificatum: *Hodie mecum eris in paradiso* (1), id est, in loco voluptatis, ubi scilicet sis in beatitudine et visione Dei beatifica. Dicit ergo ei Christus: Hodie te felicem in perpetuum efficiam, hodie te regem in regno gloriae divinae mecum regnantem constituam. Et hoc videntur velle *S. Cyrillus Hier.* Catech. 3, *S. Chrysostomus* Hom. 2 de cruce et latrone, *S. Gregorius Nyss.*, Serm. de resurrect., *S. Augustinus* Tract. III in Ioan., qui TO *in paradiso* explicat *in coelo*, id est, in beatitudine coelesti. Certum quidem est, Christum cum latrone die illo, quo obiit, non ascendisse in coelum, sed descendisse in limbum Patrum, (unde idem *S. Augustinus* (2) et *Maldonatus*, per paradisum hic accipiunt sinum Abrahae) ibique eis visionem divinitatis suae impertivisse, itaque eos beasse: quare tunc Christus rerum sortes mutavit; fecit enim, ut limbus esset paradisus, ut inferi essent superi, ut infernus esset coelum; ubi enim est Christus, ibi est paradisus; ubi est visio Dei et beatitudo, ibi est coelum. Hinc *S. Thomas* in opusc. cit. ait: « Manifeste etiam Dominus latroni in cruce confitenti dixit: *Hodie mecum eris in paradiso*, per paradisum gloriae fruitionem designans: unde non est credendum, quod suos fideles Christus remunerare differat quantum ad gloriam animarum usque ad corporum resurrectionem. » Luc. XVI, 22, etc. legitur parabola aut historia de Lazaro et de divite epulone, in qua narratur: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno:* quibus verbis manifeste instituitur antithesis inter praemium pro bona vita actu iam concessum, et inter poenam pro mala vita actu iam inflictam: quod confirmatur ex verbis Abrahae ad epulonem: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (3): itaque *nunc* iam Lazarus consolationem et gaudium experiri dicitur, sicut *nunc* iam immisericors epulo cruciatus patitur: neque haec ad tempus post resurrectionem trahi possunt, cum (v. 28) de quinque fratribus adhuc in terra viventibus sermo instituatur. Porro Christus, cum Io. XVII, 21, 23 dixisset, se per charitatem cum discipulis suis unitum esse (v. 24.), subiungit: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi;* quibus verbis aperte eis promittitur visio beatifica, non in hac, sed in altera vita; non post resurrectionem demum, de qua hic nec verbum occurrit, sed immediate post mortem; quis enim perpendens verba Christi saepius repetita (Io. XIV, v. 2, 3, 19, 20) dicere audebit, fidos Christi discipulos per multa saecula a praesentia Christi et visione beatifica penitus avulsos manere? — Optime verborum Christi interpretes, discipuli Christi et Apostoli, unionem cum Christo, et visionem beatificam statim post mortem expectarunt. Stephanus anticipata Christi visione recreatus (4), non putavit, se hanc in morte amissurum esse, sed credidit, se post mortem eadem perfectius fruiturum esse; unde plenus fiducia dixit: *Domine Iesu! suscipe spiritum meum* (5), id est, veluti manibus suscipe animam meam, ut tecum semper unita

(1) Luc. 23.
(2) Lib. 12 de Genesi ad litt. c. 34.
(3) V. 25.
(4) Act. 7, 55.
(5) V. 58.

manent. Paulus eandem fidem pluribus in locis profitetur. Nam I Cor. XIII, 12 scribit: *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem*, ubi ita unum alteri opponit, ut nullum inter utrumque medium appareat. Imo, quod de sorte Beatorum loquatur, quam statim post mortem experturi sunt, ex iis, quae antecedunt manifestum est. Loquitur enim de tempore, quo prophetiae evacuabuntur, quo linguae cessabunt, et scientia destruetur, quae omnia in morte contingunt; sed ait (v. 8): *Charitas nunquam excidit*, seu et post mortem continuatur, et *tunc facie ad faciem* videbimus, id est, visione beatifica perfruemur. Clarius idem Apostolus loquitur II Cor. V, 1: *Scimus, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis:* ubi per domum aeternam ac coelestem intelligit haud dubie Apostolus aeternam beatitudinem, vultque, quod simul atque terrestris, et caduca haec domus dissoluta fuerit, non sit nobis defutura domus longe praestantior, nempe coelestis et aeterna: deesset autem, et quidem diu, si ea carendum esset usque ad diem extremi iudicii. Addit deinde Paulus: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem); audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum* (1). Ex his verbis, ut post S. *Thomam* (2) observat *Estius* in commentar., duplici argumento probatur, visionem beatificam statim post mortem animabus iustis concedi. Nam primo, Apostolus cupit peregrinari a corpore, hoc est rebus humanis eximi, ut praesens sit ad Dominum, quod idem est, ac beatifica visione Dei frui, eo plane sensu, quo idem Apostolus dicit, iustos rapiendos in aëra obviam Christo, subdens: *Et sic semper cum Domino erimus* (3). Secundo, innuit corpore soluto non amplius per fidem nos ambulaturos, sed per speciem, hoc est, ut alibi etiam clarius idem Apostolus loquitur, visuros nos Deum non amplius per speculum, et in aenigmate, sed *facie ad faciem*. Phil. I, 21, etc. Paulus scribit: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum... coarctor autem e duobus* (ab utraque parte urgeor); *desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos*. Mortem ergo desiderat Paulus, eamque vitae terrestri praefert; vanum autem esset hoc desiderium, si corpore dissoluto adhuc Paulus non esset cum Christo, sed hanc unionem post resurrectionem tantum consequeretur; certe tunc mortem vitae, saluti fidelium consecratae, praeferendam esse non affirmasset. In Apocal. homines electi dicuntur stare *ante thronum, et in conspectu Agni* (4), non secus ac Angeli, de quibus Christus *semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* (5). Ibid. de iis, qui martyrium pro Christo fortiter sustinuerunt, dicitur: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo eius; et qui sedet in throno, habitabit super illos* (6). Clare hic S. *Ioannes* designat animas, quibus nihil est expiandum, quoniam dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni: has autem

(1) Ibid. v. 6, etc. (2) Lect. 2 in h. l. (3) I Thess. 4, 16 (4) Cap. 7, v. 9, etc. (5) Matth. 18, 10. (6) Apoc. 7, 14.

asserit esse ante Dei thronum, et in templo, scilicet in regno coelorum.

2. *Ss. Patres* eandem doctrinam profitentur. *S. Clemens Rom.* (1), ait: « Sanctos Apostolos intueamur! — Petrus multos sustinuit labores, atque ita martyr effectus discessit ad debitum gloriae locum: — Paulus, quia certamen patientiae sustinuit... et Evangelium in Oriente et Occidente praedicavit propter fidem suam praeclarissimum praemium accepit.» Et addit: « Qui per gratiam Dei in charitate mortui sunt, inter Beatos existunt, et in visitatione regni Christi revelabuntur. » Presbyteri et Diaconi Achaiae in actis martyrii *S. Andreae* Apostoli « animam eius ad Deum profectam esse » affirmant. *S. Ignatius M.* in Epist. ad Rom. n. 5 etc. desiderium suum manifestat per martyrium ad Christum perveniendi, et inter alia scribit: « Ignoscite mihi, quid mihi prosit, ego novi. Visibilium et invisibilium nihil expetam, ut Iesum Christum assequar. Ignis, crux, ferarum incursus... tormenta in me veniant, tantummodo ut Iesum Christum nanciscar... Illum concupisco, qui pro me mortuus est; cum illo uniri desidero, qui a mortuis resurrexit: hoc est lucrum meum... Nolite me per vitam huius terrae a Deo meo separare: sinite me purum lumen haurire; cum illic fuero, homo Dei ero..... Aqua viva saliens in me intus mihi dicit: *Veni ad Patrem.* » Haec igitur erat sanctissimi Martyris certissima fides et spes, quae certe vana in ipso non fuit. Constat enim ex actis martyrii s. Ignatii (ap. Coteler.), eos, qui martyrii eius testes fuere, vidisse sanctum Martyrem coram Deo summo splendore coruscantem. S. *Polycarpus* in Ep. ad Philip. (2) de S. Paulo caeterisque Apostolis inquit: « Pro certo habentes, quod hi omnes non frustra cucurrerunt, sed in fide, ac iustitia ingressi ad locum sibi a Deo debitum pervenerunt, quandoquidem et passionum eius participes extiterant.» *Ecclesia ipsa Smyrnensis* in celebri Epistola, quam de martyrio S. Polycarpi ad Ecclesias universas scripsit (3) S. Martyrem sic orantem inducit: «Benedico te (Deus) qui me in hunc diem perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio Martyrum... inter quos, quaeso, suscipiar hodie in conspectu tuo tanquam hostia pinguis et accepta, quemadmodum praeparasti, adimplens ea, quae praemonstrasti verax Deus.» Et paulo post agnoscit eadem Ecclesia Smyrnensis, Polycarpum « immortalitatis corona esse redimitum, et praemium gloriosi certaminis sine controversia retulisse.» — *S. Iustinus M.* (4) ait: « Desidero vitam aeternam, et puram; quaero ingredi habitationem, quam Deus Pater et Creator omnium rerum promisit.... quia firmiter credo, quod illi, qui per opera se Dei servos ostendunt, et apud ipsum commorari desiderant, haec bona consequantur.» Et (5) de Lucio propter fidem christianam comprehenso narrat, quod gratias egerit, quia « sciebat, se ab impiis dominis liberandum, atque ad Dominum et Patrem coelorum transiturum esse. » *Athenagoras* in Legat. pro Christ. (6) dicit: « Credimus quod, si vita nobis eripiatur, nullum malum patiamur, quod cum illis bonis comparari possit, quae in altera vita a magno Iudice pro recto vivendi modo consecuturi sumus.» *Clemens Alex.* (7) inquit: « Clarum est, neminem unquam vitae tempore Deum evidenter comprehendere; qui autem

(1) Ep. I ad Corinth. n. 5. (2) N. 9.
(3) Ap. Euseb. lib. 4 Hist. c. 15.
(4) Apol. I, n. 8. (5) Apol. 2, n. 2.
(6) N. 12. (7) Lib. 5 Strom. c. 1, § 14

sunt mundo corde, Deum videbunt postquam ad extremum finem pervenerint.» *Origenes* (1) c. Celsum haec habet: « Habemus Pontificem maximum dicentem germanis discipulis, se illos elevaturum esse supra mundana omnia; ait enim: *Ut quo ego vado, et vos sitis.* Quamobrem post exactos labores huius vitae ac certamina, speramus nos in coelum evasuros.» *S. Cyprianus* lib. de exhort. Martyrii (2) scribit: « Quis non omnibus viribus elaboret, ut cum Christo statim gaudeat? ut post tormenta, et supplicia terrena ad praemia divina perveniat?... Clauduntur oculi in persecutionibus terrae, sed patet coelum; minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur; mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto Paradisus exhibetur; vita temporalis extinguitur, sed aeterna reparatur. Quanta est dignitas, et quanta securitas exire hinc laetum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus? Tam velociter migrandi, quanta felicitas, ut terris repente subtraharis, ut in regnis coelestibus reponaris! » Neque solis martyribus S. Pater hanc gloriam statim post mortem obtinendam adscribit, sed etiam aliis in perfecta iustitia obeuntibus; nam in eodem libro iam antea dixerat: « Vivere omnes, dicit Ioannes (Apoc. 20), et regnare cum Christo non tantum, qui occisi fuerint, sed et qui in fidei suae firmitate et Dei timore perstantes imaginem bestiae non adoraverint.» *S. Ephraem* (3) sic de iustis, et praesertim de castis decedentibus disserit: « Ipsi quoque coeli non valebunt portas suas claudere coram anima, quae virtutibus viget, sed mox ut viderint eam, cum gaudio reserantur. Mille millia Angelorum, et Archangelorum cum gaudio vultus sui suscipient eam, et in manibus suis tollent, et ante sedem Maiestatis Dei.... Exultabit in ea Paradisus in quo haereditatem consecuta est.» *S. Basilius* Orat. in 40 Martyres n. 8, fortes istos athletas ita inter se loquentes proponit: « Acris est hiems, sed dulcis Paradisus; affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore perseverantes sinus Abrahae nos perpetuo fovebit: unam noctem cum aevo sempiterno commutabimus: aduratur frigore pes, ut cum Angelis perpetuo tripudiet: diffluat frigore manus, ut liberam facultatem habeat se ad Deum attollendi: fiat sacrificium nostrum coram te, Domine, et istud benigne accepta. » Eosdem etiam Martyres his verbis alloquitur: « Vos non terra, sed coelum suscepit; apertae sunt vobis Paradisi portae etc. » *S. Gregorius Naz.* Orat. (4) in laudem S. Basilii, in fine hunc ita invocat: « Tu verò —e coelo, quaeso, nos aspice... nosque, posteaquam ex hac vita migraverimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe, ut simul viventes, et sanctam ac beatam Trinitatem... purius, pleniusque cernentes, desideriis nostris finem ponamus, ac bellorum eorum, quae intulimus, vel pertulimus, hoc praemium referamus.» Et (5) in laudem Caesarii fratris defuncti profitetur se credere, « omnem animam puram, et Deo charam postquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinus... mirabili quadam voluptate affici, et exultare... et recondita frui beatitudine.» *S. Gregorius Nyss.* Orat. de S. Ephraem n. 8 ait: « Ad tranquillum aeterni Regni portum felici-

(1) Lib. 6. (2) Cap. 12.
(3) Lib. 1 de Compunct. c. 12.
(4) Orat. 43, al. 20. (5) Orat. 7, n. 21.

ter emigravit, sanctaque ac Deo grata accessione numerum beatorum—cumulavit. Nam in coelestibus anima ipsius consedit tabernaculis, ubi Angelorum sunt Ordines etc. » Idem in Orat. fun. de S. Pulcheria dicit: « Hinc avulsa est planta, verum in Paradiso consita, a regno in regnum translata est: quam pulcher ille oculus est, qui Deum conspicit! » *S. Chrysostomus* Orat. de S. Philogon. n. 1 inquit, generatim de sanctis loquens: « Deum vident omnes, quantum capere possunt, tum praesentem, tum splendore maiestatis suae omnes, qui cum eo sunt, collustrantem. » (1). — *S. Hilarius* in Ps. 124, n. 5 haec habet: « Quomodo possumus, montes non eos significatos esse intelligere, qui supra terrenam naturam gloriosi in Dei rebus iam exultant? » — *S. Ambrosius* (2) dicit: « Unde te evocem Petre! ut doceas me, quid flens cogitaveris? unde te evocem? de coelo, ubi iam choro insertus es Angelorum. » Idem, lib. 2 de Cain et Abel (3) de iis, qui in gratia Dei obeunt, inquit: « Etiamsi corporis gustaverint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, et illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur aeterna. » Et Epist. 54 scribit de Ss. Gervasio et Protasio: « Quorum anima est in coelo, corpus in terra. » Atque in libro de bono mortis (4) ait de sanctis: « Hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, et lumen illud, quod illuminat omnem hominem. » *S. Augustinus* Tract. 124 in Ioan. n. 3, quaestionem movet, cur Christus de Ioanne dixerit: *Sic eum volo manere, donec veniam;* « cum B. Petrum per ingentem martyrii gloriam ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit, quod Apostolus Paulus se concupiisse dixit, et scripsit, *dissolvi et esse cum Christo.* » Et lib. 20 de Civ. Dei c. 15, sic loquitur: « Si non absurde credi videtur, antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, et ad ea loca descensus erueret: profecto deinceps boni fideles effuso illo pretio iam redempti prorsus inferos nesciunt. » Hinc S. Doctor (5) de Nebridio amico suo scribit: « Iam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum (Deus!), et bibit, quantum potest, sapientiam pro aviditate sua sine fine felix. » *S. Hieronymus* in ep. ad Marcellam de obitu Letae dicit: « Nunc pro brevi labore aeterna beatitudine fruitur; excipitur Angelorum choris, Christum sequitur et dicit: Quaecumque audivimus, ita vidimus in civitate Dei nostri. » Et epist. ad Heliodor. scribit: « Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri iam cum Christo regnantium. » S. *Fulgentius* Serm. de S. Stephano inquit: « Hodie miles de tabernaculo corporis exiens triumphator migravit in coelum. » *S. Gregorius M.* (6) ait: « Qui Christum in coelo esse non dubitat, nec Pauli animam in coelo esse negat. » Imo (7) data opera quaestionem movet « num ante restitutionem corporum in coelo recipi valeant animae iustorum? » Distinguit autem iustos imperfectos, quibus aliquid luendum superest, a perfectis, quos nulla peccatorum macula inficit; atque hos postremos in regni coelestis sedibus illico recipi docet. Eandem fidem profitetur *S. Ioan. Damascenus*

(1) Cf. Hom. 36 in Matth. n. 3; Hom. 32 in Ep. ad Rom. n. 2; Hom. 3 in Ep. ad Philip. n. 3 et 4.
(2) Lib. 10 in Luc. n. 92.
(3) Cap. 9, n. 31. (4) Cap. 11, n. 49.
(5) Lib. 9 Confess. c. 3, n. 6
(6) Lib. 4 Dialog. c. 25.
(7) Ibid. c. 24. etc.

in historia de Barlaam et Iosaphat. *Theophylactus* (1) inquit: «Dicendum est, idem esse Paradisum, et regnum coelorum; nam Latro est in Paradiso et regno; alioquin non frueretur perfecta bonorum participatione.» *S. Bernardus*, quem *Petavius* (2) contrarii erroris insimulat, manifeste pluribus in locis doctrinam tradit catholicam. Nam Serm. 19 de diversis ait: « Hauriunt (sancti) in gaudio de fontibus Salvatoris, et nudis, ut ita dicam oculis, divinitatis intuentur essentiam.» Lib. de diligendo Deo cap. 10 inquit: « Immersas (Martyrum animas) ex toto credimus immenso illi pelago aeterni luminis, et luminosae aeternitatis.» In vita S. Malachiae cap. ult. diem obitus huius Sancti indigitans ita loquitur: « Hodie Malachias in consortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem ante Angelus erat non minus puritate, quam nomine, sed nunc felicius gloriosi in eo interpretatio nominis adimpletur, quando pari cum Angelis gloria et felicitate laetatur...: Exultat in Domino spiritus Malachiae etc.» Serm. 5 in Dedic. Ss. de his in genere dicit: « Post multos agones iam nunc triumphant in coelo coronati.» *S. Thomas* (3) contra Gent., ex professo probat, gloriam animae usque ad diem extremi iudicii non differri.

3. *Alia monumenta ecclesiastica* doctrinam catholicam confirmant, et extra omne dubium ponunt. Hanc etenim fidem Martyres publice coram Iudicibus professi sunt, ut genuina eorum acta referunt. Sic *S. Symphorosa* coram Adriano, ut sacrificaret, interpellata respondit: « Vir meus Getulius et frater eius Amantius, pro nomine Iesu Christi decollari maluerunt, quam sacrificare: vicerunt vestros daemones, et nunc cum aeterno rege vita aeterna fruuntur in coelis.» Idem constat ex Actis *Ss. Felicitatis*, *Lucii*, *Cyrilli*, Caesareae in Cappadocia pueri etc. — Fidem suam usu ipso, ac quotidiana praxi declarat Ecclesia in publicis suis precibus, ubi testatur, sanctorum animas in coelo iam aperto Dei conspectu potiri. Ita in codice Sacrament., antiquissimo Gelasiano legimus: *Martyres iam coelestia regna esse consecutos*. Et in festo Ss. Perpetuae et Felicitatis: *Quaesumus, ut sicut illis gloriam contulisti, nobis indulgentiam largiaris:* et in festo Ss. Gervasii et Protasii: *Ut quos coelesti gloria sublimasti* etc. Ita etiam die S. Gregorio sacra sic orat Ecclesia: *Deus, qui animae famuli tui Gregorii aeternae beatitudinis praemia contulisti* etc. Porro notum est illud *Caelestini Papae* effatum in secunda Epistola ad Episcopos Galliae: « Legem scilicet credendi lex statuat supplicandi.» Ex illis itaque precibus Ecclesiae recte demonstratur, hanc esse publicam fidem, animas sanctorum, quibus nihil luendum superest, statim ac corpore solutae sunt frui visione Dei intuitiva. Idem definierunt Romani Pontifices *Innocentius III* c. *Apostolicam* (4); *Innocentius IV* Epist. 10 ad Otton. Card. Tuscul. n. 25; *Clemens IV* in Fidei professione ad Palaeologum, Graecorum Imperatorem ann. 1267 directa: ac demum, cum doctrina catholica a nonnullis in dubium vocaretur, *Benedictus XII* in Bulla: *Benedictus Deus*, ann. 1336 edita, et a tota Ecclesia recepta, expressis verbis declaravit: *Homines pios plene purgatos, vel iustos ex hac vita decedentes statim consequi beatitudinem, et visione Dei*

(1) In cap. 23 Lucae v. 43.
(2) Lib. 7 de Deo, cap. ult., n. 9.
(3) Lib. 4, c. 91.
(4) Tit. 42 de Presbytero non baptizato

beatifica perfrui. Concilia quoque eandem doctrinam proposuerunt. *Lugdunense II*, anno 1274, in professione fidei dicit: *Credimus... illorum animas, qui post sacrum Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, vel in suis manentes corporibus, vel iisdem exutae, sunt purgatae, mox in coelum recipi. Florentin.*, anno 1439, in definitione fidei, cui Graeci pariter, et Latini subscripserunt, mox citata verba Concilii Lugdunensis repetit, quibus maioris claritatis gratia haec adiungunt Patres Concilii: *Et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius. Tridentinum* Sess. XXV, de invocat. Sanctorum docet: *Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre... illos vero, qui negant, Sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes invocandos esse.... impie sentire.*

4. *Rationes theologicae* variae a variis afferuntur. *a*) Deus omnes creaturas, praecipue autem homines sapientissime gubernat, et ad fines suos dirigit (§ 257 etc. seq.): finis autem hominum est, ut per moralitatem perfectam ad summam felicitatem perveniant (§ 202). Tempus autem liberae moralitatis, seu tempus merendi in morte desinit (§ 749), et ideo statim post mortem tempus retributionis incipere debet; secus dicendum foret, tempus et quidem longum dari, quo animae humanae conservantur quidem, sed nullo modo gubernantur, seu ad finem suum diriguntur. Hinc S. *Thomas* (1) inquit: « In vita ista est status merendi, vel demerendi; unde comparatur militiae, et diebus mercenarii, ut patet Iob VII, 1: *Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies eius*. Sed post statum militiae, et laborem mercenarii statim debetur praemium.... unde et Levit. XIX, 13 dicitur: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*. Dominus etiam dicit Ioël III, 4: *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum*. Statim igitur post mortem animae vel praemium consequuntur, vel poenam. » *b*) Angeli, qui probationis tempore fideles remanserunt, statim admissi sunt ad visionem beatificam (2). Atqui communis est Ss. Patrum doctrina, animabus sanctorum eandem cum Angelis felicitatem et gloriam esse concedendam. Equidem in V. T. id fieri non potuit, quoniam propter peccatum originale coelum clausum erat: Christus autem per mortem suam coelum reseravit, ideo ad inferos descendit, ut animas sanctas ex limbo liberaret, et *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (3). Absque dubio ergo per Christum melior reddita est conditio animarum sanctarum, tum earum, quae prius in limbo detinebantur, tum earum, quae modo omnino purae ex hac vita migrant; quod si negaretur, efficacia mortis Christi maxime obscuraretur. At si sancti V. T. quos Christus descendens ad inferos liberavit, nondum Deo fruuntur, non videntur multum consecuti per illum Christi descensum: quandoquidem etiam apud inferos erant in loco quietis, refrigerii, et consolationis, qui vulgo sinus Abrahae dicitur. Porro nec nostra post Christum conditio melior facta esset, si multorum annorum spatium expectandum nobis foret, ut ad conspectum Dei, ac aeternam felicitatem admitti possemus. *c*) Reserato per Christum coelo duplicem tantum anima-

(1) Lib. 4, c. Gent cap 91, n. 2.

(2) Matth. 18, 10. (3) Ephes. 4, 8.

rum statum agnoscimus, statum merendi, et statum retributionis: tertium statum, velut intermedium, quem adversarii statuunt, recte tamdiu negamus donec illum probaverint. Verum illum probare nequeunt ex revelatione, ut patebit ex solutione obiectionum, et minus ex ratione. Ratio enim nihil invenit aut ex parte Dei, aut ex parte hominis, quod in iustis plene purgatis visionem Dei claram et intuitivam possit retardare: non ex parte Dei, qui iustus est, et magis ad misericordiam pronus, quam ad vindictam: non ex parte hominis, tum quia anima vinculis corporis soluta capax est visionis Dei, cum haec sit operatio mere spiritualis; tum quia ipsi nova merita comparanda non supersunt, cum sit post mortem in termino iam constituta, tum quia, si perfecte pura est, nullam poenam meretur, per dilationem autem praemii quodammodo puniretur, dicente Scriptura: *Spes, quae differtur, affligit animam* (1). *d)* Denique certum est, quod ii, qui in statu peccati mortalis decedunt, statim post mortem aeternis addicantur suppliciis, ut sequenti paragrapho probabitur: ergo cum Deus pronior sit ad praemiandum, quam ad puniendum, iusti perfecte purgati statim post mortem in coelo recipiuntur, et visione Dei intuitiva donantur.

Nota 1. Adversarii contra nos iisdem fere armis pugnant, quibus a nobis debellantur, et ad suam sententiam defendendam varia argumenta proferunt, quae confutare oportet.

Obi. I. S. Scriptura, ait *Calvinus* (2) tam bonorum praemium, quam malorum poenam semper ad extremam iudicii diem refert. Sane Matth. XXV, ubi describitur universale iudicium, plura sunt, quae luculenter ostendunt, nullam fuisse antea factam gloriae vel poenae retributionem. Nam primo, tunc segregabuntur electi a reprobis: erant ergo antea simul commixti. Secundo, dicitur regnum *praeparatum* electis a constitutione mundi; nondum ergo erat collatum. Tertio, ita Iudex sententiam feret: *Venite benedicti*, etc., et *Discedite maledicti*, etc., ac demum concluditur: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam*, ut constet, utrosque primo *ire*, non autem *redire* vel ad supplicium, vel ad poenam. Idem confirmatur ex parabolis tritici et zizaniorum sagenae missae in mare (3), ac ex verbis Christi Io. XIV, 2: *Vado parare vobis locum... iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, et vos sitis:* quae omnia ad extremum iudicii diem referuntur, in quo praemium electis datur.

Resp. Descriptio iudicii Matth. XXV, pertinet ad finem mundi, et ad homines in carne resuscitatos, quorum *segregatio* tunc primum fieri debet, non quantum ad animas, quae vel in ipsa hypothesi adversariorum in locis separatis degunt, sed solum quantum ad corpora, quae modo confusa sunt. Eadem ratione dicitur *praeparatum* regnum coelorum electis respectu corporum, non respectu animarum, quae iam erant in possessione aeternae beatitatis, quemadmodum, cum dicitur reprobis: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius*, non efficitur, angelos malos ante iudicium extremum non torqueri igne inferni. Denique vere dicet Christus electis: *Venite benedicti* etc., reprobis autem: *Discedite maledicti* etc., quia tunc primum corpore resumpto ibunt homines vel in coelum ad vitam, vel in

(1) Prov. 13, 12. (2) Lib. 3 Inst. c. 25. n. 6. (3) Matth. 13.

ignem ad mortem. Eodem modo explicari debent parabolae *sagenae* congregantis omnia genera piscium, et *zizaniorum* (1), quae modo simul cum tritico crescere permittuntur, post autem in consummatione saeculi ab Angelis separabuntur. Item si obiiciuntur verba Christi ex parabola patrisfamilias vocantis operarios: *Cum sero factum esset, dicit Dominus vineae procuratori suo: voca operarios, et redde illis mercedem* (2), ubi *per vesperam* adversarii intelligunt finem mundi; communis responsio est, per illa verba: *Cum sero factum esset*, non finem mundi, sed terminum vitae designari; vel, si ad extrema mundi referantur, accipienda esse de beatitudine completa, scilicet de corporis simul et animae glorificatione. Ita pariter verba Christi Ioan. XIV, 2 si de adventu Christi in extremo iudicio exponuntur, homines respiciunt ex corpore et anima compositos, non autem animas solas. Notandum vero est, quod Christus etiam in hora mortis *venire* dicatur, ut ostendunt loca citata (3).

Obi. II. Apostolus Hebr. XI, 13 de sanctis V. T. dicit: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes;* et (v. 16) subdit: *Nunc autem meliorem* (patriam) *appetunt, id est, coelestem.* Quibus verbis declarat, sanctos V. T. ne tunc quidem, quando haec scribebat, scilicet multo post Christi ascensionem, fuisse visionem Dei beatificam consecutos. Ac demum ita totum caput concludit: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* — Quod idem est, ac aperte asserere, omnes omnino Sanctos uno eodemque tempore esse coelesti beatitudine donandos, quod nonnisi post finem mundi fieri potest.

Resp. Paulus (v. 13) per *repromissiones* non intelligit coelestem gloriam, sed solam possessionem terrae Chanaan, a Deo patriarchis promissam quidem, sed eorum posteris datam. Id patet ex eo, quia Sanctorum V. T. duas veluti classes distinguit, unam eorum, qui, ut ait (v. 33): *Adepti sunt repromissiones*, ut Gedeon, David, Samuel, Barac, Iephte, Samson et Prophetae: aliam illorum, qui, ut scribit (v. 39), repromissionem non acceperunt, ut Abraham, Iacob, Moyses, aliique experti ludibria, verbera, vincula etc. Ex isto igitur versu nihil adversarii contra nos arguere possunt. Cum vero subdit Apostolus (v. 16): *Nunc autem meliorem (patriam) appetunt, id est coelestem*, particula *nunc* hoc loco non significat tempus, sed habet vim illationis. Nempe Apostolus, ut evincat, veteres Patriarchas non de terrena, sed de coelesti patria fuisse sollicitos, ita ratiocinatur: Illi confitebantur, se esse hospites, et peregrinos super terram; qui autem id dicunt, significant, se patriam inquirere, sed quam patriam? certe non terrenam, de qua exierunt, quia si hanc quaesivissent, habebant utique tempus revertendi: *Nunc autem*, seu quod idem est, *ergo meliorem appetunt, id est coelestem.* Si autem Apostolus dicit: *appetunt*, ponitur praesens pro praeterito, ut v. 14. In postremis demum versiculis Apostolus docet, quod Patriarchae, quamvis tam praeclaram fidem habuerint, tamen promissam beatitudinem non receperint, antequam coelum per Christum reseraretur. Addit vero, Deum melius providisse pro nobis, qui statim post mortem ad visionem

(1) Matth. 13. (2) Matth. 20, 8. (3) § 747.

beatificam pervenire possumus, et ideo, iuxta *Bernardinum a Pic.*, sensus ultimi versiculi est: Deum per singularem in nos bonitatem ita providisse, ut hi antiquiores Sancti non ante tempora nostra Deo fruerentur in coelis, et non sine nobis consummatam in resurrectione mortuorum gloriam consequerentur. Observat autem Cl. *Gazzaniga* (1), Apostolum praecipue loqui de beatitudine consummata et perfecta post corporum resurrectionem, quia non dixit, *ut non sine nobis* remunerentur, sed *consummarentur*: ex quo patet, praeviam visionem beatificam eis non negari.

Obi. III. II Tim. IV, 8 ait Paulus: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius*: per coronam iustitiae intelligit beatitudinem coelestem, ad quam praecipue pertinet visio beatifica. Sed per *illam diem* intelligit diem iudicii extremi, quo sensu in eadem Epistola c. I, v. 12, dicebat: *Certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem*, scilicet in diem iudicii extremi: ergo remuneratio coelestis usque in hunc diem differtur.

Respondent nonnulli, diem illam, de qua loquitur Apostolus, esse diem resolutionis corporis, ac mortis, quam instare et prope esse ait ibidem (v. 6), et sic verba Pauli nobis suffragantur, quia in die mortis coronam iustitiae expectat. Ast etiam de die extremi iudicii accepta nobis non adversantur. Tunc enim loquitur Apostolus de corona, quae reddenda est hominibus, seu animabus simul et corporibus, non animabus solis; ait enim, *quam reddet mihi:* haec autem non est sola visio beatifica, quae iustis statim post mortem conceditur, sed gloria consummata animae et corporis, quae nonnisi in die iudicii hominibus resuscitatis conferenda est. Nisi ita explicetur Apostolus, secum ipse pugnaret dicens: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, et peregrinari a corpore, ut possim esse praesens ad Dominum.* Si cum adversariis consensisset Paulus, debuisset dicere: Cupio resuscitari, et uniri cum corpore, ut sim cum Christo.

Obi. IV. I Ioan. III, 2 legitur: *Scimus quoniam cum apparuerit* (Christus in fine mundi), *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est:* ergo ante finem mundi Deum visuri non sumus.

Resp. Duplex esse potest huius loci sensus: Primo, ut verba illa: *Cum apparuerit*, non ad Christum referantur, sed ad publicam hominum notitiam; dixerat enim Apostolus immediate antea: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit* etc., quasi dicat: Feliciora venient tempora, in quibus apparebit quid scimus, cum nempe videntes Deum similes quodammodo ei erimus in gloria. Secundo, verba illa: *Cum apparuerit*, possunt ad Christum Iudicem referri, et in hoc sensu illa verba: *Similes ei erimus*, sunt explicanda de gloria, qua corpus nostrum resurgens spirituale circumdabitur ad similitudinem gloriae corporis Christi; prout et Paulus dicit: *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (2).

Obi. V. Apoc. VI, 9 etc. dicitur: *Vidi subtus Altare animas interfectorum propter Verbum Dei... et clamabant voce magna dicentes: Usquequo, Domine (Sanctus et verus), non iudicas, et non vindicas sangui-*

(1) De Deo Diss. 3, cap. 11, n. 275.

(2) Col. 3, 4.

nem nostrum de iis, qui habitant in terra ?... et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum: quo loco significatur, animas Sanctorum non visuras Deum, donec compleatur electorum numerus, quod non erit, nisi in fine mundi.

Resp. Nil iuvat heterodoxos liber Apocalypsis, in quo capite sequenti (v. 15) dicitur, huiusmodi animas *stare ante thronum Dei:* et hoc idem ex citato capite colligi potest. Utitur enim Ioannes, iuxta consuetudinem Scripturarum, rerum sensibilium exemplo. Coelum assimilari templo, neminem latet, cum de coelesti Ierusalem eodem libro scriptum sit: *Dominus Deus omnipotens templum illius est* (1); et: *Apertum est templum Dei in coelo* (2). Animae ergo sunt in coelo, quae *subtus Altare* esse dicuntur. Nomine enim Altaris intelligenda est humanitas Christi; et quia Sanctorum animae nondum resumptis corporibus sunt infra conditionem gloriosi corporis Christi, ideo dicuntur esse *subtus Altare.* Quod si ibidem clamant voce magna, non ergo dormiunt, neque veluti alto sopore pressae iacent usque ad extremum iudicium. Illud vero expetere dicuntur, et quia magnum habent resumendi corpora desiderium, et quia divinae voluntati conformes non solum charitate flagrant, sed etiam zelo iustitiae. Vel oratio animarum ita est intelligenda, ut sententia Gen. IV, 10: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et Deus respondet, ut *requiescerent,* seu quiete expectarent vindictam, quam de crudelibus persecutoribus sumet, cum praedestinatus martyrum numerus completus fuerit.

(1) Cap. 21, v. 22. (2) Cap. 11, 19.
(3) In Ps. 138, n. 20.

Obi. VI. Ss. Patres, ait *Burnetus,* magno consensu negant, Sanctos ante extremi iudicii diem visione Dei beatifica frui. Id certe negant *Papias, S. Irenaeus, S. Iustinus M., Tertullianus, Origenes* et alii, qui Chiliastarum errori adhaeserunt. Iisdem adsentiunt maximi Ecclesiae Doctores; *S. Hilarius* (3), ait: « Humanae ista lex necessitatis est, ut consepultis corporibus ad inferos animae descendant, quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit. » Idem lib. 11 de Trin. n. 39: « Tradet Christus Deo Patri regnum, et tunc, quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt. » Et in Ps. CXX, n. 16 docet, « fideles omnes reservari in sinu Abrahae, quousque introëundi rursum in regnum coelorum tempus adveniat. » *S. Ambrosius* lib. 2 de Cain et Abel cap. 2 scribit: « Solvitur de corpore anima, et post finem vitae huius adhuc tamen futuri ambigua suspenditur: ita finis nullus, ubi finis esse putatur. » Et lib. de bono mortis cap. 11, statuit septem ordines laetitiae animarum sanctarum, quorum nullus visionem Dei complectitur: imo iam cap. 10 dixerat: « Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animae retributionem debitam. » Idem sentit *S. Chrysostomus,* qui Hom. 38 in Ep. ad Hebr. dicit, Abraham et Apostolum Paulum exspectare, quando et nos consummati fuerimus, « ut tunc tandem possint mercedem accipere; » et Homil. 39 in I Cor. inquit, nisi corpus resurgeret, « animam incoronatam manere extra illam beatitudinem, quae in coelis est. » Consonat *S. Bernardus,* qui (4) dicit, quod animae Sanctorum ante iudicii diem non convertentur in requiem suam. *S. Au-*

(4) Serm. 2 in Festo OO. SS.

gustinus in Enchir. (1) ait: « Tempus, quod inter hominis mortem, et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est vel requie, vel aerumna. » Serm. 328 de diversis cap. 8 ait: « Nondum receptis fructibus suis beati sunt modo sancti Martyres, quoniam cum Christo sunt animae eorum. Quid autem paretur illis in resurrectione, quis potest verbis explicare? quod oculus non vidit etc. » Et in Ps. LXIII, n. 5 expresse dicit: « Illa visio facie ad faciem liberatis in resurrectione servatur. » Haec et alia Patrum testimonia, quorum plurima collegit *Burnetus*, ostendunt, quod crediderint, visionem beatificam Sanctis post resurrectionem tantum concedi.

Resp. Testimonia Patrum nobis obiecta magna eruditione explanarunt, et contra adversarios vindicarunt *Cl. Muratorius* (2), *Berti* (3), *Gazzaniga* (4), et alii. Sufficiat nobis animadversiones quasdam adferre, quibus rite perpensis omnes obiectiones ex Patribus petitae facile solvuntur. *a*) Ecclesia semper quidem credidit, animas a corpore solutas, et perfecte puras sine ulla dilatione visionem Dei beatificam obtinere; sed haec Ecclesiae fides primis Ecclesiae saeculis neque satis explicita, neque solemniter definita fuit, ita ut *Cl. Gazzaniga* (5) scribat, propositam doctrinam in ratum, ac universale dogma fidei non transiisse, nisi postquam *Benedictus XII* solemni sua constitutione quaestionem hanc longo, maturoque examine discussam definivit. Inculpabiliter ergo nonnulli antiqui Patres aberrare poterant, Chiliastarum errori inhaerentes: et etiam inter istos nonnulli ab errore fidei contrario vindicantur. Sic ex. gr. *Origenes* erroneam quidem sententiam in nonnullis libris tradit, de quibus constat, quod corrupti fuerint: sed in libris, qui interpolati non fuerunt, catholicam doctrinam proponit; sic Prologo in Cantica Chiliastarum errorem natum esse, ait, ex falsa S. Scripturae interpretatione; etiam in lib. 2 Princip. fabulam Millenariorum refellit, et lib. 6 c. Celsum aperte fatetur, « Sanctos frui Dei visione facie ad faciem, ut inquit germanus Christi discipulus, post mortalis vitae huius certamina, exactosque labores. » Quod si nonnulli contrarium senserunt, aliquorum error communem Ecclesiae fidem non labefactat. *b*) Iuxta regulas exegeticas loca obscuriora per clariora ita exponenda sunt, ut illa cum istis concordent, quoniam supponere non licet, Patres doctrina et pietate praestantes, sibi turpiter contradixisse. Hac de causa testimonia sat luculenta Patrum adducta fuerunt, quibus doctrinam catholicam profitentur: ex his vero colligendum est, loca illa, quae doctrinae catholicae adversari videntur, aliter intelligenda esse; quod sine magna difficultate fieri posse, ex dicendis apparebit. *c*) Nonnulli veteres opinati sunt, aliquam esse legem omnibus impositam ad inferos descendendi, quemadmodum Magister et Redemptor noster fecit: ita sensit *Tertullianus* (6), S. *Hilarius* loc. cit. et alii, qui autem non putarunt, animas ibi perpetuo detineri usque ad universae carnis resurrectionem beatifica Dei visione orbatas, sed docuerunt, ani-

(1) Cap. 109.
(2) Lib. de Paradiso, cap. 15 et seq.
(3) Lib. 3, cap. 10.
(4) De Deo Diss. 3, cap. 13.
(5) Loc. cit. cap. 12, n. 253.
(6) Lib. de anima, cap. 55.

mas perfecte puras ad exemplum Christi descendere quidem ad inferos, sed mox ex iisdem liberari, et visione beatifica donari. Ita *S. Hilarius* (1) dicit, bono latroni promissum fuisse « paradisum, et consummatae beatitudinis delicias, » mox cum Christo recipiendas. *d)* Antiqui Patres aliquando distinxerunt regnum Christi, et regnum Dei; non autem in eo, ut in regno Christi nulla esset divinae essentiae visio, sed quod non esset ita perfecta et completa, quemadmodum erit in regno Dei. Ita intelligendus est *S. Hilarius* cum dicit: « Tunc videbunt Deum, » nempe modo perfecto et completo: quod autem etiam a regno Christi visionem beatificam non excludat, patet ex eo, quia ibid. (2) inquit: « Cum Pater velit, credentes in Filio vitam aeternam habere, Filius vult, illic, ubi ipse sit, esse credentes: nisi forte cohabitare cum Christo non sit aeternitas, aut non perfecta, et beata in se credentibus tribuat Christus. » *e)* Cum Patres dicunt, animas sanctas requiescere, seu reservari in sinu Abrahae, nullatenus intelligunt placidam illam quietem somno similem, qua adversarii fingunt, animas detineri usque ad resurrectionem corporum, quasi dixerim sopitas non secus ac insecta quaedam brumali tempore; sed intelligunt beatam vitam in coelo iustis promissam, de qua Apostolus inquit: *Festinemus ingredi in illam requiem* (3). Unde idem *S. Hilarius* (4) ait: «Si Christus Dei requies est, ergo hi, qui in Christo erunt, erunt in Dei requie. » Quid autem est, in Dei requie esse, nisi eius beatifica visione frui? — *f)* Si Patres dicunt, animam ex hac vita migrantem futuri ambiguam esse, et a visione Dei, seu a statu consummatae felicitatis retineri haec ita intelligenda sunt, ut referantur vel ad extremum illud momentum, quo homo ex hac vita egreditur, de sua adhuc sorte incertus; vel ad iustos imperfectos, qui in purgatorio a visione Dei retinentur: vel nihil aliud innuere volunt, quam vel ipsas beatas mentes latere, quandonam carnis resurrectio, quam vehementer exoptant, futura sit, dicente Christo: *De die illa, et hora nemo scit, neque Angeli coelorum* (5). *g)* Dum Patres asserunt, Sanctos ante plenitudinem temporum, seu ante diem iudicii debitam remunerationem non recipere, loquuntur de consummata beatitudine, quae etiam corporis glorificationem complectitur; non autem ideo negant, animas sanctas statim post mortem ad Dei visionem admitti: sic *S. Ambrosius* in libro de bono mort. contra nos citato, n. 49 aperte visionem Dei iustis post mortem adscribit, neque hanc a septem ordinibus laetitiae excludit, cum e contra dicat: « Quintus ordo exultationis uberrimae habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem, libertatemque pervenerint, et repromissam sibi possideant haereditatem. » Idem (6) loquens de S. Acholio Episc. Corinth. ait, « eum videre facie ad faciem manifestata lumen sine sole perpetuum. » Ita etiam *S. Bernardus* in adducto sermone mentem suam declarat, dicens: « Iam vero consummato militiae tempore gaudium habent Sancti in spiritu suo, donec advenit dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri et in ipso corpore suo, et licet non plenam, habent tamen laetitiam multam. » Et Serm. 3 de OO. SS. ait: « Accepe-

(1) Lib 10 de Trin. cap. 34.
(2) Loc. cit.
(3) Hebr. 4, 11.
(4) In Ps. 91, n. 9.
(5) Matth. 24, 36.
(6) Epist. 59.

runt iam singuli stolas suas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos. Stola enim prima est felicitas, et requies animorum; secunda vero immortalitas, et gloria corporum. » *h*) Hincinde Patres resurrectionem carnis necessariam dicunt, ut beatitudo animae admitti possit. Imitantur nempe argumentationem Apostoli, qui ait: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra* (1). Coniungunt nempe beatitudinem corporis cum beatitudine animae non tempore, sed certitudine, ut haec sine illa esse nequeat, attenta Dei iustitia et providentia. Ita intelligendus est *S. Chrysostomus*, dum Hom. 39 in Ep. 1 ad Cor. (2) dicit: « Nisi resurgat corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quae in coelis est; » ita enim argumentatur: « Aequum est, ut, quoniam simul anima, et corpus in bonis, vel in malis consortes fuerunt, consortes sint etiam in praemio vel in poena: ergo vel anima omni praemio, vel poena carebit, vel corpus resurget. » Non autem ideo animabus sanctis visionem Dei beatificam denegavit; nam (3) in Epist. ad Rom. ait: « Pauli animam versari in summo coelo prope ipsum regis solium, ubi Cherubim et Seraphim volitant: » et (4) in II Cor. V, 6 scribit: « Qui nos (ob fidem) morte afficiunt - nos ad Domini conspectum confestim transmittunt. » *i*) Quia Apoc. XXI, 1 legitur: *Vidi coelum novum, et terram novam* etc.; ideo Veteres docuerunt, animas perfecte puras modo non in eodem loco reperiri, quo electi post resurrectionem futuri sunt: quamobrem etiam de illarum receptaculis disceptabant, quin autem visionem Dei beatificam ipsis denegarent. Ita *S. Augustinus* (5) ait: « Ubicumque sit Paradisus, quisquis Beatorum ibi est, cum illo ibi, qui ubique est. » Et lib. 4 c. Iulian. c. 8 aperte docet, parvulos post baptismum morientes intrare in regnum Dei. Quid est autem regnum Dei, ipso interprete *S. Augustino* (6), « nisi vita aeterna? » Ac demum vita aeterna, ut idem semper Augustinus interpretatur, est « videre Deum. » Etiam in Ps. CIX idem S. Doctor de coelesti Ierusalem loquens, inquit: « Ibi omnes iusti, et Sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris; quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illic cernunt. » Unde *Lud. Vives* haec loca commentans apposite inquit: « Non dubitat Augustinus de animarum gloria, etiam ante iudicium, sed de loco gloriae. » — Denique nonnulli ex veteribus opinabantur, Beatorum animas desiderio resumendi corpus aliquatenus impediri, ne toto mentis conatu ferantur in Deum, et hinc visionem Dei, et beatitudinem inde promanantem multo maiorem, et undequaque completam futuram post carnis resurrectionem, quando animae corporibus unitae a nulla prorsus re impedientur, quin tota, quanta possunt, intensione ferantur in Deum. Ita intelligendus est *S. Augustinus* in Serm. 328 de divers., ubi non agit de visione intuitiva quantum ad substantiam, sed quantum ad modum. Id clare exponit S. Doctor in lib. 1 Retract. c. 14, de sanctis hominibus subdens: « Adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui... sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem nihil ex hoc minus habeant,

(1) I Cor. 15, 16. (2) Cap. 15, 19.
(3) Hom. 32. (4) Hom. 10.
(5) Ep. 187, c. 3.
(6) Serm. 14 de verb. Apost. c. 3 et 4.

non hic locus est disputando inquirere. » Qua de re *S. Thomas* (1) ait: « Separatio animae a corpore dicitur retardare animam, ne tota intentione tendat in visionem divinae essentiae. Appetit enim anima sic frui Deo, quod etiam ipsa fruitio derivetur ad corpus per redundantiam sicut est possibile; et ideo, quamdiu ipsa fruitur Deo sine corpore appetitus eius sic quiescit in eo, quod tamen adhuc ad participationem eius vellet suum corpus pertingere. »

Obi. VII. In pluribus Liturgiis S. Iacobi, S. Basilii, S. Cyrilli, aliisque Graecorum ac Syrorum fiunt supplicationes pro Sanctis, ut eos beata retributio comitetur, et ipsorum animabus donetur requies. Similia etiam in Ecclesia Latina occurrunt. Sacramentarium Gelasii in festo S. Marcelli sic habet: « Ut illum beata retributio comitetur. » Antiqua Missalia romana in festo S. Leonis legunt: « Ut animae B. Leonis prosit oblatio. » Etiam nunc legit Missale romanum: « Ut (oblatio) illis proficiat ad gloriam, nobis autem ad salutem. » Non ergo gloria et beatitudine modo fruuntur, si pro ipsis petitur a Deo.

Resp. Preces ecclesiasticae, in sensu adversariorum acceptae, nobis patrocinantur, quia ostendunt, Ecclesiam credere, quod Sanctis gloria et beatitudo iam ante resurrectionem concedatur. Ecclesia enim non petit, quod nullo modo obtineri potest. Notandum porro est, quod sicuti Paulus (2) in genere Christianos, ita Ecclesia omnes in statu gratiae defunctos nominet *Sanctos:* quia autem nescit, an ipsis in purgatorio aliquid luendum sit, humiles idcirco pro ipsis preces fundit, ut citius ad coelestem beatitudinem admittantur; primis enim saeculis non tot sanctitatis argumenta, neque miraculorum testimonia ad canonizationem Beatorum requirebantur: omnibus quoque probatum erat dictum *S. Augustini:* « Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. » Quodsi in aliquibus Liturgiis etiam B. V. Maria, Apostoli et Martyres commemorantur, dicendum est, peti pro ipsis gloriam accidentalem, nempe maiorem in Ecclesia cultum, nominis exaltationem, rerum gestarum praeconia, imitationemque virtutum; prout etiam gloriam Dei poscimus dicentes: *Sanctificetur nomen tuum*, et *Gloria Patri*, etc. Vel denique dici posset, Ecclesiam orare, ut Deus Sanctos, eorum corpora resuscitando, ad perfectam requiem et consummatam beatitudinem adducat.

Obi. VIII. *Ioannes XXII*, qui ab anno 1316 usque ad annum 1334 Ecclesiam rexit, in ea fuit sententia, quod Sancti ante extremum iudicium Deum intuitive non videant. Hanc sententiam acriter defendit, publice in Ecclesia praedicavit, theologis tenendam praescripsit, et pontificio oraculo confirmavit. Vel ergo admittendum est, hanc sententiam veram esse, vel dicendum, Romanum Pontificem ex cathedra loquentem errasse.

Resp. Quamvis inter theologos catholicos nonnulli admittant, Ioannem XXII ut doctorem privatum errasse, aut saltem in erroneam sententiam vehementer propendisse, communis tamen illorum sententia est, summum Pontificem nunquam errorem *ex cathedra* proposuisse, seu nunquam errorem ut fidei dogma omnibus credendum definivisse: quod solidis argumentis probatur, dummodo certa ab incertis rite secernantur. Nam certo inprimis constat, Ioannem ab initio sui pontificatus usque ad

(1) 1 2, q. 4, art. 5 ad 4.

(2) Rom. 1, 7; Eph. 1, 1.

quartum ante obitum annum antiquam Maiorum fidem tenuisse. Id colligitur non solum ex duabus ipsius fidei professionibus, altera *Ossinio*, Regi Armeniae data an. 1318, altera fidelibus inter tartaros degentibus (1), in quibus dicitur apertissime, animas plene purgatas *in coelum mox recipi;* sed multo adhuc luculentius ex iis, quae habet in diplomate, quo *Ludovicum* Tolosatem Episcopum Sanctorum albo adscripsit, inter alia dicens: *In medio domus tuae ad Deum contemplandum facie revelata est ingressus.* Gemina repetit in canonizatione *Thomae* Herfordiensis an. 1320, et *Thomae* Aquinatis Doctoris angelici an. 1323, quibus verbis nihil luculentius pro catholico dogmate adstruendo desiderari potest. An. 1331 quaestio de visionis beatificae dilatione acerrime ventilari coepit, quam non Ioannes, sed alii provocarunt, ut testatur *Rainaldus* ad an. 1333, n. 45. Plures quidem affirmabant, animas plene purgatas sine dilatione ad visionem beatificam admitti; et hanc sententiam Scripturis, Patribus, et aliis argumentis propugnabant. Pontifex vero rem diligentius discutiendam esse affirmabat, quod gravissima essent pro utraque parte momenta; cumque pro una magno numero producerentur, ipse reliqua pro negantium opinione collegit. Quaestionem in procerum conventu proposuit habitis in Ecclesia sermonibus in Festo OO. SS., Dominica III Adventus, et in Vigilia Epiphaniae, in quibus recitavit, quae ad definiendum dogma obstare videbantur, id est, quae collegerat a theologis excutienda. Malevoli autem, quorum habebat plures, *Ludovico Bavaro*, et Antipapae *Petro de Corbario* adhaerentes, clamitarunt, quod Ioannes in his tribus sermonibus « dogmatizatus est, quod Sancti in coelo non vident, neque videbunt usque ad diem generalis iudicii et futuram corporis resurrectionem faciem Dei. » At summum Pontificem haec protulisse non asserendo, et multo minus ex cathedra definiendo, sed solum recitando, ut fieri solet, dum controversiae nondum definitae ventilantur, testimonia fide dignissima probant. Nam, 1° *Ulricus* Doctor Germanus et auctor coaevus (2), haec profitetur: « Si sermo papalis pie et sane intelligitur, non proprie sermo, nec definitio, nec determinatio, seu praedicatio, sed magis quaedam scholastica disputantium collatio esse perpenditur. » 2° Pontifex in Epist. ad Philippum Galliae Regem an. 1333 aperte testatur, fuisse de hac controversia coram se, praesentibus etiam Praelatis ac Magistris in theologia, disputatum « pro et contra, ut sic plenius inveniri posset veritas(3).» Postea Philippum rogat, ut adhuc de hac re disputari permittat, « donec aliud ordinatum per sedem fuerit apostolicam.» Nihil itaque in hac materia definitum fuerat usque ad annum 1333, qui fuit Ioannis penultimus. 3° Accedit etiam publicum facultatis Parisiensis testimonium. Haec enim a Philippo Valesio Rege 2 ian. 1333 congregata ad iudicium censorium in hac controversia ferendum inquit: « Multorum fide dignorum relatione audivimus, quod, quidquid in hac materia Sua Sanctitas dixit, non determinando, aut asserendo, aut etiam opinando protulit, sed solummodo disputando.» Tantum abest, ut Pontifex aliquid ex cathedra definierit. 4° Quodsi an. 1333 nullum adhuc in hac re oraculum protulerat, multo minus id fecit, posteaquam facultatis

(1) Apud Rainaldum ad dictos annos.

(2) Ap. Rainaldum ad an. 1333, n. 45.

(3) Loc. cit. n. 46.

Parisiensis iudicio diligentique aliorum inquisitione catholica veritas bono in lumine collocata et vindicata fuit, et postquam Rex se in eos animadversurum comminatus est, qui contrarium defenderent. 5° Denique nihil fuisse a Pontifice definitum, testis est locupletissimus *Benedictus XII*, eiusdem Ioannis successor, in sua Bulla, quae incipit: *Benedictus Deus*, in qua ita loquitur: « Cumque idem Praedecessor noster, ad quem determinatio praedictorum pertinebat, ad decisionem huiusmodi concertationum se praepararet, in Consistorio suo publico tam fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Praelatis et Magistris in theologia, qui multi aderant praesentes, iniungendo districtius, et mandando, ut super materia de visione praedicta, quando requirerentur ab eo, deliberate dicerent unusquisque quod sentirent, tamen morte praeventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit. » Hoc testimonium decretorium est, et si alia deessent, vel solum sufficeret. Quis enim suspicetur, *Benedictum XII* in Bulla ad universam Ecclesiam data tam impudenter voluisse mentiri, cum facile posset mendacii coargui? — Haec argumenta, quae invicte probant, Ioannem erroneam sententiam ex cathedra non definiisse, multos pariter impellunt, ut dicant, Ioannem neque ut doctorem privatum errasse, sed solum nimium pondus argumentis heterodoxae sententiae adiudicasse, ac ideo catholicae doctrinae definitionem nimium protraxisse. Certum autem est, quod ante mortem suam dogma catholicum publice confessus sit. Nam an. 1334 lethali morbo correptus coram publicis Tabellionibus solemnem declarationem edidit, in qua dicit: « Fatemur et credimus, quod animae purgatae, separatae a corporibus, sunt in coelo... et vident Deum ac divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum status et conditio compatitur animae separatae. Si vero alia vel aliter circa materiam huiusmodi per nos dicta, praedicata, seu scripta fuerunt... ea, in quantum sunt consona fidei catholicae, determinationi Ecclesiae, S. Scripturae ac bonis moribus, approbamus; aliter autem illa habemus et haberi volumus pro non dictis, praedicatis et scriptis, et ea revocamus expresse. » Haec *Ioannis XXII* declaratio fuit a *Benedicto XII* suae Constitutioni inserta. Quae his argumentis opponuntur, petuntur a testibus vel rumore falso deceptis, vel Ioanni infensis, et ideo nulla fide dignis. V. *Gazzaniga* (1), *Berti* (2), *Billuart* (3).

Obi. IX. Iesus Christus non statim post mortem animam suam in coelum transtulit, sed ad inferos descendit, et post resurrectionem quoque per quadraginta dies in terra remansit: non est ergo conveniens, ut animae Sanctorum statim post mortem in coelum transferantur, sed iuxta Christi exemplum ad inferos descendere, aut in terra usque ad resurrectionem manere debent.

Resp. Christo conformes fieri iubemur imitando eius virtutes in vita, ac deinde promittitur nobis etiam conformitas in gloria et beatitudine. Maxima autem beatitudo consistit in visione Dei beatifica, quam anima Christi semper habuit: ergo etiam Sancti illam post mortem consequuntur. Nullo autem argumento probari potest, quod Sancti post mortem imitari Christum debeant in descensu ad inferos: contrarium potius ex hu-

(1) De Deo Diss. 3, cap. 14. (2) Lib. 3, c. 11. (3) De ultimo fine Diss. 2 digress. histor.

ius fine inferendum est. Christus enim ad inferos descendit, ut iustos ab his locis eriperet, et ut animae Sanctorum ad ea non amplius descenderent. Porro si electi etiam in statu post mortem Christo in omnibus assimilari deberent, necesse foret, ut etiam post carnis resurrectionem in terra versarentur: id autem exceptis Chiliastis, quorum error inferius confutabitur, caeteri adversarii non admittunt: ergo etiam ab exemplo Christi in terra post resurrectionem permanentis, ut Apostolos de sua resurrectione certos redderet, erudiret, solaretur, et regnum a se institutum solidaret, inferre nequeunt, animas a corpore solutas et perfecte puras in terra permansuras esse.

Nota. 2. Hactenus dicta ad animas in novo foedere in statu perfectae sanctitatis ex hac vita migrantes, aut in purgatorio plene purgatas pertinent. Nam in V. T. animae etiam perfectae purae *in limbo* detinebantur, in quo nullis quidem doloribus afficiebantur, sed etiam visione Dei beatifica non fruebantur. Ideo Eccli. XXIV, 45 praedicitur de Messia: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae..... et illuminabo omnes sperantes in Domino* (1). Zachar. IX, 10, et Hebr. IX, 15 Christus appellatur *Novi Testamenti mediator, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis* (2). Idem docent Patres. *S. Ambrosius* (3) ait: « Nam Moysem, licet corpus eius non apparuerit in terris, nusquam tamen in gloria coelesti legimus, nisi postea quam Dominus resurrectionis suae pignore vincula solvit inferni, et piorum animas elevavit. » *S. Hieronymus* ad Paulam (4) discrimen afferens inter iustos V. et N. Testamenti dicit, « luxisse Iacob filium, quem putabat occisum, ad quem et ipse erat ad inferos descensurus, quia necdum paradisi ianuam Christus effregerat... unde et Abraham, licet in loco refrigerii, tamen apud inferos cum Lazaro fuisse scribitur.... in Iesu vero, id est, in Evangelio, per quem Paradisus est apertus, mortem gaudia prosequuntur. » S. *Gregorius M.* (5) scribit: « Priores Sancti e corporibus educti adhuc ab inferni locis liberari non poterant, quia necdum venerat, qui illuc sine culpa descenderet, ut eos, qui ibi tenebantur ex culpa, liberaret.... Grave taedium electis fuit, post solutionem carnis adhuc speciem non videre Creatoris. » *Gennadius* (6) inquit: « Ante passionem Domini omnes animae Sanctorum in inferno sub debito praevaricationis Adae tenebantur donec auctoritate Domini per indebitam eius mortem de servili conditione liberarentur. Post ascensionem Domini ad coelos omnium Sanctorum animae cum Christo sunt, et exeuntes de corpore ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram et perfectam beatitudinem cum ipso pariter immutentur. » *S. Bernardus* (7) de Machabaeis scribens dicit: « Et ipsos pro tempore non ad coeli mox gaudia, sed ad inferni tenebras descendisse: ne tunc quidem apparente primogenito ex mortuis qui aperiret credentibus regna coelorum.... cum ante illam salutiferam passionem non festiva gaudia, sed claustra tenebrosa quosque morientes exciperent..... No-

(1) Cf. Osee 12, 14.
(2) Cf. Coloss. 2, 15; Hebr. 11, 13.
(3) L. 4 de fide, cap. 1, n. 5.
(4) Ep. 22.
(5) Lib. 13 in cap. 44 Iob.
(6) Lib. de Eccles. dogm. cap. 44 et 45.
(7) Epist. 98.

stri autem Martyres cupiunt dissolvi et esse cum Christo certi, ubicumque est corpus, illic sine mora congregatum iri et aquilas. Mox, inquam ibi exultant iusti in conspectu Dei etc. » *S. Thomas* (1) docet, Christum ad inferos descendisse, et Sanctos inde liberasse, « qui erant a vita gloriae exclusi, ut possent Deum per essentiam videre, in quo consistit perfecta hominis beatitudo. » Et ibid. (2) explicat locum *S. Augustini*, qui contrarium asserere videtur Epist. 164 ad Evod. c. 3 scribens: «Illis iustis, qui in sinu Abrahae erant, cum ille (Christus) in inferna descenderet, nondum quid contulisset, inveni, a quibus eum secundum beatificam praesentiam suae divinitatis nunquam videro recessisse: » quae verba exponens angelicus Doctor ait: « Augustinus ibi loquitur contra quosdam, qui aestimabant, antiquos iustos ante adventum Christi in inferno doloribus poenarum (sensibilium) fuisse subiectos; unde parum ante verba inducta praemittit dicens: *Addunt quidam, hoc beneficium antiquis etiam Sanctis fuisse concessum, ut, cum Dominus ad infernum venisset, a doloribus solverentur...* et ideo cum postea subdit, se nondum invenisse, quid descensus Christi ad inferos antiquis iustis contulerit, intelligendum est quantum ad absolutionem a doloribus poenarum; contulit tamen eis quantum ad adeptionem gloriae, et per consequens solvit eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriae, ex cuius tamen spe magnum gaudium habebant secundum illud Io. VIII: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum;* et ideo subdit: *A quibus eum secundum beatificam praesentiam nunquam video recessisse*, in quantum scilicet ante adventum Christi erant beati in spe, licet nondum essent perfecte beati in re. » Sicut *S. Thomas*, ita etiam scholastici communi consensu docuerunt, Sanctos V. T. in limbo a doloribus quidem immunes, sed tamen visione beatifica privatos fuisse. Eandem doctrinam proponit Catechismus romanus (3) docens: « Christum Dominum ad inferos descendisse, ut ereptis daemonum spoliis, Sanctos illos Patres caeterosque pios e carcere liberatos secum adduceret in coelum, quod ab eo admirabiliter, summaque cum gloria perfectum est: statim enim illius aspectus clarissimam lucem captivis attulit, eorumque animas immensa laetitia gaudioque implevit, quibus etiam optatissimam beatitudinem quae in Dei visione consistit, impertivit. » — His non obstantibus saeculo elapso nonnulli, duce potissimum *Io. Cadonico*, Ecclesiae Cremonensis Canonico, propugnarunt, iam in V. T. Sanctos in limbo visione Dei beatifica gavisos esse: quos varii oppugnarunt. Sed postremus huic se concertationi immiscuit vir multis aliis editis operibus toto orbe litterario laudatissimus *P. Thomas Maria Mamachius*, qui duobus libris Romae an. 1776 editis *de animabus iustorum in sinu Abrahae ante Christi mortem expertibus beatae visionis Dei*, veterem theologorum sententiam invicte probavit, et contra motas difficultates vindicavit.

(1) 3 p q. 52, art. 5. (2) Ad 1.

B. *Animae impiae statim post iudicium particulare in infernum detruduntur.*

§ 756. Duplex poena secernenda est, quae in iudicio particulari decernitur. Animae nempe, quae in statu quidem gratiae santificantis ex hac vita migrarunt, purgatorio adiudicantur. Animae vero peccato mor-

(3) P. I, cap. 6, n. 6.

tali inquinatae poenarum inferni reae declarantur. — Quicunque existentiam purgatorii admittunt, concedunt quoque, iam ante carnis resurrectionem animas in illo detineri, ut purgentur, et coelestis beatitudinis dignae fiant. Opus igitur haud est, ut in specie circa istas animas probetur, sententiam in eas latam statim executioni mandari, sed sufficit existentiam purgatorii probare, quod capite sequenti praestabitur. — Extiterunt autem nonnulli, qui dixerunt, animas impias ante carnis resurrectionem saltem poenam sensus non experiri, sed hanc post extremum dumtaxat iudicium ipsis infligi. Doctrina vero catholica est, quod animae impiae statim post iudicium particulare in infernum detrudantur, ut non solum poenam damni sed etiam poenam sensus experiantur: quae doctrina ex *S. Scriptura*, ex *Traditione*, et *rationibus theologicis* probatur.

1. Eccli. XI, 28 dicitur: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Deus igitur, sicut in die obitus omnes iudicat, ita etiam omnibus bonis et malis retribuit, id est, statim post mortem aut praemium tribuit, aut poenam infligit. Iob XXI, 13 de impiis legitur: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto*, id est, in momento temporis repentina morte perculsi *in inferna descendunt.* Communiter quidem per *infernum* intelligitur sepulcrum ; sed negari nequit, nomine *inferni* quandoque locum damnatorum significari, ut Isa. XIV, 9; Ps. XVII, 4, et Iob XXVI, 6, ubi textus hebraeus dicit: *Sepulcrum et infernus nuda sunt coram illo*, Deo nempe omniscio (1). Cum igitur Iob XXI, 13, summam impiorum infelicitatem describere velit, iuxta regulas hermeneuticas recte dicitur, etiam in isto loco per infernum intelligi damnatorum locum. — Luc. XVI, 20 etc., in parabola, vel, ut *S. Ambrosius*, *S. Augustinus* et *S. Hieronymus* volunt, in historia Lazari mendici, et divitis epulonis inquit: *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae: mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* Sicut igitur Lazarus statim post mortem ad locum quietis et gaudii pervenit, ita dives statim post mortem detrusus est in infernum, seu in locum damnatorum, in quo protinus etiam poenam sensus expertus est, quia ingemiscens clamat: *Crucior in hac flamma* (2). Denique Apostolus II Cor. V, 10 dicit, iudicium particulare institui, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum:* ex quo sequitur impios, cum statim post mortem iudicandi sint, etiam statim poenas delictorum subituros esse.

2. *Tertullianus* (3) inquit: « Velis, aut nolis, et supplicia iam illic (penes inferos) sunt et refrigeria: habes pauperem et divitem.... Cur enim non putes, animam et puniri, et foveri in inferis interim sub expectatione (extremi) iudicii?.... Adeo novit et apud inferos anima et dolere, et gaudere sine carne, quia et in carne illaesa, si velit, dolet, et laesa, si velit, gaudet. Hoc si ex arbitrio suo in vita, quanto magis ex iudicio Dei post mortem?.... Ergo propter hoc congruentissimum est, animam, licet non expectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit. » *S. Cyprianus* (4) scribit: Post mortem « ad refrigerium iusti vocantur, ad supplicium rapiuntur iniusti. » *S. Hilarius* (5) dicit: « Excipit impios statim ultor

(1) V. Calmet in h. l. (2) V. 24.
(3) Lib. de anima, c. 58. (4) Lib. de mortal. (5) In Ps. 2.

infernus. » *S. Augustinus* (1) ait: « In requie sunt animae piorum a corpore separatae, impiorum autem poenas luunt. » *S. Gregorius M.* (2) inquit: « Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. » Unde *Conc. Florentinum* in decreto unionis definivit: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.*

3. *Rationes theologicas* refert *S. Thomas* lib. 4 contra Gent. c. 91, quarum praecipue sunt sequentes: *a*) Vita praesens datur ad merendum vel demerendum, iuxta illud Iob VII: *Militia est vita hominis super terram:* unde, inquit S. Doctor n. 2: « post statum militiae, et laborem mercenarii statim debetur praemium vel poena bene, vel male certantibus..... unde Dominus dicit Ioël ult.: *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.* Statim igitur post mortem animae vel praemium consequuntur, vel poenam. » *b*) Anima principalis fuit causa peccatorum a reprobo commissorum; ipsam igitur antequam cum corpore iterum uniatur, absque ulla mora puniri aequum, imo et iustissimum est. Unde angelicus Doctor ibid. n. 3 inquit: « Nulla ratio est, quare in punitione, vel praemiatione animarum expectetur resumptio corporum: quin magis conveniens videtur, in quibus per prius fuit culpa, prius etiam puniantur, vel praemientur. »

Nota. Qui propositioni nostrae adversantur, opponunt nobis exemplum daemonum. Nam, aiunt, idem iudicium ferendum est de hominibus reprobis ac de angelis apostatis: istis autem post extremum dumtaxat iudicium poena sensus, seu ignis infligetur; nunc enim temporis extra infernum per aërem circumvagantur et hominibus insidiantur, et ideo Christum sic daemones alloquuntur: *Venisti huc ante tempus torquere nos* (3); ex quo patet, ipsos ante tempus iudicii igne non torqueri. — Sed haec difficultas iam soluta est § 177, n. 4, ubi probatum fuit, angelos malos actu iam poenam sensus experiri, et igne torqueri. Nec refert, quod per aërem circumvagari, et hominibus insidiari modo permittantur. Nam sicuti Angeli sancti ubique sunt beati, utpote qui ubique intuitive vident Deum (4): ita e contrario daemones ubique poenam secum ferunt, quia ubique et visione Dei privantur, et igne miris quidem, sed veris modis cruciantur, ut dicunt *S. Augustinus* (5) *S. Prosper* (6), et *V. Beda* (7). Nec obstant citata daemonum verba, quae non de poena substantiali consistente in privatione Dei et in igne cruciante intelligenda sunt, sed de poena accidentali, quae in reclusione tam arcta, ut e lacu inferiori egredi nunquam fas sit, in conclusione publica, aliisque similibus poenae gradibus sita est (8).

Usus doctrinae de iudicio particulari.

§ 757. 1. Iudicium particulare timere, aequum est et salutare. Adest enim in illo iudex omnipotens, cuius manus nemo effugere valet; iudex omniscius, qui scrutatur corda et renes; iudex exactissimus, qui rationem quaerit non solum de cunctis operibus, sed etiam de omnibus verbis, imo et de cogitationibus et desideriis

(1) Lib. 13 de Civ. Dei, c. 8.
(2) Lib. 4 Dial., cap 28.
(3) Matth. 8, 29.
(4) Loc. cit. 18, 16.
(5) Lib de corrept. et grat., c. 10.
(6) Lib. 1 de vita contempl.
(7) Comment. in cap. 3 Epist. Iacobi.
(8) Cf. Bellarmin. lib. 1 de beatit. Ss. c. 6

tordis, de neglectis gratiis, et de quibuslibet omissionibus boni, quod faciendum erat; iudex iustissimus, qui ne minimum quidem peccatum inultum relinquit, qui non respicit personas, et a cuius sententia appellatio non datur. Ideo Sancti ipsi iudicium particulare magna cum trepidatione metuerunt. Nam, ait *S. Gregorius M.* (1): « Electorum mens, cum eorum, quae egit, reminiscitur, graviter iudicii pavore terretur. Iam se perfecte convertit, sed adhuc se perfecte in securitatem non erigit, quia dum, quanta sit districtio extremi examinis, pensat, inter spem, formidinemque sollicita trepidat; quia Iudex iustus veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat » (2). Iudiciorum autem divinorum timor salutaris est. Nam ex Psalm.: *Initium sapientiae timor Domini* (3); et: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis* (4). Vere enim beatus dicendus est, qui divinorum iudiciorum timore commotus a peccatis deterretur, ad poenitentiam serio agendam provocatur, et ad bona opera sedulo perficienda excitatur.

2. Apostolus praeclarum nos docet medium rigorem divini iudicii declinandi, dum I Cor. XI, 31 inquit: *Quodsi nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* Quibus verbis non quidem negat, quod Rom. XIV, 10 dicit: *Omnes stabimus ante tribunal Christi;* sed nos docet quod rigorem, et severitatem Iudicis effugiemus, si priusquam coram illo compareamus, nosmetipsos diligenter examinare, et punire studuerimus. Nam, ait *S. Augustinus* (5): « Peccata sive parva, sive magna, impunita esse non possunt, quia aut ab homine poenitente, aut in iudicio, Deo vindicante, plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio praecurrat humana; amat enim Deus confitentibus parcere, et eos, qui seipsos iudicant, non iudicare. » Et *S. Chrysostomus* (6), citata Pauli verba exponens ait: « Nec dixit, si nos ipsos corriperemus et castigaremus; sed tantum si peccata agnoscere, si nos ipsos damnare, et improbare mala opera vellemus, liberaremur et a praesenti, et a futuro supplicio. Nam qui seipsum damnat, dupliciter Deum placat, et quod peccata agnoscat, et quod in futuro sit ad peccandum tardior. » Hinc Ss. Patres, et Ascetae omnes frequens, saltem semel in die instituendum examen conscientiae, dolori de commissis culpis et emendationis proposito iunctum, commendant. *S. Augustinus* (7) ait: « Unusquisque conscientiam suam ante conspectum interioris hominis constituat: ipsi nosmetipsos castigemus, ipsi nobiscum rationem de quotidiana conversatione faciamus, ipsi nos accusemus quotidie iudicio nostro. Nam qui se conterit, sibique irascitur, iudicem Christum habebit propitium: qui se habet iudicem, illum habebit defensorem. »

3. Christus ipse, rigorem iudicii evadendi nobis medium suggerit, dicens: *Nolite iudicare, ut non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (8). Quibus verbis iterum non dicitur, iudicium particulare omnino declinari, sed tantum istud propitium reddi ab eo, qui proximum suum temere non iudicat, nec arroganter condemnat (9); talem enim erga istum Deus sese exhibebit iudicem, qualis ipse erga fra-

(1) Lib. 4 Moral., cap. 2.
(2) Cf. lib. 24 Mor., c. 17. (§ 469, n. 2).
(3) Ps. 110, 10. (4) Ps. 111, 1.
(5) In sententiis, sent. 250.
(6) Hom. 28 in 1 Cor. n. 2.
(7) In Ps. 74.
(8) Matth. 7, 1.
(9) Luc. 6, 37.

tres suos fuerat. Quod mirum nobis videri nullatenus debet. Quicunque enim sollicite cavet, ne temerario iudicio, aut sinistra cogitatione in proximum peccet, multo minus eundem aut verbis aut operibus offendit, et ideo fraternam charitatem perfecte exercet. *Sed charitas operit multitudinem peccatorum* (1). Et ideo *S. Chrysostomus* (2) ait : « Qui indulgenter peccata aliorum examinat, magnum sibi veniae foenus ex tali allato calculo parat. » — E contrario autem scriptum est : *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam* (3).

CAPUT II.

DE STATU HOMINUM IN ALTERA VITA

§ 758. Ex dictis iam colligitur, ante iudicium extremum triplicem esse statum, ad quem animae a corpore solutae post iudicium particulare perveniunt. Animae enim, quae ex hac vita lethali peccato obstrictae migrant, a divino Iudice damnantur, et in infernum detruduntur. Animae, quae in excessu ex hac vita gratia sanctificante quidem ornatae, sed venialibus peccatis inquinatae sunt, aut pro remissis peccatis plenam satisfactionem non praestiterunt, poenis purgatorii subiiciuntur, donec omnino purgatae fuerint. Animae demum omnino purae et sanctae, quibus nihil luendum superest, post iudicium particulare statim in coelo recipiuntur. — Summi iam nobis momenti esse debet, ut propius cognoscamus sortem, seu statum tum damnatorum in inferno, tum animarum in purgatorio existentium, tum Beatorum in coelo. Hinc 1° *de inferno*, 2° *de purgatorio*, 3° *de coelo* disserendum est.

(1) I Petr. 4, 8.
(2) Hom. 23 al. 24, in Matth. 7, 2, n. 2.

ARTICULUS II
De inferno.

§ 759. Nomine *inferni* intelligitur miserrimus ille locus, seu status, in quem sive angeli, sive homines ob peccatum lethale coniiciuntur, coelesti beatitudine privati, atrocibusque in aeternum suppliciis perimendi, ac debitas sceleribus poenas luant. Duplex igitur in damnatis poena distinguitur, nimirum *poena damni*, quae consistit in exclusione a visione Dei, caeterisque coeli gaudiis, et *poena sensus*, quae in positivis animae damnatae cruciatibus sita est. Istarum iam inferni poenarum *existentia* probanda, *qualitas* declaranda, et *diversitas* vario impietatis gradui respondens, ostendenda est.

Nota. Theologi communiter cum tractatu de existentia, et gravitate poenarum inferni etiam tractatum de earundem *aeternitate* coniungunt : ut autem hunc tractatum a priori seiungamus, et ad tertiam sectionem transmittamus, systematis nostri ratio postulat.

I. *De poenarum inferni existentia.*

§ 760. Existentiam inferni antiquitus negarunt *Epicurus*, eiusque discipuli, qui cum animum cum corpore interire putarent, consequenter nihil post hanc vitam superesse praemii vel poenae dixerunt. De his inquit *S. Augustinus* (4) : « Hi fortissimos se iactant, et nihil omnino timere se dicunt, quia nec quidquam Deum res humanas curare arbitrantur, et consumpta ista vita nullam postea credunt futuram. » In eandem impiam sententiam concessere ex hebraea gente *Sadducaei*, de quibus *Iosephus Flavius* scribit (5) : « Sadducaei Deu

(3) Iac. 2, 13. (4) Serm. 349.
(5) Lib. 2 de bello iud., c. 7.

extra omnem mundi patrationem, inspectionemque constituunt..... Animarum autem generaliter vel supplicia negant, vel honores; » et alibi (1): Sadducaeorum opinio cum corpore extinguit simul et animas. » In periodo christiana supplicia impiis post mortem subeunda negasse dicuntur *Gnostici*, *Eunomiani* et *Albanenses*, teste S. *Antonino* (2). — De eodem errore *Oecolampadius*, *Calvinus*, *Bucerus*, *Beza* et alii a nonnullis accusantur, ab aliis vero excusantur. Potiori titulo alterius vitae supplicia sustulisse dicendi sunt nonnulli ex *Socinianorum* grege, qui improbos post hanc vitam in nihilum redigendos effutiere: neque enim consistere potest impiorum punitio, si nullus puniendus a morte supersit. Numerus autem inferni supplicia negantium maxime auctus est saeculo praeterlapso, ac aetate nostra per eos, quos vel *atheos* vel *deistas*, vel *incredulos* vel *spiritus fortes* appellant, qui non christianae solum, sed cuiusvis Religionis iugum abiicientes vel Deum negant, vel si luce splendidissimae veritatis perstricti Deum negare non audent, negant Dei Providentiam, animorum immortalitatem, omnemque post mortem recte, vel male gestorum retributionem. Cum his fere consentiunt inter Protestantes *Rationalistae biblici*, qui ita S. Scripturae verba contorquent, ut dirae inferni poenae aut summopere mitigentur, aut penitus e medio tollantur. — Contra tot adversarios inferni existentia vindicanda est. Probandum nempe est, existere tales, qui propter peccatum lethale in quo moriuntur, coelesti beatitudine privantur, et suppliciis afficiuntur, atque ideo existere etiam locum seu statum, in quo commorantur, et poenas luunt, qui locus seu status *infernus* dicitur, cuius existentiam *argumenta biblica*, *ecclesiastica* et *philosophica* evincunt.

1. *S. Scriptura V. T.* communiter quidem poenas temporales peccatoribus minatur. Ast si attendamus in Ss. Libris V. T. frequentissime duplicem sensum, litteralem et mysticum admittendum esse, et Paulum diserte de Hebraeis dicere: *Omnia in figuris contingebant illis* (3): recte inde infertur, etiam sub poenis temporalibus poenas alterius vitae praefigurari, et obstinatis peccatoribus praedici. Accedit, talia quoque testimonia biblica inveniri, quae nonnisi contorte de solis poenis temporalibus exponi possunt. — His praenotatis, quaedam V. T. loca afferre licet. Moyses Deut. XXXII, non obscure poenam damni, et poenam sensus innuit, quum (v. 20) ita Deum loquentem inducit: *Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum; generatio enim perversa est, et infideles filii;* et (v. 22): *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* In quae verba *Calmet* (4) dicit: « Habes hic ignem subterraneum inferni, locum perditionis in imo terrae fundo, sub ipsis montium fundamentis, sub aquarum abysso. Hebraei enim terram, et montes aquis imponunt; aquis autem inferiorem collocant infernum. In imo hoc carcere torti Gigantes gemunt: *Gigantes gemunt sub aquis* (5). In hunc locum impii velut morticina in loca immunda proiiciuntur (6). Idem pariter locus horroris, incognitus, invius hominum obtutibus, oculis Dei nudus est, et apertus. » Iudicium Dei in pec-

(1) Lib. 18 Antiq. cap. 2.
(2) 4 P. tit. 11, cap. 7.
(3) 1 Cor. 10, 11.
(4) Diss. de natura animae, et eius post mortem statu ex Hebraeorum sententia a. 6.
(5) Iob 26, 5. (6) Ps. 48, 14; Ps. 140, 7.

catores clare describitur Ps. X, 6, etc.: *Dominus interrogat iustum, et impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Ps. XX cum Propheta regius felicitatem iusti in altera vita v. 1-7 descripsisset, v. 9 etc., infelicitatem impiorum in altera vita describit dicens: *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes qui te oderunt. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.* Iob moerore confectus, et conscientiae stimulis agitatus, fidem suam de loco supplicii in altera vita profitetur dicens: *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine: terram miseriae, et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* (1): quae verba non possunt intelligi de sepulcro, quod Iob III, 17, etc. laudat ut locum quietis, et multo minus de limbo, in quo animae iustae poenam non habent; ergo intelligenda sunt de loco, in quo animae impiae puniuntur. Iudith XVI, 20, etc. de impiis dicitur: *Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii visitabit illos. Dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.* Prov. XIX, 29: *Parata sunt derisoribus iudicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.* In libro Sapientiae cap. IV et V diversa iustorum, et impiorum sors graphice describitur. Eccli. VII, 18 legitur: *Memento irae, quoniam non tardabit..... quoniam vindicta carnis impii ignis, et vermis.* Ibidem haec habentur: *Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebrae et poenae* (2). Isa. XXXIII, 14 legitur: *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas; quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et LXVI, 24: *Videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni:* quem Prophetae locum ipse Christus Marc. IX, 44 inferno accommodat. — Hebraeos poenarum inferni existentiam credidisse, probat *Calmet* Diss. cit.

2. *S. Scriptura N. T.* luculentissima de poenarum inferni existentia testimonia exhibet. Iam Ioannes Baptista homines arboribus comparans ait: *Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (3), et: *Congregabit triticum suum* (iustos) *in horreum, paleas autem* (peccatores) *comburet igni inextinguibili* (4). Christus, in Matth. V, 22 ait: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis:* et ibid. (v. 29): *Expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Matth. X, 28: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (5). Nomine gehennae intelligi infernum, docent Rabbini et christiani expositores. Ideo autem, ut ex traditione Hebraeorum testatur S. *Hieronymus* in cap. VII Ierem., vallis filiorum F

(1) C. 10, v. 20, etc. (2) C. 21, v. 10, etc.
(3) Matth. 3, 10. (4) Ibid. v. 12
(5) Cf Marc. 9, 42; Luc. 12, 5.

non, seu gehenna hoc sensu accepta est, « quod scilicet omnis populus Iudaeorum ibi periret offendens Deum: in quo loco etiam filios in igne idolis consecrarint, sive holocaustum obtulerint. » Hinc inter Hebraeos *gehennae* notio nata est, coepitque in vulgari lingua usurpari hoc nomen pro designando carcere reproborum, quam consuetudinem retinuit ipse Christus in suis sermonibus, dum de inferno loqueretur. Eundem tamen etiam aliis terminis descripsit. Ita Matth. VII, 13 etc. inquit: *Lata porta et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam!* Quibus verbis testatur, multos esse, qui a *vita*, seu a coelesti beatitudine excluduntur, et ad *perditionem*, id est ad damnationem, sive ad infernum infeliciter migrant. Matth. VIII praedicens (v. 11) gentilium electionem, et (v. 12) iudaeorum reprobationem, his utitur verbis: *Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.* Similiter *inutilem servum*, quo nomine reprobos quosque complectitur, *eiiciendum* denunciat *in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium* (1). Frequentissime autem Christus infernum nominat *ignem aeternum.* Matth. XIII, 41 etc. dicit: *Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium;* quod idem repetit v. 50. Matth. XVIII, 8 etc.: *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum... Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis* (2). Matth. XXV, 41 Iudex supremus *dicet his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius;* et v. 46 de iisdem legitur: *Ibunt hi in supplicium aeternum.* Paulus infernum, seu damnationem peccatori impoenitenti praedicit his verbis: *Secundum duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius... iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* etc. (3). Idem scribit: *Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus* (4). II Thess. I, 7 etc. electis requiem promittit *in revelatione Domini Iesu, de coelo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio D. N. I. Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis eius.* II Petr. II, 9 legitur: *Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos.* Et v. 15 etc.: *Derelinquentes rectam viam erraverunt..... Hi sunt fontes sine aqua, et nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur.* Apoc. XIV, 9 etc.: *Si quis adoraverit bestiam..... hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum est mero in calice irae ipsius: et cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni.* Apoc. XXI, 8: *Timidis, et in-*

(1) Matth. 25, 30.
(2) Cf. Marc. 9, 42, etc.
(3) Rom. 2, 5, etc. (4) Ad Phil. 3, 18, etc.

credulis, et execratis, et homicidis et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti, igne et sulphure: quod est mors secunda. Luculenta haec testimonia biblica evidenter probant, peccatores impoenitentes in altera vita non solum a coelesti beatitudine excludi, sed etiam diris poenis affici, atque ideo existere infernum, id est, locum seu statum damnatorum.

3. *Ss. Patres* poenarum inferni existentiam una voce confirmant. *S. Iustinus M.* (1), scribit: « Ne quis forte idem dicat, quod ii qui existimantur Philosophi, strepitus inanes esse ac terricula, quae de impiorum in igne aeterno cruciatibus dicimus, ac nostram eo spectare sententiam, ut virtutem homines metu conducti colant, non propter ipsius pulcritudinem, nec quia illis placet: paucis respondebo: Nisi ita se res habeat, vel Deum non esse, vel si sit, nullam hominum curam gerere, nec quidquam esse virtutem et vitium, ac inique a legumlatoribus puniri, qui praeclara instituta transgrediuntur. » Ita ex ipsa notione iustitiae et providentiae divinae poenarum inferni existentiam probat. *Hermas* in Pastore simil. 6 (2) loquitur de pastore vindice, « cui traduntur illi, qui a Deo recesserunt per peccatum. » Et simil. 8 docet, homines in fine vitae ramos omnino aridos, id est, animas gratia sanctificante destitutas habentes, aeternis suppliciis addici. *S. Ignatius Martyr* (3) ait, « peccatores, et maxime haereticos, futuros non esse haeredes regni Christi, sed ingressuros ignem inextinguibilem. » *S. Irenaeus* (4) inquit: « Praevaricatoribus ignem aeternum paratum esse, Dominus clare asseruit, et S. Scriptura testatur. » Atque (5): « Deus poenitentiam non agentibus, sed lucem fugientibus parat ignem aeternum, et tenebras exteriores, magna mala pro iis, qui in ea praecipitant. » *Tertullianus* in Apologet. c. 18 ait: Deum « profanos in ignem perpetem et iugem » proiecturum esse; et cap. 45: « Nos (Christiani) qui aeternam ab eo (Deo) poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus... pro magnitudine cruciatus non diuturni, sed sempiterni... Deum, non Proconsulem timentes. » *S. Cyprianus* lib. ad Demetrianum scribit: « Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax poena: nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem. » *Origenes* (6) de peccatore sine poenitentia defuncto dicit: « Peccatum permanet cum ipso, nec aliquo supplicio poenaque diluitur et transit; cum ipso est etiam post mortem, et quia temporalia hic non persolvit, ibi expendit aeterna supplicia. » *S. Cyrillus Hier.* (7) inquit: « Si peccator est, accipiet (in resurrectione) corpus aeternum, quo sufferre possit poenas peccatorum, ut perpetuo in igne ardeat, ut nunquam dissolvatur. » *S. Basilius* (8) docet, quod Christianus, ne peccet, timere debeat « profundum abyssum, tenebras impermeabiles, ignem urentem, sed non lucentem, vermium innumerabilium genus venenosum..... intolerabiles dolores morsibus infligens, postremo omnium durissimam poenam, probrum illud, et confusionem sempiternam. » *S. Athanasius* in Ps. XLIX exponens (v. 23): *Intelligite haec, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, et non sit,*

(1) Apol. 2, n. 9. (2) Cap. 3.
(3) Ep. ad Ephes. n. 16.
(4) Lib. 2 adv. haer., c. 28, n. 7.
(5) Lib. 4, c. 40, n. 1.
(6) Hom. 14 in Levit. (7) Catech. 18.
(8) Hom. in Ps. 33, v. 11.

qui eripiat: « Poenitentiam agite, inquit, ne mors animam rapiat; nullus enim est, qui in inferno inclusos eripiat. » *S. Chrysostomus* (1) reproborum sortem describens ait: « Maledicti in ignis fluvium, atque pelagus intrudentur, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur: ignei, dico, non huius ignis, sed ignis certe multo quam hic, horribilioris, cuius flamma maximam conficit abyssum, ita ut undique ignis immanissimae similis ferae transcurrere videatur. » *S. Hieronymus* in cap. LXVI Isaiae inquit: « Diaboli et omnium impiorum, qui dixerunt in corde suo: non est Deus, credimus aeterna tormenta. » *S. Augustinus* (2) ita disserit: « Qui illam dulcedinem (amoris divini) non gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem. Supplicia terreant, quem praemia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur? contremisce, quod minatur..... Amplexaris peccata tua et delicias carnis tuae? stipulas ad te congeris. Veniet ignis: *Ignis in conspectu eius ardebit.* Non erit iste ignis, sicut focus tuus, quo tamen si manum mittere cogaris, facies quidquid (ille) voluerit, qui hoc minatur... Minatur ergo inimicus tam leve malum, et facis malum: minatur Deus aeternum malum, et non facis bonum. » *S. Gregorius M.* (3) haec habet: « Ecce, quae maneat damnatos poena, cognovimus, et instruente nos sacro eloquio, quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quantusque in obscuritate pavor sit, nullatenus ambigimus. Sed quid iuvat ista praenosse, si non contingat evadere? » — *S. Bernardus* Serm. de S. Nicolao ait: « Regio gehennalis, regio dura et extimescenda, terra afflictionis et miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis et caligi-

(1) Hom. 44 in Matth. (2) Enar. in Ps. 49.

nis, terra maledictionis et mortalitatis, terra sitis et famis, terra combustionis et frigoris. »

4. *Ecclesia* fidem suam profitetur in symbolo Athanasiano dicens: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum. Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Hanc fidem professi sunt Martyres, ut ex genuinis et auctoritate publica conscriptis eorum actis constat. Sic in actis *S. Pionii*, qui martyrium subiit anno 250, legitur, quod cum quibusdam suasisset, ut Christiani fierent, illi vero se id nunquam facturos respondissent, ne vivi comburerentur, reposuit, « multo peius esse ardere post mortem, » cui supplicio propter idolorum cultum certissime addicendi erant. In actis *Ss. Luciani* et *Marciani* habetur, ita eos respondisse tyranno acerrima tormenta comminanti: « In hoc parati sumus, ut, quibus volueris, nos impendas tormentis, quam denegantes vivum et verum Deum in tenebras exteriores et ignem inextinguibilem, quem paravit Deus diabolo et angelis eius, ingrediamur. » In actis *SS. MM. Claudii* et *Asterii* ad annum 285, cum Lysias Praeses invictae foeminae, cui nomen *Domnina*, dixisset: « Vides, mulier, quae tormenta et ignis parantur tibi? Unde si vis evadere, accede, et sacrifica diis: *Domnina* dixit: Ne in ignem incidam aeternum, et tormenta perpetua, Deum colo et Christum eius, qui fecit coelum et terram. » *Theophista* quoque eidem Praesidi respondit: « Ego ignem aeternum timeo, qui potest corpus et animam perdere. » In actis *S. Philippi* Heracleae Episcopi, cum Praeses Bassus *Hermeti* dixisset: « Traderis incendio, si in hoc

(3) Lib. 10 Mor. c.

furore (fide christiana) permanseris, » respondit *Hermes:* « Flammam mihi levis istius minaris ardoris, quae deficit pene antequam surgat, ignorans violentiam illius perennis incendii, quod sine remissione semper exaestuat. » — In actis *S. Afrae*, cum ad stipitem alligata iamiam comburenda foret, oculis in coelum erectis in hunc modum oravit: « Domine Deus... accipe in hac hora passionis meae poenitentiam, et per hunc ignem temporalem, qui corpori meo paratus est, ab illo igne aeterno me libera, qui animam et corpus simul exurit. » In actis *S. Patritii* Episcopi et Martyris haec inter alia ad Proconsulem dixisse perhibetur: « Deus geminas sedes apparavit, earumque alteram sempiterna illustrem luce faciens, omnibus iisque exquisitissimis bonis cumulavit: alteram vero perpetuis tenebris, et nunquam finiendae castigationis igne velut sempiterno supplicio implevit, ut . . . qui vivendi licentia eius iras commeruissent, in tenebras ad omne supplicium et sempiternos cruciatus deturbarentur... » Et post pauca: « Subterraneus autem ignis animabus impiorum excruciandis destinatus est. » *S. Basilius* Orat. de *S. Gordio M.* refert, ita eum locutum esse iis, qui eum plorabant: « Ipsos flete, qui ignem nobis parant, sibimet gehennae incendia, iramque in die irae thesaurizantes. » Et Orat. de 40 Martyribus ita illorum quemdam loquentem exhibet: « Honoris superni cupidus sum; poenas gehennae metuo; illius ignis mihi formidolosus; nam ignis ille, quem vos nobis intentatis, conservus est. » Haec ab incunabulis Ecclesiae universalis, et constans fuit Christianorum fides, ita ut pro poenarum inferni existentia rectissime *argumentum praescriptionis* proferre liceat. Ipsi haeretici priorum temporum, quamvis in aliis dogmatibus dissentirent, tamen poenas infernales existere non negarunt: hinc factum est, ut de hoc dogmate solemnis Ecclesiae definitio non prodiret. Cum autem *Origenistae* poenarum inferni aeternitatem negarent, illorum errorem Concilia oecumenica V et VII proscripserunt, ut infra videbimus. Et cum *Io. Scotus Erigena* inter alios errores cap. 16, n. 3 assereret, « in igne aeterno nihil aliud esse poenam, quam beatae felicitatis absentiam: » et cap. 17, n. 5, « ignem aeternum ad urendum diabolum et angelos eius, non homines, factum » diceret, *S. Remigius* cum Ecclesia Lugdunensi, et *S. Prudentius* Episcopus Tricassinus hos errores proscripserunt, ut S. Scripturae ac universalis Ecclesiae fidei contrarios. *Innocentius III* contra Waldenses (1) declaravit: « Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuus cruciatus. » *Benedictus XII* in citata iam Constitutione dogmatica: *Benedictus Deus*, haec subiungit: *Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animae decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur. Conc. Florentinum* in decr. unionis graecorum definit: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.*

5. *Ratio* ipsa pro existentia inferni varia argumenta suppeditat. *a*) Primum infertur ex notione iustitiae divinae, quae non est nisi immutabilis et efficacissima Dei voluntas bona opera remunerandi et peccata puniendi (§ 48). Certum autem est, han

(1) Lib. 3 Decr. tit. 42, c. 3 *Maiores.*

retributionem non semper fieri in praesenti vita, in qua persaepe iusti diris confecti aerumnis, impii vero terrenis repleti bonis cernuntur. Necesse igitur est, ut in altera vita locus et status admittatur, in quo boni remunerantur, et mali puniuntur. Egregie hoc argumentum proponit S. *Chrysostomus* Hom. 4 de Lazaro, ubi, cum prius accurate perpendisset latissimum vitae discrimen tum a divite Epulone, tum a paupere Lazaro peractae, ex eo subinfert, seclusa etiam Revelatione, alium vitae statum admittendum esse, in quo paria pro meritis uterque reciperet, idque naturali lumine omnes pervidisse philosophos testatur. Et cum multa eleganter hac de materia disseruisset, totam argumentationem velut in nucleo proponit dicens: « Si Deus est, prout revera est, eum iustum esse nemo non fatebitur. Atqui si iustus est, et his et illis reddet pro meritis; et hoc in confesso est. Quod si et his et illis rependet pro meritis, hic vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis, neque hic virtutis praemia, perspicuum est, restare tempus aliquod, in quo congruens praemium horum uterque feret. » — *b*) Ratio per fidem illustrata etiam cognoscit, reprobis in altera vita convenienter tum poenam damni, tum poenam sensus infligi. Nam Ierem. II, 13 Deus ipse conqueritur: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* Peccator nempe se avertit a Deo; ecce primum malum: peccator se convertit ad creaturam; ecce secundum. Convenienter igitur duo poenarum genera peccatori infliguntur. Ratio enim iustitiae exigit, ut ab eo, qui voluntarie recessit a Deo, Deus quoque recedat, intuitivam sui visionem illi negans, quae est poena omnium maxima, utpote privatio ultimi finis. Quia vero peccator inordinate se convertit ad creaturam, et omni sensu usus est ad peccandum, utique illum torqueri oportet, et per omnem creaturam, et in omni sensu: unde Sap. V, 21 legitur: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Quae verba ponderans *S. Thomas* in suppl. (1), ait: « Hoc etiam divinae iustitiae competit, ut sicut ab uno (Deo) recedentes per peccatum, in rebus materialibus, quae sunt multae et vanae, finem suum constituerunt, ita etiam multipliciter, et ex multis affligantur. » *c*) Prudentiae congruum est, iis, qui nec amore nec praemiorum spe ad bonum adducuntur, supplicia minari, ac etiam inferre. Ita prudentes genitores, patresfamilias et principes, si filios et subditos amore et praemiorum spe a vitiis retrahere non valeant, poenas iisdem minantur; et si nec timore a vitiis deterreantur, poenas etiam infligunt; quod si superiores negligunt, imprudentes et iniqui merito censendi sunt. Deus vero infinita est sapientia, cui congruit efficacissima sicut spei et amoris, ita et timoris motiva proponere (2). Veracitati autem Dei repugnaret, dirissimas poenas peccatoribus minari, et impoenitentibus non inferre: poenae igitur atrocissimae inferni vere existunt.

6. *Consensus gentium* suppliciorum infernalium existentiam confirmat. Hanc enim antiquissimi populi admiserunt. De *Chaldaeis* scribit *Pausanias* l. 4 circa finem, « ipsos omnium primos memoriae prodidisse, hominum animas esse immortales: » nec solum immortales, sed praemiis etiam, aut suppliciis pro meritis affici, ex doctrina *Zoroastri*, celebris Chal-

(1) Q. 97, art. 1. (2) § 260. n. 3.

daeorum magistri discimus. A Chaldaeis doctoribus non modo Babylonii et Assyrii, ut perhibent *Aristoteles*, et *Sation* apud *Laërtium*, instituti sunt, sed etiam *Magi*, qui in *Perside*, *Media*, et *Parthia* inclaruerunt, quorumque tanta erat in iis regnis auctoritas, ut, Tullio teste (1), nemo Persarum rex esse posset, qui non antea magorum disciplinam, scientiamque percepisset. De *Indis* refert Strabo l. de geograph. « ipsos de immortalitate animae, et de iudiciis apud inferos sensisse eadem, quae Plato: » et *Palladius* (2) testatur, « iuxta eorumdem doctrinam, Deum exspectare redeuntes animas, ut, quae vitam pie instituerunt, honoret ut Deus; illas vero, quae non obediverunt eius legibus, condemnet: omne enim iustum iudicium apud eum esse. » *Aegyptii* doctrinam complexi sunt *Mercurii Trismegisti*, qui teste *Stobaeo* (3) docuit, « divinam iustitiam suum cuique tribuere nosse;» et teste *Tertulliano* (4), dixit, « animam digressam a corpore non refundi in animam universi, sed manere determinatam, ut rationem Patri reddat, quae in corpore gesserit. » Hinc *Tacitus* (5) affirmat, « eandem esse de inferis persuasionem apud Aegyptios, quae erat apud Iudaeos. » *Aethiopes* Indorum doctrinam recepisse, constat ex Philostrato in vita Apollonii, lib. 6 de *Hiperboreis*, quo nomine *Scytharum* gentes maxime veniunt, testatur *Plato* (in Axioco), quod crediderint, « animas (impiorum) exemptas corporibus torreri ignibus aeternis, et poenis inexpiabilibus cruciari. » — De *Graecis*, atque *Romanis* non opus est ut multa dicamus, cum extra omne dubium positum sit, apud excultas has nationes non solum plebeios, sed etiam Poëtas, et, si Epicuraeos excipiamus, philosophicas quoque sectas, et Elysium admisisse pro remuneratione bonorum, et orcum seu tartarum pro punitione malorum. Idcirco *S. Iustinus M.* (6), *Lactantius* (7), *Eusebius Caes.* (8), et alii fidenter ad testimonia philosophorum infernales alterius vitae poenas admittentium provocarunt. De *Gothis* testatur antiquissimus liber, *Edda* (9) « putasse illos, se post mortem in Wodeni aulam migraturos, si probi extitissent: periuris autem et flagitiosis omnibus in inferno destinatum esse locum, ubi Hidboggus imperabat, tormentorum mirus, et ingeniosus artifex, qui homines nequam miseris modis excarnificaret, atque torqueret, et atrocitatem sceleris immanitate poenae compensaret. » *Mahumedani* eandem fidem tenent; nam in Alcorano Sura 14 dicitur: «Die, quo commutabitur terra in terram aliam, videndos esse reos vinculis misere constrictos: » et Sura 15, « Infernum esse locum omnium impiorum: » et Sura 16, « malos igne indeficiente cruciandos esse. » De *Sinarum* gente P. Io. Gonzalez in Hist. Chinens. (10) testatur, quod magnam in altera vita beatitudinem iis promittant, qui legum praescripta observarunt, et addunt: « E contrario, qui turpem vitam egerint, ad caliginosos carceres deputabuntur, ubi acerbe cum daemonibus torquebuntur. » De *Iapponensibus* scribit *S. Franciscus Xav.* (11), quod eorum sacerdotes, « inter dicendum gravissimas inferorum poenas, cruciatusque depictos in tabula auditoribus proferunt; cuius acerbitate spectaculi usque ad eiula-

(1) Lib. 1 de divinat.
(2) Ap. Iac. Bruker, t. 1 Hist. crit. Philos., lib. 2, c. 4.
(3) Lib. 1 Eclog.
(4) Lib. 2 de anima, c. 33.
(5) Lib. 5, c. 5.
(6) Apol. 1, n. 20.
(7) Lib. 7 Instit. div., c. 7.
(8) Lib. 11 Praep. evang., c. 20.
(9) Ap. Bruker, lib. 2, c. 9.
(10) Lib. 2, c. 6.
(11) Lib. 2 Epist.

tus, et lacrymas foeminae praecipue commoventur. » Eandem fidem apud Americae populos se invenisse Missionarii multi testati sunt. Universalis autem haec in praefato dogmate populorum consensus luculenter ostendit, naturalem iam rationem dictare, in altera vita sicut praemium bonorum, ita poenam impiorum esse debere ; nam, ut ait *Tullius* (1), « opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat. » Non incongrue autem dici potest, revelationem de infernalium poenarum existentia iam mature factam, et ad omnes populos propagatam esse. Veritati autem proxime accedit, qui dicit, consensum populorum tum ex ratione, tum ex divina Revelatione repetendum esse: et hoc admisso, omnia argumenta prius allata per gentium consensum confirmantur (2).

Nota. Haud difficile est causam detegere, ex qua fit, ut nonnulli poenarum inferni existentiam in dubium trahant, aut temere negent, tot argumentis probatam. Nam, ait Cl. *Patuzzi* (3), « non aliam plerumque esse huiusce pessimae persuasionis originem, quam effrenem vivendi licentiam, nullo negotio deprehendet, qui attentius consideret aliquem solutioris vitae hominem, cuius unica vel potissima cura sit delicias mundi captare, cupiditati genioque continenter obsequi, omniaque ad suum commodum et oblectationem referre. Ut finem hunc, quem sibi praestituit, assequatur, opus est, ut a se prorsus abiiciat quidquid molestiam procreare potest, animumque curis angere, atque terroribus, qui affectui dominanti in primis adversantur. Nihil porro mentem adeo commovere, ac perturbare valet, quam memoria iusti iudicii Dei, qui unicuique iuxta opera sua redditurus est, ac nocentes ad terribilem cruciatum damnaturus. Quid igitur? ne cura, ac sollicitudine agitetur animus, placideque in voluptaria vita conquiescat, excusso Religionis iugo, in eam facile sententiam descendit, quae nullam credit post mortem meritorum retributionem, et supplicia, quae improbis christiana fides denunciat, vel ut puerorum terriculamenta proiicit, atque irridet. » Insani hi homines describuntur Sap. II, 1-12. Et *S. Chrysostomus* eosdem considerans Hom. 31 in Epist. ad Rom. exclamat: « O dementiam! o stultam et asinariam sententiam, o animum peccati et voluptatis amantem, atque ad nequitiam respicientem! Etenim a voluptatis amore haec dogmata omnia nascuntur, ita ut si ii, qui talia dicunt, virtutem amplecti vellent, cito de gehenna persuasi essent, omnique dubitatione exuerentur » (4).

(1) Lib. 2 de nat. Deor.
(2) Cf. Patuzzi de futuro impiorum statu lib. 1, cap. 6-12. (3) L. cit. cap. 1, n. 10.
(4) Cf. Lactant. lib. 3. Instit. cap. 17.
(5) Matth. 7, 13. (6) Matth. 25, 46.

II. *De poenarum inferni gravitate.*

§ 761. Inferni poenas gravissimas esse, ex eo manifeste colligitur, quia tum Ss. Litterae, tum Ss. Patres damnatorum supplicia ita nobis depingunt, ut omnes huius vitae cruciatus gravitate et vehementia superent. Nam adpellatur status damnatorum ab illis *perditio* (5), *supplicium aeternum* (6), *ignis aeternus* (7), *gehenna ignis* (8), *caminus ignis* (9), *locus ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur* (10): *locus tormentorum* (11), *flamma ignis dantis vindictam* (12), *stagnum ignis* (13), *stagnum ardens igne et sulphure, quod*

(7) Ib. v. 41. (8) Matth. 5, 22.
(9) Matth. 13, 42. (10) Marc. 9, 42.
(11) Luc. 16, 28. (12) II Thess. 1, 8.
(13) Apoc. 20, 15.

est mors secunda (1), *tenebrae exteriores, ubi erit fletus, et stridor dentium* (2). Per omnes istos terminos dira supplicia designari, nemo sanae mentis dubitabit. Hinc et Ss. Patres atrocitatem poenarum inferni gravissimis verbis exprimunt. *S. Cyprianus* lib. de laude Martyr. ait: « Saeviens locus, cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure et gemitu, et eructantibus flammis per horrendam spissae noctis caliginem saeva semper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obstruitur, et in varios poenae exitus relaxatur. Tunc saeviendi plurima genera, dum in se ipse convolvit, quidquid ardoris emissi edax flamma cruciarit. » *S. Chrysostomus* (3) inquit: « Pone, si ita lubet, ignem et ferrum et belluas, ac si quid his acerbius est: haec tamen pro tormentis illis (infernalibus) ne umbrae quidem sunt. . . . Annon hos lictores conspicis, qui praefectis administram operam navant, quomodo trahant, quomodo vinciant, quomodo flagris afficiant, quomodo latera perfodiant, quomodo faces in tormentis admoveant, quomodo secent? Atqui haec cuncta merus ludus, ac risus sunt, si cum illis suppliciis comparentur. » *S. Augustinus* (4) scribit: « Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitae aeternae, quam Sancti accepturi sunt: ita nullus cruciatus poenarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari. » Maximam poenarum inferni gravitatem ipsa quoque ratio ex malitia peccati mortalis, ex infinita Dei iustitia, et ex summa eius sapientia, efficacissimum timoris motivum suggerente, inferre potest. Poenarum autem qualitatem et conditionem, quae ex libera Dei voluntate dependent, non ex humana ratione, sed solum ex divina Revelatione cognoscere possumus. Ast etiam dum hanc inquirimus, debemus, ut observat Cl. *Perrone* (5), « ea quae tamquam de fide stricte definita sunt, ab iis secernere, quae salva fide in disputationem veniunt. Hoc igitur unum de fide est, dari infernum, seu destinata esse supplicia impiis, et haec fore aeterna, seu sine fine. Caetera omnia quae spectant sive ad locum, sive ad horum suppliciorum vel poenarum naturam, de fide non sunt; etenim *nullo Ecclesiae decreto*, ut scite post *Vasquezium* (6) observat *Petavius* (7), *adhuc obsignatum videtur, neque ulla in synodo sancitum illud est*, scilicet vel ignem esse corporeum, vel suppliciorum locum esse sub terra, ubi cruciantur daemones, et homines damnati. » — Dum autem S. Scriptura investigatur, ut qualitas et gravitas poenarum inferni cognoscatur, duplex error vitandus est, ut monet Cl. *Patuzzi* (8). Errant enim, qui ut futura supplicia exaggerent, graviorem que hominibus metum incutiant, vel arripiunt undique quascunque S. Scripturae locutiones, quae alio referri debent, vel urgent in sensu obvio et litterali, quae in metaphorico aut figurato explicari facile possunt, et explicare par est, multaque etiam adiiciunt proprio duntaxat cerebro conficta, quibus absonam quamdam picturam deformant. Alii sunt ex adverso, qui vel omnia, quae sacrae paginae habent de futuris impiorum cruciatibus, ad tropos et allegorias

(1) Apoc. 21, 8. (2) Matth. 8, 12.
(3) Hom. 9 in Ep. 2 ad Corinth. n. 4.
(4) De catech. rud. c. 24, n. 45.
(5) De Deo Creatore p. 3, c. 6, art. 3, n. 729.
(6) In 1 P. S. Thom. diss. 243, c. 1.
(7) De Angel. l. 3, c. 5, n. 7.
(8) De futuro impiorum statu, lib. 2, c. 1.

contorquent, vel gravissima illa tormenta ita emoliunt, ac extenuant, ut exiguam plane improbis hominibus formidinem iniicere valeant. Inter haec duo extrema ita media via incedere oportet, ut neque, quae metaphorice accipi possunt ac debent, in obvio ac litterali sensu accipiantur; neque, quae in proprio significatu sumenda sunt iuxta sanioris criticae et interpretationis regulas, ea in tropico aut metaphorico sensu accipiantur. Attendendum pariter est, S. Scripturam iuxta apostolici et ecclesiastici sensus lineam id est, iuxta Traditionem exponendam esse. Hisce regulis praenotatis aliqua *de poena damni, de poena ignis, de verme rodente, et de reliquis damnatorum tormentis dicenda sunt.*

1. *Poena damni* consistit in privatione visionis Dei beatificae, omniumque aliorum bonorum, quae in patria coelesti diligentibus se summa munificentia praeparavit benignissimus Deus. Hanc poenam reprobis infligendam esse, manifestissima probant S. Scripturae testimonia. Hanc poenam designat Christus, cum Matth. XXV, 10, etc. dicit, virgines fatuas, id est, animas reprobas, clausa ianua a nuptiis excludi, illisque ideo a sponso dici: *Amen dico vobis: nescio vos.* Eadem poena indigitatur in sequenti parabola, dum dicitur ibid.: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores; illic erit fletus, et stridor dentium* (1). Luc. XIII, 27 Pater familias, id est, Deus dicet reprobis: *Nescio vos, unde sitis! discedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus, et stridor dentium: cum videritis Abraham, et Isaac et Iacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Luc. XIV comparatur beatitudo coelestis coenae magnae, et de invitatis venire recusantibus Dominus ait: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam* (2). Hinc reprobis cunctis supremus Iudex dicet: *Discedite a me, maledicti*, etc. (3); quae verba non possunt intelligi de discessu a Deo omnipraesente, sed significant privationem visionis beatificae, et omnimodam separationem a gaudiis regni coelestis. Paulus ad Cor. scribit: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (4). Et ad Thess. de non obedientibus Evangelio dicit: *Qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis eius* (5), id est, remoti ab aspectu Dei, et a gloria regni coelestis. Apoc. XXII cum v. 14 lotis in sanguine Agni beatitudo coelestis promittitur, v. 15 dicitur: *Foris canes et venefici, et impudici et homicidae et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* Hanc poenam damni gravissimam esse, Ss. Patres docent. *S. Io. Chrysostomus* (6) ait: « Novi, quia plurimi pertimescunt gehennam. Ego tamen illius gloriae amissionem poenam multo graviorem esse dico, quam ipsius gehennae supplicium. » Et (7) addit: « Intollerabilis quidem res est gehenna, quis nesciat? et supplicium illud horribile. Tamen si quis mille ponat gehennas, nihil tale dicturus est quale est, ex beata illa gloria excidere, Christo exosum esse, et audire ab illo: *Non novi vos.* » Et (8) in Ep. ad

(1) Matth. 25, 30. (2) Ibid. v. 24.
(3) Matth. 25, 41. (4) I Cor. 6, 9.
(5) II Thess. 1, 9. (6) Hom. 23 in Matth. n. 7. (7) N. 8. (8) Hom. 23.

Hebr. exponens cap. XI, v. 12 ita diserte loquitur: « Si eius, qui est e patria eiectus, omnes miserentur, et qui amisit haereditatem, videtur omnibus miserabilis; qui a coelo excidit et a bonis, quae illic sunt reposita, quam multis plorari debet lacrymis? imo vero nec plorari? Ploratur enim quispiam, quando aliquid ei acciderit, cuius ipse non est causa; quando autem libero suo arbitrio seipsum vitio dediderit, non lacrymis, sed lamentationibus, atque luctu tunc erit dignus... Innumerabilibus revera eiulatibus, innumerabilibus lamentationibus digni sumus. Si universus orbis terrae, et lapides, et ligna, et arbores, et ferae, et aves, et, ut semel dicam, totus orbis terrae voce accepta nos defleat, quia bonis illis excidimus, nihil, ut par est, deflebit, vel lamentabitur. » *S. Augustinus* (1) inquit: « Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, carere tum magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est poena, ut nulla ei possint tormenta, quae novimus, comparari. » *S. Bernardus* (2) scribit: « Ego multo durius tormentum esse assero, quam gehenna est, non assecutum esse tantam gloriam, et illinc delapsum esse: et opinor, non tanto dolore dolendum esse de malo gehennae, quam casum deplorare, quod coelo excidimus, qui est cruciatus omnium gravissimus. » Maximum profecto dolorem affert privatio visionis Dei beatificae; nam, ait *S. Thomas* (3): « Carentia divinae visionis, et separatio a Deo maior est poena existentibus in inferno, quam ignis supplicium: » quod (4) probat dicens: « Quia miseria, ad quam ducit malitia, contrariatur felicitati ad quam ducit virtus, oportet ea, quae ad miseriam pertinent, sumere per oppositum eorum, quae de felicitate dicuntur. Ultima autem hominis felicitas, quantum ad intellectum quidem, consistit in plena Dei visione; quantum ad affectum vero, in hoc, quod voluntas hominis in prima bonitate sit immobiliter firmata. Erit igitur extrema miseria hominis in hoc, quod intellectus totaliter divino lumine privetur, et affectus a Dei bonitate obstinate avertatur. Et haec est praecipua miseria damnatorum, quae vocatur *poena damni*. » Crescit autem haec poena ex privatione reliquorum coelestium gaudiorum, quibus Beati fruuntur. Memorant enim Ss. Litterae, damnatos aliquatenus visuros esse summam Beatorum gloriam, ex qua vehementius cruciabuntur, eo modo, quo a longe consistentes, dum alios vident in magna laetitia conversari, seipsos vero procul eiectos in carcere, extremam inde tristitiam et indignationem concipiunt, unde amplius torquentur. Id describitur in lib. Sap. cap. V, et in parabola divitis et Lazari. Cum enim dives in damnatorum loco esset, ibique flammis cruciaretur, describitur oculos elevasse, oculos scilicet non corporis sed mentis, et vidisse Lazari animam in Abrahae sinu tanquam in loco summae pacis et consolationis requiescentem. « Ex hac parabola, ait *Euthymius* in Lucae cap. XVI, discimus, quod in futuro saeculo peccatores vident iustos, et iusti peccatores. » Et *S. Gregorius M.* (5) inquit: « Boni malos, et mali cognoscunt bonos. Nam dives ab Abraham cognoscitur, et Lazarus a reprobo est divite cognitus. » Qua de re *S. Thomas* in suppl. (6) scribit:

(1) In Enchir. c. 112.
(2) In Epist. ad Thoes
(3) Opusc. 2, cap. 3. (4) Cap. 174.
(5) Lib. 4, Dial. c. 33. (6) Q. 98, art. 9.

« Damnati ante diem iudicii videbunt Beatos in gloria, non hoc modo, quod gloriam eorum, qualis sit, cognoscant, sed solum cognoscent, eos esse in gloria quadam inaestimabili, et exturbabuntur tum propter invidiam dolentes de felicitate eorum, tum propter hoc, quod ipsi talem gloriam amiserunt. Unde dicitur Sap. V de impiis: *Videntes turbabuntur timore horribili.* Sed post diem iudicii omnino beatorum visione privabuntur; nec tamen ex hoc eorum poena minuetur, sed augebitur, quia memoriam habebunt gloriae beatorum, quam in iudicio viderunt, vel ante iudicium. Et hoc erit eis in tormentum. Sed ulterius affligentur in hoc, quod videbunt se indignos reputari etiam videre gloriam, quam Sancti merentur habere. » — Denique ad eiusdem poenae cumulum accedit carentia obiectorum omnium, quae impiis hominibus in hac mortali vita oblectationem, et voluptatem afferre solent, et in quibus tanquam summo bono quietem animi ac beatitudinem exquisierunt. Etenim dum iis obiectis penitus destituuntur absque ulla eadem obtinendi spe eorumque ingens, quo tenentur, desiderium suo semper frustratur effectu, vix concipi potest, quanto moerore conficiantur, quantis cupiditatum fluctibus exagitentur. Non incommode hoc per sitim illam exprimitur, quam dives in inferno constitutus experiebatur. Dum enim memoria praeteritarum voluptatum recurreret animo, non poterat non vehementer accendi ipsius appetitus, qui irrito semper conatu in eadem tendens, incredibilem oportuit excitare angorem, atque tristitiam. Hinc sapiens illud S. *Augustini* effatum: « Divina iustitia fieri, ut, quae fuerant delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti. »

2. *Poenam ignis*, quo cruciantur damnati, frequentissime memorant Ss. Litterae veteris et novi Testamenti (V. § praec. n. 1 et 2). Extiterunt autem nonnulli, qui inferorum ignem tropice seu metaphorice sumendum esse censuerunt. Talis sententia adscribitur *Origeni*, qui lib. 2 Periarch. cap. 11 verba Isa. L, 11 exponens inquit: « Per quos sermones hoc videtur indicari, quod unusquisque peccatorum flammam sibi ipsi proprii ignis accendat, et non in aliquem ignem, qui antea iam fuerit succensus ab alio, vel ante ipsum substiterit, demergatur. » Idem sensisse videtur S. *Ambrosius*, qui (1) scribit: « Quicumque sine Christo est, in tenebris est, quia lumen in tenebris est Christus. Ergo neque est corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis... Ignis est, quem generat moestitia delictorum. » S. *Augustinus* (2) ait: « Qui ignis, cuiusmodi, et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit. » - Inter Novatores *Calvinus* lib. 3 Institut. cap. ult. definit, « infernum nihil aliud esse, nisi conscientiae horrorem. » In Hebr. cap. 10 ait: « Ignem, quem reprobis Scriptura minatur, esse malae conscientiae cruciatum; » et in cap. III Matth. declarat, ea quae de igne dicuntur, « esse metaphoricam locutionem. » Idem docuit *Theodor. Beza.* Quamvis autem nihilominus communis inter Protestantes sententia viguerit de vero, et corporeo inferni igne, recentioribus tamen temporibus multi, praecipue Rationalistae, ab hac sententia recesserunt,

(1) Lib. 7 in Luc. n. 205.

(2) Lib. 20 de Civ. Dei, c. 16.

eamque ut absonam et falsam suggillant. — Contra istos ex *regulis hermeneuticis*, et ex *Traditione* probandum est, verba Scripturae, de igne inferni toties repetita, non tropice et metaphorice, sed in sensu proprio et litterali accipienda esse. *a*) Iuxta praecipuam regulam hermeneuticam S. Scripturae verba in sensu proprio et litterali intelligenda sunt, quoties talis sensus non repugnat cum aliis eiusdem Scripturae effatis, aut cum definitionibus Ecclesiae, aut cum veritate aliqua naturali lumine certa et evidente. Ast manifestum est, nullam esse S. Scripturae propositionem, quae huic repugnet, aut ignem tropice intelligendum esse insinuet, nullam quoque Ecclesiae definitionem sensui proprio et litterali obstare; nullam denique veritatem naturali lumine certam et evidentem dari, quae eidem adversetur. Illud namque fatentur omnes, ac fateantur oportet, nisi ad arbitrium suum divinam omnipotentiam coarctare velint, posse Deum punire impios igne vero et corporeo, idque et cum anima a corpore seiuncta est, et certissime, cum ei iterum coniungetur (1). Altera regula hermeneutica dicit, metaphoras communiter non adhiberi nisi vel ob inopiam vocum, seu ex necessitate, vel ob elegantiam sermonis, vel ob consuetudinem. Nulla autem erat ex tribus hisce causis, qua permoveri potuerint Ss. Scriptores, ut interiorem animi, aut si mavis, alium exteriorem cruciatum metaphora ignis exprimerent; non quidem necessitas, aut vocum inopia; nam tum hebraicum, tum maxime graecum idioma vocibus abundant, quibus ea poena denotetur: non sermonis elegantia; elegantissime enim per propria nomina tormenta illa significari potuerunt: non denique consuetudo; neque enim apud Hebraeos vel Graecos vox *ignis* in usu unquam fuit, ut vel interiores animi angustias, vel exteriora alia supplicia ab igne diversa designaret. Admitti igitur non potest, Scriptores hagiographos fere omnes de re maximi momenti, qualis est poena, quam Deus minatur impiis, ita metaphorice locutos fuisse, ut ab iis, quibus iustum ac salutarem motum incutere voluerunt, vel non intelligerentur, vel falsos ipsis conceptus ingererent: ex illorum ergo fine merito infertur, quod eorum verba in sensu proprio et litterali accipienda sint. Accedit ultimo, talia quoque Scripturae testimonia inveniri, quae non sine absurditate tropice intelliguntur. Ita Isai. LXVI, 24 legitur de damnatis: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur:* quae verba Marc. IX, 43 etc. ter a Christo repetuntur. Nomine *vermis non morituri*, seu *non morientis* communi Ss. Patrum et expositorum consensu stimulus et remorsus conscientiae intelligitur. Ponamus iam cum adversariis, etiam nomine *ignis, qui non extinguitur*, nil aliud intelligi, quam malae conscientiae horrorem, cruciatum aut anxietatem, manifesta in verbis propheticis, et evangelicis inducitur tautologia; nihil enim amplius per sententiam posteriorem, quam per priorem Isaias et Christus significassent. Potius igitur dicendum est, Prophetam ac Redemptorem nostrum iis locutionibus potissimas complexos fuisse damnatorum poenas internas videlicet, et externas; illas in conscientiae pravae stimulis, morsibus et angustiis positas, has autem in igne vero, proprieque accepto veluti praecipuo divinae iustitiae ad ultionem de hostibus suis repetendam instrumento. Metaphori-

(1) Cf. quae dicta sunt § 177. not. 1.

cum sensum excludunt etiam sententiae Iudith XVI, 21, et Eccli. VII, 18, in quibus post diem iudicii *carnes impiorum igne* cruciandae dicuntur. Ignis vero, qui carnes, seu corpus amburit, nonnisi verus et corporeus esse potest; nam conscientiae stimulis animus proprie, non corpus affligitur. Denique, sicut humani iudices sententiam in reos latam non metaphoricis aut figuratis, sed planis et perspicuis verbis denunciant, ita etiam non licet metaphoram fingere in sententia a supremo Iudice in reprobos lata, cuius verba in sensu adversariorum accepta non verificarentur. Christus enim reprobis dicens: *Discedite,* seu abite *a me, maledicti,* motum ad aliquem locum plane designat, cuius terminus est *ignis aeternus,* ad quem ablegantur: sed discedendum, seu abeundum non est ad conscientiae cruciatus, quos reprobi ubique secum portant, et maxime in iudicio extremo sentiunt. Dein *ignis* dicitur a Deo *paratus diabolo et angelis eius;* cruciatus autem conscientiae proxime ab ipsis impiis parantur: manifeste igitur a Christo designatur supplicium ignis materialis, ab omnipotenti Deo cunctis reprobis paratum. *b*) *Ss. Patres* verba Scripturae de igne inferni non metaphorice, sed in sensu proprio et litterali accepisse, patet ex eorum testimoniis § praec. n. 3 et 4 citatis. Quapropter aliqua tantum hic adducimus, quae propius ignis qualitatem, et huius poenae gravitatem describunt. *S. Iustinus M.* Apol. 1, n. 21 fidem Christianorum publice contestatus, ait: «Qui improbe vivunt, nec immutantur, eos igne aeterno credimus puniri. » Et Apol. 2, n. 1 refert factum christianae mulieris, quae virum suum a vitiis ad meliorem frugem revocaverat « christiana praecepta illi suggerens, et ignis aeterni supplicium paratum iis, qui obscoene, et sine recta ratione vixissent. » *S. Theophilus Ant.* ad Autol. (1) inquit: « Incredulis... erit ira et indignatio, tribulatio et angustiae, ac tandem tales ignis aeternus detinebit. » *Minutius Felix* in Octavio (2) scribit: « Admonentur homines doctissimorum libris, et carminibus Poëtarum illius ignei fluminis, et de stygia palude saepius ambientis ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata, et daemonum indiciis et oraculis Prophetarum cognita tradiderunt... Nec tormentis modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt; sicut ignes Aetnae, et Vesuvii, et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur; ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed in exesa corporum laceratione nutritur. » *Tertullianus* in Apolog. (3) definit, « quid sit gehenna? » inquiens: « Est ignis arcani sub terra ad poenam thesaurus. » *Arnobius* l. 2 ad Gentes ita loquitur: « Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, et inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas deiici. . . cognovimus, quid? Plato idem vester in eo volumine, quod de animae immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem . . . nominat, in quibus animas asseverat volvi, mergi, exuri? . . . Quamvis vir lenis et benevolae voluntatis inhumanum esse crediderit capitali animas sententia condemnare, non est tamen absone suspicatus, iaci eas in flumina torrentia flammarum globis. » Liquet ex hoc testimonio, communem tunc fuisse apud Christianos doctrinam de proprie dicto

(1) Lib. I, n. 14. (2) N. 35. (3) Cap. 47.

igne inferni, quam cum irriderent Ethnici, Apologetae non ad interpretationem metaphoricam confugerunt, sed celeberrimorum Philosophorum sententias eis opposuerunt. *Origenes* quidem contra nos citatur, sed a multis ab errore vindicatur. Quamvis enim citatum Isaiae locum metaphorice de anxietatibus et cruciatibus exponat, alibi tamen orthodoxam doctrinam proponit. Nam in citato libro Periarch. paulo inferius ait: « Sicut in morbis corporalibus primo ferri rigor, et sectionis asperitas iuxta morbi qualitatem adhiberi solet, et tandem etiam adhibetur ignis; quanto magis intelligendum est, et hunc medicum nostrum Deum, volentem diluere vitia animarum nostrarum, quae et peccatorum, et scelerum diversitate collegerat, uti huiusmodi poenalibus curis, et insuper etiam ignis inferre supplicium his, qui sanitatem animae perdiderunt! » — Et comment. in Ps. VI ostendit, quam gravis sit poena ignis, quam reprobi post resurrectionem carnis experturi sunt; dicit enim: « Possibile est considerare ex his maxime doloribus, quos in hoc corpore positi sentimus... Si in hac praesenti vita tam intolerabiles sunt poenarum dolores, quid putandum est, cum non iam anima crassiori utetur indumento, sed cum id spirituale effectum ex resurrectione recipiet, et eo vehementius utique, quo subtilius est, sentiet vim doloris? » Manifeste hic de tormento extrinsece adhibito sermo est. *Lactantius* (1) scribit: « Docent nos Ss. Litterae, quemadmodum poenas impii sint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, ut in corporibus piaculum solvant... cruciatibus et igne sempiterno, cuius natura diversa est ab hoc nostro, quo ad vitae necessaria utimur, qui nisi alicuius materiae fomite alatur, extinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit, ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, et in aquae modum fluidus. » *S. Ambrosius* in textu contra nos citato loquitur de peccatoribus in praesenti vita constitutis, quibus poenas inferni metaphorice applicat; alibi autem verum in inferno ignem agnoscit. Sic l. 4 in Hexaem. (2) ait: « In retributionibus quoque meritorum colligimus dividi ignis naturam, ut alios illuminet, alios exurat, illuminet iustos, exurat impios; sed illuminatio eius inextinguibilis est ad perfectionem bonorum, exustio vehemens ad supplicium peccatorum. » Enarr. in Ps. XXXVI n. 26 haec habet: « Mare rubrum... Moyses pertransiit: praecipitatus est Pharao, quoniam graviora eum peccata merserunt. Eo modo praecipitabuntur sacrilegi in lacum igniş ardentis, qui superba in Deum iactavere supplicia » (3). — *S. Gregorius Nyss.*, quamvis credidisse videatur, reprobos ante diem iudicii poenam ignis non experiri, hanc tamen post resurrectionem aperte profitetur. Nam Orat. 3 in Christi resurrect. inquit: « Si resurrectio non est, fabula Lazarus, et dives ille est; item formidabilis et horrendus ille hiatus, et ille intolerabilis ardor ignis, et inflammatio, lingua item ardens, ad haec desideratae guttae aquae (fabulae sunt). Palam enim est, quod haec omnia nobis futuram significant resurrectionem. Lingua enim, et digitus non incorporalia membra animae intelliguntur, sed partes corporis. » Et in Orat. magna catech. cap. 40 cum dixisset, gaudia coelestia longe superare omnia huius terrae oblectamenta, mox subiungit: « Neque misera, et

(1) Lib. 7 Instit. c. 21 (2) C. 3, n. 10.

(3) Cf. Enar. in Ps. 118, serm. 3.

dolore plena vita illorum, qui peccaverunt, est similis ulli ex iis, quae sensum hic cruciant. Sed etsi aliquod ex iis, quae illic sunt, tormentis, nominatum fuerit nominibus, quae hic sunt cognita, non est tamen parvum discrimen. Nam cum ignem audis, didicisti aliquem ab illo diversum intelligere ex eo, quod illi igni aliquid sit additum, quod non est in hoc; nam ille quidem non extinguitur, hunc autem multa inventa sunt, quae extinguant: magna est autem differentia inter eum qui extinguitur, et eum qui nullam admittit extinctionem. » *S. Chrysostomus* (1) dicit: « Non est iam mare rubrum traiiciendum: sed pelagus ignis est, pelagus non cum illo conferendum, sed multo maius, et acerbius, cuius fluctus ignis sunt, ignis certe novus et horrendus. Abyssus illic magna est flammae gravissimae. Ibi enim ignem semper circumcurrere videre est, ferae immanissimae similem. Si enim ille sensilis, et materialis ignis quasi fera ex fornace prosiliens in eos insiliit, qui extra fornacem erant, dum tres pueri intus essent, quid non faciet ignis ille iis, qui in illum incident? Audi Prophetas de illo die loquentes: *Dies Domini incurabilis, furore et ira plenus...* (Damnati) manent in tanto cruciatu et dolore, qui non possit exprimi. Nam si eorum, qui hic comburuntur, acutos dolores nullus potest sermo exprimere, multo minus illi verbis exprimi possunt. Hic enim brevi tempore totum perficitur: illic vero, qui uritur, non consumitur. » Et alibi (2): « Si gehennam audiens rides, et incredulus es, recordare ignis illius Sodomorum. Vidimus enim, vidimus et in praesenti vita gehennae imaginem. » *S. Hieronymus* in celebri Epist. ad Avitum inter errores cavendos in libris Origenis hunc accenset, quod « ignis inferni non puniat in suppliciis, sed in conscientia peccatorum; » quod fusius monet Comment. in Epist. ad Ephes. (3). — *S. Augustinus* lib. 20 de Civ. Dei, c. 22 exponens locum: *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*, ait, « credibilius esse, ignem proprie ad corpus, vermem vero tropice ad animam referri. » Lib. 21, c. 10 inquit: « Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei et nunc potuerunt includi in corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhaerebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus daemonum, imo spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi. » Idem Serm. 80 de tempore dicit: « Ignis hic, qui in praesenti est vita, absumit cuncta, quae recipit; ille vero, quos suscepit, semper cruciat, et poenae suae integros servat... Potentiam autem illius ignis nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare. » *S. Cyrillus Alex.* Orat. de exitu animae, sic inducit impium in inferno positum conquerentem: « Propter corporis voluptates igni trador... » et gravitatem huius poenae describens exclamat: « Vae, vae, qualis est gehenna ignis inextincti, urentis quidem, sed non lucentis... Linguae non datur assequi cruciatus illic detentarum animarum... Ingemiscunt assidue, nec ullus miseretur; clamant e profundis, at nemo flectitur; lamentantur, et nullus eripit, etc. » *S. Fulgentius* (4) ait: « Firmissime tene, et nullatenus dubites... Diabolum, et angelos eius in

(1) Hom. 43, al. 44 in Matth. n. 4.
(2) Hom. 4 in Ep. ad Rom. n. 3.
(3) Lib. 3, cap. 5. (4) Lib. de fide cap. 28.

ignem aeternum a Christo esse mittendos... cum ipso etiam diabolo impios et iniquos homines... quia eum in malis operibus imitati sunt, et ante finem praesentis vitae congruam poenitentiam non egerunt, resumptis corporibus supplicio aeternae combustionis arsuros. » *S. Gregorius M.* (1) inquit: « Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. » Et Petro interroganti, qua ratione, « credendum est, quia rem incorpoream ignis tenere possit? » respondet: « Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne tenetur? » — *S. Isidorus Hisp.* l. 1 de summo bono (2) scribit: « Duplex damnatorum poena est in gehenna: quorum et mentem urit tristitia, et corpus flamma iusta vicissitudine, ut qui mente tractaverant quod perficerent corpore, simul et animo puniantur et corpore. » *S. Bernardus* (3) infernum describens ait: « Tormenta erunt sine intervallo, et sine temperamento. Timor conturbabit te, cum terra aperietur coram te, et tu rues et cades in stagnum sulphuris ardentis et foetentis. Ignis exterius carnem tuam consumet, vermis interius conscientiam corrodet. » *S. Thomas* in 4, dist. 44, q. 3, art. 2, quaerit: « Utrum ignis inferni sit corporalis? » et post plura sapienter animadversa, quae modum spectant, quo corporeus ignis operatur in animam, concludit: « Quidquid dicatur de igne, qui animas separatas cruciat, de igne tamen, quo cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem, oportet dicere, quod sit corporeus. » Communis est quoque sententia theologorum, quae etiam in Catechismis continetur, et in publicis institutionibus proponitur, quod verus et proprie dictus ignis nunc quidem damnatorum animas, et post resurrectionem corpora quoque eorundem cruciet. Unde *Cl. Patuzzi* in cit. op. de futuro impiorum statu (4) dicit: « Ex Catholicis neminem futurum puto, qui inferni ignem verum, et corporeum esse, negare ausit. Quamquam enim de huiusce ignis natura nullum hactenus decretum editum fuerit, quod *definitivum* vocant, universae tamen Ecclesiae consensus satis ostendit, quid unicuique tenendum sit. Hinc ab omnibus theologis statim reiecta, et explosa sententia fuit *Ambrosii Catharini*, qui a proprio et obvio Scripturae verborum sensu recedens, *ignis* vocabulum allegorice intellexit, designatamque ea voce arbitratus est summam aliquam poenam, aut cruciatus omnes a reprobis sustinendos. Quam quidem sententiam alii *haereticam*, alii *haeresi proximam*, universim autem saltem *erroneam*, ac admodum *temerariam* appellant » (5).

3. *Vermis* mordens et crucians inter poenas inferni positivas saepius commemoratur, ut Iudith XVI, 21; Eccli. VII, 18, etc. (6). Christus quoque ait: *Bonum est tibi debilem, vel claudum introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*; quod secundo et tertio ibidem repetit. Quo pacto explicanda sit haec poena, an videlicet *vermis* vocabulum in obvio sensu sumi debeat de animali quodam mordente, an vero in sensu metaphorico de conscientiae remorsu, non eadem est Ss. Patrum et theologorum opinio.

(1) Lib. 4 Dial., cap. 28. (2) Cap. 3.
(3) De Domo inter., cap. 38.
(4) Lib. 2, cap. 7, n. 1.
(5) Cf. eiusdem lib. 2 a cap. 7-14.
(6) Isa. 66, 24; et Marc. 9, 42.

In sensu obvio vermes intellexit *S. Basilius* (1). *S. Gregorius Nyss.* Orat. 3 in Resurrect. dicit: «Ego etiam hoc audio, quod condemnati iustis afficientur suppliciis, igne, tenebris, verme, quae omnia compositorum ac materialium corporum poenae cruciatusque sunt.» *S. Prudentius* in Hamart. sic canit: « Vermibus et flammis et discruciatibus aevum immortale dedit, senio ne poena periret, non pereunte anima etc.» *S. Anselm.* in Eluc. ait: « Tertia poena in inferno est, vermes immortales, id est, serpentes et dracones visu et sibilo horribiles, qui, ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma.» *Innocentius III* (2) scribit: « Vermis duplex (est in inferno), interior, qui rodit cor; exterior, qui rodit corpus.» Hanc sententiam inter alios theologos probabilem reputat *Cl. Franc. Suarez.* Communior autem et solidior est sententia eorum qui vermis vocabulum in tropico sensu accipiunt, non pro animali aliquo, quod corpus pungat, sed pro conscientiae remorsu, stimulo et cruciatu. Hanc sententiam tradunt Doctores latini. *S. Ambrosius* (3): «Vermis est, eo quod irrationabilis animae peccata mentem rei sensumque compungant, et quaedam excedant viscera conscientiae, quae tamquam vermes ex unoquoque nascuntur, tamquam ex corpore peccatoris.» *S. Hieronymus* (4): « Putredo et tinea, et operimentum vermium poenae intelliguntur aeternae, quas propria gignit conscientia, quae ex propriis peccatis nascitur. Sicut enim quamdiu cadaveris materia est, et aliquis humor in cadavere, vermes nascuntur, sic ex ipsa materia peccatorum supplicia gignuntur. » Hanc explicationem a plerisque suo tempore receptam fuisse, tradit in Comment in cap. LXVI Isaiae. — *S. Augustinus* (5): « In poenis malorum et ignis inextinguibilis, et vivacissimus vermis ab aliis, atque aliis aliter, atque aliter est expositus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt, alii proprie ad corpus ignem, vermem vero tropice ad animam, quod credibilius esse videtur.» *S. Bernardus* (6) asserit: « Hic est vermis, qui non moritur, memoria praeteritorum. Semel iniectus, vel potius innatus per peccatum haesit firmiter, nunquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitae morientis. » *S. Thomas* in supplem. (7) docet: « Vermis, qui in damnatis ponitur, non debet intelligi esse materialis, sed spiritualis, qui est conscientiae remorsus, qui dicitur *vermis*, in quantum oritur ex putredine peccati, et animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo. » Ex Graecis eandem sententiam tradiderunt *Origenes*, *Procopius*, *Theophylactus* et alii. Praecipue vero adlegari meretur *Victor Antiochenus*, qui floruit quarto vel quinto Ecclesiae saeculo, et in cap. IX Marci scribit: « Omni supplicio gravius est immortalem illum vermem perpetuo citra ullam prorsus intermissionem devorantem, direque corrodentem circumferre. Designatur autem hoc vermis nomine impura sceleratque conscientia. Siquidem una haec animam peccatricem, nulliusque boni sibi consciam inutilis poenitentiae aculeis instar e dacis vermis pungit et mordet. Unus quisque ergo sceleratorum sui ipsius

(1) Hom. in Ps. 33, n. 11. (2) Lib. 5, c. 2.
(3) Lib. 7 in Luc. (4) In cap. I Isa
(5) Lib. 20 de Civ. Dei, cap. 22.
(6) L. 5 de Consider., cap. 12.
(7) Quaest 97 art 2

accusator erit. Etenim dum ea secum perpendit, animoque iugiter revolvit, quae in mortali hac vita improbe gessit, vel invitum se reum confiteri compelletur, propriae nimirum conscientiae stimulis actus, eiusdemque contra se testimonio aperte convictus. Ad hunc itaque sensum *vermis immortalis* dicitur. »Ipsi quoque rationi valde consentaneum videtur, tum Isaiam Prophetam, tum Christum Dominum apud Marcum utramque damnatorum poenam fuisse complexos, nempe et quae corpus praecipue afficit, et quae animam affligit; quod iam observarunt S. *Prosper* (sive *Iulianus*) de vita contempl.(1), et vetus Auctor (lib. de spiritu et anima inter op. *S. Aug.*). Cum igitur per *ignem* eam poenam, quae corpus maxime spectat, insinuent, dicere par est, per *vermem* eam poenam exprimi, quae animae peculiaris et intima sit, conscientiae scilicet remorsus. Nec obstat, quod Eccli. VII, 8 vermis dicatur *vindicta carnis impii;* nam in textu graeco, et in versione syriaca et arabica nulla fit carnis mentio. Et si lib. Iudith XVI, 21, dicitur: *Dabit ignem et vermes in carnem eorum*, respondet S. *Thomas* (2), esse « dicendum, quod ipsae animae damnatorum dicantur carnes eorum pro eo, quod carni subiectae fuerunt; vel potest dici etiam, quod per vermem spiritualem caro affligetur, secundum quod passiones animae redundant in corpus, et hic et in futurum ». Dubitari autem nequit, hanc poenam gravissimam esse. Reprobi enim cognoscent summam malitiam, qua Deum infinitum, maximumque Benefactorem offenderunt; cognoscent copiosas gratias, per quas salvari poterant, et quibus ingrato animo abusi sunt; cognoscent denique intolerabilem stupiditatem, qua propter vilia terrae bona et vana carnis oblectamenta immensam coeli beatitudinem perdiderunt, et horrendos inferni cruciatus ex propria culpa sibi attraxerunt. Hac recordatione reprobi *cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum* (3).

4. Quoniam reprobi omnibus corporis sensibus et animae facultatibus abuti solent, merito coniicitur, pro quolibet sensu speciale in inferno tormentum paratum esse. Hinc praeter iam declarata alia quoque *damnatorum supplicia* commemorari et describi solent, de quibus quid sentiendum sit, theologum nosse oportet. *a*) *Tenebrae* inferni in S. Scriptura commemorantur. Iob infernum nuncupat *terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum* (4); Eccli. dicitur: *Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebrae, et poenae* (5); apud Matth. Christus de reprobo dicit: *Mittite eum in tenebras exteriores* (6); II Petri II, 17 de impiis legitur: *Hi sunt..... quibus caligo tenebrarum reservatur;* et S. Iudas (v. 13): *Quibus procella tenebrarum servata est in aeternum.* Per *tenebras* quidem primario intelligitur privatio visionis Dei beatificae; secundario autem etiam tenebrae corporales intelliguntur. Ss. Patres enim passim inter alia hoc assignant ignis inferni ab elementari discrimen, quod ille minime luceat, luce saltem clara et perspicua, sive, ut inquit *S. Gregorius M.*, « non luceat ad aliquam consolationem, luceat tamen ad maius tormentum. » Quod egregie declarat *S. Thomas* in suppl.(7) dicens: « Dispositio inferni erit talis, quod ma-

(1) Lib. 3. (2) Suppl. quaest. 97, art. 2 ad 1.
(3) Apoc. 20, 10. (4) C. 10, v. 21.
(5) C. 21, v. 11. (6) C. 22, v. 13.
(7) Quaest. 97, art. 4.

xime miseriae damnatorum competet. Unde secundum hoc sunt ibi lux et tenebrae, prout maxime spectant ad miseriam damnatorum. Ipsa autem visio secundum se delectabilis est... sed per accidens contingit, visionem esse afflictivam, in quantum videmus aliqua nobis nociva, vel nostrae voluntati repugnantia. Et ideo in inferno hoc modo debet esse locus dispositus ad videndum secundum lucem et tenebras, ut nihil ibi perspicue videatur, sed solummodo sub quadam umbrositate videantur ea, quae afflictionem cordi ingerere possunt. Unde simpliciter loquendo est locus tenebrosus; sed tamen ex divina dispositione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad videndum illa, quae animam torquere possunt. » — *b*) *Fletus* damnatis adscribitur a Christo de tenebris exterioribus dicente: *Ibi erit fletus et stridor dentium* (1). Damnatos flere spiritualiter, id est, maximo moerore et dolore confici, liquet ex dictis. Si autem quaeratur, an in inferno sit fletus corporalis? respondet *S. Thomas* (2): « In fletu corporali duo inveniuntur, quorum unum est lacrymarum resolutio. Et quantum ad hoc fletus corporalis in damnatis esse non potest, quia post diem iudicii quiescente motu primi mobilis, non erit aliqua generatio, vel corruptio, vel corporalis alteratio. In lacrymarum autem resolutione oportet esse illius humoris generationem, qui per lacrymas distillat: unde quantum ad hoc corporalis fletus in damnatis esse non poterit. Aliud, quod invenitur in corporali fletu, est quaedam commotio et turbatio capitis et oculorum; et quantum ad hoc fletus in damnatis esse poterit post resurrectionem. » Caeterum nomine fletus etiam intelliguntur horribiles singultus, gemitus, eiulatus, maledictiones, omnesque complorantium gestus et lamenta, quae fletui coniungi solent, et quibus aures damnatorum torquentur. *c*) *Frigus acerbissimum* nonnulli inter damnatorum supplicia numerant, quia Matth. VIII, 12 et alibi cum fletu *stridor dentium* iungitur, qui ingentem frigoris vim consequitur, sicut et aliorum membrorum tremor; et pro sua sententia afferunt auctoritatem *S. Hieronymi, Ven. Bedae, S. Petri Dam., S. Anselmi, S. Bernardi* et aliorum quos citant *Pineda* (3), et *Fr. Suarez* (4). — Sed alii cum *Domin. Soto, Patuzzi* (5) negant, frigore torqueri damnatos, quia nullibi in S. Scriptura frigus in inferno existens nominatur; stridor autem dentium, de quo loquitur Christus, vel ex iracundiae furore, quo damnati adversus Deum Iudicem infremunt, vel ex vehementia doloris procreari valet, quem ab igne patiuntur. Etiam antiquiores Patres de frigore damnatorum silent, et ipse *S. Hieronymus* in cap. 24 Iob non definite, sed dubitanter loquitur: « forte in ipsa gehenna talis sensuum cruciatus fiet illis etc. » Certum porro est, ignem perpetuum esse, et incessanter damnatos torquere; calor vero et frigus non possunt simul torquere: neque miracula absque necessitate multiplicare oportet, praecipue cum ignis sufficiat ad sensum tactus incredibili modo cruciandum. *d*) *Fames et sitis* recte inter damnatorum supplicia numerantur, ut etiam peccata per sensum gustus commissa speciali cruciatu puniantur. Et sane ipse Christus ait: *Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis* (6): quae verba exponens *Cardin. Hugo* dicit:

(1) Matth. 8, 12. (2) Quaest. 97 art. 3.
(3) In cap. 24 Iob. (4) Lib. 8 de Angelis, c. 12
(5) Cap. 6, etc (6) Luc 6, 25.

« *Vae vobis, qui saturati estis,* quia saturitas immoderata et deliciosa famem parit aeternam. » Quam atrox sit in inferno tormentum sitis, patet ex verbis divitis Epulonis exclamantis: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (1). Ex quo sane constat, quam miserrime et ineffabiliter cruciabuntur damnati ex perpessione sitis, ad quam mitigandam nè guttam quidem aquae obtinebunt. Positivis quoque tormentis sensum gustus in inferno cruciandum esse, coniicitur a nonnullis ex sequentibus Scripturae verbis. Dominus enim per Ierem. dicit: *Ecce ego cibabo eos absynthio, et potabo eos felle*(2); Deut. XXXII, 33: *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* e) *Foetor intolerabilis* in inferno adesse dicitur, quia admitti non potest, sensum odoratus poena carere. Haec poena indigitatur Apoc. XXI, 8 his verbis: *Pars iniquorum erit in stagno ardenti igne et sulphure:* et Ps. X, 6: *Ignis et sulphur - pars calicis eorum,* id est, ait *S. Bonaventura* in Diaeta salutis (3), « poenae eorum. » Summus ardor igni, maximus foetor inest sulphuri. Recte etiam dicitur, quod in resurrectione sicut corpora Sanctorum splendida erunt, et suavissimum efflabunt odorem, ita corpora reproborum deterrima erunt, et intolerabilem foetorem spargent. Quod praefiguratum esse videtur in *Antiocho* ad tam miserum statum reducto, *ut odore etiam illius et foetore exercitus gravaretur* (4). Qualis iam foetor erit, cum innumera reproborum corpora in angusto inferni carcere includuntur! — Ideo *S. Bernardus* (5) Serm. de quinque regionibus, exclamat de regione gehennali: « O regio dura et gravis!... Locus lethifer, in quo est ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, foetor intolerabilis.... Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, et concussa sunt omnia ossa mea. » *f) Societas* plurimorum reproborum non solum consolationem nullam afferre valet, sed cuiuslibet damnati cruciatus auget. Nam si durum est inter miseros et aegros nauseabundos habitare, et si durius est inter iniquos et scelestos vitam agere: durissimum profecto tormentum erit, omni ex parte, et indivulse a daemonibus et impiis hominibus furentibus et desperantibus circumdatum esse. Hinc *S. Chrysostomus* (6) ait: « Si cum quis ex iis, qui liberaliter sunt educati, hic in carcerem iniectus, foetorem solum, et iacere in tenebris et in vinculis esse cum homicidis, quavis morte dicit esse gravius; cogita quid sit, quando urimur cum huius orbis terrae homicidis, et neque videmus, neque videmur, sed in tanta multitudine solos existimamus. Nam tenebrae et lucis defectus non permittit, ut vel eos, qui prope sunt, discernamus, sed unusquisque ita erit affectus tanquam solus hoc patiens. Si autem nostros animos per se premunt et conturbant tenebrae, quid erit, quando cum tenebris tam multi fuerint dolores et conflagrationes? »

(1) Luc. 16, 24. (2) Ier. 23, 15.
(3) Tit. 10, cap. 1. (4) II Mach. 9, 9.

III. *De poenarum inferni diversitate.*

§ 762. Quamvis status damnatorum omnium sit miserrimus, erunt tamen diversi infernalium poenarum gradus, ita ut pro ratione delictorum diversorum ex damnatis alter altero

(5) Serm. de diversis S. 62, n. 4.
(6) Hom. 1 in Epist. ad Hebr. n. 4.

gravius puniatur. Id docent tum *Ss. Litterae*, tum *Ss. Patres*.

1. Sap. VI, 6 etc. haud obscure indigitatur, quod illi, qui ob maiorem dignitatem qua nitent, aut ob uberiores gratias quas acceperunt, gravius peccant, poenas quoque acerbiores experturi sint. Legitur enim: *Iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur..... Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Christus apud Matth. ait: *Amen dico vobis: tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitati* (1), quae reiicit Apostolos Evangelium praedicantes. Idem: *Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii, quam vobis (Corozain et Bethsaida* (2)): atque ib. addit: *Terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi (Capharnaum*(3)); quae verba manifeste ostendunt, gravioris supplicii sententiam in die iudicii ferendam esse in illos, qui gravius deliquerunt. Idipsum docent verba Christi Luc. XII, 47: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui... et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Eadem veritas infertur ex verbis Pauli ad Rom.: *Reddet unicuique secundum opera eius* (4), id est, pro qualitate operum bonorum praemium concedet, et pro quantitate operum malorum supplicium inferet. Hinc Apoc. legitur: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (5).

2. *S. Ephraem* lib. de vera poenitentia cap. 7, varia describit supplicíorum loca in inferno, et prosequitur: « Inter haec supplicíorum loca distribuuntur infelicissimi, unusquisque pro peccatorum suorum modo, sive mitius, sive vehementius, sicut scriptum est Prov. V, 22: *Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* — Sicut autem sunt peccatorum differentiae, ita et sunt cruciatuum varietates » (6). *S. Augustinus* contra Donatistas (7) scribit: « Dubitandum non est, ipsas poenas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas, et alias aliis acriores, ut in ipso regno aeterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta poenarum. Neque enim frustra ipse Dominus dicit: *Tolerabilius erit Sodomis, quam vobis in die iudicii.* » *S. Gregorius M.* (8) ait: « Sicut in domo Patris mansiones multae sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennae ignibus subiicit disparitas criminis. » *S. Thomas* docet, ipsum ignem inferni ita comparatum esse, ut pro qualitate criminum acrius, vel mitius urat. Ait enim in suppl. (9): « Ignis ille erit instrumentum divinae iustitiae punientis. Instrumentum autem non solum agit in virtute propria et per proprium modum, sed etiam in virtute principalis agentis, et secundum quod est regulatum ab eo. Unde quamvis ignis secundum propriam virtutem non habeat, quod aliquos cruciet secundum magis et minus, secundum modum peccati, habet tamen hoc, secundum quod eius actio modificatur ex ordine divinae iustitiae. » Ipsa sana ratio hanc doctrinam indoli infinitae divinae iustitiae consentaneam agnoscit; mens enim

(1) Matth. 10, 15. (2) Ibid. 11, 22.
(3) V. 24. (4) Rom. 2, 6.
(5) Cap. 18, 7.

(6) Cf. Serm. de extr. iudic. t. 2 graec. lat. p. 192, etc. (7) Lib. 4, c. 19.
(8) Lib. 9 Moral., cap. 47.
(9) Quest. 97, art. 5 ad 3

humana iniquum esse reputaret, hominem unius peccati mortalis in obitu suo reum iisdem in inferno poenis affici, sicut illum, qui centum, aut plura gravissima delicta commisit. Necesse porro est, ut haec de diversitate poenarum doctrina admittatur; sine hac enim non est, cur impius modum impietati ponat.

Nota. Cum supremus Iudex, ac vindex Deus hominum scelera condignis in futura vita suppliciis punire decreverit, consequens est, ut locum, aut loca aliqua exercendae vindictae suae deputaverit. Neque enim animarum punitio, multoque magis corporum, quibus illae denuo copulandae sunt, quocunque modo explicetur, aut definiatur, nisi in loco fieri, aut intelligi potest. Hinc quotquot futurum vitae statum, in quo et probi praemio, et improbi supplicio afficerentur, realia etiam loca praemiorum, atque poenarum consequenter posuerunt. Verum inter novatores extiterunt nonnulli, qui, duce potissimum *Brentio*, docuerunt, damnatorum locum, sive infernum ubique esse, sive diffusum per universum mundum, imo neque pluribus locis coarctatum: qui ideo *Ubiquistae*, aut *Ubiquitarii* dicti sunt. Vel si istorum sententia mitius exponatur, huius saltem opinionis fuerunt, quod nullum Deus puniendis improbis locum certum destinaverit, verum arbitratu suo modo hunc, modo illum ad huiusmodi officium deligat. Haec tamen opinio sic etiam temperata falsa est, et aliena a fide catholicae Ecclesiae, quae docet, semperque docuit, unum esse certum, definitumque locum a Deo ad punitionem reproborum, sive daemonum, sive hominum deputatum. Nititur Ecclesiae fides clarissimis Ss. Litterarum documentis, et perpetua Ss. Patrum et fidelium traditione. Constat haec in primis ex historia, sive parabola de Lazaro et divite Epulone. Nam dives, dum in inferno inter horribiles flammas cruciaretur, elevasse dicitur oculos suos, ut videret Abraham tanquam ex loco profundiore in altiorem respiciens. Abraham vero ipsum alloquens praeter alia reposuit: *In his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut, qui hinc volunt transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Ac deinde dives idem orans inducitur pro fratribus suis, *ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum* Caecus sit, oportet, qui non videat, in hoc textu exerto veluti digito commonstrari locum certum et peculiarem, illumque damnatis omnibus communem. Nam a sinu Abrahae aperte distinguitur, et inter utrumque *magnum chaos* interiectum esse perhibetur, et *tormentorum locus* distincte nominatur, et nedum pro infelici divite, sed et pro fratribus eius, caeterisque omnibus, qui ipsius vestigia secuti fuerint, deputatur. Idem probant nomina, quibus locus damnatorum designatur. Vocatur enim *abyssus:* Luc. VIII, 31 daemones rogant, *ne imperaret illis, ut in abyssum irent* (1). Vocatur *Lacus;* Isa. XIV, 15: *ad infernum detraheris in profundum laci* (2); lacus autem non dicitur aqua variis in locis dispersa: Vocatur *infernus* hebr. *Sceol*, graece *Adis* Ps. XLVIII, 15: *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos* (3). *Sceol* autem et *Adis* foveam quamdam profundam significare, et stationem animarum inter telluris viscera, eruditi consentiunt. Denique vocatur *stagnum ignis*, et *gehenna ignis:* quod si verus proprieque dictus ignis pro dam-

(1) Item Apocal. 20, 3. (2) Ps. 29, 3.

(3) Ps. 85, 12; Prov. 9, 18

natis destinatus est, locum quoque, in quo includatur, admittere oportet. Consonant Ss. Patres, qui frequenter de inferno tanquam de loco certo, et pro reproborum punitione destinato loquuntur, ut patet ex eorum testimoniis tum §§ praec., tum § 382 (ubi actum est de descensu Christi ad inferos) citatis. Rationem theologicam affert *Guillelmus Parisiensis* (1) dicens: « Cum Universum veluti domus quaedam sit Creatoris, qui est Dominus omnium saeculorum, et rex ac rector Universi, necesse est, ut domus eius completa sit totalitate partium suarum, et opportuna sufficientia congruentium officinarum. Tu vero non dubitas, quoniam necessarius sit carcer in omni regali palatio, atque habitatione, praesertim ubi tanta est multitudo latronum, et iustitiandorum. Amplius nulla est civitas ordinata, cui bonus Rex praesideat, et bono magistratu regatur, quae non habeat locum exercendae iustitiae. Cum igitur certum sit, et omnium Philosophorum consensione firmatum, Universum, seu mundum Civitatem esse Dei altissimi, in qua cives sunt homines, et Angeli, hoc est omnes, et universae substantiae spirituales... necesse est, hanc civitatem, quae Deo altissimo rectore regitur, locum habere universalem, communem, et appropriatum exercendae divinae iustitiae. » (2). Si autem quaeritur, ubi nam sit infernus, seu locus pro reproborum punitione destinatus, variae dantur opiniones. Nonnulli infernum reposuerunt in Lunae concavo, alii in sydere Martis ob illius ardentissimum ignem, alii cum *Swindenio Anglo* in sole: sed secundum opinionem communiorem Ss. Patrum et Theologorum, sedes inferni est in visceribus terrae: quam sententiam defendit, et contra adversarios vindicat *Viator a Cocaleo* in Tent. theolog. (3). Caeterum notare iuvat verba *S. Chrysostomi* (4) de gehenna dicentis: « Ne igitur quaeramus, ubi sit, sed quomodo eam effugiamus. »

(1) P. I Univers. cap. 55.
(2) V. Patuzzi, de futuro impior. statu lib. 2, cap. 5.
(3) Tom. 6, Diss. 4, cap. 7, 8.

Usus doctrinae de inferno.

§ 763. 1. Seria inferni consideratio etiam innocentibus et iustis utilissima est, ut a peccatis deterreantur. Christus ipse discipulis suis ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (5). Bonum, iustum et salutarem esse hunc timorem, ostendit *S. Augustinus* Serm. 18 de verbis Apostoli cap. 4,; reprehendit enim primo, timorem adversitatum, et persecutionum temporalium, ac dein de timore ignis infernalis subiungit: « Quare non committis adulterium? Et respondebis: Quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis aeterni, timeo iudicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, cum illo ardeam. Quid dicturus sum? male times, quomodo tibi dicebam de adversario, quia quaerebat corpus tuum occidere? Ibi enim recte dicebam: Male times; securum te fecit Dominus Deus tuus dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Modo cum dicis: Gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo, quid dicturus sum: male times, vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore, subiecit timorem, ubi dixit: *Ne terreamini ab his, qui corpus occidunt, et postea non ha-*

(4) Hom. 31 in Ep. ad Rom.
(5) Matth. 10, 28.

bent quid faciant, sed eum timete, qui habet potestatem corpus et animam mittere in gehennam; ita dico vobis hunc timete (1). Cum ergo Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus sum ego: male times? Ita non dicam: plane time; nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. » Convenit quidem, ut iusti ex charitate Dei et peccata fugiant et bona operentur. Sed observandum est, quod etiam iusti aliam legem sentiant in membris suis, quae repugnat legi mentis eorum: haec igitur concupiscentia per timorem gehennae reprimenda est, et illa repressa spiritus hominis spei et amoris motiva attentius considerare, et promptius sequi valet. Hinc *Tertullianus* lib. de praescr. cap. 3 commendans gehennae timorem ait: « Ubi metus in Deum, ibi gravis honestas, et diligentia attonita, et cura sollicita... et subiectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, etc. »

2. Seria inferni consideratio proficua, imo necessaria est peccatoribus, ut ad poenitentiam agendam impellantur. Quicunque enim inordinatis passionibus indulgentes cum gratia sanctificante charitatem Dei perdiderunt, nunquam, vel raro ad amorem iustitiae nisi salutari timore exstimulati perveniunt. Unde *S. Augustinus* lib. de catech. rudibus cap. 5 dicit: « Rarissime accidit, imo fere nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus (ex infideli fidelis, aut ex perverso bonus), qui non sit aliquo timore Dei perculsus. » Et Enarr. in Ps. 149 ait: « Nisi timore homo incipiat Deum colere, non perveniet ad amorem: *Initium sapientiae timor Domini*. Incipit ergo a vinculis ferreis, et finitur ad torquem aureum. » Hinc S. Doctor comparat timorem illum setae, qua introducitur linum, scribens: « Si nullus timor, non est quo intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. » Ideo *Concil. Tridentin.* (2) recensens dispositiones ad iustificationem post fidem ex auditu conceptam ponit *divinae iustitiae timorem, quo peccatores utiliter concutiuntur*. Quid autem ad salutarem timorem incutiendum efficacius esse potest, quam consideratio gehennae? — Peccator utique apud semetipsum cogitare debet: infernum mereor, et quovis momento a Deo omnipotente, et infinite iusto in illum praecipitari possum. Quis nisi insensatus tale periculum non exhorreat? quis per poenitentiam declinare non studeat? Hinc S. *Bernardus*, vel alius auctor Serm. ad fratres de monte Dei, peccatoribus acclamat: « Descendant in infernum viventes, ne descendant morientes. »

3. Si consideratio inferni tum iustis, tum peccatoribus saluberrima est, maxima profecto verbi Dei praeconibus obligatio incumbit, ut frequenter et energice horrendas inferni poenas auditoribus suis ob oculos ponant. Magnum sane conscientiae reatum incurrunt, qui placere magis, quam prodesse studentes a describendis inferni cruciatibus, et a manifestandis damnationis periculis temperant. Imitari potius oportet s. *Chrysostomum*, qui frequentissime et disertissime de gehennae suppliciis locutus est. Quod si auditores talem ermocinationem indigne ferant, di-

(1) Luc 12, 4, etc.

(2) Sess 6 cap. 6

cendum est ipsis, quod idem eloquentissimus Doctor (1) dicit: « At verborum (de inferno) times importunitatem? Num si sileas, gehennam extinxeris? num si dixeris, accenderis? Sive dixeris, sive non dixeris, exardescet ignis. De ea dicatur assidue, ut nunquam in eam incidas. Fieri non potest, ut anima de gehenna solicita cito peccet. Audi enim optimam admonitionem: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*. . . Nullus ex iis, qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam: nullus ex iis, qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam. »

ARTICULUS II.
De Purgatorio.

§ 764. Nomine Purgatorii intelligitur status animarum e corpore solutarum, quae, cum non omnia debita erga divinam iustitiam exsolverint, et nihilominus in statu gratiae sanctificantis hinc demigraverint, in loco expiationis detinentur, donec poenarum interventu, vel alienorum suffragiorum auxilio omnia diluta fuerint, quae erant adhuc expurganda. Ex duplici igitur causa animae poenis purgatorii subiiciuntur, vel quia pro peccatis lethalibus quoad culpam remissis condignam satisfactionem non praestiterunt, vel quia peccata venialia nondum remissa secum in alteram vitam tulerunt. — Dum doctrina de purgatorio proponitur, caute secernenda sunt dogmata catholica ab iis theologorum sententiis, quae ab Ecclesia definitae non sunt. Porro duo tantum sunt quoad purgatorium dogmata; de fide enim credendum est, primo, purgatorium vere existere; et secundo, animas purgatorii fidelium vivorum suffragiis iuvari. Omnia igitur, quae spectant ad locum, poenarum qualitatem et durationem, ad fidem catholicam minime pertinent, seu definita ab Ecclesia non sunt. Utrum scilicet existat aliquis determinatus locus, in quo omnes animae purgationi subiectae congregantur necne, et ubi positus sit, utrum parum, an diu debeant animae in purgatorio detineri; utrum purgatorii ignis sit materialis, an metaphoricus, utrum poenae purgatorii sint longe graviores, quam maximi huius vitae cruciatus: hae et similes quaestiones solemni Ecclesiae iudicio nunquam definitae fuerunt. Ita pariter Ecclesia, quamvis suffragiorum utilitatem de fide credendam proponat, non tamen de fide declaravit, quantum ad animam e purgatorio liberandam requiratur, et sufficiat, quale praecise levamen quodlibet suffragium defunctis afferat; et an animae, iam dum in purgatorio existunt, pro benefactoribus et amicis suis intercedant. — His praenotatis, ad doctrinam de purgatorio rite proponendam 1° *dogmata catholica de purgatorio probanda, et contra heterodoxos defendenda,* ac 2° *quaestiones reliquae theologicae, ad purgatorium spectantes, ventilandae sunt.*

I. *Purgatorium vere existit, et iustorum animae in eo detentae fidelium suffragiis iuvantur.*

§ 765. 1. Contra purgatorium primus arma movisse videtur saeculo quarto *Aaerius*, qui teste *S. Augustino* (2) asseruit: « Orare, vel offerre pro mortuis, seu dormientibus, non oportere: » refutatus a *S. Ephraem Syro*, et a *S. Epiphanio* hoc praecipue argumento, quod nova esset ipsius doctrina, et contra receptam Ecclesiae traditionem. Saeculo XII *Petrus de Bruis*, primum monachus, dein apostata, inter alios errores ei

(1) Hom. 2 in Epist. 2 ad Thessal.

(2) Lib. de haer. c. 53.

nunc propugnabat, quod pro mortuis orandum non sit; qua de causa inter haereticos numeratur a *V. Petro Cluniac.* in Epist. ad Episc. Arelat. — Errorem eundem propugnavit circa idem tempus quidam *Henricus* monachus, sed pugilem invictissimum nactus est S. *Bernardum* in Epist. ad Hildephon. Comitem S. Aegydii (1). — *Waldenses* pariter negarunt dari purgatorium, et doctrinam de utilitate suffragiorum ex sacerdotum avaritia repetierunt. Eundem errorem adoptarunt *Albigenses*, imo etiam *Hussitae*, licet ipse *Hussius* lib. de corp. et sang. Domini, et in serm. de exeq. purgatorium professus sit. Qui tamen plus reliquis contra purgatorium debacchati sunt, fuerunt sic dicti reformatores. *Lutherus* initio purgatorium admisit cum Catholicis; nam in disputatione Lipsiaca an. 1519 publice professus est: « Ego credo fortiter, imo ausim dicere, scio, purgatorium esse: facile persuadeor, in Scriptura de eo fieri mentionem: nolo mihi fieri suspicionem, quasi faveam haereticis, aut Bohemis. Ego nihil de purgatorio novi, nisi animas ibi pati, nostris operibus et orationibus iuvandas. » Cum autem cognosceret, doctrinam catholicam de purgatorio nullatenus cohaerere cum doctrina a se de iustificatione tradita, mox sententiam mutavit, et in lib. de abrog. Missa privata purgatorium penitus negavit: porro in libro ad Waldenses de Euchar. inquit: « Cum negatis purgatorium, damnatis missas, vigilias, coenobia, monasteria, et quidquid per hanc imposturam erectum est: per omnia etiam probo. » Et in *Articulis Smalcald.* (2) quorum Lutherus auctor fuit dicitur: « Quapropter purgatorium, et quidquid ei solemnitatis, cultus, et quaestus adhaeret, mera diaboli larva est. Pugnat enim cum primo articulo, qui docet, Christum solum, et non hominum opera, animas salvare. » *Calvinus* l. 3 Instit. (3) improbans aliquos, qui quaestionem de existentia purgatorii prudenti quadam dissimulatione esse praetereundam dixerunt, silentium hoc tanquam periculosissimum damnat et dicit: « Demus tamen, illa omnia tolerari aliquantisper potuisse ut res non magni momenti: at ubi peccatorum expiatio alibi, quam in Christi sanguine quaeritur, periculosissimum silentium. Clamandum ergo non modo vocis, sed gutturis, ac laterum contentione, purgatorium exitiale Satanae esse commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiae non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit et evertit. » Antesignanos suos sequuntur Protestantes, negantque purgatorium existere, et suffragia vivorum defunctis prodesse. Etiam inter Graecos schismaticos nonnulli eundem errorem adoptarunt; nam *Cyrillus Lucaris*, calvinianae haeresis veneno infectus, in sua fidei confessione, quae a nonnullis libris symbolicis adnumeratur (4), dicit: « Qui hic iustificantur, nullam amplius posthac subibunt poenam; qui autem non iustificati moriuntur, in poenas destinantur aeternas. Ex quo patet, commentum de purgatorio non esse admittendum, sed in veritate statuendum: unumquemque debere in hoc saeculo resipiscere, remissionemque peccatorum per Dominum Iesum Christum impetrare, si salvus esse voluerit. » *Sociniani* quoque negant purgatorium, prout legere est apud *Völkelium* (5), et *Arminiani*, teste Philippo a Limborch (6). Derident denique ca-

(1) Epist. 241. (2) P. 2, c. 2, § 9.
(3) Cap. 5, § 6. (4) P. 1, q. 46.
(5) Lib. 5 de vera rel. c. 16.
(6) Lib. 6 theol. christ., c. 10, n. 10, etc.

holicam de purgatorio doctrinam *Naturalistae*, eamque cum *Voltairio* a fraudibus monachorum repetunt.

2. Contra tot adversarios doctrina catholica de purgatorio solidis argumentis probanda est. Duo quidem in illa dogmata continentur, nempe purgatorium existere, et animas in eo detentas fidelium suffragiis adiuvari. Haec autem duo dogmata optime conjunctim pertractantur, et demonstrantur. Existentia enim purgatorii invicte probatur ex orationibus, quae pro defunctis in divina revelatione commendantur. Illi enim, qui illico post mortem ad coelestem beatitudinem perveniunt, orationibus et suffragiis non indigent; iis vero, qui in infernum ruunt, orationes et suffragia non prosunt: tertius ergo status animarum admitti debet, in quo orationibus et suffragiis indigent, hisque iuvari possunt. Sicut igitur secundum dogma primum supponit, ita primum per secundum confirmatur. His praenotatis praefata dogmata *argumentis biblicis, ecclesiasticis* et *philosophico-theologicis* probantur.

A. *Argumenta biblica.*

§ 766. 1. Iam in V. T. communis fuit Iudaeorum fides, purgatorium existere, et animas in eo detentas vivorum suffragiis adiuvari posse: id luculenter patet ex iis, quae in II Machab. leguntur de Iuda fortissimo belli duce, qui, *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum, et vanum videretur orare pro mortuis), et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (1).— Perperam clamitarunt nonnulli ex Protestantibus, allatam sententiam interpolatam, seu aliena manu serius textui assutam fuisse; eam enim genuinam esse, aperte evincunt graeca omnia, atque latina exemplaria sive edita, sive manuscripta, in quibus nunquam non reperitur, eaque apprime ingenio congruit scriptoris, qui passim solet eiusmodi considerationes interserere. Neque libros Machabaeorum inter apocryphos reiicere licet, postquam auctoritas canonica eorundem infallibili Ecclesiae iudicio est declarata. Caeterum praefatos libros genuinos, integros et canonicos esse, ostendunt Hermeneutae; ut videre est apud *Natal. Alex.* (2), *Calmet* (3). Illud addimus, citatum librum a recentioribus Protestantibus in censum sacrorum librorum passim admitti; tum etiam in illorum hypothesi, qui eum reiiciunt, non minus validum inde erui argumentum, quia auctori huius libri, qui tot saeculis in Ecclesia cum veneratione lectus fuit, tanquam testi historico, et fere coaevo id saltem tribuendum est, ut eidem exhibeamus fidem historicam, et credamus, rem, prout gesta est, ab eo fideliter conscriptam esse; ex quo consequitur, tum sacerdotes (erat enim Iudas Machabaeus non solum belli dux, sed et pontifex), tum ipsum populum credidisse, adesse apud Iudaeos consuetudinem salubriter orandi pro mortuis, qui cum pietate dormitionem accepissent. Sane pro iis, qui in perfecta iustitia sunt mortui, orare salubriter nemo potest, sicut nec pro iis, qui in peccato lethali defuncti

(1) Cap. 12, 43, etc.
(2) Hist. V. T. aetat. sexta, Diss. 7, art. 8.
(3) Praefat. in duos libros Mach.

sunt: priores suffragiis non egent, posterioribus suffragia non prosunt; agnoscere igitur et credere debebant Iudaei certum statum medium in quo, qui cum pietate (nondum tamen perfecta) dormitionem acceperant, gratiam consequerentur, seu purgarentur.

2. Christus Matth. V, 25, etc., inquit: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Christus his verbis fideles suos monet, ut pro offensis sive gravibus, sive levibus proximo illatis, de quibus (v. 22) locutus fuerat, *cito*, *in statu viatoris*, seu in praesenti vita satisfaciant; quod si non fiat, minatur poenam in altera vita a Iudice divino inferendam, qui iusta vindicta reum mancipabit carceri, donec omne debitum solvat, vel lethale et aeternum in infèrno, vel veniale et temporale in purgatorio: potest igitur sub nomine *carceris* tum infernus, tum purgatorium intelligi, sed, ut recte observat *Cornelius a Lapide*, « ad purgatorium inclinat vocula *donec*, quae finiendam significat poenam; haec enim finitur in purgatorio, cum in inferno nunquam terminetur, sitque aeterna: quare ibi durat τὸ *donec* in aeternum; tamdiu enim durante culpa, tamdiu et pariter durabit gehennae poena. Id notant *S. Hieronymus* hic, *Origenes* (1) *S. Ambrosius* (2) et alii. » — Praeterea existentiam purgatorii invicte probat sententia Christi dicentis: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro* (3). Quibus verbis non obscure Christus alludit ad receptam apud Iudaeos persuasionem, nonnulla peccata etiam in futuro saeculo remitti, ut indicant ea, quae protulimus ex lib. II Machab. dicente: *Ut a peccatis solvantur:* hanc vero Iudaeorum persuasionem non solum non improbat, vel corrigit, sed potius, adprobat et confirmat, adseverans, etiam in futuro saeculo remissionem peccatorum dari. Hinc Ss. Patres ex allatis Christi verbis passim pro purgatorii existentia argumentum intulerunt. Ita *S. Augustinus* lib. 21 de Civ. Dei, cap. 24 ait: « Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc saeculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro. » Similiter ratiocinatur lib. 6 c. Iulian. c. 5, et ante eum *S. Ambrosius* (4), tum *S. Gregorius M.* (5), *S. Fulgentius* (6), ac demum *S. Bernardus*, qui Serm. 66 in Cantica ita purgatorium negantes convincit: « Nam si non credunt, ignem purgatorii restare post mortem, quaerant ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc saeculo, neque in futuro remittitur; cur hoc dixerit, si nulla maneat in futuro remissio purgatione peccati? » — Huius argumenti vim, quod ineluctabile putarunt Ss. Patres, se infringere posse arbitrantur Novatores dicentes, iis verbis apud Matthaeum nihil significari quam *exaggerate*, et *per auxesim*, quod planius dicitur Marc. III, 29: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum;* et Luc. XII, 10: *Ei autem, qui in Spi-*

(1) Hom. 31 in Luc.
(2) In cap. 12 Lucae. (3) Matth. 12, 32.
(4) De Elia et Ieiun. cap. 20.
(5) Lib. 4 Dialog. c. 39.
(6) Lib. 1 de remiss. peccator. c. 24

ritum sanctum blasphemaverit, non remittetur, ubi nulla fit distinctio huius saeculi et futuri. At inanis est haec Novatorum cavillatio, quae tum critices regulis, tum sanae rationi adversatur. Nam Marcus, et Lucas Matthaeo non repugnant, sed omnes tres Evangelistae in hoc conveniunt, quod blasphemia in Spiritum sanctum *nunquam* remittatur, seu *in aeternum* non remittatur. Ast *nunquam*, sive *aeternum* duas partes complectitur, hoc nempe saeculum et futurum; et ideo, quod Marcus et Lucas *universe* dixerunt, Matthaeus *distributive* exposuit, et expressius declaravit, praecipue pro Iudaeis, quibus, ut dictum est, firma persuasio inerat, quaedam peccata etiam in futuro saeculo remitti. Quamobrem praepostere agunt adversarii, dum, quod est clarissime dictum apud Matthaeum cum distinctione huius saeculi et futuri, explicandum volunt ex locis minus planis ex Marco et Luca. — Quodsi Christus apud Matth. remissionem peccatorum in hoc saeculo, et in futuro distinxit, sana ratio postulat, ut remissio peccatorum etiam in futuro saeculo admittatur. Profecto enim ineptum fuisset dicere, aliquod peccatum non remitti neque in hoc saeculo, neque in futuro, si, ut adversarii volunt, nulla prorsus peccata in futuro saeculo delerentur. Nam in familiari quoque sermone ridiculum se praeberet, qui diceret: currum, navimque mihi non extruam neque in hac neque in altera vita, cum in altera vita neque currus, neque naves extrui possint; sic porro locutus esset Christus, si nulla in futuro saeculo daretur peccatorum remissio.

3. Paulus I Cor. III loquitur de illis, qui per baptismum iustificati sunt, ac per fidem et charitatem Christo adhaerent, eosque spirituali aedificio comparat; ait enim (v. 9): *Dei aedificatio estis*, et (v. 16): *Templum Dei estis:* huius vero aedificii fundamentum (v. 11) dicit Christum, cui per bona opera superaedificandum est (v. 10). Quibus praemissis (v. 12 etc.) ita prosequitur: *Si quis autem* (per gratiam sanctificantem Christo unitus) *superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.* Dubitari profecto non potest, per *aurum, argentum* et *lapides pretiosos,* opera bona et perfecta; per *ligna,* autem, *foenum* et *stipulam* opera imperfecta et peccata venialia intelligi: Ita enim haec verba Pauli exponunt *S. Hieronymus* (1), *S. Augustinus* (2) et alii Patres. Qualis vero sit uniuscuiusque status moralis, iuxta Apostolum dies iudicii declarabit, quia *in igne revelabitur*. Alludit ad id, quod scriptum est Ps. XCVI: *Ignis ante ipsum praecedet;* ignis nempe conflagratorius mundi, quasi divinae iustitiae lictor, Iudicem mundi praecedet, et per illum declarabitur, quod dies illa sit dies iudicii, quia in igne et cum igne fiet. Videtur ergo Paulus hic loqui de die iudicii universalis, in quo, ut canit Ecclesia, Christus venturus est iudicare saeculum per ignem. Sed sub hac die iudicii universalis comprehenditur et dies iudicii particularis, seu dies mortis, in quo unusquisque iudicatur; idem enim utriusque diei iudicium

(1) In cap. 4 Amos.

(2) L. de fide et op. c. 16, et in Enchir. c. 68.

erit, et eadem utriusque iudicii sententia. Imo etiam de iudicio particulari dici potest: *In igne revelabitur;* nam primo, per *ignem* saepe in S. Scriptura significatur iudicium divinum; quoniam, sicut ignis illuminat, omnia penetrat, purgat aut cruciat, ita Iudex divinus omnia cognoscit, intima penetrat, et peccata aut purgat, aut cruciat: secundo, recte dicitur, quod etiam post iudicium particulare status moralis *in igne revelabitur*, quia anima propter peccata venialia, et propter satisfactiones nondum praestitas illico igne purgatorii cruciatur. Quamobrem Apostolus addit: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem:* per quem *ignem* non possunt intelligi aerumnae huius vitae, quia sermo est de purgatione post diem iudicii futura; nec potest intelligi ignis infernalis, in quem praecipitatus nunquam salvus erit; ergo intelligi debet ignis purgatorii. Ita verba Pauli exponunt Ss. Patres. *S. Ambrosius* (1) in Ps. CXVIII ait: « Sed cum Paulus dicit: *Sic tamen quasi per ignem,* ostendit quidem, illum salvum futurum, sed poenam ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi, aeterno igne in perpetuum torqueatur. » *S. Augustinus* Enarr. in Ps. XXXVII, n. 3 ita Davidem orantem describit: « *Domine, ne in indignatione tua arguas me;* non sim inter illos, quibus dicturus es: *Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius: neque in ira tua emendes me;* ut in hac vita purges me, et talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus, propter illos, qui salvi erunt; sic tamen quasi per ignem: quare? nisi quia hic aedificant supra fundamentum ligna, foenum, stipulam? Aedificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, et de utroque igne securi essent, non solum de illo aeterno, qui in aeternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Et quia dicitur, *salvus erit,* contemnitur ille ignis. Ita plane, quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. » Eodem modo textum Apostoli de igne purgatorii exponunt *S. Hieronymus* loc. cit., *S. Anselmus, S. Bonaventura, S. Thomas*, et *Patres Latini* in *Conc. Florentino.* Nec obstat, quod Apostolus prius de igne in die iudicii universalis omnia consumente loquatur; iste enim ignem purgatorii non excludit, cum quo eundem finem habet: ille conflagrationis scilicet purgatorius est universorum tunc viventium, hic vero (ignis purgatorii) est singulorum nunc decedentium purgatorius. Hic ergo se habet ad illum tanquam pars ad totum, et unus in altero debet intelligi. Imo *Cornelius a Lapide* non improbabiliter existimat, quod unus et idem ignis futurus sit, ita ut desinente purgatorio in fine mundi, ignis illius loci fiat conflagrationis ignis.

4. Apostolorum Princeps I Petr. III, 18 etc. haec habet: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam.* Negari non potest, obscurum esse hunc locum et variis interpreta-

(3) Serm. 20.

tionibus obnoxium. Manifeste autem Petrus loquitur de descensu Christi ad inferos: quaeritur autem, quinam sint illi spiritus, *qui in carcere erant* et quibus Christus *veniens praedicavit*, seu redemptionem annuntiavit? — Certe autem per istos spiritus intelligi nequeunt damnati in inferno, ex quo nulla datur redemptio: neque intelligi possunt perfecte iusti; ab his enim illi distinguuntur, qui aliquando increduli fuerunt, et ideo *in carcere* detinebantur, sub quo nomine communiter non limbus, seu sinus Abrahae, sed locus poenalis significatur: restat ergo, ut per illos spiritus intelligantur animae purgationi subiectae, et a Christo libe atae. Hinc *Calmet* ut maxime planam, et probabilem hanc *Dupinii* (1) interpretationem approbat: « Descendit ad inferos Christus, suumque adventum nedum iustis tranquille praestolantibus, verum etiam animabus illorum, qui Noëmo calamitatem imminentem praedicanti non credidere, nunciavit. Verum hi Deum, tametsi antea increduli, et timuerunt et adorarunt, effusoque demum in terras diluvio, pervicaciam execrati, confugere ad Deum, partemque peccatorum in aquis terram obruentibus expiavere. Lapsus ad inferos Christus ipsos incredulitatis poenam a tam longa aetate luentes reperit, unaque cum priscis Patriarchis e tenebricoso carcere eduxit. »

Nota. Adversarii partim argumenta nostra biblica enervare, partim ipsius S. Scripturae testimoniis sententiam suam tueri conantur.

Obi. I. Perperam Catholici ex II Mach. XII doctrinam suam de purgatorio probant. Nam *primo*, ibi dicitur, non esse vanum orare pro mortuis, quia speratur eorum resurrectio: at vero in sententia Catholicorum dogma purgatorii nullatenus pendet a spe, seu fide resurrectionis corporum. *Secundo*, in prolato testimonio sermo est de hominibus lethali culpa adstrictis, quia contra divinum praeceptum (2) donaria idolorum ex templo Samniae surripuerunt, et intra vestes suas celaverunt; ob quam causam eos in praelio cecidisse creditum est. Cum autem omnium consensu suffragia non prosint damnatis, dicendum est, voluisse Iudam ideo tantum orari pro iis, ut pium erga ipsos affectum ostenderet, vel etiam ut Deus placatus iram suam ad alios non extenderet. *Tertio* demum agitur de facto unico et singulari, nempe Iudae, quod in exemplum trahi non potest, praesertim cum nulla pro mortuis in lege sacrificia statuta seu praescripta sint, et cum illud ipsum factum solum commendetur ab auctore libri secundi Machabaeorum, qui etiam suicidium *Raziae* laudat, quod tamen a *S. Augustino*, *S. Thoma* et aliis merito improbatur.

Resp. Ad *primum* reponimus, quod dogma purgatorii pendeat a fide immortalitatis animae, quae cum fide resurrectionis corporum intime connexa est. Ideo sacer scriptor pro Iudaeorum more utramque quaestionem de animae scilicet immortalitate ac de corporum resurrectione coniungit, prout et ipse Christus, Sadducaeos perstringens, coniunxit dicens: *Non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viventium* (3). Praeterea cum citatus textus de resurrectione loquitur, nulla fit mentio corporum: unde nonnulli recte asserunt, quod resurrectio,

(1) Diss. 8 in Apoc. art. 8. (2) Deut. [illegible]

(3) Matth. 22, 31. — Cf. Cor. I 15,32.

de qua sacer auctor loquitur, non sit resurrectio corporum interfectorum, quam certe Iudas tunc non sperabat, sed resurrectio animarum, id est, earundem liberatio, vel solutio a peccatis, pro qua sacrificia offerebat, ut Deus iis placatus easdem animas a purgatorii poenis liberaret. *Secunda* difficultas tollitur ipso sacro textu, quo aperte innuitur, eos milites, qui ceciderant, *cum pietate dormitionem accepisse*, et *optimam habere repositam gratiam:* non ergo Iudas putavit, eos in peccato lethali obiisse, ut igne aeterno damnarentur. Et sane milites a lethali peccato excusari poterant, quia donaria idolorum rapuerunt, non idololatriae causa, sed ut spoliis inimicorum ditarentur, illam legem Deut. VII, 25 ad sola idola, non vero ad donaria etiam extendentes, vel, prout iam observavit *Grotius*, plane hanc legem ignorantes. Quodsi per rapinam mortaliter peccaverunt, non ideo dici potest, eos impoenitentes obiisse, quia poterant in articulo mortis peccati commissi poenitere et iustificari: et ideo Iudas cum populo iudicavit, eos poenitentes obiisse, et suffragiis vivorum adiuvari posse. *Tertio* demum falso clamitant adversarii, pietatis in defunctos unicum extare Iudae exemplum; nam I Reg., cap. ult. vers. 13, et II Reg. I, 12 legitur, quod Iudaei ieiunarunt super mortem Saulis et filiorum eius, procul dubio ex religiosa observantia, ut defuncti ab imperfectionibus suis purgarentur, ut interpretatur *V. Beda*. Quamvis autem in V. T. expresse sacrificia pro defunctis praescripta non fuerint, comprehendebantur tamen sub lege generali de sacrificiis pro peccatis totius populi, quaeque offerri poterant tam pro praesentibus, quam pro absentibus, tam pro vivis, quam pro defunctis iuxta interpretationem, et consuetudinem Synagogae; quo refertur et illud Eccli. VII, 37: *Mortuo non prohibeas gratiam*, per eleemosynam videlicet, preces et sacrificia. Neque auctoritas libri secundi Machabaeorum ex eo labefactatur, quod in eo suicidium Raziae approbari videatur: nam sacer scriptor laudat eum, quod *fortiter*, non autem, quod *pie* fecerit, ut adnotat *S. Augustinus* contra Gaudent. Donat. (1). Caeterum non solum Iudae factum ab omnibus commendatum est, sed insuper, ut ibidem legitur, omnes *ad preces conversi rogaverunt, ut id, quod factum erat delictum, oblivioni traderetur*, omnesque propterea pecuniam ad sacrificia pro defunctis offerenda suppeditarunt; universalis igitur erat praxis Iudaeorum orandi pro mortuis, quod et *Grotius* fatetur in Adnotat. ad Cassandri consult., art. 20.

Obi. II. Eccles. IX, 10 dicitur: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Nullum itaque superest in altera vita pro peccatis remedium. Et ibidem cap. XI, v. 3: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit:* quibus verbis designatur perpetuitas status alterius vitae, omnino immutabilis, cuiusmodi non est status purgatorii.

Resp. Ecclesiastes in loco priori docet, quod verissimum est, atque ab omnibus theologis traditur, post hanc vitam nullum amplius esse locum merito; unde etiam animae iustorum in purgatorio non merentur apud Deum, sed solum patiendo divinae iustitiae satisfaciunt; a nobis autem, qui in via sumus, ad satisfaciendum nostris suffragiis adiuvari

(1) Lib. 1, n. 38.

possunt. Alter locus intelligitur de statu gratiae, vel peccati, in quo aliquis decedit: si in statu gratiae, nunquam eam perdet; si in statu peccati mortalis, similiter in eo permanebit, quia post mortem non est poenitentiae locus, cum peccatum mortale post hanc vitam non possit remitti quoad culpam, sed tantum quoad poenam temporalem peccatis debitam.

Obi. III. Ps. CXXVI dicitur: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini:* nulla ergo est mora inter mortem iustorum, eorumque haereditatem in coelo. Ita *Lazarus* immediate post mortem in sinu Abrahae deportatus est, et Latro in cruce promissionem audivit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ideo et in Apoc. legitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (1): omnes ergo iusti illico ad requiem perveniunt.

Resp. Citata testimonia et exempla doctrinae catholicae non adversantur, quia in hac ipsa traditur, perfecte iustos, quibus nihil luendum superest, statim post mortem ad aeternam beatitudinem pervenire. De talibus loquitur Psalmus CXXVI, quamvis potius de certo iure ad aeternam haereditatem intelligendus sit, quia in V. T. nemo ad visionem beatificam in coelo pertingere potuit. Lazarus per duras vitae miserias patienter toleratas, et Latro in cruce per contritionem perfectissimam, et charitatem ardentissimam perfecte mundatus est. Apocalypsis loquitur de perfecte iustis, imo de Ss. Martyribus, ut patet ex vers. praeced. *Hic patientia Sanctorum est*, etc.

Obi. IV. Marc. XVI, 16 Christus ait: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Vel ergo homines ad aeternam salutem perveniunt, vel in aeternum damnantur: locus seu status intermedius nullus assignatur. Ita pariter Matth. XXV, 46 dicitur: *Ibunt hi* (reprobi) *in supplicium aeternum; iusti autem in vitam aeternam.* Duplex ergo tantum animarum status post mortem exprimitur, et ideo tertius, id est, purgatorium, excluditur.

Resp. In verbis Christi Marc. XVI non negatur purgatorium, sed subintelligitur; Christus enim non dixit: *Statim salvus erit*, sed simpliciter, *salvus erit:* certum autem est, multos, quibus post mortem aliquid luendum superest, salvari quidem, *sic tamen, quasi per ignem,* ut ait Apostolus. S. Scriptura Matth. XXV vere duos tantum animarum status commemorat post diem iudicii, quia tunc purgatorium finem accipit: ex hoc autem non sequitur, quod ante diem iudicii non existat.

B. *Argumenta ecclesiastica.*

§ 767. Semper, ubique et ab omnibus creditum esse, quod purgatorium existat, et quod animae in eo detentae vivorum fidelium suffragiis iuvari possint, ex *Ss. Patribus,* ex *Conciliis* et ex aliis *monumentis ecclesiasticis* probatur.

1. *Ss. Patres* frequenter de orationibus pro defunctis fundendis loquuntur, et ideo statum animarum, quae in altera vita purgantur, manifeste profitentur. *Dionysius* lib. de Eccl. Hier. cap. 7 ita sui temporis consuetudinem exponit: « Accedens venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit: precatur divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat et regione vivorum. » Nihil

(1) C. 14, v. 13.

disertius dici potest ad statuendum catholicum dogma purgatorii, et suffragiorum pro animabus in eo detentis. *Auctor Constitutionum apostolicarum* (1) dicit: « Oremus pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt, ut Deus summae erga homines charitatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum, — et propitius ac benevolus ei factus, collocet eum in regione vivorum. » *S. Hermas* in Pastore lib. 1, Visione 3, comparat triumphantem Ecclesiam turri, et homines electos lapidibus, qui, si perfecte puri fuerint, statim aedificio applicantur; secus ut minus apti, et purgandi proiiciuntur: quaerit deinde: « An iis omnibus lapidibus, qui proiecti sunt, nec conveniebant in structuram turris, est poenitentia, et habebunt locum in turre hac? Habent, inquit, poenitentiam, sed in hac turre non possunt convenire. Alio autem loco ponentur multo inferiore, et hoc, cum cruciati fuerint, et impleverint dies peccatorum suorum: et propter hoc transferentur, quoniam perceperunt verbum iustum; et tunc illis continget transferri de poenis. « Idem (2) aperte docet, aliquos ex hac vita migrare peccatis inquinatos, sed non talibus, ut aeternam damnationem mereantur (3). *Clemens Alex.* (4) docet: « Nos dicimus, ignem sanctificare, non carnes, sed animas peccatrices; ignem dicentes non illum edacem, et omnia consumentem, et plane sordidum et illiberalem (qualis est terrenus), sed prudentem, utpote a Deo ordinatum et directum, qui pervadit animam per ignem transeuntem. » *Tertullianus* lib. de corona militis (5) inquit: « Oblationes pro defunctis annua die facimus: » et (6) subdit: « Harum et aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies (quae videlicet istas annuas oblationes praecipiat); traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » Et lib. de anima (7) scribit: « In summa, cum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligimus, et novissimum quadrantem modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretamur, nemo dubitabit, animam aliquid pensare penes inferos salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque. » *Origenes* (8) ait: « Possumus adhuc addere etiam illud, quod natura peccati similis est materiae, quae igni consumitur, quam aedificari Paulus Apostolus a peccatoribus dicit, qui supra fundamentum Christi aedificant *ligna*, *foenum*, *stipulam*. In quo manifeste ostenditur, esse quaedam peccata ita levia, ut stipulae comparentur, cui utique ignis illatus diu non potest immorari: alia vero foeno esse similia, quae ipsa non difficulter ignis absumat, verum aliquanto tardius, quam in stipulis immoretur: alia vero esse, quae lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinum, et grande pabulum ignis inveniat. Ita ergo unumquodque peccatum pro qualitate, vel quantitate sui poenarum iusta persolvet » (9). — *S. Cyprianus* Ep. ad Antonian. (10) hoc habet: « Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem, aliud

(1) L. 8, cap. 41
(2) L. 3, Simil. 6, c. 3.
(3) V. § 241, n. 1.
(4) L. 7. Strom. c. 6.
(5) Cap. 3.
(6) Cap. 4.
(7) Cap. 58.
(8) Hom. 14 in Levit.
(9) Cf. Hom. 16 in Ierem. n. 5 et 6; Hom. 25 in Luc.
(10) Epist. 52, n. 13.

pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse, aliud denique pendere in diem iudicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari. » Et Epist. 66 ad Clerum et plebem Furnitanam data prohibuit, ne pro Victoris « anima oblatio fiat, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, » eo quod contra canones Presbyterum ausus fuisset bonorum suorum tutorem constituere. Ideo subiungit: « Episcopi, antecessores nostri, religiose considerantes, et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. » Certum igitur est, in Ecclesia africana saeculo secundo et tertio consuetudinem inolevisse pro defunctis sacrificium offerendi, praesertim quod Patres isti de ea loquuntur tanquam de re a maioribus, ac traditione recepta. *Arnobius Afer* lib. 4, c. Gentes paulo ante finem inquit: « Cur inaniter nostra conventicula meruerunt dirui, in quibus summus Deus oratur, pax cunctis et venia postulatur magistratibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione? » — *Lactantius* (1) scribit: « Sed et iustos, cum iudicaverit Dominus, etiam igne examinabit: tum quorum peccata vel pondere, vel numero praevaluerint, igne perstringentur, atque amburentur. Quos autem plena iustitia, et maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient. » *Eusebius Caes.* in vita Constantini (2) narrat: « Populus valde multus una cum sacerdotibus non sine lacrymis, et sane magno cum gemitu preces pro anima Imperatoris (defuncti) Deo fundebat: in quo et illi gratum et optatum pio principi officium praestabant, et Deus ipse singularem benevolentiam erga famulum suum ostendit. » *S. Cyrillus Hieros.* Catech. 5 Mystag. n. 9 incruentum describens sacrificium ait: « Deinde pro omnibus generatim (oramus), qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta, et per quam tremenda coram iacet victima. » Et n. 10: « Nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis, tum pro nobis demereri, et propitiare satagentes. » *S. Epiphanius* (3) inquit: « Preces, quae funduntur pro mortuis, ipsis utiles sunt, quamvis non omnes culpas extinguant. Verum ex eo prosunt, quod plerumque, dum adhuc in terra degimus, sponte aut inviti titubamus, (id est, leviores maculas contrahimus). Nam et iustorum pariter, et peccatorum (defunctorum) mentionem facimus; peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam imploremus. » *S. Ephraem Syrus* in suo testamento dicit: « Pro odoribus et aromatibus mei memoriam in deprecationibus vestris peragite... Viaticum suppeditate mihi in orationibus, in psalmis et in oblationibus. Et quando diem trigesimum complevero, mei memoriam, fratres, facite; mortui enim oblatione iuvantur, quam viventes faciunt... Quodsi viri Mathathiae debita eorum, qui in bello ceciderant, in oblationibus mundarunt, quanto magis sacerdotes Filii Dei in sanctis oblationibus suis, et in deprecationibus linguarum suarum mor-

(1) Lib. 7 Instit. c. 21
(2) Lib. 4, cap 71
(3) Haer. 75, n. 7.

tuorum debita delere poterunt? » (1). Et in Canon. funebr. 16 ait: « Nominatim et distincte pro defuncto fratre nostro oremus, supplicemus iudici, qui diligentium se preces exaudit» (2). *S. Gregorius Nazianzenus*, Orat. 7, (3) inter alia monita dicit: « Simus... nostras et eorum, qui tanquam in communi via paratiores ad hospitium prius pervenerunt, animas ipsi (Deo) commendantes. » Et Orat. 39 (4) loquitur de iis, qui nimis arrogantes se omnino puros esse, iudicant, et ait: « In altero aevo igne fortasse baptizabuntur, qui postremus est baptismus, nec solum acerbior, sed et diuturnior, qui crassam materiam instar foeni depascitur, ac omnis vitii levitatem absumit.» *S. Gregorius Nyss.* Orat. de mortuis (5) dicit: « Hanc divina sapientia rationem excogitavit, ut in iis hominem esse sineret, quae sibi ipsi elegisset, — ut vitiorum perturbationumque, quae rationi inimicae essent, onere deposito, et vel in praesenti vita precibus, sapientiaeque studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus ad pristinam vellet redire felicitatem. — Corporis usus est nobis necessarius. Eo namque et liberum nobis adest arbitrium, et reditus non intercluditur, sed hoc ordine, et versu volentes ad bonum provehimur, aliis quidem iam inde ab eo tempore, quo vivunt, hic spiritualem, et a vitiis ac perturbationibus alienam vitam instituentibus, aliis autem post hanc vitam purgatorio igne materiae labes, et propensionem ad malum abstergentibus. » In eadem Oratione ait: « Non potest a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorii ignis abstulerit. » *S. Chrysostomus* in I Corinth. (6) inquit: Defuncto peccatori oportet « succurrere non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus. Non sunt enim haec temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, et pro ipsis accedimus rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit, sed ut inde eis aliqua sit consolatio. Neque abs re is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria clamat: Pro omnibus qui in Christo dormierunt, et iis, qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne haec quidem dicta essent. Non sunt enim res nostrae ludi scenici, absit; haec enim fiunt ordinatione Spiritus. — Si Iobi filios expiabat Patris sacrificium, quid dubitas, an nobis pro eis, qui excesserunt, offerentibus, ipsis detur aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari... Ne nos pigeat, opem ferre iis, qui excesserunt, et pro eis offerre preces; est enim propositum orbis terrae commune piaculum. » Et (7) in Acta Apost. ait: « Si voluerimus defuncto levius supplicium facere, preces pro illo faciamus continuas, demus eleemosynam; et si illo sit indignus, nobis Deus placatior erit. » *S. Isidorus Pelus.* (8) scribit: « Vide, inconstantiam (quae mox ad virtutes, mox ad vitia declinat) igne terminari, vel purgante atque expiante, vel ad extremum usque inflammante. » *S. Ambrosius* in Orat. funebri in obitu Valentiniani Imp. n. 56 ita sacerdotes et plebem alloquitur: « Date manus sacris mysteriis; pio requiem eius (Impera-

(1) T. 2 gr. pag. 399 et 401.
(2) T 3 syr. pag. 261. (3) N. 24.
(4) N 19.
(5) Edit. Paris. 1615-38, tom. 3, p. 634, etc.
(6) Hom. 41, n. 4 et 5.
(7) Hom. 21. (8) Lib. 1, Epist. 370.

toris) poscamus affectu. Date sacramenta coelestia, animam nepotis nostris oblationibus prosequamur. Extollite, populi, mecum manus in sancta, ut eo saltem munere vicem eius meritis rependamus.» In Orat. funeb. pro Theodosio Imp. ita Deum invocat: « Da requiem perpetuam servo tuo Theodosio, requiem illam, quam parasti Sanctis tuis... dilexi, et ideo prosequor eum in regione vivorum, nec deseram, donec precibus et fletu inducam vivum, quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis est vita.» Idem (1) in Psalm. CXVIII, inquit: « Alius est ignis, quo exuruntur peccata non voluntaria, sed fortuita, quem paravit servulis suis Dominus Iesus, ut eos ab ista commoratione, quae permixta est mortuis, emundet: alius ille ignis, quem deputavit diabolo, et angelis eius, de quo dicit: *Intrate in ignem aeternum*, quo ille dives ardebat, qui stillari sibi de Lazari digito poscebat humorem. » *S. Hieronymus* (2) Pammachium laudat, quod animam Paulinae defunctae eleemosynis iuvare satageret, scribit enim: « Caeteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, et dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam, ossaque veneranda eleemosynae balsamis rigat... sciens scriptum Eccl. III, 33: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* » *S. Paulinus Nol.* Epist. ad Delphinum (3) dolens non tam de obitu fratris, quam de eius negligentia spirituali, rogat S. Episcopum, « ut orationibus tuis condonetur tibi, ut et illius animam vel de minimo sanctitatis tuae digito distillans refrigerii gutta respergat. » Et (4) ad *S. Amandum* de eodem fratre defuncto scribit: « Impense rogamus..... ut hanc meritis fidei tuae mercedem accumules..... ut misericors et miserator Deus..... refrigeret animam fratris stillicidiis misericordiae suae per orationes vestras. Quia sicut ignis accensus ab eo ardebit usque ad inferos deorsum, ita proculdubio etiam ros indulgentiae eius inferna penetrabit. » Et Epist. 33 *Alethium* laudat, quod pro refrigerio defunctae uxoris suae *Ruffinae* eleemosynas largas distribuerit. *S. Eucherius* Hom. 3 de Epiph. cum antea de iis locutus esset, qui in ignem aeternum ituri sunt, postea subiungit: « Hi vero, qui temporalibus poenis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quod non exeunt inde, *donec reddant novissimum quadrantem*, per fluvium igneum, de quo propheticus sermo commemorat: *Et fluvius rapidus, qui currebat ante eum*, per vada ferventibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranseunti mora: quantum accreverit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit flammae rationabilis disciplina: et quantum stulta iniquitas gessit, tantum sapiens poena desaeviet. » *S. Augustinus* lib. 21 de Civ. Dei, cap. 13, scribit: « Temporarias poenas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc et tunc, verumtamen ante iudicium illud severissimum, novissimumque patiuntur. » Et lib. 9 Confess. c. 12 matris suae Monicae funus describens inter alia memorat preces ad Deum fusas, « cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri. » Postea ita pergit: « Inspira, Domine meus, Deus meus, inspira servis tuis fratribus meis, ut quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum Monicae famulae tuae cum Patricio quondam eius coniuge per quorum carnem in-

(1) Serm. 3, n. 17 (2) Epist. 66 al. 26. (3) Epist. 19. (4) Epist. 20.

troduxisti me in hanc vitam. » Idem Serm. de verbis Apost. (1) inquit : « Pompae funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturae, monumentorum opulenta constructio vivorum sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum. Orationibus vero sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adiuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in Corporis et Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiae celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, ut ita vixerint ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem. » *S. Gregorius M.* in Ps. III poenit. ait: « Scio, futurum esse, ut post huius vitae exitum, alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam aeternae subeant damnationis : sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione praesenti aestimo intolerabiliorem, non solum in furore aeternae damnationis opto me non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari : » *S. Isidorus Hisp.* (2) scribit : « Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerri, vel pro iis orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus, quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique catholica tenet Ecclesia, quae, nisi crederet, fidelibus defunctis remitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel sacrificium offerret. Nam cum Dominus dicat : *Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro*, demonstrat, quibusdam illic dimittenda peccata, et quodam purgativo igne purganda. »

2. *Concilia* eandem Ecclesiae fidem contestantur. *Carthaginense III* an. 397, can. 29 statuit: *Ut sacramenta altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebrentur... Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive Clericorum, sive caeterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, iam pransi inveniantur. Carthaginense IV* an. 398, can. 79 decernit: *Poenitentes, si attente leges poenitentiae exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et oblationibus et orationibus commendetur. Romanum IV* an. 502, can. 3 declarat, sacrilegium esse, *ut quae vel pro salute, vel pro requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiae pauperum causa contulerit, aut certe reliquerit, ab his, quos haec maxime servare convenerat, in alienitatem transferantur. Aurelianense II* an. 536, can. 14 statuit: *Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse. Bracarense I* an. 563, can. 39 dicit: *Qui sibi ipsis quolibet culpabili modo inferunt mortem, nulla pro illis fiat commemoratio, nec cum Psalmis sepeliantur. Toletanum XI* an 675, can. 12 ait: *De his autem, qui accepta poenitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita recesserint, pla-*

(1) Serm. 172 al. 32, n. 2.

(2) Lib. 1 de eccles. offic., c. 18.

cuit nobis, ut et memoria talium in Ecclesiis commendetur, et oblatio pro eorum delicto a presbyteris recipiatur. Cabilonense an. 813, can. 39 ordinat: *In omnibus missarum solemniis pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur* etc. *Wormatiense* an. 868 definit, etiam pro suspensis in patibulo post peractam confessionem esse orandum et sacrificandum. Graeci in professione fidei, quam obtulerunt *Gregorio X* in *Conc. Lugdunensi II*, quaeque approbata fuit a Concilii Patribus, dixere: *Si vero poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas in poenis purgatorii post mortem purgari: et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.* Eadem fidei professio iterum approbata, et dogma, de quo agimus, decisum fuit in *Concilio Florentino*, consentientibus Graecis, in decreto unionis confirmato ab *Eugenio IV* in Bulla: *Laetentur coeli. Conc. Tridentinum* pluribus locis veritatem hanc catholicam definivit et propugnavit. Sess. VI, can. 30 ait: *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum poenae deleri, dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit, anathema sit.* Sess. XXII, can. 3 de sacrificio missae definit: *Si quis dixerit, missae sacrificium... neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, poenis et satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Et Sess. XXV, in decreto de purgatorio docet: *Cum catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris Litteris, et antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, et novissime in hac oecumenica Synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio iuvari; praecipit sancta Synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus, et sacris Conciliis traditam a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique praedicari diligenter studeant.* Etiam Graeci schismatici *in synodo Hierosolymitana* an. 1672 in causa Protestantium habita, consensum suum cum Ecclesia romano-catholica manifestarunt. Cum enim can. 18 dixissent, animas ex hac vita migrantes aut salvari, aut damnari, postea subiungunt: *Quos vero lethalium peccatorum desperatio non intercepit, sed ante mortem poenituit, at nullum fecerunt fructum poenitentiae semetipsas afflictando* etc., *suamque tum in Deum, tum in proximum charitatem operibus demonstrando, quae et catholica Ecclesia recte ab initio satisfactiones appellavit; horum animas credimus ad inferos deduci, ibique iustas pro iis peccatis poenas sustinere, at suae tamen futurae liberationis esse conscias, et a summa bonitate per sacerdotum orationes suorumque parentum eleemosynas liberari. Ad hoc vero potissime valet incruentum missae sacrificium.*

3. *Alia monumenta ecclesiastica* perpetuam Ecclesiae de existentia purgatorii, et de utilitate suffragiorum fidem evidenter ostenduut. Hanc inprimis probant *Liturgiae antiquissimae*, in quibus tempore sacrificii non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis preces praescribuntur. Sic

in *liturgia hierosolymitana*, quae S. Iacobo tribuitur, quaeque in usu fuit in plerisque Orientalibus Ecclesiis, quaeque citatur a *Concilio Trullano*, et exponitur a *S. Cyrillo Hier.* dicitur: *Fac, Domine, ut oblatio nostra grata et accepta sit, per spiritum sanctificata in propitiationem peccatorum nostrorum, et eorum, quae populus per ignorantiam admisit, et in requiem animarum earum, quae ante nos obdormierunt.* In liturgia *Ecclesiae romanae*, a S. Petro, ut fertur, scripta, oratur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis... Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur.* Similes orationes pro defunctis habentur in *liturgia alexandrina*, quae S. Marco, in *aethiopica*, quae S. Matthaeo, et in *mediolanensi*, quae S. Barnabae adscribitur. Quamvis autem critici dubitent, an praefatae liturgiae ab ipsis Apostolis scriptae fuerint, a nemine tamen negari potest, eas antiquissimas esse, ita ut Apostolos auctores habere crederentur. Ipsi sane Ss. Patres consuetudinem tempore sacrificii pro defunctis orandi ab Apostolis repetunt. Ita *S. Chrysostomus* (1) inquit: « Non frustra haec ab Apostolis legibus sunt constituta, ut in venerandis, inquam, et honorificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverunt hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus stat manibus passis, ac coetus sacerdotalis, et illud horrorem incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? » Hinc non solum liturgiae iam adductae, sed etiam caeterae, quae sub nomine *S. Basilii*, *S. Chrysostomi*, *S. Gregorii* et *S. Cyrilli* vulgatae sunt, *syriaca*, *mozarabica*, *seu hispanica*, *gothica*, etc., orationem pro defunctis continent. Huc insuper accedunt liturgiae plurium sectarum, quae a primis ipsis Ecclesiae saeculis separatae sunt ab Ecclesia, in quarum numero sunt liturgiae *iacobitarum*, *coptorum*; *armenorum*, *aethiopum*, *chaldaeorum*, *syrorum*, *nestorianorum* et *malabaricorum*, qui peculiarem missam habent pro defunctis, quae prostat apud *Le-Brun* (2), qui praeterea animadvertit, liturgias omnes editas ante sexdecim saecula, nulla omnino excepta, memorias et preces habere pro animabus defunctorum, omnesque Orientales Ecclesias unanimiter credere, sic ordinatum fuisse ab Apostolis, iuxta id etiam, quod legitur in Constitutionibus apostolicis, editis sub finem saeculi secundi. Hinc praedictae sectae, quarum errores Ss. Patres et Concilia strenue impugnarunt, nunquam reprehensae sunt propter preces pro defunctis, quas ab Ecclesia catholica didicerunt, et secum asportarunt. Cum autem *Aërius* teste S. Epiphanio (3) negaret, animas defunctorum precibus viventium iuvari, haec eius sententia mox a Ss. Patribus impugnata et ab universa Ecclesia tanquam haeretica reiecta est: ex quo manifeste patet, quaenam fuerit quarto saeculo Ecclesiae fides. Denique fidem de Purgatorii existentia et de utilitate suffragiorum etiam contestantur vetustiora ipsa epitaphia, seu sepulcrales inscriptiones, in quibus pacem et requiem vivi defunctis adprecantur, vel a defunctis ipsis bona expostulan

(1) Hom. 3 in Ep. ad Philip. n. 4.

(2) In explicat. Missae, Diss. 10.

(3) Haer. 75.

tur; hasce illustravit *Gener* (1), et *Cl. Morcelli* (2).

Nota 1. Argumenta Traditionis adeo luculenta sunt, ut etiam quidam Protestantes negare non sint ausi, fidem de existentia purgatorii, et de utilitate suffragiorum, quibus vivi defunctis subveniunt, antiquissimam esse. *Zuinglius* de canone Missae loquens fatetur, Augustinum et Chrysostomum asserere, usum orandi pro mortuis ab ipsis Apostolis in Ecclesiam introductum esse. *Calvinus* (3) inquit: « Ante mille et tercentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. » *Buddaeus* (4) scribit: « Cum per Apostolorum discessum scripta quaedam apocrypha sub nomine Iacobi, Hermae, Andreae procuderentur, inter alia platonica dogmata Iudaeis etiam probata, purgationis huiusmodi semina in iis sparsa sunt: » quibus verbis arrogantem suam temeritatem prodit, qua arbitratur, se melius doctissimis et piissimis Patribus declaratae fidei, et consuetudinis genesin explorasse, et non mentem suam praeiudiciis obcaecatam, sed totam Ecclesiam iam ab Apostolorum temporibus in fide turpiter aberrasse. *Binghamus* quoque (5) dicit: « Fuisse autem universalem Ecclesiae praxin pro omnibus, nemine excepto, orare, ex concordi omnium scriptorum ecclesiasticorum testimonio liquet. » Agit autem de precibus defunctorum. Similia testimonia etiam alii eruditi Protestantes tulerunt, qui idcirco fateri coguntur, non Ecclesiam Romanam, sed seipsos ab antiqua primorum saeculorum fide descivisse.

Nota 2. Nonnulli ex Protestantibus argumenta ex traditione petita impugnare, aut saltem obscurare conati sunt, ac ideo sequentia obiecerunt.

Obi. I. *S. Cyprianus*, *S. Cyrillus Hier.*, *S. Ambrosius*, *S. Chrysostomus* et alii Patres dicunt, non dari in altera vita poenitentiae locum, et ideo nullam obtineri remissionem peccatorum. Aperte igitur purgatorium ab iis negatur.

Resp. Citati Patres fidem suam de existentia purgatorii, et de utilitate suffragiorum pro defunctis apertissime profitentur, ut patet ex eorum testimoniis iam citatis. Ne ergo supponatur, ipsos turpiter sibi contradixisse, dicendum est, quod, doctrinae catholicae fideliter insistentes, poenitentiam et remissionem peccatorum iis tantum denegent, qui in funesto peccati lethalis statu decedentes, non in purgatorium, sed in infernum detruduntur, ex quo nulla est redemptio. De his sermonem esse patet ex contextu et ex scopo Ss. Patrum, qui peccatores alloquuntur, ut eos ad poenitentiam et quidem tempestivam inducant.

Obi. II. *S. Augustinus* l. 2 de pecc. merit. et remiss. (6) scribit, peccata hic remissa non obesse post mortem. Et lib. de spir. et litt. (7) ait, peccata venialia hominem iustum non impedire a vita aeterna. Idem S. Doctor de purgatorio loquitur, ut de re dubia et incerta. Nam in Enchir. (8) exponens locum Apostoli: *Ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, ita scribit: « Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, et utrum ita sit, quaeri potest. » Imo lib. 1 de pecc. merit. et rem. (9) consonat cum Auctore libri Hypognostici (10), qui purgatorium penitus ne.

(1) Theol. dogm. schol. tom. 4, tract. 3, p. 2, lib. 3, § 2, class. 8.
(2) De stilo inscript. latin., lib. 2, cap. 3 de Epitaphiis.
(3) Lib. 3 Instit., cap. 5, § 10.
(4) Theol. dogm. lib. 2, c. 3, § 30.
(5) Lib. 15, cap. 3, § 16, tom. 6.
(6) Cap. 33. (7) Cap. 28. (8) Cap. 68.
(9) Cap. 28. (10) Lib. 5, cap. 5.

gat; scribit enim: « Primum locum fides Catholicorum divina auctoritate credit, esse regnum coelorum, secundum gehennam, ubi omnis apostata, vel a fide Christi alienus aeterna supplicia experietur, tertium penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis sanctis, invenimus. »

Resp. In primo loco S. Doctor loquitur de peccatis perfecte remissis quoad culpam et poenam, quae non obsunt post mortem: vel his verbis, sicut in secundo textu docet, quod peccata remissa quoad culpam, aut etiam venialia animae adhuc inhaerentia non impediant, quominus iustus suo tempore, nempe post plenam satisfactionem Deo persolutam, aeternam gloriam consequatur. Quod tertiam difficultatem attinet, S. *Augustinus* de purgatorio quoad substantiam spectato, et de suffragiorum pro defunctis utilitate tanquam de re certa, explorata, ac prorsus indubitata semper locutus fuit, ut patet ex testimoniis S. Doctoris iam allatis: dubitavit autem tantummodo de poenarum genere, quo in altera vita animae purgentur, an scilicet per ignem vere materialem, an per aliud tormenti genus, quod metaphorice *ignis* appelletur: qua de re nunc quoque nil de fide definitum est. Quod spectat ad ultimam difficultatem, etiam Ecclesia catholica post iudicium duos tantum admittit hominum status, aeternam beatitudinem et damnationem. De his duobus statibus loquuntur tam S. *Augustinus*, quam auctor libri Hypognostici, et nequaquam purgatorium negant, quod usque ad extremum iudicium futurum est, sed illum tertium statum excludunt, quem adstruebant Pelagiani, et in quo infantes sine baptismo mortuos degere, et naturali quadam felicitate in perpetuum frui, commenti; unde istis non quidem regnum coelorum, sed tamen vitam aeternam adiudicarunt. Hunc tertium locum excludentes, et vitam aeternam in sensu Pelagianorum negantes, nonnisi doctrinam Ecclesiae catholicae proposuerunt et defenderunt, quae post iudicium extremum duplicem tantum hominum statum agnoscit, non autem ideo purgatorium inficiatur, ante illud iudicium vere existens.

Obi. III. Ex liturgiis nullum solidum argumentum inferri potest. Nam Ecclesia orat etiam pro Beatis, qui suffragiis non indigent; sic, ex. gr., in missa S. *Leonis M.* olim legebatur: *Annue nobis, Domine, ut animae famuli tui Leonis haec prosit oblatio,* etc.; et in secreta dicitur: *Ut per piae placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiae tuae dona conciliet.* — Imo in liturgiis Ecclesiae etiam inveniuntur preces pro damnatis, quibus tamen certum est, easdem nihil prodesse. Sic Ecclesia in missa orat ad Deum: *Ut liberet animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu; ut liberet eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum,* etc. Praeterea Ecclesia orat, ut *liberentur de morte aeterna in die illa tremenda, quando coeli movendi sunt, et terra, dum* (Christus) *venerit iudicare saeculum per ignem.* Certum vero est, quod in die iudicii, cessante purgatorio, reprobi iuvari nequeant per preces.

Resp. Quoad orationes, quae pro Beatis fundi videntur, observat *Cardin. Bona* (1), id ortum fuisse ex antiqua Ecclesiae disciplina, quando solis Martyribus publicus et solemnis cultus concedi solebat: « Reliqui autem, presertim Episcopi, qui in pace Ecclesiae etiam cum opinione san-

(1) Lib. 2 rerum liturg., c. 14, n. 4.

ctitatis decedebant, sacris defunctorum tabulis inscribi, eorumque nomina promiscue legi consueverant, ita ut nullum discrimen esset inter illos, qui postea sancti nuncupati sunt, quales fuerunt *Hilarius, Athanasius,* etc.... Cum igitur eo tempore utrorumque par causa esset, nec ulla Ecclesiae declaratione constaret, quemquam ex illis Dei visione frui, et consequenter viventium non indigere suffragiis, pro omnibus indiscriminatim preces, et sacrificia offerebantur. » Fortasse illa pro S. Leone oratio eo tempore facta fuit, quo recens eiusdem depositio recolebatur, ac postea in eiusdem Missa retenta, quando Sanctis etiam Confessoribus Liturgiae tributae fuerunt: quamquam *Innocentius III* in cap. *Cum Marthae* (1) illam orationem sic explicet, *ut oblatio illi prosit* ad honorem, ut nempe magis a fidelibus glorificetur. Haec oratio tamen fuit correcta: non autem secreta, quae intuitu Sancti magis congratulationem praesefert, quam supplicationem. — Ecclesiam autem pro damnatis orare, prorsus negamus. Nam in citata oratione nomine *inferni, profundi lacus,* etc., non designatur infernus, ex quo nulla est redemptio, sed purgatorium, cuius locus subterraneus esse creditur, et cuius poenae acerrimae sunt, quamvis cum poenis peccatorum non comparandae. Falsum porro est, quod Ecclesia oret pro reprobis, quorum sors iam in morte decisa fuit, ut in iudicio extremo ab inferno liberentur. Ecclesia enim, sicut dum pro vivis orat, defunctorum non obliviscitur, ita etiam in commemoratione omnium fidelium defunctorum orationem pro vivis non omittit, sed orat pro suis fidelibus, ut non inveniantur simul cum reprobis in tremenda die iudicii: ideo Celebrans non dicit: libera animas defunctorum, sed *libera me de morte aeterna,* etc.

(1) De celebr. Miss.

C. *Argumenta philosophico-theologica.*

§ 768. 1. Existentia purgatorii necessario infertur ex duobus dogmatibus catholicis iam probatis. Ex dictis enim § 239 etc. manifestum est, existere peccata venialia, quae poenam quidem temporalem merentur, sed reatum aeternae damnationis non contrahunt. Demonstratum pariter est § 654, in iustificatione peccatoris tolli quidem reatum culpae, et poenae aeternae, sed non semper remitti poenam temporalem, quae ad satisfactionem Deo praestandam sustinenda est. Iam facile contingere potest, ut anima levibus peccatis inquinata ex hac vita discedat, quin pro iis poenam debitam sustinuerit, aut quin, venia peccatorum gravium accepta, poenitentia sufficienti pro illis iustitiae divinae satisfecerit. Talis autem anima in infernum detrudi nequit, quia neque peccatum veniale, neque peccatum mortale, quoad reatum culpae remissum aeternam damnationem meretur. Sed tamen talis anima in coelum recipi nequit, quia a reatu poenae temporalis libera non est, et de sede Beatorum dicitur: *Non intrabit in eam aliquid inquinatum* (2). Necessario ergo admittendus est tertius locus, in quo animae iustae, sed non perfecte purae supplicia quaedam sustineant, donec omnino purgatae sint. — Rationem hanc theologicam *S. Thomas* (3) proponit his verbis: « Sap. VII, 25 dicitur, quod *nihil inquinatum in eam incurrit;* et Isa. XXXV, 8, *non transibit per eam pollutus:* polluitur autem anima per peccatum in quantum rebus inferioribus

(2) Apoc. 21, 27. (3) Lib. 4 c. Gent., c. 91.

inordinate coniungitur, a qua quidem pollutione purificatur in hac vita, per poenitentiam et alia Sacramenta. — Quandoque vero contingit, quod purificatio talis non totaliter perficitur in hac vita, sed remanet adhuc debitor poenae, vel propter negligentiam aliquam aut occupationem, aut etiam quia debitor poenae morte praevenitur: nec tamen propter hoc meretur totaliter excludi a praemio, quia haec (negligentia, occupatio, mors) absque peccato mortali contingere possunt, per quod solum tollitur charitas, cui praemium vitae aeternae debetur. — Oportet igitur quod post hanc vitam purgentur, antequam finale praemium consequantur. Purgatio autem haec fit per poenas, sicut etiam in hac vita per poenas satisfactorias purgatio completa fuisset, alioquin melioris conditionis essent negligentes, quam solliciti, si poenam, quam hic pro peccatis non implent, non sustineant in futuro. Retardantur igitur animae bonorum, qui habent aliquid purgabile in hoc mundo, a praemii consecutione, quousque poenas purgatorias sustineant. Et haec est ratio, quare purgatorium ponimus. »

2. Ratio per fidem illustrata cognoscit, per doctrinam catholicam de purgatorio perfectiones divinas manifestari, et ideo gloriam Dei promoveri. Ex hac enim doctrina elucet summa Dei *sanctitas*, quae omne malum morale etiam minimum maxime adversatur, et nonnisi perfecte mundos ad visionem suam beatificam admittit: elucet etiam infinita Dei *iustitia*, quae ne levissimum quidem defectum impunitum relinquit, sed gradui malitiae gradum poenae accuratissime attemperat: atque ideo nec totaliter, nec pro semper eum reiicit et punit, qui non totaliter ab eo recessit, ita ut finem suum ultimum in creatura constituat, quod contingit tantum in peccato mortali, quoad reatum culpae per poenitentiam non deleto: elucet pariter maxima Dei *sapientia*, quae medium invenit, etiam post mortem animas iustas, sed non perfecte mundas purgandi, et condignam ab eis satisfactionem obtinendi; imo quae talem ignem paravit, qui pro qualitate inhaerentium animae macularum aut levius, aut gravius cruciet: elucet demum immensa Dei *bonitas*, quae constituit, ut suffragia vivorum prosint defunctis, per quod animabus in purgatorio cruciatis magnum levamen praebetur, quin iustitiae divinae debita satisfactio subtrahatur, et fidelibus viventibus praestans charitatis opera exercendi medium suppeditatur. Doctrina igitur catholica de purgatorio convenientissima est Deo, qui *universa propter semetipsum*, id est, ad gloriam suam *operatus est;* atque ideo recta ratio negare nequit, eam veritati conformem, et etiam a philosophis admittendam esse.

3. Cum perfecta moralitas primarius sit hominis finis (1), dubitari profecto non potest integram doctrinam revelatam ita comparatam esse, ut per eam moralitas promoveatur. Perfecta autem moralitas exigit, ut non solum peccata mortalia, sed etiam venialia cautissime fugiantur; atque ideo opus est, ut homines per valida timoris, spei et amoris motiva a levibus quoque defectibus retrahantur. Ast leves defectus, si ne temporaliter quidem punirentur, ab hominibus cum maximo moralitatis dispendio, et aeternae salutis periculo temere committerentur, et in infinitum multiplicarentur: et si pro peccatis venialibus, et pro mortalibus quoad culpam remissis in hac tantum vita

(1) § 202.

satisfactio praestanda esset, nulla autem in altera, ita ut debita non soluta coelestis gloriae consecutionem nullatenus retardarent, tunc homines nec a peccatis venialibus sufficienter retraherentur, nec ad opera satisfactoria valide excitarentur; et, ut ait *S. Thomas* l. c. « melioris essent conditionis negligentes, quam solliciti. » E contra vero si pro quolibet peccato veniali, aut pro satisfactione non plene in hac vita praestita aeterna poena constituta esset, homines de aeterna sua salute desperare deberent: cum quilibet cognoscat, se ab omni peccato veniali diu immunem permanere non posse, cum plena satisfactio per mortem praecocem, et alias causas facile impediatur, et de ea praestita sine revelatione divina nemo certus esse possit. Sicuti autem temeritas et negligentia, ita etiam desperatio moralitatem penitus labefactat. Ipsa igitur ratio practica postulat, ut existat purgatorium, in quo etiam post mortem peccata venialia nondum extincta puniantur, et satisfactio pro peccatis quoad culpam remissis praestari possit et debeat.

4. Consensus gentium argumenta philosophico-theologica confirmat, dicente *Tullio:* « Opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat » (1). Nam purgatorium, seu locum expiationis in altera vita iam Gentiles crediderunt, philosophi, et poëtae, graeci, et romani. Etenim *Clemens Alex.* (2) refert, *Stoicos* credidisse statum expiationis post mortem, quem vocabant empyrosin. Doctrina *Pythagoraeorum* circa metempsycosin eidem fundamento innititur; putant enim animam in alio corpore, ad quod transmigrat, praecedentia delicta expiare debere. *Plato* in libro de anima (apud Euseb. (3)) inquit: « Qui videntur propter peccatorum magnitudinem, ut sunt sacrilegia, homicidia illegitima, et similia, insanabiles esse, illi coniiciuntur in tartarum, unde nunquam possunt evadere. Qui vero iudicantur, magna quidem peccata, sed quae medicabilia, seu sanabilia sunt, perpetrasse; — illi pro ratione delicti in diversa ignis flamma comburendi coniiciuntur; tandem post annum et amplius appropinquant paludi Acherontis; ibi vero eos, quos laeserunt, inclamant, et suppliciter petunt, ut permittantur egredi, et recipiantur. Et si adversariis suis hoc persuaserint, egrediuntur, et desinunt in poenis versari. » Graeci passim mortuos *patientes*, *laborantes*, etc. vocant, et cum *Homero* (4), *lugentes campos* in altera vita admittunt, quos memorat etiam *Virgilius* Aeneid. lib. 6 (5), qui ibid. (6) pluribus describit eos, « qui exercentur poenis, veterumque malorum supplicia expendunt. » *Claudianus* similiter in Ruffin. (7) canit: « Quos ubi per varios annos, per mille figuras egit Lethaeo purgatos flumine, etc. » — *Zoroaster*, cuius doctrinam *Persae* secuti sunt (8) loquitur de transmigratione animarum per duodecim zodiaci signa, priusquam emaculatae perveniant ad coelestem beatitudinem. De *Indis* Auctor Epist. Indic. (9) hoc testimonium reddit: « Bonzii, qui sunt sacerdotes apud Indos, dicunt, eos, qui forte ad inferos relegati sunt, a mediis flammis vindicandos, si Bonzii deprecatores accesserint. » In eandem doctrinam conveniunt *Islamitae*, qui orationem pro defunctis vocant *El-Kalme*, ut

(1) Lib. 2 de Nat. Deor. (2) Lib. 5 Strom.
(3) Lib. 2 Praep. evang. cap. ult.
(4) Iliad. l. 3. (5) V. 441. (6) V. 740.
(7) Lib. 2, v. 491.
(8) Ap. Euseb. l. c., cap. 37, etc.
(9) Epist. 1.

testatur *Maraccius* in Alcorano arabice ac latine edito: imo *Belonius* (1) docet: « Mahumetani defunctorum corpora catervatim adeunt certis quibusdam diebus, ac pro ipsorum salute orant. » *Iudaeorum* antiquorum fidem cognoscimus ex II Mach. XII, eamque testatur *Ios. Flavius* de Antiq. (2). Sed etiam post Christum eandem fidem retinuerunt Iudaei, ut patet ex Talmude Hieros., in quo distinguunt tres hominum conditiones post mortem: perfecte iustos, qui in coelo collocantur; impios, qui in gehennam proiiciuntur, et medios de quibus dicunt: « In igne natant, latrant, et ascendunt, ut scriptum est: *Et inducam tertiam partem per ignem, et conflabo, sicut conflatur argentum, et probabo eos, sicut probatur aurum* (3); — et de illis Anna dixit: *Dominus vivificat, et mortificat, descendere facit ad inferos, et ascendere facit* (4). » Iudaei etiam orationem fundunt pro defunctis, quam nominant *Kadisch;* de quo ritu apud ipsos recepto fidem facit liber, qui inscribitur *Mazor*, pluresque Rabbini testantur apud *Serrasium* in Harmonia Machabaeorum lib. 2, cap. 12.

Nota. 1. Quamvis Protestantes generaliter loquendo purgatorium negent, fuerunt tamen ex his ipsis, qui illud admiserunt, et pro defunctis orandum esse censuerunt. Ita *Bossuetus* in Hist. variat. (5) testatur, *Grotium* concedere tanquam veritatem revelatam, animas iustorum egredi ex hoc mundo posse nec prorsus insontes, nec plane detersas: ex quo principio purgatorium admittere coactus est. *Leibnitius* in Miscellaneis (6) purgatorium profitetur, et inter alia dicit: « Tempus purgationis tam diuturnum est, quamdiu opus est, animam in intelligenda satis pristini peccati sui malitia versari: dolor ergo ille consistit in visione peccati, mali, et diaboli etc. » *Franc. Buddaeus* lib. 2, Inst. theol. etc. (7), quamvis doctrinae catholicae adversetur, addit tamen: « Non defuerunt ex nostratibus, qui existimarunt, non esse nefas pro defunctis orare. *Urbanus Regius*, cuius insignia in Ecclesiam nostram merita nemo ignorat, non tantum ipsemet ita censuit, sed et Lutherum in eadem fuisse sententia, quod alias notum est, observat his verbis: Quare - Lutherus non putat, a christiana pietate alienum esse, si pro nostris defunctis semel, atque iterum ex libera devotione oraverimus. » Pro eadem sententia a *Ioan. Fabricio* citantur Auctor Apologiae confessionis Augustanae, Chemnitius, Gerardus, Calixtus, Hildebrandus et alii. Etiam inter recentiores Protestantes nonnulli statum expiationis in altera vita, et preces pro defunctis admittunt. Observat autem *Cl. Perrone* (8): « Si Protestanti cuilibet *purgatorium* commemores, excandescit; si vero ab eodem quaeras, utrum admitti possit, nec ne status *expiationis*, *eprurationis*, aut *schola praeparationis, expiationis* etc., id tibi facile tribuit: imo interdum eiusmodi statum admittendum esse, vehementer contendit. Tanta est vis verborum! » — His addi potest, Protestantes tanta vi se ad purgatorium admittendum adactos sensisse, ut multi ex ipsis poenarum inferni aeternitatem negantes, atque damnatis quoque locum poenitentiae, et spem veniae concedentes, infernum in purgatorium transmutarint.

Nota. 2. His non obstantibus multi

(1) Lib. 3 Observ. cap. 30.
(2) Lib. 18, cap. 13. (3) Zachar. 13, 9.
(4) I Reg. 2, 6. (5) Lib. 15, n 149.
(6) N. 77, etc. (7) Cap. 3, § 20.
(8) De Deo Creat. p. 3, cap. 6, nota 4 ad n. 695.

ex Protestantibus, praecipue vero Sociniani doctrinam catholicam ut absonam et spuriam reiiciunt, et varias ei difficultates obmovent, quae solvendae supersunt.

Obi. I. Doctrina de purgatorio, ac de suffragiorum utilitate orta est vel ex paganismo, qui inter suas superstitiones orcum, et alia subterranea loca ad animas affligendas statuebat: vel ex naturali quadam, et nobis insita pietate et amore in defunctos; unde illuc impellimur, ut eos bene valere cupiamus, aut in preces erumpamus ex suavi quadam illusione, vana tamen, atque fallaci: eliminanda ergo est doctrina ex tam spuriis fontibus orta.

Resp. Origo doctrinae a multis creditae est factum historicum, quod non ex vanis ratiociniis, sed ex solidis argumentis probandum est. Adversarii autem pro sua opinione nullum solidum monumentum afferunt. Quamvis enim constet, etiam paganos locum expiationis in altera vita admisisse, nullo tamen argumento probari potest, praefatam doctrinam ex paganismo in christianam Religionem irrepsisse. Iudaei enim in genere loquendo a superstitionibus Gentium abhorruerunt, et si aliquando ad illas deflexerunt, mox a Prophetis graviter reprehensi sunt; quod tamen circa doctrinam de purgatorio nunquam factum fuisse, Scriptura testatur. Multo minus a paganismo praefatam doctrinam accepit Ecclesia christiana, quae verbo scripto, et tradito tam fideliter semper inhaesit, ut nulla nova, aut aliena doctrina sine maximo tumultu in ea proponi et propagari potuisset. Origo ergo doctrinae de purgatorio ex Revelatione petenda est, quod iam ex solidis argumentis probatum fuit. Revelatio enim iam in primordi mundi facta et per traditionem propagata est: unde Ecclesia, seu vera Dei religio, si illius amplitudinem spectemus, ethnicismo anterior est. Ethnici nempe, quod a progenitorum religione acceperant, erroribus suis, ac vanis commentis eo turpius depravarunt, quo magis ab ea digressi sunt, non tamen ita, ut vestigia ac lineamenta antiquae veritatis hic atque illic non retinuerint. Ipse igitur universalis gentium consensus ostendit, doctrinam de purgatorio divinitus revelatam esse. Quodsi adversarii praedictum consensum gentium pertinaciter a revelatione repetere recusent, saltem admittere debent, rationem sibi relictam tam clare, et invincibiliter existentiam purgatorii postulare, ut omnes gentes locum quemdam expiationis in altera vita statuerint. — Argumenta autem, quae probant, doctrinam de purgatorio revelatam esse, alteram quoque opinionem disiiciunt, quae ex naturali in mortuos affectu, et ex dulci et inani mentis illusione preces ac suffragia pro defunctis repetit. Nam si haec forte in privatis individuis, privatorumque precibus aut praxi concedi posset, de publicis tamen, et ab universa Ecclesia praescriptis admitti nequit. Caeterum etiam in privatis hominibus oratio pro defunctis tenere dilectis fidem de statu expiationis supponit, unde quaestio renovatur, undenam haec fides repetenda sit? Denique experientia testatur, etiamnum eos, qui a spiritu religionis christianae alieni naturales tantum affectiones suas sequuntur, in dilectorum morte amaras quidem lacrymas fundere, de pompa funeris, ac de splendidis monumentis sollicitos esse, preces autem, et suffragia negligere, quamvis purgatorium existere non inficientur.

Obi. II. Satisfactio Christi infinita

est, quae exhaurit omnia peccata quoad culpam et poenam. Derogatur ergo meritis Christi dicendo, quod in purgatorio satisfactio praestanda sit.

Resp. Haec obiectio iam per ea solvitur, quae § 388, in resp. ad Obi. II et § 653 et seq. dicta sunt. Etiam nos Catholici satisfactionem Christi infinitam esse profitemur; sed ex revelatione divina edocemur, quod satisfactionis Christi nos per sacramenta, observantiam legis, opera pietatis atque religionis etc. participes reddere debeamus: quod si fecerimus, et debita omnia quoad culpam, et quoad poenam deleverimus, profecto Deus solutionem debiti nostri altera vice in purgatorio non extorquebit. Ut autem illud in terrestri vita faciamus, teporem moralitati maxime contrarium vincamus, bona opera sedulo exerceamus, et sic ad perfectam pietatem, ad quam in religione christiana omnia collimant, promoveamus, sapientissime Deus constituit, ut opera satisfactoria in statu viae negligens durius in altera vita plectatur. Nihil ergo in doctrina catholica meritis Christi derogatur, sed eius sapientia, sanctitas et iustitia glorificatur.

Obi. III. Dura est Catholicorum doctrina, et horrorem incutit moribundo, qui communiter cogitare debet, quod post toleratos morbi dolores in ignem purgatorii proiiciatur. E contra doctrina Protestantium plena est consolationis pro moribundo, qui certo cognoscit, se per fidem in merita Christi iustificari, et ab omni culpa et poena liberari. Et sane haec doctrina conformis est religioni christianae, quae non spiritum timoris, sed spiritum amoris praesefert.

Resp. Si vera esset doctrina Protestantium, magnum afferret moribundis solatium. Sed cum omnino falsum sit, solam fidem iustificare (1), et hominem de obtenta iustificatione, certitudinem fidei habere (2): inanis prorsus, et fallax est consolatio, quam Protestantes suis moribundis promittunt. E contra Catholici quidem rigorem divinorum iudiciorum agnoscunt, cum metu et tremore salutem suam operari iubentur, et diras purgatorii poenas reformidant; sed etiam media efficacissima in promptu habent, poenas purgatorii mitigandi, aut omnino declinandi: talia media sunt sacramenta, sacrificia, indulgentiae, orationes, eleemosynae, adversitates patienter toleratae, actus virtutum theologicarum etc. Qui talibus mediis solerter utitur facile ab anxio poenarum purgatorii timore liberatur, praecipue cum etiam iam defunctus a suffragiis fidelium vivorum levamen sperare possit. Imo doctrina de purgatorio plurimis hominibus maximum solamen affert. Nam, inquit *Cl. Perrone* (3): « Eiusmodi fides incredibili solatio est homini in extrema vitae periodo constituto, qui, etsi gravibus se antea sceleribus commaculaverit, veniae tamen obtinendae dulci spe alitur, neque in desperationem agitur, dum sibi in hac vita poenitentiae satisfactoriae nullum amplius locum esse persentit. Vel enim hoc ipsi solamen dandum est, quod scilicet expiatoriis poenis in altera vita possit noxas suas eluere, vel omnis salutis ac conversionis spes ipsi est adimenda. Conscientia siquidem hominis, praesertim in aditu mortis, ita torquet, et angit, ut nemo unquam possit sibi ita vim inferre, ut sibimet persuadeat, se post tot admissa scelera in coelum post paululum admissum iri, perinde ac si innocentem omnino, sanctissimamque duxisset vitam. »

(1) § 466. (2) § 469. (3) De Deo creat. p. 3, c. 6, a. 2 de purgatorio, n. 696.

— Denique spiritus amoris, quo Christiani reguntur, fatentibus Protestantibus, non excludit timorem inferni, et multo minus timorem purgatorii excludere potest. Quinimo doctrina catholica spiritum amoris, seu dilectionem etiam ad defunctos extendit, et ideo tam cum spiritu religionis christianae, quam cum naturae nostrae affectionibus congruit. Interim ait *Cl. Perrone* (1): « Protestantismi doctrina dura est, et abiecta. Dum enim christianismi integritatem corrumpit, pias omnes affectiones extinguit, vincula omnia, quae inter mundum hunc visibilem, ac invisibilem intercedunt, atrociter praecidit: illum dissolvit nexum, quo utraque Ecclesia sive in terra militans, sive in purgatorio patiens inter sese coniunguntur, ac omnem demum viam intercludit, qua superstites erga propinquos et amicos pios sese, ac liberales praebeant. »

Obi. IV. Deus nobis praecepit, ut inimicis nostris iniurias perfecte condonemus, et ab omni vindicta abstineamus. Ficta igitur et fraudulenta iudicaretur hominis cum inimico reconciliatio, si ille post condonationem iniuriae et amicitiae sponsionem aliquod malum aut damnum huic afferret. Ergo a pari si Deus a iustis poenas exigeret in purgatorio ob peccata, quae ipsis dimisit, ipsos vere ac sincere suam in amicitiam recepisse non diceretur. Talis autem modus agendi Deo, perfectissimo omnium virtutum exemplari, indignus est, et sapientiae ipsius contrarius, quia poenae pro emendatione in futurum infliguntur, quae in altera vita contingere nequit.

Resp. Paritas in obiectione insfituta ex omni parte claudicat. Longe enim alia ratio est reconciliationis hominis cum inimico, et Dei cum poenitente. Privati enim homines iniurias ulcisci prohibentur, quia Deo soli competit vindicta, et iis, qui vices Dei in terra agunt. Ideo Iudex, qui malefactorem quoque amare tenetur, iustas tamen poenas eidem infligere potest et debet. Imo etiam privati homines, quamvis iniurias condonare obligentur, ea tamen, quae sibi ex iustitia debentur, omni iure exposcere possunt, quin ideo reconciliatio ficta et fraudulenta dicenda sit. Quanto magis Deus post peccatorum remissionem satisfactionem sibi debitam postulare potest? Suum quippe ius exercet misericordia, cum peccatum condonat, suum iustitia, cum poenas satisfactorias exigit. Neque id sapientiae divinae adversatur; nam Deus iam in hac vita poenas infligit non solum ad cautelam et emendationem in futurum, sed etiam in vindictam peccati praeteriti, ut § 654, etc., probatum est. Praeterea poenae in purgatorio statutae sat efficaces sunt, ut homines in statu viae tum a peccatis retrahant, tum ad opera bona et satisfactoria impellant, etsic perfectam hominum viatorum moralitatem promoveant, quod divinae sapientiae maxime congruit.

Obi. V. Peccata venialia non possunt post hanc vitam remitti, quia non remittuntur absque poenitentia, quae liberum contritionis, vel saltem attritionis actum exigit: talis autem actus anima cessante tempore merendi non est capax; quamobrem in altera vita poenitentiae non datur locus. Nullum ergo admitti potest purgatorium, delendis culpis venialibus destinatum.

Resp. Cum de fide sit, animam venialibus tantum peccatis inquinatam non damnari, sed regnum coelorum, priusquam plene purgata sit, introire non posse, post diem vero iudicii ex

(1) De Deo Creat. p. 3, cap. 6, art. 2 de purgat., n. 724.

tremi duplicem tantum hominum statum permanere: necessario admittendum est, purgationem a peccatis venialibus in altera vita dari. *Scotus* quidem docuit, omnia peccata venialia iustis quoad culpam ante mortem remitti, quia post mortem deficiente libertate reatus culpae per poenitentiam deleri non posset. Alii autem theologi docent, post mortem non dari quidem satisfactionem stricte et proprie talem, ad quam requiritur libertas a necessitate, dari tamen veram satispassionem, quae poenitentia seu satisfactio minus propria dici potest, sicut qui sententia iudicis, licet invitus, pro patrato crimine poenas luit, satisfacere dicitur. Neque difficultas est, quoad deletionem reatus culpae. Cum enim iusti in statu habituali charitatis decedant, culpae veniales in purgatorio remitti possunt per actum dilectionis et patientiae; atque illa acceptatio poenae a Deo inflictae, cum a charitate procedat, dici potest virtualis quaedam poenitentia, quae, etsi non sit proprie meritoria gratiae, est tamen remissoria peccati. Cum hac doctrina consonat *S. Thomas*, qui (1) dicit: « Quod culpa venialis in eo, qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium, quia poena illa aliqualiter voluntaria virtute gratiae habet vim expiandi culpam omnem, quae simul cum gratia stare potest. » Et iterum (2) inquit: « Post hanc vitam non potest esse meritum respectu praemii essentialis, sed respectu alicuius accidentalis potest esse, quamdiu manet homo in statu viae aliquo modo: et ideo in purgatorio potest esse actus meritorius quantum ad remissionem culpae venialis. » Haec sententia S. Thomae docentis, venialia etiam quoad reatum culpae in altera vita remitti, quamvis non sit de fide, et ab Ecclesia definita, eo quod certum omnino non sit, Christum per illa verba: *Non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro*(3), locutum fuisse non modo de reatu poenae, sed etiam de reatu culpae, est tamen inter theologos multo communior, et S. Scripturae ac Patribus longe conformior, quam opposita *Scoti* opinio. Probe autem attendendum est, totam difficultatem versari circa modum, quo peccata venialia in iustis decedentibus remittuntur; atque ante oculos habendum est, ignorantiam modi non tollere certitudinem facti.

(1) In 4 Sent., Dist. 21, q. 1 art. 3.

(2) Ad 4.

(3) Matth. 12.

II. *Quaestiones reliquae theologicae ad purgatorium spectantes.*

§ 769. Praeter dogmata catholica hactenus probata aliae quaestiones ad purgatorium spectantes moventur, quas Ecclesia infallibili suo iudicio non definivit. Non licet autem tales quaestiones silentio praeterire, quia circa materiam versantur, quae tum motiva, tum officia moralitatis proponit, et de qua publice coram populo frequenter disserendum est. Sollicite profecto theologus cavere debet, ne sine solida ratione poenas purgatorii exaggeret, aut temere easdem extenuet, et ne in assignando animas patientes iuvandi modo ad superstitionem deflectat. Cum autem agatur de doctrina ab Ecclesia non definita, hac ipsa de causa argumenta ponderanda sunt, quae pro eadem afferuntur. Indagare igitur oportet, quid *de gravitate poenarum purgatorii, de earundem diuturnitate, de loco purgatorii*, et *de suffragiis pro defunctis* censendum sit.

A. *De gravitate poenarum purgatorii.*

§ 770. Quod animae in purgatorio torqueantur, nemo inter catholicos dubitat. Non est enim purgatorium refrigerii locus, sed poenae, supplicii et doloris. Variae autem a variis poenae animarum in purgatorio existentium gravissimae commemorantur, quarum aliquae negandae, aliae autem admittendae, describendae et probandae sunt.

1. Incertitudinem salutis in anima suo corpore soluta inter maxima supplicia computari, nemo dubitat. Poena hac mulctari animas in purgatorio detentas, nedum *Lutherus* asseruit, verum etiam nonnulli Catholici opinati sunt. Lutherus nempe, quando initio sui schismatis purgatorium admittebat, docuit, animas, aliquas saltem, in purgatorio existentes de sua salute certas non esse, hac incertitudine in desperationem agi, et hac desperatione gravissime delinquere. Catholici vero nonnulli asserunt, defunctos in purgatorio de statu suo esse incertos, non tamen inde in desperationem et in peccatum incidere: pro qua sententia *Card. Bellarminus* (1) citat *Dionysium Carthus.*, *Michaëlem Baium*, *Gersonem* et *Ioan. Roffensem.* Communis autem theologorum sententia est, animas in purgatorio detentas de sua aeterna salute certas esse: haec sententia probatur auctoritate *Leonis X*, qui in Bulla 1520 edita, damnavit n. 38 Lutheri articulum, seu errorem ita sonantem: « Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes: nec probatum est ullis aut rationibus, aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi: » et n. 39 damnavit alium articulum, seu errorem dicentem: « Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem, et horrent poenas. » Ita damnata est impia Lutheri doctrina, et stabilita est sententia catholica asserens, animas in purgatorio de sua aeterna salute certas esse, et ideo in desperationem agi nullatenus posse. *Bellarminus* loc. cit. hanc sententiam sequenti argumentatione probat: « Si animae non haberent certitudinem salutis, id necessario fieret propter unam ex quatuor causis, vel quia adhuc possunt mereri, aut demereri, vel quia nondum sunt iudicatae, vel quia ignorant sententiam iudicis, licet lata sit, vel quia propter magnitudinem dolorum ita absorbetur et obscuratur earum iudicium, ut non possint cogitare et videre hanc certitudinem, sed nihil horum habet locum. » Nam in morte desinit tempus merendi, aut demerendi, ut iam probatum est § 749; animae igitur in purgatorio nec peccare, nec merita sua augere possunt, et ideo opus non est, ut per incertitudinem salutis suae a malo retrahantur, aut ad bonum incitentur. Certum pariter est, ex dictis § 753 universas animas iudicium particulare subire. Quod autem, ait *Bellarminus*, « sententia iudicis lateat animas, quae iudicantur, et falsum est et impertinens; falsum quidem, quia iudicium particulare praecipue fit ad hoc, ut innotescat sententia ei, qui iudicatur; nam propter alios erit generale iudicium, propter Deum non est necessarium iudicium, ipse enim omnia novit; ergo solum fit, ut innotescat ipsi animae, quae iudicatur. — Est etiam impertinens: nam etiamsi non eis innotesceret sententia iudicis, tamen possent facile per se cognoscere, qualis sit, ab effectu, quia videbunt se statim in inferno, aut in coelo, aut in purgatorio. At poterunt, inquies, dubitare, an sint in inferno, vel in

(1) Lib. 2 de purgat., cap. 4.

purgatorio. Non ita est; nam in inferno blasphematur Deus, in purgatorio laudatur; in inferno non est fides infusa, neque ulla spes, aut charitas Dei; in purgatorio haec omnia reperiuntur; ergo anima, quae videbit, se sperare in Deo, laudare et diligere Deum, evidenter cognoscet, se in inferno non esse... Quantum ad quartum, pergit idem *Bellarminus*, quod animae illae propter nimios dolores impediantur a cognitione sui status, et proinde putent, se esse in inferno, et in quadam turbatione et desperatione versentur, ut Lutherus dicit, falsissimum est. Nam *primo*, anima divitis in inferno non impediebatur a cognitione sui status (Luc. XVI); quanto minus ergo impedientur animae, quae sunt in purgatorio? *Secundo*, quod in hoc mundo impediantur homines a recto iudicio ex intensione dolorum, provenit ex laesione organi corporei; at ibi est pura mens spiritualis et incorruptibilis. *Tertio*, quia Ecclesia in canone missae dicit: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis:* ubi Ecclesia orat pro animabus purgatorii; nam subdit: *ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur.* At certe, quae dormire dicuntur in somno pacis, non sunt anxiae, nec desperant, sed potius habent admixtam cum summis cruciatibus incredibilem consolationem propter certam spem salutis. *Quarto*, quia si crederent se damnatas, non peterent suffragia vivorum, nec dicerent, se brevi liberandas, si pro eis oretur, ut patet apud *Gregorium* (1), et exemplis allatis in prima quaestione. »

2. Quaerunt etiam theologi, an animae in purgatorio a daemonibus torqueantur? — Ad hanc quaestionem respondet *S. Thomas* (2): « Sicut post diem iudicii divina iustitia succendet ignem, quo damnati in perpetuum punientur, ita etiam nunc sola iustitia divina electi post hanc vitam purgantur, non ministerio daemonum, quorum victores extiterunt, nec ministerio Angelorum, quia cives suos non tam vehementer affligerent: sed tamen possibile est, quod eas ad locum poenarum perducant, etiam ipsi daemones, qui de poenis hominum laetantur, eas concomitentur, et assistant purgandis, tum ut de eorum poenis satientur, tum ut in eorum exitu a corpore aliquid suum ibi reperiant. » — S. Thomae sententiam plerique scholastici amplexi sunt, negantque, animas in purgatorio a daemonibus torqueri; nam, aiunt, omnes animae purgatorii in ultimo conflictu diabolum superarunt, et tempus luctae feliciter terminarunt, ideo non decet iustitiam divinam, ut sinat eas post triumphum ab hoste devicto vexari. *Bellarminus* aliam addit rationem loc. cit. (3) dicens: « Hic in terris etiam perfectos viros daemones vexant, quia sperant, se posse eos ad peccatum pertrahere; at animas purgatorii sciunt in gratia confirmatas non posse cadere, et vexationem illis necessario profuturam ad celeriorem purgationem: non igitur credibile est, daemonum opera illas animas cruciari. » Alii autem theologi putant, daemones pro sua invidia et odio, quo feruntur in Deum, et in animas de salute sua certas, omnes adhibere conatus ad easdem cruciandas, quamdiu ab ingressu coeli retinentur; Deum autem hoc permittere, ut tanquam Iustitiae divinae ministri animarum purgationi inserviant. Ad hanc senten-

(1) Lib. 4 Dial. c. 40.

(2) In 4, Dist. 21, q. 1, art. 1. (3) Cap. 13.

tiam confirmandam citant varias revelationes, quae ostendunt, animas purgatorii a daemonibus vexari, ut est illa *B. Fursei* ap. *Bedam* (1), alia in actis vitae *S. Bernardi* (2), alia ap *Dionys. Carthus.* in lib. de 4 Noviss. — Observant autem etiam huius sententiae theologi, quod absurdum et ridiculum sit, instrumenta physica et carnificinas adstruere, quibus animae a daemonibus torqueantur. Nam si vexatio daemonum in purgatorio datur, non alia adstruenda est nisi illa, quam *S. Thomas* possibilem dicit: « Quod eas (animas) ad locum poenarum deducant, eas concomitentur, et adsistant purgandis, » imo et easdem dire cruciatas irrideant et insultent. Quod tormentum admittit, et gravissimum esse, dicit *S. Antoninus* (3) scribens: « Solet enim homini esse angustiosum, cum videt inimicum suum insultare, et irridere de poenis eius; et propter hoc Razias vir venerabilis, et magnae opinionis in populo Israël, ne captus illuderetur ab inimicis, proiecit se e fenestra ntra turbas. » — Ex quo, ait *Cl. Iac. Hautinus* S. I. in Patrocinio Defunctorum (4): « Colligere licet, daemonum irrisiones aut manibus non posse esse non amarissimas: neque inficias quis ibit, easdem infami illo daemonum aspectu vehementer cruciari, tum quia eorum peccatum, et conscelerata mens animis Dei amantissimis necesse est, ut sit invisissima. et cum in poenam ostendatur, horribilissima, tum quia acerbissimum est videre summam turpitudinem, infamiamque eorum, quibus te aliquando sponte subieceris. » — Nonnulli theologi inter dissententies opiniones media via incedere, et adhibita distinctione, quaestionem ita dirimere conantur, ut dicant, non omnes animas purgationi subiectas a daemonibus vexari, sed id quoad aliquas tantum animas in poenam graviorum culparum ex speciali dispositione divina fieri. Sic *Viator a Cocaleo* in Tentam. theolog. (5) dicit: « Si haec contradictoria inter se concordare liberet, id facile continget dicendo, purgatorium a daemonibus ordinarie non infestari; quod si legitur advenisse, extraordinariis divinis dispositionibus esse tribuendum, ut quaedam animae gravioribus sordibus in vita foedatae, vel ex fastu et superbia quondam tumefactae, luant poenas promeritas sub pedibus, et sub tortura limitata daemonum. Certa non tradimus, sed nec improbabilia venditamus. Prudentia tamen theologo dictat, ut nodum hunc inter alia obscura reponat. »

3. Animas purgatorii *poenam damni* sustinere, ex privatione visionis Dei beatificae resultantem, omnes theologi catholici admittunt, quia ex ipsa doctrina catholica de purgatorio sequitur, animas peccatorum venialium maculis inquinatas, aut debitis adhuc oneratas, antequam purgentur, nec coelum ingredi, nec visionem Dei beatificam consequi posse. Cum autem de gravitate huius poenae quaeritur, non omnes theologi consentiunt. Multi quidem propugnant, poenam damni in animabus purgatorii maiorem esse omnibus poenis, quas homo vel in hac, vel in altera vita pati possit: id vero ab aliis negatur. — Pro sententia affirmante stat *S. Thomas*, qui l. cit. ita disserit: « In purgatorio erit duplex poena. Una damni, in quantum scilicet retardantur a divina visione: alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur; et quantum ad utrumque

(1) Lib. 3 Hist. c. 9. (2) Lib. 1, c. 10.
(3) 1 P. tit. 5. can. 5.
(4) Lib. 1, cap. 6, art. 4, p. 3.
(5) Tom. 6 de Novissimis. Diss. 3. can. 7.

poena purgatorii minima excedit maximam poenam huius vitae. Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto eius absentia est molestior. Et quia affectus, quo desideratur summum bonum, post hanc vitam in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia terminus fruendi summo bono iam advenisset, nisi aliquid impediret, et ideo de tardatione maxime dolent. » Hoc idem iam senserat *V. Beda*, qui Serm. 18 de Ss. inquit: « Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare ut Christum videre digni essemus in gloria venientem, et sanctorum eius numero sociari, nonne erit dignum pati omne, quod triste est, ut tanti boni, tantaeque gloriae participes haberemur? » Ex quo principio sequitur, privationem visionis beatificae omnibus tormentis huius vitae, et inferni quoque doloribus parvo tempore toleratis maiorem esse, et acerbiorem. Quod et *Suarezius* probat (1) dicens: « Magnitudo tristitiae oritur ex magnitudine boni amissi, seu mali praesentis, ex vehementiori illius consideratione, et ex magna affectione ad illud. Haec autem omnia excellunt in poena illa. Talis enim est visio et beatitudo coelestis, ut possessio illius vel per diem excedat omnia bona huius vitae simul sumpta, et per diuturnum tempus possessa. Tale etiam est bonum illud, ut, si opera nostra, vel afflictiones per se spectentur, esset superabundans pretium illorum, etsi ad solum breve tempus concederetur: ergo e contrario retardatio tanti boni, et privatio eius licet temporalis, maximum malum est, et infinite, ut sic dicam, excedens omnia vitae nocumenta. Secundo animae illae sanctae ponderant, et expendunt optime gravitatem illius mali, et quod gravissime pungit cognoscunt se sua culpa, et negligentia illud sustinere. Tertio vehementer amant Deum, et consequenter eaquem intensione appetunt illum videre: ergo necesse est, ut vehementem tristitiam inde concipiant. » Merito igitur huc referuntur, quae § 761, n. 1 de poena damni in inferno dicta sunt, quam Ss. Patres omnium miseriarum maximam vocant. Quamvis enim ex una parte privatio visionis beatificae in animabus purgatorii temporanea sit, et nulla cum desperatione coniuncta, ex altera tamen parte dicta privatio animabus eo durior, et amarior est, quo magis amant Deum, et quo certius cognoscunt sibi propter gratiam sanctificantem verum ius ad coelestem beatitudinem competere; absque dubio enim filius Regis, qui actuale habet ius ad regnum, magis dolet de privatione coronae, quam homo, qui nullum ad hanc ius habet. *Cl. Hautinus* l. c. (2) alia ratione dicta confirmat dicens: « Supplicia huius vitae, quantacunque sint, inferioris ordinis mala sunt, quam poena damni minima: sive quia privatio possessionis Dei possessionem ipsam, quae superioris ordinis est, quodammodo imitatur, sive quia culpam respicit, unde profecta est, ita ut tristitia ipsa culpam pro obiecto, ut dicunt, partiali sortiatur. Cum ergo culpa Dei malum sit, atque ideo gravius omni malo creaturae, animas illas penitus eas agnoscentes gravius afficit, quam supplicium ullum utcunque atrox possit afficere. Denique piis manibus optabilius est, et esse debet, Deo perfrui, quam tristius foret omne subire supplicium: ergo Deo vel ad tempus sua culpa privari durius, et intolerabilius est, quam multari quolibet suppli-

(1) Tract de Purgator. Sect. 3.

(2) Cap. 4, art. 1, § 3.

cio.» — His non obstantibus pro contraria sententia citatur *S. Bonaventura*, qui (1) docet, poenam damni in purgatorio non esse maiorem omni poena sive purgatorii, sive huius mundi. Haec sententia arridet *Bellarmino*, qui l. c. (2) eam probare nititur dicens: « Licet absentia summi boni ex se generet in amante summam tristitiam, tamen in purgatorio mitigatur haec tristitia, et levatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi; ista enim certissima spes affert incredibile gaudium, et quo magis propinquat illius finis exilii, tanto magis gaudium crescit. Itaque solum in inferno poena damni est summa, quia annexa est desperationi certissimae, et de hac loquitur *S. Chrysostomus* — et *S. Augustinus*... Confirmatur hoc argumentum, *primo*, quia si poena damni esset gravissima etiam in purgatorio, sequeretur, Patres in limbo passos esse gravissimam poenam quod adeo falsum est, ut Luc. XVI dicat Abraham diviti damnato de Lazaro: *Tu cruciaris, hic vero consolatur*. Et *S. Augustinus* (3) negat, posse intelligi de sanctis Patribus illud Act. II, *solutis doloribus* inferni, quia nimirum non in doloribus, sed in requie Christus illos invenerit. Et *S. Gregorius* (4) dicit, Patres in inferno non tormenta ulla, sed requiem habuisse. Confirmatur *secundo*, quia *Augustinus, Gregorius, Beda, Anselmus* et *Bernardus* cum dicunt, poenam purgatorii esse maiorem omni poena huius vitae, diserte loquuntur de poena ignis, per quam intelligunt omnes poenam sensus, non damni. » — Ast haec argumenta sententiam *S. Thomae* infirmare non valent. Non enim confundi debent privatio visionis beatificae, et desperatio, cum sint diversi cruciatus, posterior enim in purgatorio non adest, sed ideo prior seorsim consideratus nec tollitur, nec mitigatur. Nam, ait *Hautinus* (5): « Si spes obstaret gravitati poenae damni, pariter levaret dolorem exigue perceptum. Est enim utriusque par ratio. Qui fit igitur, ut pii manes Bellarmini sententia gravissimam omnium poenam ab igne patiantur? Si ponas, tantam esse vim huius doloris, ut, etsi illius sensus ob eandem spem minuatur, tamen adhuc maneat omnium acerbissimus: idem dicam de tristitiae gradu; videlicet, quamvis spe illa remittatur, adhuc tamen manere omnibus huius vitae cruciatibus acerbiorem. Sin autem velis, spem beatitudinis non conferre, ut dolor ab igne profectus minus sentiatur, sed ut feratur lenius, idem subiiciam pro tristitia, utique spe beatitudinis non effici leviorem, sed ferri pacatius. » B. V. Maria perfectam cum voluntate divina conformitatem, et certissimam resurrectionem Christi spem habuit; et tamen in eius morte ob iacturam dilectissimi Filii omnium consensu plus doloris sensit, quam Martyres omnes. Ipsa S. Scriptura spei obiecti valde desiderati, et nondum obtenti, haud lenimentum, sed potius augmentum doloris adscribit; ait enim: *Spes, quae differtur, affligit animam* (6). Argumentum ex Patribus in limbo detentis deductum nimis probat, ergo nihil probat. Nam si valeret argumentatio, sequeretur, animas purgatorii nullum ex privatione visionis beatificae cruciatum sentire, ne dicendum sit, eundem etiam Ss. Patres in limbo sensisse; quod S. Scripturae et Patribus citatis adversaretur. Inepta ergo est comparatio inter Patres in limbo, et animas purgatorii. Illi enim

(1) In 4, dist. 20, art. 1, q. 2.
(2) Cap. 14. (3) Ep 99.

(4) Lib. 13 Moral. cap. 22. (5) L. [illegible] Patr. Defunct. cap. 4, a. 1, § 4. (6) Prov. 13, 12.

non ex propria culpa in limbo retinebantur, sed quia ianua coeli nondum reserata erat; unde Deus modo nobis ignoto efficere potuit, ut, quamvis gaudiis coelestibus nondum fruerentur, tamen cruciatus quoque nullos sentirent: animae autem ex propria culpa in purgatorio detinentur, in quo puniendae, et purgandae sunt, unde Deus in istis poenam damni non lenit, sed vult, ut ex ista durissimum cruciatum sentiant. Denique citati Patres comparationem instituunt inter ignem purgatorii, et cruciatus huius mundi, non autem inter poenam damni, et poenam sensus in purgatorio. Sicuti ergo ignem infernalem omnibus huius vitae cruciatibus acerbiorem esse dicunt, simul autem fatentur, poenam damni in inferno diriorem esse poena sensus, ita etiam de purgatorio loquentes intelligendi sunt, aut saltem ex eorum dictis nihil contra sententiam S. *Thomae* inferri potest.

4. *Poena sensus* ex communi theologorum catholicorum consensu producitur per ignem corporeum, ut dicunt, seu vere materialem. Disputatum quidem hac de re fuit in *Concilio Florentino* cum Graecis, qui purgatorium non ignem esse volebant, sed obscurum quemdam locum, cruciatibus et doloribus plenum. Disputatio tamen non diu duravit, et in fine Concilii sic Graeci de purgatorio locuti sunt: « Quod quidem sive ignis, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit, non putamus referre. » Non autem ideo Ecclesia ipsos damnavit, sed in conclusione Concilii ad credendum omnibus propositum fuit, *eorum, qui in charitate Dei ante condignam satisfactionem decesserint, animas poenis purgatorii post mortem purgari.* Non est ergo de fide, ignem corporeum, seu materialem esse in purgatorio, quia nihil hac de re in Conciliis Florentino et Tridentino definitum fuit: est tamen sententia probabilissima et communis in Ecclesia latina, animas in purgatorio igne vero et materiali cruciari, et hanc poenam sensus omnibus huius vitae cruciatibus graviorem esse. Ipsa S. Scriptura ignem purgantem commemorat. Ait enim Paulus (1): *Uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit... ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Verba autem S. Scripturae in sensu proprio sumenda sunt, quando ex isto nullum absurdum sequitur, et nec in S. Scriptura, nec in traditione sensus improprius seu metaphoricus indigitatur. At ex igne in sensu proprio accepto nullum absurdum sequitur, quia Deus pro sua omnipotentia et sapientia, sicut ad torquendos reprobos, ita et ad puniendas et purgandas animas iustas quidem, sed non perfecte mundas, igne uti potest: et neque in Scriptura, neque in traditione ratio invenitur ignem in sensu improprio et metaphorico explicandi. Imo Ss. Patres ignem verum et materialem in purgatorio adstruunt, eumque animabus gravissimos cruciatus inferre dicunt. S. *Gregorius Nyss.* lib. de anima et resur. inquit: « Plane necesse est, ut, dum vitiositas purgatorio igne absumitur, anima quoque, quae cum vitiositate unita est, in igne sit, donec id, quod inspersum est, adulterinum, materiale, et fucatum, atque corruptum totum aboleatur igne consumptum. » S. *Hilarius* in Ps. CXVIII purgatorium nuncupat indefessum ignem, in quo gravia sustinentur supplicia, quibus animae a peccatis expientur. S. *Augustinus* in Ps. XXXVII ait: « Quia dicitur: *Salvus erit quasi per ignem*, contemnitur iste ignis... gravior tamen erit ille ignis, quam quid-

(1) I Cor. 3, 13, etc.

quid potest homo pati in hac vita. » *S. Gregorius M.* in Ps. III poenitentialem profitetur: « Illum transitorium ignem omni tribulatione praesenti aestimo intolerabiliorem. » *V. Beda* in eundem Psalmum dicit, « nulla esse supplicia martyrum, vel latronum cum illis purgatoriis poenis conferenda. » Idem habent *S. Anselmus* in I Cor. III, et *S. Bernardus* in Serm. de obitu S. Humberti. *S. Thomas* l. cit. dicit, praeter poenam damni esse in purgatorio poenam sensus « secundum quod ab igne corporali punientur; » et etiam de poena ista dicit: « Excedit maximam poenam huius vitae. » *S. Bonaventura* in Breviloquio (1) inquit: « De poena purgatorii hoc tenendum est, quod ignis purgatorius est ignis corporalis, quo tantum spiritus iustorum affliguntur, qui in hac vita non impleverunt poenitentiam et satisfactionem condignam - affliguntur autem minus graviter, quam in inferno, et gravius, quam in hoc mundo, non tamen ita graviter, quin semper sperent et sciant, se non esse in inferno, licet forte pro poenarum magnitudine hoc aliquoties non advertant. » *Scholastici* praeclaros istos Doctores secuti unanimi consensu in purgatorio ignem corporalem, seu vere materialem adesse affirmant, ita ut non sine nota temeritatis ab hac universali sententia recedere liceat. Fatentur tamen theologi, ignem purgatorii ab igne huius mundi differre sed ex hac ipsa differentia gravitatem poenae coniici posse. Nam ignis terrenus in commodum hominis, ignis purgatorius ad puniendas animas creatus est. In hac vita etiam leves tribulationes libere acceptae et patienter toleratae de meritis Christi participant, et inde magnam peccata expiandi virtutem hauriunt: in altera vita cessante tempore merendi gravitas poenae liberam et meritoriam acceptationem compensat: ideo praesens saeculum dicitur misericordiae et veniae, ex adverso saeculum futurum vocatur iustitiae, irae et vindictae; et in genere dicitur, horrendum esse incidere in manus Dei viventis: quae omnia ostendunt, graviores esse poenas purgatorii omnibus cruciatibus huius mundi.

Nota 1. Poenae purgatorii, quamvis gravissimae, tamen iustitiae et sapientiae divinae maxime consonae sunt. Nam quemadmodum per peccatum creatura recedit a Deo, et se convertit ad bona sensibilia, ut inde fruitionem voluptatemque exprimat, ita Deus vices reddit tum in inferno, tum in purgatorio per utramque oppositam poenam, damni scilicet et sensus: poena damni diluit recessum a Deo, et poena sensus conversionem ad creaturas. Sicuti autem poenae inferni pro gravitate et multitudine criminum diversae sunt (2): ita etiam in purgatorio animae pro qualitate et quantitate debitorum gravius aut levius puniuntur; in genere enim dictum est Rom. II, 6: *Deus reddet unicuique secundum opera eius.* Hinc *S. Gregorius Nyss.* l. cit. de igne purgatorii disserens ait: « Pro quantitate vitiositatis, quae in unoquoque fuerit, cruciatus ac doloris modus adhibetur. Non enim par est, utrumque tum eum, qui in malis vetitis tamdiu versatus sit, tum eum, qui in mediocria delicta quaedam inciderit, per purgationem vitiosi habitus ex aequo discruciari atque dolere: sed pro modo ac quantitate materiae vel longiore vel breviore temporis spatio illa flamma dolorifica, quamdiu fuerit id, quod eam alat, accendetur. » Et *S. Bonaventura* l. cit. de iis, qui in igne purgantur, dicit: « Affliguntur secundum plus et minus, secundum

(1) P. 7, cap. 2. (2) § 762.

quod plus vel minus de cremabili secum ex hac vita traxerunt. » Poenas purgatorii gravitati debitorum attemperatas esse, omnes theologi admittunt, sed non conveniunt, dum quaeritur de modo quo id contingit. Nonnulli putant, diversitatem poenarum purgatorii ex solo tempore repetendam esse, et suffragia vivorum non tam ipsas poenas animarum leviores reddere, quam potius earundem liberationem accelerare. Huic sententiae favere videtur *S. Gregorius Nyss.* loc. cit., et eadem admittenda est saltem quoad poenam damni, quae ante animarum liberationem ex purgatorio nec desinere, nec diminui potest; et ex hac ratione ne exoptandum quidem animabus est, ut poena sensus levetur, per cuius gravitatem efficacius purgantur, et citius ad desideratam metam perducuntur. Alii autem theologi dicunt, sicut in inferno, ita et in purgatorio poenam damni et poenam sensus gravitati debitorum attemperari, et easdem poenas per ipsam dolorum sufferentiam, vel etiam per suffragia vivorum continuo minui, ita ut in fine purgationis valde exiguae reddantur. Huic sententiae favet *S. Bonaventura*, et eidem subscribit *Bellarminus*, qui loc. cit. ait: « Quod poena purgatorii remittatur, probatur; nam *S. Bernardus* in vita S. Malachiae scribit, oranti Malachiae pro sorore defuncta ipsam defunctam ter apparuisse: *primo*, in veste nigra et extra Ecclesiam: *secundo*, in veste subfusa et intra limen Ecclesiae: *tertio*, in veste alba et ad ipsum altare cum caeteris Sanctis; ex quibus ipse intellexit, animam sororis paulatim remittentibus se poenis ad finem purgationis venisse. Et similes multae visiones adferri possent. » Constat autem, per revelationes privatas non posse ullam sententiam de fide certam reddi.

Nota 2. Ex principiis a *S. Thoma* statutis sequitur, minimam poenam purgatorii maiorem esse maxima poena huius vitae, quia omnis, qui in purgatorio degit, cruciatur saltem poena damni, quae est maxima, et superat dirissimos cruciatus huius mundi. — At *S. Bonaventura* (1) docet, purgatorii poenas esse maiores poenis huius vitae solum in hoc sensu, quod maxima poena purgatorii est maior, quam sit maxima poena huius vitae, licet aliqua poena purgatorii reperiatur minor aliqua poena huius vitae. Hanc sententiam probat *Bellarminus* l. cit., *primo*, quia ex certis revelationibus constat, aliquorum poenam esse tam exiguam, ut nihil pati viderentur, quales sunt illi, qui albis vestibus induti visi sunt in locis amoenis et lucidis apud *Bedam* (2): *secundo*, quia potest fieri, ut quis moriatur nullum debitum secum ferens, nisi unius verbi otiosi: at incredibile videtur, propter unum solum verbum otiosum pati debere aliquem supplicia graviora omnibus poenis mundi: *tertio*, quia poena continuo minuitur, et ideo in fine fere omnino evanescere debet. — Ast visiones allatae felicem animarum statum, de sua salute certarum, et in gratia confirmatarum, aut actualem earundem egressum e purgatorio indicare poterant: praeterea, cum iudicia Dei sint abyssus multa, non est hominum decernere, quomodo vel unum peccatum veniale in altera vita puniatur, et gravissima quoque poena ratione brevitatis temporis levior fieri potest; tertia denique probatio ex sententia incerta desumitur.

(1) In 4, Dist. 20, art. 1, q. 2.
(2) Lib. 5 Hist. c. 14.

B. *De diuturnitate poenarum purgatorii.*

§ 771. Dum de poenarum purgatorii duratione quaeritur, certa ab incertis caute secernenda sunt.

1. Certum imprimis est, poenas purgatorii ultra diem iudicii extremi non protrahi. Erravit ergo *Origenes* (1) scribens: « Ego puto, quod et post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante; nemo enim absque sordibus resurgere poterit. » Haec vero opinio inter errores Origenis recensenda est; aliter enim veterem Ecclesiam sensisse, testis nobis est S. *Augustinus*, qui lib. 21 de Civ. Dei, cap. 16 dicit: « Purgatorias poenas nullas futuras (Christianus) opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque iudicium. » Ratio est manifesta, quia Dominus Matth. XXV solum duos ordines hominum dicit futuros, unum beatorum, qui ibunt in vitam aeternam, alterum damnatorum, qui ibunt in supplicium aeternum. Nec refert, quod corpora eorum, qui per purgatorium transeunt, nullam ignis poenam sentiant. Merito enim sola anima punitur, quia ipsa est subiectum et causa efficiens peccati; peccatum enim est actus liberi arbitrii, et ideo a sola voluntate proprie fieri dicitur. Et licet etiam corpus, quo anima ut instrumento utitur, sicut in damnatis, ita etiam in animabus iustis, sed non perfecte puris, poena ignis subiici possit; non hic quaeritur, quid Deus iuste facere possit, sed quid velit, cum eius voluntas fons omnis iustitiae, seu ipsa iustitia sit. « His adde, ait *Bellarminus* (2) quod caro suo modo quoque punitur, nam ut anima separata punitur poena damni, quia caret visione Dei, et poena sensus, quia torquetur igne, ita caro punitur poena damni, quia caret vita, et poena sensus, licet improprie, quia paulatim putrefit, et in cineres redigitur. »

2. *V. Beda* (3) asserit, animas omnes in purgatorio usque ad diem iudicii extremi ex ordinaria lege detineri, nisi citius ex Ecclesiae suffragiis liberentur: ex qua sententia sequitur, inaequalitatem poenarum non in duratione, sed in intensione consistere. Assertionem suam probat tum ex factis quibusdam revelationibus privatis, tum ex analogia cum inferno. Putat enim, quod, quemadmodum poenae damnatorum inter se ratione intensionis discrepant, non ratione aeternitatis, ita poenae purgatorii inter se discernantur, non quoad earum durationem, sed quoad earum intensionem. Sed probationes istae solidae non sunt. Nam adductis revelationibus privatis aliae opponi possunt, quae apud alios auctores (4) inveniuntur, et in quibus pro animabus gravibus debitis oneratis longum quidem, sed tamen ante extremum iudicium finiendum purgationis tempus determinatur. Imo etiam apud Bedam l. cit. *Drithelmus* refert, sibi ab Angelo patefactum esse, multos ex iis, qui emendationem scelerum et exomologesin usque ad finem vitae procrastinarunt, usque ad finem mundi in purgatorio cruciandos esse: quod autem de aliquibus dictum est, non ad omnes extendi potest. Essentiale porro discrimen inter poenas inferni, et poenas purgatorii est, quod illae aeternae sint, istae vero temporales sint, et ideo etiam quoad durationem maxime discrepent. Verisimile profecto non est, quod animae sanctae propter leve aliquod peccatum per multa saecula usque ad diem iudicii saltem poenam damni susti-

(1) Hom. 14 in Luc. (2) L. 2 de purg. c. 9.
(3) Lib. 5 Hist. Anglic. c. 13

pati debeant. Porro si suffragia Ecclesiae liberationem animae ante diem iudicii promovere possunt, cur non poterunt hoc idem praestare dirae poenae, quae ideo animabus infliguntur, ut a maculis purgentur? Christus ait: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (1); non usque ad diem itaque iudicii exspectandum erit, sed facta solutione animae e purgatorio exeunt.—Non potest ergo admitti, quod poenae purgatorii *ex ordinaria lege* usque ad diem iudicii protrahantur; sed iuxta communem theologorum sententiam asserendum est, diuturnitatem purgatorii variam esse, modo breviorem, modo prolixiorem iuxta cuiuslibet animae demeritum: quam sententiam iam S. *Augustinus* proposuit (2) adseverans, « nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis, minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusque salvari. » Et (3) idem S. Doctor ait: « Quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi (per purgatorium) mora. »

3. *Dominicus Soto* (4) inquit, « se credere, nunquam aliquem in purgatorio viginti annis exstitisse, imo nec decem; » cui suffragatur *Maldonatus* de purgat. q. 5, asserens, « se libenter adsentiri iis, qui neminem in purgatorio fortasse decem annos fuisse, putant. » Eandem sententiam nonnulli alii amplexi sunt, hac ratione ducti, quia, inquiunt, clementia Dei non patitur amicos suos multo tempore a suo conspectu cohiberi. —Verum si haec ratio valeret, nimis longum videretur etiam spatium viginti aut decem annorum. Satius est dicere id soli Deo notum esse, qui in numero, pondere, et mensura omnia disponit. Sane si Deus ex inscrutabili iudiciorum suorum abysso potuit sanctos veteris Testamenti a suo conspectu arcere per millia annorum usque ad Christi resurrectionem, ut communis theologorum opinio habet, eccur non poterit etiam iustorum animas in purgatorii carcere detinere, quousque reddant novissimum quadrantem? Plura sane, nec spernenda argumenta probant, poenas purgatorii quandoque ultra decem, et viginti annos, imo ad longissimum tempus protrahi. Nam *a*) S. *Scriptura* variis exemplis ostendit, poenas temporales, pro peccatis iam remissis a divina iustitia iniunctas, per longum tempus durare. *Protoparentes*, licet per poenitentiam iustificati, a paradiso tamen expulsi, in valle lacrymarum per totam vitam, id est, per plura saecula diras aerumnas pati debuerunt. *Israëlitae*, quia adversus Moysen murmuraverunt, terram promissam ingredi non potuerunt, et per 40 annos in deserto circumerrantes plurimis incommodis, et adversitatibus subiecti sunt. *A Davide*, quamvis peccatum iam remissum fuerit, gladius tribulationis totius vitae suae tempore non recessit (5). Quodsi Deus peccata venialia, et debita pro peccatis iam remissis per tantum temporis spatium in hac vita punit, quae est tempus misericordiae, et in qua plurima satisfaciendi, et merendi media dantur, quis non timebit, quod poenae in altera vita, quae est tempus iustitiae, et vindictae, et in qua tempus merendi desiit, in multo longiorem temporis moram protrahendae sint? *b*) Apostolorum Princeps scribit: *Christus... his qui in carcere erant, spiritibus praedicavit, qui in-*

(1) Matth. 5, 26.
(2) Lib. de 8 quaest. ad Dulcitium, q. 1.
(3) Hom. 16 inter 50.
(4) In 4, Dist. 19, q. 3, art. 2.
(5) § 654, n. 1.

creduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë cum fabricaretur arca (1). Per carcerem autem *Estius*, et alii intelligunt purgatorium, in quo multi propter incredulitatem suam affligebantur (2). Quod si ita est, consequitur, miseras illas animas per bis mille nongentos viginti octo annos (tot enim a diluvio usque ad Christi mortem fluxerunt) cruciatas fuisse. *c*) *S. Augustinus* pro matre sua Monica, cuius sanctitatem agnoverat et laudaverat, et quae iam ante 30 et amplius annos mortua erat, Deum orabat, aliosque, ut pro ea orarent, enixe hortabatur (3). — *d*) Antiquissima est consuetudo, iam a Tertulliano memorata, *anniversaria* constituendi, seu certum officiorum et sacrificiorum numerum, quotannis statuta die pro unius, eiusdemque animae liberatione in perpetuum persolvendorum determinandi. Ecclesia vero talia anniversaria legata probat; et etiam post 50 aut 100 annos eorundem persolutionem vehementer inculcat, ita quidem, ut sententiam eorum damnet, qui anniversariorum obligationem ad decem annos restringunt. Nam *Alexander VII* proscripsit propositionem n. 47 his terminis conceptam: « Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos. » Credit ergo Ecclesia, animam etiam decem, imo et post 50 et 100 annos posse suffragiis indigere. *e*) *Cl. Hautinus* loc. cit. (4), et alii provocant etiam ad revelationes factas, et ex istis referunt *exempla* eorum, qui poenis purgatorii per saeculum, per mille annos, aut usque ad diem iudicii sustinendis addicti sunt. Unicum exemplum commemorasse sufficiat. Cantipratanus in vita S. Lutgardis scribit, *Innocentium III* summum Pontificem post mortem apparuisse *S. Lutgardi*, eique dixisse: « Aeternam quidem mortem evasi, sed poenis atrocissimis usque ad iudicii diem cruciabor. Quod autem ad te suffragia petiturus venire potui, mihi a Filio suo Mater misericordiae impetravit. » Quod factum referens, et perpendens *Bellarminus* lib. de gemitu columbae (5) inquit: « Si tam laudabilis Pontifex, et qui in oculis hominum non probus, et prudens modo, sed etiam sanctus et imitatione dignissimus habitus est, tam parum abfuit a gehenna, et usque ad diem iudicii purgatoriis incendiis atrocissimis puniendus erat, quis Praelatus non trepidet? quis non accuratissime conscientiae suae secreta rimetur etc.?» *f*) Ipsa *ratio* per fidem illustrata, si ex una parte divinorum iudiciorum rigorem perpendat, et ex altera parte consideret, quot peccata venialia, vel etiam mortalia a multis committantur, et quam parvae sint satisfactiones, quae ad extinguenda debita in hac vita praestantur, necessario concludere debet, huiusmodi homines, si per gratiam Dei infernum effugiunt, per longissimum tempus in purgatorio cruciandos esse. « Frequenter contingit, ait *Viator a Cocaleo* (6), ut in solis extremis vitae terminis nonnulli moriantur recens conversi, et per sacramentum poenitentiae a gravissimis culpis absoluti; nec eis subest tempus pro debita satisfactione, si contritio vehementissima non sit. Quis igitur merito de purgatorii diuturnitate ultra etiam decem annos, dubitare potest? Fatemur tamen inter arcana, viventi oculo impenetrabilia, mensuram temporis in purgatorio transigendi esse compu-

(1) I Petr. 3. (2) § 765, n. 4.
(3) Lib. 9 Confess. c 12. (4) Art. 2.
(5) Lib. 2, cap. 9.
(6) Tentamina, t. 6, diss. 3 de noviss c. 8.

tandam: verumtamen id non vetat, quin asseratur, poenas piaculares protrahi posse ultra, quam quis valeat supponere. »

C. *De loco Purgatorii.*

§ 772. Ecclesia definivit, purgatorium existere, seu dari statum animarum, quae in altera vita purgantur, sed non definivit, ubinam sit. Variae ideo dantur de loco purgatorii theologorum opiniones: *Bellarminus* (1) octo recenset, ex quibus potiores sunt duae. *Prima* est eorum, qui putant, animas, purgationi subiectas non omnes in uno loco collectas esse, sed variis in locis cruciari, et praecipue in iis, in quibus peccaverunt. Hanc sententiam proponit *Hugo Victorinus* (2), eamque probat ex variis revelationibus, quae ostendunt, in hoc mundo purgatorii poenas exerceri. Nam *S. Gregorius M.* (3) refert, animam Paschasii, et cuiusdam alterius in balneis quibusdam purgatam fuisse, et *S. Petrus Dam.* in epist. de miraculis sui temporis describit visionem de purgatione S. Severini in quodam flumine. Sed huic sententiae multi adversantur, quia, cum animae in plurimis locis peccaverint, in plurimis quoque locis cruciari deberent: porro observant, neque Paschasium, neque Severinum in eo loco poenam sustinuisse in quo peccatum commissum fuerat: addit praeterea *Suarez* (4) quod « in visionibus ostenditur subinde aliquid in aliquo loco propter aliquam significationem, vel occasionem; non quia in tali loco opus fiat. » — *Secunda* sententia, quae est longe communior, dicit, purgatorium, ad omnes animas iustas, sed non perfecte puras plectendas destinatum, esse intra viscera terrae, inferno vicinum. Hanc sententiam defendit *Bellarminus*, eamque declarat dicens: « Constituunt enim scholastici communi consensu intra terram quatuor sinus, sive unum in quatuor partes divisum; unum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine baptismo obeuntibus, quartum pro iustis qui moriebantur ante Christi passionem, qui nunc vacuus remanet: quorum sufficientia sumitur penes genera poenarum; sunt enim haec omnia loca poenalia: omnis autem poena aut est tantum damni, aut etiam sensus, et rursus aut aeterna aut temporalis: pro poena ergo solius damni aeterna est limbus puerorum; pro poena solius damni temporali erat limbus Patrum; pro poena damni et sensus aeterna est infernus; pro poena damni et sensus temporali est purgatorium. » — *Tertia* sententia est eorum, qui facta distinctione utramque priorem sententiam coniungunt, et dicunt, *ordinarium* quidem purgatorii locum esse inter viscera terrae, sed *extraordinario* modo Deum liberrimum et independentem etiam alium locum ad purgandas animas decernere posse. Haec est sententia *S. Thomae*, qui (5) dicit: « De loco purgatorii non invenitur aliquid expresse determinatum in Scripturis. Tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis sanctorum dictis, et revelationi factae multis, locus purgatorii est duplex: unus secundum legem communem, et sic locus purgatorii est locus inferior, inferno coniunctus, ita quod idem ignis sit, qui damnatos cruciat in inferno, et qui iustos in purgatorio purgat, quamvis damnati, secun-

(1) Lib. 2 de purg. cap. 6.
(2) Lib. 2 de sacram. p. 7, cap. 4.
(3) Lib. 4 Dial. cap. 40 et 55.
(4) De purgat. Sect. 2
(5) In 4, Dist. 21, q. 1, art. 1.

dum quod sunt inferiores merito, etiam loco inferiores ordinandi sunt. Alius est locus purgatorii secundum dispensationem: et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigetur. » — Quamvis autem de fide non sit, ordinarium purgatorii locum esse intra viscera terrae, non tamen haec sententia inter scholasticorum commenta numeranda, et deridenda est, gravibus enim innititur argumentis.

1. *S. Scriptura* V. T. non obscure indigitat, limbum Patrum in terrae visceribus fuisse. Hanc fidem certe habuit Patriarcha Iacob dicens: *Descendam ad filium meum lugens in infernum* (1), per infernum autem non intellexit coelum, ut per se liquet; nec locum damnatorum, quibus neque dilectum filium, neque se adnumeravit: nec sepulcrum, quo filium suum quem a bestia devoratum existimabat, caruisse arbitrabatur; ergo intellexit limbum, et hunc locum subterraneum esse credidit, in quem *descensurus* erat. Idem confirmatur ex I Reg. XXVIII, 13 ubi anima Samuelis de locis subterraneis *ascendere* visa est; dixit enim Pytonissa: *Deos vidi ascendentes de terra:* non autem daemoniacum phantasma, sed vere Prophetam Samuelem Regi Saul apparuisse, invictis argumentis probat *Bellarminus* l. c.: ergo Samuel in loco subterraneo, nempe in limbo fuit. Quod si animae iam perfecte purae in loco subterraneo asservabantur, multo magis id dicendum est de animabus iustis quidem, sed non perfecte puris: imo valde probabile est, purgatorium limbo contiguum fuisse, cum animae finita purgatione ab illo in istum transmitterentur. Paulus ad Phil. dicit: *In nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum* (2): quibus verbis omnes ad cultum Nominis Iesu provocat, seu potius de gloria huius nominis loquens testatur, eidem summam venerationem in coelo, in terra, et subtus terram exhiberi. Per illos autem qui apud inferos, seu subtus terram sunt, non potuit intelligere corpora in sepulcris reposita et ratione carentia, nec Patres in limbo, qui post mortem Christi evacuatus est, nec damnatos, qui Deum et Christum blasphemant: restat ergo, ut intellexerit animas purgatorii, quae Deum diligunt, et Iesum laudant, quas autem apud inferos, seu subtus terram esse profitetur. Idem argumentum inferri potest ex Apoc. ubi Ioannes dicit: *Vidit Angelum fortem praedicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula eius? et nemo poterat neque in coelo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum* (3). Ubi profecto sermo non est de damnatis, quos dignos non esse aperire librum, Ioannes miratus non esset: sed sicut de iustis loquitur, qui sunt in coelo, et de iustis, qui sunt in terra, ita etiam iustos commemorat, qui sunt subtus terram; sub quibus non possunt intelligi nisi animae purgatorii, et quae per consequens neque in coelo, neque in terra, sed *subtus terram* commorantur.

2. *Ecclesia* in Missa orat: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu;* quibus verbis supponere videtur, animas purgationi subiectas in inferis, aut loco inferis vicino torqueri. Propterea Ecclesia latina semper

(1) Gen. 37, 35.

(2) Phil. 2, 10. (3) C. 5, v. 2, etc.

illi sententiae inhaesit, quae tenet, ignem vere materialem et proprie dictum in purgatorium adesse: ignis vero iste specialem locum exposcit in quo contineatur; talis vero locus neque in aëre, neque super terram invenitur; ergo inter viscera terrae statuendus est.

Nota. Quaestio a theologis movetur, an animae purgatorio addictae e suo ergastulo egredi possint, ut hominibus appareant, et postea iterum in carcerem suum revertantur? — Quidam existimant, non posse unquam animas de suis receptaculis egredi, et apparitiones omnes, si quae contingunt, malignis spiritibus esse adscribendas, qui fingunt, se esse animas de purgatorio exeuntes, et suffragia postulantes. Ita sentire videtur *Tertullianus* circa finem libri de anima. Etiam haeretici huius temporis omnes apparitiones animarum rident tamquam phantasiae, aut daemonum illusiones. — Libenter etiam concedimus Novatoribus et Rationalistis, quod animae per sententiam Iudicis purgatorio inclusae nullatenus pro suo arbitrio ex illo egredi, et hominibus apparere possint, quod *S. Chrysostomus* variis in locis (1) atque *Theophylactus* (2) aperte negant. Verissima tamen manet sententia *S. Augustini,* qui lib. de cura pro mortuis dicit, nimiae impudentiae esse, negare animas interdum ad nos redire posse Deo iubente vel permittente; qui enim hoc negat, ab omni philosophia se longe alienum ostendit, quia vel omnipotentiae Dei limites ponit, vel independenti et sapientissimae voluntati divinae leges praescribit. Historia ipsa testatur tales apparitiones animarum ex purgatorio vere contigisse. Quamvis enim non omnibus historiunculis fides adhibenda sit, haec tamen neganda non est testibus omni exceptione maioribus, ut sunt *S. Augustinus* lib. de cura pro mortuis, *S. Gregorius M.* lib. 4 Dialog. (3), *S Petrus Dam.* l. c., et alibi, alii cordati auctores, imo et sancti, qui se tales apparitiones habuisse testati sunt. Alia quaestio movetur, num quaedam animae ex purgatorio ita revocentur, non ut statim iterum in illud revertantur, sed ut corpori denuo unitae novam vitam in terra agant? — *Bellarminus* respondet affirmative (4) dicens: « Quod aliqui ex purgatorio, et limbo Patrum fuerint ad vitam revocati, nullum dubium esse potest. Nam mortui quos excitarunt Elias, Eliseus, D. Christus et Petrus et Paulus, cum fideles fuerint, creduntur fuisse in purgatorio aut in limbo; neque ullum sequitur inconveniens, si ex his locis aliqui resurgant, siquidem hoc nihil aliud est, quam mutare illis exilium vel carcerem. » Alii autem theologi negant de animabus iam purgatorio addictis per sententiam Iudicis, in qua de sorte sua aeterna certae factae sunt; et probabilius esse censent, animas eorum, qui revocantur ad vitam, neque in coelo neque in inferno, neque in purgatorio fuisse, sed a Deo, resuscitationis praescio, in aliquo loco reservatas fuisse, donec cum corpore iterum unirentur. Ita declarari potest, quare nullibi legatur, homines ad novam vitam resuscitatos perfectam de statu alterius vitae cognitionem prodidisse. Ipse *Bellarminus* fatetur beatos iam in coelo existentes, et damnatos absolute ad poenas aeternas, non posse revocare ad vitam; et ideo dicit, animas perfecte puras, si in novam vitam revocentur, nondum bea-

(1) Hom. 29 in Matth., ac Hom. 2 et 4 de Lazaro.

(2) In cap. 8, Matth. (3) Cap. 40 et 55.
(4) Lib. 2 de purg. cap. 8.

tificatas, et animas peccato mortali inquinatas, si ad vivificandun corpus reversurae sint, nondum in infernum detrusas, sed in alio loco reservatas esse. Cur non hoc idem de animabus iustis, sed purgatione indigentibus, si earum corpus resuscitandum sit, dicendum erit? (1).

D. *De suffragiis fidelium vivorum pro defunctis.*

§ 773. Animas purgatorii per suffragia fidelium vivorum adiuvari, est dogma catholicum § 765 et seq. iam probatum. Restant hic nonnullae quaestiones solvendae, quae de suffragiis moveri solent.

1. Si quaeritur, *quaenam sint illa suffragia*, quibus animae purgatorii iuvantur? omnes respondent, efficacissimum animas iuvandi medium esse *Sacrificium Missae*, quod est infiniti valoris, et quod semper pro vivis et defunctis oblatum fuit: unde ipsum *Conc. Tridentinum* Sess. XXV de purg. dicit: *Animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari*. « *Oratio*, ait *Bellarminus* (2), duobus modis iuvat defunctorum animas; uno modo, ut opus quoddam poenale, et laboriosum... alio modo, ut est impetratoria, quod est ipsi orationi proprium, quomodo etiam Beatorum orationes prosunt nobis, et animabus purgatorii, licet satisfactoriae non sint. » *Ieiunium*, et aliae corporis afflictiones, quo maiori rigore et perfectiori charitate a viventibus suscipiuntur, eo maius levamen defunctis afferunt. Ideo ut observat *V. Beda* in I Reg. XXXI, Galaaditae post mortem Saulis, ac filiorum eius *ieiunaverunt* [illegible] *tem diebus:* « recte, et ad litteram pro mortuis, ut ad requiem pervenire valeant, septem diebus ieiunatur. » *Eleemosyna*, sub qua omnia opera charitatis comprehenduntur, quo magis egenos in terra degentes sublevat, eo magis animas in purgatorio afflictas recreat, si in earundem suffragium offeratur. Nam Tob. IV, 11 legitur: *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Et Christus ipse ait: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (3). Quamvis autem istae promissiones proxime ad illos spectent, qui opera charitatis exercent, remote tamen eleemosynae efficaciam ostendunt si defunctis applicetur. Ideo antiquissimus est mos pro animabus purgatorii eleemosynas dispensandi: et iam *S. Paulinus* (4) Alethium ob largas eleemosynas pro defuncta sua uxore distributas laudat. «Ad haec, ait *Bellarminus* l. c., iuvantur etiam defuncti indulgentiis; sed ideo non faciunt illae quartum genus suffragiorum, quia indulgentia nihil est aliud, quam applicatio satisfactionum, seu poenalium operum Christi, et sanctorum defunctis. Nam idcirco dicuntur indulgentiae concedi defunctis per modum suffragii, non per modum absolutionis; non enim potest Pontifex absolvere defunctos a poenis, quomodo absolvit viventes, quia illi non sunt ei subiecti, ut isti sunt: potest tamen tanquam summus dispensator thesauri Ecclesiae communicare illis opera poenalia, quae in thesauro sunt. » Et haec est ratio, quare illae tantum indulgentiae defunctis prodesse possunt, de quibus Pontifex declarat, quod etiam defunctis applicari possint, ut dicit *S. Thomas* in Suppl. (5).

2. Si quaeritur, *quis possit animas iuvare?* respondet *Bellarminus* (6):

(1) Cf. Al. Waibl, tract. 25, cap. 4, n. 20.
(2) Lib. 2 de purg., cap. 16
(3) Luc. 11, 41. (4) Epist. 33.
(5) [illegible] art. 10. (6) L. c. cap. 17.

« Qui potest suffragiis suis iuvare animas, est is, qui est iustus; homo enim iniustus non potest pro se satisfacere, et multo minus pro aliis. » Et sane — qui in statu peccati mortalis versatur, non potest opus meritorium pro vita aeterna perficere, et ideo nihil habet, quod defunctis applicet. Audiendus tamen est hac de re *S. Thomas*, qui l. c. ad eandem quaestionem respondens ait: « In suffragiis, quae per malos fiunt, duo possunt considerari: *Primo*, ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris, et quia nostra sacramenta ex seipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam aequaliter explent, per quoscunque fiant; et quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operantis, et sic distinguendum est: quia operatio peccatoris suffragia facientis, potest uno modo considerari, prout est eius, et sic nullo modo meritoria esse potest, nec sibi, nec aliis. Alio modo, in quantum est alterius, quod dupliciter contingit: uno modo, in quantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiae, sicut sacerdos, dum dicit in Ecclesia exequias mortuorum; et quia ille intelligitur facere, cuius nomine vel vice fit, ut patet ex Dionysio (1), inde est, quod suffragia talis sacerdotis, quamvis sit peccator, defunctis prosunt. Alio modo, quando agit ut instrumentum alterius; opus enim instrumenti est magis principalis agentis: unde, quamvis ille, qui agit ut instrumentum alterius, non sit in statu merendi, actio tamen eius potest esse meritoria ratione principalis agentis, sicut si servus in peccato existens quodcunque opus facit misericordiae ex praecepto domini sui charitatem habentis: unde si aliquis in charitate decedens praecipiat, sibi suffragia fieri, vel alius praecipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamvis illi, per quos fiunt, in peccato existant: magis tamen valerent, si essent in charitate, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent. »

3. Si quaeritur, *quibus prosint suffragia?* certum est, Ecclesiae suffragia non prodesse beatis, nec damnatis, sed solum iis, qui in purgatorio degunt, quia priores non egent, posteriores non possunt iuvari: id iam docuit *S. Augustinus* in Enchir. (2), et l. de cura pro mortuis (3). Idem probat *S. Thomas* in suppl. (4). Et generatim hac de re omnes scholastici consentiunt. — Non autem consentiunt, dum quaeritur, *utrum suffragia, quae fiunt pro uno defuncto, magis prosint ei pro quo fiunt, quam aliis? — S. Thomas* l. c. (5) ita disserit: « Circa hoc fuit duplex opinio: quidam enim, ut *Praepositivus*, dixerunt, quod suffragia pro uno aliquo facta non magis prosunt ei, pro quo fiunt, sed eis, qui sunt magis digni. Et ponebat exemplum de candela, quae accenditur pro aliquo divite, quae non minus prodest aliis, qui cum ipso sunt, quam ipsi diviti, et forte magis, si habeant oculos clariores: et etiam de lectione, quae non magis prodest ei, pro quo legitur, quam aliis, qui simul cum eo audiunt, sed forte aliis magis, qui sunt in sensu capaciores. Et si eis obiiciereturr, quod secundum hoc ordinatio Ecclesiae esset vana, quae pro aliquibus specialiter orationes instituit; dicunt, quod hoc Ecclesia fecit ad excitandam devotionem fidelium, qui proniores sunt ad facienda specialia suffragia, quam communia, et frequentius etiam pro

(1) Lib. de eccl. Hier. cap. 7.
(2) Cap. 110. (3) Cap. 1.
(4) Q. 71, art. 5, 6 et 8. (5) Art. 12.

suis propinquis orant, quam pro extraneis. Alii e contra dixerunt, quod suffragia magis valent pro eis, pro quibus fiunt. — Utraque autem opinio secundum aliquid veritatem habet; valor enim suffragiorum pensari potest ex duobus. Valent enim uno modo ex virtute charitatis, quae facit omnia bona communia; et secundum hoc magis valent ei, qui magis charitate est plenus, quamvis pro eo specialiter non fiant; et sic valor suffragiorum attenditur magis secundum quandam interiorem consolationem, secundum quod unus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem, quantum ad diminutionem poenae; post mortem enim non est locus acquirendi gratiam, vel augendi, ad quod nobis in vita valent opera aliorum ex virtute charitatis. Alio modo valent suffragia ex hoc, quod per intentionem unius alteri applicantur, et sic satisfactio unius alteri computatur: et hoc modo non est dubium, quin magis valeant ei, pro quo fiunt, imo sic ei soli valent; satisfactio enim proprie ad remissionem poenae ordinatur: unde quantum ad remissionem poenae praecise valet suffragium ei, pro quo fit, et secundum hoc secunda opinio plus habet de veritate quam prima. » Et ad exemplum obiectum de candela ait (1): « In quantum suffragia sunt quaedam satisfactio per intentionem facientis translata in alterum, non sunt similia lumini, sed magis solutioni alicuius debiti; non autem est necesse, ut, si debitum pro uno solvitur, quod ex hoc debitum aliorum solvatur. » Et cum sibi obiecisset, quod posita hac sententia pauperes essent peioris conditionis quam divites, respondet (2): « Nihil prohibet, divites quantum ad aliquid esse melioris conditionis, quam pauperes, sicut quantum ad expiationem poenae: sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni regni coelorum, in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur ex verbis Christi: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum* (3). » Porro pauperes participant de communibus Ecclesiae suffragiis, imo frequenter a propinquis et amicis, et ab aliis fidelibus, pro animabus derelictis orantibus, specialiter iuvantur, quorum suffragia ex puriori charitate suscepta quandoque efficacius pauperibus subvenire possunt.

4. Si quaeritur, *quomodo suffragia prosint defunctis?* in responsione non concordant theologi. Nonnulli enim, teste *Suarez* (4), putant, duntaxat per modum impetrationis suffragia prodesse defunctis: alii autem dicunt, quod suffragia etiam per modum satisfactionis animas purgatorii iuvent, quia Deus benignissimus satisfactiones vivorum pro defunctis oblatas acceptat, ut iustitiae divinae nihil subtrahatur, et simul misericordia divina ostendatur. Haec est sententia communior et solidior, cui adhaeret etiam *Bellarminus*, qui dicit, orationem duplici modo defunctos iuvare, nempe per modum impetrationis, et per modum satisfactionis. — Incognita nobis etiam est mensura auxilii per suffragia nostra defunctis praestiti; et ideo sine speciali revelatione nunquam certi esse possumus de animae ex purgatorio liberatione. Nam, inquit *Cl. Henr. Holden* in Analysi divinae fidei (5): « Nullae vivorum fidelium preces et orationes pro defunctorum animabus oblatae, nequidem ipsummet sacrosanctum Missae sacrificium tantae sunt efficaciae et certitudinis, ut semper et infalli-

(1) Ad 1. (2) Ad 3. (3) Matth. 5. (4) Disp. 48 de purgat. Sect. 5.

(5) Lib. 2, c. 6, § 2.

biliter effectum consequantur. Haud agunt enim, vel effectum producunt haec suffragia ex opere operato, ut loquuntur theologi, sed eum tantummodo virtutis gradum obtinent, quem divina Bonitas in misericordissima sua acceptatione, offerentis, aut deprecantis, habita pietatis ratione, illis attribuere dignatur. » Et quamvis alii theologi asserant, sacrificium Missae ex opere operato sicut vivis, ita et defunctis prodesse, ipsimet tamen fatentur, non posse a nobis cognosci et determinari fructum, quem animae purgatorii ex illo percipiunt. Ideo etiam Ecclesia non solum permittit, sed quandoque etiam praecipit, ut pro una eademque anima plures Missae celebrentur. Caeterum sufficit nobis, ut de fide certi simus, suffragia defunctis prodesse, nec opus est, ut modum et mensuram subsidii praestiti cognoscamus. Sapientissime Deus haec nos ignorare voluit, ut semper bonis operibus insistentes, et suffragia multiplicantes, moralem nostram perfectionem continuo promoveamus.

5. Si denique quaeritur, *an suffragia pro defunctis prosint etiam vivis, qui eadem perficiunt?* omnes affirmative respondent. Nam in quolibet bono opere duplex meritum invenitur, meritum remunerationis, et meritum satisfactionis: prius semper manet homini bonum opus ponenti, meritum autem satisfactionis potest alteri donari; et sic, ut docet *S. Thomas*, solvitur debitum eius, pro quo applicatur, non illius, qui applicat. Non autem ideo putandum est, quod suffragium praestans aliquod detrimentum patiatur. Sicut enim eleemosynam dispensans dominium quidem pecuniae, quam erogat, amittit, aliunde autem maius emolumentum capit iuxta dictum Christi: *Date, et dabitur vobis; mensuram bonam et confertam, et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum* (1); ita etiam eleemosynam spiritualem distribuens longe maiora consequitur emolumenta, quia opus charitatis exercet, charitas autem operit multitudinem peccatorum. Ideo S. *Thomas* (ibid.) animabus purgatorii subvenienti applicat dictum Ps. XXXIV, 13: *Oratio mea in sinu meo convertetur;* et porro citat *S. Io. Damascenum* in Serm. pro mortuis dicentem: « Quemadmodum unguento, vel alio oleo sancto circumlinire volens infirmum, primo ille, scilicet liniens, participat unctionem, et sic postea perungit laborantem, sic et quicunque pro proximi salute agonizat, primo sibi ipsi prodest, deinde proximo. » Dubitari etiam non potest, animas bonas, sanctas et charitate plenas, saltem cum ad beatitudinem pervenerint, per intercessiones suas magna beneficia impetrando se gratas ostensuras esse.

Nota 1. Quaestio movetur, utrum *animae purgatorii etiam ab Angelis et Sanctis in coelo suffragia consequantur?* — Ut autem haec quaestio solide pertractetur, certa ab incertis distinguenda sunt. Certum est, Angelos et Sanctos, qui non sunt in via, sed in patria, opera meritoria et satisfactoria perficere non posse, atque ideo nihil habere, quo animabus purgatorii *per modum satisfactionis* subveniant, earum debita solvendo. Quaestio ergo ad hoc reducitur, num Angeli et Sancti animabus purgatorii *per modum impetrationis*, seu *per intercessiones suas* subveniant? Nonnulli affirmative, alii negative respondent. *Viator a Cocaleo* (2) ex orationibus Ecclesiae probat, sanctos pro animabus purgatorii vere intercedere, eisque subvenire. Ait enim Ecclesia,

(1) Luc. 6, 38.

(2) Tentamina, t. 6 diss. 3 de purg. can. 4.

dum orat pro vivis et defunctis: *Quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur.* Et in oratione: *Deus veniae largitor,* etc. Deum precatur, ut eos, *qui ex hoc saeculo transierunt, B. Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.* Ergo Ecclesia credit, B. V. Mariam, et omnes sanctos pro animabus purgatorii intercedere. Alterum argumentum desumitur ex communione sanctorum, vi cuius Ecclesia purgans sicut cum militante, ita etiam cum triumphante unum corpus constituit, cuius caput Christus est; et ideo, sicut a militante suffragia obtinet, ita a triumphante per intercessiones iuvatur. Nam si, ut fert catholicum dogma, Angeli et Sancti pro hominibus viatoribus intercedunt, cur non poterunt pro defunctis intercedere? Apostolus clamat: *Charitas nunquam excidit* (1); ergo charitas beatorum perfectissima erga homines continuatur, etiam cum ex hoc saeculo exierunt, et purgationi subiiciuntur. Quod si negaretur, magna inconvenientia sequerentur; nam, ait praelaudatus Auctor: « Consequenter nec pauperes, cum ad regnum coeleste adsumuntur, pro benefactoribus suis in purgatorio detentis orare poterunt; nec filii beatitudine donati pro parentibus in purgatorio, aut vice versa; nec animae salvatae per ministerium Pastorum, concionatorum, aut missionariorum intromittere se valeant apud Deum, et vice versa. Quis hoc ferat? quis huiusmodi legibus fidem suam praestabit? Pauperes, parentes, parochi, sacerdotes etc. ad se quo modolibet spectantes commendare et adiuvare poterunt apud Deum in terris, et in altera vita non poterunt? Arguebat *D. Hieronymus* egregie contra Vigilantium de Moyse, de Paulo et aliis sanctis, cum dicebat: *Si viventes potuerunt Deum hominibus placatum reddere, multo magis id possunt mundo mortui, et Deo coniuncti.* Ita porro etiam de sanctis erga purgatorium arguendum est. Si pauperes viventes, si haeredes, si parentes animas defunctorum sibi cohaerentium suffragiis adiuvare potuerunt, absonum est dicere, id eos non valere, qui nunc regnant cum Christo. » Denique a variis auctoribus exempla adducuntur, quae ostendunt, animas per intercessionem B. V. Mariae, S. Angeli custodis, et aliorum sanctorum e purgatorio liberatas fuisse. — His non obstantibus alii dantur theologi, qui cum *Dominico Soto* (2) contendunt, Angelos et Sanctos animabus in purgatorio detentis suffragia praestare non posse. Pro *primo* argumento adducunt silentium S. Scripturae et Ss. Patrum. In illa enim frequenter commemorantur auxilia hominibus viatoribus ab Angelis praestita, nihil autem legitur de subsidio a Coelitibus praestito animabus purgatorii: ita etiam Ss. Patres saepe commendant preces a fidelibus viventibus pro defunctis fundendas, nullibi autem intercessiones angelorum et sanctorum pro defunctis laudant. — *Secundo* observant, sanctos pro nobis quidem gratias impetrare, quae utpote dona gratuita precibus conceduntur, disparem autem esse conditionem animarum in purgatorio detentarum. Pro istis enim debita solvenda sunt, seu satisfactio est praestanda, quam exigit iustitia divina, dicente Christo: *Non exies inde, donec reddas novissimum*

(1) I Cor. 13, 8.

(2) In 4, Dist. 45, q. 3, art. 2.

quadrantem (1); sed Angeli et Sancti, cum non sint in statu viae, non possunt merita satisfactoria ponere; ergo non possunt animabus purgationi subiectis auxilium praestare. *Tertio* aiunt, purgatorium exhaustum semper iri omnibus animabus, si admittitur, B. V. Mariam, Angelos et Sanctos easdem e carcere liberare posse. Coelites enim pro perfecta, qua animantur, charitate pro omnibus continuo orarent, et cum Ecclesia triumphans citius et efficacius exaudiatur quam militans, nulla unquam anima in expiatione gravi et diuturna perduraret: ex quo sequeretur, purgatorii poenas non admodum timendas, neque a fidelibus viventibus magnam curam gerendam esse, ut defunctis subveniant, cum aliunde efficacius auxilium obtineant; his autem positis efficacissima moralitatis motiva et media tollerentur. — Negari non potest, pro utraque sententia gravia adesse argumenta; quamobrem tertiam sententiam apponere licet, quae in medio stat, et utramque priorem conciliare valet. Dici nempe potest, Angelos et Sanctos *directe* quidem non posse animas purgatorii adiuvare, sed tamen *indirecte* posse satisfactionem pro ipsis praestandam, et sic earundem liberationem ex purgatorio promovere. Possunt nempe per efficacissimam intercessionem suam a Deo impetrare, ut per gratias suas actuales fideles viventes ad suffragia defunctis praestanda excitet: quod iuxta ordinem providentiae divinae coelites eo promptius et uberius praestabunt, quo magis vel ab ipsis animabus in terra degentibus iam venerati et invocati fuerant, vel a fidelibus viventibus pro defunctis coluntur et invocantur. Multi praeterea putant, quod, sicut Ecclesia, indulgentias per modum suffragii pro defunctis concedens, efficit, ut animae purgatorii de thesauro Ecclesiae participent, ita etiam Angeli et Sancti per intercessiones suas efficere possint, ut Deus satisfactionem, seu solutionem debitorum ex eodem thesauro acceptet. Admissa hac tertia sententia facile intelligitur, quare Ecclesia in orationibus suis pro defunctis ad intercessionem B. V. Mariae et sanctorum recurrat; et in eadem sententia salvatur communio sanctorum, atque nexus inter Ecclesiam triumphantem et purgantem manifestatur.

(1) Matth. 5, 26. (2) L. 6 Revel. c. 66.
(3) Lib. 2 de purg. cap. 16.
(4) In 4, Dist. 45, q. 2, a. 3.

Nota 2. Quaestio etiam movetur, an restitutio rei alienae pro defunctis necessaria, aut utilis censenda sit? — Nam saepe dicuntur animae apparere, ac petere, ut restitutio pro ipsis fiat earum rerum, quas ipsae aut oblitae sunt, aut non potuerunt restituere: et *S. Birgitta* (2) affirmat, animam tamdiu cruciari, donec restituatur, quod iniuste ablatum est: haec opinio frequens in plebe christiana invenitur, et ideo decet theologum nosse, quid de ea iudicandum sit. Audiamus igitur *Cl. Bellarminum*, qui loc. cit. (3) de allata quaestione haec scribit: « Respondet *Dominicus a Soto* (4) eiusmodi restitutionem non iuvare, si fiat, nec obesse defuncto, si non fiat; nam Deus non punit nisi pro culpa propria in hac vita contracta: vel ergo defunctus peccavit non restituendo, vel non peccavit; si non peccavit, quia forte non potuit, aut bona fide possedit, non debet etiam puniri; si autem peccavit, punietur pro culpa negligentiae illius in purgatorio. sed posteaquam poenas debitas dederit, salvabitur, sive res illa restituatur, sive non; ille enim iam est factus impotens simpliciter ad restituendum, neque debet pendere salus eius ab

alterius voluntate; alioquin posset anima in purgatorio manere in aeternum, si nimirum haeres nunquam restitueret: quare si restitutio possit fieri, et non fiat negligentia haeredis, peccabit quidem haeres, non tamen id nocebit animae; si vero fiat, nihil proderit animae illi, quia restitutio non est satisfactio pro culpa; satisfactio est enim opus poenale; poenale autem est dare suum, non restituere alienum. — Ad illas apparitiones respondeo, forte animas non petere restitutionem ut restitutionem, sed ut eleemosynam; licet enim non prosit animae, si restituat rem alienam is, qui tenetur restituere, bene tamen proderit, si restituat alius, qui non tenetur; illa enim eleemosyna quaedam est, et proinde satisfactoria. »

E. *De intercessionibus animarum purgatorii pro benefactoribus suis.*

§ 774. Suffragia, quae animabus purgatorii praestantur, a Deo remunerari, omnes theologi docent. Opera enim charitatis magnam mercedem recipiunt (1): animas vero iustas, et dire cruciatas iuvare, magnum esse opus charitatis, nemo dubitat. Certum pariter est, animas ex purgatorio liberatas, et coelesti beatitudine donatas pro benefactoribus suis orare posse, quia sanctae et Deo unitae, atque orare velle, quia charitate plenae sunt. Quaestio autem est, an iam in purgatorio pro aliis orare, et gratias impetrare possint? qua de re duplex datur sententia.

1. Nonnulli theologi negant, animas, quamdiu in purgatorio detinentur, pro benefactoribus suis orare posse. Ipse *S. Thomas* (2) non quidem materiam istam ex professo pertractans, sed obiectionem ex indigitata sententia penitam solvens ait: « Illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad poenas, quas patiuntur. Et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis, ut oretur pro eis. » Hanc sententiam alii theologi confirmant ex eo, quod animae in purgatorio detentae non cognoscant preces nostras in particulari; non enim vident eas in Verbo, nec ullum est fundamentum asserendi quod animas poenis subiectas, et patientes sic Deus honoret, ut speciali revelatione res viventium ipsis patefaciat. Denique si animae in purgatorio orarent pro nobis, essent etiam invocandae: sed id non fert Ecclesiae consuetudo, quae est in omnibus aemulanda.

2. Communior theologorum sententia est, animas in purgatorio detentas iam in isto statu pro benefactoribus suis orare, eisque gratias impetrare; nam, ut testatur *Viator a Cocaleo* (3), *S. Thomae* « opinio a plerisque deseritur: » Et sane - animae in purgatorio existentes sunt sanctae per charitatem Deo unitae: praecipua ergo conditio ad orandum requisita in ipsis invenitur, et quamvis pro se mereri, et sibi subvenire non possint, id non impedit, quominus pro aliis orare possint, nam etiam *Iob* (cap. ult.) in tentatione, et afflictione positus pro amicis suis orare potuit, eique commissarum veniam culparum impetrare. Neque alia impedimenta obstant. Nam, ait, *Viator a Coc.* cum *Marcullio*: « Si animae non orant pro nobis, causa est, vel quia non vident Deum, vel quia sunt in maximis tormentis, vel quia sunt nobis inferiores. Sed nihil horum dici potest; nam etiam tempore V. T. orabant Sancti defuncti pro vivis, ut II Mach cap.

(1) Matth. c. 10, v. 42; et cap 25, v. 34, etc.
(2) 2 2, q. 83, art. 11 ad 3.
(3) Tract. t. 6 de purg. cap 5.

ult. patet, cum tamen nec illi viderent Deum. Neque altera ratio obstat, nam Evangelium refert divitem in inferno pro fratribus suis orantem (Luc. XVI) licet in gravioribus tormentis constitutum ac sint animae in purgatorio. Addunt (theologi), dolorem animabus non perturbare ullo modo iudicium rationis, nec impedire affectum bonae voluntatis... Non pensitant rationem tertiam, quia animae illae sint nobis inferiores, nam in hoc mundo orant pauperes pro divitibus, et subditi pro principibus, et Clerici pro Episcopis, et summis Pontificibus, licet sint illis maiores et superiores: quin etiam funduntur preces a minus rectis pro sanctis, et perfectioribus, quemadmodum praestitere olim Christiani a D. Paulo rogati pro semetipso (Rom. XV). Addere non cessant, quod, si animae sunt nobis inferiores quoad poenas, maiores tamen nobis sunt ratione charitatis, in qua sunt confirmatae; consequenter earum preces, ex charitate elicitas, sin pro se, saltem pro aliis potiorem gradum servare, facile est credendum. » Quamvis autem animae in purgatorio non cognoscant preces nostras in particulari, docet tamen *Cl. Suarez* (1): « Generatim (animas purgandas) orare posse pro Ecclesia militante, eiusque rectoribus, aliisque, quos ignorare nequeunt et vitam agere, et suas preces mereri, ut merentur omnes, qui iis opitulantur. » Non incongrue autem dicitur, animas in purgatorio per Angelos custodes notitiam suffragiorum consequi posse, quae pro ipsis offeruntur. Nam Hebr. I, 14 de Angelis dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?* inter istos autem etiam animas purgatorii numerandas esse, nemo dubitat. Caeterum necesse non est, ut animae preces nostras in particulari cognoscant, quia Deus omniscius generales earumdem intercessiones benefactoribus ipsarum applicabit. Ecclesia nil circa hanc quaestionem definivit, et animarum purgatorii invocationem nec commendavit, nec reprobavit; cum autem in genere sanctos invocat, sub istis etiam animae in purgatorio detentae intelligi possunt.—Dantur theologi, qui putant, etiam *S. Thomam* nostrae sententiae non adversari. Audiatur *Cl. Billuart* (2) scribens: « Quidam existimant, quod (animae purgandae), licet non sint in statu orandi, sed potius in statu patiendi, nihilominus orent pro nobis, quia, inquiunt, non eadem sunt *non esse in statu orandi, et non orare*, sicut nec eadem sunt *orare, et esse in statu orandi*. Sic qui detinetur captivus, non hostili, sed amico, et paterno affectu, licet hoc ipso, quo detinetur captivus, non sit in statu orandi, tamen potest orare pro se, et pro aliis. Similiter, inquiunt, animae in purgatorio consciae paterni affectus Dei erga illas, possunt et pro se, et pro aliis orare, easque de facto orare putant, quia vera charitate flagrant, nec affectum, quem in via erga nos habebant, et quo pro nobis orabant, deposuerunt, nec aliquid impedit, quin de sua salute securae, de nostra sint sollicitae. Accedit, quod remaneant in communione sanctorum. Ita *Sylvius* in suppl. (3) citans *Estium*, *Bellarminum* et *Medinam*. Haec sententia non est improbandis, forte tamen minus consentanea menti S. Thomae. »

(1) Lib. 1 de orat. cap. 11.
(2) Tract. de Relig. Diss 2, art. 4. det. 4.
(3) Q. 71, art. 6 ad 1.

Usus doctrinae de purgatorio.

§ 775. 1. Utilissima est fidelibus viventibus frequens poenarum purgatorii consideratio. Sicuti enim meditatio inferni nos a peccatis mortalibus, ita consideratio purgatorii a peccatis venialibus retrahere debet. Quis enim malitiam peccati venialis non cognoscet, quod tam diris cruciatibus a Iudice iustissimo punitur? quis non intelliget, facilius esse, sensus suos in hac vita refrenare, et inordinatos affectus compescere, quam in altera vita atrocissimis poenis torqueri? in hunc profecto finem Deus nobis purgatorii poenas minatur, ut leves quoque culpas magna solicitudine vitare satagamus: unde etiam huius dogmatis revelati est *iste omnis fructus, ut auferatur peccatum* (1). Eadem doctrina nos etiam ad bona opera impellere debet, quibus pro peccatis quoad culpam quidem, sed non quoad poenam temporalem remissis Deo satisfaciamus, et debita coram tribunali divino contracta deleamus. Nam, inquit *S. Bonaventura* in compend. Theolog. (2): « Omnes adstricti tenentur ex decreto divinae iustitiae, donec reddiderint novissimum quadrantem; cuius ratio est, quia in supernam Ierusalem nihil inquinatum intrare potest; impossibile est, animam intrare regnum gloriae, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum est in libris Regum, ubi dicitur: *Malleus, et securis non sunt audita in aedificatione templi;* prius enim quadrabantur, et dolabantur lapides, et ligna in Libano, et postea collocabantur in templo. Sic lapides vivi necessario in hac vita quadrantur, et poliuntur merito, vel post hanc vitam igne purgatorio, antequam superaedificentur in coelo. » Longe autem levior et facilior est satisfactio in hac vita, quam in altera. Hinc Christus ipse Matth. V, 25 nos monet, ut *in via* adversario consentiamus, seu exactori solvamus, ne in durissimum carcerem proiiciamur. Continuo igitur solliciti esse debemus, ut per opera orationis, mortificationis et charitatis, imo et per indulgentias a debitis nostris liberemur.

2. Iuxta doctrinam catholicam de communione sanctorum etiam animae purgatorii intime nobis coniunctae sunt, et in praecepto Christi comprehenduntur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (3). Quamobrem de obligatione nostra ipsis subveniendi dubitare non possumus; nostro enim auxilio maxime indigent, quia seipsas iuvare nequaquam possunt, et in maxima afflictione inveniuntur, poenam damni et poenam sensus sustinentes, et nostrum porro auxilium maxime merentur, tum quia sunt animae sanctae, et Deo carae, tum quia praestita sibi suffragia grato animo per intercessiones suas largiter remunerantur. Quid ergo moramur nostris in Christo fratribus, qui ad idem nobiscum corpus Christi pertinent, precibus et sacrificiis succurrere? Quid moramur, eosdem a poenis, quas gravissimas esse novimus, precibus nostris liberare, atque felicitatis aeternae portam illis aperire? Cogitemus, eandem post fata nobis sortem manere, quae modo premit forte nobis olim amicissimos, forte benefactores, forte ipsos parentes nostros; et faciamus, quod nobis aliquando fieri volumus. Pro animarum purgatorii liberatione nunquam laborare cessemus, verum sedulo instemus sacrificiis, precibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisque operibus bonis, ut, dum earum poenas leviores et breviores reddimus, nostra

(1) Isa. 27, 9. (2) Lib. 7, c. 3. (3) Matth. 22, 39.

merita augeamus, et amicos nobis faciamus, qui nos in aeterna tabernacula recipiant.

3. Cum doctrina catholica de purgatorio ad salutem vivorum, et defunctorum ordinetur, dubitari nequit, eam a verbi Dei praeconibus frequenter, et ferventer fidelibus proponendam esse. Qua de re attendendum est monitum *Conc. Tridentini* Sess. XXV, decr. de purg. dicentis: *Praecipit sancta synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus, et sacris Conciliis traditam a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores, ac subtiliores quaestiones, quaeque aedificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quae specie falsi laborant, evulgari, ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant.*

ARTICULUS III.

De Coelo.

§ 776. Laetissima est sors animarum, quae omnino purae ex hac vita migrant, quia, ut iam § 755 probatum est, statim in loco beatitudinis excipiuntur, qui *Coelum* vocari solet. In eundem locum etiam animae ex purgatorio transferuntur, cum a maculis venialibus emundatae, et a debitis suis liberatae fuerint. Convenit, ut summam istarum animarum felicitatem sedulo consideremus, quae *immunes sunt ab omni malo, omni bono fruuntur*, et quod potissimum est, *visione Dei beatifica gaudent*, in qua beatitudo earum essentialis consistit.

Nota. In coelo non solum animae, sed etiam corpora electorum glorificantur et beatificantur: cum autem gloria et gaudia corporum beatorum post resurrectionem demum incipiant, inferius de istis tractandum erit.

I. *Animae in coelo sunt immunes ab omni malo.*

§ 777. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet*(1). Cuius dicti divini veritatem continuo exprimitur, in hac lacrymarum valle modo duris laboribus attriti, modo calumniis et persecutionibus agitati, modo infortuniis perculsi, modo morbis et doloribus corporis afflicti, modo dubiis, anxietatibus et timoribus cruciati. Omnes autem istae adversitates penitus cessabunt, atque animae nostrae a quocunque malo, seu incommodo immunes erunt, cum in coelum pervenerint. Laetissima haec veritas *ex S. Scriptura, ex Traditione* et *ex ratione theologica* probatur.

1. *S. Scriptura V. et N. Test.* sat clare docet, beatos in coelo ab omni adversitate esse immunes. Isaias, cum faustissima Messiae tempora praedicit, saepe mentem altius extollit, et beatitudinem describit, quam Redemptor electis suis concedet: ita cap. XXV, v. 8 inquit: *Praecipitabit mortem in sempiternum; et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est:* cap. XLIX, v. 10 de redemptis e electis dicitur: *Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos aestus et sol: quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos:* et cap. LX,

(1) Iob 14, 1, etc.

18 etc.: *Non audietur ultra iniquitas in terra tua,* (nec) *vastitas, et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam et complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum haereditabunt terram, germen plantationis meae, opus manus meae ad glorificandum:* quae verba de coelesti tantum beatitudine intelligi possunt, et manifeste docent, a coelitibus omne malum, et quamcunque adversitatem longe abesse. Consonat cum Isaia S. Ioannes in Apocalypsi (1) de coeli incolis dicens: *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus: Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit, qui sedebat in throno: ecce nova facio omnia* (2). Quodlibet etiam malum morale, seu quodcunque peccatum a coelitum congregatione exclusum manet, quae idcirco a S. Petro dicitur *haereditas incontaminata* (3), et a Paulo *non habens maculam, aut rugam, sed sancta et immaculata* (4).

2. *Ss. Patres* passim contestantur, beatorum statum ab omni esse malo immunem. *S. Athanasius* Serm. 3 contra arianos de coelitibus ait: « Tales sunt, quales ipsi Angeli, et in Christo Iesu nova est creatura, neque vel masculus, vel foemina, sed omnia in omnibus erit Christus. Ubi porro Christus, quod genus metus, ac periculi erit? » *S. Basilius* Hom. 10 in Ps. CXIV ita coelum describit: « Est ea viventium beata regio, in qua non nox, non somnus, mortis imitatio quaedam, non cibus aut potus, humanae infirmitatis praesidia, non praeterea morbus, non dolor, aut medicina—non pecunia, malorum origo, bellorum materia, inimicitiae radix inveniuntur: sed est regio viventium, non morientium ob peccatum, sed veram vitam viventium in Christo Iesu. » *S. Ephraem* lib. de compunctione (5) inquit: « Plorate, fratres, in conspectu Domini, ut gaudere nos faciat in regno suo, in vita illa immortali, ubi fugatur dolor, tristitia, et gemitus; ubi nec lacrymis aliquis, nec poenitentia indiget; ubi non est timor, et tremor; ubi non est mors, et corruptio; ubi non est adversarius, et impugnator; ubi non est exacerbatio inobedientiae, et ira contentionis; ubi non est odium, et inimicitia, sed omnino gaudium, et laetitia, et exultatio, et mensa spiritualibus cibis plena, quam praeparavit Deus, cunctis diligentibus se. » *S. Chrysostomus* (6) de coelesti beatitudine disserens dicit: « Vera est illa requies, ubi aufugit dolor, tristitia et gemitus: ubi neque curae, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens et quatiens, sed solus Dei metus plenus voluptate. Non illic audietur: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, neque spinas, neque tribulos* (terra) *germinabit tibi.* Non est amplius: *In dolore paries filios tuos, et ad virum tuum conversio tua, et ipsi tibi dominabitur.* Omnia ibi sunt pax, gaudium, laetitia, voluptas, bonitas, mansuetudo, aequitas, caritas. Non est illic aemula-

(1) Cap. 7, 16. (2) Cap. 21, v. 4, etc. (5) Cap. 8.
(3) I Ep. 1, 4. (4) Eph. 5, 27. (6) Hom. 6 in Ep. ad Hebr. n. 4.

tio, et invidia, non morbus, non haec mors corporis, non illa mors animae, non sunt tenebrae, neque nox : omnia sunt dies, omnia lux, omnia quies. Non est illic defatigatio, non satietas, sed semper erimus in perpetuo bonorum desiderio. » *S. Augustinus* (1) ait: « Invenimus (hic in terris) miseros, super quos misericordiam facimus, et miserorum miseria facit nos compatientes. Quanto melius ibi iam esses, ubi non invenis esurientem, quem pascas; ubi non invenis peregrinum, quem suscipias; non nudum, quem vestias; non aegrum, quem visites; non litigantem, quem concordes? Omnia enim ibi summa sunt, vera sunt, sancta sunt, aeterna sunt. Panis noster ibi iustitia est; potus noster ibi sapientia est; vestis nostra ibi immortalitas est; domus nostra aeterna in coelis, firmitas nostra immortalitas. Numquid aegritudo subrepit? numquid lassitudo ad somnum trahit? nulla mors, nulla lis: ibi pax, quies, gaudium, iustitia: nullus intrat inimicus, nullus labitur amicus. » Idem, vel alius auctor lib. 3 (2) de symbolo ad Catech. (3) inquit: « Facilius possumus dicere in illa vita aeterna, quid non sit ibi, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla moestitia, nulla tristitia. Ecce diximus, quid ibi non sit: quid autem ibi sit, vultis nosse? Quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* etc. Si in cor hominis non ascendit, cor hominis illuc adscendat. » *S. Eucherius Lugdunensis* (4) ait: « Veniet tempus illud, quando iam nulla desideretur cibi, somnique refectio, nulla sentiatur i iunii lassitudo, nulla timeatur vel carne inquietudo, vel de hoste tent tio, sed adversario in inferni profun contruso, perfruemur hac primum licitate, ut incipiamus nec velle ult nec posse, cessante omni iniquita omni miseria, omni moerore: totu innocentia, totum laetitia, totum fe citas possidebit. » *Theodoretus* in P XCI ait: « Quoniam futura vita ab h iusmodi curis (quae in terra homin continuo affligunt) est libera, iure *quies* appellatur. Propterea et Paul exclamat: *Festinemus ingredi in quiem eius:* et rursus: *Numquid Sabbatismus populi Dei?* » *S. Bernardus* (5) de verbis Origenis dic « Absit, ut in coelo credatur loc esse tristitiae, sicut nec culpae. N mo ibi delinquere, nemo lugere p est, sicut nec in terra quidem poe ulla fuisset, nisi iniquitas praeces set. In coelo utique sola iustitia, s nihilominus laetitia est. »

3. *Ratio theologica* petitur ex na ra malorum, seu adversitatum, qu ut ex S. Scriptura et Ss. Patribus c stat, ideo tantum a Deo permittun vel infliguntur, ut aut peccata puni tur, aut perfectiores virtutes exerce tur, et ampliora merita congerant Sed in animabus, quae coelum ing diuntur, nullum est peccatum, q puniatur, nulla macula, quae pu tur, et pro iisdem desiit tempus rendi, quamobrem nullos actus r ritorios perficere possunt. Nulla e est ratio, quare incommoda senti aut adversitatibus affligantur. E c tra Deus vult, ut a laboribus suis quiescant, certaminum coronas meritorum praemia recipiant: nu ergo laboribus, pugnis et adversi bus in coelo locus datur.

(1) Enar. in Ps. 49, in v. 15, n. 22
(2) Seu Serm. 2. (3) Cap. 12.
(4) Hom. 1 de Epiph.
(5) Serm. de divers. S. 34.

II. *Animae in coelo fruuntur omni bono.*

§ 778. Beatitudo definitur a S. *Augustino* (1): « Rerum optandarum cumulata plenitudo; » a *Boëtio* (2): « Status omnium bonorum congregatione perfectus; » a S. *Thoma* (3): « Bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum. » Ad talem beatitudinem anima pervenit, coelum ingressa: in quo autem haec beatitudo formaliter consistat, mox dicetur. Interim iuvat praecipua divinae Revelationis testimonia referre, quae in genere ostendunt, coelum esse locum incundissimum, summaque felicitate incolas suas replere.

1. *In S. Scriptura* coelum talibus nominibus insignitur, et sub talibus imaginibus proponitur, quae clare manifestant, summam in illo felicitatem inveniri. Vocatur enim *regnum coelorum* (4); *regnum Dei* (5); *regnum Christi* (6). Quodsi terreni quoque regni nomen magnam significat dignitatem, potestatem et iucunditatem, quid de regno coelesti, de regno Dei et Christi dicendum erit? et hoc regnum habitatorum coeli proprium dicitur, in quod non ad serviendum, sed ad regnandum vocati sunt, dicente Apostolo de electis: *Regnabunt in saecula saeculorum* (7). Coelum porro appellatur *paradisus* (8), qui designat locum amoenitatis et deliciarum, omni bonorum genere refertum: quodsi talis paradisus terrestris fuit, in quo homines probandi erant, qualis erit paradisus coelestis, in quo electi remunerandi sunt? — Coelum iterum Matth. XXV, 21, nuncupatur *gaudium Domini*, id est, perfectissimum gaudium, quod Deum auctorem, exemplar, et obiectum habet. Quoniam per inventum thesaurum homines de repente felicissimi fieri creduntur, coelum quoque comparatur *thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum* (9). Quum nihil festivum magis ac hilare sit, quam convivium nuptiale, idcirco Matth. c. XXII, v. 2 per *convivium filii Regis nuptiale*, et Apoc. XIX, 17 per *Agni immaculati nuptias* aeternum gaudium delineatur. Eo quod nihil augustius est *corona*, et *throno*, sub his figuris sempiterna felicitas describitur; nam Iac. I, 12 dicitur de iusto: *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se;* et Apoc. III, 21 Christus ait: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.* Denique coelum nominatur *domus Patris* (10); *Civitas Dei* et *coelestis Ierusalem* (11). Sicut nempe regnum dicitur ob amplitudinem, dignitatem et potentiam, sic etiam civitas dici meretur ob magnificentiam et venustatem. Terrestris nempe Ierusalem, quando in maxima erat gloria reposita, typus fuit coelestis Ierusalem, seu beatitudinis aeternae; et de hac multo magis, quam de illa intelligenda sunt verba Tobiae c. XIII, v. 13, etc., dicentis: *Luce splendida fulgebis, et omnes fines terrae adorabunt te... Beati omnes, qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua... Portae Ierusalem ex sapphiro, et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius: ex lapide candido, et mundo omnes plateae eius sternentur: et per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus*

(1) Lib. 19 de Civ. Dei, c. 1.
(2) Lib. 3 de consol. Phil. pros. 2.
(3) I 2, q. 2, art. 8. (4) Matth. 5, 3.
(5) Marc. 9, 46. (6) Luc. 23, 42.
(7) Apoc. 22, 5.
(8) Luc. 23, 43; II Cor. 12, 4.
(9) Matth. 13, 44. (10) Io. 14, 2.
(11) Hebr. 12, 22.

Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum eius in saecula saeculorum super eam. Amen. Magnificentius coelestem Ierusalem, seu Civitatem Dei describit S. Ioannes in Apocalyp. dicens: *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide; ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis; secundum sapphirus; tertium calcedonius; quartum smaragdus; quintum sardonix; sextum sardius; septimum chrysolithus; octavum beryllus; nonum topazius; decimum chrysoprasus; undecimum hyacinthus; duodecimum amethystus. Et duodecim portae duodecim margaritae sunt per singulas, et singulae portae erant ex singulis margaritis: et platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius* (1).

2. Aliis insuper *argumentis biblicis* summa coeli felicitas probatur. Gen. XV, 1 Deus Abrahamo, fideli servo suo dixit: *Noli timere, Abraham: ego protector tuus sum* (in terra), *et merces tua magna nimis* (in coelo). David perfectam in altera vita expectans felicitatem dicit: *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor, cum apparuerit gloria tua* (2). Idem de electis inquit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen* (3). Per Isai. Deus quoque ait: *Ecce enim ego creo coelos novos, et terram novam: et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. Sed gaudebitis, et exultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo, quia ecce ego creo Ierusalem exultationem et populum eius gaudium* (4). Christus, Apostolos ad persecutiones patienter tolerandas exhortans, ait: *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis* (5). Alibi praemium centuplex et aeternum fidelibus servis suis in coelo promittit dicens: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (6). Paulus docet, omnes huius vitae aerumnas et tribulationes ut leves reputandas esse, si cum coelesti remuneratione comparentur, nam Rom. VIII, 18, ait: *Existimo - quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis;* et II Cor. IV, 17: *Quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Imo S. Scriptura testatur, tam immensam esse beatitudinem coelestem, ut verbis explicari, et mente concipi non possit. Isa. enim LXIV, 4 dicitur: *A saeculo non audierunt, neque auribus percepérunt; oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti exspectantibus te.* Et I Cor. II, 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.*

3. *Ss. Patres* de summa coeli beatitudine intime erant persuasi. S. *Clemens Rom.* I Ep. ad Corinth. n. 3 dicit, solum Deum magnitudinem et excellentiam coelestium praemiorum

(1) Apoc. 21, 18, etc. (2) Ps. 16, 15.
(3) Ps. 35, 9, etc. (4) Isa. 65, 17, etc.
(5) Matth. 5, 12. (6) Matth. 19, 29.

nosse, et ideo toto conatu nos ad hunc unicum finem tendere debere, ut divinarum promissionum participes reddamur, *S. Theophilus* (1) ait: « Deus iis, qui *secundum patientiam boni operis gloriam, honorem et incorruptionem quaerunt* (2), *vitam aeternam* donabit, et gaudium, pacem, requiem et multitudinem bonorum, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis sensit. » *Athenagoras* Legat. pro Christian. inquit: « Longe, quam sermone dici queat, esse scimus praestabiliorem, quam exspectamus, excepturam nos vitam, si puri ab omni iniquitate praesentem hanc transmiserimus. » *S. Cyprianus* (3) iustorum sortem in altera vita considerans exclamat: « Quae erit gloria, et quanta laetitia, admitti, ut Deum videas! honorari, ut cum Christo, Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias! Abraham et Isaac et Iacob et Patriarchas omnes et Prophetas et Apostolos et Martyres salutare, cum iustis et Dei amicis in regno coelorum datae immortalitatis voluptate gaudere, sumere illic, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Maiora enim nos accipere, quam quod hic operamur, aut patimur, Apostolus praedicat dicens: *Non sunt condignae* etc. » *S. Basilius* Hom. 6 in Hexaem. considerata astrorum pulcritudine, mentem ad ipsas sedes Beatorum elevans ita loquitur: « Si temporaria talia sunt, qualia erunt aeterna? item si visibilia adeo pulcra sunt, qualia censenda sunt invisibilia? Si coeli magnitudo exsuperat humanae intelligentiae mensuram, quisnam intellectus valeat sempiternorum natura perscrutari? Si sol ille corruptioni obnoxius, adeo pulcher est, — quali pulcritudine sol iustitiae praeditus est? Si hunc solem non conspicere caeco detrimentum est, quale est peccatori dispendium, vera luce carere? » — *S. Gregorius Nyss.* Orat. 1 de pauperibus amandis, magnas remunerationes iam in hac vita iis promittit, qui opera misericordiae perficiunt; et deinde pergit dicens: « At qualem studii, laborisque finem consequentur? Nunc quidem praeclaram spem, et laetitiae plenam exspectationem, postea autem, quando istius assidue fluentis carnis spoliis exuti immortalitatem induerimus, vitam beatam, nullum finem habituram, nullis malis obnoxiam, in summis et admirandis, quaeque hic a nobis cognitione comprehendi non possunt, versantem gaudiis et voluptatibus. » *S. Chrysostomus* Hom. 23 in Ep. ad Hebr. (versus finem), ut ostenderet, quam deflenda sit coelestis beatitudinis iactura, haec habet: « Nam quae dicendi facultas, quae intelligentia poterit explicare illam beatitudinem, et virtutem illam, voluptatem, gloriam, laetitiam, splendorem? *Quae oculus non vidit*, inquit, *quae auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt eum.* Non dixit, solum exsuperare, sed nec ullum unquam intellexisse, quae Deus paravit iis, qui ipsum diligunt. Cuiusmodi enim bona consentaneum est, esse ea, quae Deus praeparat et instruit? Si enim, cum nos fecisset, statim nulla re adhuc a nobis peracta tanta est largitus, paradisum, cum ipso collocutionem, immortalitatem est pollicitus, vitam beatam et a curis liberam: iis, qui tam multa fecerunt, qui adeo strenue decertarunt et pro ipso sustinuerunt, quid non donabit? Unigenito pro nobis non pepercit, germanum ac pro-

(1) Lib. 1 ad Autol. n. 14.

(2) Rom. 2, 7.

(3) Epist. 56.

priu.n filium propter nos ad mortem dedit: si nos, cum inimici essemus, talibus dignatus est bonis, quonam non dignabitur, qui facti sumus amici? » — *S. Augustinus* Enar. 2 in Ps. XXVI (1): *Ut videam voluptatem Domini*, etc., dicit: « Bonum ex quo cuncta sunt bona, ipsa est delectatio Domini. Hanc contemplabimur. Iam videte, fratres, si vos delectant bona ista, quae appellantur bona, si vos delectant bona ista, quae non sunt per se bona (omnia enim mutabilia non sunt per se bona): qualis erit contemplatio incommutabilis boni aeterni, semper eodem modo manentis? quandoquidem ista, quae dicuntur bona, nullo pacto nos delectarent, nisi ab illo essent, qui simpliciter bonus est.» Et ib. (2): *Credo videre bona Domini in terra viventium*, exclamat: « O bona Domini! dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, immutabilia! et quando vos videbo, bona Domini! » — *S. Petrus Chrysologus* (3) inquit: « O bonitas effusa, o ineffabilis affectio! in societatem census pastor oves assumit, atque ad consortium dominationis servos Dominus adsciscit, et ad participatum regni Rex gregem populi totius admittit! Sic, sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, cui vacuari potestas non potest largiendo. » *Salvianus* lib. adversus avaritiam (4) haec habet: « Apostolus, *Existimo*, inquit, *quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Indignum esse ad futurae gloriae comparationem omne opus dicit humanum. Et ideo nihil durum, aut austerum Christianis videri debet, quia, quantalibet pro sempiterna beatitudine Christo offerant, vile est, quod datur, ubi tam grande est, quod accipitur. Nihil magnum in terris ab homine Deo solvitur, ubi, quod es in coelo maximum comparatur. » *S. Gregorius M.* (5) dicit: « Si consideremus, — quae, et quanta sunt, quae nobis promittuntur in coelis, vile scunt animo omnia, quae habentu in terris. Terrena namque substanti supernae felicitati comparata, pondu est, non subsidium. Temporalis vit aeternae vitae comparata mors es potius dicenda, quam vita. — Qua autem lingua dicere, vel quis intel lectus capere sufficit, illa superna civitatis quanta sint gaudia, Angelo rum choris interesse, cum beatissi mis spiritibus gloriae Conditoris as sistere, praesentem Dei vultum cer nere, incircumscriptum lumen vide re, nullo mortis metu affici, incor ruptionis perpetuae munere laetari Sed ad haec audita inardescit animus iamque illic cupit assistere, ubi s sperat sine fine gaudere. » *S. Bernardus* (6) in verbis Ps. XXIII: *Quis ascendet in montem Domini?* etc., dici coelum esse montem istum, et per git: « Quidni montium mons, funda tus exultatione universae terrae, ub tam multiplex omnium delectabiliu copia, ubi copiarum omnium pleni tudo? erit enim mons pacis, mon gaudii, mons vitae, mons gloriae: hi omnes montes unus mons consum matae felicitatis. »

Nota. Vox *coelum* in Ss. Litteris hin inde sumitur pro aëre et nubibu seu pro firmamento stellis ornat communiter autem pro loco, in qu Angeli et Sancti aeternam retributi nem recipiunt. Recte coelum pro sp ciali loco haberi, manifeste pate quia Christus a terra dicitur *assum ptus in coelum*, qui et Apostolis d xit: *In domo Patris mei mansi*

(1) N. 8 in v. 4.
(2) N. 22 in v. 19.
(3) Serm. 23.
(4) Lib. 4, n. 9.
(5) Hom. 37 in Evang.
(6) Serm. de diversis, s. 33.

nes multae sunt — vado parare vobis locum.... iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis (1). Idem confirmatur ex eo, quod corpora Beatorum post resurrectionem animabus coniungenda, et futura in coelo aliquo loco indigeant, in quo existant: hinc nomine coeli non simpliciter status, sed specialis locus intelligi debet, licet *ubi* sit locus iste nesciamus. *Petavius* de opif. sex dierum lib. 1 (2) ait: « Minime quidem inficiari licet, esse beatum quoddam coeleste super omnia domicilium, Angelis et Sanctis omnibus attributum; sed cuiusmodi sit, nonnisi coniecturis et humanis commentis adseritur. » Caeterum communis opinio est, quod coelum, Sanctorum domicilium, sit locus supra coelum hoc adspectabile, omnesque stellas positus, - spatium lucidissimum, immobile, incorruptibile, latissimum, et habens plurimas mansiones, in quibus Beati omnigena felicitate fruuntur.

III. *Animae in coelo gaudent visione Dei beatifica.*

§ 779. Ut propositio haec rite intelligatur, et debito modo pertractetur, quaedam praenotanda sunt.

1. Duplex communiter distingui solet *beatitudo*, alia *obiectiva*, alia *formalis*. Obiectiva est illud ipsum bonum, quod nos totaliter et cumulate felices reddere potest: alia vero est beatitudo formalis, nempe huius boni plena et perfecta possessio. — Magna olim inter philosophos de beatitudine obiectiva exarsit contentio; quare in diversas ipsi abiere sententias, quarum decem cum suis auctoribus enumerat *Lactantius*(3). *Marcus Varro* apud *S. Augustinum* ostendit, sectas philosophorum de summo bono ita posse permisceri, ut ex ea permixtione bis centum octoginta octo sententiae, seu placita existant, non quae aliquando fuerint, sed quae esse potuerint. Divina postmodum revelatione affulgente, nullum dubium superest, Deum solum obiectum esse essentialis beatitudinis intelligentis naturae; beatitudinem autem formalem consistere in fruitione Dei, seu in visione Dei cum amore et gaudio coniuncta.

2. Consentiunt theologi, summam animarum in coelo existentium beatitudinem consistere in *visione* Dei intuitiva, quae propterea etiam *beatifica* appellatur. Nomen autem *visionis* hic sumitur sensu translato pro cognitione, quam per intellectum adipiscimur. Qua de re praeclare loquitur *S. Thomas* (4) observans: « Visionis nomen *primo* impositum est ad significandum actum sensus visus: sed propter dignitatem et certitudinem huius sensus extensum est hoc nomen secundum usum loquentium ad omnem cognitionem aliorum sensuum; dicimus enim, vide, quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum. Et ulterius etiam ad cognitionem intellectus secundum illud Matth.: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (5). » Ergo iuxta angelicum Doctorem quaelibet clara cognitio intellectus visio dici potest: praecipue autem hanc denominationem perfecta illa Dei cognitio meretur, quam Beati in coelo consequuntur. Huius iam visionis beatificae ostendere oportet *possibilitatem, existentiam, requisita, obiectum, coniunctionem cum amore et gaudio*, ac tandem *inaequalitatem*.

(1) Io. 14, 2, etc. (2) C. 2, § 8.
(3) Lib. 3 div. Instit. cap. 7.
(4) 1, q. 67, art. 1.
(5) V. 8.

A. *De visionis beatificae possibilitate.*

§ 780. Visio, de qua agimus, non fit oculis corporis, sed oculis mentis, nempe intellectu. Deus enim simplicissimus spiritus est, atque ideo oculis corporeis videri non potest, ut iam § 23 probatum fuit. Quoad intellectum vero triplex a scholasticis distinguitur visio; scilicet *abstractiva*, quae ex aliena specie oritur, ut cum ex cognitione effectus ad causae cognitionem mens nostra assurgit: *intuitiva*, qua res in se, et per se ipsam immediate cognoscitur; et *comprehensiva*, qua res cognoscitur, quantum in se ipsa cognoscibilis est, ut nihil prorsus lateat videntem. — Deum cognosci posse in hac vita *abstractive*, atque eo magis, quo maiori quis pollet intelligendi acumine, aperta res est, quae etiam confirmatur a Paulo dicente: *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* (1). Hinc hac de re, exceptis Scepticis, omnes consentiunt (§ 11). At circa visionem Dei *intuitivam* et *comprehensivam* aberrantes extiterunt. Nam saeculo IV *Aërius* eiusque discipulus *Eunomius*, atque utriusque asseclae *Anomaei* stultissima arrogantia Deum se clare et aperte videre, imo ita perfecte comprehendere gloriabantur, ut nec Deus seipsum perfectius comprehendat: cuius intolerabilis erroris testes sunt *S. Epiphanius* (2) et *Theodoretus* (3). Eundem fere errorem saec. XIV teste *Natali Alex.* (4), renovarunt *Beguardi* et *Beguinae*, docentes, Deum naturaliter ab intellectu creato intuitive videri posse, et animam non indigere lumine gloriae ipsam elevante ad videndum Deum. E contra eodem saeculo *Palamitae*, *Gregorii Palama* Thessalonicensis in Macedonia Episcopi sectatores, docuerunt, Deum non posse a Beatis videri, prout est in se, seu in sua essentia, nec supernaturaliter, sed tantum abstractive scilicet non ipsam Dei substantiam sed aliquam tantum lucem, seu claritatem ab illa distinctam et profluentem a Beatis aspici. — Hisce erroribus opponimus tria dogmata catholica, quae sequentibus propositionibus enunciantur: I. *Beati supernaturaliter Deum non comprehendunt nec comprehendere possunt:* II. *Deus ab intellectu creato per solas naturales vires non potest videri intuitive:* III. Verum *intellectus creatus, supernaturali roboratus auxilio, intuitive Dei essentiam videre potest.* Veritas huius doctrinae catholicae ex dicendis apparebit.

1. Deum ab intellectu finito comprehendi non posse, iam § 10 probatum est. Certum autem est, nequ Angelos, neque homines beatos intellectum consequi infinitum, quia, quod finitum est, infinitum fieri nequit, sicut una est essentia divina, ita una est intellectus infinitus. Ergo etiam Angeli et Beati in coelo visione D *comprehensiva* non gaudent. Nominal quidem consueverunt *Comprehensores*, sed non in sensu stricto huius vocis, quia Veteres saepe per visionem *comprehensivam* non intelligebant n si *intuitivam*. Monet enim *Petavius* d Deo lib. 7, c. 3, comprehensionem L tinis idem esse ac Graecis, κατάληψι quae vox a καταλαμβάνειν profluit, a proprie idem significat ac *assequi* vel *attingere*, id praesertim, quod v hementer assequi conati sumus. Hin ad animum translata dictio obscu rae, et hactenus occultae ac diu quae sitae rei certam perceptionem sign

(1) Rom. 1, 20. (2) Haer. 76.
(3) Haeret. fabul. lib. 4, cap. 3.

ficat: deinde cap. seq. talem fuisse veterum mentem, cum loquuntur de comprehensione Dei in coelo, lucidissime ostendit. Scholastici autem eandem vocem in sensu stricto sumpserunt, et ideo iuxta ipsos comprehensio nihil est aliud, quam *plena et ex toto rei alicuius cognitio*, ita ut non solum omnia accuratissime cognoscantur, sed etiam ita clare et perspicue, ut clarius cognosci nequeant: unde *S. Thomas* (1) inquit: « Illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur; perfecte autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum cognoscibile est. » Quo principio posito, ita argumentatur: « Unumquodque cognoscibile est, secundum quod est ens actu. Deus igitur, cuius esse est infinitum, infinite cognoscibilis est: nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere; in tantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius, vel minus perfecte cognoscit, in quantum maiori, vel minori lumine gloriae perfunditur. Cum igitur lumen gloriae creatum in quocumque intellectu creato receptum non possit esse infinitum, impossibile est, quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat: unde impossibile est, quod Deum comprehendat. » Ex eadem ratione iam Ss. Patres comprehensivam Dei visionem Beatis denegarunt. Hoc sensu *S. Basilius* (2) dixit: « Soli Filio cognitus est Pater, nec non Spiritui sancto, id est, solus Filius et Spiritus sanctus Deum perfecte comprehendunt. » *S. Gregorius Nyss.* (3) scribit: « Non est in hominum natura vis ad accuratam perceptionem divinae substantiae; ac fortasse parum est, istud de sola vi humana pronunciare; verum, etiamsi quis naturam corporis expertem inferiorem esse dicat, quam ut infinitam naturam capere et complecti cognitione possit, ille penitus non aberrabit. » *S. Ambrosius* in cap. 1 Lucae inquit: « Et quid de hominibus loquimur, cum etiam de ipsis coelestibus virtutibus et potestatibus legerimus, quia *Deum nemo vidit unquam?* — Ideo Deum nemo vidit unquam, quia eam, quae in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. » — *Titus Bostrensis* lib. 1 c. Manichaeos ait: « Videre substantiam Dei neque nobis, neque Angelis licet; siquidem nos, quamdiu corpore secundum naturam induti sumus, nec Angelos ipsos videre possumus. Manifestum est enim planeque confessum, qui videt, simile sibi videre. » — *S. Chrysostomus* (4) explicans ea verba: *Deum nemo vidit unquam*, ita loquitur: « Ipsum, quod est Deus, non solum prophetae, sed nec Angeli viderunt, nec Archangeli: sed si eos percunctaberis, nihil ab iis de substantia Dei audies, sed tantum canentes: *Gloria in excelsis Deo*... solus ergo Filius ipsum (Patrem) videt, itemque Spiritus sanctus. Creata quippe natura quomodo increatum videre possit? » Et (5) obiiciens sibi verba Christi: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, ita prosequitur: « Quaenam ergo haec sententia est? quae et in hoc loco: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* de illa, quae secundum mentem est, visione loquitur nobis possibili... sed nemo sic novit ut Filius. Ut igitur multi pro captu suo ipsum viderunt, substantiam vero nemo vidit: sic et nunc omnes Deum novimus, substantiam vero eius, quae sit, nemo novit, nisi is, qui ex ipso natus

(1) 1 p. q. 12, art. 7 (2) Lib. 1 c. Eunom.
(3) Lib. 12 adv. Eunom.
(4) Hom. 15 al. 14 in Ioann. n. 1.
(5) N. 2.

est. Cognitionem enim hic dicit certam visionem et comprehensionem, talemque, qualem Pater de Filio habet. *Sicut enim cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem.*» *S. Isidorus Hisp.* (1) ait: « Quid est *faciem meam videre non poteris?* nisi quia, quamvis usque ad parilitatem angelicam humana etiam post resurrectionem natura perferatur, et ad contemplandum Deum indefessa consurgat, videre tamen eius essentiam plane non praevalet, quam nec ipsa perfectio angelica *in toto, vel integre* attingit.... sola enim sibi integra nota est Trinitas. » Huic Traditioni insistens *Conc. Lateranense IV* Deum *incomprehensibilem* esse definit; et sic visionem Dei comprehensivam etiam ab Angelis et Beatis excludit. Merito igitur a *Conc. Basiliensi* proscripta fuit *Augustini de Roma* propositio: « Anima Christi videt Deum tam clare et intense quantum clare et intense Deus videt seipsum: » quam censuram confirmavit *Nicolaus V, Eugenii IV* successor, cum anno 1449 *Conc. Basiliense* approbavit *quantum ad censuras et causas beneficiales.* Anima itaque humana Christi semper quidem habuit visionem Dei intuitivam (§ 327), non habet autem comprehensivam.

2. Intellectus creatus per solas suas vires naturales non potest Deum intuitive videre. Nam Isa. LXIV, 4 dicitur: *Oculus* (mentis) *non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te:* ergo intellectus creatus, nisi a Deo per auxilium supernaturale roboretur, et elevetur, non pertingit ad visionem beatificam, quam Deus fidelibus servis suis praeparavit. Psal. LXXXIII, 12 legitur: *Gratiam et gloriam dabit Dominus:* gloria autem praecipue in visione beatifica consistit, hanc igitur Deus dare dicitur. Matth. XI, 27 Christus ait: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare:* cognitio ergo, et visio intuitiva Patris sine revelatione Filii, seu sine auxilio supernaturali obtineri nequit. Rom. VI, 23 Apostolus habet: *Gratia Dei vita aeterna:* atqui vita aeterna est ipsa Dei visio, iuxta illud Io.: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum* (2): ergo haec visio a Deo per auxilium supernaturale obtinetur. Idem docent Ss. Patres. *Dionysius* lib. de div. nom., cap. 1 docet, ipsos Angelos circa divina supernaturaliter illuminari, quia Dei essentia et personae, et attributa naturalem mentis aciem excedunt. *Origenes* (3) scribit: « Mens nostra ipsum per se Deum, sicut est, non potest intueri: » Id est, per se, seu per vires naturales non potest ad visionem Dei pertingere. *S. Epiphanius* (4) inquit: « Deum videre est impossibile, praesertim naturae hominis; neque ei, quod adspectabile est, id quod videri omnino potest, intueri licet: verum invisibilis Deus pro sua benignitate ac potentia, imbecillitatem vi sua corroborare dignatus est, ut, quod invisibile est, cerneret. » *S. Ambrosius* (5): « In potestate nostra non est eum videre, sed in potestate illius apparere. » *S. Augustinus* (6) inquit: « Sicut non est a carne, sed supra carnem, quod eam facit vivere, sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam faciet beate vivere, quia ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est. » *Boëtius* lib. de Trinit., quaest. ult. ait: « Quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum, non potest tamen naturaliter illum consequi,

(1) Cap. 41 in Exod. (2) C. 17, v. 3.
(3) Lib. 1 de princip. cap. 1.
(4) Haer. 70, cap. 7. (5) In cap. 1 Lucae.
(6) Lib. 19 de Civ. Dei, cap. 25

sed solum per gratiam: et hoc est propter eminentiam illius finis. »Nam visio intuitiva est actus supernaturalis: atqui intellectus humanus per solas naturae vires non potest actum supernaturalem elicere, ut contra Pelagianos definitum fuit: ergo intellectus humanus non potest per solas naturae vires elicere visionem Dei intuitivam. Hoc idem docet, et probat *S. Thomas* (1). Denique allatam propositionem de fide credendam esse, patet ex *Concilio Viennensi*, anno 1311 sub *Clemente V* habito, in quo damnati sunt Beguardi et Beguinae, inter quorum errores proscriptus est articulus quintus sic sonans: « Quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum. » Ita refertur *Clementina* ad nostrum de haereticis lib. 5, tit. 3.

3. Intellectus creatus, supernaturali roboratus auxilio, intuitive Dei essentiam videre potest. Quamvis enim impossibilis sit visio Dei comprehensiva, quia infinitum a finita mente comprehendi nequit, possibilis tamen est visio Dei intuitiva. Qui enim hanc possibilitatem negat, omnipotentiae Dei limites ponit. Deus utique intellectum ad cognoscendum verum, et bonum creavit. Deus ut summa Veritas illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut etiam ut infinitum Bonum sui desiderium excitat (2). Deus porro per gratiam supernaturaliter intellectum illuminat, et voluntatem ad bonum trahit (3). Deus etiam hinc inde per extraordinaria lumina ita intellectum supernaturaliter illustrat, ut ex perfectiori cognitione perfectissimus amor nascatur, ut patet in sanctis, qui raptus, extases etc. habuere. Quis ergo negabit, quod Deus pro sua omnipotentia, et infinita sapientia animas iustas, e corpore egressas, et remuneratione dignas per supernaturale suum auxilium ita elevare, et roborare possit, ut immediate et clarissime Dei essentiam et perfectiones divinas videntes plene satientur et beatissimae reddantur? Talis intuitivae visionis Dei possibilitatem ipsa sana ratio admittere tenetur, quamvis in statu viae modum illius comprehendere et explicare non valeat. De eadem intuitivae visionis possibilitate disserit *S. Augustinus* Epist. ad Paulinam (4) scribens: « Si quaeris utrum Deus possit videri? respondeo, potest. Si quaeris unde sciam? respondeo, quia in veracissima Scriptura legitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (5), et caetera talia. Si quaeris quomodo dictus sit invisibilis, si videri potest? respondeo, invisibilem esse natura, videri autem, cum vult, sicut vult... Si quaeris utrum etiam sicut est, possit aliquando videri? respondeo, filiis hoc esse proximum, de quibus dictum est: *Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (6). Si quaeris unde eum videbimus? respondeo, unde Angeli vident, quibus tunc erimus aequales. » — *S. Thomas* (7) ratione theologica possibilitatem, et convenientiam visionis beatificae probat his verbis: « Cum ultima hominis beatitudo in altissima eius operatione consistat, quae est operatio intellectus, si nunquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio eius beatitudo consistet, quam in Deo: quod est

(1) I q. 12, art. 4. (2) § 4, n. 2 (3) § 125. (4) Ep. 147, al. 112, c. 13, n. 32. (5) Matth. 5, 8. (6) I Io. 2. (7) I q. 12, art. 1.

alienum a fide. In ipso enim est ultima perfectio creaturae rationalis, quod est ei principium essendi; in tantum enim unumquodque perfectum est, in quantum ad suum principium attingit. Similiter etiam est praeter rationem. Inest enim homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum, et ex hoc admiratio in hominibus consurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturae pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturae. Unde simpliciter concedendum est, quod Beati Dei essentiam videant. » Denique dubitari non potest, visionem beatificam possibilem esse, si certum est, eam Angelis et Beatis actu concedi: id autem ex Revelatione divina mox probabitur; ab esse autem ad posse recta datur conclusio.

Nota. Difficultates, quae contra possibilitatem visionis beatificae moventur, in proximo § solventur. Hic refellenda sunt, quae primae propositioni obstare videntur.

Obi. I. Apostolus ad Cor. de coelesti beatitudine loquens dicit: *Tum cognoscam, sicut et cognitus sum* (1); atqui Apostolus cognitus erat cognitione comprehensiva: ergo eandem in coelis expectabat. Praeterea ibid. nos hortatur: *Sic currite, ut comprehendatis* (2), atque Phil. III, 12 ait: *Sequor autem, si quo modo comprehendam:* quamobrem usus etiam obtinuit, ut Beati *comprehensores* appellentur.

Resp. Vox *sicut* ad instituendam comparationem adhiberi solet: comparationes autem saepe ex una parte verae sunt, quamvis verae non sint ex omni parte; quod etiam in primo Pauli textu occurrit, in quo vox *sicut* non designat comparationem perfectam, et ex toto, sed imperfectam et ex parte; nam si perfecta et ex toto intelligenda esset comparatio, absurdum sequeretur, quod Paulus ad cognoscendum Deum non indigeret lumine gloriae, sicut Deus ad cognoscendum Paulum alieno non indiget auxilio. Paulus ergo loquitur de cognitione simili, seu *intuitiva*, non autem de aequali, seu *comprehensiva*. sensus nempe verborum Apostoli est; in altera vita Deum intuebor in seipso, sicut Deus intuetur meam essentiam, cognitione scilicet simili, non aequali: quod confirmatur etiam ex scopo Apostoli, qui discrimen duntaxat ostendere voluit inter cognitionem Dei, quae in hac vita haberi potest, quaeque non est nisi abstractiva, et illam, quam in altera vita nos esse assecuturos confidimus, quae in clara ipsius Dei visione posita est. Caeterum Paulum locutum non esse de cognitione comprehensiva, patet ex eo, quia Rom. II, 33 sine exceptione *iudicia Dei incomprehensibilia* dicit: at, si Dei essentia comprehenderetur, etiam iudicia Dei comprehenderentur. Multo minus posteriores textus Pauli doctrinae nostrae adversantur, in quibus Apostolus tantum de assecutione termini, seu ipsius gloriae coelestis loquitur. Duplici enim sensu vox *comprehensionis* sumitur, videlicet pro cognitione adaequata cognoscibilitati obiecti, ita ut tantum cognoscatur, quantum in se cognoscibile est; tum pro assecutione termini, ad quem tenditur; hoc autem posteriori sensu loquitur Apostolus in adductis locis, ut ipse contextus declarat. Item etiam Patres, dum affirmant Deum non posse comprehendi in via, posse autem in patria. Hinc Beati, qui ad illam pervenerunt, *comprehensores* vocantur, non ob cognitionem comprehensivam, sed ob termini assecutionem. Nam, ait

(1) I Cor. 13, 12. (2) C. 9, v. 24.

S. Thomas (1): « Alio modo comprehensio largius sumitur, secundum quod comprehensio assecutioni opponitur. Qui enim attingit aliquem, quando iam tenet ipsum, comprehendere eum dicitur. Et sic Deus comprehenditur a Beatis secundum illud Cant. III: *Tenui eum nec dimittam:* et sic intelliguntur auctoritates Apostoli. Et hoc modo comprehensio est una de tribus dotibus animae, quae respondet spei, sicut visio fidei, et fruitio charitati... sed haec tria habent Beati: » et ideo comprehensores vocantur.

Obi. II. *S. Augustinus* (2) ita comprehensionem definit: « Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt. » Porro ita Deum vident Beati; Deus enim utpote simplicissimus, ac nullis constans partibus, omnique compositione carens aut ita videtur, ut nihil videntem lateat, aut omnino non videtur: admittenda ergo est cognitio Dei comprehensiva.

Resp. Si valeret allatum dilemma, omnis cognitio Dei, etiam abstractiva, e medio tolleretur; quia enim omnibus fatentibus, in hac vita comprehensiva Dei cognitio haberi nequit, nulla prorsus haberi posset. Argumentatio autem, quae nimis probat, nihil probat, et spuria est reputanda. Oritur enim ex falsa notione de simplicitate Dei, cum soli negationi inhaereat, qua omnis materia et partium compositio a Deo removentur, affirmationem vero non attendat, qua Deus dicitur natura spiritualis, immensa, et infinite perfecta. Non repugnat autem, quod ens simplex, variis facultatibus et perfectionibus praeditum ex parte cognoscatur; nam etiam anima nostra est simplex, cuius tamen aliquae cognitiones et volitiones cognosci possunt, quin omnes reliquae cognoscantur. Ita etiam Deus simplicissimus quidem, sed tamen infinitis Dei perfectionibus praeditus est; unde etiam sub vario respectu, et cum minori vel maiori claritate videri, seu cognosci potest. Equidem quodlibet Dei attributum divina essentia est(§ 16); et ideo, qui videt divinam essentiam, videt omnia attributa divina. Ast si totum Deum videt, attamen, ut scolastici loquuntur, non videt eum *totaliter;* et si obiectum cognitionis infinitum est, modus tamen cognoscendi infinitus non est. Ita *S. Thomas* hanc difficultatem solvit, (3) dicens, Deum non comprehendi a Beatis, dum eum vident, « quia ab ipsis non ita perfecte videtur, sicut visibilis est: sicut, cum aliqua demonstrabilis propositio, per aliquam probabilem rationem cognoscitur, non est aliquid eius, quod non cognoscatur, nec subiectum, nec praedicatum, nec compositio; sed tota non ita perfecte cognoscitur, sicut cognoscibilis est. » Et ibid. (4) inquit: « *Totaliter* dicit modum obiecti, non quidem ita, quod totus modus obiecti non cadat sub cognitione, sed quia modus obiecti non est modus cognoscentis. Qui igitur videt Deum per essentiam, videt hoc in eo, quod infinite existit, et infinite cognoscibilis est. Sed hic infinitus modus non competit ei, ut scilicet ipse infinite cognoscat: sicut aliquis probabiliter scire potest aliquam propositionem esse demonstrabilem, licet ipse eam demonstrative non cognoscat. » — Denique attendendum est, quod omnis recta Dei cognitio, praecipue visio beatifica, ab actione Dei animam illuminantis, et se ipsi manifestantis, repe-

(1) 1, q. 12, art. 7 ad 1.
(2) Epist. 147, cap 9, n. 21.
(3) 1, q. 12, art. 7 ad 2. (4) Ad 3.

tenda sit, *quoniam ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (1). Cum autem efficacia divinae virtutis infinita sit, Deus multiplici modo et in vario gradu se intellectui creato manifestare potest, et absque dubio etiam in tali gradu, ut intellectus habeat intuitivam Dei visionem, per quam anima beatissima reddatur. Sicut autem repugnat, infinitam creaturam produci, ita etiam repugnat, intellectum creatum *comprehensiva* seu infinita Dei cognitione potiri.

B. *De visionis beatificae existentia.*

§ 781. Visionem Dei beatificam non solum possibilem, sed etiam in altera vita animabus iustis, et perfecte puris promissam esse, eaque tum Angelos, tum homines beatos frui, ex *S. Scriptura* et *Traditione* probatur.

1. In *S. Scriptura V. T.* quaedam vestigia inveniuntur, quae ostendunt, promissiones visionis beatificae iam Patriarchis notas fuisse. Si Gen. XV, 1 Deus ipse dicitur Abrahami *merces magna nimis*, recte id de promissa visione et fruitione Dei intelligitur. David Messiam quiescentem in sepulcro ita loquentem inducit: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem* (2). Idem de seipso dicit: *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua* (3). *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (4). Ps. LXXXIII, v. 5: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te...* v. 7: *Videbitur Deus Deorum in Sion...* v. 11: *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Recentiores quidem interpretes haec, et similia dicta de solo desiderio ingrediendi templum hierosolymitanum intelligunt: illud autem desiderium nimis exaggerare videntur, praecipue in Davide, qui Deum ubique praesentem esse optime novit (5). Quodsi sensus litteralis ad praefatum desiderium refertur, sensus mysticus in scriptoribus hagiographis excludendus non est. Iobum visionem Dei beatificam expectasse, patet ex ipsius verbis Iob XIX 25: *De terra surrecturus sum, - et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo.* — Luculentissima autem sunt testimonia, quae de visione Dei beatifica in N. T. leguntur. Christus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (6); in quae verba *S. Io. Chrysostomus* (7) scribit: « Ecce rursus spirituale praemium; mundos autem hic vocat eos, qui universalem virtutem possident, nulliusque sibi mali conscii sunt; sive eos, qui in continentia vivunt: nulla enim ita nobis opus est, ut illa virtute. Ideo et Paulus dicebat: *Pacem sectamini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum* (8). Visionem porro hic dicit, quae sit homini possibilis » (nempe intuitivam, non comprehensivam). Et *S. Augustinus* (9) in eadem Christi verba dicit: « Ventum est ad *mundicordes;* ibi visio promissa est: non sine causa nisi quia ibi sunt oculi, unde videtur Deus. De his oculis Paulus Apostolus loquens ait: *Illuminatos oculos cordis vestri* (10). Modo ergo oculi isti pro sua infirmitate illuminantur fide: postea pro sua

(1) Rom. 16, 36. (2) Ps. 15, 11.
(3) Ps. 16, 15. (4) Ps. 41, 2.
(5) Ps. 138, 6, etc.
(6) Matth. 5, 8.
(7) Hom. 15 in Matth. n. 4.
(8) Hebr. 12, 14.
(9) Serm. 53 de verbis Evang. n. 6.
(10) Ephes. 1, 18.

firmitate illuminabuntur specie. » Matth. XVIII, 10 legitur: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est;* quibus verbis visio Dei beatifica ipsis adscribitur (1). Si autem Angeli intuitiva Dei visione fruuntur, idem et de beatis hominibus dicendum est, quos similes Angelis futuros divina veritas testatur, de beatis in altera vita affirmans: *Erunt sicut Angeli Dei in coelo* (2), seu ut apertius adhuc dicitur: *Aequales Angelis sunt* (3): videbunt ergo et ipsi faciem Dei. Praeterea Apostolus scribit: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum* (4); quibus verbis Apostolus clarissime discrimen affert inter cognitionem Dei abstractivam, quam nunc habemus, et intuitivam, quam habituri sumus. Porro videre faciem Dei iuxta S. *Augustinum* (5), nihil aliud est, quam videre Deum sicuti est, seu videre eum in sua essentia. Demum S. Ioannes hanc veritatem expresse docet tum I Io. III, 2 dicens: *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* tum in Apoc. ubi civitatem describens coelestem ait: *Sedes Dei, et Agni in illa erunt, et servi eius servient illi, et videbunt faciem eius* (6).

2. *Ss. Patres* de intuitiva Dei visione, Beatis in coelo concedenda, satis clare loquuntur. *S. Irenaeus* (7) scribit: « Quemadmodum videntes lumen intra lumen sunt, et claritatem eius percipiunt; sic et qui vident Deum, intra Deum sunt percipientes eius claritatem. Vivificat autem eos claritas.... Homines ergo videbunt Deum, ut vivant, per visionem immortales facti, et pertingentes usque ad Deum... Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Homo etenim a se non videt Deum: ipse autem volens videtur ab hominibus, a quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult; potens enim est in omnibus Deus. » *Clemens Alex.* (8) ait: « Videmus nunc tanquam per speculum... post carnem autem depositam facie ad faciem, tunc scilicet ita, ut clare definire, et comprehendere valeamus, quando cor purum fuerit. » Atque (9): « Clarum est enim, neminem unquam vitae tempore posse Deum evidenter comprehendere. Qui sunt autem mundi corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint. » *Dionysius* l. de div. nom. cap. 1 dicit: « Tunc vero, quando incorruptibiles, immortalesque facti erimus — beatissima dignati requie, *semper,* ut scriptum est, *cum Domino erimus,* visibili quidem ipsius divina praesentia castissime contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus, non secus ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua. Porro spiritualis ipsius, et intelligibilis lucis (mente perturbatione omni et materia liberi facti) eius qui sensum omnem superat, unionis lucidissimorum radiorum incognitis, ac beatissimis iactibus erimus super coelestes spiritus, etc. » *S. Cyprianus* (10) inquit: « Quae erit gloria, et quanta laetitia, admitti, ut Deum videas, honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium cupias!... cum iustis et Dei amicis in regno coelorum datae immortalitatis voluptate gaudere! sumere illic,

(1) § 166. (2) Matth. 22, 30.
(3) Luc. 20, 36. (4) I Cor. 13, 12.
(5) Epist. 147, cap. 8, et lib. 21 de Civ. Dei, cap. 29.
(6) C. 22, v. 4.
(7) L. 4 adv. haer. cap. 20 (al. 37), n. 5.
(8) Lib. 1 Strom c. 19. (9) Lib. 5, c. 1.
(10) Epist. 56.

quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit! » — *S. Cyrillus Hier.* (1), exponens illa verba Ioannis: *Deum nemo vidit unquam*, et quaerens, qui possint cum iis conciliari: *Angeli semper vident faciem Patris*, respondet: « Videre Angelos Deum, non sicuti est, sed quantum capere ipsi possunt, » id est, non comprehensive sed intuitive. *S. Basilius* (2) scribit: « Reliquum est, ut *contemplatio* sit regnum coelorum. Quorum enim nunc umbras videmus quasi in speculo, postmodum terreno hoc corpore liberati, et incorrupto, ac immortali induti horum Archetypa videbimus. Cernemus autem, si modo vitam nostram ad id, quod rectum est, direxerimus, atque recta fides curae nobis fuerit, sine quibus nemo Deum videbit. » *S. Gregorius Naz.* Or. 20 (3) in fine dicit: « Regnum coelorum nihil aliud esse existimo, quam eius, quod purissimum et perfectissimum est, adeptionem. Perfectissima porro rerum omnium est Dei cognitio. Verum eam partim teneamus, partim quamdiu in terra versamur, percipere studeamus, partim in futurum aevum reservemus, ut hunc laboris, industriaeque nostrae fructum habeamus, nimirum totam Ss. Trinitatis illuminationem, quaecumque tandem, et qualis, et quanta illa sit, si ita loqui fas est, in Christo D. N. » Et Or. 33 (4) pariter in fine cum dixisset, tribus divinis Personis nomen Dei esse commune, addit: « In hoc igitur commune nomen crede, et prospere incede, et regna; atque hinc ad alterius vitae beatitudinem transibis. Ea porro, ut mihi quidem videtur, in expressiore harum (trium divinarum Personarum) cognitione ac comprehensione sita est, ad quam utinam ipsi quoque perveniamus etc. » *S. Gregorius Nyss.* visionem intuitivam aperte concedit in Orat. fun. de S. Pulcheria dicens: « Quam speciosus est ille oculus, qui Deum videt! » Etiam in orationibus de S. Miletio, de S. Ephraem, et de 40 Martyribus eadem fere habet. Et Orat. 6 de beatitudinibus ait: « Videre Deum vita sempiterna est . . . . *Beati* (inquit Christus), *qui mundo sunt corde, quoniam Deum videbunt.* Promissio quidem certe tanta est, ut superet extremum terminum beatitudinis. Quid enim aliquis post eiusmodi bonum aliud desideraverit, cum omnia habeat in eo quem viderit? Nam videre in usu Scripturae idem significat ac habere.... Ergo qui Deum vidit, quidquid in bonis numeratur, per hoc, quod vidit adeptus est. » *S. Io. Chrysostomus* Paraen. I ad Theodor. lapsum n. 10 inquit: « Quodsi ille (Petrus) obscura quadam conspecta futurorum imagine (transfigurato Christo), omnia statim reiecit ab animo ob inditam a tali visione voluptatem: quid dicetur, quando ipsa rerum veritas aderit, quando apertis regiis aedibus ipsum Regem conspicere licebit, non ultra in aenigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem; non ultra per fidem, sed per speciem? » — Et (5) in Epist. ad Philip. ait: « Iusti autem sive hic, sive ibi cum Rege sunt; atque ibi quidem multo magis, ac propius, non per speciem, non per fidem, sed facie ad faciem. » His et illis verbis S. Doctor se omnino contrarium ostendit errori Palamitarum docentium, nihil aliud a nobis visum iri in patria, quam lucem divinae gloriae, illi similem, quam viderunt Apostoli in monte Thabor. *S. Hieronymus* lib. 1 in Isaiam cap. 1 (citatus a S. Augu-

(1) Catech. 6. (2) Epist. 8, n. 12. (3) Al 29. (4) Al. 25. (5) Hom. 3, n. 3.

stino) (1) scribit: « Homo Dei faciem videre non potest (oculo corporeo, vel in hac vita mortali, ut S. Augustinus interpretatur): Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus in aenigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, et potuerimus cum Apostolo dicere: *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu* (2), licet faciem Dei iuxta naturae suae proprietatem nulla videat creatura (nempe visione comprehensiva), et tunc mente cernatur, quando invisibilis creditur. » Haec S. Hieronymi verba calculo suo probat *S. Augustinus* l. c.; et ibid. (3) ostendit, Deum oculis quidem corporeis invisibilem dici, « verum, subdit, quia nec ista testimonia falsa esse possunt Matth. V: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, et I Io. III: *Scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, negare non possumus, filios Dei visuros Deum, sed sicut videntur invisibilia, sicut seipsum ostensurum promittebat, qui hominibus apparebat in carne visibilis, quando dicebat: *Et ego diligam eum, et ostendam illi meipsum* (4), cum ante oculos hominum conspicuus loqueretur. » Et lib. 22 de Civ. Dei (5), ait: « Sicuti Angeli faciem Patris vident, ita et nos visuri sumus... Praemium itaque fidei nobis visio ista servatur..... Facies autem Dei manifestatio eius intelligenda est. » *S. Gregorius M.* (6) de iis, qui dicebant, Deum in regno beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri, ita loquitur: « Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit; neque enim simplici, et incommutabili essentiae aliud est claritas, et aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est. » Et (7) in Ezech. explicans verba Ioannis: *Similes ei erimus* etc., dicit: « Immutabimur quippe in ipso, quem videbimus, quia morte carebimus videndo vitam; mutabilitatem nostram transcendemus videndo immutabilitatem, corruptione nulla tenebimur videndo incorruptionem. » *S. Bernardus* Serm. 4 in Festo OO. SS. inquit: « Tripliciter in aeterna illa, et perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis habentes eum in nobis ipsis, et quod his omnibus ineffabiliter iucundius est atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, et gloriam illam sine ullo aenigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita aeterna, ut cognoscamus Patrem et Filium cum Sancto spiritu, et videamus Deum sicuti est, idest, non modo sicuti inest nobis, aut caeteris creaturis, sed sicuti est in semetipso. » Constans igitur fuit Ecclesiae fides, Beatos in coelo visione Dei intuitiva frui; unde *S. Thomas* (8) non dubitavit contrariam opinionem erroneam et haereticam appellare, quamquam ipsius aetate nulla adhuc erat Ecclesiae hac in re definitio. Postmodum vero hunc fidei articulum definivit *Concil. Florentinum*, quod actione XXII in decreto unionis statuit: Animas perfecte puras *in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum unum et trinum sicuti est.* Hoc idem iam antea definierant *Benedictus XII*, et *Concilium Lugdunense II* (9).

(1) Epist. 147, cap. 2. (2) II Cor. 3, 18.
(3) C. 3, n. 3. (4) Io. 14, 21. (5) C. 29, n. 1.
(6) L. 28 Moral. c. 28. (7) Hom. 2.
(8) Q. 8 de verit. art. 1. (9) V. § 754, n. 3.

Nota 1. Quae dogmati catholico opponuntur, ad sequentia potissimum reducuntur.

Obi. I. S. Scriptura intuitivam Dei visionem penitus excludit. Nam I Timoth. VI, 16 dicitur: Deus *lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* ideo ibid. c. 1, v. 17 *invisibilis* nominatur. Matth. XI, 27 legitur: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Io. I, 18 expresse docetur: *Deum nemo vidit unquam.* Ipsi Angeli Deum intuitive non vident: de ipsis enim I Petr. I, 12 dicitur: *in quem desiderant Angeli prospicere;* quod si Angeli desiderant Deum videre, illum actu non vident. Itaque etiam dum Beati dicuntur videre Deum *facie ad faciem*, ex hoc non colligitur, eos reipsa Dei essentiam intuitive videre. Etenim id ipsum de se dicebat Iacob: *Vidi Deum facie ad faciem* (1); et tamen nemo putat, Iacob Deum intuitive vidisse.

Resp. In citatis textibus Deus dicitur invisibilis tantummodo oculis corporis in hac vita per solas animae vires, et visione perfecta ac comprehensiva: at vero invisibilis non affirmatur oculis animae in altera ac meliori vita per lumen gloriae, et cognitione intuitiva, quae animam beat, quamvis ad perfectam obiecti perfectionem nunquam pertingat. Hac distinctione attenta omnis difficultas evanescit. Verba Ioannis *Deum nemo vidit unquam*, videntur referenda ad statum vitae praesentis, in quo aut nemini prorsus visio Dei intuitiva concessa est, ut multi putant, aut saltem non ita, ut aliquid de Deo nobis fuerit ab ipso enarratum, quemadmodum *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit.* — I Petr. I, 12 iuxta fontem graecum non est legendum *in quem*, sed *in quae* (nempe mysteria Christi immediate antea commemorata) *desiderant Angeli prospicere:* hoc est, quamvis Angeli, quae futura sunt mysteria non ignorent, eorum tamen complementum videre desiderant. Quodsi cum Vulgata legamus *in quem*, nempe Spiritum sanctum, tunc ita ea verba explicari debent, ut Angeli desiderent in eum prospicere desiderio excludente solum fastidium, non autem excludente veram Dei visionem, quae nimis aperte tribuitur Angelis (2). Id praeclare explicat *S. Gregorius M.* (3) scribens: « Considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Ut utraque sibi conveniant, dicat Veritas, quia semper vident; dicat Petrus, quia semper videre desiderant. Ne enim in desiderio sit anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore; nam desiderium satietas comitatur: et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. » — Iacobum Deum non intuitive vidisse admittimus, quia ipsa S. Scriptura nobis alibi declarat, eum, qui Iacobo apparuit, non fuisse Deum, sed Angelum. Nam Osee XII, 3 de Iacobo dicitur: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, et invaluit ad Angelum, et confortatus est.* Nonnulli autem Ecclesiae Patres putant, Iacobo et aliis Patriarchis apparuisse secundam Trinitatis personam, sive Angelum, futuri Messiae speciem praeseferentem, et ideo de ipsis dici, quod Dei faciem viderint. Ita sentiunt *S. Iustinus* in Dial. contra Tryph., *Clemens Alex.* lib. I Paedag., *Tertullianus* advers. Prax., *S. Hilarius* (4),

(1) Gen. 32, 30.
(2) Matth. 18.
(3) Lib. 18 Mor. c. 29.
(4) Lib 4 et 5 de Trinit.

S. Athanasius (1), *S. Io. Chrysostomus* (2), et *Theodoretus* (3).

Obi. II. Inter Ss. Patres tum graecos, tum latinos non pauci dantur, qui expresse docent, divinam essentiam, quae infinita est, neque ab Angelis, neque ab hominibus videri posse.

Resp. Ss. Patres denegant Angelis et hominibus visionem Dei comprehensivam, non vero intuitivam. Loca enim Patrum, quae nobis obiiciuntur, sunt potissimum illa, quae § 780, n. 1 adlegata sunt: in his autem spiritibus finitis comprehensivam tantum Dei visionem denegari, patet tum ex Ss. Patrum fine, quem sibi proponebant, impugnandi scilicet Anomaeos, tum ex eorum verbis, si attente et non abruptim, sed in contextu perlegantur. His accedit, quod iidem Patres tum Angelis, tum Beatis in coelo satis clare visionem Dei intuitivam adiudicent, ut patet ex eorundem testimoniis hic n. 2 citatis. Nullatenus autem ideo dicere licet, Ss. Patres sibi ipsis contradixisse. Nam iam S. *Epiphanius* apta similitudine ostendit, quomodo varia significatione vere dici possit, Deum a Beatis videri, et non videri; ait enim Haeresi 70, n. 8: « Veluti, si quis per angustum foramen coelum aspiciat, et dicat: video coelum, non utique mentietur; videt enim revera coelum. Quod si quis acute ei dicat: non vidisti coelum, neque iste mentietur... quippe non vidit eius exporrectionem, neque latitudinem... Utrumque ergo vere dicitur, et quod Deus videndus aliquando sit (scilicet intuitive), et quod videri non possit (nempe comprehensive). »

Obi. III. Plus Deus distat ab intellectu creato, quam Angelus ab oculo corporeo: atqui oculus corporeus etiam supernaturaliter non potest videre Angelum; nulla enim potentia potest etiam supernaturaliter elevari ultra latitudinem sui obiecti specificativi, quia per hoc transiret limites suae essentiae, et consequenter non remaneret eadem; unde ex. gr., potentia visiva eadem manens non potest elevari etiam supernaturaliter ad sonum audiendum, nec auditiva ad coloratum videndum, quia sonus est obiectum specificativum auditus, sicut coloratum lucidum visus. Ergo etiam intellectus creatus non potest supernaturaliter elevari ad videndum Deum: in genere enim loquendo nulla datur proportio inter facultates nostras limitatas, et Deum infinitum.

Resp. Quae ex ratione contra dogma catholicum proferri solent, comprehensivae dumtaxat Dei visioni opponuntur, quam etiam catholici non admittunt. Si intuitivae quoque visioni opponerentur, omnis prorsus cognitio Dei excludenda foret, quia sicut Deus semper infinitus est, ita facultates nostrae semper finitae manent. Quis autem omnem Dei cognitionem hominibus abnegabit? Absque dubio nulla contradictio occurrit, dum dicitur, Deum infinitum a spiritu creato *modo finito* cognosci, seu videri. Deum enim iam naturaliter cognoscimus, quia illuminat mentem nostram (4), quis negabit, Deum omnipotentem etiam supernaturali lumine mentem nostram perfundere posse, ut non quidem ad comprehensivam, sed tamen ad intuitivam essentiae divinae visionem pertingat? Neque ideo intellectus elevatur ultra latitudinem obiecti sui specificativi; intellectus enim creatus est ad cognoscendum verum, quod est ipsius obiectum specificativum: Deus autem ipsa

(1) Orat. 3 c. Arianos.
(2) In cap. 7 Act. Apo...
(3) Q. 92 in Genes. (4) Io. c. 1, v. 9.

Veritas est, et tum naturali, tum supernaturali lumine cognosci potest. Indigne ergo de Deo sentit, qui eius potentiae limites ponit, quasi intellectum creatum ad intuitivam suae essentiae visionem elevare non possit. Caeterum obiectiones tum ex Patribus, tum ex ratione petitas fusius solvunt *Petavius* lib. 7, cap. 7 et seq.; *Billuart* de Deo, Diss. 4, art. 3; *Gazzaniga* de Deo, Diss. 3, cap. 4 et alii.

Nota 2. Dum de existentia visionis beatificae sermo est, quaerunt theologi, an haec in vita mortali aliquibus ex singulari privilegio concessa fuerit? — Certum omnino est, animam Christi a primo suae creationis momento fuisse clara et intuitiva Dei visione beatam (1). Dissentiunt autem theologi, dum quaeritur, num aliquibus sanctis viatoribus fuerit hoc singulare privilegium brevi saltem temporis intervallo concessum. Nonnulli docent, praefatum privilegium concessum fuisse Moysi et Paulo. Nam Num. XII, 6 etc., Deus dicit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses... ore enim ad os loquor ei, et palam et non per aenigmata et figuras Dominum videt.* Gemina habentur Exod. XXXIII, 11: *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum:* quae verba visionem intuitivam significare videntur, iuxta verba Apostoli I Cor. XII, 3, ex quibus communiter theologi inferunt, Beatos in coelo visione intuitiva perfrui. Simili fere fundamento idem privilegium asseritur S. Paulo, qui II Cor. XII, 3 haec de se ipso habet: *Scio huiusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit). Quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* Ideo S. *Ambrosius* (2) dicit: « Neque in speculo, neque per aenigma, sed clara atque perspicua praesentiae divinae dignatione donatus est Moyses. » Et S. *Augustinus* (3) inquit: « Nisi desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in libro Num. diceret Deus: *Ore ad os loquor, etc.* » Et Epist. ad Paulinam in fine (4) scribit: « Quid ergo est, quod sic eum (Moysen) fecit exceptum, nisi forte, quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem, et ministrum in tota domo sua fidelem, ut, quemadmodum concupiverat, videret Deum sicuti est; quae contemplatio cunctis filiis in fine promittitur. » Pro eadem sententia citantur S. *Basilius* (5), *V. Beda* (6), *Hugo Victor* (7), *S. Thomas* (8), et alii. — Nonnulli Moysi et Paulo etiam *B. V. Mariam* adiunxerunt, utpote quae maioribus, quam ullus alius mortalium, fuit gratiis et privilegiis exornata; postea *Abrahamum, Isaiam, Eliam, Ezechielem*; quin etiam Sanctos aliquot N. T. ut S. *Benedictum* et S. *Franciscum* eiusdem privilegii consortes effecerunt. — Inter theologos vero recentiores pluribus arridet sententia contraria, scilicet excepto Christo nemini prorsus mortalium in hac vita fuisse Dei essentiam clare et intuitive ostensam; quod gravibus argumentis probant. Nam Deus ipse Moysi dicit: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet... faciem meam videre non poteris* (9); Io. I,

(1) § 327. (2) Lib. 3 in Hexaem. cap. 3.
(3) Lib. 12 in Gen. ad litt. cap. 27.
(4) Ep. 147, cap. 13.
(5) Hom. 1 in Hexaem
(6) In 2 Epist. ad Corinth. cap. 12.
(7) Q. 34 in Epist. 2 ad Corinth.
(8) 1, q. 12, a. 11 ad 2; et 2 2, q. 175, a. 3.
(9) Exod. 33, 20, etc.

18 dicitur: *Deum nemo vidit unquam;* et: *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem* (1); Paulus de Deo scribit: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* (2), scilicet in hac vita (3). *S. Irenaeus* (4) adv. haer. ait: « Neque Moyses vidit Deum, neque Elias, nec Ezechiel, qui multa de coelestibus viderunt: quae autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Dei. « *Tertullianus* adversus Marcion. (5) visionem Moysis explicat « de specie hominis, quem Deus erat gestaturus. » *Origenes* in cap. I Isai. inquit: « Faciem (Dei) non vidit Isaias, nec Moyses vidit: posteriora vidit, ut scriptum est, Moyses. » Pro eadem sententia citantur *S. Ambrosius, S. Athanasius, S. Gregorius Naz., S. Epiphanius*, et *S. Hieronymus:* imo etiam *S. Augustinus* in Ioan. (6) scribit: « Quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem: omnis illa creatura typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini praesentiam exhibebat. » Et de Trinit. (7): « Moyses veram visionem Dei spiritualiter requirebat... Sed cum hoc nec desideranti fuerit concessum, quis audeat dicere, per similes formas, quae huic visibiliter apparuerant, non creaturam Deo servientem, sed hoc ipsum, quod Deus est, cuiusquam oculis apparuisse? » — *S. Gregorius M.* (8) dicit: « Videri potuit Deus per circumscriptas imagines, et videri non potuit per incircumscriptum lumen aeternitatis. » *S. Bernardus* (9) ait: « Nec sapiens, nec sanctus, nec propheta illum videre sicuti est potest, aut potuit in hoc mortali corpore. » His auctoritatibus adacti *Estius, Sylvius, Witasse, Nic. L'Hermenier, ruenin, Tournely* et alii negant, excepto Christo, hominem viatorem visione beatifica donatum esse. — Utraque sententia, ut ex dictis patet, sua habet argumenta, et catholice defendi potest, cum non agatur de dogmate. Conciliari forte aliquo modo dissentientes opiniones possent dicendo, quod visio Dei intuitiva stricte dicta a puro homine viatore nunquam obtenta fuerit; quod autem raptus, extases et similia dona, quibus anima supernaturali et extraordinario modo etiam in hac vita ad unionem cum Deo elevatur, a S. Scriptura et a Ss. Patribus visionis beatificae nomine in latiori sensu insigniantur (10).

(1) Io. 6, 46. (2) I Tim. 6, 16.
(3) Cf. I Cor. 13, 12.
(4) Lib. 4, c. 20, al. 37, n. 10.
(5) Lib. 4, c. 22. (6) Tract. 3, n. 17.
(7) Lib. 2, cap. 16. (8) Lib. 18 Mor. c. 28.
(9) Serm. 31 in Cant.
(10) V. Berti lib. 3, cap. 6.
(11) Ps. 35, 10.

C. *De requisitis ad supernaturalem Dei visionem.*

§ 782. Tria requiruntur ad intuitivam Dei visionem: Unum ex parte *subiecti* videntis, alterum ex parte *obiecti*, ad quod visio tendit, tertium ex parte *ipsius visionis*. In subiecto inesse debet *lumen gloriae*, in obiecto *communicatio sui ipsius vel per se, vel per sui speciem*, in visione *similitudo obiecti ceu verbum mentis*.

1. Cum intellectus humanus sibi relictus non possit assurgere ad visionem Dei intuitivam, quae supernaturalis est, indiget auxilio, quo elevetur ac roboretur, ut iam probatum est § 780, n. 2. Auxilium vero illud *lumen gloriae* solet appellari, tum quia idem praestat respectu intellectus, quod lumen corporale respectu oculorum, tum quia sic appellatur a S. Scriptura et a *Conc. Viennensi;* legitur enim in Psalmis: *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen* (11). Apoc.: *Claritas*

Dei illuminavit eam (civitatem coelestem), *et lucerna eius est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius* (1); et ibid. : *Videbunt faciem eius... et non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in saecula saeculorum* (2), tum denique quia per illud lumen aeterna gloria et claritate illustrabimur. — Lumen gloriae ad visionem beatificam requiri, omnes theologi catholici affirmant. Non autem ita consentiunt in eius natura determinanda. Iuxta *Scotistas* lumen gloriae non est nisi ipsa charitas, quacum iusti decedunt, et quae in patria augetur actuali quodam et extraordinario concursu: sed in hac sententia quaeri iterum debet qualis sit iste actualis et extraordinarius concursus? — *Petavius* (3) ait, auxilium istud, quod lumen gloriae dicitur, esse ipsum Deum Beatis assistentem. *Thomassinus* autem tom. I Theol. dogm. etc. (4), multis allatis Ss. Patrum testimoniis probare conatur, Spiritus sancti personam specialiter Beatorum mentes illuminare ad videndam divinam essentiam. Ast nemo dubitat, Deum, seu Spiritum sanctum esse causam efficientem illius auxilii, quod ad visionem beatificam necessarium declaravit *Conc. Viennense*, sed natura huius auxilii non explicatur. Divina essentia est obiectum visionis beatificae, quod utique discerni debet ab auxilio, per quod intellectus creatus capax redditur ad eam videndam. Hinc plerique theologi amplectuntur sententiam *Thomistarum*, iuxta quam lumen gloriae est habitus supernaturalis, quo mens creata elevatur ad intuitivam visionem Dei eliciendam. Dicitur nempe *habitus*, quia est qualitas fixa et permanens, extrinsecus adveniens intellectui creato, ipsumque corroborans ad operandum simpliciter, nempe ad eliciendam visionem: dicitur *supernaturalis*, quia solis naturae viribus haberi nequit: dicitur *quo mens creata*, quia praefatum auxilium in intellectu recipitur, et hunc non hebetat aut extinguit, sed potius adiuvat, et ad cognoscendum magis idoneum reddit: ideo ultimo dicitur, mens humana *elevatur ad intuitivam visionem Dei eliciendam*, id est, ad summam perfectionem perducitur, ut ad finem suum ultimum pertingat, qui consistit in visione et fruitione Dei. Audiendus est *S. Thomas* (5) docens: « Omne, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quae sit supra suam naturam: sicut si aër debeat accipere formam ignis, oportet, ut disponatur aliqua dispositione ad talem formam. Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc, quod elevetur in tantam sublimitatem. Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, ut ostensum est, oportet, quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi: et hoc augmentum virtutis intellectivae illuminationem intellectus vocamus, sicut et ipsum intelligibile vocatur lumen vel lux; et istud est lumen, de quo dicitur Apoc. XXI, quod *claritas Dei illuminabit eam*, scilicet societatem Beatorum Deum videntium. Et secundum hoc lumen efficiuntur deiformes, id est, Deo similes, secundum illud: *Cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est* (6). » Dantur ta-

(1) C. 21, v. 23, etc. (2) C. 22, v. 5.
(3) Lib. 7 de Deo, c. 8. (4) Lib. 6, c. 16
(5) 1, q. 12, a. 5. (6) I Jo. 3, 2

men theologi, qui cum *Molina*, *Suarez*, *Tournely* etc. admittunt quidem, iuxta viam Dei ordinariam ad visionem beatificam lumen gloriae requiri, sed illud suppleri posse dicunt per uberiorem quemdam et supernaturalem Dei concursum, quia limites poni nequeunt omnipotentiae Dei, qui sicut calorem sine igne, et lucem sine sole producere, ita etiam intellectum creatum sine illo lumine intrinseco sive permanente, sive transeunte ad videndam intuitive suam essentiam elevare potest. Id autem negant multi *Thomistae*, tum quia intrinsece impossibile reputant, ut intellectus creatus sine lumine gloriae essentiam divinam intueatur, tum quia in *Concilio Viennensi* definitum esse dicunt, quod *anima indigeat lumine gloriae ipsam elevante ad videndum Deum;* ex quo inferunt, quod si Deus possit, tamen non velit lumen gloriae alio supernaturali concursu supplere, quia dogma immutabiliter verum sit, oportet. Attamen *Cl. Billuart* (1) admittit, lumen gloriae aliquo auxilio supernaturali suppleri posse. « Nec inde sequitur, inquit *Sylvius*, lumen gloriae non esse necessarium; quia quod requiritur ad aliquid de potentia Dei ordinaria, recte dicitur necessarium, quamvis non implicet, rem posse fieri sine illo... Adde, illud recte dici necessarium, sine quo, aut alio vices eius supplente res non fit. » Ipse *S. Thomas* (2) dicit, « quod Deus possit mentem hominis ad hoc perducere, ut divinae essentiae uniatur in statu viae modo, quo sibi unitur in patria, sine hoc, quod a lumine gloriae perfundatur, sicut fecit Petrum ambulare super aquas, sine hoc, quod ei dotem agilitatis tradiderit. »

2. Requisitum secundum pro intuitiva Dei visione obtinenda exigit, ut obiectum se intellectui beatorum adaptet, atque cum eo sese coniungat. Duplici autem modo intellectus rem videre seu cognoscere potest, nempe vel immediate, dum obiectum ipsum intellectui se praesens exhibet, vel mediate, dum obiecti species, seu similitudo intellectui imprimitur. Cum autem de visione Dei beatifica sermo est, communiter theologi docent, Deum a Beatis non per similitudinem, seu speciem impressam, sed per suam immediatam communicationem aspici. Quam sententiam solide probat *S. Thomas* (3) dicens: « Ex parte visae rei, quam necesse est aliquo modo uniri videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest: *primo* quidem, quia sicut dicit *Dionysius* (4) per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeae; multo minus igitur per speciem creatam quamcunque essentia Dei videri potest: *secundo*, quia essentia Dei est ipsum Esse eius, quod nulli formae creatæ competere potest; non ergo potest aliqua creata forma esse similitudo repraesentans videnti Dei essentiam: *tertio*, quia divina essentia est aliquid incircumscriptum, continens in se eminenter quidquid potest significari, vel intelligi ab intellectu creato; et hoc nullo modo per speciem creatam repraesentari potest, quia omnis creata forma est determinata secundum aliquam rationem vel sapientiae, vel virtutis, vel ipsius Esse, vel alicuius huiusmodi. Unde dicere, Deum per similitudinem videri, est dicere, divinam essentiam non videri. Quod est erroneum. » Quia autem de fide est,

(1) De Deo Diss. 4, art. 5, § 3.
(2) Q. 10 de verit., cap. 11.
(3) 1, q. 12, art. 2.
(4) De div. nom. cap. 1.

divinam essentiam a beatis videri, inde concludit angelicus Doctor, Deum immediate se communicare intellectui beatorum, ita ut immediate sine similitudine, aut specie impressa Dei essentiam videant. Neque huic doctrinae ulla difficultas obmoveri potest. « Nam, ut ait *Cl. Billuart* (1), tunc requiritur species impressa, quando vel obiectum non existit, vel non est per se praesens intellectui, vel non est sufficienter intelligibile propter suam materialitatem. Atqui obiectum visionis beatificae, nempe Deus essentialiter existit, est intime per se praesens cuilibet intellectui beato, et est summe intelligibilis, quia est summe immaterialis: ergo ad intuitive videndam divinam essentiam species impressa non requiritur. »

3. Requisitum tertium respicit ipsam visionem, seu cognitionem. Ad cognitionem nempe etiam in naturalibus producendam non sufficit sola facultas cognoscendi, nec solum obiectum, quod cognosci possit, sed requiritur etiam actio, qua intellectus obiectum aspiciat, contempletur, sibique mentaliter veluti proprium faciat. Hanc actionem intellectus, quae ut prorsus spiritualis facilius per sensum intimum percipitur, quam verbis describitur, Veteres *verbum mentis*, Scholastici vero *speciem expressam* appellarunt. — Iam dum de visione beatifica agitur, nonnulli Thomistae, ut *Contensonius* (2) et *Billuart* (3) negant, quod in illa detur, aut dari possit species expressa; maior autem theologorum pars affirmantem sententiam sequitur. Nemo enim negabit, intellectum in beatis non extingui, sed elevari, ac perfici, et sic supernaturaliter elevatum et perfectum vere operari. Unde recte *Cl. Tournely* (4) statuit tres propositiones dicens: « I. Intellectus active concurrit ad eliciendam visionem beatificam. II. Intellectus concurrit ad visionem Dei eliciendam per virtutem sibi propriam et innatam, elevatam tamen per lumen gloriae. III. Intellectus concurrit ad visionem beatificam ut causa principalis, lumen vero gloriae ut instrumentum Dei: quia causa principalis ea est, quae agit ex virtute sibi propria et innata: atqui talis est intellectus in elicienda visione Dei beatifica. Lumen vero gloriae, etsi intellectui inhaereat, nihilominus agit tanquam instrumentum Dei potius quam intellectus: quia accidens supernaturale magis censeri debet instrumentum illius, a quo est, quam illius in quo est: sed lumen gloriae est a Deo; ergo potius est instrumentum Dei quam intellectus. » Quod si ita est, etiam in visione beatifica necessario datur, quod in omni visione mentali, seu cognitione invenitur, nempe verbum mentis, seu species expressa. Ideo *S. Augustinus* Lib. 9 de Trin. (5) generatim ostendit, animum, cum seipsum, aut quodlibet aliud intelligit, rei cognitae similitudinem et speciem quandam intra se efformare, et cum exinde Verbi divini generationem aliquo modo declarare satageret (6), prosequitur: « Cum Deum novimus, fit aliqua Dei similitudo illa notitia; tamen inferior est, quia inferiore natura est: creatura quippe animus, creator autem Deus. » Idem (7): « Illud quoque fatendum est, quod etiam cum similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est.... et tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque fallemur. » S. *Tho-*

(1) L. c. art. 6.
(2) Lib. 1, Diss. 6, cap. 1, specul. 2.
(3) L. c. (4) De Deo q. 13. art. 3.
(5) Cap. 11. (6) N. 16.
(7) Lib. 15. cap. 16, n. 16.

mas 1, q. 27, art. 1 ait: « Quicunque intelligit in hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae ex vi intellectiva proveniens, et ex eius notitia procedens: quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur verbum cordis significatum verbo vocis. » Et q. 4 de verit. art. 2 dicit: « Verbum est aliquid realiter progrediens ab altero... quod universaliter verum est de omni eo, quod a nobis intelligitur, sive per essentiam videatur, sive per similitudinem. »

De Obiecto visionis beatificae.

§ 783 Duplex est obiectum visionis beatificae; *primarium*, quod primo per se et immediate videtur, et in quo caetera videntur, talis est *Deus*: *secundarium*, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudinem nisi accidentaliter; eiusmodi sunt *creaturae*.

1. Beati in coelo clare et intuitive vident *Dei essentiam, et omnia eius attributa*, quae non sunt nisi ipsa essentia divina: nam cum dicatur: *Videbimus eum sicuti est* (1), necesse est, ut admittatur, omnia attributa divina a beatis cognosci; non enim cognoscerent Deum sicuti est si attributum ipsius essentiale mentem illorum lateret. Beati in coelo etiam clare et intuitive vident tres divinas Personas, id est, SS. Trinitatem. Sicut enim a Comprehensoribus non potest unum attributum sine alio videri, quia omnia attributa sunt ipsa essentia divina, ita etiam nequit una Persona sine altera conspici, quia tres Personae sunt una eademque essentia divina. Ideo Christus dicit: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem? non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* (2) in quae verba *S. Augustinus* (3) inquit: « Videtis, quia in visione Patris et Filii visio est, et in visione Filii et Patris visio est. Ideo consequenter subiecit et dixit: *Nescitis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* Id est, et me viso videtur et Pater, et Patre viso videtur et Filius. Patris et Filii separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura et substantia, visio separari non potest. » Et *S. Thomas* (4) dicit: « Summa bonitas Dei, secundum quod intelligitur in seipsa, prout videtur a Beatis, non potest intelligi sine Trinitate personarum. » Et (5) addit: « Intellectus dupliciter se habet ad divina, uno modo, ut cognoscat Deum sicuti est, et sic impossibile est, quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo, et aliud remaneat, quia totum, quod est in Deo, est unum, salva distinctione personarum. » Etiam *Concilium Florentinum* in decreto unionis dicit: *Deus unus et trinus videtur a Beatis.* Beati in coelo etiam clare vident *omnia mysteria*, quorum fidem in terris habuerunt. Nam iuxta Apostolum in coelis videbimus *facie ad faciem* (6) quae hic in terris *videmus per speculum, et in aenigmate:* atqui omnia mysteria fidei hic videmus per speculum, et in aenigmate; ergo in coelo clare perspiciemus. Hinc *S. Augustinus* (7) scribit: « Omnia illa, quae nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanae longe minus quam sunt, atque incomparabiliter cogitamus (tunc videbimus). Et *videbitis*, inquit, *et gaudebit cor vestrum:* hic creditis, ibi videbitis. » Haec nempe visio, seu clara cognitio mysteriorum est prae-

(1) I Io. 3, 2. (2) Io. 14, 9, etc.
(3) Enarr. in Ps. 85, n. 21.
(4) 2 2 q. 2, art. 8 ad 3.
(5) 3 p. q. 3, art. 3. (6) I Cor. 13.
(7) Lib. 20 de Civ. Dei, cap. 21, n. 1.

mium fidei, per quam electi intellectum suum Deo revelanti subiecerunt. Haec est communis doctrina theologorum, qui in primario visionis beatificae obiecto assignando omnes consentiunt. In eo tantum *Scotistae* dissentiunt, quod dicant, intuitive videri posse essentiam divinam sine attributis, et unam personam divinam sine alia; sequitur haec eorum opinio *ex distinctione formali*, quam inter divina attributa admittunt: sicut autem haec distinctio, ita etiam illa opinio magno theologorum consensu reiicitur, eamque reiiciendam esse, argumenta allata probant. — Caeterum attendenda semper est doctrina iam proposita, quod Deus intuitive quidem, non autem comprehensive videri possit: quamobrem nunquam talis Dei attributorum, divinarum personarum, ac mysteriorum visio admitti potest, in qua infinitum a finito comprehenderetur.

2. Secundarium visionis beatificae obiectum sunt *creaturae*, quae duobus modis videri possunt in verbo, nempe *formaliter* et *causaliter*. Creaturas videri in verbo *formaliter*, est illas videri eadem visione, qua videtur essentia divina, in qua repraesentantur in speculo. Videri creaturas in verbo *causaliter*, est eas videri in seipsis, visione equidem distincta ab essentiae divinae visione, ita tamen ut haec illi ansam det, seu causa sit, ob quam res beatis manifestentur et ostendantur. *S. Augustinus* de Genesi ad litt. (1) duplicem in beatis distinguit creaturarum cognitionem, unam, qua creaturae videntur in verbo *formaliter*, quam appellat *matutinam*, quia clarior est; alteram, qua creaturae virtute visionis beatificae videntur in seipsis, quam appellat *vespertinam*, quia obscurior est, cuius rei rationem reddit dicens: « Multum quippe interest inter cognitionem rei cuiusque in Verbo Dei, et cognitionem in natura eius, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam; in comparatione enim lucis illius, quae in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immerito nox dici potest. » In hac duplici cognitione aliud quoque discrimen notandum est. Ea nempe, quae beati cognoscunt in verbo *formaliter*, simul ab initio cognoscunt, et non successive, utpote unico intuitu et unica specie, ut probat *S. Thomas* 1, q. 12, art. 10. — Ea vero, quae vident in verbo *causaliter*, non simul ab initio, sed successive conspiciunt. Sic Daniel X Angelus Persarum et Angelus Iudaeorum ignorabant liberationem Iudaeorum, qua de causa litigabant, non quidem contrarietate voluntatum, sed rerum, ut loquitur *S. Thomas*. Sic nullus beatorum nunc cognoscit diem Iudicii, quem postea noscet; ait enim Christus: *De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli coelorum* (2). Ex quo patet non omnia libera Dei decreta, creaturas respicientia, simul ab initio a beatis cognosci, sed quaedam ipsis successive manifestari et ostendi.

3. Quoniam beati essentiam divinam intuitive quidem vident, sed non comprehensive, inde sequitur, quod etiam visio seu cognitio creaturarum in ipsis limitata sit. Quamvis enim intuitive videant omniscientiam Dei, quae omnes res quovis tempore existentes perfectissime perspicit; quia tamen eandem non plene comprehendunt, ideo etiam eorum cognitio ad omnes prorsus res existentes extendi nequit. Ex eadem ratione beati non omnia possibilia vident. Quamvis enim intuitive videant omnipoten-

(1) Lib. 4, cap. 23. (2) Matth. 24, 36.

tiam Dei, et multo clarius quam homines viatores cognoscant omnia possibilia esse apud Deum, non tamen singillatim omnes creaturas vident, ad quas se extendere potest omnipotentia divina; alias haec comprehenderetur, quod menti finitae est impossibile. Praeclare hac de re disserit *S. Thomas* (1) dicens: « Intellectus creatus videndo divinam essentiam non videt in ipsa omnia, quae facit Deus, vel facere potest. Manifestum est enim, quod sic aliqua videntur in Deo, secundum quod sunt in ipso. Omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa. Sic igitur videntur omnia (entia creata) in Deo, sicut effectus in sua causa. Sed manifestum est, quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures eius effectus in ipsa videri possunt. Qui enim habet intellectum elevatum, statim uno principio demonstrativo proposito ex ipso multarum conclusionum cognitionem accipit: quod non convenit ei, qui debilioris intellectus est; sed oportet, quod ei singula explanentur. Ille igitur intellectus potest in causa cognoscere omnes causae effectus, et omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit. Nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest, ut ostensum est: nullus igitur intellectus creatus videndo Deum potest cognoscere omnia, quae Deus facit, vel potest facere; hoc enim esset comprehendere eius virtutem. Sed horum, quae Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt. » Hinc intelligitur, quomodo effatum illud theologicum: *Beati omnia vident in Verbo*, intelligendum sit: sensus nempe illius est quod beati, quidquid vident, in Verbo videant aut formaliter, aut causaliter. Vera autem omniscientia, quae est solius Divinitatis attributum, non potest unquam competere intellectui creato.

4. Quamvis Angelis, et beatis in coelo omniscientia attribui nequeat, certum tamen est, quod etiam ratione creaturarum ampla, et perspicua scientia potiantur. Nam *S. Augustinus* (2) ait: « Angeli... procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter facta sunt, aeternae rationes tanquam in eo, per quod facta sunt omnia. » *S. Gregorius M.* (3) inquit: « Quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? » *S. Bernardus* Serm. de triplici genere bonorum, n. 7 exclamat: « O sapientia, qua tunc omnia, quae in coelo, et quae in terra sunt, perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiae rerum omnium cognitionem bibentes! » *Conc. Senonense*, seu potius *Parisiense* anno 1528 in decretis fidei cap. 13 dicit: *Beatis pervium esse... omniforme illud Divinitatis speculum, in quo, quidquid eorum intersit, illucescat.* Communis est etiam theologorum sententia, beatis respectu creaturarum, et eventuum contingentium omnia patefieri, quae ad ipsos spectant, et quorum cognitione eorum beatitudo promoveri potest. Nam, aiunt, beatitudo debet perfecte satiare omne desiderium iustum, et honestum beatorum: atqui beati iuste, et honeste desiderant scire quae ad illos specialiter spectant: haec ergo illis in visione beatifica manifestantur. Ex hoc principio theo-

(1) 1, q. 12, art. 8.

(2) Lib. 4 de Gen. ad litt. c. 24.

(3) Lib. 4 Dial. c. 33.

logi sequentia corollaria inferunt. *a*) Beati vident rerum, quae sunt in universo, genera et species, et rationes earum, ac consequenter omnes Angelorum choros, et ordines; item praecipuas universi partes, coelum, elementa, stellas, et alia similia, quae per se et principaliter pertinent ad ornatum, et integritatem mundi. Nam, inquit S. *Thomas* (1): « Naturale desiderium rationalis creaturae est ad sciendum omnia illa, quae pertinent ad perfectionem intellectus; et haec sunt genera, et species rerum, et rationes earum, quas in Deo videbit quilibet videns essentiam divinam. Cognoscere autem alia singularia et cogitata et facta eorum non est de perfectione intellectus creati, nec ad hoc eius naturale desiderium tendit, nec iterum cognoscere illa, quae nondum sunt, sed fieri a Deo possunt. » *b*) Beati sese invicem, suosque parentes et amicos in patria cognoscunt. Nam, ait *Tertullianus* (2): « In meliorem statum destinamur, resurrecturi in spirituale consortium, agnituri tam nosmetipsos, quam et nostros. » S. *Cyprianus* l. de mortal. versus finem loquens de coelesti patria inquit: « Magnus illic nos charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum... ad horum conspectum, et complexum venire, quanta et illis, et nobis laetitia est! » — S. *Ambrosius* Serm. de obitu Valentiniani docet, in coelo intimas concivium cogitationes cognosci; ait enim: « Tunc nihil latebit proximum, nec erit quod suis quisque aperiat, abscondat alienis, ubi nullus erit alienus. » Et S. *Augustinus* (3) dicit: « Cogitationes, quas modo non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt illa in societate sanctorum. Nemo vult ibi tectum esse, quod cogitat, quia nemo ibi male cogitat. » *c*) Beati cognoscunt ea, quae in terra contingunt, et quae ad illos ratione status, vel officii, vel dignitatis, vel alterius tituli spectant. Sic Angeli norunt quae eos spectant, quos in custodiam acceperunt. *Elias* (4) post suam translationem cognovit, quae pertinebant ad regnum Israël, in quo prophetaverat. II Mach. XV legitur, *Oniam*, et *Ieremiam* orasse pro populo suo in magnis calamitatibus constituto. Quodsi isti eventus in altera vita iis manifestati sunt, qui ad visionem beatificam nondum admissi erant, quanto magis beati Deum intuitive videntes, quidquid eorum interest, clarissime cognoscent? Non dubitavit S. Petrus, se etiam post mortem Ecclesiae fata cogniturum esse, dum scripsit: *Dabo operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis* (5). S. *Ambrosius* in Orat. funebr. Theodosii docet, pium hunc Imperatorem curam habiturum esse filiorum suorum Honorii, et Arcadii. S. *Gregorius M.* (6) id asserit de omnibus Sanctis. Theologi passim docent, virtute visionis beatificae nosse praesules ecclesiasticos, quae ad commissi sibi gregis regimen, reges, quae ad regnorum pacem et concordiam, parentes, quae ad propriam familiam spectant. *d*) Denique beati vident preces, quas viventes ad eos dirigunt. Certe enim beatorum maxime interest, eos scire a quibus in terra coluntur, et invocantur, quia per istos gloria eorum promovetur, ipsisque per intercessionem charitatem manifestandi occasio datur. Imo iuxta articulum fidei datur communio sanctorum inter membra universi corporis mystici a Christo instituti: in coelis haec com

(1) 1, q. 12, art. 8 ad 4.
(2) Lib. de monogam. c. 10.
(3) Serm. 43 al. 16 de divers. c. 5.
(4) 2 Paral. 21, 12. (5) 2 Petr. 1, 15
(6) Lib. 12 Moral. cap. 17.

animo non cessat, sed continuatur; continuari autem non posset, si fidelibus viatoribus beatos colere, et invocare non liceret, aut si beati illorum preces audire non possent.

Nota. Inter veteres, et recentiores nonnulli negarunt, animas iustorum a corpore solutas statim in coelo recipi, et ad visionem beatificam admitti, sed putarunt, animas vel in corpore interire, ac iterum resuscitandas esse, vel in aliqua beata requie degere usque ad futuram corporum resurrectionem: qui gravis error iam § 755 refutatus fuit. Ab isto autem haereticorum errore distinguenda est quaestio illa, quae agitari coepit sub postremis Ioannis XXII annis inter quosdam Minoritas, et Dominicanos. Minoritae enim ultro fatebantur, animas iustorum ante resurrectionem corporum et in coelis recipi, et Christi in forma servi aspectu frui; sed negabant, cum quaestio nondum satis discussa fuisset, ante resurrectionem eas videre ipsam essentiam Dei, seu Christum in forma Dei. Contra vero Dominicanae familiae alumni eiusmodi animas ipsam Dei essentiam intueri contendebant. *Ioannes XXII* R. P. examini hanc controversiam subiecit, discutiendamque proposuit praestantioribus illius temporis theologis, nec ipse dedignatus est, quae pro utraque parte stare videbantur, argumenta, et auctoritates congerere, quare malevolorum invidiam subiit, quasi veritati refragaretur (1). Cum autem a *Benedicto XII* controversia definita fuerat, etiam Minoritae a falsa sua sententia recesserunt.

E. *De visionis beatificae coniunctione cum amore et gaudio.*

§ 784. 1. Omnes theologi cum *S. Thoma* docent (2), perfectam beatitudinem consistere in tribus; nempe *in clara Divinitatis visione, in grata charitatis unione, et in firma summi Boni fruitione.* — Intuitiva Dei visio fit per intellectum, ex illa autem oritur purissimus amor, seu perfectissima charitas in voluntate. Quo clarius enim videtur essentia divina infinitis perfectionibus praedita, eo puriori, et vehementiori amore mens in Deum abripitur, et in beata necessitate Deum super omnia, et in omnibus amandi reponitur. Quamvis igitur in coelo cesset fides per claram visionem; quamvis cesset spes per desiderati adeptionem, charitas tamen ibi non cessat, sed perficitur per summam dilectionem. Unde Apostolus dicit: *Charitas nunquam excidit* (3). Et secundum *S. Augustinum* (lib. de perf. iustit.) praeceptum dilectionis, quo iubemur Deum diligere ex toto corde, et ex omnibus viribus, et proximum nostrum sicut nosmetipsos, licet in via ex toto non possit impleri, perfecte tamen implebitur in coelesti beatitudine, quia ibi charitas non cessat, sed perficitur. Sic igitur in coelesti beatitudine erit perfecta charitas, ut quilibet plus Deum, quam se diligat, proximum quantum se, et plus quilibet gaudeat de beatitudine Dei, quam de sua, et tantum de cuiuslibet angeli, vel beati hominis felicitate, quantum si illam in se ipso haberet, ut docet *S. Anselmus* in Prosolog. — Ex eadem visione Dei sequitur etiam fruitio Dei cum ineffabili gaudio iuncta. Hinc Christus ipse inquit: *Haec est vita aeterna* (id est, beatitudo summa) *ut cognoscant te solum Deum verum* (4). Quod bene noverat Philippus dum dicebat: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Consonant etiam Ss. Pa-

1) Cf. § 755 Not. Resp. ad Obj. 8.

(2) I 2, q. 4, art. 3. (3) I Cor. 13, 8.
(4) Io. 17, 3.

tres. S. *Irenaeus* (1) de beatitudine aeterna dicit: « Quae unicuique evenit ex eo, quod vidit Deum. » S. *Gregorius Naz.* Orat. hab. propter plagam grandinis (2) de iustorum statu in altera vita ita loquitur: « Illos quidem lux omni sermone praestantior excipiet, et sanctae regiaeque Trinitatis purius iam, et clarius illuminantis, totamque se cum tota mente miscentis contemplatio, in qua ego sola praecipue regnum coelorum positum esse censeo. » S. *Ambrosius* (3) ait: « Scriptura divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis. » S. *Basilius* Const. monast., cap. 19 inquit: « Contemplatio summi Boni est thesaurus Angelorum, hominumque in coelum assumptorum. » S. *Chrysostomus* (4) dicit, Beatos non participare gloriam Dei, sed videre, quia « omnis requies est, Filium Dei videre. » S. *Cyrillus Alex.* (5) inquit: « Hominum felicitas est habere summam contemplationem. » S. *Hieronymus* explicans ea verba: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum* (6), inquit: « Deum videre vera laetitia est, Dei visio perfectum est gaudium. » S. *Augustinus* lib. 1 de Trinitate (7) scribit: « Ipsa est visio facie ad faciem, qua summum praemium promittitur iustis. » Et lib. 83 Quaest. (8): « Nemo beatam vitam novit, et miser est, quoniam si amanda est, sicuti est, hoc est eam nosse, quod habere. Quae cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi aeternum aliquid cognoscendo habere? . . . Omnium enim rerum praestantissimum est, quod aeternum est: et propterea id habere non possumus, nisi ea re, qua praestantiores sumus, id est, mente: quidquid autem mente habetur, noscendo habetur, nullumque bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur. » Cum visione autem Dei perfectum amorem, et summum gaudium coniunctum esse, S. Doctor profitetur dicens, Serm. 53 de tempore: « Charitas est summum praemium in coelo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei, quem quia praesentem vident, suavius diligunt, dulcius fruuntur. » Et lib. Confession. (9) ait: « Haec sola est vita aeterna gaudere ad te, de te, propter te; » et (10): « Beata vita est gaudium de veritate. » Iuxta hanc Ss. Patrum doctrinam *Benedictus XII* in Extrav. *Benedictus Deus*, definit, *animas iustorum visione et fruitione Dei vere esse beatas:* et *Conc. Viennense* docet, *Beatitudinem consistere in visione, et fruitione.* Et *Catechismus rom.* (11) haec habet: « Solida beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo posita est, ut eum videamus, eiusque pulcritudine perfruamur, qui est omnis bonitatis ac perfectionis fons et principium. »

2. Quamvis omnes theologi consentiant, in coelesti beatitudine visionem, amorem, et gaudium concurrere, dissentiunt tamen, dum quaeritur, quis horum actuum in beatitudine sit potior, seu in quanam animae operatione formalis beatitudo consistat? *Thomistae* cum Angelico suo praeceptore (12) eam essentialiter sitam volunt in actu intellectus, scilicet in visione essentiae divinae, quam visionem consequitur amor fruitivus tanquam eius proprietas inseparabilis. *Scotistae* contra beatitudinem formalem collocant in solo actu amoris, quo diligitur Deus propter se, ita ut visio non se habeat, nisi ut disposi-

(1) Lib. 4, c. haer., cap. 37.
(2) 16 (al. 15), n. 9.
(3) Lib. 2 de offic., cap. 2.
(4) Hom. 81 in Ioan. (5) Lib. 3, c. Iulian.
(6) Isa. 64, 14. (7) Cap. 13. (8) Q. 35.
(9) Cap. 22. (10) Cap. 23.
(11) P. 1, cap. 13, n. 7
(12) 1 2, q. 3, art. 4.

tio ad amorem. Pro utraque sententia gravia militare argumenta, fatetur *Estius*, qui tamen Thomistis adhaeret. Recte observat *Viator a Cocaleo* (1): « Thomistas a Scotistis inter se summopere non distare; quandoquidem nec Thomistae denegant in beatitudine operationes voluntatis, nec Scotistae comprehensionem intellectus, sed ambo eas praesupponunt: » ac dein ita prosequitur: Si quaeritur, « quaenam ex his tanquam causa, quaenam ut effectus debeant diiudicari, nemo non videt, intellectum semper praecedere voluntatem, nec voluntatem erga obiectum unquam moveri, nisi quatenus ei tanquam sibi bonum ab intellectu repraesentetur. Haec in humana mortali conditione verissima sunt: perceptio intellectualis voluntatem in omnibus ducit. An autem idem dici debeat in altera vita, diu haesi, nec utramque sententiam quomodolibet concordare mihi contigit, nisi asserendo, etiam in beatitudine in signo, ut aiunt, rationis, intellectum praecedere voluntatem, non tanquam causam, quae naturaliter fruitionem creet in voluntate, sed ratione ordinis. Deus enim et comprehensionem in intellectu, et fruitionem in voluntate solus creat per supernaturalem suam operationem. Quapropter nec intellectus solus realiter beat voluntatem, nec voluntas fruitur independenter ab intellectu; sed alter alteri dat, quod ambo a Deo accipiunt, remoto omni medio. » Ast etiam in supernaturalibus intellectum saltem ordine praecedere voluntatem, ostendit tum ex sacrosancto Trinitatis mysterio, tum ex operationibus gratiae intellectum illuminantis, et voluntatem moventis, et ideo concludit dicens: « Verosimilius credimus, beatitudinem a visione intuitiva provenire tanquam causam, licet redundet in voluntate tanquam effectus. » Alii alia distinctione in hac controversia utuntur. Ad quaestionem nempe: quis horum actuum sit potior, visio, an amor, an gaudium? cum *Suarez*, et *Lessio*, *Cl. Perrone* (2) respondet: « Quemlibet eorum sub peculiari respectu sibi primatum vindicare. Visio primas tenet quatenus est perfectio physica, et reliquorum radix et fundamentum; amor primum obtinet locum, quatenus Deum respicit, eiusque bonum; gaudium, seu fruitio primas obtinet, quatenus bonum hominis spectatur. »

(1) Tom. 6, Diss. 9, cap. 2.

(2) De Deo Creatore n. 3 cap. 6, n. 582 n nota 4.

F. *De visionis beatificae inaequalitate*

§ 785. *Iovinianus* haereticus saeculi IV, Stoicorum placita secutus, sicut merita et peccata, ita etiam praemia et supplicia hominum aequalia esse dixit; ex quo inferebat, omnes beatos intuitiva Dei visione donatos aequali prorsus beatitudine perfundi. Eundem errorem ex aliis principiis intulit *Lutherus;* cum enim opera meritoria negaret, atque contenderet, homines iustificari non per propriam iustitiam, sed per iustitiam Christi imputatam, consequenter dicebat, omnes homines esse aequaliter beatos. Errorem istum Protestantes amplexi sunt. Catholici autem unanimi calculo ut merita hominum, et demerita inaequalia sunt, ita in altera vita praemia et supplicia inaequalia futura esse pronunciant. Ex quo principio sequitur visionem beatificam, in qua praecipua et essentialis iustorum in coelo remuneratio consistit, inaequalem esse, seu beatos pro diversitate meritorum inaequali ratione Deum videre. Dogma hoc catholicum ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Pa-*

tribus et rationibus theologicis probatur.

1. Mercedem pro diversitate operum diversam fore maiorem minoremve, insinuat Christus apud Matth. dicens: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet: et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam* (1): quae verba clare ostendunt, praestantiori operi largiorem quoque mercedem respondere. Ioan. XIV, 2 Christus ait: *In domo Patris mei mansiones multae sunt;* quod non solum de numero, sed etiam de diversitate coelestium mansionum intelligi debet, quia divinus Redemptor solatur Apostolos, eisque ostendit, quod, licet ad tantam sanctitatem, et felicitatem, quam ipse consecuturus erat, pervenire non possint, inferiorem tamen beatitudinis gradum consecuturi sint, quia in coelo variae seu diversae mansiones dantur, meritis hominum respondentes: unde fidenter subiungit: *Vado parare vobis locum, ut, ubi sum ego, et vos sitis.* Matth. XVI, 27 legitur: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera eius* (2). Non posset autem dici Iudex *secundum opera* uniuscuiusque reddens, nisi quantitati, et qualitati meritorum, quantitas et qualitas praemiorum responderet. Hinc Paulus conceptis verbis dogma catholicum enunciat dicens: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (3). Et: *Hoc autem dico: qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (4). Huc collineat etiam parabola Luc. XIX, 16 in qua dicitur: *Venit primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi* (Dominus): *Euge, bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: et tu esto super quinque civitates.* Quomodo clarius ostendi posset, meritis exacte respondere praemium in coelo? — Hinc iterum Paulus gloriam electorum inaequalem futuram esse adseverat ad Cor. scribens: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum* (5).

2. *Ss. Patres* et *Concilia* eandem doctrinam proponunt. *S. Polycarpus* in actis martyrii n. 10, iudicem alloquens supplicia intentantem hanc fidem profitetur: « Merita mea doloris aestimatione pensabo. Quanto graviora pertulero tanto praemia maiora percipiam. » *S. Irenaeus* (6) inquit: « Plus Deum diligamus. Quanto autem plus Deum dilexerimus, hoc maiorem ab eo gloriam accipiemus. » *Tertullianus* in Scorpiaco (7) quaerit: « Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? *S. Cyprianus* l. de habitu virginum in fine sic virgines alloquitur: « Cum habitationes multas apud Patrem suum dicat (Christus), melioris habitaculi hospitia demonstrat: habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes ma-

(1) Matth. 10, 41, etc. (2) Cf. Rom. 2, 6.
(3) I Cor. 3, 8. (4) II Cor. 9, 6.
(5) I Cor. 15, 41.

(6) Lib. 4, c. haer. c. 13. (al. 2?) n. 3
(7) Cap. 6.

ioris gratiae praemium in coelestibus obtinetis. » *S. Hilarius* (1) scribit: « Plures mansiones (in domo Dei) diversae dignitati habitantium praeparantur. Sed licet diversa sit dignitas; differt enim stella stellae in gloria; tamen quotquot habitationibus variis licet digni habebuntur, fidei fructum et honorem coelestis gloriae sortientur. » *S. Ambrosius* (2), exponens verba Christi: *Beati pauperes* etc. ait: « Sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incrementa praemiorum.... Cum fueris in regno coelorum, tunc processus est mansionum; etsi unum regnum, diversa tamen merita sunt in regno coelorum. » *S. Gregorius Naz.* Orat. in S. Baptisma (3), loquens de variis luminibus, quae hominibus conceduntur, inquit: « Lumen est etiam illius vitae claritas, his utique, qui animos suos a peccati sordibus in hac vita perpurgarint: quo tempore nimirum *iusti fulgebunt sicut sol*, quorum, utique deorum, ac regum, in medio stat Deus, beatitudinis illius, atque dignitatis gradus distinguens, et dividens. » *S. Chrysostomus* (4) dicit: « Etiamsi omnia (sidera) sint in coelo, alia tamen maiorem, alia minorem habent claritatem. Quid ergo hinc discimus? quod, etiamsi omnes (beati) sint in regno, non omnes tamen eadem consequentur, et iisdem fruentur: sicut, etiamsi omnes peccatores in gehenna sunt, non omnes eadem sustinebunt. » *S. Hieronymus* indigitatum Ioviniani errorem ex professo impugnavit; et lib. 2 exponens verba Pauli I Cor. IX, 18 etc., habet: « Apostolus qui die ac nocte operatur, et ministrat eis, qui secum sunt, utique ideo hoc facit, ut plus laborans plus aliquid mercedis accipiat. » *S. Augustinus* (5) scribit: « Etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, *in domo Patris mansiones multae sunt;* nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito... Multae mansiones diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates..... Tanquam stellae (quae in claritate differunt), sancti diversas mansiones diversae claritatis, tanquam in coelo, sortiuntur in regno. » *S. Eucherius* Homil. in natali unius Confess. ait: « Qui plus laboraverit, plus mercedis accipiet. *Stella* enim, ut Apostolus ait, *differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Quamvis igitur omnes beati erunt, non tamen omnes aequales erunt: quod quidem in eo significatur, quod alii super decem, alii super quinque civitates constituti dicuntur. » *S. Fulgentius* in Regula verae fidei (6) loquens de iudicio inquit: « Diversa erit sanctorum gloria, sed una erit omnium vita aeterna. » *S. Gregorius M.* (7) dicit: « Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat, unde in Evangelio veritas dicit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* » *Conc. Florentinum* in dec. unionis statuit: *Sanctorum animas in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, pro meritorum diversitate, alium alio perfectius.* Et *Tridentinum* Sess. VI, can. 32, eum anathemate percellit, *qui dixerit, hominem iustificatum per bona opera non mereri aug-*

(1) In Ps. 64. (2) Lib. 5 in Luc., cap. 6.
(3) Orat. 40, n. 6.
(4) Hom. 41 in I Cor. cap. 15, v. 41, n. 3.
(5) Tract. 67 in Ioan. n. 2.
(6) Cap. 28, seu reg. 25.
(7) Lib. 4 Moral., c. 31.

mentum gloriae. De fide igitur est, Beatos pro diversitate meritorum inaequali ratione Deum videre.

3. *Rationes theologicae* propositam doctrinam illustrant, et confirmant. *a*) Deus ut sapientissimus mundi moralis gubernator hominibus praemia promittit, ut ad recte agendum impellantur (1). Ita enim constituti sumus, ut nisi stimuli nobis addantur, cito deficiamus, aut saltem in incoeptis deferveamus. Ast, diversa retributione sublata, acriora incitamenta desunt ad perfectiores virtutes sectandas, ad adversa fortiter perferenda, ad magna, et ardua suscipienda: et sic finis a divina sapientia in promissionibus intentus non obtineretur. Ipsa igitur ratio per fidem illustrata cognoscit, maioribus meritis maiora praemia promissa esse. Hoc argumento iam *S. Hieronymus* l. c. Iovinianum perstrinxit dicens: « Si nulla sit meritorum diversitas, si nihil distet inter virgines, et mulieres coniugatas; si aequalis meriti sint leviora virtutum opera, et martyrum constantia, vanum erit perfectionis studium, taediosus omnino erit virtutum labor, omnes a perfectione retrahentur. Quid perseverant virgines? quid laborant viduae? cur maritatae se continent? peccemus omnes et post poenitentiam idem erimus, quod Apostoli sunt. » *b*) *S. Thomas* (2) ita argumentatur: « Videntium Deum per essentiam unus alio perfectius eum videbit... Hoc erit per hoc, quod intellectus unius habebit maiorem virtutem, seu facultatem ad videndum Deum, quam alterius. Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriae, quod intellectum in quadam deiformitate constituit. — Unde intellectus plus participans de lumine gloriae, perfectius Deum videbit. Ius autem participabit de lumine gloriae qui plus habet de charitate: quia ubi est maior charitas, ibi est maius desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, et paratum ad susceptionem desiderati; unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, et beatior erit. » *c*) Visio Dei, in qua sita est essentialis beatitudo et gloria, proponitur sanctis ut merces bonorum operum, iuxta tenorem iustitiae distribuenda (3). Unde *Concil. Tridentinum* Sess. VI, cap. 16 cum D. Paulo dicit: *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis ab initio.* Sed si visio foret aequalis in omnibus beatis, obliviscetur saltem ex parte Deus laborum iusti, quandoquidem ille iustus maiorem non reciperet mercedem pro exantlatis magnae, et diuturnae poenitentiae laboribus quam ille, qui in brevi post confessionem peccatorum contritus ad aliam evocaretur vitam, siquidem omnium esset tam intensive, quam extensive eadem merces, idemque praemium. Ergo, cum nefas sit dicere, Deum aut oblivisci laborum iusti, aut eos non compensare secundum iustitiae distributivae apices, dicendum est, visionem in sanctis esse inaequalem, ubi sunt inaequalia merita.

Nota 1. Dum asserimus inaequalitatem visionis beatificae pro diversitate meritorum, haec inaequalitas non respicit beatitudinem essentialem, seu obiective sumptam, aut etiam specificam, sed eam tantummodo, quae accidentalis dicitur,

(1) § 260 n 3. (2) 1 q 12 art. 6 (3) Matth 5, 12; Rom. 2, 6; II Tim. 4, 8.

eu maiorem vel minorem intensitatis gradum. Exploratum ac certum quippe apud omnes est, visionem beatificam specificam et essentialem eandem prorsus esse in omnibus beatis, cum unum idemque sit obiectum, nempe Deus, et idem principium proximum visionis, scilicet lumen gloriae in omnibus, prout in praesentiarum unum idemque cunctis fidelibus fidei lumen est. His praenotatis facile est difficultates solvere, quae ab adversariis doctrinae catholicae opponuntur.

Obi. I. Aequale omnibus in coelo praemium tribui, patet ex parabola Matth. XX, ubi Paterfamilias eandem omnibus mercedem operariis retribuit, quamvis alii summo mane, alii hora tertia, alii sexta, nona et undecima in vineam iverint, atque adeo alii plus, alii minus laboraverint: cumque haec res primis indigna videretur, et murmurarent dicentes: *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et aestus,* respondit Paterfamilias: *Volo et huic novissimo dare sicut et tibi: an non licet mihi quod volo facere?* etc.; quo loco nihil est apertius ad demostrandum, futuram esse in coelis parem gloriae retributionem quamvis inaequalia sint merita.

Responsio communis Ss. Patrum et theologorum est, per illam aequalitatem denarii significari parem beatitudinem quoad substantiam, quia omnes sancti Deum videbunt: non vero parem huius visionis, seu beatitudinis gradum. Ita frequenter in S. Scriptura iustis omnibus *vita aeterna* promittitur (1), quin ideo in vita aeterna inaequales beatitudinis gradus negentur, qui alibi affirmantur. Hoc idem in adducta parabola fieri, Patres testantur. *S. Ambrosius* (2) ait: « Aequalem dignaris mercedem solvere, aequalem mercedem vitae non gloriae. » Et *S. Hieronymus* (3) c. Iovinian. scribit: « Unus denarius non unum est praemium, sed una vita, et una de gehenna liberatio. » *S. Augustinus* Tract. 67 in Ioan. inquit: « Quo utique denario vita significatur aeterna, ubi amplius alio nemo vivit.» Et Serm. 56 de verb. Dom. (4) « Ille denarius vita aeterna est, et in vita aeterna omnes aequales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius maius, alius minus: quod tamen ad vitam aeternam pertinet, aequalis erit omnibus; non enim alii brevius, alteri longius, quod pariter aeternum est. » Etiam *S. Thomas* (5) docet, nomine denarii significari beatitudinem ex parte obiecti; quae eo sensu in omnibus aequalis erit, quia omnes eandem Dei essentiam videbunt; vel etiam aequalis haec beatitudo in omnibus erit ratione durationis in aeternum: erit tamen inaequalis quantum ad intensionem et claritatem. Imo si quis contendat, per denarium intelligi mercedem quoad omnia, nihilominus parabola doctrinae catholicae non adversatur. Optime enim per illam significari potest, mercedem aeternae vitae non tempori, quo quis laboravit, sed charitatis affectui, quo laboravit, esse tribuendam: inde enim fit, ut duo, quorum unus decem annis Deo militavit remissa charitate, alter uno tantum anno ferventiori charitate aequali gloria donentur, quia Deus non quantum, sed ex quanto, non censum, sed affectum pensat. Ita *S. Gregorius Naz.* (6) parabolam

(1) Matth. 25, 46; Io. 10, 28, etc.
(2) Lib. 7 in Luc. ad cap. 15.
(3) Lib. 2.
(4) Cap. 4.
(5) 1 2, q. 5, art. 2 ad 1.
(6) Orat. 40, n. 20.

explicat asserens, eos operarios qui postremi in vineam missi fuere, diligentia et fervore merita priorum aequasse. « Nam, ait, tametsi quantum ad laboris modum plus contulerint, qui priores ingressi sunt, non tamen quantum ad bonae voluntatis mensuram. » — Nonnulli cum *Vasquez* et *Lirano* putarunt, nomine *denarii* non aeternum futurae vitae praemium significari, sed vocationem ad Ecclesiam Christi, et donationem gratiae, quam Deus pro sua voluntate partitur. « Sed, ait *Ci. Gazzaniga* (1) huic expositioni illud maxime obstat, quod gratia tanquam merces bonis operibus debita reddi videretur, quod ipsam gratiae notionem destruit. » Vindicari tamen aliquo modo haec ultima explicatio posset, si dicatur parabolas, non ex omni parte urgendas esse, praecipuum vero adductae parabolae scopum esse ostendere, nullam iniuriam fieri Iudaeis per gentium vocationem ad fidem. Sicuti enim Deus gratuito Iudaeos summo mane, hora tertia, sexta et nona vocavit, eisque mercedem promisit, ita et pleno iure hora undecima Gentiles sine eorum meritis, seu gratuito vocare, et idem eis praemium promittere potest, ac proinde prorsus iniustas esse obmurmurationes Iudaeorum, ad quorum os obstruendum Paterfamilias respondit: *An non licet mihi quod volo facere? Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi*, etc. (2).

Obi. II. Si sancti in coelo Deum inaequali ratione vident, alter erit altero beatior, quod absurdum est. Etenim si alter esset altero beatior, praealio alius maiori bono frueretur, quod pariter absurdum est, tum quia omnes fruuntur summo bono, summo autem non datur maius, aut aequale, tum quia omnes beati Deum vident sicuti est, ac proinde omnes aequali ratione, cum Deus sit ipsa divina essentia simplex prorsus et indivisibilis.

Resp. Omnes eiusmodi difficultates eodem vitio laborant, in eo nempe, quod statuitur, diversitatem beatitudinis petendam esse ab eiusdem obiecto, cum tamen repetenda sit ex parte subiecti, seu videntis. Beati enim eandem Dei essentiam vident, eodemque bono fruuntur, at diversa ratione pro diversa cuiusque aptitudine ac lumine gloriae, quo Deus potest perfectius unius intellectui coniungi quam alterius. Sic plures eandem depictam imaginem intuentur, omnes eandem vident, et totam contemplantur; at qui melius pingendi artem callent, multo plura vident, seu considerant quam alii minus periti; ex. gr., aequissimam omnium partium proportionem, umbras apte luminibus intermixtas, colorum dispositionem et harmoniam, etc. Ita omnes sancti eundem Deum vident, et haec visio est summum bonum respectu uniuscuiusque beati, quia totam eius capacitatem replet, atque adeo totum eius desiderium ex integro satiat, ut nihil amplius aut expetere, aut recipere pro sua capacitate possit: quod tamen est summum bonum respectu unius, non est aeque summum bonum respectu alterius, qui maioris visionis est capax. Nec obstat, quod dicatur: *Videbimus eum sicuti est;* nam, ut observat *S. Thomas* (3): « Adverbium *sicut* determinat modum visionis ex parte rei visae, ut sit sensus, *Videbimus eum* ita esse *sicuti est*, quia ipsum esse eius videbimus, quod est eius essentia: non determinat autem modum visionis ex

(1) De Deo Diss. 3, cap. 7, n. 163 in nota.
(2) Cf. Petav. lib. 7 de Deo, c. 11; Cornel. Lap. in h. l.

(3) 1. q. 12, art. 7 ad 1.

parte viventis, ut sit sensus, *quod ita erit perfectus modus videndi, sicuti est in Deo perfectus modus essendi.* » Modus autem videndi in beatis infinitus esse nequit (1): visio autem finita diversos gradus habere potest; ac ideo quamvis divina essentia una sit, simplex atque indivisibilis, potest tamen uni intellectui perfectius uniri quam alteri propter diversam facultatem intellectus non quidem naturalem, sed supernaturalem, nempe per lumen gloriae, quod Deus pro diversitate meritorum inaequaliter distribuit.

Obi. III. Visio Dei facit beatos plene, et undequaque felices; atqui tales non essent, qui minus clare Deum viderent; clariorem enim appeterent visionem, aliis inviderent felicioribus: non potest ergo inter beatos inaequalis Dei visio admitti.

Resp. In hac obiectione beati confunduntur cum hominibus viatoribus, qui naturam corruptam ab Adamo hæreditarunt, atque ideo variis inordinatis passionibus agitantur, a quibus illi penitus sunt immunes. Attamen etiam inter homines viatores hinc inde contingit, ut inaequalibus bonis fruantur, quin ideo motibus invidiae inquietentur. Sic, ex. gr., in lauto prandio, quamvis non omnes convivae eandem sumant cibi potusque quantitatem, dum tamen quilibet pro suo desiderio comedit et bibit, aliis non invidet, qui plus cibi potusque sumpserunt; nec qui minoris est staturae grandiorum vestes desiderat, dummodo eas habeat, quae sibi sint accommodatae. Quanto magis inaequalis bonorum fruitio sine perturbatione et sine invidia locum habebit inter Coelites, qui ab inordinatis passionibus penitus immunes, et divinae voluntati plene conformes sunt? Omnes beati essentiam divinam vident, et perfectissimo amore in illam abripiuntur: iustitia autem divina remunerativa, seu voluntas Dei reddens unicuique secundum opera eius, et iuxta merita distribuens praemia, est ipsa essentia divina, et ideo beati hanc voluntatem divinam, sibi secundum merita sua praemia elargientem, perfectissime amant, ita ut neque altiorem beatitudinis gradum desiderare, nec aliis in altiori gradu constitutis invidere possint, quoniam etiam omnes concives suos in Deo et propter Deum perfectissime diligunt. Ideo *S. Augustinus* Tract. 67 in Ioan. n. 2 plenam coelestis patriae beatitudinem describens ait: « Ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. « Tantum ergo abest, ut beati de aliorum maiori beatitudine tristitiam sentiant, ut potius de ista sincerissime laetentur. « Nam, ait *S. Gregorius M.* (2), unusquisque iuxta dispar meritum locum disparem percipit, sed eiusdem disparitatis damna non sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit. »

Nota 2. Communis est theologorum sententia, bona iustorum opera, seu merita esse causam moralem, lumen vero gloriae esse causam physicam inaequalitatis visionis beatificae: sed controvertitur, utrum lumen gloriae sit causa physica totalis et adaequata huius inaequalitatis. *Scotus* enim (3) existimat, inaequalitatem illam partim ex gradu luminis gloriae, partim ex minori, vel maiori intellectus perspicacia tanquam a causa physica, saltem inadaequata et partiali

(1) § 780, n. 1. (2) Lib. 4 Mor. c. 31. (3) In 4, Dist. 50.

repetenaam esse. — Sed ab hac Scoti sententia plerique theologi recedunt, et praeter Scotistas communi sententia docent, inaequalitatem visionis beatificae oriri ab inaequalitate luminis gloriae, tanquam a causa physica totali et adaequata, non vero a maiori vel minori perfectione, seu perspicacia intellectus. Hanc sententiam tradit *S. Thomas*, qui (1) dicit: « Facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriae: » ex quo infert: « Unde intellectus plus participans de lumine gloriae, perfectius Deum videbit. » Et ibid. (2): « Diversitas videndi Deum erit per diversam facultatem non naturalem sed glorificatam. » Et (3) addit: « In tantum intellectus creatus divinam essentiam perfectius, aut minus perfecte cognoscit, in quantum maiori vel minori lumine perfunditur. » Hinc *S. Facultas Parisiensis*, praeeunte *Guillelmc Parisiensi*, damnavit hanc propositionem: « Cuius meliora fuerint naturalia, necessario maior erit gratia et gloria. » Accedit ratio theologica. Nam si pro diversitate naturali intellectuum diversa et inaequalis foret visio beatifica, sequeretur, aliquem beatitudinis gradum correspondere maiori perfectioni intellectus creati: at id supponere non licet, quandoquidem omnis beatitudinis perfectio a solis meritis tanquam a causa morali, et a lumine gloriae, quod sicut gloria ipsa secundum merita conceditur, repetenda est: alias actio, quae tota supernaturalis est, flueret saltem ex parte a causa naturali, quod implicat. Observat porro *Cl. Tournely* (4): « Gratis et sine ullo fundamento supponitur in animabus separatis maior, vel minor perfectio naturalis; omnes enim aequales sunt, et maior vel minor earum acies, seu perspicacia in variam organorum structuram et dispositionem refundi debet. »

Nota 3. Ex inaequalitate beatitudinis sanctorum fundata in meritorum diversitate fluit triplex *Aureola*, seu gaudium accidentale a beatis de singulari quadam victoria perceptum, et in corpus speciali fulgore redundans. « Aureola, ait *S. Thomas*, est quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens (5), » et ideo *Martyribus, Virginibus,* et *Doctoribus* competit. Martyres enim vincunt mundum contemptu mortis, qua nullum gravius malum a mundo inferri potest. Virgines vincunt carnem, cuius illecebris constanter resistunt, unde cantant *canticum novum*..... et *sequuntur agnum, quocumque ierit* (6). Doctores vincunt diabolum, cum eum salutaribus suis monitis, et instructionibus ex cordibus hominum expellunt, regnum mendacii et erroris destruendo, regnum autem veritatis et virtutis propagando: unde Dan. XII, 3 legitur: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* — Si quaeritur, quaenam Aureola caeteris praestantior sit, respondet *S. Thomas* (7). « Praeeminentia aureolae ad aureolam potest dupliciter attendi: *primo* ex parte pugnae, ut dicatur aureola potior, quae fortiori pugnae debetur; et per hunc modum aureola martyrum aliis aureolis supereminet quodam modo, et aureola virginum alio modo; pugna enim martyrum est fortior secundum seipsum, et vehementius affligens. Sed pugna carnis est

(1) I, q. 12, art. 6. (2) Ad 3. (3) Art. 7.
(4) De Deo q. 15, art. 3.
(5) In suppl. q. 96, art. 11.
(6) Apoc. 14, 3, etc. (7) L. c. art. 12.

periculosior, in quantum est diuturnior, et magis nobis imminet e vicino. *Secundo* ex parte eorum, de quibus est pugna; et sic aureola doctorum inter omnes est potior, quia huiusmodi pugna versatur circa intelligibilia, aliae vero pugnae circa sensibiles passiones. Sed illa eminentia, quae attenditur ex parte pugnae, est aureolae essentialior, quia aureola secundum propriam rationem respicit victoriam et pugnam. Difficultas autem pugnae, quae attenditur ex parte ipsius pugnae, est potentior quam illa, quae attenditur ex parte nostri, in quantum est nobis vicinior; et ideo simpliciter loquendo aureola martyrum inter omnes est potior. Et ideo dicitur in glossa ad Matth. V, 10, quod in octava beatitudine, quae ad martyres pertinet.... omnes aliae perficiuntur: et propter hoc etiam Ecclesia in connumeratione Sanctorum martyres doctoribus, et virginibus praeordinat; sed quantum ad aliquid nihil prohibet, alias aureolas excellentiores esse. » Caeterum quamvis aureola proprie sit in anima *quia est* gaudium de victoria relata, attamen sicut ex gaudio essentialis praemii redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis, ita ex gaudio aureolae resultat specialis quidam decor in corpore, ut sic aureola principaliter sit in mente, sed per quandam redundantiam refulgeat in corpore. Fatentur plerique theologi cum *Cardin. Gotti*, ignotum nobis esse, quale futurum sit hoc signum in corporibus beatorum: nonnulli tamen probabile putant, claritatem gloriae efformare in capite virginum coronulam albam ob innocentiam, et puritatem; in capite martyrum purpuream ob sanguinem effusum; in capite doctorum subviridem ob pabulum spirituale ovibus subministratum. V. *Soto* (1), *Billuart* (2), *Schram* (3).

Usus doctrinae de coelo.

§ 786. Consideratio doctrinae in hoc articulo propositae efficere debet, ut coelestem patriam ardenter desideremus, peccata sedulo fugiamus, bona opera assidue perficiamus, atque huius vitae adversitates patienter perferamus.

1. Ipsa natura ad desiderandum magnum bonum inclinat. Fides autem nos certos reddit, quamcunque huius vitae felicitatem futilem, et vanam esse, si cum coelesti beatitudine comparetur, quae sola totum hominis cor exsatiare potest. Hinc sancti rectae fidei lumine repleti caduca huius mundi bona spernentes ad coelestem patriam continuo aspirarunt. Sic David ait: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae: ut videam voluptatem Domini, et visitem templum eius* (4). Et Paulus: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.... coarctor desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (5). Similes sensus omnes habere deberemus, qui *non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (6). Revera nos magis quam Hebraei super flumina Babylonis gemere debemus, dum recordamur Sion coelestis a qua peregrinamur. — Nam, ait *S. Augustinus* (7). « Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo, » et inferius Christianos monet: « In ista peregrinatione vitae quomodo agatis videte. Non vobis placeat amor Babyloniae,

(1) In 4, Diss 49, q. 5, art. 2.
(2) De ult. fine Diss. 2, art. 5, § 2.
(3) Lib. 1, § 409 in nota.

(4) Ps. 26, 7 etc. — Cf. Ps. 41, 1, etc.
(5) Phil. 1, 21, etc. (6. Hebr. 13, 14.
(7) Enar. in P[illegible]

ne obliviscamini civitatem Ierusalem. Etsi corpus vestrum adhuc in Babylonia tenetur, cor vestrum ad Ierusalem praemittatur. »

2. Ut ad regnum coelorum perveniamus, nihil magis necessarium est, quam ut peccata sedulo fugiamus. Nam Ps. XIV, 1, etc. legitur: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam*, etc... Et Ps. XXIII, 3 etc.: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus, et mundo corde.* Christus ipse ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Paulus Apost. exclamat: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* (1). Ioannes inquit: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium* (2). Quanta igitur solertia fugiendum est peccatum, ne coelestis beatitudo amittatur? quam insipienter agunt, qui propter caduca terrae bona, et vanas carnis voluptates ineffabilia coeli gaudia perdunt? Istorum caecitatem, et miseriam deplorat *S. Augustinus*, et ut eorum oculos aperiat, melioresque iisdem sensus instillet, Enar. in Psalm. CXVIII (3) ita praeclare loquitur: « Propheta docet: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* tanquam diceret: Scio quid vis, beatitudinem quaeris: si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt. Sed ubi erit quisque immaculatus nisi in via? in qua via, nisi in lege Domini? ac per hoc *beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, non superfluo nobis dicitur, sed exhortatio necessaria nostris mentibus adhibetur... Beatum quippe esse tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint, et mali. Nec mirum est, quod boni propterea sunt boni, sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint beati. Nam quisquis libidinibus deditus, luxuria, stuprisque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quaerit, et se miserum putat, cum ad suae concupiscentiae voluptatem laetitiamque non pervenit, beatum vero non dubitat se iactare, cum pervenit. Et quisquis avaritiae facibus inardescit, ad hoc congregat quocunque modo divitias ut beatus sit: inimicorum sanguinem fundere quicunque desiderat, dominationem quisquis affectat, crudelitatem suam quisquis alienis cladibus pascit, in omnibus sceleribus beatitudinem quaerit. Hos igitur errantes, et vera miseria falsam beatitudinem requirentes, revocat ad viam si audiatur vox ista divina: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, tanquam dicens: quo itis? peritis et nescitis. Non illac itur, qua pergitis, quo pervenire desideratis: nam utique beati esse cupitis; sed misera sunt, et ad maiorem miseriam ducunt itinera ista, qua curritis. Tam magnum bonum per mala quaerere nolite; si ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite. Viae perversae relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. Frustra tendendo fatigamini, quo perveniendo inquinamini. Non autem beati inquinati in errore, qui ambulant in perversitate saeculi, sed *beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* »

3. Ut coelestem beatitudinem consequamur, etiam bona opera assidue perficere debemus. Illa enim dicitur *merces* (4), quae nonnisi laborantibus

(1) I Cor 6, 9. (2) Apoc. 21, 27. (3) Serm. 1, n. 1. (4) Matth. 20.

datur; *convivium* (1), ad quod solae virgines admittuntur, ardentes lucernas habentes; *gaudium Domini*, in quod intrant servi de acceptis talentis lucrum reportantes; *corona* (2), quae non imponitur nisi ei, qui legitime certaverit; *regnum coelorum* (3), quod vim patitur, et a violentis rapitur. Hinc Christus: *Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quaerent intrare et non poterunt* (4). Petrus nos monet ut per bona opera certam nostram vocationem, et electionem faciamus (5). Paulus Colos. cap. 1 vult, ut Christiani *propter spem, quae reposita est in coelis* (6), ambulent *digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes* (7). Hinc *S. Chrysostomus* (8) in Ep. ad Ephes. dicit: « Non sufficit liberari a vitio, si oportet assequi regnum coelorum, sed etiam multo virtutum opus est exercitio. Nam ut a gehenna quidem liberemur, abstinere oportet a scelere; ut autem regnum assequamur, virtus est amplectenda. An nescitis, quia in externis etiam iudiciis... ita fiat? in his enim vetus erat mos, ut corona coronaretur aurea, non qui nihil mali fecerit civitati, hoc enim solum sufficit ad non dandas poenas; sed etiam qui magnis eam affecerat beneficiis: Sic oportebat duci ad hunc honorem...(9) Propterea beatus quoque Paulus nos abducens a vitio et improbitate deducit ad virtutem. Quid enim, dic, quaeso, iuvat, quod omnes spinae sint amputatae, si non sint sparsa bona semina? ad idem enim damnum rursus redibit labor, si manserit imperfectus. Propterea Paulus, nostri curam gerens, non ad malorum usque amputationem et ablationem sistit praecepta, sed etiam hortatur, ut cito fiat bonorum plantatio. » Et *S. Gregorius M.* Hom. 37 in Evang. cum coelestis patriae beatitudinem descripsisset, ita prosequitur: « Ad haec audita inardescit animus, iamque illic cupit assistere, ubi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna praemia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde et Paulus egregius praedicator dicit: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Delectet ergo mentem magnitudo praemiorum, sed non deterreat certamen laborum etc. »

4. Ad promerendam coelestem beatitudinem etiam opus est, ut adversitates patienter perferamus. Etenim si *oportuit pati Christum, etita intrare in gloriam suam* (10), quis sine cruce, et tribulatione ad regnum perveniet coeleste? Christus ipse *dicebat ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (11). Hinc Paulus Act. XIV, 21 ait: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Rom. VIII, 17: *Si filii et haeredes... si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Magnum vero solatium tribulationes patienter perferentibus affert idem Apostolus ad Cor. dicens: *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis* (12). Et ad Rom.: *Existimo enim, quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (13). Haec eloquia divina considerantes Ss. Martyres atrocissima quaeque tormenta cum invicta patientia, et alacri gaudio sustinuerunt. Iisdem effatis divinis Christiani omnes excitari debent,

(1) Matth. 25. (2) II Tim. 2.
(3) Matth. 11. 12. (4) Luc. 13, 24.
(5) II Ep. 1, 10. (6) V. 5. (7) V. 10.
(8) Hom. 16, n. 1. (9) N. 2.
(10) Luc. 24. 26. (11) Luc. 9, 23.
(12) II Cor. 4, 17. (13) C. 8, 18.

at aerumnas huius vitae, tentationes, opprobria, infirmitates, caeterasque adversitates patienter perferant. Recte *S. Augustinus* (vel alius pius scriptor) in manuali cap. 15 dicit: « O anima mea! si quotidie nos oporteret tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et sanctis eius sociari: nonne dignum esset pati omne, quod triste est, ut tanti boni, tantaeque gloriae participes haberemur? Insidientur ergo daemones, parent suas tentationes, frangant corpus ieiunia, premant carnem vestimenta, labores gravent, vigiliae exsiccent, clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus; deficiat in dolore vita mea et anima mea in gemitibus; ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et adscendam ad populum accinctum nostrum. Quae enim erit iustorum gloria? quam grandis sanctorum laetitia cum unaquaeque facies fulgebit ut sol? »

CAPUT III.

DE NEXU BEATORUM CUM HOMINIBUS VIATORIBUS.

§ 787. Ex dictis facile colligitur, coelum plurimis iam incolis repletum esse, qui ad visionem beatificam admissi maxima felicitate fruuntur. Tales sunt tum Angeli (1), tum homines, qui in statu gratiae sanctificantis defuncti, vel nulla debita solvenda habuerunt, vel ab istis in purgatorio iam liberati sunt (2). Omnes isti *Sancti* appellari merentur, et *Ecclesiam triumphantem* constituere dicuntur. Quaestio iam movetur, an et qualis nexus inter Ecclesiam triumphantem et militantem, seu inter sanctos in coelo regnantes et homines in terra peregrinantes detur? — Haec autem quaestio, quae proxime attingit statum supernaturalem, non tam per rationem, quam potius per revelationem solvere oportet. Iuxta cuius doctrinam hominum viatorum est sanctos venerari ut Dei amicos, et non personis tantum eorum, sed et reliquiis ac imaginibus illorum cultum exhibere. Sancti vero pro nobis apud Deum intercedunt, ac iis imprimis, qui eorum opem implorant, potenti sua intercessione succurrunt. Inter sanctos porro B. V. Maria specialem cultum meretur, qui *hyperdulia* dici solet. Haec est doctrina catholica, quae inter Novatores non paucos adversarios nacta est. Solide igitur eandem pertractare necesse est: et ideo agimus 1° *de cultu*, 2° *de intercessione*, 3° *de invocatione Sanctorum*, 4° *de hiperdulia B. V. Mariae exhibenda*, 5° *de cultu sacrarum Reliquiarum*, et 6° *de usu, et cultu Ss. Imaginum.*

(1) § 166 (2) § 55

ARTICULUS I.

De cultu Sanctorum.

788. Quem sanctis, et sacris reliquiis, ac imaginibus deferimus cultum, heterodoxi ut superstitionis, et idololatriae crimen nobis obiiciunt. Hac in re, ut in multis aliis, Ecclesiae catholicae doctrinam corrumpunt et calumniantur, eique tribuere solent, quae ab eius sensu sunt omnino aliena. Necesse igitur est, ut primo *cultus*, quem Ecclesia catholica sanctis exhiberi posse docet, *vera indoles* explicetur, ac dein *eiusdem honestas, et pietas* probetur.

I. *Vera cultus Sanctorum indoles explicatur.*

§ 789. Ut doctrinam catholicam de cultu sanctorum recte cognoscamus,

eamque contra haereticorum criminationes vindicemus, opus est, ut quaedam de cultu generatim disseramus, eius notionem evolventes, et divisiones, seu distinctiones ostendentes.

1. Colere, seu honorare aliquem dicimur, cum ipsius excellentiam agnoscimus et profitemur. Ideo cultus in genere est actus, quo testificari volumus alterius excellentiam, et nostram erga illum submissionem propter eius excellentiam; seu ut ait *S. Thomas* (1): « Honor exhibetur alicui propter aliquam eius excellentiam, et ita est signum, et testimonium quoddam illius excellentiae, quae est in honorato. » Observat autem *Bellarminus* (2), cultum « tres actus complecti: *primo* actum intellectus, quo apprehendimus excellentiam alicuius: *secundo* actum voluntatis, quo nos illi interius inclinamur, et aliquid volumus facere actu interiore, vel exteriore, quo protestemur eius excellentiam, et nostram subiectionem: *tertio* actum exteriorem, quo caput inclinamus, vel genuflectimus, vel aliquod aliud signum subiectionis ostendimus. Ex quibus actibus secundus est maxime proprius, et essentialis; nam primus actus potest esse sine adoratione, tertius etiam cum irrisione. » Notandum tamen est, quod actus primus pro fundamento et norma cultus habendus sit; nam excellentia alterius recte cognosci debet, ut digne coli possit. Ipsa etenim sana ratio dictat, quodlibet ens iuxta dignitatem suae naturae aestimandum, et amandum esse. Cui principio Ecclesia catholica stricte inhaerens, constanter docuit et docet, cultum sanctorum longissime distare a cultu soli Deo exhibendo, ut ex dicendis apparebit.

2. Excellentia, quae fundamentum cultus constituit, duplex secerni potest; vel enim est naturalis, seu civilis, ex. gr., in naturalibus dotibus animae, vel corporis, aut in mundanis dignitatibus, gradibus etc. consistens; vel est supernaturalis et sacra, quae in attributis supernaturalibus, in donis gratiae, et gloriae consistit. Iuxta fundamentum ergo, seu obiectum suum cultus rectissime distinguitur *in naturalem seu civilem*, et *in supernaturalem, sacrum seu religiosum*. Haec autem distinctio, quamvis ipsi quoque Philosophiae apprime conformis sit, plurimos tamen inter Protestantes habet adversarios, qui contendunt, cultum solius Dei *religiosum* dici posse, quia hic solus a Religione imperatur, et Religionis actum continet. Notandum vero est, quod ipsum *Concilium Tridentinum* nullibi definierit, cultum sanctorum *religiosum* dicendum esse, quamvis a Catholicis passim, et merito hac denominatione insigniatur. Haec porro controversia, quae de solo nomine agitatur, simplici distinctione componi posse videtur. Nam etiamsi adversariis concederemus, sanctorum cultum non immediate a virtute religionis imperari, nec immediate ad Deum dirigi, nemo tamen negare potest, idipsum immediate fieri, quia, ut infra dicetur, sicut Deus in reliquis creaturis ut auctor naturae, ita in sanctis ut auctor gratiae et gloriae honoratur. Hinc *Card. Gotti* de vera Christi Ecclesia cap. 14, ait: « Alienus non ero concedere, cultum, qui sanctis exhibetur, in hoc sensu non dici religiosum, quasi immediate a virtute religionis exeat tanquam actus eius proprius, siquidem obiectum ipsius immediatum est solus cultus Deo praestitus: dicitur autem religiosa haec honoris testificatio, quae sanctis tribuitur,

(1) 1 2, q. 2. art. 2.

(2) Lib. 1 de Sanct. beatit. cap. 12

quia fit ob religionis virtutem, et ad eius obiectum dirigitur. » Cum hac doctrina etiam doctiores nonnulli Protestantes consentiunt. Sic *Forbesius a Corse* Instr. Hist.-theol. (1) scribit: « Si quis istum cultum sanctorum, et honorem *religiosum* diceret, quia a vera religione imperatur, sicut (2) visitatio infirmorum, et similia misericordiae et sanctitatis officia dicuntur *religiosa*, non esset de ea appellatione lis cuique movenda. » *Amesius* in Bellarmino enervato (3) ait: « Honorandae sunt creaturae Dei ex religione erga Deum, non ex religione erga ipsas. Religio, ut scholastici loquuntur, imperat, non elicit istum honorem. » *Hugo Grotius* in Animadvers. contra Rivet. observans, nomen religiosi cultus esse ambiguum, subiungit: « Nam et religiosus est honor, qui soli Deo defertur, et religiosus est, qui ob Deum defertur Angelis, et Apostolis. » Ipse *Rivetus*, Grotium oppugnans (4) unice de nomine contendere videtur; reipsa idem dicit his verbis: « Quamvis honor, quem angelis, et sanctis deferimus, non ad communem civilemque vitam pertineat, pertinet tamen ad dilectionis, et societatis honorem, » ut recte *S. Augustinus* distinguit. His addit loc. cit. *Card. Gotti*: « In quo nec nos dissentimus. Protestantes societatis, vel dilectionis honorem ipsum appellent, dummodo honorem hunc fateri non dubitent superioris gradus et ordinis, quam sit communis honor civilis, et erga sanctos exerceri concedant ob religionis virtutem, a qua promoveatur ut illius obiectum, in quod ultimo dirigitur. Negent autem, *religiosum* ipsum dicere; sola erit, quae parum refert, nominis quaestio. »

3. Duplex excellentia supernaturalis distinguenda est, *increata* nimirum, solique Deo propria, qui infinitis perfectionibus praeditus, et sicut naturalium, ita etiam supernaturalium donorum omnium auctor est: *creata* alia, quae ex supernaturalibus donis gratiae et gloriae, a Deo acceptis, efflorescit. Duplici huic excellentiae duplex correspondet cultus: nempe *cultus Latriae*, et *cultus Duliae*. *Latria* est adoratio stricte dicta, quae soli Deo exhibetur ut supremo rerum omnium Domino, et fini nostro ultimo, ob increatam, et infinitam eius excellentiam. *Dulia*, quamvis antiquitus sumeretur pro servitute generatim accepta, nunc sumitur pro obsequio, quod deferimus sanctis ob excellentiam creatam supernaturalem, nimirum sanctitatis et gloriae coelestis. Duliae cultus bifariam rursus dividitur; in *simplicem* nempe *duliae cultum*, et in *cultum hyperduliae*, quo B. V. Maria speciali ratione honoratur prae caeteris sanctis, quos illa meritis et dignitate longe antecellit. Haec nomina aptissime a theologis adhibentur, ut cultus, qui sanctis et sanctorum Reginae exhibetur, a cultu soli Deo praestando rite distinguatur. Observat autem *Card. Richelieu* in sua methodo, Protestantes etc. (5): « Scholastici hunc honorem duliam, et hyperduliam vocant; sed haec nomina a nullo Concilio imposita fuere, neque ea sub poena deficiendi a fide recipere tenemur, dummodo quis credat, Deo attribuendum esse supremum honorem, nuncupatum religionem et latriam; alterum deberi sanctis in proportione ad eorum gloriam, et infinito inferiorem, aut appelletur veneratio, vel reverentia, vel decens aliud nomen ei attribuatur: id sufficit, ut quis cum Ecclesia catholica conveniat. »

(1) Lib. 7, c. 1, n. 9. (2) Iac. 1, 27.
(3) Tom. 2, lib. 6, c. 5, § 33.
(4) Ad art. 21. (5) Lib. 3, cap. 4.

4. Ecclesia catholica, quamvis semper cultum, qui dulia dicitur, sanctis exhibuerit, constanter tamen docuit, et etiamnum docet, non licere sanctis eum cultum deferre, qui Deo soli competit, et *latria* seu *adoratio latreutica* vocatur. Id Patres et Concilia testantur. Cum enim nonnullae sectae ex gnosticismo ortae, Angelis divinum honorem tribuendum esse dicerent, iam *Origenes* c. Celsum (1) novo huic errori fortiter restitit. *S. Athanasius* (2) c. Arian. pariter dicit, Angelis nullam adorationem impendendam esse. *Conc. Laodicenum* an. 365, can. 35 haec habet: *Non oportet Christianos, derelicta Ecclesia, abire, et ad Angelos idololatriae abominandae congregationes facere, quae omnia interdicta sunt. Quicunque autem inventus fuerit, occultae huic idololatriae vacans, anathema sit: quoniam derelinquens Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei, accessit ad idola.* Hic canon ostendit, Ecclesiam semper invigilasse, ne divinus honor Angelis exhibeatur, et a fidelibus crimen idololatriae committatur. Ita pariter Ecclesia restitit haereticis, qui B. V. Mariae cultum divinum impendendum esse censebant. Id testatur *S. Epiphanius*, qui in Haer. 79, quae est *Collyridianorum*, saepius repetit, Mariam non esse adorandam. *S. Hieronymus* in lib. c. Vigilantium, quamvis contra istum haereticum acerrime defendat cultum sanctis exhibendum, aperte tamen profitetur, cultum latriae ipsis exhiberi non posse; « quis enim, ait, o insanum caput! aliquando martyres adoravit? — quis hominem putavit Deum? » — *S. Augustinus* lib. 22 de Civ. Dei, cap. 10 clare docet, sanctis cultum latriae non deferri; ait enim: « Nos martyribus nostris non templa fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus martyribus sacrificemus; nec ibi a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. » *S. Cyrillus Alexandr.* (3) c. Iulian. ait: « Sanctos martyres neque Deos esse dicimus, neque divino cultu eos adorare solemus, sed adfectus, et honoris. Quin potius summis honoribus illos ornamus, puta, quod pro veritate legitime certaverint.... et virtutis adeo mirabilis seipsos veluti quasdam imagines vitae hominum proposuerint. Quare nihil est absurdi, imo vero necesse erat, eos, qui tam claris facinoribus claruerunt, ornari perpetuis honoribus. » Eandem doctrinam scholastici proposuerunt. Audiatur *S. Thomas* 2 2, q. 84, art. 3 dicens: « Deo debetur reverentia propter eius excellentiam, quae aliquibus creaturis communicatur, non secundum aequalitatem, sed secundum quandam participationem. Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam, et alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam. » Quam alienum sit *Concilium Tridentinum* a cultu latriae sanctis exhibendo, patet ex Sess. XXII, cap. 3, ubi dicit: *Quamvis in honorem, et memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit: unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriqm facimus in terris.* Et in *Catechismo romano* (4) dicitur: « Etsi Angelos Christiani adorare dicuntur exemplo sanctorum V. T., non eam

(1) L. 5, n. 4 etc. (2) Serm. 3.

(3) Lib. 6.
(4) P. 3. cap. 2, n. 8.

tamen illis venerationem adhibent, quam Deo tribuunt. »

5. Cultus etiam in *absolutum* et *relativum* dividi solet. Haec autem divisio bifariam accipi potest. In sensu stricto cultus absolutus ille dicitur, qui ita haeret in obiecto, ut ad aliud nullo modo referatur: et sic cultus absolutus convenit cum latria, ac soli Deo exhibetur propter excellentiam, quae est a se. Cultus autem, qui sanctis exhibetur ob excellentiam participatam, relativus dicendus est, quatenus ultimato refertur ad eum, a quo excellentia communicata fuit; unde Ps. CL, 1 dicitur: *Laudate Dominum in sanctis eius;* et in hoc sensu S. *Hieronymus* Epist. ad Riparium scribit: « Nos autem, non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem et lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim - colimus et adoramus; ne serviamus creaturae potius, quam Creatori, qui est benedictus in saecula. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: *Qui vos suscipit, me suscipit.* » — In sensu autem latiori cultus *absolutus* est, qui exhibetur enti propter se, seu propter excellentiam suo supposito intrinsecam: observant autem theologi, quod tali modo sola substantia intellectualis coli possit, quia haec sola habere potest excellentiam propter se cultu dignam: cultus vero *relativus* est obsequium alicui exhibitum non propter se, sed propter excellentiam personae, ad quam res illa aliquam habitudinem dicit; et hoc modo sanctorum reliquiae, et imagines coluntur, ut inferius explicabitur. Quamvis igitur sanctis duliae tantum cultus deferri possit, observat tamen *Cl. Perrone* (1) « hunc ipsum duliae cultum, si spectetur, quatenus ad sanctos refertur, et in ipsis sistit, sub hoc respectu dici posse absolutum. Etsi enim sancti participatam, ut diximus, excellentiam habeant, reapse tamen in suo genere habent; honoris propterea et religiosi cultus capaces sunt. E contra vero imagines et reliquiae, quae nullam ex sese excellentiam capiunt, ob quam honorem et cultum mereantur, improprie tantum coli et adorari dicuntur, eo quod veneratio nostra minime in iis sistat, sed per eas transeat ad prototypum; quare totus hic cultus relativus est. »

6. Pro diversa ratione, qua cultus tribui potest, fit, ut cultus in *interiorem* et in *exteriorem* distinguatur, prout scilicet vel solo animo, vel corporis insuper significatione praebetur. Interior, qui in sola mente consistit, sensus complectitur existimationis, admirationis, grati animi et obsequii erga illum, quem talibus sensibus dignum ducimus; exterior vero qui corporis administratione perficitur, nempe gestu, ex gr., capitis inclinatione, manuum elevatione, genuflexione etc., signa exhibet interiorum animi nostri sensuum, seu interioris cultus nostri. Porro ex signis exterioribus alia communia sunt Creatori, et creaturis, qualia sunt, ex. gr., preces, prostrationes, etc., alia Deo soli reservata sunt, nec nisi ipsi soli deferri possunt, qualia sunt sacrificia, vota, iuraiuranda, templorum inauguratio, ac caetera eiusmodi. Haec signa externa ad solum cultum latriae spectant; reliqua vero, Creatori ac creaturae communia, per intentionem ea exercentis determinantur.

Nota 1. Ne vox *adorationis* in decursu negotium facessat, observandum est, hanc vocem multiplicem in Scripturis sensum habere. Saepe sumitur pro cultu latriae, soli Deo exhibendo, ut Psal. XCVI, 8: *Adorate*

(1) De cultu Ss. cap. I n. 8

eum omnes Angeli eius; et Matth. IV, 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Aliquando vero eadem vox cultum exprimit angelis aut hominibus exhibitum. Sic Filii prophetarum, cum rescivissent Eliseum spiritu Eliae donatum, mox *venientes in occursum eius adoraverunt eum proni in terram* (1). Imo non raro prostratio, quemadmodum et vox adorationis adhibentur ad civilem tantum honorem designandum; nam I Reg. XXV, 23 legitur: *Cum vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David, super faciem suam, et adoravit super terram* (2). Etiam in Patribus vox adorationis non semper pro cultu latriae, sed hincinde pro cultu quoque duliae adhibetur. Neminem ergo offendere potest, quod *Synodus Nicaena II* utatur voce προσκυνεῖν, dum de sanctis et sacris imaginibus agit. Nam vox ista, ab externa actione deducta, interiorem quidem animi reverentiam, non cultum latriae semper significat, idque *Grotius* in animadv. c. Rivet. observat dicens: «In Synodo VII προσκυνεῖν nihil aliud est, quam honoris signum exhibere. »

Nota 2. Immerito a Protestantibus vilipenduntur, et carpuntur distinctiones, quae a Catholicis adhibentur ad genuinam cultus sacri indolem explicandam. Quod praeclare ostendit *Cl. Perrone* (3) exemplo petito ex cultu civili. Nam, ait, etiam « in politica societate alium honorem deferimus regi, alium regni proceribus. Regi enim supremum honorem impendimus, absolutum, ac propter seipsum. En specimen cultus, ut ita loquar, *civilis latriae!* Proceres vero plus minusve honoramus iuxta dignitatem, quam a principe obtinent, vel quo maiorem aut minorem cum ipso propinquitatem vel relationem habent; ideoque non per se, sed propter regem proprie eos colimus. Et en cultum *duliae civilis!* Rursum principis effigiem, ac simulacrum, seu etiam legatos veneramur non propter se, sed propter principem, quem referunt. En specimen cultus *civilis relativi!* Prosternimur, caput inclinamus, vel genua flectimus tum coram rege, tum coram aulicis, licet non parem iisdem honorem deferre intendamus; unde manifestum fit, discrimen exterioris cultus totum pendere ex intentione illum deferentis. Patet igitur, diversam istiusmodi cultuum distinctionem, et enumerationem ex ipsa rerum natura profluere, ac in ipsa fundari. Totum siquidem, quod reperitur discrimen inter cultum civilem et religiosum, unice petitur ex diversitate obiecti ac motivi. »

(1) IV Reg. 2, 15.
(2) Cf. Gen. 24, 26, etc.; Ios. 5, 15, etc.

II. *Religiosi Sanctorum cultus honestas et pietas probatur.*

§ 790. *Manichaei* omnem sanctorum cultum respuerunt, et gentilium calumniam renovantes, teste *S. Augustino* (4), obiecerunt Catholicis, quod pro diis gentium martyres invexissent. Manichaeorum vestigiis hac in re institere in Occidente *Vigilantius*, ac in Oriente *Eunomius*, deterrimus Arianus, et novae sectae conditor, ac post illum *Constantinus Copronymus* Imperator, qui edicto publico cultum sanctorum prohibuit. Eandem impietatem ex orco revocarunt posteriorum temporum novatores, *Lutherus* in lib. ad Waldenses, *Calvinus* lib. 3 Instit. (5), istorumque sectatores, qui acerrime contendunt, superstitiosum esse, et impium sanctorum cultum, quem eis exhibent

(3) Tr. de cultu Ss., cap. 1, n. 9.
(4) In lib. c. Faustum. (5) Cap. 20.

Catholici; quos ideo turpissimae idololatriae non impudenter minus quam impie reos pronuntiant. Haec equidem teterrima calumnia iam per ea, quae dicta sunt, satis refutatur; quicumque enim pacato animo, a praeiudiciis et partium studio immuni, declaratam catholici sanctorum cultus indolem considerat, facile cognoscit, cultum istum ab omni idololatriae labe longissime esse remotum. Ut autem doctrinae catholicae veritas et sanctitas magis magisque illucescat, hanc statuimus propositionem: *Sanctis in coelis regnantibus cultus religiosus, civili maior, eo autem, qui Deo defertur, multo inferior, licite, honeste et pie exhibetur:* propositio haec probatur ex S. *Scriptura*, ex *Traditione* et *ratione theologica*.

1. *In S. Scriptura* legitur, Angelis religiosum cultum fuisse exhibitum, nec Scriptura reprehendente, nec Angelis repugnantibus. Ita Gen. XVIII, 2 dicitur: Abraham *cucurrit in occursum eorum* (angelorum)... *et adoravit in terram*. Gen. XIX, 1 legitur: *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, et sedente Loth in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram*. Num. XXII, 31 Balaam ut *vidit Angelum stantem... adoravit eum, pronus in terram*. Iosue V, 13: *Cum esset Iosue in agro urbis Iericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram, et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est*. Honorem istum religiosum fuisse, seu in ordine ad Deum, exinde constat, quod Patriarchae optime noverint, angelos non *civiliter* conversari, sed Dei nuncios esse, atque cum Deo amicitia coniungi. Quamvis autem hic cultus esset civili maior, fuit tamen longe inferior supremo latriae cultu. Angeli etenim boni hunc latreutricae adorationis modum constanter a se reiecerunt, quoties suspicio esse potuit, ne offerretur. Sic Iudic. XIII, 16 ait Angelus ad Manue: *Si vis holocaustum facere, offer illud Domino*. Et Apoc. XXII, 8 narrat Ioannes: *Postquam audissem, et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi haec ostendebat, et dixit mihi: Vide ne feceris; conservus enim tuus sum... Deum adora*. At in adductis supra exemplis angeli exhibitam sibi adorationem nec recusarunt, nec reprehenderunt, scientes, non cultum latriae, sed cultum duliae sibi a Patriarchis deferri. Imo Angelus, qui apparuit Iosue, non solum delatum sibi cultum approbavit, sed etiam modum, quo reverentiam suam exterius ostenderet, praescripsit. Deus quoque ipse Israëlitas ad honorem angelis deferendum exhortatus est; ita enim Exod. XXIII, 20 alloquitur populum suum: *Ecce ego mittam angelum meum, qui praecedat te... observa eum, et audi vocem eius, nec contemnendum putes... et est nomen meum in illo*. Mirum ergo non est, Patriarchas, angelos colentes, non solum in S. Scriptura nullibi reprehendi, aut de idololatriae crimine accusari, sed potius (si Balaam excipias, qui tamen iuxta receptam consuetudinem se gessit) tanquam viros eximiae pietatis, et dilectos Dei amicos commendari. Quodsi licitum, honestum, et pium est angelos colere, idem dicendum est de sanctis, de qui-

bus scriptum est: *Erunt sicut angeli Dei in coelo* (1). Porro non desunt ex V. T. exempla adorationis religiosae praestitae quibusdam eximiae sanctitatis viris. Sic III Reg. legitur: *Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei; qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, domine mi, Elias* (2)? Cultus vero hic exhibitus non fuit civilis et politicus, quia Abdias ex praecipuis proceribus regis Achab dignitate civili longe maior erat Elia, sed sacer ac religiosus fuit, impensus ob dona supernaturalia, nimirum ob vitae sanctitatem, ac donum prophetiae. IV Reg. II, 15: *Videntes filii prophetarum, qui erant in Iericho e contra, dixerunt: requievit spiritus Eliae super Eliseum. Et venientes in occursum eius adoraverunt eum proni in terram*, non alia de causa, nisi quia eius miraculum viderant, quando percussae aquae Iordanis divisae sunt, ut Eliseus transiret. IV Reg. IV, 37 vix viderat mulier Sunamitis ingens miraculum, quo idem Eliseus filium eius excitavit a mortuis, *corruit ad pedes eius, et adoravit super terram;* itaque non simplicem hominem, sed qualitatem *viri sancti* et *thaumaturgi* in illo mulier venerata est. Et talis cultus religiosus neque a Prophetis repudiatus, neque a S. Scriptura ullibi reprehensus fuit. E contra Scripturae Deum exhibent vindicem contumeliae servis suis illatae; etenim ad Eliae nutum ignis de coelo descendit ad binos illos principes quinquagenarios absumendos, qui ad prophetam non ea, qua par erat, reverentia accesserunt; quare tertius quinquagenarius, utpote timens Deum, *curvavit genua contra Eliam, et precatus est eum* (3). Ita et pueri Bethel Eliseum irridentes ab ursis lacerati sunt (4). Quibus aperte Deus ostendit, qua ratione velit honore affici servos suos. Itaque nisi dicamus, viros pietate insignes idololatriae labe se commaculasse, dum cultum angelis et sanctis tribuerunt, aut Deum iussis ac prodigiis idololatriae crimen honestare voluisse, fatendum est, pium sanctumque fuisse cultum istum, quem S. Scriptura refert, atque ab omni prorsus superstitionis, ac idololatriae noxa immunem. Si autem sanctos adhuc in terra degentes adorare, id est, cultu duliae venerari aliquando licuit, magis certe licebit eosdem colere regnantes in coelis.

2. *Ss. Patres* testantur, religiosum sanctorum cultum semper inter fideles viguisse. Ecclesia *Smyrnensis* in Epist. encycl. de martyrio *S. Polycarpi*, num. 17 profitetur: « Christum utpote Dei Filium adoramus: martyres vero tanquam Domini discipulos, et imitatores merito diligimus propter illorum erga suum regem et magistrum benevolentiam eximiam. » Et ad locum, ubi passus est S. Polycarpus, conventuros se illius Ecclesiae alumni pollicentur, « ut natalem eius martyrii diem cum hilaritate, et gaudio celebrent, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros huiusmodi exemplo erudiendos et confirmandos. » *S. Iustinus M.* (5) inquit: « Confitemur patrem, - sed et Filium, qui ab eo venit, et nos ista docuit, nec non aliorum ipsum sequentium, et ad eius conformatorum similitudinem, bonorum scilicet angelorum exercitum: Spiritum quoque propheticum colimus, et adoramus, sermone, et veritate honorem deferentes. » *Constitutiones apost.* (6) haec habent:

(1) Matth. 22, 30. (2) C. 18, v. 7.
(3) IV Reg. 1, 13. (4) IV Reg. 2, 23, etc.
(5) Apol. 1, n. 6.
(6) Lib. 5, cap. 7.

« De martyribus vero praecipimus vobis, ut in omni honore sint apud vos, ut apud nos fuerunt Iacobus Episcopus, et condiaconus noster Stephanus. Hos enim et Deus beatos fecit, et viri sancti honorarunt. » Et (1) recensentur dies, quibus *feriandum erat famulis;* enumerantur autem inter caeteros dies festi sanctorum, et aiunt: « In diebus vacent Apostolorum; magistri enim vestri fuerunt ad docendum vos de Christo, vobisque Spiritum sanctum dederunt. In die Stephani Protomartyris ferientur, atque in diebus caeterorum sanctorum martyrum, qui Christum vitae suae anteposuerunt. » *S. Cyprianus* Epist. 34 scribit: « Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones, et dies anniversaria commemoratione celebramus. » Et Epist. 37 praecipit adnotari tempora, in quibus fortes athletae Christi excedebant, « ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrari possent, » et laudat Tertullum, qui illi significabat dies, quibus beati Fratres gloriosa morte ad immortalitatem transibant, ut posset « pro eorum commemoratione celebrare oblationes et sacrificia. » *Eusebius Caes.* de vita Constantini (2), describit magnificentissimum templum ab Imperatore extructum *in memoriam Apostolorum,* et (3) dicit, eo in templo « precationes in honorem Apostolorum celebratas fuisse, eamque aedem in honorem, ac memoriam Apostolici collegii fuisse erectam, et consecratam. » *S. Basilius M.* (4), ad Ponticae Dioecesis Episcopos ait: « Martyrum honores cum summo studio procurantur ab iis, qui in Domino sperant; tum praecipue a vobis, qui virtuti operam datis. » Et ad S. Ambrosium (5) inquit: « Tuus in S. Dionysium Episcopum ardor animi omnem de te erga Dominum amorem, reverentiam in antecessores, et studium fidei testatur. Animi enim erga fideles conservos affectio refertur ad Dominum, et quisquis eos, qui pro fide decertarunt, honorat, eodem se fidei ardore succendi ostendit, ita ut una eademque actio multiplicis virtutis testimonium habeat. » *S. Gregorius Naz.* Orat. (6) in laudem S. Cypriani dicit: « Omnium quidem martyrum memoria celebranda est, et linguae et aures et mentes prompte aperiendae sunt, ut de eorum laudibus libenter aliquid dicamus et audiamus; » et ibid. (7) cum fideles adhortatus esset, ut cum fiducia ad S. Cyprianum recurrant, addit: « Imo vero his maiora offerte, qualiaque eos offerre par est, qui eum vere et sincere colunt, corporis scilicet macerationem, animae progressionem, vitii fugam, virtutis incrementum. » *S. Gregorius Nyss.* Orat. in S. Theodorum, ubi multa dixit de cultu, qui Ss. Martyribus ab Ecclesia exhibetur, postea subiungit: « Cui regum talis honor habetur? quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? quis Imperatorum, qui urbes munitas coeperunt, nationes innumeras subegerunt, adeo decantatus, et fama celebratus est, ut hic Miles pauper modo conscriptus, et tyro, quem Paulus armavit, quem Angeli ad certamen unxerunt, quem victorem Christus coronavit? » — *S. Epiphanius* (8) ita loquitur: « Iustorum pariter et peccatorum mentionem facimus; peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam implo-

(1) Lib. 8, cap. 33. (2) Lib. 4, cap. 58.
(3) Cap. 60. (4) Epist. 291.
(5) In Epist. 97, n. 2.
(6) Orat. 24 (al. 18), n. 4.
(7) N. 18. (8) Haer. 76, n. 7.

rei ius; iustorum autem, ut Dominum I. Christum singulari quodam honore prosequentes a caeterorum hominum ordine segregemus. Debitumque cultum illius maiestati tribuamus, animo reputantes, non esse Dominum cum ullis mortalibus adaequandum, quamvis singuli immensa quadam, aut etiam ampliori iustitia praediti sint. » *S. Chrysostomus* Homil. in Ss. Mm. Iuventinum et Maximinum, n. 1 inquit: « Vos non aliter priscos, aliter recentiores colitis sanctos, sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes et commendatis. » *S. Ambrosius* (vel potius *S. Maximus*, aut alius antiquus Auctor Serm. 6 de Ss. Petro, et Paulo) ait: « Quisquis ergo honorat martyres, honorat et Christum; et qui spernit sanctos, spernit et Christum. » *S. Gaudentius Brix.* Serm. 17 die dedicat. Basilicae *Concilii Sanctorum* mox ab initio dicit: « Ut venerandas sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit: deinde ut hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est; et hodie ut adepti summorum sacerdotum praesentiam dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit. Convenerunt enim sancti Antistites, et apostolici viri ad persolvendum beatissimis Patribus et Praeceptoribus suis debitae devotionis obsequium, ut ubertate plenissima benedictionum spiritualium ditaremur. » *S. Paulini* poëmata quindecim pro natali die *S. Felicis M.* sunt praeclara monumenta, quae ostendunt, quanta solemnitate et devotione quotannis festum S. Felicis Nolae celebratum fuerit. *S. Hieronymus* in Epist. ad Riparium ait: « Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. » Et in vita B. Paulae exclamat: « Vale, o Paula! et cultorem tuum orationibus iuva. » Idem S. Doctor refutavit Vigilantium, sanctorum cultum improbantem. *S. Augustinus* Serm. 1 de Ss. Petro et Paulo dicit: « Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentium multitudo. » Enarr. in Ps. XLIV inquit: « Ostendatur mihi Romae in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? » Et (1) c. Faustum Manichaeum scribit: « Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis, et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post superata certamina, quanto etiam fidentiore laude praedicamus, iam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, qui graece *latria* dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. » *S. Leo M.* (2) de S. Laurentio dicit: « Gaudeamus dilectissimi, gaudio spirituali, et de felicissimo incliti viri fine gloriemur in Domino, qui est mirabilis in sanctis suis, in quibus nobis et praesidium constituit et exemplum: atque ita per universum mundum clarificavit gloriam suam, ut a solis ortu usque ad occasum leviticorum luminum coruscante fulgore quam clarificata est Ierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio, cuius oratione et patrocinio adiuvari nos sine cessatione confidimus. » *Theodoretus* Serm. 8 de graecarum affect. curat. ait: « Nos nec sacrificia, nec libamina martyribus offerimus; sed ut sanctos homines Deique amicissimos hono-

(1) Lib. 20, cap. 21.

(2) Serm. 85, n. 4.

ramus. » *S. Gregorius M.* narrat B. Petrum apparuisse cuidam Theodoro lampades instruenti in Ecclesia B. Petro dicata, ut ostenderet, se probare venerationem, quam servientes sibi exhibent. *S. Io. Damascenus* (1) ait: « Honorare decet sanctos ut amicos Christi, ut filios et haeredes Dei etc. »

3. *Concilia* dogma catholicum confirmant. *Gangrense* circa ann. 324 in Paphlagonia habitum can. XX dicit: *Si quis superbiae usus affectu conventus abominatur, qui ad confessiones martyrum celebrantur, et ministeria, quae in eis fiunt, simul cum eorum memoriis execratur, anathema sit. Conc. Laodicenum* circa ann. 365, can. XXXIV statuit: *Non oportet omnino Christianum derelictis martyribus Christi abire ad falsos martyres. Hi enim alieni a Deo sunt. Quicunque autem abire voluerint, anathema sint. Nicaenum II* can. XVII definit: *Si quis non confitetur, omnes, qui a saeculo hucusque, et ante legem, et in lege, et in gratia a Deo dati fuerunt, sanctos venerandos esse coram Deo et anima et corpore: et horum intercessiones non petierit, utpote qui libertatem apud Deum habeant pro mundo secundum ecclesiasticam Traditionem intervenire, anathema sit. Conc. CPtanum* ann. 1672 in causa Protestantium a Graecis schismaticis habitum can. XI profitetur: *Sanctis etiam ceu gloriosis Christi athletis cultum exhibemus, liberoque ad sacrum eius tribunal accessu gaudentes divinae opitulationis implorandae mediatores adhibemus. Quod autem cultum, qui sanctis, sive etiam maiorem illum, qui merito prorsus immaculatae Deiparae utpote coelestibus virtutibus praecellenti exhibetur, Filii eius honori detrahere nonnulli dictitant, ad fabulas revocamus; diversus enim est atque humilior venerationis huiusce modus, quam ut Christi ex eo honor et cultus, qui quidem latriae est, imminuatur.* — Universalem et constantem de cultu sanctorum Traditionem etiam alia monumenta ecclesiastica evincunt, ac in primis, *festi dies* in Ss. Martyrum honorem ac memoriam instituti, ut ex plurimis Ss. Patrum homiliis, et aliorum antiquorum scriptorum testimoniis abunde constat. Huiusmodi autem festivitates ab aevo apostolico repetuntur. Nam, ait *S. Io. Damascenus* Orat. 1 de imaginibus: « Celebritates sanctorum tolli non possunt, cum sanctus Apostolorum et divinorum Patrum chorus eas fieri iubeat. » Imo licet Ecclesia semper crediderit, *sacrificia* soli Deo offerenda esse, cum his tamen commemorationes sanctorum iungere consuevit; imo et sacrificia in honorem sanctorum Deo obtulit, ut nempe Deum laudet in sanctis eius, ut ei gratias pro donis supernaturalibus, quae electis hominibus contulit, referat, et tempore sacrificii sanctos apud thronum divinum intercessores consequatur: hanc Ecclesiae disciplinam contestantur *Tertullianus* (2), *S. Cyprianus* (3), *S. Chrysostomus* (4), *S. Augustinus* (5), et antiquissimae liturgiae. Ex eadem ratione *altaria ac templa, seu sacella*, quae *confessiones*, aut *martyria* nuncupabantur, in sanctorum honorem iam antiquissimis temporibus et ubique locorum erecta sunt, ut innumera monumenta ostendunt. Hinc *Gennadius* de Eccles. dogmat. (6) scribit: « Basilicas martyrum nominibus appellatas, velut loca sancta, divino cultui mancipata affectu piissimo et devotione fidelissima adeundas esse

(1) Lib. 4 de fide, cap. 10.
(2) De corona, cap. 3. (3) Epist. 34.
(4) Hom. 21 in Acta Apost. n. 4.
(5) Serm. 273, cap. 12, (6) Cap. 73.

credimus: si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus et Vigilantianus est. »

4. *Ratio* ipsa dictat, quodlibet ens iuxta dignitatem suae naturae aestimandum, amandum et colendum esse. Hoc axioma, quod convenit cum praecepto Apostoli: *Reddite omnibus debita..... cui honorem, honorem* (1), etiam apud Protestantes tam a philosophis, quam a theologis admittitur, imo et tanquam supremum moralitatis principium statuitur. Iuxta hoc principium civilis honor debetur civili virtuti, sapientiae, nobilitati, potentiae etc., quod Protestantes non diffitentur: ergo iure inferimus, admittendum pariter esse cultum religiosum ad supernaturales virtutes et dotes sanctorum proprias honore debito prosequendas. Et sane fatentibus omnibus - summa hominis dignitas et excellentia in perfectione morali consistit, quae a gratia supernaturali provenit, et ad intimam cum Deo unionem ducit. Quodsi iuxta hoc principium hominem iustum, etiam in terris viventem, tentationibus, imperfectionibus, atque periculis subiectum, magis aestimare, amare et colere docet, quam illos, qui naturalibus tantum praerogativis excellunt; quanto magis aestimare, amare et colere decet sanctos, qui bonum certamen certarunt, cursum consummarunt, fidem servarunt, et coronam iustitiae consecuti sunt? Isti a Deo ipso glorificantur, et gloria ac honore ab aliis sibi deferendo digni declarantur. Nam I Reg. II, 30 legitur: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum;* Ps. CXXXVIII, 16: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum;* Io. XII, 26: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Rom. II, 10: *Gloria et honor, et pax omni operanti bonum.* Rectissime ergo sanctos colimus, quos Deus ipse glorificat, et ab aliis, nempe a nobis, qui ipsis inferiores sumus, glorificari vult. Tantum igitur abest, ut per cultum sanctorum honor Deo debitus imminuatur, ut potius promoveatur. « Nam, ait *Cl. Perrone* (2), quemadmodum honor ille, qui aulae proceribus exhibetur, nedum principis honori ac reverentiae ei debitae quidpiam detrahit, illam potius statuit ac confirmat, sic pariter cultus quem sanctis tribuimus, nedum quidpiam detrahit supremo honori et cultui, qui Deo debetur, eum potius perficit et mirifice confirmat; mancus enim quodammodo esset honor ille, quo Deum prosequimur, si colere dedignaremur amicos eius una cum ipso in coelesti aula regnantes; eo vel magis, quod in Dominum ultimo redundet honor servorum, qui quidem honor ideo religiosus nuncupatur, quia Dei intuitu et causa sanctis defertur. »

Nota. Protestantes moderatiores non ab omni sanctorum cultu abhorrent. Nam in apologia Confessionis augustanae (3) dicitur: « Confessio nostra probat honores sanctorum. Nam hic triplex honos probandus est. Primus est gratiarum actio; debemus enim Deo gratias agere, quod ostenderit exempla misericordiae; quod significaverit, se velle salvare homines; quod dederit Doctores, aut alia dona Ecclesiae. Et haec dona, ut sunt maxima, amplificanda sunt, et laudandi ipsi sancti, qui his donis feliciter usi sunt. — Secundus cultus est confirmatio fidei nostrae: cum videmus, Petro condonari negationem, erigimur et nos, ut magis credamus, quod vere exuberet gratia supra peccatum. Tertius honos est imitatio primum fidei, deinde caete-

(1) Rom. 13, 7.

(2) L. c. n. 20.

(3) Ad art. 2. 1

rarum virtutum, quas imitari pro sua quisque vocatione debet. » Alii vero, praecipue Calviniani, cultum sanctorum penitus reiiciunt, et Ecclesiam catholicam de idololatriae crimine accusant, quia sanctis cultum exhibet. Quae autem nobis ab istis obiiciuntur, facile refelluntur.

Obi. I. Cultus sanctorum adversatur primo Decalogi praecepto: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies* (1), quod Christus renovat dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (2). Hoc autem praecepto quicunque cultus et honor creaturis adimitur, et uni Deo reservatur, ut illud exponit Apostolus dicens: *Soli Deo honor et gloria* (3). Imo iam in veteri Testamento (4) Deus professus est, nolle se gloriam suam alteri communicare, illis verbis: *Gloriam meam alteri non dabo;* ergo ut superstitiosus et verbo Dei contrarius quicumque sanctorum cultus reiici debet.

Resp. In primo Decalogi praecepto, et in verbis Christi sermo est de illo cultu supremo et perfecto, quem nos cultum *latreuticum* appellamus, et quem certe nefas est alicui creaturae tribuere; haec enim servitus perfecta soli Deo Creatori, et Domino nostro debetur, ut ipsa Ecclesia catholica docet. Id tamen non excludit alium cultum ordinis inferioris, quo angelos et beatos Dei servos et amicos veneramur et colimus, qui tandem ad ipsum Deum refertur. « Devotio, ait *S. Thomas* (5), quae habetur ad sanctos Dei mortuos vel vivos, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum in quantum scilicet in ministris Dei Deum veneramur. » Sicuti ergo per primum praeceptum non tollitur quartum, seu non interdicitur honor a filiis parentibus exhibendus, quoniam iste cultu divino longe inferior est, et propter Deum exhibetur: ita etiam cultus duliae, quo sanctos veneramur per primum praeceptum nequaquam interdicitur. Apposite *Catechismus rom.* (6) ait: « Quis adeo demens est, qui, edicente rege, ne se pro rege quisquam gerat, aut regio cultu atque honore affici patiatur, continuo putet, nolle regem ut suis magistratibus honos deferatur? » — Etiam Paulus (7) nihil aliud docet quam quod soli Deo conveniat honor et gloria suprema, seu adoratio latreutica. Si enim Apostolus quemcumque honorem creaturis adimere voluisset, alibi non scripsisset: *Honore invicem praevenientes* (8); et *Presbyteri duplici honore digni sunt* (9). — Verba Isaiae doctrinae catholicae non adversantur. Deus enim dicit: *Gloriam meam,* id est, mihi debitam, *alteri non dabo:* denegatur ergo aliis gloria, quae solius Dei propria est, non autem gloria, quae iuxta dicta convenire potest creaturis. Caeterum in S. Scriptura Deus ipse, ut vidimus, sanctos *glorificare* dicitur.

Obi. II. Cultus angelorum prohibetur in S. Scriptura; nam Paulus Apostolus scribit: *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit, ambulans* (10): quibus verbis illos seductores nominat, qui ad religionem erga Angelos habendam incitant, et fidelibus cultum angelorum et sanctorum penitus interdicit.

Resp. Obscuri istius loci variae dantur expositiones, inter quas duae adduci merentur. Nonnulli enim ar-

(1) Deut. 6, 13. (2) Matth. 4, 10.
(3) I Tim. 1, 17. (4) Is. 42, 8.
(5) 2 2, q. 82, art. 2 ad 3.
(6) P. 3, c. 2, n. 8. (7) I Tim. 1.
(8) Rom. 12, 10. (9) I Tim. 5, 17.
(10) 18. Col., 2

bitrantur, Pauli verbis argui Christianos iudaizantes, nimis scilicet mosaicae legi addictos et legalibus observantiis, praetexentes legem per ministerium angelorum datam esse: cui expositioni favere videtur contextus; immediate enim antea (1) dixerat: *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum, quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Iuxta hanc interpretationem Paulus non prohibet legitimum Angelorum cultum, sed solum monet fideles ne per falsum et superstitiosum Angelorum cultum ad heterodoxam fidem de legalium observantia perducantur. Alii autem dicunt, Paulum haec verba scripsisse, ut superstitiosus ille cultus amoveretur, quem quidam philosophi, praecipue Platonici, angelis deferebant, et quos primi haeretici, ut Simon Magus, Menander, Cerinthus secuti fuerant, colentes angelos ut primarios nostros apud Deum mediatores. Cerinthiani enim de Christo adeo humiliter sentiebant, ut ipsi tanquam nudo homini angelos praeponerent. Alii contra Christum angelis multo excellentiorem esse confitentes, eius maiestate indignum existimabant, ut ipse esset noster apud Deum deprecator. Quamobrem angelos ut nostros mediatores, Christo deserto, colendos esse dicebant. Platonicorum de angelis sententiam refert *S. Augustinus* (2). Cerinthianorum errorem detestatur *S. Chrysostomus* (3) dicens: « Sunt quidam, qui dicunt, non oportere per Christum adduci, sed per angelos. Illud enim est maius, quam ut id possimus assequi. » Hinc verba Apostoli, *nemo vos seducat*, etc., idem videntur sonare, ac: nemo vos a vera Christi mediatione seducat, trahens ad superstitiosam angelorum religionem. Haec interpretatio confirmatur per verba subsequentia, quibus declarat quod seductor cavendus sit, trahens ad superstitiosum angelorum cultum (4), *et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* Ex quo iterum patet, per verba Apostoli falsum et superstitiosum, non legitimum angelorum cultum prohiberi.

Obi. III. S. Scriptura exempla exhibet angelorum et virorum sanctorum, qui nec cultum admiserunt, nec aliis deferri voluerunt. Apocal. XIX, 10 scribit Ioannes: *Et cecidi ante pedes eius* (angeli), *ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu: Deum adora.* Act. X, 25 etc., cum Cornelius procidisset ad pedes S. Petri adorans, Apostolorum Princeps elevavit eum dicens: *Surge; et ego ipse homo sum.* Similiter Act. XIV, 14 Paulus et Barnabas *Lycaoniis* ipsos adorare volentibus, dixerunt: *Quid haec facitis? et nos mortales sumus similes vobis homines.* Et iam in V. T. (Esther XIII, 14) etc. Mardochaeus rationem reddens, ex qua Amani genuflectionem et adorationem recusaverat, ait: *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo:* per quae exempla cultus angelorum et sanctorum illicitus, et idololatriae reus declaratur.

Resp. Etiam iuxta doctrinam catholicam cultum latriae seu adorationem latreuticam soli Deo deferre licet; cultus autem duliae angelis et sanctis exhiberi licite potest, quemadmodum licitum est, parentes, reges etc. ho-

(1) V. 16, etc. (2) L. 8 de Civ. Dei, c. 18. (3) Hom. 7 in Ep. ad Colos. (4) V. 19.

norare. Huic doctrinae exempla allata nullo modo adversantur; vel enim in istis sermo est de cultu latriae, quem Angeli et Sancti nec pro se admittere, nec aliis exhibere licite potuerunt; vel sermo est de cultu duliae, qui licite admitti potuit, sed ex aliis rationibus repudiatus fuit. Sic nonnulli putant, quod Ioannes Angelo sibi apparenti cultum latriae exhibuerit, quia, ut ait *S. Augustinus* (1), « talis apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari; et ideo fuerat corrigendus adorator. » Alii autem dicunt Ioannem duliae tantum cultum angelo exhibuisse, tum quia vix admitti potest, quod tam illuminatus Apostolus angelum a Christo discernere non valuerit, tum quia alioquin de idololatriae crimine accusandus esset Ioannes, qui non solum in loco citato, sed etiam post correctionem sibi factam, iterum cecidit ad angeli pedes, ut adoraret eum, et rursum prohibitus est (2). Recte ideo alii dicunt, quod Angelus cultum sibi a Ioanne exhibitum non ut illicitum reprobaverit, sed ex aliis rationibus repudiaverit. Ita *S. Gregorius M.* (3) inquit: « Noluisse angelum permittere, ut ipsum Ioannes adoraret, ob naturae humanae a Filio Dei assumptae reverentiam. Etenim antequam Dei Filius nostram carnem assumeret, Loht et Iosue angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur. Ioannes vero adorare angelum voluit; sed tamen eum angelus compescuit, quia naturam nostram Angeli prius despexerant; postquam hanc supra se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt. » Addunt alii, angelum non admisisse cultum a Ioanne, in quo dignitatem Apostoli, Evangelistae et Prophetae venerabatur, atque ideo dixisse: *Conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu..... testimonium enim Iesu est spiritus prophetiae;* quibus verbis ostendit, tantam esse Apostolatus dignitatem, ut angelis aequiparari possit. — Si *Cornelius* cultum latriae Petro exhibere voluisset, merito Petrus ipsi restitisset: sed probabilius ille duliae duntaxat cultum huic detulit: quo posito, hoc reverentiae et obsequii argumentum Petrus reiecit, partim modestiae et humilitatis causa, ut ait *S. Chrysostomus* (4); partim ut familiariter cum Cornelio ageret, eaque humilitate sibi amiciorem, et ad discenda ac credenda fidei nostrae mysteria paratiorem redderet; partim ut mox ab initio ostenderet, omnem gratiam Deo acceptam referendam esse, a quo omne bonum per Apostolos tanquam per Dei ministros descendit; aut forte etiam, ne scandalum daret infirmis adhuc Iudaeis suis comitibus, suspicaturis latriae cultum Petro exhiberi. Cultus vero, quem *Lycaonii* Apostolis deferre volebant, manifeste erat idololatricus, utpote in victimis et sacrificiis consistens, adeoque merito a Paulo et Barnaba reprobatus (5). Quod Mardochaeum attinet, communior sententia est, Amanum superbia inflatum divinos plane honores, vel divinis similes ambiisse, quia multi ethnici scriptores testantur, Persarum reges sibi tanquam Diis honores divinos vindicasse, et aliis quoque, quos eximie honoratos vellent, deferri iussisse: unde recte Mardochaeus timuit, ne honorem soli Deo debitum in hominem transferret. Addunt Hebraei, Aman idolum textile in pectore gestasse, quod alii adorabant,

(1) Lib. 1 in Pentateuch. qu. 72.
(2) Apoc. 22, 9. (3) Hom. 8 in Evang.
(4) Hom. 23 in Acta Apost.
(5) Cf. S. Thom. 2 2, q. 84, art. 1.

atque ita Mardochaeum coram ipso genuflectere prudenter recusasse, ne colere idolum videretur. Nonnullis autem alia sententia verisimilior videtur, quod Mardochaeus illam religiosam adorationem noluerit Amano vanissimo homini et impio tribuere, quae viris eximiae pietatis tribui solet, et quae propterea in Deum refertur, qui est omnium virtutum et sanctitatis auctor et donator: talis autem Amani adoratio in Deum referri nulla ratione potuit, adeoque vere dicebat: *Timui, ne honorem Dei mei transferrem in hominem.* — Ergo ex allatis exemplis nihil contra cultum sanctorum inferri potest.

Obi. IV. Antiqua monumenta ostendunt, cultum Angelorum olim prohibitum fuisse. Nam *Conc. Laodicenum* an. 365, can. XXXV definit, *quod non oporteat Christianos Ecclesiam Dei relinquere et abire, et Angelos nominare, vel congregationes facere: si quis ergo inventus fuerit huic occultae idololatriae vacare, anathema sit.* Damnant eundem cultum *Origenes* l. 5 c. Celsum n. 48 etc., *S. Athanasius* Serm. 3 contra Arianos, *Theodoretus* Comment. in Ep. ad Coloss. Eadem vero est ratio cultus angelorum et sanctorum.

Resp. Ecclesia quovis tempore cultum immodicum et superstitiosum angelorum et sanctorum damnavit, nunquam autem legitimum interdixit. Ita *Conc. Laodicenum*, ut ex canonis verbis patet, illos perstrinxit, qui angelos ita venerabantur, ut relicta Dei Ecclesia, impias congregationes *facerent, et occultae idololatriae vacarent.* Caeterum eiusdem Concilii Patres admittunt legitimum cultum martyrum, ac tempus determinant, quo martyrum festivitatibus fideles vacare possunt; nam can. LI dicunt: *Quod non oportet in quadragesima martyrum natales peragere, sed Sanctorum martyrum facere commemorationes in sabbatis et dominicis:* huiusmodi autem commemorationes quid sunt, nisi religiosae venerationis actus? — *Origenes* loc. cit. refellit Celsum, Christianos calumniantem ea ferme ratione, qua nunc Protestantes Catholicos lacessunt, quasi ipsi angelos uti Deos haberent, et colerent; ait enim: « Nusquam tamen ibi (in Scripturis) praeceptum reperias, ut, qui Deo debetur cultus, eodem prosequamur eos (angelos), quorum nobis ministrandi, Deique dona afferendi negotium est. » At ibidem (1) *Origenes* rite intellectum angelorum cultum aperte admittit: ita enim respondet propositae sibi a Celso difficultati: « Ex eo quod cum Deo Filium eius colamus, consequens esse (putat Celsus), ut non solum Deum, sed etiam eius ministros colendos esse censeamus. Si intellexisset, quinam sint post Dei Unigenitum vere ministri Dei, ut Gabriel, Michaël et alii Angeli atque Archangeli, et eos colendos esse dixisset, fortasse, repurgatis cum significatione illius vocis *colere,* tum eius, qui colit, officiis, hoc loco pro rei momento attulissem ea, quae de hoc argumento assequi intellectu potui. » *S. Athanasius* denegat angelis cultum latriae, et superstitiosum illum quem haeretici priorum saeculorum angelis deferebant. Idem dicendum est de *Theodoreto,* qui loc. cit. clare explicat, quemnam cultum reprobet; explanans enim Apostoli verba: *Nemo vos seducat* etc., haec scribit: « Et in hodiernam usque diem licet videre apud illos (haereticos) et eorum finitimos oratoria S. Michaëlis. Illi ergo hoc consulebant, atque humilitate utentes, dicentes, universorum Deum

(1) Lib. 8, n. 13.

nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare » (1).

Obi. V. Catholici docent, angelis et sanctis non quidem cultum latriae, sed tamen cultum duliae exhiberi posse. Ast S. *Augustinus* docet, etiam cultum duliae soli Deo deferendum esse; ait enim quaest. 94 in Exod.: « Dulia debetur Deo tanquam Domino, latria vero nonnisi Deo tanquam Deo. » Ideo omnem cultum sanctis denegat, dicens lib. de vera relig. (2): « Non sit nobis religio hominum mortuorum cultus, quia, si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante, laetantur meriti sui nos esse consortes. » Ex eadem ratione Serm. 273 (3) docet, *diligi* quidem, et *honorari* ab Ecclesia sanctos, non autem *coli*. Imo lib. de vera relig. (4) palam profitetur, a se sanctos minime *coli propter religionem*, sed tantum *amari et honorari propter imitationem*. Similes doctrinae et protestationes etiam in aliis Patribus inveniuntur.

Resp. Vox graeca *dulia*, quae servitutem significat, in sensu aut strictiore aut latiore sumi potest. Servitus perfecta et omnimoda non debetur nisi Deo supremo rerum omnium Domino. Sanctis autem tribuitur servitus inferioris ordinis, sicuti etiam tribui potest hominibus, ut ait Apostolus. *Per charitatem Spiritus servite* (δουλεύετε) *invicem* (5). Cum igitur S. *Augustinus* duliam Deo tanquam Domino tribuit, hanc vocem sumit in sensu strictiori; non autem ideo negat, quod cultus duliae in sensu latiori, aut in gradu inferiori etiam sanctis exhiberi possit; imo id potius manifeste concedit, cum solummodo de *latria* dicat, *eam nonnisi Deo* deferri posse. De eodem latriae cultu loquitur etiam in altero textu, et monet fideles, ne more ethnicorum, et haereticorum divinum cultum hominibus mortuis exhibeant, addita ratione, quod sancti talem honorem non quaerant, sed velint, ut Deo soli deferatur. Observandum porro est, quod, licet Ecclesia semper crediderit et docuerit, cultum supremum soli Deo tribuendum esse, cultum vero inferiorem etiam sanctis deferri posse, voces *latriae* et *duliae*, quae ad duplicem cultum distinguendum a Scholasticis adhibitae sunt, inter veteres aut ignotae, aut saltem quoad sensum non satis determinatae fuerint: quod idem etiam de ipsa voce *cultus* dicendum est. Recte ideo monet *Cl. Perrone* (6): « Nondum determinata *technologia*, seu vocabulorum vi, videntur interdum veteres omnem cultum angelorum et sanctorum reiicere, dum negant, *colendos* eos esse *adorandos*, *venerandos* etc. At his vocibus utebantur ad excludendos angelos et sanctos a supremo latriae cultu, qui profecto uni Deo debetur. His enim vocibus utebantur ethnici, qui nullam inter cultum supremum et inferiorem distinctionem agnoscebant. Aliis autem verbis catholicam de sanctorum cultu doctrinam designabant, dum profitebantur, se eos *diligere*, *honorare*, *charitate* et *dilectione* cum ipsis coniungi, aliaque eiusmodi. Factis demum publicis, festorum scilicet celebratione in martyrum honorem, monumentorum erectione, invocatione, aliisque superius commemoratis, quid sentirent, satis ostendebant. Hac igitur aequivoca-

(1) Cf. Petav. lib. 2 de Angelis, cap. 9 et 10; item lib. 14 de Incarn. cap. 14 et seq.
(2) Cap. 55. (3) Al. 101.
(4) L. c. n. 108. (5) Gal. 5, 13.
(6) De cultu Ss. n. 33.

tione sublata, corruunt, quae magna diligentia, et vano apparatu adversus nos collegerunt Protestantes. » In ultimo textu ex l. de vera relig. (1) manifeste S. Doctor loquitur de cultu latriae et servitute perfecta et omnimoda, quam soli Deo praestandam esse, in toto capite probat, et quam religionem nominat: hanc sanctis denegat, non autem cultum, seu honorem inferiorem. Ideo de sanctis dicit: « *Honorandi* ergo sunt propter imitationem, *non adorandi* propter religionem. » Honorem itaque sanctis exhibendum esse profitetur, sed ita, ut per istum cultum etiam ad illorum imitationem excitemur. Ita alii quoque Patres intelligendi sunt, dum sanctorum venerationem ad eorundem imitationem restringere videntur. Nam, ait *Cl. Perrone* ibid. (2): « Constituto principio de honore sanctis debito, ut a concionatoribus fit, inculcabant Patres, potiorem obsequii nostri partem collocandam esse in imitatione virtutum, quas sancti exercuerunt, *ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat:* quae verba Augustini sunt, et cultum supponunt, non autem excludunt, cum loquatur de *solemnitatibus* martyrum. »

Obi. VI. Creaturis templa consecrare et altaria erigere, omnium consensu vera est idololatria. *S. Augustinus* in collat. cum Maximin. Arian. dicit: « Si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi, et ab Ecclesia Dei. » Et Serm. 62 de verb. Evang. (3), loquens de paganis idololatris, ait: «Et illi, quod numen habeant, et pro numine accipiant illam statuam, ara testatur: Quid facit illic ara, si illud non habetur pro numine?... Sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciant, ara illa testatur. » Et nihilominus Catholici non dubitant, angelis et sanctis passim templa erigere, arasque consecrare. Quamvis porro etiam Catholici vota ad actus latriae pertinere doceant, nihilominus B. V. Mariae, angelis et sanctis vota faciunt: manifestam igitur idololatriam committunt.

Resp. Non negant Catholici, quod creaturis templa erigere, et aras consecrare, ut Ethnicorum more illis cultus latriae exhibeatur, aut sacrificium offeratur, vera sit idololatria, a qua Catholici longissime distant. Sed quoniam ipsa Revelatio docet, licitum et honestum esse angelis et sanctis cultum duliae exhibere, rectissime Catholici etiam licitum, honestum et pium reputant, pro isto cultu sicut tempus, ita et locum determinare. Quodsi locus, id est, aedificium quoddam ad hunc unicum finem, id est, ad cultum duliae sanctis exhibendum destinaretur, stricte loquendo non *templum* vocari posset, sed alio nomine insigniendum esset. Hinc M. A. *Marcellius* Er. August. Theologus romanus (4) dicit: « Solent Catholici romani (in honorem sanctorum) aedes aedificare; sed eiusmodi aedes *oratoria*, *basilicas*, *memorias*, *martyria*, *ecclesias*, non templa, quae soli Deo debentur, appellant. Quod si nostrae communionis nonnulli scriptores loca illa *templa* vocant, non ad adstruendum sanctis latriae cultum id faciunt, sed quoniam eaedem aedes, martyria, oratoria, basilicae simul et templa sunt, quatenus altaria in eisdem locis eriguntur, in quibus sacrificia Deo offeruntur. » — Communiter ergo etiam inter Catholicos omnia oratoria templa sunt soli Deo

(1) C. 55, n. 108. (2) N. 34.
(3) Al. 6 de verb. Dom.

(4) Inst. theol. lib. 25, cap. 9, concl. 1 ad obi. 2.

dicata: in memoriam autem, et honorem sanctorum erigi dicuntur, quia ad hoc destinantur, ut Deus omnis sanctitatis auctor, in sanctis suis laudetur, ut ipsi pro beneficiis B. V. Mariae, aliisque sanctis impertitis gratiae referantur, et ut in orationibus, quae ad Deum, omnium bonorum fontem funduntur, non ut supremi adiutores, sed ut potentes intercessores adhibeantur. Quae consuetudo ab ipsis Ecclesiae coepit incunabulis, quando supra martyrum sepulcra immaculata hostia non ipsis martyribus, sed Deo vero et summo offerebatur. Historia testatur, iam Constantinum Imperatorem in honorem Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli splendidas ecclesias aedificasse, eodem aevo plures Romae ecclesias fuisse B. V. Mariae dicatas, *Concilium Ephesinum* in ecclesia B. V. Mariae, *Chalcedonense* in ecclesia S. Euphemiae celebrata fuisse etc. Audiatur S. *Augustinus*, qui (1) contra Faustum Manich. scribit: « Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus eorum adiuvetur: ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituantur altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, et in illos, quos imitari possumus, et in illum, quo adiuvante possumus. » — Vota pariter, quae sanctis fieri dicuntur, iuxta doctrinam catholicam ad Deum sunt referenda. Fideles enim sanctos illos, ex quorum amore et reverentia aliquid Deo vovent, cupiunt esse testes obligationis, qua Deo sese obstringunt, atque istorum quasi auspiciis et intercessione freti, quod Deo promittunt, adimplere statuunt. Quodsi quis forte etiam promittat quidpiam animo obligandi se, non ipsi Deo immediate, sed Sancto tanquam excellenti creaturae, cui promissum opus gratum putatur esse futurum; ne tum quidem is ad honorandum sanctum usurpat divinum cultum. Non enim erit tunc ea promissio divinae religionis actus, sicuti neque est illa promissio, qua homo homini se obstringit, sed erit potius virtutis alterius actio, nempe singularis observantiae, reverentiae, fidelitatis etc. Longissime ergo catholicus sanctorum cultus ab omni idololatriae nota distat.

(1) Lib. 20, cap. 21.

ARTICULUS II.

De intercessione Sanctorum.

§ 791. *Lutherani* intercessionem sanctorum non totaliter negant. Nam in Apologia Conf. august. (2) aiunt: « Largimur, quod angeli orent pro nobis. De sanctis concedimus, quod sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita in coelis orent pro Ecclesia in genere. — Porro ut maxime pro Ecclesia orent sancti, tamen non sequitur, quod sint invocandi: » cuius rei ratio haec adducitur in ipsa Confessione augustana (3): « Scriptura non docet invocare sanctos, quia unum Christum proponit nobis mediatorem, propitiatorem, pontificem et intercessorem. » Admittunt ergo Lutherani quod sancti orent pro Ecclesia in genere; negant autem quod orent pro nobis in particulari, ac praeterea invocationem sanctorum

(2) Ad art. 21, § 3, etc. (3) Art. 21,

illicitam declarant. Recte autem *Cl. Moehler* in Symbol. (1) observat, doctrinam istam secum ipsa pugnare. Nam si oratio sanctorum, pro Ecclesia in genere facta, non offendit Christum unicum mediatorem et intercessorem; qua ratione id de sanctorum intercessione in particulari facta affirmari poterit? atque si sanctis licet pro Ecclesia orare, cur nobis non licebit, talem intercessionem invocare, quae tamen a Deo et Christo ut pia et honesta permittitur? — Istas contradictiones ut effugeret *Calvinus*, omnem sanctorum intercessionem penitus negavit, et Instit. lib. 3, c. 20, § 20, ait: « Porro merum est nugamentum, quod balbutiunt sophistae, Christum esse redemptionis mediatorem, fideles autem intercessionis: » multa porro iniuriosa profert cap. 21 et 22. Hinc in Confess. gallic. art. 24 dicitur: « Quidquid homines de mortuorum sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse, quam fraudem, et fallacias Satanae, ut homines a recta precandi forma abduceret. » *Remonstrantes* quoque eiusdem esse sententiae, patet ex eorum Confessione, art. 24, § 3 ubi dicunt: « Quippe de quibus (sanctis) Scriptura passim affirmat (! ?), quod res nostras ignorent, et ea, quae sub sole fiunt, minime curent. » Ita haeretici omnem inter Ecclesiam militantem et triumphantem nexum penitus sustulerunt, et communionem sanctorum negant, quam in symbolo profitentur. Contra istos probandum est, quod Angeli et Sancti in coelo regnantes non solum pro Ecclesia in genere, sed etiam pro hominibus in particulari intercedant: quod dogma catholicum *ex S. Scriptura* et *Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

(1) § 53.

1. *S. Scriptura* testatur, gratias a Deo hominibus concedi intuitu meritorum, quibus sancti abundarunt. Sic Moyses (2) orabat ad Dominum: *Recordare Abraham, Isaac et Israël servorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum.* Moyses hoc loco commemorat merita Patrum, ut illorum intuitu impetret veniam imminentis super populum poenae, quam obtinuit etiam, cum addatur: *placatusque est Dominus.* Male autem dicit *Calvinus*, Moysen non petiisse exaudiri propter merita et intercessionem Patriarcharum, sed tantum provocasse ad initum pactum; nam Moyses non dubitavit de Dei fidelitate in pacto servando, ipsique persuasum fuit, etiam posita populi punitione pactum adimplendum fore: ergo non in pacto, sed in meritis Patriarcharum rationem invenit, per quam Deum placaret. Similis loquendi modus occurrit Dan. III, 35 ubi misericordia divina per merita Patriarcharum imploratur, quin de pacto inito mentio fiat: aiunt enim Socii Danielis: *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israël sanctum tuum.* Porro IV Reg. XIX, 34 dicit Deus: *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum:* ergo non propter pactum solum, verum etiam propter pietatem Patriarcharum Deus propitius erat. Recte ideo *Hugo Grotius* (in animadv. Riveti) dicit: « Cum Hebraei veteres Deum orarunt, ut propter Abrahamum, Isaacum et Iacobum populo parceret, non sola respexere promissa, sed humano more Deo in memoriam reduxere res sibi charissimas, merita, et intercessiones Patriarcharum. » — Tob. XII, 12 Angelus Raphaël Tobiae dixit:

(2) Exod. 32, 13.

Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos... ego obtuli orationem tuam Domino. Per istam oblationem nil aliud intelligi potest, quam angeli intercessio; absonum enim esset, illam oblationem materialiter intelligere; neque Deus per angelum de facta oratione certior factus est, quasi eam ignoraverit, qui est omniscius, et scrutatur renes et corda. Sensus ergo verborum Archangeli non alius est, quam iste: ego orationem tuam Deo commendavi, et intercessione mea suffulsi. — Per merita et intercessionem virorum sanctorum Deum hinc inde ad misericordiam flecti, patet ex Ierem. XV, 1 ubi Deus, ut ostenderet magnitudinem flagitiorum populi iudaici, et immutabilitatem poenae decretae, ita loquitur: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Moyses et Samuel viventes in terra, saepius pro populo peccatis contaminato misericordiam Dei implorarunt, et obtinuerunt: hic autem Deus protestatur, tantam esse populi iudaici corruptionem, ut etiam Moyses et Samuel per intercessiones suas iram divinam placare, et poenas avertere non possent. Hoc argumentum autem absonum, et Deo indignum esset, si Moyses et Samuel in sinu Abrahae quiescentes aut nunquam pro aliis intercederent, aut nunquam exaudirentur. Locus parallelus legitur in Ezech. XIV, 19 etc.: *Si pestilentiam immisero super terram illam... et Noë et Daniel et Iob fuerint in medio eius* (urbis Ierusalem), *vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Danieli adhuc viventi hic iunguntur Noë et Iob iam mortui; non ergo hic sermo esse potest de praesentia corporali in urbe Hierosolyma, sed de praesentia morali, quae consistit in meritis et intercessione pro impia urbe interpositis, et sensus est, quod si sicut Daniel, ita etiam Noë et Iob pro urbe misericordiam divinam implorarent, tres viri nominati quidem damnum non paterentur, sed tamen vindictam divinam non averterent. His verbis iterum gravitas scelerum monstratur, quibus Iudaei contaminati erant, quod non monstraretur, si sancti viri defuncti nunquam cum vivis misericordiam divinam implorarent, et consequerentur. Zach. 1, 12 ita Angelus pro populo israëlitico Deum deprecatur: *Domine exercituum, usquequo non misereberis Ierusalem, et urbium Iuda, quibus iratus es?* Eundem porro angelum id impetrasse, pro quo Deum exoraverat, patet ex verbis proxime sequentibus: *Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria;* ac paulo post: *Propterea haec dicit Dominus: Revertar ad Ierusalem in misericordiis; et domus mea aedificabitur in ea.* Ipse *Melanchthon* ineluctabilem huius argumenti vim sentiens in Apol. Confess. august. l. c. profitetur: «*Largimur*, quod angeli orent pro nobis; extat enim testimonium Zach. 1, 12, ubi Angelus orat: *Domine exercituum* etc. » Extant autem hac de re etiam alia testimonia. Angelum enim pro eiusdem populi reditu orasse, ex Daniele (1) discimus, illius partes adiuvante *Michaële, uno ex Principibus*, dum *Princeps* Persarum utrique obsisteret, et quod optabat, obtinuisse. Exinde patet, quaenam sollicitudo angelorum fuerit, ut pro suo quisque populo deprecaretur. Non minus clara sunt, quae in Scripturis habentur circa sanctorum vita functorum intercessionem. Nam II Machab. XV,

(1) Cap. 10.

12 Iudas Machabaeus vidit *Oniam*, summum Sacerdotem, qui e vita iam decesserat, *manus protendentem orare pro omni populo Iudaeorum;* et ibid. (v. 14) Onias dixit Iudae Machabaeo de Ieremia Propheta diu ante defuncto: *Hic est fratrum amator, et populi Israël: hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Ieremias Propheta Dei.* Librum istum canonicum esse, Ecclesia definivit. Protestantes quidem illud non admittunt; sed tamen negare nequeunt, citatum librum apud Iudaeos in maxima auctoritate fuisse, et in primaeva Ecclesia lectum ad fidelium institutionem, ideoque eius doctrinam veram et sanam esse: quam non tantum non correxerunt Christus et Apostoli, sed adprobarunt firmaruntque. Sane dum Christus dixit, sanctos in regno suo sessuros super thronos, et iudicaturos duodecim tribus Israël(1), dum Paulus testatur, ipsos conregnaturos esse cum Christo (2), non possumus non inferre, sanctos etiam in intercessione Christi pro sua Ecclesia partes habere. Denique Apoc. V, 8 legitur: *Viginti quatuor seniores cecidlerunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum:* quibus verbis, ut nonnulli putant, significatur, quod sicut angeli, ita animae beatae in coelo offerant Deo *orationes sanctorum* in terra viventium, eas suis intercessionibus, et patrociniis adiuvando: alii autem per *orationes sanctorum* eas intelligunt, quas sancti in coelo fundunt non pro se, quoniam iis non indigent, sed pro hominibus viatoribus, qui illis adiuvantur. Haec explicatio confirmari videtur per locum parallelum Apoc. VIII, 3 etc., ubi dicitur: *Alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* Cum enim hic sermo sit *de orationibus sanctorum omnium*, vix admitti potest, quod per sanctos omnes iusti tantum in terra degentes, non autem sancti in coelo regnantes intelligantur, cum sicut in capite quinto, ita et in fine capitis septimi de sanctis tantum comprehensoribus sermo instituatur.

2. *Ss. Patres* magno consensu tradunt, angelos et sanctos pro hominibus intercedere. *Origenes* (3) c. Celsum, loquens de angelis et animabus cum Deo regnantibus ait: « Adiuvant eos, qui summum Deum colere volunt, illum eis conciliant, suas illorum precibus adiungunt preces, simul cum eis postulant. » Homil. 3 in Cantic. haec habet: « Omnes sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, et iuvare eos precibus suis, non erit inconveniens. Scriptum namque est in Machabaeorum libris: *Hic est Ieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo.* » Et Hom. 26 in Num. n. 6 scribit: « Quis enim dubitat, quod sancti quique patrum et orationibus nos efficaciter iuvent? » S. *Cyprianus* (4) de beatis dicit: « Magnus illic (in coelo) nos charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. » Et in Epist. 57 ad Cornelium scribit: « Memores nostri invicem simus... utrobique pro nobis semper oremus... Et si quis nostrum isthinc prior divi-

(1) Luc. 22, 30 (2) II Tim. 2, 12. (3) Lib. 8, n. 64. (4) Lib. de mortal.

nae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio: » Ubi S. Pater precandi munus non ei, *qui superstes fuerit*, ut quidam ex Protestantibus volunt, sed illi commendat, qui *prior discesserit* et *apud Dominum* fuerit (1). — Idem lib. de discipl. et habitu Virginum has ita exhortatur: « Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter (ad gloriam coelestem); tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari. » *Eusebius Caesar.* lib. 12 Praepar. evang. (2), dicit, iam Platonem docuisse, animas defunctorum homines viatores iuvandi virtutem habere: quod autem Plato probare non valuit, id, ait, probari traditione et exemplo Ieremiae II Mach. XV (3). Et ibid. inquit, « nos honorare sanctos, quorum intercessione non parum apud Deum iuvari profitemur. » *S. Hilarius* in Psalm. CXXIV, v. 2 cum ad constantiam in bono fideles exhortaretur, addit: « Neque desunt stare volentibus sanctorum custodiae, neque Angelorum munitiones; dicitur enim: *Montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi sui*..... Quomodo possumus *montes* non eos significatos esse intelligere, qui supra terrenam naturam iam gloriosi in rebus Dei exultant? Ac ne leve praesidium in apostolis, vel patriarchis et prophetis, vel potius in angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant, crederemus, adiectum est: *Et Dominus in circuitu populi sui* etc. » Si nempe sancti intercedunt, etiam Dominus adiuvat. *S. Basilius* Orat. 20 in 40 Martyres, de istis dicit: « Hi sunt, qui nostram tenentes regionem, quasi quaedam turres contra adversariorum incursum refugium exhibent: » et inferius eosdem nominat « communes custodes generis humani - orationis adiutores, legatos potentissimos. » *S. Gregorius Naz.* (4) Orat. funebr. in patrem de eodem dicit: « Nunc tanto magis proficit nobis precibus, quanto Deo propinquior est, postquam vincula deposuit corporalia. » Et in Orat. funebr. de S. Basilio (5) inquit: « Nunc ille quidem in coelis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, et pro populo preces fundens; neque enim ita nos reliquit, ut prorsus desereret. » *S. Gregorius Nyss.* Orat. de S. Theodoro ait: « Ipse ad Deum abiit, nobis vero memoriam certaminis pro doctrina reliquit, populos congregans, Ecclesiam erudiens, daemones arcens et fugans, angelos pacificos reducens, rogans a Deo pro nobis utilia, variorum morborum medicinae officinam hunc locum efficiens. » *S. Chrysostomus* Hom. in ss. Mm. Iuventin. et Maximin. (in fine) inquit: « Sicut milites vulnera, quae in praeliis sibi inflicta sunt, regi monstrantes, fidenter loquuntur, ita et illis in manibus absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quaecunque voluerint, apud Regem coelorum impetrare possunt. » *S. Ambrosius* lib. de viduis (6) scribit: « Habetis proximos, qui pro vobis supplicant. Habetis apostolos proximos, habetis martyres proximos, si in ipsa martyribus devotionis societate misericordiae quoque muneribus appropinquetis. Pro socru rogant Petrus et Andreas frater eius: tunc pro affine poterant, iam nunc possunt pro nobis et pro omnibus impetrare. » *S. Hieronymus* Epist. ad Paulam de obitu Blesillae

(1) I Thess. 4, 16. (2) Cap. 1.
(3) Lib. 13, c. 7.
(4) Orat. 18 (al. 19), n. 4.
(5) 43 (al. 20), n. 8. (6) Cap. 9, n. 54 etc.

inquit: « Pro te Dominum rogat, mihique veniam impetrat peccatorum. » *S. Augustinus* in Enchirid. (1) de Ecclesia triumphante dicit: « Haec in sanctis angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur. » Et Enarrat. in Psalmo LXXXV (2): « Omnes martyres, qui cum Christo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster. » *S. Leo M.* Serm. 1 de Ss. Petro et Paulo cap. 7 ait: « Sicut nos experti sumus, et nostri probavere maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitae ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adiuvandos. » Ss. Patrum testimoniis accedunt acta martyrum, quae fidem de sanctorum intercessione luculentissime contestantur. In vetustissimis enim actis *S. Ignatii M.* legitur, apparuisse per quietem *Ignatius*, nuper martyrio functus, « super orans nobis. » Acta martyrum *Scillitanorum*, qui anno 200 passi sunt, his verbis clauduntur: « Consummati sunt Christi Martyres mense iulio, die decimoseptimo, et intercedunt pro nobis ad Dominum Iesum Christum. » Eadem leguntur in actis *S. Maximi*, qui anno 230 martyrium subiturus ad Proconsulem Optimum dixit: « Gratia Christi salvum me faciet in aeternum, omnium sanctorum orationibus, qui in hac colluctatione certantes vestras superaverunt insanias, nobisque virtutum exempla reliquerunt. » *S. Theodotus*, qui anno 303 martyr occubuit, cum vidisset fratres suos flentes, eos consolaturus dixit: « Deinceps in coelis cum fiducia pro vobis Deum deprecabor. » Haec acta inveniuntur ap. *Ruinart.* — Praeterea *Eusebius* lib. 6 Hist. eccl., cap. 5 narrans martyrium s. virginis *Potamioenae*, quae initio saeculi tertii obiit, haec habet: « Cum vulgus eam vexare, et obscoenis verbis ei illudere conaretur, Basilides quidam eos, qui contumeliam virgini inferebant, absterrens propellebat, multaque misericordiae et humanitatis indicia erga illam praebebat. Illa vero benignitatem hominis erga se libenter amplectens bono animo eum esse iussit; se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, et collata in se beneficia brevi remuneraturam esse. » Atque ut promisit, factum est; Basilides enim ad fidem conversus et ipse martyr occubuit. Teste *S. Gregorio Naz.* (3) Iustina virgo ut se a Cypriani adhuc pagani magicis artibus liberaret, « Virginem Mariam supplex obsecravit, ut periclitanti virgini suppetias ferret. » Ultimo adduci possunt Concilia. In *Chalcedonensi* ann. 451 sexcenti circiter Episcopi exclamarunt: « Omnes haec ipsa dicimus: Flaviano aeterna memoria; Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis orat. » *Nicaenum II* Act. VI in fine haec habet: *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones immaculatae Deiparae, item sanctorum angelorum, omniumque sanctorum. Tridentinum* Sess. XXV de invoc. et vener. sanctorum dicit, *Sanctos una cum Christo regnantes orationes pro nobis offerre.*

3. *Ratio* per fidem illustrata firmum praebet pro sanctorum intercessione argumentum; ipsa enim cognoscit, sanctis neque *potestatem*, neque *voluntatem* nos adiuvandi deesse. Nam ex S. Scriptura constat, etiam homines iustos in hac terra viventes per preces suas magna pro aliis beneficia impetrare posse. Cuius rei plura iam in V. T. occurrunt exem-

(1) Cap. 56. (2) N. 29. (3) Orat. 24, (al. 18), n. 11.

pla, ut *Abrahami* (1), *Lothi* (2), *Iobi* (3), *Moysis* (4), *Samuelis* (5) et *Ieremiae* (6). In N. T. Iac. V, 16 dicitur: *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Quodsi autem viventes in terris, dum in statu probationis inveniuntur, ac periculis et imperfectionibus subiecti sunt, pro aliis orare et gratias impetrare possunt, multo magis id praestare valent, dum in coelo intime cum Deo coniuncti sunt, et ab eodem plene glorificantur. Neque enim ipsorum gloria perfecta esset et beatitudo imperturbata dici posset, si pro aliis nihil impetrare, aut si pro Ecclesia tantum in genere, non autem in particulari pro iis intercedere possent, quos in terra amaverunt, quorum necessitates cognoverunt, quarumque memoriam per transitum in alteram vitam non amiserunt. Hoc argumento iam Ss. Patres doctrinae catholicae adversarios perstrinxerunt. S. *Hieronymus* lib. c. Vigilantium n. 8 ait: « Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro caeteris, quando pro se adhuc esse debent solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, et Stephanus imitator Domini sui, et primus martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur; et postquam cum Christo esse coeperint, minus valebunt? » — Et S. *Augustinus* (7) de Sanctis inquit: « Si tunc opem ferre poterat umbra corporis (B. Petri), quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si ad praesidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax post triumphum? » — Neque voluntas deest sanctis pro nobis intercedendi; nam teste Apostolo *Charitas nunquam excidit* (8): charitas ergo in altera vita non extinguitur, sed permanet, imo in coelesti beatitudine magis perficitur, cum rationes Deum ac proximum diligendi clarius a beatis cognoscuntur. Itaque si Sancti, cum in terris nobiscum versarentur, urgente charitate, paratissimi erant ad Deum pro nobis obsecrandum, multo magis nunc in coelis aucto charitatis incendio id praestabunt, praesertim cum pro se ipsis non amplius sint solliciti, ut observat S. *Hieronymus* lib. c. Vigilantium dicens: « Quapropter charitate in coelis longe amplificata, cum nihil sibi amplius habeant postulandum, toti, et sponte nostris miseriis consulunt. » — Praeterea sanctis probe notum est, quod I. Christus in summo quoque exaltationis statu sit *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (9). Quomodo iam supponi potest, sanctos, qui per totam vitam suam Christum imitari nisi sunt, in gloria sua mutasse sensus suos, et pro hominibus intercedere nolle? Datur utique, sicut omnes in symbolo profitemur, *communio sanctorum;* Ecclesia nempe triumphans et militans unum corpus constituit, cuius caput Christus est: sicut autem Christus non est caput iners et otiosum, ita etiam necesse est, ut unum corporis membrum in aliud agat. Quid vero agit Ecclesia triumphans in militantem, si illa pro hac non intercedit? — Negata ergo intercessione sanctorum, admittitur in sanctis charitas, quae nihil operatur, et communio sanctorum inanis fit sonus, qui sensum non habet.

Nota. Protestantes maxime offenduntur, dum audiunt, angelos et san-

(1) Gen. 18, 23, etc. (2) Gen. 19, 21.
(3) C. 42, v. 8, etc. (4) Num. 12, 11.
(5) I Reg. 7, 8, etc. (6) C. 42, v. 2, etc.
(7) Serm. 29. (8) I Cor. 13, 8.
(9) Hebr. 7, 25.

ctos a catholicis intercessores et advocatos nominari; ac perpetuo clamitant, doctrinam istam impiam esse, et iniuriam maximam inferre Christo. Nam, aiunt, iuxta Apostolum: *Unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus* (1): impie igitur agit, qui alium mediatorem admittit; id autem fit a Catholicis, dum angelos et sanctos tanquam mediatores, intercessores et advocatos venerantur. Ex quo concludunt, Catholicos a doctrina Apostoli recedere, et maximam iniuriam irrogare Christo. — Facile autem ostenditur, quam iniusta sit talis Protestantium criminatio. Catholici enim non adversantur dicto Apostoli, sed cum ipso docent, quod Christus sit mediator primarius, et quod triplici de causa dicendus sit unus et solus mediator; 1. per modum redemptionis, quia solus dedit semetipsum redemptionem pro nobis; 2. quia mediator est non tantum ratione officii, quo Deum homini conciliat, sed etiam ratione personae, quia est medius inter Deum et hominem, cum ipse et Deus simul et homo sit; id, quod necessarium erat ad reconciliandum hominem Deo; 3. quia solus Christus ita est mediator omnium hominum, ut ipse nullo indigeat mediatore. Sub hoc triplici respectu Christus unus et solus mediator est, et nullum sibi aequalem habet. At Christus ut mediator primarius non excludit secundarium, inferiorem et subordinatum. Si hoc non admitteretur, etiam iusti viatores pro aliis orare licite non possent, sed intercessione sua Christo iniuriam inferrent, quod Protestantes ipsi non admittunt, cum S. Scriptura frequenter orationem pro aliis fusam et exemplis et dictis commendet. Si autem iusti in terra viventes sine iniuria Christi intercessores esse pro aliis possunt, cur non poterunt Sancti cum Christo in coelo regnantes? Matth. XXIII, 10 legitur: *Magister vester unus est Christus;* et tamen alii quoque *Doctores* et *Magistri* vocantur Ephes. IV, 11, etc. (2), magisterium nempe Christi primarium non excludit secundarium et subordinatum. Ita pariter apud Matth. Christus ait: *Unus est bonus Deus* (3), et tamen ab eodem Christo etiam homines *boni* nominantur (4), non autem eodem sensu, quo Deus bonus dicitur. Quamvis ergo in Scripturis Christus *unus mediator* dicatur, idcirco non sequitur, nomen hoc in sensu minus stricto sanctis tribui non posse, cum idipsum de Moyse Scriptura doceat, Deut. V, 5 dicente: *Ego sequester, et medius fui inter Dominum, et vos in tempore illo*, et Gal. III, 19 legatur: *Lex ordinata per angelos in manu mediatoris.* Iniustissime igitur nos criminantur adversarii, dum sanctos mediatores, intercessores seu advocatos secundarios, Christo longe inferiores, ipsique penitus subordinatos dicimus, per quod certe nulla prorsus iniuria infertur Christo. Nam sancti dicuntur a nobis mediatores, non quod eos fungi dicamus vice Christi, aut adiuvare mediationem et intercessionem Christi infinite ex se sufficientem; sed quia tanquam advocati secundarii, ac Christo subordinati, adiuvant nos potenti sua intercessione, quae omnem vim suam habet ex meritis Christi, impetrando a Christo, ut merita illius nobis applicentur in ordine ad consequenda beneficia, quae petimus. Praeterea longe alium modum pro nobis intercedendi in sanctis admittimus, quam in Christo. Christus enim qua homo,

(1) I Tim. 2, 5.
(2) II Tim. 1, 11; Hebr. 5, 12.
(3) Matth. 19, 17.
(4) Matth. 5, 45; Luc. 6, 45.

subsistens subsistentia Verbi (ut Deus enim, sive sola natura divina intercedere et mediare non potest) auctoritative se interponit, exhibens sua merita infiniti valoris, quibus nihil denegari potest. Sancti autem in coelo, ut et in hac vita existentes, modo supplicum per Christum, et a Christo rogant, non tam sua, quam Christi merita allegantes, horumque intercessio, absolute loquendo, potest non exaudiri. Per talem doctrinam Christus ut mediator certe non deprimitur, sed potius exaltatur. Sicuti enim in regno naturae omnipotentia Dei, quae omnia immediate perficere posset, etiam per causas secundarias, ad varios effectus producendos a se creatas, maxime honoratur: ita etiam in regno gratiae omnipotentia et bonitas Christi maxime glorificatur, dum intercessores secundarios admittit, quos sanguine suo redemit, et per gratiam suam tam conspicuos sanctitate reddidit, ut ad gloriam coelestem elevati fidenter ad thronum divinum accedere, et pro aliis beneficia impetrare queant.

ARTICULUS III.

De invocatione Sanctorum.

§ 792. Quamvis Protestantes intercessionem sanctorum non penitus negent, sed admittant, quod isti saltem in genere pro Ecclesia orent, invocationem tamen sanctorum prorsus respuunt, eamque ut absonam et inutilem, vel etiam ut illicitam et impiam exagitant. Catholici vero ex ipsa sanctorum intercessione rectissime inferunt, eorundem invocationem licitam, et utilem esse. Ecclesia autem catholica nullatenus docet, invocationem sanctorum ad salutem absolute necessariam esse; nam iam *Io. Ekius* in Enchir. c. 5 ait: « Liberam esse hanc pietatem; consuli, non praecipi, suaderi exemplo, non imperio. » Et *Hen. Holden* (1) inquit: « Falso nos criminantur haeretici, cum docere et credere nos clamitant, sanctos invocari debere sub aeterna damnationis poena. » Et *Card. Gotti* (2) scribit: « Usus vel non usus invocationis Sanctorum res est disciplinae; an vero huiusmodi usus optimus, utilis dicendus sit, necne, res est dogmatis; neque vetus Ecclesia Eustatium, et Vigilantium proscripsit ex eo, quod Sanctos non invocarent, sed quia huiusmodi usum detestabantur docentes, nec honorem, nec invocationem Sanctis deberi. » Praeterea iuxta doctrinam catholicam licitum non est ita Sanctos invocare, ut nobis tanquam auctores beneficiorum divinorum gratiam, vel gloriam aliaque ad beatitudinem consequendam media concedant, aut etiam sanitatem corporis largiantur; hanc enim sicut alia dona solus conferre potest, qui bonorum omnium est largitor, Deus. Opem ergo et beneficia non a Sanctis, sed a Deo per eorum intercessionem expectanda esse censemus; invocationem autem Sanctorum habemus ad instar adminiculi cuiusdam, quo facilius impetremus ipsorum intercessionem, opem, quam a Deo per Christi merita efflagitamus. Talem autem Sanctorum invocationem licitam et utilem esse ex utroque Revelationis fonte, ex *S. Scriptura et Traditione* probatur.

I. *Argumentum biblicum.*

§ 793. Licitam, bonam, et utilem esse sanctorum invocationem sacrae Litterae imprimis ostendunt, quae duplex nobis suppeditant argumentum ineluctabile ad causam catholicam tuendam, quia ex una parte *in-*

(1) Lib. 2 analys. fidei, c. 7.

(2) Lib. 1 vera Chr. Ecclesia, art. 14.

vocationem iustorum viventium in terra commendant, et ex altera parte *exempla invocationis Angelorum et Sanctorum* commemorant.

1. In S. Scriptura invocatio iustorum in terra viventium non solum licita et honesta declaratur, sed etiam ut maxime utilis commendatur. In periodo Patriarchali Abimelech missus est ad Abrahamum, ut delicti veniam obtineret isto deprecante; ait enim Deus ad Abimelech: *Orabit pro te* (Abraham) *et vives* (1): et ibid. dicitur: *Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech, et uxorem* (2). Eliphaz Themanites eiusque socii intellexerunt, iram quam imperitis sermonibus provocaverant, precibus Iobi mitigandam esse. Deus enim ad ipsos dixit: *Ite ad servum meum Iob, et offerte holocaustum pro vobis: Iob autem servus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia* (3). Quis iam dubitabit, invocationem iustorum licitam, honestam et utilem esse, cum Deus ipse homines poena dignos ad illam impulerit, et his ad intercessionem tantum iustorum misericordiam exhibuerit? — In periodo mosaica Israëlitae dixerunt ad Samuelem: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum* (4); et additur: *Et clamavit Samuel ad Dominum pro Israël, et exaudivit eum Dominus* (5), Israëlitae enim mirabilem victoriam de Philisthiim reportarunt. In periodo christiana Apostoli ipsi se fidelium viventium orationibus commendarunt, et hanc mutuam invocationem et intercessionem, ut maxime efficacem et utilem praedicarunt. Paulus ad Rom. scribit: *Obsecro vos, fratres, per D. N. I. Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum* (6). Ad Ephes.: *Estote vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis* (7). Coloss. c. IV, v. 2 etc.: *Orationi instate orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* I Thess. V, 25: *Fratres, orate pro nobis.* Iacob V, 16 et alibi passim. Nisi ergo Protestantes clarissima Scripturae testimonia impie reiicere velint, fateri omnino debent, invocationem iustorum viventium licitam, et utilem esse. Hoc autem concesso, non possunt negare, etiam invocationem sanctorum in coelis regnantium bonam, licitam et utilem esse. Consequentia ex se patet; nulla enim ratio assignari potest, quare bonum, licitum et utile sit ad orationes viventium confugere, inutile vero, malum et illicitum sit censendum confugere ad orationes eorum, qui in coelis sunt; et quare invocatio viventium non deroget divinae bonitati, nec ulla per eam afficiatur iniuria Christus Iesus mediator et Salvator noster, invocatio autem sanctorum deroget divinae bonitati, et Christo sit iniuriosa. Imo si bonum et utile est, invocare iustos viventes, qui in hac vita tentationibus, et imperfectionibus subiecti suut, multo magis ut bonum ac utile censendum est invocare sanctos qui omnino puri, et Deo intime uniti sunt, a Deo glorificantur, et in felicissimo suo statu pro hominibus intercedere efficaciore virtute possunt, et perfectiori charitate volunt. — Quod si adversarii excipiant, sanctos qui omnipraesentes non sunt, non audire nos, et ignorare preces et vota nostra; quae quidem unica exceptio est, quae fieri posset:

(1) Gen. 20, 7. (2) V. 17. (3) Iob, 42, 8. (4) I Reg. 7, 8. (5) V. 9. (6) C. 15, v. 30 (7) Ephes. 6, 18.

reponimus, ex eadem divina revelatione nobis constare, saltem Deo manifestante, angelis et sanctis ea innotescere. In ipsa S. Scriptura argumenta indigitantur, quae ostendunt, angelos et sanctos eorum notitiam habere, quae in terris fiunt. Sic II Paral. cap. XVIII narratur, Eliam Prophetam litteras ad Ioram regem Iuda dedisse aliquamdiu post mortem. Tob. XII Angelus Raphaël orationes Tobiae novit, quas Deo obtulit. Zach. I, 12 Angelus calamitatem populi iudaici vidit pro quo intercessit. Luc. XV legitur, gaudium esse in coelo super uno peccatore poenitentiam agente; ast si hanc angeli et sancti non cognoscerent, quomodo de illa gaudere possent? Luc. XVI factum, sive parabola describitur, in qua supponitur, Abrahamum divitis epulonis, et Lazari in terra viventium statum apprim novisse. Apostolus I Cor. IV scribit: *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus;* quibus verbis eadem notitia angelis et hominibus tribuitur. Quod autem de angelis scriptum est, etiam de illis recte affirmatur de quibus Christus inquit: *Aequales enim angelis sunt* (1). Denique in Apocalypsi testimonia multa occurrunt, quae ostendunt, Ecclesiae triumphanti sortes et orationes Ecclesiae militantis notas esse. Et sane, si Deus, ut testatur symbolum, vult *communionem sanctorum*, quae in eo consistit, ut Ecclesia militans triumphantem colat, et invocet, haec vero pro illa intercedat, congruenter admittendum est, Deum velle et efficere, ut angeli et sancti orationes hominum viatorum ad se directas cognoscant: admittendum, inquam, id est, quamvis modum, quod id a Deo perficitur, explicare non possemus, quia ignorantia modi non tollit certitudinem facti. Varii autem modi assignari possunt, quibus preces fidelium viatorum sanctis in coelo patefiant. Potest enim id per angelos custodes fieri, qui omnibus fidelibus praesentes sunt: unde *S. Augustinus* lib. de cura gerenda pro mortuis (2) dicit: « Possunt et ab angelis, qui rebus, quae aguntur hic, praesto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt. » Neque Deus angelis indiget, sed etiam immediate electis suis in coelo preces, quae a fidelibus ad ipsos diriguntur, revelare potest, quod Deus unico, generali et simplicissimo decreto praestare valet, quo statuit, ut angelis et sanctis fidelium viventium orationes ad se directae notae sint. Hinc *S. Augustinus* ibidem dicit: « Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quae hic aguntur, quae necessarium est eos nosse — non solum praeterita et praesentia, verum etiam futura, Spiritu Dei revelante, cognoscere: sicut non omnes homines, sed prophetae, dum hic viverent, cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quae illis esse revelanda Dei providentia iudicabat. » Denique certum est, quod angeli et sancti visione beatifica fruantur; unde in Verbo, seu in essentia divina omnia vident, quae ad honorem et beatitudinem ipsorum referuntur. Haec sententia probatur auctoritate *S. Gregorii M.* qui (3) dicit, quod de animabus sanctis, « quae intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. » Et *S. Thomas* in Suppl. (4) fatetur quidem, sanctos per visionem beatificam non omnia videre, quia essentiam divinam non comprehendunt: « Sed, ait, unusquisque beatus tan-

(1) Luc. 20, 36. (2) C. 15, n. 18.

(3) L. 12 Moral. c. 14. (4) 3 p. q. 72, art. 1.

tum de aliis rebus necessarium est, ut in essentia divina videat, quantum perfectio suae beatitudinis requirit. Hoc autem ad perfectionem beatitudinis requiritur, ut homo habeat quidquid velit, nec aliquid inordinate velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea quae ad ipsum pertinent cognoscat. Unde cum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere ea, quae ad ipsos pertinent; et ideo oportet, quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus praestent ad salutem, sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est divinius, ut ait *Dionysius* de coel. hier. Unde patet, quod sancti habent cognitionem eorum, quae ad hoc requiruntur; et sic manifestum est, quod in Verbo cognoscunt vota et devotiones, et orationes hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt. » Hoc idem iam docuerat *Hugo Victorinus* (1) scribens: « Hoc certum est, sanctorum animas in secreto divinae contemplationis constitutas, eorum, quae foris aguntur, tantum scire, quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodesse constat. Nos intercessores apud Deum quaerimus quid amplius vis? times, ne forte non orent, qui semper orant? » — Ultimo notandum est, quod ad dogma catholicum stabiliendum non sit necesse, ut a nobis probetur, quod sancti in specie vota et preces nostras cognoscant. Supervacanea enim non esset sanctorum in coelo existentium invocatio, etsi concederemus, non agnoscere illos orationes nostras notitia speciali, sed notitia quadam duntaxat generali. Sicuti enim nos pro mortuis, quamvis ubi sint, et quid agant, ignoremus, quotidie, et utiliter preces fundimus, ita sancti cum Christo regnantes generaliter pro indigentiis supplicantium deprecari non desinunt: et Deus, qui omnia novit, certissime efficit, ut qui sanctos invocaverint, eorum intercessionis participes reddantur.

2. S. Scriptura etiam exempla proponit invocationis angelorum et sanctorum, quae non solum nullibi reprehenditur, sed potius tanquam utilis et efficax praedicatur. Sic Gen. XIX, 18 etc. angelos precatus est *Loth*, et obtinuit, ne urbs Segor igne de coelo misso interiret. Gen. XXXII *Iacob* cum Angelo luctatus, benedictionem ab eo petiit, et obtinuit. Idem Iacob nepotibus suis Ephraim, et Manassi benedicens ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum; nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, ut crescant in multitudinem super terram* (2). *Tobias* (3) Angelum Domini precatur, ut filium comitetur, et tueatur in via. Daniel (4) ab Angelo vires sibi dari postulat, ut eum audire possit. Imo et in N. T. praeclarum habetur invocationis angelorum exemplum. Nam Ioannes septem Ecclesiis Asiae his verbis bene precatur: *Gratia vobis, et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt* (5). Ergo licita est invocatio sanctorum, cum horum et angelorum par sit ratio, eo quod sancti, qui regnant in coelis, aequales sint angelis. Quinimo non angeli modo sunt a fidelibus in V. T. invocati, sed sanctorum etiam merita apud Deum fuerunt commemorata ut per haec beneficia divina facilius obtinerentur. Exod. XXXII, 13 Moyses ita orat: *Recordare, Domine, Abraham, Isaac et*

(1) Lib. 2 de Sacram. p. 16, c. 11.
(2) Gen. 48, 16. (3) Cap. 5. (4) Cap. 10.
(5) Apoc. 1, 4.

Israël servorum tuorum; in quem locum scribens *Theodoretus* (1) dicit, Moysem cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium Patriarcharum. II Paral. c. VI Salomon precatur: *Memento misericordiarum David servi tui:* et Ps. CXXXI, 1: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis eius:* et infra: *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.* Dan. III, 35 sancti tres Iuvenes in fornace babylonica orarunt: *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israël sanctum tuum.* Ubi ait *Bellarminus* (2): « Notandum est quia ante Christi adventum sancti qui moriebantur, non intrabant in coelum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium; ideo non fuisse consuetum in Testamento veteri, ut diceretur: S. Abraham, ora pro me etc., sed solum orabant homines eius temporis Deum, et allegabant merita sanctorum, qui iam obierant, ut illis ipsorum orationes iuvarentur. » Haec ipsa autem provocatio ad merita sanctorum species est invocationis, quia generatim sancti invocantur ex hac potissimum ratione, quod propter magna merita, quibus Deo placuerunt, eorundem intercessio efficacissima existimetur. Talis autem provocatio ad merita sanctorum non solum in S. Scriptura nullibi reprehenditur, sed potius ut Deo accepta, et hominibus utilis approbatur, quia legitur quod per orationem Moysis *placatus est Dominus* (3), et tres pueri in medio ignis illaesi conservati sunt.

Nota. Adversarii ex eadem S. Scriptura doctrinam nostram impugnare conantur.

Obi. I. Nullum extat in S. Scriptura mandatum, monitum, aut exemplum invocationis sanctorum. E contra Scripturae nos docent, ad Deum confugiendum nobis esse in necessitatibus nostris, non autem ad sanctos. Psal. CIV, 1 dicitur: *Confitemini Domino, et invocate nomen eius.* Christus ipse Apostolos sic orare iubet: *Pater noster,* etc. (4); et Io. XVI, 23 ita rursus eos alloquitur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis,* et alibi saepe. Hinc Paulus inquit: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur* (5). Et sane Deus solus est omnipotens, et plenus charitate, qui graviter per diffidentiam offenditur, quam ostendimus in necessitatibus nostris ad sanctorum patrocinia recurrentes.

Resp. Mirum non est, in S. Scriptura non legi praeceptum de invocatione sanctorum; hanc enim absolute a Deo praeceptam non esse, ipsi Catholici fatentur. Monemur autem in S. Scriptura, iustos in terra viventes, et ideo magis sanctos in coelo regnantes invocare. Exempla invocationis angelorum, imo et sanctorum plura iam adducta sunt. Caeterum si nihil hac de re in S. Scriptura legeretur, sufficeret Traditio, quae est alter revelationis fons. Citata Scripturae loca doctrinae catholicae non adversantur. Nam etiam iuxta hanc Deus ut auctor et largitor omnium bonorum considerandus, ad ipsum confugiendum, et in ipso tota spes collocanda est. Ideo Catholici quoque persaepe immediate Deum invocant, et frequentissime orationem dominicam recitantes praeceptum Christi adim-

(1) Quaest. 67 in Exod.
(2) Lib. 1 de Sanct. beatit., cap. 19.
(3) Exod. 32, 14. (4) Matth. 6, 9; Luc. 11, 2.
(5) Hebr. 4, 16.

plent. Dum autem hinc inde sanctos invocant, iterum ad Deum confugere dicendi sunt, sed mediate, quia sanctos ut intercessores adhibent. Quod praeclare exponit S. *Thomas* (1) dicens: « Oratio porrigitur alicui dupliciter: uno modo quasi per ipsum implenda, alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quem solus Deus dat secundum illud: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* (2) Sed secundario modo orationem porrigimus sanctis angelis et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum meritis et precibus orationes nostrae sortiantur effectum... et hoc etiam patet ex ipso modo, quo Ecclesia utitur in orando. Nam a S. Trinitate petimus, ut nostri misereatur; ab aliis autem sanctis quibuscumque petimus, ut orent pro nobis. » Talis autem modus Deum mediate per intercessores implorandi certe illicitus non est; alias enim etiam illicitum esset, orationem iustorum viatorum expetere, quod tamen ipsa Scriptura frequenter commendat, et quod ideo ipsi adversarii concedunt. Sicuti autem orationem iustorum viatorum, ita etiam intercessionem sanctorum invocamus, non quia Deo, sed quia eis diffidimus. Credimus enim et profitemur, Deum solum omnipotentem et infinite bonum esse; sed nostra quoque demerita, et precum nostrarum imperfectiones cognoscimus. Et quamvis sciamus, Deum nos diligere, persuasum tamen nobis est, quod Deus sanctos plus diligat, quam nos, et paratior sit ad eos, utpote sibi magis amicos et coniunctos, audiendos, quam nos. Quam acceptus autem sit Deo talis humilitatis actus, ex Evangelio novimus. Nam. Luc. VII, 3 etc., Centurio se indignum existimans, qui ad Christum veniret, et ab ipso gratiam impetraret, misit seniores Iudaeorum tanquam intercessores ad ipsum. Tantum autem abest, ut ideo de diffidentia argueretur, ut potius Christus eius fidem maxime laudaverit, et eius petitionem insigni miraculo adimpleverit. Quamobrem rectissime S. *Augustinus* dixit: « Licet adhibere sanctos intercessores exemplo Centurionis (Luc. VII), non ex diffidentia bonitatis, sed ex reverentia maiestatis. »

Obi. II. Ipsi Catholici fatentur, fidem et spem virtutes esse theologicas, quae ad cultum latriae spectant. Ast, qui invocant sanctos, credunt in illos; ait enim Apostolus: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt* (3)? Invocatio ergo sanctorum fidem in sanctos necessario supponit, et includit; per istam vero fidem cultum latriae sanctis deferunt, et ideo in crimen idololatriae prolabuntur. Eodem modo spes in solo Deo est reponenda; unde Ierem. XVII, 5 dicitur: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Catholici autem sanctos invocant, quia ab eis auxilium sperant, per quam spem iterum sanctis cultum latriae exhibent, crimen idololatriae committunt, et maledicti dicendi sunt, quia in hominibus confidunt.

Resp. Male abutuntur adversarii verbis Pauli, qui loquitur de fide in Iesum Christum, quae sine dubio eius invocationem praecedere debet; ipsa enim ratio dictat, neminem invocari posse, qui non creditur existens, et facultate iuvandi praeditus. Ideo pauperes eos invocant, quos divites, et ad eleemosynam dandam paratos

(1) 2 2, q. 83, art. 4. (2) Ps. 83.

(3) Rom. 10, 14.

credunt, nullamque per istam fidem idololatriam committunt. Nos quoque exemplo Pauli iustos in terra viventes invocamus, quia istorum intercessionem efficacem, et nobis proficuam credimus, et tamen fatentibus adversariis, neque per istam fidem, neque per illam invocationem peccamus, sed licite, pie et honeste agimus. Quam impudenti fronte igitur Protestantes idololatriae nos insimulant, quia sanctos invocamus, quos potentissimos in coelo intercessores credimus? — Non negamus, fidem, quae infallibili revelantis Dei auctoritate nititur, virtutem esse theologicam, et ad cultum latriae pertinere. Sed talem fidem non sanctis, sed soli Deo exhibemus; credimus enim in sanctos, quia Deus nobis revelavit, quod servos suos usque in finem perseverantes maxime glorificet, et quod ideo ipsorum intercessio apud thronum divinum efficacissima sit: quae si Deo revelanti credere non vellemus, in gravissimum incredulitatis crimen prolaberemur. Hinc Paulus ipse laudavit fidem, quae in sanctos habetur; nam ad Philemonem (1) scribit: *Gratias ago Deo meo.... audiens charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Iesu, et in omnes sanctos:* quae verba explicans *S. Hieronymus* observat, ea convenire cum illis, quae Ex. XIV, 31 leguntur: *Crediderunt Domino, et Moysi servo eius;* et deinde dicit: « Una atque eadem credulitas in Moysen refertur, et in Deum, ut populus, qui credebat in Dominum, aeque credidisse dicatur in servum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus eius sanctis est, ut quicumque credidit Deo, aliter eius fidem suscipere nequeat, nisi credat et in sanctos eius; non est enim in Deum perfecta dilectio et fides, quae in ministros eius odio et infidelitate tenuatur. » Etiam ratione spei iniusta est Protestantium criminatio. Catholici enim spem, quatenus est virtus theologica, in solo Deo reponunt, quia solum Deum ut auctorem et largitorem omnium bonorum considerant; in sanctis vero eatenus tantum confidunt, quatenus per istorum intercessionem desiderata bona facilius ab ipso Deo impetrari posse existimant. Sicuti ergo spei theologicae non opponitur invocatio iustorum in terra viventium, ita nec invocatio sanctorum in coelo regnantium. Si Ieremias dicit: *Maledictus homo, qui confidit in homine*, mox addit: *et a Domino recedit cor eius.* Propheta nempe his verbis comminatur maledictionem in eum, qui Deum prorsus deserens in homine tantum fidit: quod non fit a Catholicis, quibus persuasum est, sanctos omnem excellentiam suam a Deo habere, et per solam intercessionem apud Deum nos iuvare posse.

Obi. III. Inutilis est sanctorum invocatio, quia preces hominum non audiunt, quod ipsa S. Scriptura testatur. Nam III Reg. VIII, 39 legitur: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Sanctis ergo notitia denegatur, quae soli Deo tribuitur. Iob XIV, 21 de patre mortuo dicitur: *Sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget.* Eccle.: *Viventes sciunt, se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius* (2). Inter sanctos semper relati sunt Abraham et Iacob; et tamen de istis Isa. Propheta conqueritur: *Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos: tu Domine, pater noster, redemptor noster* (3). Denique IV Reg. XXII, 20 Deus sic loquitur ad Iosiam regem: *Colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepul-*

(1) V. 4, etc. (2) C. 9, v. 5. (3) C. 63, v. 16.

crum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quae inducturus sum super locum istum: quae verba ostendunt, etiam iustos in altera vita ea non cognoscere, quae in terra contingunt. Frustra ergo sancti invocantur, qui preces nostras ignorant.

Resp. In V. T. cum clausum esset coelum, etiam iusti in gratia sanctificante mortui, et omnino puri ad visionem beatificam non pertingebant, et ideo eventus in terra contingentes aut etiam actiones ad ipsos spectantes cognoscere non potuerunt, nisi ipsis mediate per angelos, vel immediate a Deo revelarentur. Textus ergo, qui nobis opponuntur, cum ex V. T. desumpti sint, nullatenus infringunt argumenta, quae pro scientia sanctorum deduximus ex visione beatifica, qua modo sancti fruuntur. Hac observatione generali tota obiectio diluitur. Praestat autem, etiam singillatim ad quemlibet textum respondere. Etiam Catholici profitentur, quod III Reg. c. VIII dicitur, nempe Deum solum cognoscere omnium hominum corda. At S. Scriptura testatur, sanctis in terra adhuc degentibus ex revelatione divina innotuisse cogitationes aliorum, et sermones licet occultos. Sic *Samuel* Sauli dixit: *Omnia quae sunt in corde tuo, indicabo tibi* (1). (Dominus autem revelaverat). *Eliseus* noverat omnia verba, quae Rex Syriae loquebatur in conclavi suo (2). *Petrus* Act. V, cognovit in spiritu fraudem occultam Ananiae et Saphirae. Multo magis credendum est, Deum revelare sanctis ea, quae ad ipsos pertinent. Verum tamen manet citatum Scripturae effatum, quia solus Deus omnia cognoscit naturaliter, et ex propria virtute, sancti autem preces ad se fusas cognoscunt ex manifestatione Dei. Iob XIV sermo est de homine carnali, qui in hac vita valde sollicitus fuit, ut honores et divitias filiis post mortem suam relinquendas augeret. Hanc sollicitudinem neutiquam illi profuturam esse in altera vita ait Iob, quia in purgatorio, aut in ipso inferno repositus nesciet, quid de filiis agatur, quove in statu sint: ita *S. Gregorius M.* (3) textum Iobi exponit, additque, id de sanctis in coelo regnantibus dici non posse. Etiam Eccle. IX sermo est de peccatoribus, ut ex contextu patet, et sensus huius loci est, viventes, quia sciunt se morituros, possunt agere poenitentiam, et prospicere sibi de remedio salutis, ne in aeternum pereant: at mortui, qui in hac vita poenitentiam neglexerunt, nihil amplius noverunt, quod ipsis prodesse valeat, quia post mortem nullus datur poenitentiae locus. Isaiae textum exponit *S. Hieronymus* de cognitione non qualibet, sed approbationis, quod scilicet Abraham et Israël proprios non cognoscant, hoc est, non diligant filios, quoniam scelera sceleribus addebant: ideo S. Doctor citata verba ita interpretatur: « Nescit nos Abraham, et ignorat Israël, quia te offendimus; nec cognoscunt filios, quos a Deo suo intelligunt non amari. » Ex ultimo loco id solum infertur, quod mortui naturaliter nesciant quae aguntur in terris, et quod Deus tristes eventus ipsis manifestare nolit: certum autem pariter est, quod beati perfecte Deo uniti aequo animo, et sine ulla afflictione ferant amicorum, et propinquorum miserias et calamitates. Magnam igitur gratiam consecutus est Rex pius Iosias, quod e vivis sublatus, non carnalibus oculis debuerit dilecti a se populi diras aspicere calamitates.

(1) I Reg. c. 9 v 15. (2) IV Reg. 6. (3) Lib. 12, Mor. c. 14.

Obi. IV. Si Christus voluisset, ut sanctos invocemus, huius rei exemplum nobis dedisset, quia *coepit facere et docere* (1). Sed nuspiam Christus legitur angelos, patriarchas, aut prophetas mortuos invocasse, sed semper solum Patrem compellavit (2). Ergo iuxta exemplum Christi solum Deum invocare debemus

Resp. Quod nimis probat, nihil probat; ex argumentatione enim adversariorum sequeretur, quod ne Filium quidem et Spiritum sanctum invocare possemus. Imo Christus nuspiam legitur, iustos viatores invocasse; et ideo nefas erit, se horum orationibus commendare. Ne ad talia absurda perveniamus, attendendum est discrimen inter Christum, et nos. Mediator Dei et hominum, Filius aeterno Patri acceptissimus, Rex angelorum et sanctorum nullius intercessione indigebat: hinc neminem invocare potuit praeter Deum ob suam excellentiam, qua creaturas omnes longissime superabat. At longe dispar est ratio creaturae purae.

II. *Argumentum ecclesiasticum.*

§ 794. In Ecclesia Christi semper et ubique et ab omnibus creditum esse, angelorum et sanctorum invocationem licitam, piam et utilem esse, ex *Ss. Patribus* et *aliis monumentis ecclesiasticis* probatur.

1. *Ss. Patres* theoretice et practice fidem Ecclesiae de honestate et utilitate invocationis sanctorum contestantur. *Origenes* (3) scribit: « Obsecratio et postulatio, et gratiarum actio non absurde potest et sanctis offerri, harumque duae, postulatio, inquam, et gratiarum actio non sanctis modo, sed et hominibus; obsecratio vero sanctis tantum, si quis Paulus aut Petrus inveniatur, ut adiuvent nos, dignosque efficiant, qui fruamur concessa ipsis remittendorum peccatorum potestate... Quodsi hominibus sanctis illae preces offerendae sunt, quanto magis Christo? etc. » Et (4) in Ezech. angelum suum invocat dicens: « Veni, Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino. » *S. Cyprianus* lib. de stella et Magis, et Innocentium morte ait: « Sancti secretorum conscii divinorum propinquitate familiarissima clementiam Dei pro nostris exorent laboribus. » *Eusebius Caes.* (5) de praep. evang. disserens de sanctorum sepulcris, haec habet: « Nam et eorum sepulcra celebrare, et preces ibi votaque nuncupare, et beatas illorum animas venerari consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus. » *S. Athanasius* in Sermone in Evang. de Deipara inquit: « Intercede, hera et domina et regina et Mater Dei, pro nobis. » *S. Ephraem* Sermon. de poenit. seu oration. ascetica (6) fere in medio cum descripsisset sanctorum in coelo felicitatem exclamat: « Rogo vos, dilecti, convertite ad me benigna corda vestra, et orate pro me benignissimum unigenitum Filium Dei, ut misereatur mei, magna mihi peccata condonet, et habitationem concedat in medio tabernaculorum vestrorum, in atriis Paradisi deliciis pleni... Cum vos dilecti filii sitis, et vilis ego sim canis, micas de mensis vestris proiicite, ut impleatur in me quod scriptum est Matth. XV, 27: *Et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.* » Generatim, ait *Tricaletius* (7): « Nihi frequentius occurrit in S. Ephraem

(1) Act. 1, 1.
(2) Io. 11, 41, etc.; 12, 27, etc.; 17, 1, etc.; Luc. 22, 42.
(3) In lib. de Oratione. n. 14.
(4) Hom. 1, n. 7.
(5) Lib. 13, c. 11.
(6) Tom. 1 opp. graec.-lat. pag. 40, etc.
(7) Bibl. PP. t. 2, c. 14, art. 3.

operibus, quam sanctorum invocatio. » *S. Basilius* Hom. 20 in 40 martyres versus finem dicit: « Quantum laborares, ut vel unum reperires, qui pro te Dominum deprecaretur? Ecce quadraginta sunt, concordem effundentes orationem... Ubi ergo 40 sunt, quis de Dei assistentia dubitabit? — Qui angustia aliqua premitur, ad 40 martyres confugiat; qui laetatur, recurrat ad eosdem, ille quidem ut a malis liberetur, hic vero ut res sibi secundae esse pergant. » Et in Epist. 205 scribit: « Secundum immaculatam fidem Christianorum, quam divinitus sumus sortiti, credo in unum Deum omnipotentem, Patrem, Filium et Spiritum sanctum.... Suscipio autem Ss. apostolos et prophetas et martyres, et ad supplicationem, quae est ad Deum, hos invoco, ut per eos, id est, per interventionem eorum propitius sit mihi misericors Deus. » *S. Gregorius Naz.* (1) in laudem S. Basilii his verbis sanctum suum amicum defunctum invocat: « Tu vero, sacrum et divinum caput, e coelo nos, quaeso, inspice, carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certe, ut cum forti animo perferamus persuade, atque omnem nostram vitam ad id, quod maxime conducibile est, dirige. » Similia testimonia inveniuntur in Orat. 18, n. 4; Orat. 21, n. 37; Orat. 24, n. 4, 11 et 19. *S. Gregorius Nyss.* Orat. de S. Theodoro M. ita eundem alloquitur: « Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem et Dominum... Etiamsi superasti saeculum : at nosti affectus et usus, necessitatesque humanae conditionis: pete pacem, ut hi publici conventus non desinant, ne debacchetur, atque grassetur adversus templa altariave rabiosus et sceleratus barbarus, ne conculcet sancta profanus et impius... Nos enim etiam quod incolumes et integri conservati sumus, tibi beneficium acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis praesidium atque securitatem. Quodsi maiori etiam opus fuerit advocatione ac deprecatione, fratrum tuorum martyrum coge chorum, et cum omnibus una deprecare: multorum iustorum preces populorum peccata dissolvant. Admone Petrum, excita Paulum, nec non Ioannem theologum, et dilectum discipulum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras. » Similia testimonia occurrunt in Orat. de S. Ephraem, et in illa de S. Meletio. *S. Cyrillus Hierosol.* Catech. 23 (2) n. 9 agens de incruento novi foederis sacrificio dicit: « Postea recordamur eorum quoque, qui obdormierunt, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. » *S. Ambrosius* in lib. de viduis (3) haec habet: « Obsecrandi sunt angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt: martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi aliqua habuerunt, peccata laverunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri praesules, spectatores vitae, actuumque nostrorum. Non erubescamus, eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitates corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt. » *S. Chrysostomus* (4) sanctorum invocationem commendat dicens: « Si videris, te puniri a Deo, ne profugias ad eius inimicos Iudaeos, ne magis etiam illum in te provoces,

(1) Orat. 43, al. 20, n. 82.
(2) Mystag. 5. (3) C. 9, n. 55.
(4) Hom. 8 adv. Iudaeos, n. 6.

sed ad amicos illius martyres ac sanctos, qui illi placuerunt, quique multam apud illum habent auctoritatem. » Et Hom. de S. Meletio n. 3 inquit: « Oremus omnes simul tam mulieres, quam viri, tam senes, quam iuvenes, tam servi, quam liberi sanctos harum precum socios recipientes. Est enim illis maior fiducia et amor in nos ferventior, ut haec nobis augeatur charitas, et nos omnes id consequamur, ut quomodo hic prope illorum sepulcra adstamus, ita illic quoque prope beata et aeterna eorum tabernacula esse, et bona aeterna nobis reposita consequi possimus. » *S. Hieronymus*, qui contra Vigilantium invocationem sanctorum vindicavit, in Epist. 27, quae est epitaphium Paulae, his verbis sanctam istam foeminam defunctam appellat: « Vale, o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuva. Fides et opera tua Christo te sociant. Praesens, quod postulas, facilius impetrabis. » *S. Augustinus* (1) ait: « Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. » Idem asserit Tract. 84 in Io., n. 1. Et Serm. 316, n. 5 de Ss. Paulo et Stephano loquens dicit: « Ambo ibi nos videtis, ambo modo sermonem auditis, ambo pro nobis orate. » *S. Paulinus Nol.* (2) in S. Felicem M. canit: « Concurramus ad hunc spe conspirante patronum; suscipiat nostras placita pietate querelas, et dum natalem ipsius celebramus ovantes, ille preces nostras meritis pius adseret altis. Non est cura haec nova sanctis, exorare Deum pro peccatoribus aegris, vique boni meriti meritum superare sinistrum. » *S. Leo M.* (3) ait: « Sabbato apud B. Petrum vigilias celebremus, qui et orationes, et ieiunia et eleemosynas nostras precibus suis dignabitur iuvare. » Idem (4): « Credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitae ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adiuvandos. » *S. Gregorius M.* (5) scribit: « Fideles, qui de nullo suo opere confidunt, ad sanctorum martyrum protectionem currunt, atque ad sacra eorum corpora fletibus insistunt; promereri se veniam, eis intercedentibus, deprecantur. » Et alibi (6): « Hos ergo (Ss. Martyres) in causa vestri examinis, quam cum districto Iudice (Christo) habetis, patronos facite; hos in die tanti terroris illius defensores adhibete. Adsunt defensores nostri Ss. Martyres, rogari volunt, atque, ut ita dixerim, quaerunt ut quaerantur. Hos ergo adiutores vestrae orationis quaerite, hos protectores vestri reatus invenite. »

2. *Alia monumenta ecclesiastica* eandem universalem et constantem Ecclesiae fidem contestantur. Hanc nempe probant antiquissimae *liturgiae*, quae etsi saeculo IV demum conscriptae sint, publicum tamen et receptum universalis Ecclesiae usum et fidem exhibent, quae anterioribus saeculis viguit. Sic liturgia *Hierosolymitana*, *Iacobi* nomine inscripta, habet: « Praecipue vero sanctae et gloriosae semper Virginis, Genitricis Dei Mariae memoriam agimus. Memento illius, Domine Deus, et per eius orationes puras et sanctas parce,

(1) Serm. 159, n. 1.
(2) Carm. 23, v. 211, etc
(3) Serm. 12 (al. 11) cap. 4.
(4) Serm. 82, c. 7. (5) Lib. 16 Moral., c. 64.
(6) Hom. 32 in Evang., n. 9.

et miserere nobis, et exaudi nos. » In liturgia *Romana*, *D. Petro* adscripta, dicitur: «Memoriam facimus imprimis sanctae, gloriosae, semperque Virginis Mariae, beatorum Apostolorum et Martyrum, et omnium sanctorum, quorum intercessione et precibus concede, ut in omnibus tua protectione muniamur. » In liturgia *Aethiopica*, cuius auctor *S. Matthaeus* creditus fuit, haec leguntur: « Custodi eos, Deus, in recta fide et in gloria omni tempore per preces et intercessionem, quam pro nobis facit Domina nostra, sancta et immaculata Virgo Maria, et per preces angelorum et patrum nostrorum patriarcharum, S. Ioannis Baptistae etc., quorum orationes et benedictiones, et auxilium et gratia sit nobiscum. » In liturgia *S. Basilii* legitur: « Sanctifica animas nostras, et corpora nostra intercessionibus S. Dei Genitricis, et omnium sanctorum, qui a saeculo glorificaverunt te. » In liturgia *S. Chrysostomi* dicitur: « Precibus sanctorum tuorum salva nos, Domine! S. Ioannis Baptistae, Ss. Apostolorum et Sancti huius, cuius memoriam agimus, et omnium sanctorum supplicationibus visita nos, Deus. » Similia exhibent liturgia *S. Marci*, *Ordo romanus*, Sacramentarium *Gregorii M.*, *leonianum*, *gelasianum*, *Missale gothicum*, *franciscum et gallicanum*. Monumenta haec inveniuntur in *Eus. Renaudotii* liturgiarum orientalium collectione, in *Mabillonii* Musaeo italico, in *Muratorii* opere: liturgia *Romana* vetus, et in *Assemani* Codice liturgico Ecclesiae universae. — Alia pro dogmate catholico ex tribus primis aerae christianae saeculis monumenta collegit *Blanchinus* in hist. quadripartita (1): in his exhibentur plurimae inscriptiones et epitaphia cum invocatione Ss. Martyrum. Haec eadem frequenter occurrit in actis genuinis Ss. Martyrum collectis a *Cl. Ruinart:* sic, ex. gr., in actis sinceris martyrii Ss. Triphonis et Respicii (2) legitur: « Convenerunt autem viri religiosi, et sacerdotes Domini, et dedicaverunt martyrium illorum cum omni honore... commendantes animas suas beatorum martyrum precibus. » Dogma catholicum probatur etiam ex condemnatione haereticorum. Cum enim saeculo IV ineunte *Eustatius* quidam venerationem et invocationem Ss. Martyrum impugnaret, *Concilium Gangrense* eundem condemnavit can. XX dicens: *Si quis superbiae usus affectu conventus abominatur, qui ad confessiones martyrum celebrantur, et ministeria, quae in eis fiunt, simul cum eorum memoriis execratur, anathema sit.* Et cum *Vigilantius* eundem errorem renovaret, a *S. Hieronymo* refutatus, et ab universa Ecclesia tanquam haereticus condemnatus est. Patres *Concilii Nicaeni II* in Decr. art. 4 dicunt: *Salutamus autem et dominicas et apostolicas voces, per quas didicimus sanctorum expetere intercessiones, quippe qui valent nos familiares reddere regi omnium Deo, custodientes videlicet mandata eius, et in virtutibus vivere procurantes:* ideo anathema dicunt illi, *qui sanctorum non postulat orationes, tanquam fiduciam habentium pro mundo intercedere secundum ecclesiasticam traditionem.* Idem *Concilium Oecumenicum* in fine Actionis VI dicit: *Cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatae Deiparae, et semper Virginis Dominae nostrae Mariae, item Ss. angelorum, omniumque sanctorum, salutantes venerandas illorum reliquias, ut*

(1) Tab. 1, n. 7, n. 59, etc.

(2) An. 259, n. 6.

nos sanctitudinis eorum fiamus participes. Etiam *Concilium Francofurtiense* non longe post *Concilium Nicaenum II* approbavit invocationem sanctorum; hanc tamen regulam can. XLII praescripsit: *ut nulli novi sancti colantur, nec memoriae eorum per vias erigantur: sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt, qui ex auctoritate passionum et vitae merito electi sunt.* Commemorari hic etiam meretur *Concilium generale Ephesinum* iam anno 431 habitum, in quo *S. Cyrillus Alex.* in Oratione, quam coram Patribus collectis ipso die S. Ioannis Evangelistae habuit, ita exclamat: « Mysterium hoc aperi, o Evangelista! affare etiam nunc, o B. Ioannes! remove nobis lapidem, sicut B. Iacob pastoribus: resera nobis puteum vitae. » Et in parte III *Concilii Chalcedonensis* habetur epistola, quam Episcopi Occidentales dederunt ad *Leonem Augustum*, et in qua de S. Proterio martyre ab Eutychianis Alexandriae in odium fidei occiso ita scribunt: « Sanctissimum quidem Proterium in ordine et choro sanctorum martyrum ponimus, et eius intercessionibus misericordem et propitium Deum nobis fieri postulamus. » *Concil. Tridentinum* (1) in decreto de invocatione sanctorum definitis verbis tradit, *bonum atque utile esse suppliciter eos (sanctos una cum Christo regnantes) invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero, qui negant, sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idolatriam, vel pugnare cum verbo Dei adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi; vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.* Etiam Graeci schismatici in *Concilio Hierosolymitano* in causa Protestantium an. 1672 habito profitentur can. VIII: *Credimus, D. N. I. Christum solum esse mediatorem, seque ipsum dedisse pretium pro multis, et sollicitum suorum esse advocatum. Ad deferendas vero apud ipsum orationes nostras intercessores dicimus esse sanctos, quos in infinito Dei lumine videre nostra non modo non ambigimus, at etiam firmiter credimus et confitemur.* Idem profitentur in Synodo *CPtana* eodem anno habita can. XI, ubi etiam addunt: *Sed et sacerdotum, nec non et proborum hominum orationes valere apud Deum certissime credimus, easque nobis admodum pie postulamus.*

(1) Sess. 25.

' 3. *Argumentum praescriptionis* egregie proponitur a *Clariss. Perrone* tract. de cultu sanctorum. cap. 3, qui cum Prop. II dogma catholicum ex traditione, et Ecclesiae praxi probasset, n. 59 haec addit: « Atque hinc exurgit argumentum praescriptionis, quod plane opprimit adversarios. Ipsis enim fatentibus, saeculo IV universam Ecclesiam iam invaserat haec superstitio, id est, saeculo IV receptus ab universa Ecclesia erat cultus, et invocatio sanctorum (Hoc quippe fatentur Centuriatores magdeburgici, centuria IV, cap. 4 et alii passim): ergo, concludimus, iamdiu recepta erat saeculo III. Etenim si innovatio contigisset, haec vel extemplo per totius christiani orbis conspirationem facta esset, vel sensim ac sine sensu. Prius vero asserere, absurdum est ac omnem fidem superat; posterius vero impossibile omnino fuit. Nec e-

nim clanculum introducta est, ut vidimus, sed in publicis Christianorum coetibus obtinuit, ac publicis instructionibus. Plures saeculi IV persecutionibus Diocletiani, Maximiani, Maximini, Maxentii, Galerii et Licinii supervixerant, sub iisque erant, ac mutili interfuerunt *Concilio Nicaeno*. Disciplina tunc temporis recepta postulabat: *Secundum regulas Patrum bis in anno in unum convenire per singulas provincias Episcopos, ubi singula, quae emerserint, corrigantur*, ut statuit *Concilium Chalcedonense* can. IX. Rursum provinciales synodi communicare debebant cum universi orbis Episcopis per litteras encyclicas(iuxta can. V *Conc. Nicaeni*, et can. XX *Conc. Antiocheni*, an. 341). Si qua igitur fuisset in cultu, et invocatione sanctorum innovatio, aliqui saltem ex tot sanctissimis ac doctissimis Episcopis, quibus aetas illa maxime floruit, reclamassent. Ast tantum abest, ut adversus eam Episcopi reclamaverint, ut potius Faustum et Vigilantium huius invocationis impugnatores tanquam haereticos et novatores unanimi consensione ab Ecclesia reiecerint, atque scriptis impugnaverint. Non igitur ex parte Ecclesiae, ut Beausobrius, Dallaeus, Gibbonius, aliique contendunt, innovatio extitit, sed ex parte Fausti, et Vigilantii, qui illam invocationem ubique receptam adorti sunt. Idem argumentum valet pro saeculo tertio, et saeculo secundo, quin etiam ad ipsorum Apostolorum usque tempora. »

Nota. Praestat hic etiam rationem theologicam afferre, quam idem *Cl. Perrone* (1) his verbis proponit: « Veritati demum catholicae suffragatur ratio ipsa, quae ex intima rei natura deducitur, atque ex analogia eorum quae in usu quotidiano apud nos sunt. Nemo siquidem eo usque insanit, ut reum habeat laesae maiestatis eum, qui aulicum suppliciter oraret, ut suam apud regem mediationem, ac officium interponat ad aliquid facilius obtinendum; quare igitur dicendus reus erit laesae maiestatis divinae, qui sanctos, utpote Dei amicos et in aula coelesti degentes invocat, ut aliquid ab ipso per Christi merita facilius impetret? Quid dulcius ea cogitatione fingi animo potest, quae ex doctrina de invocatione sanctorum provenit? Hac enim profitemur nos, qui in exilio degimus, in arcta communione esse cum mundo coelesti, ad quem destinati sumus; hac quodammodo persentimus, nos non omnino separatos esse per mortem ab iis, qui cum viverent, nobis carissimi erant; hac demum nos mediatores et intercessores, imo et amicos devinctissimos habere laetamur apud Deum eos ipsos, qui iam in Dei sinu ineffabili illa felicitate fruuntur, quae nobis pariter servata est, quamque iam a longe expectantes salutamus. Quapropter in sola Ecclesia catholica plena invenitur illa *Sanctorum communio*, quam in symbolo apostolico profitemur, quae non tantum in bonorum operum communicatione, sed praeterea in mutuo charitatis vinculo, et intercessionis ac subsidii respective consistit. »

Nota 2. Adversarii argumentum nostrum ex traditione deductum enervare student, sed irrito conatu.

Obi. I. Sancti Patres soli Deo invocationem vindicant, atque alios quoslibet ab ea excludunt. *S. Ignatius M.* in Epistola ad Philadelph. scribit: « Vos Virgines, in vestris orationibus solum Dominum Christum, et Patrem Domini Christi ante oculos habete. » *Tertullianus* (2) c. Marcio-

(1) L. c. n. 61.

(2) Lib. 4.

nem ait: « Qui alium invocat, quam verum Deum, non orat, sed blasphemat. » Et in Apol. (1): « Ab alio orare non possum, quam a quo sciam me omnia consecuturum, quoniam et ipse est, qui solus praestat. » Eadem habet *Clemens Alex.* lib. 7 Strom., c. 7. *S. Irenaeus* (2) inquit: « Ecclesia in invocationibus angelicis nihil facit, sed omnem orationem dirigit ad Dominum. » *Origenes* (3) contra Celsum ait: « Solus est orandus supremus Deus, sed et Unigenitus eius orandus, ac primogenitus omnis creaturae, hoc est, verbum Dei. » *Lactantius* (4) scribit: « Manifestum est, eos, qui vel mortuis supplicant, vel terram venerantur, impietatis sceleris sui supplicia pensuros. » Patres *Concilii Carthaginensis III* statuerunt can. 23: *Cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.* Ex his patet, in tribus primis saeculis admissam non fuisse sanctorum invocationem. Imo et inter Patres posteriorum saeculorum nonnulli dicunt, non opus esse patronis apud Deum, fideles ipsos pro se orare, non autem aliorum precibus fidere debere.

Resp. Ss. Patres hoc idem docuerunt, quod etiamnum Ecclesia catholica docet, nempe Deum solum invocandum esse ut auctorem et largitorem omnium bonorum; nullibi autem negarunt, quod liceat adhibere apud Deum intercessores, quia talis invocatio mediate ad ipsum Deum dirigitur: ideo ipsimet se commendarunt orationibus iustorum viventium, ut, ex. gr., *S. Ignatius M.* in citata Epist. n. 8 dicit: « Iustificari cupio per precationes vestras. » Quod si aliorum invocationem illicitam et superstitiosam declarant, non loquuntur de angelis et sanctis, sed de daemonibus, de oeonibus, vel de diis ethnicorum pro diverso adversariorum, quos confutabant, errore. His in genere notatis ad singula loca obiecta respondemus. Locus *S. Ignatii* ab adversariis citatus non extat in eius Epistola genuina, sed tantum in interpolata. *Tertullianus* in utroque textu loquitur de falsis diis Gentilium, quos invocare non licet: et ideo dicit, Christianos ad unum summum Deum confugere, quia hic solus auxilium praestare potest. Ita pariter *Clemens Alex.* perstringit Gentiles, qui inanes deos exorabant, extremam inscitiam appellans, « ab iis, qui non sunt dii, tanquam a diis petere. » *S. Irenaeus* confutat Valentinianos, qui oeonas suos, et falsos angelos invocabant, et horum subsidio incantationibus impiis operam dabant: his opponit Christianos, et ostendit, miracula, quae per istos fiunt, cum praestigiis et magicis artibus haereticorum illorum conferri non posse, « cum nec invocationibus angelicis (faciat Christianus) aliquid, nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate, sed munde et pure et manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen D. N. I. Christi invocans, virtutes ad utilitatem hominum, non ad seductionem perficit. » *Origenes* de illa sola invocatione agit, quae Deo vero proprie convenit, quamque ethnici diis suis velut bonorum auctoribus, etsi supremo inferioribus deferre solebant. *Lactantius* loquitur de cultu superstitioso atque idololatrico, ut manifeste colligitur ex toto illo capite. *Conc. Carthaginense* non prohibet, ne unquam fideles preces suas dirigant ad sanctos; sed tantum praecipit sacerdotibus, ut orationes in missa recitari solitas dirigant ad Patrem. Cui mori etiamnum insistit Ecclesia catholica, quae ora-

(1) Cap. 30. (2) Lib. 2 adv. haer. c. 57. (3) Lib. 8, c. 26. (4) L. 2 Instit. divin. c. 18

tiones suas in missae sacrificio, quod ex fine suo essentiali, et primario ordinatur ad laudem Dei, atque ad implorandum eius auxilium, dirigit ad Deum Patrem per Iesum Christum D. N. — Quoad ultimam obiectionem Ecclesia ipsa docet, fideles immediate ad Deum per preces suas recurrere posse, et non absolute necessarium, sed tantum bonum et utile esse, sanctos ut patronos et intercessores adhibere. Illos vero hinc inde Ss. Patres carpunt, qui preces aliorum implorant, ipsi vero pro se orationem negligunt, quasi aliorum precibus salvandi sint absque proprio conatu. Caeterum Patres, qui talia proferunt, alibi satis clare invocationem sanctorum commendant.

Obi. II. Primis tribus saeculis, quibus purior in Ecclesia vigebat doctrina, non usurpabatur a Christianis sanctorum invocatio, sed solum quarto saeculo ad finem vergente introducta fuit partim ex privatis monachorum devotionibus, qui sicut in antropomorphismum prolapsi erant, ita etiam cultum sanctorum introduxerunt, partim ex orationibus panegyricis, quae declamatoriis flosculis, et rhetoricis apostrophis ita exornatae fuerunt, ut opinionem de invocatione sanctorum, tanquam publicum dogma in immensum exaggerarent. Quae autem a Patribus solum ad sermonis ornatum prolata fuerunt, a Catholicis ut certa veritatis argumenta inepte proponuntur.

Resp. Falsum est, quod dicunt adversarii, in tribus primis saeculis cultum et invocationem sanctorum in usu non fuisse; plura enim huius dogmatis testimonia etiam ex dictis saeculis a nobis iam adducta fuerunt. Ipsi *Centuriatores magdeburgici* l. c. ingenue fatentur, vestigia huius *superstitionis* occurrere in testimoniis *priorum* Patrum, id est, saeculi tertii. *Wegscheider* (1) effutit, eodem saeculo coepisse Ecclesiam in paganismum declinare, quod pariter sentiunt Sociniani passim. Mirum autem non est, quod ex isto aevo multa testimonia pro dogmate catholico non inveniantur. Primo enim ex tribus primis saeculis non multa Patrum scripta ad nos pervenerunt: deinde illo tempore servabatur *disciplina arcani* circa veritates revelatas, quae non rite intellectae criminationibus Iudaeorum et Ethnicorum ansam praebere potuissent; denique quolibet aevo Patres errores sui temporis scriptis confutare consueverunt, quoniam autem tribus primis saeculis veneratio et invocatio sanctorum impugnata non fuit, etiam Patres hac de re pauca scripserunt. Cum autem saeculo quarto nonnulli emerserint, qui doctrinam catholicam de cultu et invocatione sanctorum impugnarunt, mox Patres contra istos calamum strinxerunt, et fidem catholicam publice professi sunt. Nulla porro aetas tot doctissimos et sanctissimos Patres tulit, quot eo tempore, saeculis nempe quarto et quinto floruerunt tum in orientali, tum in occidentali Ecclesia. Quis vero pius et prudens, ut optime arguit *Vitus Ebermannus* in vindiciis Bellarmini, non malit cum quarti et quinti saeculi (in quibus quatuor Concilia oecumenica celebrata fuere) sanctissimis Patribus desipere, quam cum istis neo-evangelicis (Luthero, Calvino, etc.) sapere? — Nefas profecto est, de tam praeclaris Doctoribus errorem in fide suspicari, quem scriptis suis posteritati relinquere voluissent. Absonum profecto est dicere, per pias monachorum devotiones deceptos, aut saltem ad culpabilem quamdam indulgen-

(1) Inst. § 92.

tiam inductos fuisse eosdem Patres, qui monachos ob antropomorphismi errorem dire exagitarunt. Neque admitti potest, invocationes sanctorum in publicis orationibus figuras tantum rhetoricas esse: futilis prorsus et inanis est haec exceptio, qua omnia Patrum dicta facillime eludi possent. Quis enim dicat, Patres orationes suas panegyricas inquinasse mendaciis, erroribus, atque impia doctrina, quae iniuriam Christo mediatori inferat, ac fidelium animos ab eo avellat? Eccur tale crimen Patribus catholicis nunquam improperarunt Ariani, Nestoriani, Eutychiani, et alii infensissimi illorum adversarii? Istorum silentium iam invicte probat, circa cultum et invocationem sanctorum nihil a Patribus catholicis innovatum fuisse. Denique si, ut Protestantes nonnulli clamitant, idololatriae immersa fuit Ecclesia quarti et quinti saeculi, consequenter adultera facta est, nec fidem meretur in decretis quatuor Conciliorum generalium: eccur Protestantes horum auctoritatem venerantur? — Ex dictis patet, pessimas consequentias ex temeraria Protestantium sententia necessario inferri, et fidei christianae fundamenta concuti, si admittatur, saeculo demum quarto et quinto venerationem et invocationem sanctorum introductam fuisse. Probe id cognovit *Cl. Leibnitzius*, qui in system. theol. loquens de cultu sanctorum, quem non reprobat sed approbat, sapienter haec addit:«Verendum autem est, ne, qui ita sentiunt (idololatriam esse cultum sanctorum), viam aperiant ad omnem rem christianam convellendam: nam, si iām ab illis temporibus (saeculis secundo et tertio, in quibus certo iam cultus sanctorum viguit) horrendi errores in Ecclesia praevaluerunt. Arianorum et Samosatenorum causa mirifice iuvatur, qui originem erroris ab illis ipsis temporibus computant, atque obscure defendunt, Trinitatis mysterium, et idololatriam simul invaluisse... iudicandum cuique relinquo, quo res sit evasura. Quinimo procedet ulterius suspicio audacium ingeniorum; mirabuntur enim, Christum promissis tam largum erga suam Ecclesiam, tantum hosti generis humani indulsisse, ut una idololatria profligata, succederet alia, et ex sexdecim saeculis vix unum, aut duo sint in quibus vera fides utcunque inter Christianos sit conservata, cum iudaicam, ac mahumeticam religionem videamus tot saeculis satis puram secundum fundatorum instituta perstitisse. Quo igitur loco manebit consilium Gamalielis, qui de christiana religione et providentiae voluntate ex eventu iudicandum dictitabat, aut quid de ipso Christianismo iudicabitur, si lapidem hunc lydium parum adeo sustineret? »

Obi. III. Catholici sanctos invocant, quia putant, eos esse in coelo, et tanquam intercessores assistere throno divino. Sed hac de re fidei certitudinem non habent; et ideo contingere potest, ut eos colant, et invocent, qui ardent in inferno. Quinimo Catholici nonnullos ut sanctos colunt et invocant, qui ne extiterunt quidem; ex. gr., Christophorum, Georgium, Catharinam, Barbaram etc., quorum acta ab ipsis prudentioribus Catholicis suppositia, nullaque fide digna pronuntiantur. Maxima proinde vesania est ad sanctos recurrere, quorum existentia, aut saltem sanctitas dubia est.

Resp. Ratio prior ab adversariis adducta, si quid probaret, non evinceret, omnem invocationem sanctorum esse superstitiosam, sed eorum tantum, de quorum existentia vel san-

ctitate prudens suspicio oriri posset. Dantur autem sancti, de quorum beatitudine fidei certitudinem habemus. Id dicendum est de angelis, de quibus Christus ait: *Semper vident faciem Patris mei* (1). Ecclesiasticus, divino afflante Spiritu, quamplures Sanctos canonizavit, ut Henoch, Abraham, Isaac, Iacob, Moysen, Aaronem, Phinees, Iosue, Caleb, Samuelem, Davidem, Eliam, Eliseum etc.(2). Apostolus autem Hebr. XI varios adducit antiqui temporis Iustos, definiens, eos placuisse Deo mediante fide, qua divinitus donati fuere in Iesum Christum venturum, consequenter fuisse factos haeredes divinae per eundem Mediatorem repromissionis. Quidam describuntur in Actis Apostolorum inter sanctos relati, ut Stephanus, Iacobus Maior, Petrus, Paulus et alii. Multi quidem sancti dantur, de quibus in S. Scriptura nil legitur; de istorum autem sanctitate et beatitudine nos certos reddit auctoritas Ecclesiae, cuius iudicium in re tanti momenti omnem fidem meretur. Nam, ait S. *Thomas* (3), « quia honor, quem sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod neque etiam in his Ecclesia errare possit. « Quodsi perpendatur, cum quanam maturitate Romani Pontifices in beatificatione et canonizatione procedant, quot examina et discussiones praemittantur, quot testes iurati tum circa virtutes sancti, tum circa miracula per eundem patrata, audiantur, quae omnia exponit *Benedictus XIV* in celebri opere de Beatif. et Canoniz., profecto non sine maxima temeritate de veritate iudicii a S. Sede lati dubia moventur. Quamvis porro aliquorum sanctorum acta multis fabulis sint inquinata, stricte tamen moraliter certi sumus, eos in rerum natura extitisse, veraque sanctitate, aut martyrio illustres fuisse, tum ob antiquissimum eorum cultum, tum etiam ob auctoritatem Ecclesiae, quae, cum sit columna et firmamentum veritatis, stricte moraliter certum est, praecipere non posse cultum etiam materialiter tantum superstitiosum. Ipsi Protestantes fateri coguntur, Apostolos inter sanctos numerandos esse, quamvis de eorum plerisque pauca admodum, de eorum morte autem, praeterquam S. Iacobi Maioris, in divinis litteris nihil contineatur, imo et de plerisque acta apocrypha ex Abdia fabuloso auctore ut plurimum consarcinata circumferantur. Narratur quidem, quosdam ut sanctos veneratos et invocatos fuisse, de quibus postea compertum est, quod vel nunquam extiterint, vel vera sanctitate praediti non fuerint. Ast talis cultus non est nisi error materialis, atque ideo nec peccaminosus, nec inutilis dicendus est, cum mediate ad ipsum Deum referatur. Notandum vero est, quod praedictus error nonnullorum duntaxat fidelium privatorum fuit, non autem Ecclesiae catholicae, quae sollicite cavet, ne quis malus dolus, aut error in cultu sanctorum irrepat, omnemque curam impendit, ut rectus sit undique, et labis expers cultus, quem Deo et sanctis exhibet.

Obi. IV. Ecclesia catholica nimis abundat in cultu et invocatione sanctorum. Nam si inspiciatur *Breviarium romanum*, pleraque officia fiunt de Beata V. Maria, vel de sanctis. Maxima vero inordinatio est, sanctos magis, quam ipsum Deum colere et invocare.

Resp. Temeraria et iniqua est haec Ecclesiae catholicae criminatio. Nam

(1) Matth. 18, 10. (2) Cap. 24 et seq. (3) Quodlib. q. 9, art. 16

iuxta doctrinam rationis et revelationis Deus laudandus est in omnibus operibus suis, ex quibus omnibus divinae ipsius perfectiones elucent. Ideo in Psalmis frequentissime Deus laudatur, tum ob creaturas visibiles, quas fecit, tum ob singularem providentiam, quam erga populum israëliticum ostendit. Quodsi magna sunt, quae Deus in regno naturae fecit, maiora sunt, quae in regno gratiae operatus est, ad quod spectant sancti: quamobrem in ipsis Psalmis dicitur: *Laudate Dominum in sanctis eius* (1). Non errat ergo Ecclesia, Deum omnis iustitiae fontem, et omnium gratiarum largitorem in excellentissimis creaturis honorando. Caeterum Ecclesia, ut ex liturgia patet, semper ad Deum dirigit orationes suas, etiam cum opem, seu intercessionem alicuius sancti efflagitat: ex. gr., *Concede, quaesumus, omnipotens Deus*, etc., vel: *Praesta, quaesumus, ut intercedente*, etc., et quidem per merita Christi, semper concludens easdem orationes usitata formula: *per D. N. Iesum Christum*, vel *per Christum D. N.*

Obi. V. Ethnicam superstitionem sapit, sanctos singulos pro singulis morbis aut beneficiis rogare. Sicuti enim Ethnici pro frugibus ad Cererem, pro felici belli exitu ad Martem, pro recuperanda sanitate ad Aesculapium, vel Apollinem confugerunt, eadem superstitione Catholici contra pestem S. Rochum aut Sebastianum, contra ignem S. Agatham aut Florianum, contra malum oculorum S. Luciam aut Ottiliam, contra dolores dentium S. Apolloniam, etc. invocant.

Resp. Maximum est Ethnicos inter et Catholicos hac in re discrimen. Nam Ethnici supremum adorationis latreuticae honorem ac cultum diis suis deferebant; Catholici vero cultum longe inferiorem, nempe duliae, sanctis deferunt. Praeterea ethnici certis solummodo rebus Deos suos praeficiebant, potestatem illis tribuentes independentem omnino ac supremam in re quadam determinata: Catholici vero profitentur Christum potestatem omnem, et excellentiam sibi a Patre communicatam habere; neque putant, ita ab uno sancto aliquid petendum esse, ut non etiam existiment, alterius sancti intercessione idipsum obtineri posse. Caeterum quod hos potius prae aliis sanctis in certis quibusdam casibus implorent, idcirco fit, quia sancti illi virtute aliqua peculiariter illustres fuere, vel acerba quaeque in determinato membro pro Deo passi sunt; vel quia experientia compertum est, hos determinatos sanctos in quibusdam necessitatibus saepius a Deo opem impetrasse, quam alios. Nimirum Deus saepe vult unius sancti intercessione miraculum aliquod, aliud vero alterius intercessione patrare: cuius rei causam solus ille novit, qui dividit singulis prout vult. Ita iam *S. Augustinus* respondit in Epistola 137, scribens: « Sicut dicit Apostolus I Cor. II, non omnes sancti habent dona curationum, ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique sicut vult. »

(1) Ps. 150, 1.

ARTICULUS IV.

De hyperdulia B. V. Mariae exhibenda.

§ 795. Hyperduliae vocabulum in scholis tritum magis, quam a veteribus usurpatum est, ac eo tamen gratius nobis esse debet, quod nullum aliud tam commodum, et expeditum habeamus ad praestantem cultum significandum, qui et divino sit inferior, et duliam excellat, et creaturae

ad Deum proxime accedenti, Christo nimirum ut homini, et Matri eius Mariae tribui mereatur. Christi nempe humanitati, in abstracto sumptae, cultum latriae, seu adorationem latreuticam exhibere non licet; sed tamen illi, quae ad unionem hypostaticam cum Verbo elevata est, cultus quidam praecipuus, seu hyperdulia deferri debet. Caeterum de ista hyperdulia, quae ob dictam coniunctionem Christi humanitati debetur, eo minus opus est dicere, quo id genus cultus est, ac esse debet infrequentius. Cum enim eadem Christi caro, sive humanitas vere in unitatem personae Verbo inseparabiliter coniuncta sit, et sic illi latriae cultus vere debeatur, quatenus Christum Deum simul et hominem constituit, nemo fere consuevit eandem Domini carnem hyperduliae utpote inferioris cultus genere seorsim honorare; sed Christus Deus et homo, utpote una persona eaque divina, latreutice adoratur (1). Quod vero B. V. Mariam attinet, Ecclesia catholica docet, quod non licet eam colere tanquam deam, seu cultum latriae illi impendere, quia ultra sortem creaturarum purarum non ascendit; sed quia prae omnibus angelis et sanctis excellentissimis gratiarum donis praedita fuit, ideo maiorem, quam angeli et sancti, honorem meretur, cultum nempe communi dulia superiorem, id est, *hyperduliam*, cuius nomine intelligitur cultus quidam praecipuus, qui uni B. V. Mariae exhibetur propter eximiam excellentiam, qua supra omnes sanctos eminet. Hanc hyperduliam immerito, et inique carpunt Novatores. Ipsa etenim sana ratio docet, quodlibet ens iuxta dignitatem suae naturae aestimandum, et amandum esse. Iuxta quod principium ita recte argumentamur. Si Maria speciales praerogativas, et singularia merita habet, quibus caeteros sanctos praecellit, omni iure illam maiori aestimatione et dilectione, ac altiori cultu quam caeteros sanctos prosequimur. Sed magnae sunt praerogativae, et illustria privilegia, quibus Maria inter caeteros sanctos emicat; nam Maria *immaculate concepta, gratia plena, Mater Dei*, et simul *Virgo perpetua* fuit, *vitae sanctitate excelluit, ad opus redemptionis nostrae operam contulit, et Mater nostra facta*, ac postea *ad summam gloriam in coelo assumpta est, ubi advocatam nostram potentissimam et benignissimam agit;* quamobrem praecipuus, qui ei exhibetur cultus, *antiquissimus est:* quae omnia ostendunt rectissime Mariae hyperduliam exhiberi.

Nota. Inter Protestantes nonnulli aegre tulerunt, quod haec vox *hyperdulia* in scholis introducta fuerit, atque ideo Scholasticos de reprobanda innovatione accusant. Optime autem illos refellit *Cl. Trombellius* (2) dicens: « Plurima extant exempla, quibus certiores efficimur, a doctoribus nostris immutatas fuisse quandoque antiquas vocum significationes, ut eas sacro usui accommodarent, quod palam demonstrant notissima exempla vocum *Persona*, et *Hypostasis*, quae cum adhibentur, ubi de Trinitate sacratissima agitur, ab ecclesiastica auctoritate significationem obtinent multum ab eo diversam, quam antea obtinebant. Eadem vero ecclesiastica auctoritas *hyperduliae* vocem in theologia invexit; usi sunt nempe doctores nostri iure suo, atque imitati sunt exemplum clarissimorum illorum ac sanctissimorum Patrum, qui in *Nicaeno Concilio* in fidei confessionem *homousion*, a paucis antea adhibitam in Ecclesiam in-

(1) § 321. (2) Diss. 1, cap. 1, § 2

troduxerunt, et, ut ita loquar, sanctificaverunt. » Nova dogmata in Ecclesiam introducere non licet; sed ut dogmata contra adversarios defendantur, hincinde opus est novis vocibus uti. Si antiqui Patres *hyperduliae* nomine usi non sunt, rem tamen per hanc vocem designatam credidérunt, singularia Mariae privilegia agnoscentes, et praecipuum illi honorem adiudicantes. Recte ideo Protestantibus dicimus, quod Arianis dictum fuerat: « Si ita credendum est, cur non ita profitendum? »

I. *Maria immaculate, id est, sine labe originali concepta fuit.*

§ 796. 1. Teste revelatione omnes homines, ab Adamo descendentes, imo et omnes sancti, quorum eximias virtutes admiramur, peccatum originale contraxerunt, et aliquando fuerunt natura filii irae (1). Ab hac turpissima ignominia, et miserrima sorte solum excipiuntur Iesus Christus, homo factus (2), et Beatissima Virgo Maria, quae singulari privilegio a macula peccati originalis praeservata, et immaculate concepta fuit: quae veritas catholica iam § 226 probata fuit. Ss. Patribus ibi citatis addi potest *S. Cyrillus Alex.* qui (3) in Evang. Ioannis ait: « Caecus iste genus humanum designat, quod in primo parente excaecatum est, quia ex illo traximus omnes non solum originem mortis, sed etiam iniquitatis. Per unum enim hominem mors, et per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, quae in omnes homines pertransiit. Et bene non solum caecus, sed caecus a nativitate dicitur, quia omnes homines (excepto illo, qui de Virgine natus est, et sacratissima etiam Virgine, ex qua Deus homo prodiit in mundum, exempta) cum peccato originali nascimur, et gravissima caecitate depressi in mundum venimus, quam quidem caecitatem de radice primi parentis contraximus. » Et in serm. c. Nestorium ait: « Temerarium est, propter honorem filii ponere in Maria Virgine culpam aut peccatum aliquod. » Et in *Conc. Ephesino* Homil. 6: « Quis unquam audivit, architectum, qui sibi domum aedificavit, eius occupationem, et possessionem primum suo inimico cessisse? » Quod etiam *S. Thomas* immaculatam B. V. Mariae conceptionem non negaverit, sed affirmaverit, multis argumentis probat *Coelestin. Sfrondati* in celebri opere: *Innocentia vindicata P. I.* — Eruditissime demum perpetuam Ecclesiae fidem de immaculato B. V. Mariae conceptu ostendit *Cl. Carolus Passaglia* in Commentario de eodem Romae anno 1854 edito.

2. Immaculata conceptio praeclare ostendit, hyperduliam Mariae exhibendam esse. Nam si Deus B. Virginem tam insigni privilegio prae caeteris sanctis insignivit, an nobis non licebit eandem prae caeteris sanctis speciali cultu honorare? Et si ex eodem privilegio cognoscimus, Mariam Deo dilectissimam esse, eamque purissimas, et omnino immaculatas manus ad Deum elevare posse, nonne quisque maxime aequum iudicabit, ut speciali fiducia ad eam recurramus, eiusque patrocinium invocemus? Ipse summus Pontifex in fine suae Constitutionis profitetur, se a beatissima Virgine, *quae tota pulcra, et immaculata venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit, et salutem attulit mundo, quaeque prophetarum apostolorumque praeconium, et honor martyrum omniumque sanctorum lae-*

(1) § 219 et seq. (2) § 225. (3) Lib. 6, cap. 15.

titia et corona, quaeque tutissimum cunctorum periclitantium perfugium et fidissima auxiliatrix, ac totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix est, validissimum patrocinium pro tota Ecclesia cum plena fiducia expectare. Ut autem et in fidelium cordibus eosdem devotionis sensus excitaret, paterno plane affectu exclamat: *Audiant haec nostra verba omnes nobis carissimi Ecclesiae catholicae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis et amoris studio pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam sine labe originali conceptam, atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant, etc.*

II. *Maria gratiae plenitudinem accepit.*

§ 797. Deus, cuius sapientiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, Virgini quam ab aeterno in Matrem suam praedestinavit, non terrestres divitias, non mundanos honores, non carnales delicias, sed bona longe praestantiora (1), nempe gratias supernaturales abundanter impertivit; quin imo gratiae plenitudine eandem ditavit, quod *S. Scriptura* indigitat, *Ss. Patres* docent, *theologi* magis magisque explicant et confirmant.

1. Luc. I, 28 de Maria Virgine legitur: *Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena!* quae verba duo significant; *primo* B. Virginem fuisse a Deo gratia donatam, idque plene et per excellentiam super alios iustos et sanctos; nam hoc epithetum appropriatur hic soli B. Virgini, ut scilicet per gratiam hanc eminentem aptaretur, dignaque efficeretur, ut mox fieret Mater Dei. *Secundo*, per gratiam hanc mire eam placuisse Deo, eiusque angelis omnibus ac in eorum oculis plane amabilem, speciosam et gratiosam fuisse, adeo ut eam Filius Dei prae caeteris omnibus in Matrem suam eligeret; unde idem Gabriel Angelus (v. 30) addit: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* — Errant igitur Novatores, qui verba Angeli: *gratia plena*, vertunt vel cum Luthero, *gratiosa* (holdselig), vel cum Beza, *gratis dilecta;* putant enim iustos non habere inhaerentem et intrinsecam iustitiam, sed tantum extrinsecam, quae consistat in hoc, quod Deus eos, licet in se sint peccatores, ex sua tamen benevolentia habeat, reputetque iustos, quae est haeresis (2). Falsam autem esse interpretationem Novatorum, et retinendam esse lectionem Vulgatae, Cornelius a Lapide probat tum ex voce graeca, quae significat gratificatam, gratia repletam, gratiosam factam, tum ex versionibus syriaca, arabica, aegyptiaca, aethiopica, persica, quae cum Vulgata consentiunt; tum ex Patribus qui eodem modo Archangeli verba intellexerunt.

2. *Ss. Patres* gratiae plenitudinem Mariae adscribunt. *Origenes* (3) « Id enim, quod ait: *Ave, gratia plena*, ubi in Scripturis alibi legerim, non recordor; sed neque ad virum istiusmodi sermo est: *Salve, gratia plena.* Soli Mariae haec salutatio servabatur. » *S. Athanasius* in epist. ad Epictetum de Maria scribit: « Idcirco gratia plena cognominata est, eoquod adimpletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret, et virtute Altissimi obumbraretur. » Idem Serm. in Evang. de Ss. Deipara, Mariam hoc modo compellat: « Factum est, ut

(1) § 454. (2) § 462. (3) Hom. 6 in Luc.

gratia plena appellata sis, utpote quae omni gratia abundares, idque per superventum Spiritus sancti, ideoque vultum tuum deprecantur omnes divites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis et spiritualibus contemplationibus... Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus virtutibus essentialibus, induens eam gratia, ut in omnibus gratiosa esset. » Sermonem istum recentiores quidem Critici *S. Athanasio* abiudicant; sed in veteri Ecclesia graeca sermo iste in tanto honore habitus est, ut magno Athanasio adscriberetur. Idem dicendum est de quatuor sermonibus de Annuntiat. B. M. Virginis, qui *S. Gregorio thaumaturgo* adscribuntur, in quorum tertio legitur: « Maria sic gratia plena dicitur, quod in illa Virgine totius gratiae thesaurus reconderetur, quae sola ex omnibus generationibus sancta corpore, et spiritu fuerit, sola ferens eum, verbo qui portat omnia. Et non solum Angelus pulcritudinem sanctae Virginis, sed et virtutes animae admiratur, idcirco gratia plenam appellavit. » *S. Ephraem* in Oratione sua ad B. V. Mariam habita ita loquitur: « Ave, Dei splendidissimum et loculentissimum vas! Ave, Domina Maria, gratia plena! Ave in mulieribus beatissima Virgo. » *S. Ambrosius* in cap. I Lucae de Maria inquit: « Bene plena gratia dicitur, quae solam gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleatur auctore. » *S. Hieronymus* in epist. ad Principiam scribit: « Sancta Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur. » Idem (vel alius vetus Scriptor in Serm. de Assumptione B. V. Mariae) haec habet: « Bene plena, quia caeteris per partes praestatur, Mariae vero se tota infudit plenitudo gratiae. » *S. Augustinus* Serm. 17 de Natali Dom. ait de Maria: « Gratia refertur pro culpa: plena dicitur, non vacua: impleta est gratia, et evacuata est culpa. » Et lib. de Nat. et grat. (1), de eadem B. Virgine scribit: « Scimus, quod plus gratiae ei collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit et parere, quem scimus nullum habuisse peccatum. » *S. Petrus Chrysologus* Serm. 140 de Annunt. B. V. M. inquit: « *Ingressus ad eam (Angelus) dicit: Ave, gratia plena, Dominus tecum.* In hac voce oblatio est, oblatio muneris, non simplex salutationis officium. *Ave*, hoc est, accipe gratiam, ne trepides, ne sis sollicita de natura. *Gratia plena*, quia in aliis gratia, in te tota gratiae pariter veniet plenitudo. » Et Serm. 143: « Angelus ad Mariam dixit: *Ave, gratia plena*, quia singulis gratia se est largita per partes, Mariae vero simul se totam dedit gratiae plenitudo. » *S. Eucherius Lugdun.* (2): « Quis unquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Aliis enim ad mensuram gratiae dantur, haec autem gratia plena dicitur. » *S. Ildephonsus* (3): « Spiritus sanctus eam replevit, et ornavit immensis largitatis suae muneribus. » Idem (4): « Bene gratia plena dicitur, quia caeteris per partes praestatur, Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae. » *S. Petrus Damiani* (5) dicit: « Archangelus ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*, quia a Deo electam, et praeelectam, totam eam rapturus erat sibi Spiritus sanctus, et coelestibus insigniturus ornamentis. Iam consecranda erat in locum voluptatis, de quo fons ille de-

(1) C. 36. (2) Hom. in fer. 4 Dom. 4 Adv.
(3) Serm. 2 de Assumpt. B. M. Virginis.
(4) Serm. 6 de Assumpt.
(5) Serm. 11 de Annunt. B. V. M.

bebat ascendere, qui universam terrae superficiem irrigaret. » *S. Bernardus* in celebri epist. ad Canonicos Lugdun. (1) scribit: « Ego puto, quod copiosior sanctificationis benedictio in eam (B. V. Mariam) descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quae, dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret. »

3. *Theologi scholastici* gratiae plenitudinem, B. V. Mariae concessam, magna solertia explicant, et variis argumentis confirmant. *B. Albertus M.* (2) ait: « In beatissima Virgine maior fuit humilitas, ergo maior capacitas: ergo maxime gratiam recipere potuit. Sed quantum recipere potuit, tantum recepit; ergo gratiam in summo creaturae recepit. » Et ibidem (3): « Gratiae plenitudo in ea tanta fuit, quod in pura creatura aequalis esse non potuit. » *S. Thomas* p. 3, q. 27, art. 5 dicit: « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii; unde *Dionysius* (4) docet, quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter; unde et Io. I, 17 dicitur: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Beata autem V. Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: et ideo prae caeteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere. » Et addit (5): « Unicuique a Deo datur gratia secundum hoc, ad quod eligitur... Sed B. V. Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima Auctori gratiae: ita quod eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet, et eum pariendo quodammodo gratiam ad omnes derivaret. » Idem in Opusc. 8 expos. Salutat. angel. ait: « B. Virgo excessit angelos... in plenitudine gratiae, quae magis est in B. Virgine, quam in aliquo angelo; et ideo ad insinuandum hoc Angelus ei reverentiam exhibuit dicens: *Ave, gratia plena!* quasi diceret: ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae. » Et paulo infra inquit: « 1° plena est gratia B. Virgo et quantum ad boni operationem, et quantum ad mali vitationem: 2° plena fuit gratia quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia quod santificet animam: sed anima B. Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei; et ideo dicit *Hugo de S. Victore;* quia in corde eius amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius mirabilia faciebat in tantum quod de ea nasceretur Deus et Homo. » *S. Bonaventura* (6) scribit: « Immensa fuit gratia, qua Maria plena fuit; immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui coelo maior est, continere potuit. Tu ergo,

(1) Ep. 174, n. 5.
(2) Lib. 2 de Laud. B. V. M., cap. 78.
(3) Cap. 9o.
(4) De coel. Hier. c. 4.
(5) Ibid. ad 1.
(6) In Speculo B. Virg. cap. 5.

immensissima Maria, capacior es coelo, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente? Et si capacitas tam immensa fuit gratia plena, oportuit utique, quod gratia illa, quae tantam implevisse potuit capacitatem, esset immensa. » *Aegidius Rom.* in Salut. angel. ita scribit: « Dicitur gratia plena, quia ei gratia data est secundum totius subiecti capacitatem, non autem ad mensuram, ut datur caeteris ab ea. » *Suarez* (1) ait: « B. Virgo in instanti suae sanctificationis plus amabatur a Verbo, quam ullus angelus vel homo; sed gratia respondet amori, est quasi obiectum eius: ergo maior gratia illi data fuit, quam haberent angeli etiam beati, quia ex illo instanti amabat illam Verbum ut futuram sui Matrem. Totus autem hic amor debetur matri, et tota haec perfectio gratiae optime quadrat cum tanta dignitate. » Et (2) addit: « Haec tota gratiae intensio ac plenitudo optime convenit cum dignitate Matris Dei: quia illa dignitas est altioris ordinis, et suo modo infinita; unde etiam si in infinitum illa gratia intenderetur, nunquam excederet terminos, aut debitam proportionem illius dignitatis... Sicut enim *Anselmus* dixit, *decuisse Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi*, ita dicere possumus, decuisse ea sanctitate et gratia perfici, qua nulla maior in ulla pura creatura, neque in omnibus simul intelligatur.... Maior est dignitas Matris Dei, quam munera sanctorum omnium, et dignitates, etiamsi in unum congregarentur; ergo optime huic dignitati respondet gratia, quae omnium aliorum gratias superet. » Theologi autem non solum gratiarum *gratum facientium*, sed etiam *gratis datarum* plenitudinem Mariae attribuunt. Sic *Dionysius Carthusien.* (3) scribit: « Post praestantissima ac excellentissima gratiae dona et opera, assumptae humanitati a Verbo collata, primum excellentiae gradum sortita sunt munera gratiarum Virgini condonata; quae tam in donis gratiae gratis datae, quam in muneribus, habitibus atque operibus gratiae gratum facientis, in donis quoque gloriae post Filium gloriose et ineffabiliter effulget. » Quod si quis obiiciat, nullibi legi, quod Maria, dum in terra viveret, docuerit aut miracula patraverit, respondet *S. Thomas* (4) dicens: « Non est dubitandum, quin B. Virgo acceperit excellenter donum sapientiae et gratiam virtutum, et etiam gratiam prophetiae: non autem accepit, ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius. Sapientiae enim usum habuit in contemplando secundum illud: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo* (5): non autem habuit usum sapientiae quantum ad docendum, quia hoc non conveniebat sexui muliebri secundum illud I Tim. II, 12: *Docere autem mulieri non permitto.* Miraculorum autem usus sibi non competebat, dum viveret, quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis, et ideo soli Christo et eius discipulis, qui erant baiuli doctrinae Christi, conveniebat miracula facere. Propter quod etiam de Ioanne Baptista dicitur Io. X, quod *signum fecit nul-*

(1) In 3 P. Disp. 4, Sect. 1.
(2) In 3 P. Disp. 18, Sect. 4.

(3) Lib. 2 de Laud. B. Virg., art. 1.
(4) 3 p., q. 27, art. 5 ad 2, [illegible] Luc. 2 19

lum, ut scilicet omnes Christo intenderent. Usum autem prophetiae habuit, ut patet in Cantico, quod fecit: *Magnificat* etc. »

Nota. Novatores maxime offenduntur, cum audiunt, a Catholicis Mariae plenitudinem gratiae adscribi, per quam doctrinam Christum deprimi, et Mariam ipsi parem statui dicunt. Verum iniquam hanc criminationem egregie confutat *V. Petrus Canisius* in celebri opere de Maria Deipara Virgine (1), ubi inter alia dicit: « Orthodoxis ne in mentem quidem venire solet, ut Mariam cum Christo componant, et parem utrobique gratiam statuant. Quantum enim inter solem et lunam est discriminis (est autem plurimum), tantum inter Christum et Mariam interesse censent. Sicut ergo luna inter alios planetas, quantumvis fulgeat, non suo tamen, sed alieno, et a sole quidem accepto lumine nocte splendet; ita Dei ac Domini nostri Mater, licet gratia et pulcritudine reliquos Sanctos excellat, multoque illustrior habeatur, tamen quidquid hoc splendoris ac fulgoris est, ab ipso auctore coelique principe qui sol iustitiae dicitur, ex confessione Catholicorum omnium certo mutuatur. » Citat porro paulo infra *S. Bernardum*, « qui (in Serm. de Nativ. Mariae) pulcre monet, fontem vitae Christum, Mariam vero aquaeductum esse, ac fontis quidem plenitudinem de Patris aeterni corde manare, sed ab hoc aquaeductum primum excipi, ac inde aliis porro spiritualis gratiae fluenta communicari: tantum vero gratiae hauriri a Virgine, quantum aliis nullis propinetur. » Dein observat, diverso sensu intelligi a Catholicis gratiae plenitudinem, quae in S. Scriptura Christo, B. Virg., Apostolis et S. Stephano adscribitur et ait: « Scholastici doctores, ut rem breviter simul et luculenter traderent, de hac gratiae plenitudine discrimen statuendum hoc modo iudicarunt. Est plenitudo sufficientiae, per quam Apostoli et Stephanus eximiae vocationi suae satisfecerunt. Est idem plenitudo praeeminentiae, quae Matri Domini prae sanctis reliquis competit. Est demum omnimoda et ex omni parte perfecta gratiae plenitudo soli Christo tanquam fonti tribuenda, utique de cuius plenitudine omnes acceperint. Est plenitudo Christi, inquiunt, quasi fontis; Mariae autem quasi fluminis; et sanctorum quasi rivi a flumine descendentis, sicut et ante commemoravimus. Igitur Mariam plenam gratia dicunt, atque intelligunt non cum Christo capite, quod suam gloriam sibi semper unice vindicat, sed cum membris huius capitis quantalibet gratia praeditis facta collatione. Tanto autem plus gratiae in Mariam effluxisse confitentur, quanto magis illam ornari decuit, quae pura purum gratiae omnis auctorem sacro utero complecti, et digna Dei Genitrix esse debebat, ad suum nempe munus obeundum convenienter instructa » (2).

(1) Lib. 3, cap. 8.

III. *Maria est Mater Dei.*

§ 798. Mariam vere esse Matrem Dei, et ideo Deiparam nominandam esse, § 295 probatum fuit. Dogma autem hoc catholicum est causa principalis, ob quam Mariae hyperduliam exhibemus; ad hanc enim tam *per summam dignitatem Matris*, quam *per admirandam subiectionem Filii* provocamur.

1. Unanimi consensu docent theologi maternitatem divinam esse summam et excellentissimam dignitatem,

(2) Cf. S. Thomas 3 p., q. 7, art. 10 ad 1, et q. 27, art. 5 ad 2.

quae purae creaturae tribui potest, ut patet ex testimoniis § 295, nota 2 citatis. Aliqua hic adiicere liceat. *Tertullianus* (1) Mariam, quia Mater Christi est, « beatissimam et gloriosissimam » praedicat. *Methodius M.* Orat. in Hypopant. Dom., Dei Genitricem miris laudibus evehit, « quae incircumscripti, ut sic dicatur, fit circumscriptio, radix venustissimi floris, mater creatoris, nutrix nutritoris, eius, qui cuncta comprehendit, comprehensio, quae nullius rei indigo, sed tamen carnem non habenti Deo, fuerit carnem mutuata. » *S. Gregorius Nyss.* in Orat. de Nativ. Domini plenus admiratione exclamat: « O beatum uterum illum Mariae, quae bonitatis praestantia ad se traxit animi bona! in reliquis enim omnibus hominibus animus purus Spiritus sancti praestantiam capit; hic autem caro fit spiritus receptaculum. » *S. Petrus Chrysologus* (2) dicit: « Vere benedicta Virgo, quae et virginitatis possidet decus, et matris pertulit dignitatem. Vere benedicta, quae et divini germinis suscepit gloriam, et regina totius extitit castitatis. Vere benedicta, quae fuit maior coelo, fortior terra, orbe latior; nam Deum, quem mundus non cepit, sola cepit: portavit eum, qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem. » *Hesychius* Presbyter hierosol. Serm. 2 de S. Deipara inquit, quod « Maria sit mater lucis, stella vitae, Dei thronus, templum maius coelo, cathedra non inferior cathedra cherubica, arca vitae, quae ipsa Noë arca sit latior, longior et illustrior, universum Trinitatis complementum, quandoquidem et Spiritus sanctus adveniebat atque hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero gestatus inhabitabat. Videsne, quanta et qualis est Deipara et Virginis dignitas; Unigenitus enim Dei Filius, mundi conditor, velut infans ab ea gestabatur. » *S. Io. Damascenus* (3) ait: « Vere Domina facta est omnium creaturarum, cum omnium Creatoris facta est mater. » *S. Anselmus* (4) scribit: « Intendat mens humana, et contempletur, videat, et admiretur. Unicum Filium sibi consubstantialem Deus progenuit. Hunc suum tam unicum, quam dilectissimum, et in omnibus omnino aequalem non est passus remanere solummodo suum, sed eundem ipsum in rei veritate esse unicum, et dilectissimum et naturalem Mariae Filium voluit; nec ita ut duo essent, unus videlicet suus Filius, alius Filius S. V. Mariae, sed unus et idem ipse, qui Filius Dei est, in una persona etiam esset sanctae Mariae. Quis haec audiens non obstupescat? » — *S. Petrus Dam.* (5) exclamat: « Quid grandius Virgine Maria, quae magnitudinem summae divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende, seraphim, et videbis, quidquid maius, esse minus Virgine, solumque opificem istud opus supergredi. » Et ibidem, cum dixisset, Deum creaturis uniri quatuor modis, nempe per praesentiam, per gratiam, per illuminationem, et per identitatem, addit: « Quarto modo inest uni creaturae, videlicet Mariae Virgini, identitate, quia idem est, quod illa. Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantae dignitatis et dignationis immensitatem. Habitat in angelis Deus, sed non cum angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiae. Habitat Deus in Virgine,

(1) Lib. de resur. carnis.
(2) Serm. 143 de Annunt. B. V.
(3) Lib. 4 de orth. fide, cap. 15.
(4) Lib. de Excell. Virg. cap. 3.
(5) Serm. 1 de Nativ. Mariae.

habitat cum illa, cum qua unius naturae habet identitatem. » *Petrus Cellensis* (1) scribit: « Quid amplius ei assignare possumus muneris divini et honoris, quam ut, quod verum est, fateamur, Genitricem Dei esse et hominis? infra hoc dicitur, quidquid in eius commendationem affertur. Si coeli Reginam, si angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab uno corde, quam ore omnium excogitatum protuleris, non assurges ad hunc indicibilem honorem, quo creditur et praedicatur Dei Genitrix. » *S. Bernardus* (2) ait: « Quod verum Deum, et Dei Filium genuit, ut idem ipse Dei atque hominis filius, unus omnino Deus et homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis, nec facile dixerim, quod vel angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget. » Ex his manifeste patet, Mariam ut Matrem Dei summa hac dignitate sibi soli propria omnes angelos et sanctos longe praecellere. Nonne igitur specialis eidem cultus debetur? Recte *V. P. Canisius* (3) ita argumentatur dicens: « Si enim quo altior est Filius, eo dignior Mater censenda est, quis iure ambigat, quin Filii infiniti auctoritas ac dignitas ad Matrem ipsam redundet, ac honorem immensum illi conciliet, quae sola cum Patre aeterno Filio dicere potest: *Filius meus es tu: ego hodie genui te?* »

2. Si Maria vere Deipara est, habet dominium et potestatem in Christum, et Christo officia reverentiae, obedientiae et amoris erga Matrem suam incumbunt. Quod enim essentialiter et ex iure naturae maternam dignitatem comitatur, non potest rationabiliter Matri Dei respectu Filii sui denegari; ordo enim gratiae naturae ordinem non destruit, sed perficit; nec venit Christus solvere legem, sed adimplere (4). Hinc *S. Ildephonsus* (5) miratur, quod « habuerit ancilla Dominum in subdito, ancillam Dominus in praelato. » Et certissime Christus, qui ut legem impleret, circumcidi, et in templo offerri ac redimi, nobisque in omnibus virtutibus tanquam perfectissimum exemplar praelucere voluit, etiam legem divinam (6) matrem onorandi, amandi, ipsique obediendi exactissime adimplevit; imo, cum fuerit filius omnium piissimus, ab hoc officio nunquam descivit. Ideo legimus de Christo: *Et erat subditus illis* (7), nempe Matri suae et Patri nutritio: quae verba Evangelistae expendens *S. Bernardus* (8) super *Missus est*, exclamat: « Mirare utrumlibet et elige, quid amplius mireris, sive Filii Dei benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum! et quod Deus foeminae obtemperet, humilitas sine exemplo, et quod Deo foemina principetur, sublimitas sine socio! » — Maximum pietatis affectum erga Matrem suam Christus etiam moriens in cruce manifestavit; legitur enim Io. XIX, 26 etc.: *Cum vidisset ergo Iesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier! ecce filius tuus: deinde dicit discipulo: Ecce mater tua!* in quae verba *S. Augustinus* (9) dicit: « Facit Christus, quod faciendum admonet, et exemplo suo suos ministros instruit praeceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus; tanquam lignum illud, in quo fixa erant membra morientis, etiam

(1) Lib. de panibus, c. 21.
(2) Serm. 2 de Annunt.
(3) Op. cit lib. 3. c. 13. (4) Mattn. 5, 17.
(5) Lib. de Virgin. Deip., c. 8.
(6) Ex. 20. 12 (7) Luc. 2, 51.
(8) Serm. 2. (9) Tract. 59 in Io.

cathedra fuerit Magistri docentis. » Et *S. Ambrosius* (1) scribit: « Si religiosum est, quod latroni datur venia, multo uberioris pietatis est, quod a Filio Mater tanto affectu honoratur. » Imo Christus, ut notat idem S. Doctor, post hanc exhibiti Matri honoris significationem emisit spiritum, ut « omne mysterium bono fine pietatis consummaret; » id est, « ut in illius honore exspiraret, et vitam finiret, in cuius utero primum humanae vitae spiraculum hauserat, » ait verba *S. Ambrosii* exponens *Cl. Contensonius* (2). Quae cum ita sint, nonne pleno iure dicimus, Christum ipsum reverentiae, charitatis et devotionis singularis erga B. V. Mariam exhibendae praeclara exempla dedisse? Certe igitur non errant Catholici specialem cultum B. V. Mariae deferentes, cum exempla Filii Dei, redemptoris et magistri sui imitentur.

IV. *Maria purissima ac perpetua virgo fuit.*

§ 799. Mariam ante partum, in partu, et post partum purissimam et perpetuam virginem fuisse, iam § 285-288 probatum fuit. Non incongruum autem est, praecipuas saltem causas assignare, ob quas visum est sapientissimo Deo, non aliam matrem, nisi Virginem seligere, quae ipsum Dei Filium ineffabili modo procrearet.

1. Christus de Virgine natus est, ut veteris Adam typum impleret (3). Nam, ait *S. Ambrosius* (4): « Adam de terra virgine natus est, et Christus de Maria Virgine procreatus. Illius maternum solum necdum scissum fuerat; istius maternum secretum nunquam concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur e limo; Christus Dei spiritu formatur in utero. Uterque ergo oritur cum Patre; uterque Virgine utitur matre. » Succinctius vero *S. Augustinus* Serm. 5 in Natali Domini inquit: « Primus Adam de limi materia figuratur. Ecce etiam nunc secundus Adam quasi de intacta ac rudi terra Virginis de carne formatur. » Neque solum Adae, sed et coniugis eius Evae rationem hic habere voluit Deus, ut quod in prima illa omnium morientium parente veluti typo praecessit, id in Maria omnium matre reviviscentium pulcre consequeretur. Oportebat enim, ut, sicut virgo inobediens perditionis hominum causa extitit, ita virgo obediens salutis hominum causa fieret. Unde *S. Irenaeus* (5) dicit: « Sicut Eva, dum esset virgo inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis: sic Maria habens praedestinatum virum, tamen virgo obediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis. » Nec multo post subiicit: « Quod alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem. » Eadem fere habent *Tertullianus* (6), *S. Cyrillus Hieros.* (7), *S. Io. Damascenus* (8).

2. « Quod Christus sit conceptus ex Virgine, conveniens fuit, ut docet *S. Thomas* (9), propter mittentis Patris dignitatem conservandam; cum enim Christus sit verus et naturalis Filius Dei, non fuit conveniens, quod alium Patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. » Oportuit praeterea, ut Deus Pater, qui universa propter semetipsum operatus est, sicut in Filii sui Unigeniti Incarnatione summam erga homines dilectionem ostendit (10),

(1) Epist. 82.
(2) Lib. 10, diss. 6, cap. 2, spec. 2.
(3) I Cor. 15, v. 22, et v. 45.
(4) Serm. 37. (5) Lib. 3 adv. haer., c. 33.
(6) Lib. de carne Chr. (7) Catech. 12.
(8) Lib. 4 de orth. fide, cap. 15.
(9) 3 p., q. 28, art. 1.
(10) Io. 3, 16.

ita in eadem summam quoque potentiam suam manifestaret. Hoc autem praestitit in Maria matre et virgine, ex qua virtus Altissimi clarissime elucet. Nam inter alia quidem miracula, quae divinam virtutem illustrant, orbique comprobant, nullum fere augustius quam mortuorum ad vitam resuscitatio celebratur. Sed, ut ait *S. Ambrosius* (1) « virginem parturire maius est miraculum, quam mortuum resuscitare; » hoc enim aliquoties, ut ab *Elia*, *Eliseo*, *Paulo* et aliis precantibus, illud vero semel dumtaxat in orbe factum est, nec in posterum fiet. Unde *S. Augustinus* (2) scribit: « Nasci de Virgine tale miraculum fuit in Christo, ut maius a Deo exspectari non potuerit. Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. »

3. Matrem habere Virginem, ait *S. Thomas* l. cit., « fuit conveniens proprietati ipsius Filii, qui quidem est Verbum Dei; Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur; quinimo cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit, quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur. » Praeterea Matris virginitas Christo, eiusque maiestati maxime competit, ut inde utraque eius natura illustretur, rectiusque a mortalibus cognoscatur. Est ille nimirum verus ille Melchisedech, qui sine patre et sine matre esse dicitur (3), quandoquidem et matrem in illa divina generatione nescivit, et patrem in Mariae partu seu nativitate humana respuit, ex Patre solo natus ante saecula, et ex Virgine sola ortus in hoc saeculo, sicut *S. Ambrosius* annotavit (4). Unde recte *Lactantius* (5) scribit: « Ut certum esset (Iesum) a Deo missum, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali utroque concretus; sed ut appareret, etiam in homine illum esse coelestem, creatus est sine opera genitoris. Habebat enim spiritalem patrem Deum, et sicut Pater spiritus eius Deus sine matre, ita Mater corporis eius Virgo sine patre. Fuit igitur et Deus et homo, inter Deum atque hominem medius constitutus. » Denique singularem Christi puritatem, innocentiamque declarat, quod Matrem habet virginem, ne quis alioquin putet, illum una cum reliquis Adae filiis impure conceptum et natum, ullaque peccati labe contaminatum, et idcirco mediatoris officio indignum esse. Unde qui erat agnus sine macula, et mundi peccata expiaturus venerat, ex sola puraque Virgine concipi voluit, et generari. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, ut Paulus testatur (6). Ac vere quidem segregatus est a peccatoribus, cum hoc purissimo conceptu et ortu sese ab irae filiis aperte distinguit. Alioquin si ex communi lege iudicandum est, quicunque de viri et foeminae concubitu vel concipitur, vel nascitur, ex pudenda carnis prodit concupiscentia, eumque non solum peccato subiici, sed etiam redemptore quodam indigere necesse est. Hinc *S. Fulgentius* (7) ait: « Solus igitur abstulit peccatum conceptionis atque nativitatis humanae Deus Unigenitus, qui, dum conciperetur, veritatem

(1) De instit. virg., cap. 5.
(2) Epist. 3 ad Volus (3) Hebr. 7, 3.
(4) Epist. 82. (5) Inst. div., lib. 4, cap. 25
(6) Hebr. 7, 26. (7) Lib. de fide c. 2.

carnis accepit ex virgine, et cum nasceretur, virginitatis integritatem servavit in matre. Ista causa est, qua Deus factus est Filius Virginis Mariae, et Maria Virgo facta est Mater Unigeniti Dei, ut, quem Pater genuit ex aeternitate, ipsum Virgo conceptum proferret in tempore. » Addi hic meretur brevis, sed egregia S. *Bernardi* in Serm. 2 super *Missus est* sententia: « Talis partus congruebat Virgini, ut non pareret nisi Deum: et talis nativitas decebat Deum, ut non nisi de Virgine nasceretur »(1).

4. Mira Dei dispositio, ut Christus ex Virgine nasceretur, singularem etiam vim habet ad Mariam et eius praestantiam magis magisque mortalibus commendandam. Virginitas enim, quam iam Ethnici in vestalibus honorarunt, et quam Ss. Patres summis laudibus extulerunt, recte ut praestantissimum hominis decus praedicatur. Insigni igitur miraculo provisum est, ne Mater Filii Dei tanto decore privaretur; et quantam idcirco Maria admirationem meretur, cum sit mater et virgo? Recte S. *Bernardus* Serm. 4 de Assumpt. dicit: « Non est equidem, quod me magis delectet, sed nec est, quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariae habere sermonem. Ecce enim, si in ea laudavero virginitatem, mihi multae virgines videntur offerri. Si humilitatem praedicavero, invenientur forte vel pauci, qui (docente Filio eius) mites facti sunt et humiles corde. Si magnificare voluero misericordiae eius multitudinem, sunt aliqui misericordiae viri, etiam et mulieres. Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Mariae privilegium est, non dabitur alteri; singulare est, sed continuo etiam indicibile invenitur. » Et paulo inferius addit: « Quae enim vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quae digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei? » — Similibus encomiis Maria, ut Mater Dei, et simul Virgo purissima, a Ss. Patribus extollitur: quos secutus *Ven. P. Canisius* (2) ita loquitur: « Est Maria Virgo, quae supra legis morem et institutum, sineque cuiuspiam exemplo castitatem suam prima Domino consecravit: Virgo illis instructa et exculta dotibus, quae sapientissimae, religiosissimae et ornatissimae virgini, imo et futurae sui omniumque Conditoris parenti vel maxime congruebant. Virgo non sterilis, sed foecunda, homini nupta, sed Deo plena, habens filium, sed nesciens virum, semper clausa, nec tamen prole destituta! — Virgo tam auguste promissa, tamdiu et ardenter desiderata, tamque ab omni parte felix et perfecta, nullam ut aliam similem visa sit, vel habere sequentem: — Virgo matris gaudia sentiens, damna vero matris, incendia matris, libidinemque matris, et sordes angoresque parientis nec leviter quidem experta: Virgo virilis ignara consortii, quae non solum in conceptu et partu illaesa, sed et gaudio plena, Deoque semper mansit coniunctissima, sic maternum exhibens munus, ut sibi virgineum decus augeret, atque incredibiliter illustraret: Virgo carnis integritate simulque mentis puritate praestantissima, reliquis antecellens mortalibus, et angelos ipsos antegrediens. Etenim quam puritatem coelestes illi spiritus ex nativa obtinent conditione, quod sint a corporea concretione, omnique contagio remoti, eandem haec Virgo per gratiam singularem adiuta, et simul ar-

(1) Cf. eiusdem Serm. 4 de Assumpt.

(2) Op. cit., de Maria Deip. V. l. 2, c. 1.

bitrii applicatis viribus sibi comparavit, et in illa terra, cui Deus maledixit, inviolate servavit: Virgo in carne vivens, et cum carne foedaque voluptate nihil commune retinens, in lege Domini ambulans immaculata, quae incessu, gestu, sermone modestissimam simul, et sanctissimam et amabilissimam se undique proderet: Virgo sanctis et sanctorum ordinibus tanto excelsior, Deoque immortali carior, atque propinquior, quanto a concupiscentia, omnique labe et lege peccati liberior: — Virgo una ob castitatem corporis mundissima, prae omnibus perpetuae virginitatis laude cohonestata, primitiae mater, regina et princeps virginum evangelicarum. »

5. Mirandus Christi ortus ex virgine nobis in hoc quoque serviat, ut sacri Baptismatis admoneamur, ac pulcram eius velut imaginem adumbratam habeamus. *Leo M.* (1) figuram hanc sic explicat: « Originem, quam sumpsit Christus in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis. Dedit aquae, quod dedit Matri; Virtus enim Altissimi, et obumbratio Spiritus sancti quae fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem. » Hinc *S. Thomas* loc. cit. dicit: « Quod Christus sit conceptus ex virgine, conveniens est — propter ipsum finem Incarnationis Christi, quae ad hoc fuit, ut homines renascerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, id est, ex ipsa Dei virtute. Cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde *S. Augustinus* dicit in lib. de s. virginitate, c. 6: *Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de Virgine, ut significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura.* »

(1) Serm, 5 de Nativ. Domini.

6. Denique Christum ex virgine mundo dari congruebat, ut virginitatis institutum antea inusitatum ac Iudaeis probrosum, post natum Redemptorem multo et gratiosius et illustrius in Ecclesia efficeretur. Igitur ex omnibus mulieribus eam sibi Matrem delegit, quae virginitatis floreret gloria, eamque non solum in orbem veniens, sed et per mortem ex mundo discedens, charissimoque discipulo virgini commendans peculiariter cohonestavit. « Decebat enim prorsus, ait *S. Cyrillus Hier.* (2), ut purissimus puritatis Doctor ex thalamis puris prodiret. » Et *S. Ambrosius* (3) scribit: « Speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, et integritatis munus exhibuit, atque repraesentavit, quod elegit in Matre. » Neque minus luculenter *S. Augustinus* Serm. 7 in Nativit. Domini inquit: « Diligamus prae omnibus castitatem, quia ut placere hanc sibi Christus ostenderet, pudicitiam uteri virginalis elegit. » Unde ut doctrinam suam de eunuchis in Evangelio proponendam praevie commendaret, et ut credentes multos ad perfectam pudicitiam, Deoque et angelis gratam virginitatem perduceret, id partim in seipso, partim in Matre sapientissime praemonstravit, bonus utique et perfectus Magister, qui facere coepit et docere, idem Virginis Filius, virginumque sponsus, virginali utero corporaliter natus, et virginali connubio spiritualiter coniugatus, ut loquitur *S. Augustinus* lib. de s. virginitate cap. 2 (4).

V. *Maria perfectissima vitae sanctitate eminuit.*

§ 800. Mariam ab omni actuali peccato, etiam levissimo, toto vitae suae tempore penitus immunem fuisse, iam

(2) Catech. 12. (3) Epist. 81.
(4) Cf. P. Canisius l. c., cap. 3.

§ 420, n. 3 probatum fuit. Eadem autem acceptam gratiae plenitudinem fidelissime impendit, non solum ut quodlibet vel minimum peccatum vitaret, sed etiam ut continuo bona opera exerceret, et ad summam perfectionem tenderet: quod Ss. Patres testantur, tum *Mariae sanctitatem in genere*, tum eius virtutes in specie maximis laudibus extollentes.

1. *Ss. Patres* et *Doctores* passim testantur Mariam sanctitate vitae omnes angelos et sanctos superasse. *S. Ephraem* Orat. de laud. Deip. Virg. ait: « Nulla comparatione Maria omnibus superis exercitibus gloriosior est, praestantissimum orbis terrae miraculum, omnium sanctorum corona ob fulgorem inaccessa.» Et ibid. addit: « Omnium regina, sublimior caelicolis, purior solis radiis, et splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim.» *S. Gregorius thaum.* Serm. 1 de Annunt. inquit: « Maria sic gratia plena dicitur, quod in illa Virgine totus gratiae thesaurus recondereturr, quae sola ex omnibus generationibus sancta corpore et spiritu fuerit, sola ferens eum, verbo qui portat omnia. » Et Serm. 2 de Annunt. ita Mariam alloquitur: « Ipse caelestium omnium potestatum Dominator ex omni creatura te Sanctissimam elegit, et per sanctum, castum, purum, atque impollutum ventrem tuum fulgidissima margarita in salutem totius orbis progreditur, quoniam et tu sancta omni natura humana gloriosior ac purior, sanctiorque effecta es. » *S. Ambrosius* de virginib. (1) dicit: « Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit? » Et in eodem libro ita virgines alloquitur: « Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque Mariae, in qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa sanctitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis ostendunt. » Cuius exhortationis rationem reddens addit: « Virgo erat Maria non solum corpore sed et mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, etc. » *S. Chrysostomus* (2) inquit de B. V. Maria: « Magnum revera Virgo haec mundi miraculum est. Ecquid enim in rerum universitate queat hoc maius et sublimius inveniri? Sola haec coelum et terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non prophetae, non apostoli, non martyres, non patriarchae, non angeli, non throni, non dominationes, non cherubim, non seraphim; non aliud denique quidpiam inter creatas res visibiles aut invisibiles hac maius aut excellentius inveniri potest. » *S. Hieronymus* epist. ad Paul. et Eustoch. scribit: « De isto venturo agro Patriarcha Isaac longe adorans aiebat: *Ecce odor Filii mei! sicut odor agri pleni:* et sane plenus ager dicitur, quia plena gratia virtutum Virgo Maria praenunciatur. » Et in epist. ad Eustoch. de custod. virginit. Mariam velut speculum virginibus omnibus contemplandum proponit, et unamquamque illarum hac voce compellat: « Propone tibi beatam Mariam, quae tantae extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur. » *S. Sophronius* Serm. de Assumpt. ait: « Maria, cum virtute Altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis, celsis sublimior fasti-

(1) Lib. 2, cap. 2, n. 7.

(2) An. Metaphrast. relatus in off. div.

giis, pulcrior sanctitate, gloriosior suorum praerogativis meritorum, ita ut nullis iam usibus ipsa mancipanda sit, nisi divinis; » et ibid: « Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris Dei nullus invenitur perfectus. » *S. Andreas Cretens.* hom. 1 de Dorm. Deip. sic Mariam compellat: « O Sancta, et sanctis sanctior et omnis sanctitatis sanctissime thesaure! » *S. Ildephonsus* (1) inquit: « *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi* (2)? Bene in modum fumi virgulae ex aromatibus, quia facta est tota in holocaustum Dei, quae odoramenta virtutum spargebat de se usque ad coelos, et non qualiacunque, sed universi pulveris pigmentarii. Unde admiratio illa angelica non de virginitate sola, quae fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratiae venit. » *S. Io. Damascenus* (3) scribit: « Maria in templum adducta, et oblata, non secus quam olivam frugiferam se praestitit, quae in domo Dei plantata, divinoque Spiritu impinguata fructus pulcherrimos obtulit, adeoque virtutum omnium domicilium effecta est. » *S. Anselmus* (4) haec habet: « Pura sanctitas, et sanctissima puritas piissimi pectoris eius omnem omnis creaturae puritatem, sanctitatemque transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis fieret. » *S. Petrus Dam.* (5) ita loquitur: « Quid sanctitatis, quid iustitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gloriae charismate plena fuit? » — *S. Bernardus* (6) Mariam vocat « Domum sapientiae aeternae omnibus virtutibus conspicuam. » *S. Bonaventura* in speculo B. V. cap. 5 scribit: « Coelum est Maria, tum quia coelesti puritate, coelesti claritate, coelestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissima fuit, teste Propheta, qui dixit: Dominus in coelo paravit sedem suam. » Pro coronide adduci meretur insigne testimonium *S. Gregorii M.*, qui in Lib. I Reg. c. I ait: « Potest montis nomine beatissima semper Virgo Maria, Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans (cap. II) ait: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium;* mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit. Mons quippe et domus apte dicitur quae, dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum praeparavit uterum. »

2. *Ss. Patres* maxime admirantur Mariae *humilitatem*, quam ostendit ad angelum dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (7): in quae verba *S. Ambrosius* (8) ait: « Vide humilitatem! ancillam se dicit Domini, quae Mater eligitur. Humilem enim paritura, humilitatem debuit etiam ipsa praeseferre. » Et *S. Bonaventura* in Spec. B. V. exclamat: « Quia ergo Domina humillima fuisti, Verbum incarnatum ex te carnem sumere coëgisti. » Humilitatem etiam Maria manifestavit,

(1) Serm. 3 de Assumpt.
(2) Cant. 3.
(3) Lib. 4 de fide, c. 15.
(4) De Excel. Virg. cap. 9
(5) Serm. 3 de Nativ.
(6) Serm. 6 ex parv.
(7) Luc. 1, 38.
(8) Lib. 2 in Luc.

dum laudata ab Elisabeth, omnem gloriam Deo soli tribuit dicens: *Magnificat anima mea Dominum.... respexit humilitatem ancillae suae.... fecit mihi magna, qui potens est* (1). In quae verba *S. Bernardus* (2) inquit: « Magna quidem praeconia, sed et devota humilitas, nil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. » Maria porro, sicut in Purificatione maternitatem divinam, et illibatam virginitatem suam abscondit, ita in tota vita sua terrestri eminentes suas praerogativas occultavit. Et si raro Maria adfuit, dum Christus miracula patraret, ipsi tamen adstitit in cruce pendenti, ut gravissima eum ipso opprobria sustineret. Recte ergo Maria perfectissimae humilitatis Magistra dicitur. *Fidem* Mariae summopere Patres laudant, quam angelo altissimum mysterium revelanti exhibuit; unde Elisabeth eidem dixit: *Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino* (3). « Manifestum est, ait *Suarez* (4), hanc fidem in Virgine fuisse perfectissimam, omnem motum etiam primo primum dubitationis excludens: ita docent Patres: *S. Ambrosius* lib. 2 in Luc.; *S. Epiphanius* Serm. de laud. Virg.; *S. Augustinus* Serm. de Assumpt.; *S. Bernardus* Serm. 35 in Cant. » Rationem affert, quia intellectus Mariae maximo gratiae lumine illustratus, et eius anima eximia sanctitate insignita fuit, cuius fundamentum est fides: et quia non potuit in aliqua eius potentia inordinatus motus oriri. Ex iisdem rationibus in B. Virgine *spes* perfectissima fuit, cuius immobilem firmitatem in morte Filii sui ostendit; nam ait *S. Ambrosius* (5): « Stabat ante crucem Mater, et fugientibus viris stabat intrepida. » *Charitatem* Mariae in Deum maximis Ss. Patres extollunt encomiis. *S. Bernardus* (6) ait: « Amor Mariae animam non modo transfixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore reliquerit, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret. » *Richardus a S. Vict.* (7) scribit: « Quis illud primum, et maximum mandatum sic unquam implevit? quis sic unquam implere potuit? In ea divinus amor incaluit, et adeo eam in omni bono solidavit, ut de caetero spiritualis qualiscumque defectus in eam incidere non posset. » *B. Albertus M.* (8) inquit: « Ubi maior puritas, ibi maior charitas; sed beatissima Virgo habuit puritatem in summo, qua sub Deo maior nequit intelligi; ergo charitatem habuit in summo, cui in creaturis aequalis nequeat intelligi. » — Ex perfectissima charitate profluxit ardentissima et continua Mariae *devotio*, et altissima contemplatio, quam ne somno quidem fuisse impeditam, docent *Rupertus Abbas* (9), et *S. Bernardinus Sen.* (10), qui ideo B. Virgini applicant verba Cant. V.: *Ego dormio, et cor meum vigilat. S. Ambrosius* l. 2 de virg. scribit, quod in Maria « dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit, ut tamen, cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronunciat. » *S. Petrus Damian.* Serm. 1 de Nat. Mariae ait: « Vita activa et contemplativa virginem perfectiori diligentia ambierunt, adeo ut nec actio contemplationem minueret, et con-

(1) Luc. 1, 48.
(2) Serm. in Apoc. 12: *Signum magnum*, etc.
(3) Luc. 1, 45. (4) In 3 p. Disp. 19, sect. 1.
(5) De instit virg. c. 7.
(6) Serm. 29 in Cant.
(7) Lib. 2 de Emmanuele, c. 29.
(8) Lib. 2 de laud. B. V., c. 179.
(9) Comment. 7 in Cant. (10) Serm. 51.

templatio actionem non desereret. » B. Virgo probe cognoscens, quod *melior est obedientia, quam victimae* (1), primo parentibus, dein sacerdotibus in templo, postea coniugi suo Iosepho, ac demum S. Ioanni exactissime obedivit, ita ut in hac quoque virtute praeclarissimum omnium exemplar esset. Nam, ait *S. Bernardin. Sen.* (2): « Maria inaestimabiliter superavit obedientiam martyrum et confessorum; nam in omnibus fuit pondus difficultatis ad bonum, et pronitas ad ipsum malum. In Virgine B. nullum fuit omnino retardativum; proinde tota volubilis secundum omnem Spiritus sancti nutum. » Notatu etiam digna sunt, quae apud *Nicephorum Calistum* (3) *Epiphanius* Presbyter CPtanus de B. Virginis moribus refert, inter alia dicens: « Erat Maria in rebus omnibus honesta et gravis, pauca admodum, eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, et per quam affabilis honorem suum, et venerationem omnibus exhibens. » Caeterum de puritate Mariae iam § praecedenti actum est, et de eius charitate in homines, et patientia in tribulationibus § seq. dicetur.

VI. *Maria cooperatrix redemptionis, et Mater nostra facta est.*

§ 801. Iuxta doctrinam catholicam *unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (4). Sicuti autem Deus in naturalibus rebus pro infinita sua sapientia causis secundariis utitur, et cum sit solus creator, et supremus gubernator omnium; tamen parentibus utitur, qui filios procreent, conservent et gubernent, atque ideo ab istis honorentur: ita Deus etiam in opere Redemptionis Mariam elegit, quae saluti humani generis procreandae cooperaretur. Certum igitur est, Christum causam esse primariam, principalem et efficientem salutis nostrae; sed certum pariter est, Mariam rectissime causam remotam, secundariam, et accessoriam salutis nostrae dici posse: quod ex dicendis apparebit.

1. Ut homines redimerentur, iuxta decretum divinum, Filius Dei ex Virgine humanam naturam assumere, et homo fieri debuit: electa est hunc in finem immaculata, et sanctissima Virgo Maria. Sed, ait *Guillelmus Abbas* (5): « Incarnandus Dei Filius ex Virgine, praemisit ad eam unum ex familiaribus suis, ut consensum et cooperationem eius flagitaret; quippe nolebat Omnipotens suae incarnationis miraculum operari in ipsa, non cooperante ipsa, nec carnem volebat sumere ex ipsa, non dante ipsa. » Consensum igitur Virginis expetebat Angelus; et Maria, ut ait *S. Augustinus* (6) de Nat. Dom. consensum vel dans, vel negans « aut aperit coelum, aut claudit. » Hinc *S. Bernardus* (7) super *Missus est*, ita Mariam alloquitur: « Expectat Angelus responsum; tempus est enim, ut revertatur ad Deum, qui misit illum. Exspectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostrae; statim liberabimur, si consentis... in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur... hoc flagitant Patres, hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat... Responde itaque citius Angelo, imo per Angelum Domino: responde verbum, et suscipe Verbum. » Respondet Maria: *Ecce*

(1) I Reg. 15, 23.
(2) T. 3, s. 11, a. 2, c. 1
(3) Lib. 2, Hist. eccl., c. 23.
(4) I Tim. 2, 5, etc.
(5) Cap. 2 in Cant.
(6) Serm. 17.
(7) Hom. 4.

Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et sicut per verbum *Fiat* mundus creatus est, ita post pronuntiatum a Virgine verbum *Fiat* Incarnatio peracta, et opus redemptionis coeptum est. Vere igitur Maria formaliter per consensum datum ad Verbi incarnationem, et remote ad redemptionem generis humani cooperata est: imo, ut docet S. *Antoninus* (1): « Causa materialis fuit Virgo huius recreationis nostrae, quia Spiritus sanctus de purissimis eius sanguinibus, consensu mediante accepit, quod in corpus formavit Christi, per quod redemptio nostra et recreatio facta fuit. » Unde etiam *S. Thomas a Villanova* (2) dicit: « Pretium redemptionis Christus persolvit; sed haec mulier dedit illi unde solveret: ipse Redemptor est, sed ab illa accepit, unde redimeret. » Ex istis rationibus iam antiqui Patres Mariam ut cooperatricem redemptionis praedicare non haesitarunt. *S. Irenaeus* (3) ait: « Sicut Eva inobediens facta et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis: sic et Maria habens praedestinatum virum, tamen Virgo obediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis. » Et paulo post: « Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae; quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc Maria solvit per fidem. » *S. Iustinus M.* in dial. c. Tryph. dicit Christum de Virgine natum esse, « ut per quam viam fraude serpentis subintravit inobedientia, per eandem sequeretur venia. Cum enim integra virgo esset Eva, concepto verbo serpentis inobedientiam, mortemque peperit: at Virgo Maria postquam concepit fidem cum gaudio, adferente sibi Gabriele laetum nuncium respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* » *Tertullianus* lib. de carne Christi (4) scribit: « In virginem adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis: in virginem aeque introducendum erat Dei Verbum extructorium vitae, ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit. » *S. Gregorius Nyssenus* (5) ait: « Defenditur, et purgatur mulier a muliere. Prima aditum, et locum introëundi peccato dedit; haec vero introëundae iustitiae subservivit, et ancillata est. Illa consilium serpentis amplexa, et secuta est, haec interfectorem serpentis praebuit, et lucis auctorem peperit. » *S. Augustinus* Serm. 18 de Sanctis (6) dicit: « Mater generis nostri poenam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem intulit mundo. Auctrix peccati Eva, autrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur; fides pro perfidia compensatur. » *S. Petrus Chrysol.* (7) inquit: « Agit cum Maria angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina. » *S. Fulgentius* Serm. de Laudibus Mariae haec habet: « Est Maria fenestra coeli, quia per ipsam Deus verum fudit saeculis lumen. Facta est Maria scala coelestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad coelos. »

2. B. Virgo purificationis legi, ad quam non obligabatur, se humiliter

(1) In 4 p. t. 15, c. 20, § 10.
(2) Conc. 1 de Assumpt.
(3) Lib. 3, c. 33. (4) Cap. 17.
(5) Hom. de Nativ. Christi.
(6) Seu Serm. 2 de Annunt. Dom.
(7) Serm. 142.

subiecit, atque ideo in templum properavit. Legitur enim Luc. II, 22: *Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysis, tulerunt illum* (infantem Iesum) *in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.* Maria autem maximis Spiritus sancti repleta donis, optime noverat, Filium Dei incarnatum esse, ut pro salute hominum durissimam passionem et mortem sustineret. Quod ipsimet etiam solemni vaticinio a Simeone praenuntiatum est dicente (v. 34 etc.) de puero Iesu *ad Mariam, matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israël, et in signum, cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Dubitari autem nullatenus potest, quod Virgo sanctissima voluntati divinae se perfectissime subiecerit, et redemptionem generis humani ardentissime desideraverit. Nam iuxta doctrinam communem theologorum quo maior est charitas erga Deum, eo magis etiam charitas erga proximum inflammatur. Cum autem charitas B. Virginis erga Deum perfectissima fuerit, certe etiam ipsius charitas erga homines summum perfectionis apicem attigit. Ex charitate itaque erga Deum, cuius ordinationi se perfectissime subiecit, et ex charitate erga nos, quorum redemptionem ardentissime exoptavit, Filium suum pro salute totius mundi in templo obtulit, et in diram eius passionem et mortem consensit. Quinimo Maria iuxta praescriptum legis Filium suum a sacerdote redemit, ut eum aleret et educaret tanquam victimam pro salute mundi sacrificandam. Unde S. *Thomas a Villan.* Conc. de Purif. B. V. dicit: « Emitur ergo Redemptor quinque siclis a Virgine, qui quinque plagis totum mundum redempturus erat: » et postea exclamat: « O bone Iesu! iam noster es, et duplici iure noster. Te nobis Pater dedit, te nobis Mater emit. Noster es, quia datus; noster es, quia emptus. Duplici te iure possidemus. » Communis porro sententia est, Christum, antequam amarissimam suam passionem inchoaret, Matris in hanc consensum exquisisse et obtinuisse. Maria enim, ut ait *Rupertus Abbas* (1) « optabat quidem ut non moreretur talis dilectus, sed amplius desiderabat humani generis salutem. » Et S. *Bonaventura* (2) inquit: « Nullo modo dubitandum est, quin virilis Mariae animus voluit etiam tradere Filium suum et unicum; quem plus se diligebat, nobis dedit, et pro nobis obtulit. » Praeterea Maria Christum patientem secuta est, ut cum Filio suo opprobriis et doloribus satiaretur. Nam Io. XIX, 25 legitur: *Stabat autem iuxta crucem Mater eius* etc. Merito autem piissimi Doctores adseverant, Mariam in passione et morte Filii sui tales dolores sustinuisse, ut recte ab Ecclesia *Regina martyrum* praedicaretur. S. *Sophronius* (3) inquit: « Maria, quia plus omnibus dilexit, propterea et plus doluit, in tantum, ut animam eius totam pertransiret, et possideret vis doloris ad testimonium eximiae devotionis: quae quia mente passa est, plus quam martyr fuit, nimirum quod dilectio eius amplius fortis quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit. » S. *Ildephonsus* (4) dicit: « Maria, quando fugientibus Apostolis ad crucem stetit, et Dominum in cruce pendentem vidit, tum plus quam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam moeroris gladio intus vulne-

(1) In Cant. lib. 1.
(2) In p. Dist. 48, q. 2.
(3) Serm. de Assumpt.
(4) Serm. 2 de Virg. Assumpt

rata est, parataque stetit ad poenam quamlibet excipiendam, si percussoris manus accessisset; quae nimio amore demum vulnerata testis extitit Salvatoris, et pio moerore in animo cruciatum sustinuit passionis.» *S. Anselmus* (1) Mariae passionem in morte Filii considerans exclamat: « Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit, vel potius nihil comparatione tuae passionis. » *S. Bernardus* Serm. in Apoc. XII *Signum magnum* etc. (2) ait: « Martyrium Virginis tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa passionis dominicae historia commendatur.... Tuam ergo (o Maria) pertransivit animam vis doloris, ut plus quam martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus. » Voluntas autem Mariae voluntati Christi plane conformis fuit. Sicuti ergo Christus pro salute hominum passus et mortuus est, ita recte dicitur, Mariam quoque ex charitate erga nos passam esse, non quidem ut nos redimeret, quod solus Christus fecit, sed ut nostra fecundior mater et potentior advocata fieret. Unde *S. Bernardus* ibidem dicit: « Fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit; fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit. »

3. Io. XIX, 26 etc. legitur: *Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua!* Christus haec verba protulit pro salute omnium hominum in cruce moriens, et totius generis humani curam gerens; non ergo ad solum Ioannem Evangelistam haec verba restringenda, sed ad omnes fideles extendenda sunt, siquidem in persona Ioannis Christus omnibus fidelibus Mariam ut matrem dedit; quod aliquo modo exinde significatur, quia Ioannes non nominatur, sed *discipulus*, sub quo nomine quilibet redemptus per fidem et charitatem Christo adhaerens intelligitur. Hinc Ss. Patres passim Mariam omnibus fidelibus in matrem datam esse docent. *S. Ambrosius* (3) scribit: « *Ecce*, inquit, *filius tuus! ecce mater tua!* Testabatur de cruce Christus, et inter matrem atque discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum: et hoc eius testamentum signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. » Agnoscit ergo S. Doctor in citatis verbis non solum testamentum domesticum pro Ioanne, sed etiam testamentum publicum pro omnibus fidelibus, quibus cunctis Mariam ut matrem reliquit; cuius pretiosissimi doni testem non alium habere voluit quam Ioannem. *S. Epiphanius* (4) ait: « Ab Eva omnium hominum generatio genita est in terra. Hic vero a Maria haec vita mundo genita est, ut viventem gigneret; et facta est Maria mater viventium. » *S. Petrus Chrysol.* (5) inquit: « *Benedicta tu in mulieribus*, quia, in quibus Eva maledicta puniebat viscera, nunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est vere mater viventium per gratiam, quae mater ante extitit morientium per naturam. » *S. Ephraem* (6) habet: « A Maria Virgine vita ipsa est in mundo introducta, ut et viventem pariat, et viventium sit mater. » *S. Anselmus* Tract. de Concept. B. V. exclamat: « O Domina! si Filius tuus factus est per te frater noster, nonne

(1) Vel Eadmarus de Excell. Virg. cap. 5. (2) Seu de 12 stellis (3) Epist. 82. (4) Lib. 3, c. haer., cap. 2. (5) Serm. 140. (6) Serm. de Laud. Dei.

et tu per illum facta es mater nostra? Hoc enim iam mortem pro nobis subiturus in cruce dixit Ioanni, utique Ioanni, nec aliud quam nos in natura suae conditionis habenti: *Ecce*, inquiens *mater tua!* » — *Dionysius Carthus.* (1): « Discipulus ille electus designabat unumquemque fidelem. » S. *Bonaventura* (2): « Numquid solius Christi mater est Maria? Certe non solius Christi, sed, quod iucundissimum est, etiam mater omnium fidelium universalis. Unde *B. Ambrosius* ait: *Si Christus est credentium frater, cur non ipsa, quae genuit Christum, credentium sit mater?* Eia carissimi! omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus: Benedictus frater, per quem Maria est nostra mater; et benedicta Maria, per quam Christus est noster frater. » S. *Bernardinus Senensis* (3): « Mystice intelligimus in Ioanne omnes animas electorum, quorum per dilectionem B. Virgo facta est mater. » Maria nempe mater nostra est, non corporalis sed spiritualis, quae nos ut filios adoptivos charitate concepit, cum in passionem Filii sui Unigeniti consensit, et cum summo dolore peperit, cum Christo in cruce morienti adstitit. « Neque enim, ait *S. Augustinus* de cons. Evang. (4) absurde quisque dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit. » Quodsi Maria nostra mater, et quidem ex ordinatione et testamento Christi nostra mater est, absque dubio eadem erga illam officia adimplere debemus, quae filiis erga matrem suam incumbunt. Vere igitur sicuti exemplo, ita et praecepto Christi provocamur, ut speciali honore eam prosequamur, quae ut optima mater plurima pro nobis fecit et pertulit.

(1) In Ioann cap. 19.

VII. *Maria ad summam in coelo gloriam assumpta est.*

§ 802. Mariam mortuam esse, Ecclesia semper credidit; cuius fides patet ex sacramentario *Gregorii M.*, in quo dicitur: *Sancta Dei Genitrix Virgo mortem subiit temporalem;* et ex secreta: *Quam pro conditione carnis migrasse cognoscimus.* Equidem mors est poena peccati, a quo B. Virgo immunis fuit, quae idcirco morti non ut poenae, sed ut communi humanae naturae conditioni (5) subiecta est, ne Maria alterius naturae fuisse crederetur, et Christo cum haereticis partim phantasticum, partim coeleste corpus impie attribueretur. Accedit, quod capiti membrum, Christo Maria, ut in multis aliis, ita hic quoque se debuit conformare. Rursus carere Maria non debuit tot commodis atque emolumentis, quae iusti ex morte bene pieque suscepta colligunt, ut sibi tum merita tum praemia inde augeant; quid enim his mors est aliud, quam exitus e carcere, depositio sarcinae, peregrinationis terminus, vinculorum disruptio, debiti naturae solutio, in patriam reditus, vitae ianua, et in coeleste regnum ingressus? Postremo divina bonitas hoc nobis solatium tribuit, ut non Christi modo, sed et Matris eius morientis exemplo confirmemur, nosque et alios consolemur, quando ex hac vita discedendum erit. Quodsi Proverb. XXXI, 25 de muliere forti dicitur: *Ridebit in die novissimo;* et Ps. CXV, 5: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius;* profecto laetissima, et felicissima dicenda est mors Mariae, cuius animam a vinculis corporeis non doloris, sed amoris ve-

(2) In Spec. B. V. cap. 8.
(3) Tom. 1, Serm. 55, art. 11.
(4) Lib. 2, c. 2, n. 6. (5) Hebr. 9, 27.

hementia solvit. Nam, ait *P. Canisius* (1): « Mirifica Dei virtus sanctam illam animam a corpore castissimo egressuram corroboravit, adeoque incredibili consolationum genere sustentavit, nihil ut illi mors aliud, praeterquam laetus et securus ad veram vitam transitus videretur. » Ast Maria haud diu mortis conditioni succubuit, sed post triduum *ad novam vitam resuscitata, et ad summam gloriam in coelo assumpta fuit.*

1. Inter Novatores nonnulli negare sunt ausi Mariam ad novam vitam resuscitatam, et cum corpore in coelum assumptam fuisse. Praecedentibus autem saeculis fideles a sententia abhorruerunt, quae asserere praesumit, corpus illud, in quo Verbum caro factum est, putredini, et vermibus traditum fuisse. Constat ex tota antiquitate, corpora Apostolorum, et martyrum defunctorum in maximo honore habita, et pretiosi thesauri instar asservata fuisse. Nunquam autem Ecclesia quaedam gloriata est, se corpus habere sanctissimae Dei Genitricis defunctae: quod argumentum negativum iam satis probat, credendum esse testimonio veterum, qui narrant, sepulcrum in quod corpus defunctae Matris Dei repositum fuerat, post tres dies vacuum inventum, et Apostolis revelatam fuisse miram eiusdem in coelum translationem. Qua de re in S. Scriptura N. T. quidem nihil legitur, quia libri N. T., plerique saltem ante B. Virginis obitum exarati fuerunt: ast etiam traditio oretenus tantum propagata magnum credibilitatis argumentum affert, praecipue si a nemine fuit impugnata, et si ostendi nequit, a quo, et quando mendacium pro veritate venditatum fuerit. Caeterum extiterunt, qui gloriosam Mariae assumptionem in coelum in S. Scriptura V. T. praenuntiatam fuisse, affirmarent. Nam Propheta regius dicit: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae* (2), ubi vaticinatur Propheta, primum Christi Domini, ac deinde Matris eius tabernaculum, sive corpus post mortem ad vitam singulari quodam modo resurrecturum esse, sicut *Nicephorus* (3) et *Glycas* interpretantur, qui p. 3 Annal. dicit: « David quia noverat eam, quae Christum utero suo gestasset, ac illam ipsam ob causam arca sanctitatis esset, atque nuncuparetur, eodem pacto resurrecturam e sepulcro, quo et natus ex ipsa Christus, Dei Filius et Deus resurrexit; idcirco non abs re consimilem utriusque resurrectionem ex mortuis multo ante quasi pictura quadam expressit. Etenim ni res se ita haberet, non sane, posteaquam dixerat: *Surge, Domine;* subiecisset: *et arca sanctificationis tuae.* » Ps. XLIV, 11 legitur: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate;* quibus verbis, ut docent *S. Athanasius* Serm. de S. Deip., et *Glycas* lib. c., designatur B. V. Maria, quae corpore post mortem induta Filio suo proxime assistat, et cum eodem immortali rege una regnet, non quantum ad aequam administrationem, sed quantum ad eandem humanae carnis substantiam spectat. Et certe vestitus deauratus Mariae tribuitur, quandoquidem sanctissima eius caro incorruptibilitatem, et immortalitatem velut vestem auream planeque fulgentem mature induit, eamque variegatam ob varia ossa sacra in unum corpus coëuntia, et carnem eius suffulcientia. Perpetuam porro Ecclesiae fidem de mira B. Virginis assumptione in coelum multi testantur. *Eusc-*

(1) Op. cit. lib. 5, c. 2. (2) Ps. 131, 8.

(3) Lib 2 Hist. eccl., c. 23

bius Caes. in Chronic. ad annum 48 scribit: « Maria Virgo, Iesu Christi Mater ad Filium in coelum assumitur, ut quidam fuisse sibi revelatum scribunt. » *S. Epiphanius* (1) dicit: « Quomodo non possidebit Maria cum carne regnum coelorum, quae non scortata est, non fuit petulans, - nullum flagitiosum carnis opus perpetravit, sed impolluta permansit? » — *Sophronius* Serm. de Assumpt. B. V. dubitanter quidem loquitur dicens: « Quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimum eius corpus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumve resurrexerit, nescitur; quamvis nonnulli adstruere velint, eam iam resuscitatam, et beata cum Christo immortalitate in coelestibus vestiri.... Quia autem Deo nihil impossibile est, nec nos tale aliquid de B. Maria V. factum abnuimus, quamquam propter cautelam (salva fide) pio magis desiderio opinari oporteat, quam inconsulte definire, quod sine periculo nescitur. » *S. Augustinus* Serm. 1 de Assumpt. V. M. *primo* docet, Mariam ut Virginem concepisse, et sine dolore peperisse: ex quo concludit: « Non immerito ergo a quibusdam generalibus excipitur vera aestimatione, quam tanta servat gratia, et attollit dignitatis praerogativa. » Ac deinde pergit: « Quid ergo, si in tanta diversitate dicimus, Mariam humanae sortis mortem subiisse, nec vinculis eius retineri, per quam Deus voluit nasci, et carnis substantiam communicare, nunquid impium erit?.... Illud sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, et divinam naturam humanae univit, — escam vermibus traditum in communi sorde putredinis, et futurum de vermibus pulverem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. » Qui sermo quamvis a criticis S. Augustino abiudicetur, praeclarum tamen monumentum exhibet. *Andreas Cretensis* in encomio de Dormitione S. Deip. (2) ait: « Sicut non fuit corruptus parientis uterus, ita mortuae caro non interiit. O miracula! partus effugit corruptionem, et sepulcrum non admisit interitum... Stat enim sepulcrum vacuum usque in hodiernum diem, quod et testimonio est approbatum, et approbat factam translationem. » *Germanus* Patr. CPtanus Orat. de Dormit. S. Deip. inquit: « Corpus tuum virgineum omnino sanctum est, et humanum quidem, sed quod ad summam immortalitatis vitam pervenerit, adeoque integrum sit, ut absolute vivum, et obdormitioni non obnoxium, quippe quod vas Dei capax fuerit. » *S. Io Damascenus* (3) ait: « Sanctissimum Mariae corpus praeclarissimo imponitur monumento, sed hinc tertio die ad cursus coelestes in coelestia transfertur curricula... Oportebat eam, quae Deum Verbum in suo utero hospitio exceperat, collocari in divinis Filii tabernaculis etc. » Approbat S. Pater testimonium *Iuvenalis* Patr. Hier. qui *Conc. Chalcedonensi* interfuit, et coram Marciano, et Pulcheria professus est: « Ex antiqua et verissima traditione accepimus, » Mariam praesentibus Apostolis obiisse, sepultam, ac per triduum cantus angelicos auditos, sepulcrum vero ob Thomam, qui tardius venerat, apertum, et penitus vacuum inventum fuisse; quod factum *Euthymius* (4), *Metaphrastes* (5), *Mich. Glycas* (6), *Nicephorus Cal.* et alii narrant. *Gregorius Turon.* de glor. martyrum (7)

(1) Haer. 42. (2) Cap. 8.
(3) Serm. de Dormit. S. Deip. cap. 14.
(4) Lib. 3 hist. eccl., c. 40
(5) De vita et Dormit. M. c. 44.
(6) P. 3 Annal. (7) Lib. 1, c. 9

scribit: « Maria angelicis choris canentibus in paradisum Domino praecedente translata est. » *S. Ildephonsus* Serm. 3 de Assumpt. ait: « Festivitas hodierna est omnium supernorum civium gratissima, quia eius est assumptio de corpore, ex qua orta est veritas et iustitia. » *S. Petrus Dam.* Serm. de Assumpt. B. V. inquit: « Assumpta est Maria in coelum, sed gratiae sublevantis iudicio, comitantibus et auxiliantibus angelis, quam sublevabat gratia, non natura. Ideo dies haec *assumptio*, illa (Christi) *ascensio* vocatur. » *S. Bernardus* Serm. 1 de Assumpt. B. V. aperte pronunciat: « Virginem gloriosam coelos ascendisse, magnamque idcirco coelestium exultationem fuisse, cum eius et vocem audire, et faciem videre, et beata eiusdem praesentia frui meruissent. » *S. Thomas* (1) dicit: « Credimus, quod post mortem Maria resuscitata fuerit, et in coelum reportata: » cum quo omnes Scholastici consentiunt. Haec fides semper in Ecclesia fuit, ut ex allatis testimoniis patet. Sed quia de hac fide Ecclesiae non satis constabat, sine culpa nonnulli dubitanter de resuscitatione, et assumptione B. V. loqui potuerunt. Cum autem Ecclesia semper magis magisque sensum suum manifestaverit, et Festum Assumptionis in toto orbe catholico celebrare praeceperit, hoc privilegium B. Virginis sine culpa in dubium vocari nequit, quamvis solemnis de illo definitio Ecclesiae non prodierit (2).

2. Deus, ait Apostolus, *Reddet unicuique secundum opera eius* (3). Quo maior ergo est hominis sanctitas, eo maior etiam ipsius gloria erit. Maxima autem fuit sanctitas B. V. Mariae, ita ut omnes angelos et sanctos virtutibus, et meritis superaverit (4): ergo maxima etiam est gloria et felicitas, quam Maria cum corpore et anima in coelum assumpta consecuta est: quod sancti Doctores passim testantur. *Sophronius* Serm. de Assumpt. B. V. ait: « Maria usque ad throni celsitudinem processit, atque in regni solio sublimata post Christum gloriosa resedit. Sic enim ubique confidenter sancta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, ut ultra angelorum, et archangelorum choros merito transcenderit. » *S. Ildephonsus* (5) inquit: « Etsi impertit praemia iustus Iudex Christus Dominus secundum Apostolum unicuique secundum opera sua, huic tamen sacratissimae Virgini Genitrici suae, sicut incomparabile est, quod gessit, et ineffabile donum, quod percepit, ita et inaestimabile, et incomprehensibile praemium, et gloria non dico inter caeteras sacras virgines, verum etiam ultra omnes Sanctos, quam promeruit. » *S. Fulbertus* in Serm. 2 de Assumpt. B. V. (*S. Augustino* adscripto) asserit: « Thronum regium in aula Regis aeterni ab angelis Mariae collocari, quam Rex ipse regum ut matrem veram, et sponsam decoram prae omnibus diligat, et amoris amplexibus sibi consociet, quaeque in illa beatorum regia primi ordinis teneat dignitatem. » *Eadmarus* in libro (*S. Anselmo* adscripto) de excell. B. V. (6) exclamat: « Immensitatem gratiae, et gloriae, et felicitatis tuae considerare incipienti sensus deficit, et lingua fatiscit. » *S. Bernardus* (7) dicit: « Quantum gratiae Maria in terris adepta est prae caeteris, tantum et in coelis obtinet gloriae singularis. »

(1) Opusc. 8.
(2) v. V. P. Canis. op. cit., lib. 5, cap. 5.
(3) Rom. 2, 6. (4) § 800.
(5) Serm. 2 de Assumpt. V.
(6) Cap 8. (7) Serm. 1 de Assumpt. V.

S. Bernardinus Sen. (1) inquit: « Sicut Iesus sedet a dextris Patris, id est, in potioribus bonis paternis, sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis Filii sui Iesu iuxta ipsum in throno sublimata consedit. » *S. Bonaventura* (2) scribit: « Nulla pura creatura tantam gratiam in mundo, nulla tantam gloriam in coelo invenit. » *S. Antoninus* (3) ait: « B. Virgo est domina angelorum; ergo improportionabiliter est supra seraphim, et supra omnem hierarchiam angelorum exaltata. » Hos Ss. Doctorum sensus approbat Ecclesia, dum B. Virginem *Reginam angelorum, et omnium sanctorum* nuncupat, et in officio canit: *Exaltata est S. Dei Genitrix super choros angelorum ad coelestia regna.*

VIII. *Maria est advocata nostra potentissima et benignissima.*

§ 803. Ecclesia ipsa in Orat. secr. vigiliae Assumpt. B. V. profitetur, B. V. Mariam ideo ex hoc mundo ad regnum coeleste translatam fuisse, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum. Maria igitur est advocata nostra, de cuius summa *potentia* et *benignitate* dubitare non licet.

1. Si multum valet deprecatio iusti in terra viventis (4), multo magis, ut iam probatum fuit (5), valida et efficax est intercessio sanctorum in coelo regnantium. Maria autem non solum omnibus angelis et beatis sanctitate et gloria antecellit, sed praeterea materna quoque in Filium suum auctoritate pollet. Quidnam igitur a Christo non impetrabit? — Salomon Rex dixit Bethsabeae matri suae: *Pete, mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam* (6). Num Filius sanctissimus, qui ipsemet legem de honoranda matre tulit, et non venit legem solvere, sed adimplere (7), minus quam Salomon matrem suam meritis refertam et in coelo exaltatam honorificabit? Nonne Salomon rex etiam in sua assertione, matri suae facta, figura Filii Dei in regno suo exaltati dici potest? Christus erat subditus matri suae, dum haec in statu probationis versaretur, et variis humiliationibus et aerumnis subiiceretur: numquid vocem Matris suae audire et exaudire recusabit, dum eandem in coelis pro meritis suis remunerare, et prae caeteris sanctis glorificare contendit? — Christus mulierem Cananaeam pro filia sua petentem, et centurionem pro servo suo rogantem exaudivit, numquid matrem suam orantem non exaudiet, quae eum per novem menses in utero gestavit, quae eum peperit et lactavit, plurima ei servitia praestitit, et in mare dolorum immersa morienti in cruce adstitit? — Christus iam in nuptiis factis in Cana Galilaeae ostendit, quod petenti Matri suae nihil deneget, quia ad Matris suae petitionem primum miraculum patravit. Dixerat quidem: *Nondum venit hora mea* (8): haec verba autem *S. Chrysostomus* et *Theophylactus* (9) ita interpretantur: « Nondum venit hora mea, quia statui primum miraculum facere in Ierusalem, utpote metropoli Iudaeae; sed ad preces tuas, o Mater, propositum mutabo, faciamque illud hic in Cana Galilaeae. » *S. Cyrillus Alex.* in eundem locum dicit: « Quantus honor debeatur parentibus, ostendit, cum statim ad actum propter matrem accedit. » Et *Euthymius* observat: «Nam quod eam plurimum honoraret,

(1) T. 3, Serm. 11, art. 3.
(2) In Spec. B. V., cap. 8.
(3) 4 p., t. 15, c. 20. (4) Iac. 5, 16.
(5) § 791. (6) III Reg. 2, 20.
(7) Matth. 5, 17. (8) Io. 2, 4.
(9) Ap. Cornel. a Lap.

et ex aliis multis manifestum est, et ex eo quod ipsius complevit exhortationem. » Hinc Ss. Doctores potentiam Mariae intercedendi pro nobis magnis extollunt encomiis. *S. Irenaeus* (1) ait: « Sicut Eva seducta est, ut effugeret Deum, sic Maria suasa est obedire Deo, ut virginis Evae Virgo Maria fieret advocata: » sicut nempe Eva seducta per inobedientiam omnes filios suos perdidit, ita Maria per obedientiam sicut Mater Dei sanctissima, gratia et meritis plena, etiam Evae et perditorum filiorum eius advocata facta est. *S. Ephraem* in Lament. B. V. ad crucem Iesu stantis, Mariam *desperatorum spem* nominat, et addit: « Omnes tibi advolvimur, omnes te imploramus. Erue nos o intemerata, ab omni necessitate, a cunctis diaboli tentationibus. Esto nostra conciliatrix et advocata in die iudicii, etc.» *Sophronius* Serm. de Assumpt. inquit: « Haec est Virgo quae sola interemit haereticam pravitatem, sola post Deum, quae nos confirmet in omni veritate, suisque commendet meritis, et precibus auxilietur. » *S. Germanus* Patr. CPtanus Orat. de Zona Deip. habet: « Potens est auxilium tuum, o Deipara, ad salutem, et non indiget alio aliquo ad Deum intercessore. » *S. Io. Damascenus* in Annuntiat. S. Dei Genitricis exclamat: « Invituperabilem, Deipara, spem tuam habens servabor; defensionem tuam possidens non timebo; persequar inimicos meos, et in fugam convertam, solam habens ut thoracem protectionem tuam, et omnipotens auxilium tuum.» *S. Methodius* (2) ita Mariam alloquitur: « Euge, euge, quae debitorem habens Filium, qui omnibus mutuatur. Deo enim universi debemus; tibi autem etiam ille debitor est. » *S. Georgius Nicom.* (3) ita loquitur: « Nihil tuae resistit potentiae, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuae potestati serviunt. » *S. Fulbertus* (4): « Virgo quae meruit pro liberandis proferre pretium, potest plus omnibus suffragium libertatis impendere. » *S. Petrus Dam.* (5): « Data est tibi omnis potestas in coelo et in terra, et nihil tibi impossibile, cui possibile est etiam desperatos in spem salutis revocare... Accedis enim ad illud humanae reconciliationis altare non solum rogans, sed imperans, domina, non ancilla, quam Filius nihil negans honorat. » *Hugo Victorin.* (6) ita argumentatur: « Cum tam angeli quam sancti pro peccatoribus solliciti sint, ut eis tam meritis quam intercessione subveniant; credendum est, B. Virginem tantum in hoc posse quantum utraque simul creatura; imo utraque potentior iudicatur, quia utraque per hanc restauratur, et angelorum ruina per hanc restaurata est, et humana natura reconciliata. » *S. Bernardus* in Serm. de Nativ. B. V. ita disserit: « Intuere, o homo, consilium Dei, consilium sapientiae, consilium pietatis! — Redempturus humanum genus pretium universum contulit in Maria... Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et vo-

(1) Lib. 5 adv. haer., c. 19.
(2) Orat. in Hyp. Dom.
(3) Or. de obl. Deip.
(4) Or. 2 de Assumpt.
(5) Serm. 1 de Nativ. V. M.
(6) In Cant. 4.

tis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam... Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas. Iesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua; Pater enim diligit Filium.... sed forsitan et in ipso maiestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. » *S. Thomas* in expos. Salut. angel. scribit: « Magnum est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in B. Virgine; nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa - in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium, et ideo dicit ipsa: *In me omnis spes vitae et virtutis* (1). » *S. Bonaventura* (2) exclamat: « Gaude nunc, Maria Virgo, gaude! ecce Dominus potentissimus sic est tecum, quod tu es potentissima secum..... Eia ergo, potentissima Domina, esto nobis impotentissimis auxiliatrix. »

2. Maria, dum in terris viveret, perfectissimam habuit erga Deum charitatem, et ideo ardentissimum quoque habuit erga homines amorem. *Charitas* autem *nunquam excidit* (3), sed in altera vita crescit et perficitur: quanta ergo erit Mariae in coelum exaltatae erga homines dilectio? Maria sic homines dilexit, et tam ardenter eorum salutem concupivit, ut in dirissimam unici et dilectissimi Filii sui passionem et mortem consentiret: numquid homines tam dilectos desereret? num recusabit piam pro illis petitionem proferre, pro quorum salute Filium Dei et suum tam diros cruciatus, et tam atrocem mortem sustinere vidit? — Nunquam profecto Maria verborum oblivisci potest, per quae nobis a moriente Filio suo in matrem data est: an modo Virgo sanctissima, et voluntati divinae perfectissime conformis maternae pietatis officia solerter renuet implere? Ipsa ratio per fidem illustrata a talibus iudiciis abhorret. Idcirco Ss. Doctores sicut potentiam, ita etiam benignitatem, clementiam et misericordiam Mariae collaudant. *S. Germanus* Or. de Zona B. V. ait: « Quis post tuum Filium ita generis humani curam gerit sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis tam cito praeveniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? quis in supplicationibus adeo pro peccatoribus etc.? — propterea patrocinium tuum maius est quam ut apprehendi possit. » *S. Chrysostomus* vel alius antiquus Auctor Hom. de Praerogativ. B. V. inquit: « Ideo Mater Dei praeelecta es ab aeterno, ut, quos iustitia Filii salvare non potest, tu per tuam salvares pietatem. » *Idiota*, seu *Raimundus Iordanus* de contempl. B. V. in prologo scribit: « Caeteri Sancti iure quodam patrocinio pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse quam pro alienis; beatissima vero Virgo sicut omnium est regina, sic est omnium patrona et advocata, et cura est illi de omnibus. — Ipsa preces servorum, maxime quae sibi exhibentur, re-

(1) Eccli. 24. (2) In Spec. B. Virg., c. 8. (3) I Cor. 13, 8.

praesentat in conspectu divinae maiestatis, quia ipsa est advocata nostra apud Filium, sicut Filius apud Patrem; imo apud Patrem et Filium procurat negotia et preces nostras. — Tanta est eius benignitas, quod nulli formidandum est ad eam accedere, tantaque misericordia, quod nemo ab ea repellitur. » *S. Petr. Dam.* (1) dicit: « Scio, Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te et per te Deus tuus summa dilectione dilexit. » *S. Anselmus* tractat. de Concept. B. M. V. versus finem haec habet: « O peccator, gaude; non est enim unde desperes, non est quod formides: quidquid iudicabitur de te, totum pendet ex sententia fratris et matris tuae. » Dein ad Mariam conversus ait: « Per te, Domina, vitam perditam in Unigenito tuo recuperavimus: per te est, si quid boni sumus, sive possumus, sive habemus; per te ad aeternam gloriam, quicunque sumus perventuri, perveniemus. Tu post Deum summa et singularis consolatio nostra! tu felix atque beata gloriatio nostra; tu ad regna coelorum ductrix ac subvectio nostra! » *S. Bernardus* Serm. in *Signum magnum* (2) ait: « Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam... Omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi; captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus laetitiam. Ipsa praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet; omnium denique necessitates amplissimo quodam miseretur affectu. » *Richardus Victorin.* in cant. 4 ita Mariam alloquitur: « Ubicunque fuerit miseria, tua currit et succurrit misericordia. — Et quid mirum, si misericordia affluis, quae ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te ubera suxit Christus, ut per te nobis spiritualia fluerent. Cum enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiae ubera accepisti. » *S. Bonaventura* in speculo B. V. cap. 8 inquit: « Praeparabitur in misericordia solium (3): solium divinae misericordiae est Maria mater misericordiae, in qua omnes inveniunt solatia misericordiae. Nam sicut misericordissimum Dominum, ita misericordissimam Dominam habemus. Dominus noster multae misericordiae est omnibus invocantibus se: et Domina nostra multae misericordiae est omnibus invocantibus eam... Vere Domina! Regina es misericordiae, quia nullus est in hac vita sic desperatus ac miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum declinaverit regimen. » Adduci hic merentur verba Deiparae ex *revel. S. Birgittae* (4), ubi ipsa mater misericordiae dicit: « Quamvis homo peccet; si ex toto corde et vera emendatione ad me reversus fuerit, statim parata sum recipere revertentem. Nec attendo, quantum peccaverit, sed cum quali intentione et voluntate redit. Ego vocor ab omnibus mater misericordiae; et ideo miser erit, qui ad misericordiam, cum possit, non accedit. » Denique expositam doctrinam maxime probat Ecclesiae auctoritas, a qua Maria *Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, Virgo clemens, salus infirmorum, refugium peccatorum, consolatrix afflictorum, auxi-*

(1) Serm. de Nativ. B. V.
(2) Seu de 12 stellis.
(3) Is. 16.
(4) Lib. 2, cap. 23.

lium christianorum, etc., in publicis orationibus praedicatur. Et cum Maria omnibus sanctis potentia et benignitate praecellat, quis non videt, speciali devotione et fiducia ad eam recurrendum esse?

IX. *Cultus B. V. Mariae exhibitus antiquissimus est.*

§ 804. 1. Non inanis est sententia eorum, qui dicunt, Mariae cultum iam in mundi primordiis coepisse. Nam, ut ait *Cl. Suarez* (1), Angeli boni per visionem beatificam sicut incarnationem Verbi, ita etiam incarnati Verbi Matrem cognoverunt, eamque ut Matrem Domini sui continuo venerati sunt. Praeterea protoparentibus iam in paradiso promissa fuit Mulier, per cuius Filium a statu tristissimo, in quem per peccatum prolapsi fuerant, liberarentur. Dixit enim Deus ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius; ipsa conteret caput tuum* (2), id est, mulier per Messiam, quem pariet, dominium tuum destruet, et homines a tua liberabit captivitate. Quantum ergo protoparentes hanc mulierem honorare, et quam ardenter eandem desiderare debuerunt, qua mediante salutem suam consecuturi erant? Sicut autem fides de promisso Messia, ita etiam veneratio futurae ipsius matris ad posteros propagata est. Neque dubitare licet, Patriarchas et Prophetas, qui ardentissime Messiae adventum desiderarunt, etiam praevie iam foeminam honorasse, et felicissimam praedicasse, quae illum paritura erat. His accedit celebre vaticinium Isa.: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel* (3): quantum autem crescere debuit aestimatio et veneratio mulieris illius, quae tam extraordinario et mirabili modo Messiam conceptura, et paritura erat? Notandum porro est, quod notitia de futura Dei Matre, et virgine etiam Ethnicis communicata fuerit; eam enim sibyllae praenuntiarunt. Sic *Delphica* canit: « Non tarde veniet, tacita sed mente tenendum hoc opus, hoc memori semper qui cordi reponet. Huius pertentant cor gaudia magna Prophetae eximii, qui Virginea conceptus ab alvo prodibit sine contactu maris, omnia vincit hoc naturae opera: at faciet, qui cuncta gubernat. » *Erithraea* dicit: « Cerno Dei matrem, qui se demisit ab alto, ultima felices referent cum tempora soles; Hebraea quem *Virgo* feret de stirpe decora, in terris multum teneris passurus ab annis: magnus erit tamen hic divino carmine vates, *Virgine Matre* satus, prudenti tempore verax. » *Cumana* haec habet: « Iam mea certa manent, et vera novissima verba, ultima venturi quod erant oracula Regis, qui toti veniens mundo cum pace placebit, ut voluit nostra vestitus carne decenter, in cunctis humilis, *castam pro matre puellam* deliget, haec alias forma praecesserit omnes. » Eadem praenuntiant septem reliquae sibyllae (4); et sicut *Homerus* ex Delphica, ita *Virgilius* hoc idem vaticinium hausit in Bucol. (5) dicens: « Ultima Cumaei venit iam carminis aetas, magnus ab integro saeclorum nascitur ordo: iam redit et Virgo, redeunt saturnia regna; iam nova progenies coelo demittitur alto. » Apud Ethnicos templa quoque erecta fuisse Virgini parituraе cum *Cedreno* et aliis testatur *P. Segneri* (6).

2. In aevo christiano cultus Mariae exhibiti antiquitatem probant vetu-

(1) 3 p., dist. 29 sect. 1.
(2) Gen. 3, 15. (3) C. 7, v. 14
(4) V. Canis. lib. 2, c. 7. (5) Ecloga 4.
(6) Devot. Mar. P. I, c. 4.

stissimae *Liturgiae*, in quibus intercessio Mariae invocatur. Ita in liturgia *S. Petro* adscripta dicitur: *Domine Deus omnipotens, qui solus es Sanctus, et in Sanctis requiescis, miserationes tuas largiens intercessionibus Dei Genitricis*, etc. Et iterum: *Libera nos, quaesumus, Domine, ab omni malo, intercessionibus Mariae Deiparae*, etc. In liturgia *S. Iacobi*, non solum a *S. Proclo* generoso Nestorii antagonista, sed etiam a Synodo quinisexta can. XXXII agnita et approbata, populus ad venerationem et invocationem Mariae excitatur his verbis: *Commemorationem agamus, sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae, Matris Dei, et semper Virginis Mariae, ac omnium sanctorum et iustorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur. Et cum sacerdos dixisset, ut Deus inter Sanctos omnes praecipue meminisse velit sanctissimae immaculatae, super omnes benedictae, gloriosae Dominae nostrae Deiparae, semperque Virginis Mariae;* statim haec Chorus subiicit: *Dignum est, ut vere beatam dicamus Deiparam, semper beatam et omnibus modis irreprehensam, et Matrem Dei nostri, honorabiliorem quam Cherubim, et gloriosiorem quam seraphim, quae sine corruptione Deum Verbum peperisti, te revera Deiparam magnificamus. S. Basilius* in liturgia sua haec habet: *Custodi nos, Deus, gratia tua, sanctissimae et intemeratae Dominatricis nostrae, et semper Virginis Mariae, memorantes*, etc.; et iterum: *Sanctifica animas et corpora intercessione sanctae Dei Genitricis. S. Chrysostomus* in sua liturgia ita orat: *Quoniam omnibus facturis praestantior existis, collaudare te digne non valentes, Dei Genitrix, gratis flagitamus te, misererere nostri. — Deus sancte, da nobis in sanctitate servire tibi omnibus diebus vitae nostrae intercessionibus Reginae nostrae Matris Dei, et omnium sanctorum, qui a saeculo tibi placuerunt. S. Chrysostomus* hanc precatiunculam frequenter adiungit: *Intercessionibus Dei Genitricis Salvator! salva nos;* et praeterea Iacobum in eo sequitur, quod ex integro repetat Salutationem angelicam. Hanc vero *Syri* ab Apostolis vel primum instituti non sine invocatione solent absolvere in hunc modum: *Pax tibi, Maria! gratia plena! Dominus noster tecum: benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus, qui est in utero tuo, Iesus Christus. Sancta Maria! ora pro nobis, pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen:* quod idem *S. Severi* Patriarchae alexandrini precationes commonstrant. Extat et *Missa Aethiopum* pervetusta, quae *Canon universalis* vocatur, hancque precationem habet adiunctam: *Ora pro nobis apud Iesum Christum, ut misereatur animae nostrae, ora pro nobis in conspectu throni Filii tui, Iesu Christi. Laetare, immaculata vere Regina; laetare, gloria nostrorum parentum, quia peperisti nobis Emmanuelem. O vere Mediatrix ante D. N. I. Christum! te supplices exoramus, ut memor sis nostri: ora pro nobis, ut deleantur iniquitates nostrae.* Quibus monumentis citatis haec subiungit *V. P. Canisius* (1): « Tanta quidem cum non solum graecos, sed etiam alexandrinos, hierosolymitanos, aethiopes aliasque nationes inde ab initio traditae, acceptaeque fidei tenuit in Deipara palam et honoranda et invocanda. Unde quoties Redemptoris sui crucem et mortem in quotidiano, et incruento illo sacrificio annuntiarunt, atque recoluerunt, id, quod perpe-

(1) Lib. 5. cap. 31.

tuum apud illos fuit, Matris etiam Domini memoriam honorificam sibi habendam esse duxerunt, ac eius maternae pietati reverenter sese commendarunt. »

3. Aliud pro antiquitate cultus Mariani argumentum suppeditant templa iam mature in honorem B. V. Mariae erecta. Quamprimum enim sub Constantino Ecclesia pacem adepta est, mox plura templa in honorem B. M. Virginis aedificata sunt; nam sub Liberio summo Pontifice iam multae erant Romae Ecclesiae sub nomine S. V. Mariae, uti magnifica Basilica a Ioanne patritio romano post miraculum nivis, aestivo tempore delapsae, fabricata, ut quae novitate miraculi, et dignitate caeteris praestaret, *Ecclesia Mariae Maioris* diceretur. Ipse Constantinus Imperator, non sine miraculis ad fidem conversus, cum ad propagandam nostram Religionem se totum contulisset, haud contentus Romae et Byzantii praeclara templa Deo et sanctis magnifice condidisse, totam urbem, quam reliquis chariorem, utpote a se fundatam habuit, ac suo ipsius nomine cohonestavit, Matri Dei consecrandam putavit. Testatur hoc *Zonaras* (1), et *Nicephorus* (2), quorum posterior scribit, cum recens urbs Byzantina fundata esset, vocatos ab Imperatore Episcopos, qui ad Nicaenam Synodum convenerant, eo animo accessisse, ut suis precationibus nova aedificia confirmarent. « Igitur encaenia, inquit, et consecrationis festum diem celebrant, incruento sacrificio operantur, precibus, votisque urbem abunde prosequuntur et firmant, eandemque Dei Genitrici dedicant, novam Romam, imperantemque Constantinopolim cognominantes, Alexandro tum Byzantii Ecclesiam regente. » Etiam Imperatoris Mater, Helena, tum in Nazareth, ubi Salutationis angelicae domus extiterat, et in Bethlehem, ubi virgineum partum angeli celebrarant, ipsi Verbi puerperae, imo et sponso eius Ioseph templa egregia exaedificavit. In vita *S. Alexii* commemoratur Edessae magnificum templum Beatae Virgini dicatum, in quo virgineus sponsus tenera devotione matrem Dei coluit, et magna ab ipsa beneficia accepit. Constat denique ex historia, *Conc. generale Ephesinum* in Ecclesia B. Virgini dicata celebratum fuisse.

4. Antiquissimus est etiam mos tum in publicis concionibus, tum in privatis orationibus Mariam invocandi, et ex variis monumentis historicis constat, per intercessionem B. Virginis magnas iam gratias obtentas fuisse. *S. Augustinus* (3) de Deipara exclamat: « *Ave, gratia plena*, Domina; *Dominus tecum:* intercede hera et domina et regina et mater Dei, pro nobis. » *S. Ephraem* in Exhortatione 34 orationem fundit ad obtinendam a Deo misericordiam in iudicio, eamque sic claudit: « Per intercessionem matris tuae et omnium sanctorum, suscipe deprecationem nostram, et miserere nobis. » Et in Orat. ad Ss. Dei Genitricem ait: « Sicut humanissimi Dei mater es, ita me peccatorem humaniter suscipe, et meam sordidissimam orationem admitte. » *S. Gregorius Naz.* Serm. (4) in *Cyprianum M.* narrat, *S. Iustinam*, ut tentationes daemonis vinceret, et Cypriani Magi insidias declinaret, B. V. Mariam suppliciter invocasse, et hac adiuvante victoriam reportasse. Nota est historia *Mariae Aegyptiacae*, quae a Paulo diacono scripta, in *Conc. Nicaeno II* repetita, multorumque doctorum te-

(1) Lib. 8 Annal.
(2) Lib. 8 hist. eccl., c. 26

(3) Serm. in Evang.
(4) 21 (al. 18).

stimoniis confirmata fuit. Haec Maria Aegyptiaca multis annis luxuriae dedita ad templum hierosolymitanum, quod ob dominicae Crucis reverentiam sacrum erat, ac celebre, Religionis causa profecta est. Quum vero cerneret, se ab ingressu huius templi divinitus prohiberi, prioris vitae turpitudinem agnoscere, et deplorare coepit, seque ad Deiparae imaginem, quae templum ingressuris occurrebat, non sine pudore convertit, atque ita cum lacrymis dixit: « Domina Virgo, quae Deum verum genuisti, corpus habens et animam mundam, et immaculatam, adiuva me solitariam, et nullum habentem adiutorium. » Qua facta oratione templum ingredi potuit, et cum Mariae intercessionem invocare non cessaret, gratiam verae conversionis obtinuit, et magni nominis Sancta effecta est. Recte ideo *Sophronius* in Serm. de Assumptione B. Virginem collaudans fidelibus acclamat: « Hanc imitamini moribus, sequimini castitate; huius implorate auxilium.» *Basilius Seleucius* (1) ait: « O ter sancta Virgo! aspice nos de coelo oculo propitio, et nunc quidem educ nos hinc cum pace. » Saeculo VI *Theophilus* quidam eo impietatis venit, ut data syngrapha se totum imperio Satanae traderet ac manciparet. Ast facti poenitens ad B. V. Mariam recurrit, et ieiunans ac lacrymas amaras spargens, eius auxilium implorat: et opitulante Virgine consignatam diabolo syngraphaam recipit, facta confessione a peccatis absolvitur, in gratiam Dei reversus omnibus virtutibus ornatur, et sanctorum catalogo inscribitur. Narrat hanc historiam *Eutychianus* Patriarcha CPtanus, testis coaevus et ocularis, et post ipsum *Metaphrastes, S. Petrus Damian.* et alii. Eodem saeculo, dum dira pestis Romae grassaretur, *S. Gregorius M.* ad B. V. Mariam recurrit, eiusque imaginem, indicta publica processione, per urbem detulit; quo facto terribile divinae vindictae flagellum cessavit. *S. Io. Damascenus* per intercessionem B. V. Mariae obtinuit, ut manus crudeliter amputata ipsi restitueretur. Ita ex omnibus Ecclesiae saeculis plurima extant monumenta, quae ostendunt, fideles in variis angustiis Mariam invocasse, et ab ipsa auxilium obtinuisse (2).

(1) Or. 1 de Verbi incarn.

(2) Cf. P. Canis. op. cit. lib. 5, cap. 3, 18, 27-31; item Abolly, Monumenta devotionis erga B. V. M.

ARTICULUS V.
De cultu sacrarum reliquiarum.

§ 805. Reliquiarum nomine severiori sensu, seu primario intelliguntur corpora sanctorum, vel partes eorum, ut ossa, cineres etc.; sensu autem latiori, seu secundario reliquiae etiam vocantur vestes, aliaeque res eorum usu vel attactu sacratae; ex. gr., instrumenta martyrii aut mortificationis, vincula, flagella, cilicia etc. Cum autem de reliquiarum cultu agitur, non est sermo de supremo cultu latriae, sed de longe inferiori, nempe duliae, eoque non absoluto, sed relativo tantum; cum enim reliquiae nullam habeant excellentiam absolutam, sibique intrinsecam, sed relativam tantum; quatenus nempe habent relationem ad sanctos, debetur illis veneratio duntaxat relativa, quae sic ad illas terminatur, ut non sistat in illis, sed ad sanctos transeat. Nihil profecto est in tali cultu, quod merito reprehendi possit. Sed tamen sacrarum reliquiarum cultus multos iam adversarios habuit. *Vigilantius* barcinonensis Ecclesiae in Hispaniis presbyter, *Manichaeorum*, *Eudoxii* et *Eunomii* circa reliquiarum cultum errores re-

novavit; docuit enim, colendas non esse Ss. Martyrum reliquias, earundem cultores *cinerarios* appellans; signa apud sacras reliquias fieri solita asserebat esse praestigias, basilicas Martyrum declinandas, Catholicos vero, qui ibi orarent, quasi immundos vitandos esse. Sectatores impietatis suae habuit saec. VIII *Constantinum Copronymum*, qui teste Suida omnes reliquias deleri iussit; saec. IX *Claudium Taurinensem*, qui omnes cruces et reliquias aboleri voluit, sanctorumque sepulcra negabat esse veneranda; saec. XIV *Wiclefitas*, teste Thoma Waldensi; saec. XVI Protestantes. *Lutherus* Serm. de Cruce scribit: « Quoniam reliquiae sanctorum nihil aliud sunt, quam fidelium seductiones, ne deinceps populi Deos alienos colant, placere sibi, ut omnes huiusmodi reliquiae altissime sub terra abscondantur. » Similia habet *Calvinus* tum l. 3 Instit., c. 20, tum in Admonitione de reliquiis. Hinc praesertim Calvini sectatores inclitorum sanctorum veneranda ossa sacrilegis onerata ludibriis, ignique absumpta diabolico furore in profluentem proiecerunt. Contra istos adversarios probanda est doctrina catholica, quae dicit, pium, licitum et utilem esse sacrarum reliquiarum cultum. Haec propositio de fide est, et probatur ex *S. Scriptura*, ex *Ss. Patribus*, ex *praxi Ecclesiae*, ex *miraculis*, ex *Conciliis*, et ex *rationibus theologicis*.

1. Ex *S. Scriptura* V. et N. T. sacrarum reliquiarum cultus, pietas et utilitas probatur. Ex. XIII; 19 legitur, Israëlitas, quamvis per contactum cadaveris se pollui crederent, tamen iussu Moysis tulisse ossa Iosephi quasi thesaurum pretiosum ex Aegypto, et sepelivisse in Sichem (1): quo manifeste honor ossibus illis exhibitus est, et quidem aperte propter singularem Iosephi iustitiam, et erga Deum pietatem, atque non improbante, sed approbante Domino; nam Eccli. XLIX, 18 de Iosepho dicitur: *Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.* IV Reg. II, 13 etc., exemplum devotionis et fiduciae exhibetur, quam Eliseus habuit in pallium, quo usus erat Elias; legitur enim: *Levavit pallium Eliae, quod ceciderat ei, reversusque stetit super ripam Iordanis: et pallio Eliae, quod ceciderat ei, percussit aquas, et non sunt divisae, et dixit: Ubi est Deus Eliae etiam nunc? Percussitque aquas, et divisae sunt huc atque illuc, et transiit Eliseus.* Fiducia ergo Elisei non ut impia et superstitiosa reprobatur, sed ut pia et utilis a Deo per miraculum remuneratur. IV Reg. XIII, 21 legitur: *Sepelientes hominem viderunt latrunculos, et proiecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos.* Dubitari autem non potest, in honorem defuncti Prophetae tam insigne miraculum contigisse; ideo enim Eliseus Eccli. XLVIII, 14 laudatur his verbis: *Mortuum prophetavit corpus eius. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.* Quodsi autem Deus per reliquias miracula patravit, quis eas, Deo illas tam praeclaro modo honorando praeeunte, honore dignas non reputet? Et si solus contactus absque intentione cultus vitam homini reddidit, quanto magis reliquiarum cultus devotioni, et fiduciae unitus proderit? — Rex piissimus *Iosias*, ut ethnicam superstitionem e regno suo eliminaret, et cultum veri Dei restitueret, altaria idolorum et sepulcra superstitioni inservientia destruxit: cum autem sepulcrum Prophetae sancti invenisset, nequaquam istud de-

(1) Iudic. 21, 32.

struxit, sed, ut in honore haberetur, curavit. Legitur enim IV Reg. XXIII, 17 etc. Rex ait: *Quis est titulus ille, quem video? Responderuntque ei cives urbis illius: Sepulcrum est hominis Dei, qui venit de Iuda, et praedixit verba haec, quae fecisti super altare Bethel. Et ait: Dimittite eum; nemo commoveat ossa eius. Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus Prophetae, qui venerat de Samaria.* Iosias ergo, de cuius pietate etiam *Ieremias* (1) testimonium tulit, honorem sepulcro sancti hominis exhibitum probe distinxit ab ethnica superstitione, et honestum ac pium declaravit. — In N. T. Christus ipse venerationem reliquiarum commendavit, dum nec mulierem, quae sanguinis fluxu laborans magna fide accessit, ut *fimbriam vestimenti eius* tangeret (2), nec illos, qui Genezarethi rogabant eum, ut *vel fimbriam vestimenti eius tangerent* (3), tamquam superstitiosos et idololatras reprehendit, sed laudavit fidem, et impertitus est eis sanitatem. Commendavit Deus venerationem reliquiarum in persona *Petri*, cuius tanta erat auctoritas, *ut in plateas eiicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Ierusalem, afferentes aegros, et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes* (4). Quodsi tantum valuit umbra transeuntis, multo magis valebit corpus iam cum Christo regnantis. Commendavit quoque Deus cultum reliquiarum in persona *Pauli*, de quo Act. XIX, 11 legitur: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria, et semicinctia; et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur*. Certe qui tanta fiducia sudaria et semicinctia B. Pauli ad suorum sanationem infirmorum adhibebant, ea singulari aliqua veneratione prosequebantur, alioque loco et pretio habebant, quam sudaria, quae vulgarium hominum in usu essent. Eiusmodi autem devotionis, et confidentiae sensus non solum nullibi in Ss. Bibliis reprehensi, sed per insignia miracula a Deo approbati fuerunt. Vere igitur Protestantes a S. Scripturae doctrina recedunt, dum sanctarum cultum reliquiarum eliminatum volunt, et tanquam superstitiosum condemnant.

2. *Ss. Patres* pro Ss. reliquiarum cultu honesto, pio et utili testes sunt omni exceptione maiores. *Auctor Constit. apost.* (5) ait: « Eorum, qui apud Deum vivunt, ne reliquiae quidem corporum sunt sine honore, » quod exemplo Elisei et Iosephi Aegypt. probatur; dein subiungit: « Quocirca et vos Episcopi, ac reliqui ne existimate pollui, si mortuos contingere, et tractare non caveatis: neque eorum reliquias aversemini, eiectis huiusmodi observationibus stultis. » *S. Cyprianus* (6) ad presbyt. et diac. Eccl. carthag. scribit: « Corporibus etiam omnium, qui etsi torti non sunt, in carcere tamen glorioso mortis exitu excedunt, impertiatur et vigilantia, et cura propensior: — denique et dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. » *S. Athanasius* in vita S. Antonii scribit, relictum sibi fuisse ab Antonio pallium tritum; additque: « Legatarius Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio

(1) II Paral. 35, 25. (2) Matth. 9, 20.
(3) Matth. 14, 36. (4) Act. 5, 15, etc.
(5) Lib. 6, c. 29. (6) Epist. 73.

eius meruit accipere. Antonium in Antonii muneribus amplectitur, et tanquam magna haereditate ditatus laetanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. » De eodem *S. Antonio* refert *S. Hieronymus* in vita S. Pauli Eremitae, quod ille Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam adeptus, eandem in reverentiam Pauli induere solitus fuerit diebus tantum solemnioribus, paschatis nempe et pentecostes. *S. Ephraem Syrus* in carmine 14 syr. (1) canit: « Fides, quam iusti in membris suis portarunt, nunc quoque se manifestat ex sepulcris eorum quovis tempore. Amor veritatis, quem in carne viventes conservarunt, exurgit ex sepulcris eorum in auxilium hominum. Fontes vitae sunt corpora iustorum defunctorum. Mundus testis est omnium curationum quovis in loco. » *S. Cyrillus Hier.* (2) inquit: « Ut non animae solum iustorum honorarentur, sed crederetur, etiam in iustorum corporibus iacere vim penitus insitam, proiectus in monumentum Elisei mortuus, mortuum Prophetae corpus attingens, vitam concepit. » *S. Basilius* (3) dicit: « Pro legis iudaicae ritu si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi: contra mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine pretiosae censentur reliquiae sanctorum eius. In priori lege dicebatur sacerdotibus: *Non contaminabitur super ullo mortuo.* Nunc e diverso martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadantenus sanctificationis particeps. » *S. Gregorius Nazianz.* (4) adv. Iulianum ita loquitur: « Martyribus praeclari honores, et festa constituta sunt, a quibus daemones propelluntur, et morbi curantur, quorum apparitiones et praedictiones, quorum vel sola corpora idem possunt, quod animae sanctae, sive tangantur, sive honorentur, quorum vel solae sanguinis guttae, atque exiguae passionis signa idem possunt, quod corpora. » *S. Gregorius Nyss.* Orat. de S. Theodoro ait: « Praesentem sanctorum statum inspiciamus, quam praeclarus et magnificus sit. Nam anima quidem, ex quo sublimis abiit, in suo loco acquiescit, et corpore soluta cum suis similibus una vivit: corpus vero venerandum, et immaculatum eius instrumentum... cum multo honore et cultu compositum atque ornatum in augusto sacroque loco situm est; quod veluti res cara magnique aestimata atque recondita in tempus regenerationis reservatur. » Dein describit devotionem et fiduciam fidelium ad sepulcrum Martyris accedentium, et subdit: « Nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua eiusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam id sit multum optandum, et desiderandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, et eius desiderii compotes facti. » *S. Hilarius* (5) scribit: « Sanctus ubique Bb. Martyrum sanguis exceptus est, et veneranda ossa quotidie testimonio sunt, dum in his daemones mugiunt, dum aegritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur. » *S. Ambrosius* (6) inquit: « Condant alii aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis, legant pretiosa monilium serta; temporalis ille thesaurus est, saepe habentibus perniciosus: nos legimus martyris clavos, et multos quidem, et plura fuerunt vulnera, quam membra..... Munera itaque salutis accipite, quae nunc sub sacris altaribus

(1) Tom. 3 syr. (2) Cateeh. 18, n. 16.
(3) Hom. in Ps. 115, n. 4.
(4) Orat. 4 (al. 3), prior Invectiva, n. 69.
(5) Lib. c. Constant., n. 8.
(6) Exhort. virgin. c. 2, n. 9, etc.

reconduntur»(1). *S. Io. Chrysostomus* Hom. in Ss. Mm. et Virgines Bernicen et Prosdocen etc., num. 7 dicit: « Fortasse non mediocri erga Sanctas illas amore exarsistis: cum hoc igitur ardore coram ipsarum reliquiis procidamus, ipsarum capsulas complectamur; multam enim possunt virtutem capsulae martyrum obtinere, quemadmodum et ossa martyrum vim magnam habent. Neque die tantum huius festivitatis, sed aliis etiam diebus iis assideamus, eas obsecremus, obtestemur, ut patronae sint nostrae; multam enim fiduciam obtinent non viventes modo, sed et mortuae, multoque magis cum iam sint mortuae: iam enim stigmata ferunt Christi; cum autem stigmata haec ostenderint, omnia Regi possunt persuadere. » Et in Homil. in S. M. Ignatium n. 5 ait: « Quisquis cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modo corpora, sed ipsi loculi, et monumenta spirituali gratia referta sunt. Nam si in Eliseo id contigit, ut defunctus sepulcrum eius contingens mortis vincula dissolverit, et ad vitam redierit, multo magis hoc tempore, quo gratia uberior, spiritus maior est vis, ut si cum fide aliquis arcam attingat, magnam inde virtutem hauriat. » Similia habet in Hom. in S. Meletium in fine, Hom. 2 de Ss. Martyribus in fine, atque alibi. *S. Hieronymus* in libro adversus Vigilantium (2), totus in eo est, ut cultum Ss. reliquiarum vindicet, eumque antiquissimum, et universalem esse in Ecclesia Christi, ostendat; et (3) inter alia dicit: « Male facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vile pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria? et non solum unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi... qui ingrediuntur basilicas mortuorum, in quibus pulvis vilissimus, et favilla, nescio quae, iacet linteamine convoluta?... Rides de reliquiis martyrum, et cum auctore huius haeresis Eunomio Ecclesiis Christi calumniam struis. » *S. Augustinus* (4) inquit: « Providentia Creatoris cadaveribus Martyrum tam praeclara miraculorum testimonia praestando abundantiorem honorem exsanguibus reliquiis hominum circumponit, et quod vita emigrante tanquam deforme iam remanet, ibi evidentius praesens vitae dator apparet. » Et alibi (5): « Martyr Stephanus - illas terras passus illustravit; istas mortuus visitavit. - Sed mortuus non visitaret, nisi et mortuus viveret. Exiguus pulvis tantum populum congregavit; cinis latet, beneficia patent. Cogitate charissimi, quae nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta praestat de pulvere mortuorum. » S. *Gaudentius Brixiensis* (6) in Dedic. Basilicae Concilii Ss. dicit: « Venerabiles ipsas martyrum quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus percolendas, licet ex illo iam tempore (quo mihi traditae fuerunt) celebritas debita nunquam defuisse nostri cognoscatur officii, praeclaris eorum beneficiis salutariter mancipata. » Et inferius addit: « Portionem reliquiarum sumpsimus, et nihil nos minus possidere confidimus, dum totos quadraginta in suis favillis honorantes amplectimur: sicut illa in Evangelio fidelis mulier, quae per fimbriam Christi salvata est, oram tenuit vestimenti, et virtutem Divinitatis exegit. » *S. Leo M.* (7)

(1) Cf. Epist. 22 praec., n. 12, etc.
(2) N. 4-13. (3) N. 8, etc.
(4) Serm. 276, n. 3. (5) Serm. 317, n. 1.
(6) Tr. 17, seu Ser. (7) Ep. 89 (al. 59), c. 2.

Pulcheriam Augustam laudat, quod christianam fidem defenderit, et « reliquias sanctae memoriae Flaviani innocentis, et catholici sacerdotis ad Ecclesiam debito honore fecerit revocari. » *S. Isidorus Pelus.* (1) scribit: « Si te istud offendit, quod cinerem corporum Ss. martyrum propter eorum erga Deum charitatem, atque constantiam honore afficiamus, eos, qui ab ipsis medicinam accipiunt, interroga, et quot morbis remedium afferant, intellige. Sic fiet, ut non modo id, quod a nobis fit, non irrideas, cavillisque incessas, verum etiam, quod recte, et cum laude fit, imiteris. » *S. Io. Damascenus* (2) inquit: « Dominus sanctorum reliquias veluti salutares fontes praebuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit. »

3. Antiquissimam esse *praxim Ecclesiae*, martyrum reliquias colligendi, eisque maximum honorem deferendi, plurima monumenta ostendunt. Fideles magna semper reverentia prosecutos esse Cathedram *S. Iacobi* Apostoli et Episcopi hieros. testatur *Eusebius*, lib. 7 histor. eccl., cap. 14. — Acta genuina *S. Ignatii M.* referunt, quod corpore eius Romae a feris consumpto, « solae duriores sanctarum eius reliquiarum partes relictae sunt, quae Antiochiam delatae sunt, thesaurus sane inaestimabilis ob Martyris gratiam Ecclesiae relictus. » *Ecclesia Smyrnensis* in Epistola encyclica de martyrio *S. Polycarpi* narrat: « Ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis chariora, et quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. » Ideo autem tanta sollicitudine has reliquias collegerunt, ut eas cultu religioso prosequerentur, seu ut in citata Epistola (3) legitur: *Ut communicarent sancto cadaveri:* « Quae quidem phrasis, ait *Cl. Perrone* (4) desumpta est ex Apostolo Rom. XII, 13 iubente sanctorum necessitatibus communicare. Hic autem locus imprimis notabilis est, ut observat *Valesius*, quippe qui vetustissimam Christianorum consuetudinem, ac praeterea rationem eius ostendit. Ideo enim reliquias martyrum aliquas habere tanto studio optabant, ut cum iisdem etiam mortuis communicarent. Nec contenti ea communione sanctorum, quam Ecclesia catholica profitetur, per fidem scilicet, spem et charitatem, per sacras etiam eorum reliquias, et pignora cum ipsis communicare cupiebant. Itaque eorum reliquias in coemeteriis honorifice condebant, ibique quotannis convenientes, anniversarium martyrii diem celebrabant, hac ratione cum defuncto martyre perpetuo communicantes. Certe *Optatus* de schismat. Donat. lib. 2 illud Apostoli, prout olim legebatur: *Memoriis sanctorum communicantes* ita interpretatur, ut idem significet quod offerre ad sepulcra martyrum. Nec aliter sumit *Hilarius* in libro contra Constantium sub finem. De hac communione loquitur *Marcellinus*, presbyter in libello precum ad Valentinianum Imperatorem. Et haec quidem de cultu publico reliquiarum, quae in coemeteriis recondebantur. Fuit et alius mos subsequenti aetate, ut singuli fidelium reliquias martyrum, quascunque nancisci potuerint, domi honorifice servarent. » *Pontius* in vita *S. Cypriani* memoriae prodidit, fideles summo studio linteamina et oraria substraxisse, ut S. Cypriani sanguinem ex-

(1) Lib. 1, Epist. 55.
(2) Lib. 4 de fide, c. 15.
(3) Ap. Euseb. lib. 4 hist. eccl., cap. 15.
(4) De Sanct. cultu, c. 4, in nota ad n. 86.

ciperent, et ne martyris cruor in terram defluens absorberetur. Hinc inde reliquiae martyrum a fidelibus cum magno vitae discrimine collectae, vel etiam magno pretio emptae fuerunt, ut varia exempla prostant in actis genuinis collectis a *Ruinart*. Sic, ex. gr., *Aglais*, nobilis matrona romana, Bonifacium servum suum in orientem misit, ut reliquias martyrum afferret, et cum ipsemet *Bonifacius* martyrium subiisset, pro ipsius corpore 500 numismata soluta sunt. Ipsis persecutoribus ethnicis satis notum erat, quanta sollicitudine Christiani martyrum reliquias colligerent, et quanta religione colerent: hinc martyrum cadavera, ne a Christianis colerentur, gladiatorum corporibus commiscebant, in amphitheatris feris, in aquis piscibus, ut vorarentur, exponebant; ac ne quidpiam eorum superesset, quod Christiani colere possent, eadem comburere, et cineres in ventum spargere consueverunt. Ast, non obstantibus his impietatis conatibus, fideles nihilominus martyrum reliquias aut per noctis tenebras, aut per miracula adiuti collegerunt, et in loco honesto collocarunt, appositis martyrii signis, nempe effigie palmae, interdum vero piscis aut columbae, una cum vasis vitreis, aut ampullis plenis sanguine (1). Antiquissimus porro est Ecclesiae mos, super martyrum sepulcra altaria erigendi, et sacrificium Deo Altissimo offerendi. Huius consuetudinis monumenta exhibent acta S. *Stephani Papae* ap. Bolland. (2), et *Constitutiones apostolicae* (3) dicentes: « Congregamini in coemeteriis lectionem sacrorum librorum facientes, atque psallentes pro defunctis martyribus, et omnibus a saeculo sanctis.... Eucharistiam offerte in Ecclesiis vestris, et in coemeteriis. » Eiusdem consuetudinis S. *Augustinus* (4) hanc reddit rationem: « Tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani bibitur sanguis Christi, quanto devotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. » S. *Ambrosius* (5) ait: « Sanctorum reliquiae sub altari ponuntur, ut succedant victimae triumphales in locum ubi Christus hostia est: sed ille super altare, quia pro omnibus passus est: isti sub altare, quia illius redempti sunt passione. » Et S. *Paulinus* Poëm. 24 Natalis S. Felicis M. 9 (6) canit: « Nam quasi contignata sacris coenacula tectis, spectant de superis altaria tota fenestris, sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem. Namque et apostolici cineres sub coelite mensa depositi, placitum Christo spirantis odorem pulveris inter sancta sacri libamina reddunt. » De eadem ecclesiastica disciplina idem S. Pater plura disserit in Epist. 11 et 12 ad Severum.

4. *Miracula* multa a Deo patrata sunt, tum ad gloriam martyrum promovendam, tum ad fideles eorum reliquias venerantes remunerandos, tum ad illorum persecutores terrore afficiendos. *Eusebius* (7) sequentia narrat: « Simul atque sanctissimum et beatissimum Martyrem *Apphianum* medio mari, ut illis videbatur, in profundissimos vortices conieceranat, ex improviso tanta procella, non usitata illa quidem, tanta etiam turbatio non per mare solum, sed per universum continentem se diffundebat, ut cum terra, tum tota civitas eius impetu et violentia concuteretur, atque una cum isto mirando

(1) V. Arringhium in opere: Roma novissima, tom. 2, lib. 4, c. 48.
(2) Die 2 Augusti. (3) Lib. 6, cap. 30.
(4) Serm. 310, n. 2. (5) Epist. 22, n. 13.
(6) Edit. Antwerp. 1622, pag. 609, etc.
(7) Lib. 8 hist. eccl., cap. 14.

et repentino terrae motu ipsum mare Martyris cadaver, utpote tam sacrum pondus sustinere non valens, ante portas civitatis eiiceret. » *S. Gregorius Naz.* (1) in laudem S. Cypriani M., cum eius virtutes collaudasset, adiungit: « Vestrum est iam ea, quae supersunt, a vobismetipsis adiungere, ut nonnullum ipsi quoque martyri munus offeratis, daemonum nimirum oppressionem, morborum depulsionem, futurarum rerum praenotionem, quae quidem omnia vel ipsi cineres Cypriani, modo adsit fides, efficiunt, quemadmodum norunt, qui huius rei periculum fecerunt, ac miraculum ad nos usque transmiserunt, eiusdemque memoriam posteris quoque tradituri sunt. » *S. Ambrosius* Epist. 22, cap. 9 plura miracula refert, quae apud reliquias Ss. Mm. Gervasii et Protasii contigerunt, et addit: « Plures alii a daemoniis purgati sunt, plurimi etiam ubi vestes Sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus absoluti sunt, repetita vetusti temporis miracula... Quanta oraria iactitantur? quanta indumenta super reliquias sacratissimas, et tactu ipso medicabilia reposcuntur? » — Et ibid. (2) insigne miraculum narrat scribens: « Notus homo, Severus nomine, lanius ministerio, ut contigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacrae reliquiae vestiebantur, caecus cum esset, redditum sibi lumen sensit. » S. *Chrysostomus* Hom. de Sancta Droside M. n. 2 illos, qui contendunt, martyres a daemonibus seductos, seu praestigiis deceptos vitam suam neglexisse, confutat dicens: « Quis haec rationi consentanea iudicet? Quod si decepti sunt, qui fit, ut eorum pulverem daemones pertimescant? qui fit, ut eorum etiam tumulos fugiant? Neque enim id eis (ethnicis magis et praestigiatoribus) accidit, quod mortuos daemones reformident. Ecce enim mortui sunt ubique terrarum innumeri, et illis assident, qui in desertis ac sepulcris degunt: ubi vero martyrum defossa sunt ossa, inde tanquam ab igne quodam et intolerando supplicio resiliunt, ac virtutem ipsos intus flagellantem clara voce divulgant. » Et ibid. n. 4 ait: « Quod nec divitiae, nec aurum praestare queunt, hoc reliquiae martyrum praestant: siquidem aurum neque morbos unquam depulit, neque mortem abegit; ossa vero martyrum utrumque perfecerunt, illud quidem nostrorum maiorum aetate, hoc vero nostra etiam contigit. » *S. Hieronymus* lib. adv. Vigilantium (3) scribit: « Argumentatur Vigilantius contra signa, atque virtutes quae in basilicis martyrum fiunt, et dicit, ea incredulis prodesse, non credentibus, quasi nunc hoc quaeratur, quibus fiant, et non qua virtute fiant. Esto, signa sint infidelium, qui quoniam sermoni et doctrinae credere noluerunt, signis adducuntur ad fidem; et Dominus incredulis signa faciebat, et tamen non idcirco Domini suggillanda sunt signa, quia illi infideles erant, sed maiori admirationi erunt, quia tantae fuere potentiae, ut etiam mentes durissimas edomarent, et ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt, sed responde, quomodo in vilissimo pulvere et favilla, nescio qua, tanta sit signorum virtutumque praesentia. Sentio, sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui haec te cogit scribere, saepe hoc vilissimo tortus est pulvere, imo hodieque torquetur; et qui in te plagas dissimulat, in caeteris confitetur. Nisi forte

(1) Or 24, n. 18.

(2) N. 17.

(3) Cap. 4.

in morem gentilium, impiorumque Porphyrii et Eunomii has praestigias daemonum esse confingas, et non vere clamare daemones, sed sua simulare tormenta. Do consilium; ingredere basilicas martyrum et aliquando purgaberis. » *S. Paulinus Nol.* testatur, apud sepulcrum S. Felicis M. obsessos fuisse liberatos, et aegros mirabiliter sanatos; ait enim Poëm. 18 (1): « Martyris ostendit meritum, cum iure potenti daemones exercet, devinctaque corpora solvit: » et ibid. (2): « Tum si quas graviore malo violentior hostis vinxerit, ista dies divino munere solvit. » Et Poëm. 22 (3), narrat miraculum Theridii, qui unco in oculo percussus, non audens ferrum extrahere, ne et oculus cum illo simul exiret, se S. Felicis devotis commendavit precibus, « et statim lubricus uncus ex oculo cadit absque oculo, tantum unda secuta evomuit lacrymis, quem suppuraverat, aestum. Mox oculus tanti purgatus nocte pericli, tam puro enituit speculo, quam nunc quoque sanus cernitur, aeterni collucens munere Christi. » *S. Augustinus* l. 9 Confess. cap. 7, loquens de inventione corporum Ss. Mm. Gervasii et Protasii, dicit: « Cum propalata et effossa digno cum honore ad ambrosianam basilicam transferrentur, non solum, quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem daemonibus sanabantur, verum etiam quidam plures annos caecus civis, civitatique notissimus, cum populi tumultuantis laetitiae causam quaesivisset, atque audisset, exsilivit, eoque se ut duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosae in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuae ferventes lucentes, inde illius inimicae (nempe Iustinae Imperatricis arianae) animus, etsi ad credendi sanitatem non ampliatus, a persequendi tamen furore compressus est. » Lib. 22 de Civ. Dei, cap. 8, multa miracula refert, quae illo aevo contigerunt, sic n. 10 narrat: « Ad aquas Tibilitanas afferente Praeiecto reliquias martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnae multitudinis concursus, et occursus. Ibi caeca mulier, ut ad Episcopum portantem (pignora sacra) duceretur, oravit: flores, quos ferebat, dedit, recepit, oculis admovit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, praeibat exultans, viam carpens et viae ducem ulterius non requirens. » Et n. 11: « Memorati memoriam martyris, quae posita est in castello Sinitensi, quod Hipponensi coloniae vicinum est, eiusdem loci Lucillus Episcopus, populo praecedente et sequente, portabat. Fistula, cuius molestia iamdiu laboraverat, et familiarissimi sui medici, qui eam secaret, operiebatur manus, illius piae sarcinae vectatione repente sanata est: nam deinceps eam in suo corpore non invenit. » Et n. 16: « Sanctimonialis quaedam in vicina possessione, quae Caspaliana dicitur, cum aegritudine laboraret, ac desperaretur, ad eandem memoriam (nempe ad reliquias S. Stephani) tunica eius allata est; quae antequam revocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerunt cadaver eius parentes, et recepto spiritu salva facta est. » *Gregorius Turonensis* libros septem miraculorum scripsit, quae ad sepulcra martyrum, et confessorum divinitus gesta sunt. *S. Gregorius M.* (4) inquit: « Ad Ss. Mm. Processi et Martiniani corpora

(1) Natal. 3, vv. 21, etc. (2) Vv. 34, etc. (3) Nat. 7, vv. 258, etc. (4) Hom. 32 in Ev.

consistimus, fratres mei. Numquid isti carnem suam in mortem darent, nisi iis certissime constitisset, esse vitam, pro qua mori debuissent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta enim eorum corpora viventes aegri veniunt, et sanantur. Quomodo ergo illi vivunt, ubi vivunt, si in tot miraculis vivunt hic, ubi mortui sunt? » — Omnem fidem historicam e medio tollat, necesse est, qui asserere praesumit, viros doctissimos et sanctissimos, quos tota Ecclesia ut Patres suos veneratur, aut deceptos fuisse, aut mendacia proferre voluisse, quae a Gentilibus, Iudaeis et haereticis cum maxima Catholicorum confusione facile refutari potuissent. Quod si de veritate miraculorum constat, invicte ex iis probatur, cultum Ss. reliquiarum licitum, pium et utilem esse. Sicuti enim Deus miracula non patrat ad falsam religionem confirmandam, ita neque ad cultum illicitum et superstitiosum promovendum (1).

5. *Ex Conciliis* quoque probatur, cultum reliquiarum licitum, pium et utilem esse. *Gangrense* can. XX anathema dicit iis, qui basilicas et memorias martyrum, id est loca, in quibus sunt martyrum reliquiae, contempserint. *Conc. Carthaginense V* can. XIV praecepit, ne altaria absque reliquiis martyrum extruerentur. *Bracarense III* can. V statuit, in supplicationibus thecam reliquiarum gestari debere manibus Episcoporum, aut aliorum sacerdotum, populo praecedente et sequente. *Epaonense* can. XXV iubet, reliquias sanctorum non poni in Ecclesiis, ubi non sunt clerici, qui sacris cineribus psallendi frequentia non famulentur. *Nicaenum II* Act. III ait: *Servator noster Christus fontes salutares sanctorum, reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes.... atque id per Christum, qui in ipsis habitat.* Et Act. VII Episcopos aut clericos deponi iubet, monachos vero et laicos communione privari, qui reliquias martyrum contemnunt, et non ut rem sacram tractant. Imo iam ante *Concilium Nicaenum II* quicunque cultum Ss. reliquiarum reprobarunt, ut *Eunomius* et *Vigilantius*, tanquam haeretici ab Ecclesia habiti et condemnati sunt, ita ut *Gennadius* (2) scribat: « Sanctorum corpora, et praecipue Bb. martyrum reliquiae, utpote Christi membra, sincerissime honoranda sunt. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus sed eunomianus et vigilantianus creditur. » Ideo etiam in *Conc. Constantiensi* damnati sunt Wiclefitae, cultum reliquiarum reprobantes; et in Bulla *Martini V* (*Inter cunctas*) inquisitores suspectum de fide investigare iubentur, *utrum credat et asserat, licitum esse, sanctorum reliquias a Christi fidelibus venerari.* - Denique *Conc. Tridentinum* Sess. XXV de invocatione etc. germanum Ecclesiae sensum circa Ss. reliquiarum cultum contra Novatores adstruit his verbis: *Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda a fidelibus veneranda esse* (*Episcopi docent*); *per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur; ita ut affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis implorandae causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse* (*mandat*

(1) Cf. Theol. gen. § 66, Resp. ad Obi. 3.

(2) Lib. de eccles. dogm. cap. 73.

S. Synodus), *prout iam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.* Professio fidei Tridentina hunc articulum habet: *Constanter teneo, sanctorum reliquias esse venerandas.*

6. *Ratio* per fidem illustrata cultum Ss. reliquiarum non solum reprobare nequit, sed etiam approbare tenetur. Considerandum nempe est, quid corpora, quae modo ab animabus separata sunt, aliquando fuerunt, et quid futura erunt. Fuerunt animabus sanctis strictissimo vinculo iuncta; et quamvis actus morales ab anima eliciantur, attamen in corpore et cum corpore perficiuntur; quapropter etiam corpus cum anima et propter animam de illorum honore et gloria participat. Hinc *S. Augustinus* (1) inquit: « Non contemnenda et abiicienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera usus est Spiritus sanctus. » Maiori honore corpora sanctorum digna sunt, si futura eorum sors attendatur. Nam si principes haereditarii propter gloriam throni, in quem aliquando ascensuri sunt, maximis iam quanquam pueri honoribus afficiuntur, multo magis corpora sanctorum honorari merentur, quae in resurrectione summam in regno coelesti gloriam consecutura sunt. Istae quidem rationes non militant pro reliquiis, quae non sunt corporis partes: sed ipsa natura quodammodo homines instigat ad omnia ea magni facienda, quae cum personis valde honoratis et dilectis arcte coniuncta fuerunt, et ad earum memoriam conservandam idonea sunt. Hinc *S. Augustinus* l. c. ex hoc ipso naturali instinctu ita argumentatur: « Si enim paterna vestis et annulus, et si quid huiusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, que utique multo familiarius atque coniunctius, quam quaelibet indumenta gestamus. » Ex eodem autem naturali instinctu recte infertur, rationi consentaneum esse, illas quoque reliquias venerari, quae ad corpora sanctorum non pertinent. Ab ipsis Protestantibus Lutheri, Calvini et aliorum chirographa, vestimenta, utensilia etc. in maximo honore habita fuisse constat: quanto rectius ergo sanctorum reliquias veneramur, quae maxime idoneae sunt ad vivam illorum memoriam in nobis excitandam, et quae ideo nos ad bona opera exercenda animant, stimulos addunt, ut eorum vestigiis sedulo insistamus, fidem roborant, spem augent, charitatem perficiunt, amorem virtutis inspirant. Certe talis talium reliquiarum cultus ab ipsa ratione ut pius, honestus et utilis approbatur.

Nota. Dogma catholicum hucusque probatum etiam contra adversariorum conamina defendendum est.

Obi. I. Deus ipse corpus Moysis sepelivit et occultavit, ne coleretur ab Hebraeis; legitur enim Deut. XXXIV, 6: *Et sepelivit eum in valle terrae Moab contra Phogor, et non cognovit homo sepulcrum eius usque in praesentem diem:* ergo facto ipso ostendit, nullum cultum sanctorum cineribus esse deferendum. Quae autem pro isto cultu a Catholicis ex V. T. petuntur, inania sunt. Nam translatio ossium Iosephi non probat religiosam adorationem, sed impletionem mandati Iosephi, Gen. L, 25. Quamvis autem per ossa prophetarum mira contigerint, nullibi tamen legitur, istorum reliquias altaribus impositas, veneratas et invocatas fuisse.

Resp. Nullibi in S. Scriptura legitur, Deum ideo sepelivisse et occul-

(1) Lib. I de Civ. Dei, cap. 13.

tasse corpus Moysis, ut ostendat nullum cultum cineribus sanctorum deferendum esse: undenam ergo hanc intentionem divinam norunt et probant Protestantes? — Dici utique posset, Deum corpus Moysis Israëlitis surripuisse, quia tam pretioso thesauro indigni erant, qui toties contra virum sanctum murmuraverant. Quidam putant, corpus Moysis in monte Sinai, sed in loco ignoto sepultum fuisse, ut Israëlitae ad istum montem corpore, aut saltem spiritu saepius accedentes legis divinae in illo per Moysem promulgatae frequentius recordarentur. Communiter autem theologi catholici cum *S. Chrysostomo* (1) dicunt, Deum Moysis sepulcrum occultasse, ne iudaicus populus ad idololatriam valde pronus, qui vitulum aureum in deserto adoraverat, Moysis corpus divino cultu et honore prosequeretur. Neque dicas: cum Iudaei Moysem viventem nunquam adoraverint ut Deum, periculum non erat, ne mortuum ut Deum colerent. Respondeo enim, quod viventem non coluerint, quia quotidie ab illo audiebant, unum esse verum Deum, se autem illius servum: ast vero post mortem Moysis, Iudaei miracula illius perpendentes facile potuissent adduci, ut eum Deum esse crederent. Exemplum habemus in serpente aeneo; nam Num. XXI iubente Moyse aspiciebant Iudaei, tacti a serpentibus, illum aeneum serpentem, et curabantur; nec tamen eum adorabant cultu latriae, quia nimirum Moyses dixerat illis, serpentem illum non esse Deum, sed signum dumtaxat salutis: at IV Reg. XVIII eidem serpenti tanquam Deo sacrificabant, cum tamen iam nulla operaretur miracula, et ideo ab Ezechia confractus fuit. Sapientissime ergo Deus ad amovendum a Iudaeis idololatriae periculum corpus Moysis occultavit. Inter Christianos autem cum nullum tale periculum immineat, vult Deus amicorum suorum cum Christo in coelo regnantium corpora in pretio haberi ac veneratione; hancque voluntatem suam nobis tum per Ecclesiam, tum per crebra prodigia manifestavit. Quod attinet Gen. L, 25, esto, quod simul ad impletionem mandati Iosephi Israëlitae illius ossa ex Aegypto demigrantes secum tulerint; simul tamen venerationis causa id fecerunt; et iisdem aliquid honore digni inhaesisse, manifestum inde est, quod (2) Deus ossa haec visitaverit. Firmum ergo stat argumentum nostrum; nam certe pium et utile est, venerari ea, quae Deus ipse gloria afficit, et per quae hominibus beneficia praestare consuevit. Quod vero Iudaei ossa prophetarum e sepulcro non exaltaverint, altaribus non imposuerint, ad ea peregrinationes non instituerint etc., id nihil in oppositum probat, cum eiusmodi ritus ad disciplinam pertineant; sed tantum ex hoc consequitur Israëlitas non consuevisse prophetarum ossa ex sepulcro extrahere, non vero quod in honore apud ipsos non essent, et venerabilia, id quod summam controversiae conficit. Memores etiam semper simus oportet, non omnia scripta esse, quae Israëlitae gesseruut, et ideo patet, argumenta adversariorum negativa nullius esse momenti.

Obi. II. Christus pharisaeis exprobrat erectionem monumentorum in honorem prophetarum et sanctorum his verbis: *Vae vobis, scribae et phasaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta iustorum* (3): per quae verba etiam cultus reprobatur, quem Catholici reliquiis deferunt. Et Paulus scri-

(1) Hom. 5 in Matth.

(2) Eccl. 49, 13. (3) Matth. 23, 29.

bit: *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus* (1). Hoc ipsum igitur, quod carnale fuit in Christo, oblivioni tradendum est: ergo multo magis, quod carnale fuit in sanctis.

Resp. Male nobis opponuntur verba Christi, quae potius pro nobis, quam contra nos militant. Nam, ut observat *Vasquez* (2), si aedificare sepulcra prophetarum, et ornare monumenta iustorum ex se malum esset et superstitiosum, non potuissent scribae et pharisaei propter illud peccatum appellari hypocritae: sed quia sub illo opere, quod ex se pium et honestum erat, animum iniquum tegebant, hypocritae sunt appellati. Christus ergo scribas et pharisaeos increpuit, quia, ut interpretantur *S. Hilarius*, *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus* et *V. Beda*, non imitabantur eos, quorum monumenta ornabant, sed potius eos, qui prophetas occiderunt. Apposite *S. Chrysostomus* ita obiecta Christi verba exponit (3): « Non quia aedificant, nec quia patres suos accusant, vae illis dixit, sed quia ita facientes, et ita docentes patres sucs condemnare audebant, cum ipsi peiora committerent. » Christus nempe non obscure hic de se praedicit, quod instigantibus scribis et pharisaeis occidendus sit, atque ideo vae illis dicit, quia sub actu pio et religioso animum pessimum occultabant, et cum dicerent: *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum* (4), ipsum tamen Dominum prophetarum occidere studebant, et sic mensuram impietatis patrum suorum impleturi erant (5). — Multo minus locus Pauli nobis contrarius est, quamvis vario modo exponatur. Nam, iuxta *S. Chrysostomum*, *Theodoretum*, *S. Hieronymum*, *Patres Conc. Nicaeni II* et alios, hunc sensum habet: Tametsi primo illo tempore novimus Christum secundum carnem, hoc est passibilem, post resurrectionem tamen, in qua non substantiam carnis, sed eius passibilitatem et mortalitatem amisit, iam non novimus passibilem. *Card. Caietanus* aliter, congrue tamen, hunc locum interpretatur referendo particulam *nunc* non ad Christum, sed ad ipsum Paulum, quasi diceret: Tametsi aliquando, cum essem in Iudaismo, Messiam carnali ac temporali imperio regnaturum crederem et exspectarem, et ideo tunc ipsum secundum carnem, non vero secundum spiritum cognoscerem: nunc vero veram fidem consecutus cognosco et credo, Christum verum esse Messiam et Regem non in carnali regno, sed spirituali regnantem. Alii cum *S. Bernardino a Piconio* ad omnes Apostolos verba Pauli referunt hoc sensu: Si Christum nobis praesentem cognovimus, dileximus, eique adhaesimus secundum carnem, seu humanos cordis nostri affectus, sicut amicus amicum diligit; *nunc* iam talis affectus per Spiritum sanctum cessavit in nobis. - In nullo sensu declaratus locus Pauli doctrinae nostrae adversatur: ex interpretatione autem adversariorum sequeretur, post resurrectionem non esse Christum cum carne adorandum, quod ipsi Protestantes non admittunt.

Obi. III. Altum extat silentium apud Patres trium priorum saeculorum circa sanctarum reliquiarum venerationem, quas Christiani tempore Apostolorum nec collegerunt, nec coluerunt. Sic nihil legimus, viros ti-

(1) II Cor. 5, 16.
(2) Lib. 3 de cultu adorat., Disp. 3, c. 3.
(3) Hom. 24 (al. 25), in Matth. n. 1.
(4) V. 30. (5) V. 32.

moratos S. Stephanum protomartyrem sepelientes sibi reservasse quasdam illius reliquias; neque etiam ab Apostolis ac piis mulieribus legimus esse collectas reliquias Christi, nempe vestes, linteamina, instrumenta passionis eius, quemadmodum etiam nihil in hanc rem ab Apostolis scripto relictum habemus. Hic accedit, quod Patres trium primorum saeculorum, qui gnosticos et alios haereticos resurrectionem carnis negantes oppugnarunt, optime ad cultum reliquiarum provocare potuissent; quod tamen non fecerunt. Certo ergo affirmari potest, saeculo demum quarto usum irrepsisse reliquias colligendi, sub altaribus condendi, thecis includendi, circumgestandi, venerandi et invocandi. Iste autem usus non a Christo vel Apostolis praescriptus, sed multo tardius introductus, penitus est reiiciendus.

Resp. Argumenta negativa, quae nobis obiiciuntur, eo minus allata iam argumenta positiva enervant, quo facilius silentii ratio redditur. Constat autem, ex tribus primis saeculis pauca scripta ad nos pervenisse, quae potissimum in erroribus et calumniis ethnicorum, Iudaeorum et haereticorum refellendis occupantur; de sacris autem Christianorum ritibus, qui ab adversariis non impugnabantur, caute servata est disciplina arcani. Generatim enim in primis tribus saeculis doctrina Christi et Apostolorum multo magis per oralem, quam per scriptam institutionem propagata est. Silentium autem scriptorum abunde supplent facta publica et testatissima, quae longe profecto validiora sunt ad aliquid probandum, quam singularia testimonia, et quorum plura iam commemoravimus, ita ut sufficiant ad doctrinam et fidem Ecclesiae manifestandam. Si Apostoli et piae mulieres reliquias non collegerunt, ideo culpari non debent; a tam pio opere enim eos impediebat tristitia de morte Christi, metus Iudaeorum, et postea exortum de Christi resurgentis victoria gaudium. Caeterum attendi iterum debet, non omnia scripta esse, quae Apostoli, viri timorati et piae mulieres fecerunt. Si reliquiae Christi, S. Stephani et aliorum post redditam Ecclesiae pacem publice ostensae et veneratae fuerunt, recte infertur, eas a Christianis collectas, in honore habitas, et caute custoditas fuisse. — Quod si haereticis resurrectionem impugnantibus non opposuerunt Patres receptum reliquiarum cultum, ideo est, quia ipsum urgere non poterant adversus illos, qui indirecte saltem reiiciebant pariter dogma istud, cuius velut fundamentum est futura corporum resurrectio. Id ipsum dicatur de iis, qui adversus gnosticos disputabant. Etenim si gnostici martyriis refragabantur, a fortiori oppugnare debebant martyrum cultum, eorumque reliquiarum venerationem. — Falso denique clamitant Protestantes, cultum Ss. reliquiarum saeculo quarto introductum fuisse; distingui enim debet dogma a disciplina. Idem tribus prioribus saeculis dogma viguisse, post allata documenta in dubium revocari nequit. Disciplina autem, ad quam ritus diversi referuntur, varia esse potest, prout postulant aut ferunt diversa temporum, locorum aut personarum adiuncta. Iam vero quomodo potuissent primi Christi fideles, dirissima saeviente persecutione, in publicis processionibus deferre martyrum reliquias? Cavere praeterea debebant a nonnullis ritibus usurpandis, ne ethnicis, inter quos degebant, ansam eos calumniandi praeberent. Quae tamen pro temporum angustiis praestare potuerunt ad pro-

pria sensa erga Ss. reliquias patefacienda, non omisere, ut superius dicta ostendunt. Data autem Ecclesiae pace, illico publicas huiusmodi cultus testificationes varia ratione exhibuerunt, iis ipsis probantibus, qui ad tertium saeculum pertinuerunt.

Obi. IV. *Concilium Eliberit.* initio saeculi IV habitum reprobat illos, qui in Ss. martyrum honorem cereos accendebant; ait enim can. XXXIV: *Cereos per diem placuit in coemeteriis non incendi; inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt. Qui haec non observaverint, arceantur ab Ecclesiae communione.* Ergo Synodus ista reprobavit cultum corporibus sanctorum praestitum. Etiam S. *Hieronymus* Vigilantio obiicienti, idololatriam esse accendere cereos coram reliquiis, ita (1) respondet: « Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, et vigilemus ad lumen, ne caeci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui per imperitiam et simplicitatem saecularium hominum, vel certe religiosarum foeminarum, de quibus vere possumus dicere *Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? » ex quibus verbis patet, etiam S. *Hieronymum* reprobasse cereos in honorem martyrum incensos.

Resp. Cerei per diem accensi non pertinent ad substantiam cultus, ideoque Eliberitana Synodus non derogavit cultui reliquiarum. Eliberitani Patres prohibuerunt cereos per diem accendi ex superstitione; putabant enim aliqui defunctorum animas accensis cereis evocari more magico, aut saltem corpora defunctorum aliquid sentire, et cum essent in tenebris clausa sepulcri, cereis accensis illustrari. Ad praecavendam hanc superstitionem canon editus est, addita ratione, quod spiritus sanctorum inquietandi non sint, prout spiritus mali gestibus magicis inquietantur: nonnulli tamen putant, per *spiritus sanctorum* intelligi fideles in terra viventes, qui saepe in S. Scriptura sanctorum nomine insigniuntur; et sensum canonis esse, quod non sint fideles per ritus novos, ab Ecclesia nondum adprobatos, et illo tempore superstitionis periculo subiectos inquietandi, seu perturbandi. Ita pariter S. *Hieronymus* non approbat cereos ad sepulcra martyrum diurno tempore accensos, tum quia illa aetate mos iste in Ecclesia, saltem ubique, et in omnibus provinciis, nondum erat receptus; tum ne ex vana superstitione luminaria adhiberentur more gentilium, qui ad evocandas vel consolandas defunctorum animas cereos accendebant; aut quia forsitan aliqui simplices, ut obiiciebat Vigilantius, putabant, istis ceriolis animas martyrum illustrari. Illud certum est, accensos cereos non ad substantiam cultus pertinere, ritumque illum a S. Hieronymo nunquam vocari intrinsece malum, aut indecentem: imo loc. cit. asserit: « Et quicumque accendunt cereos secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: *Unusquisque in sensu suo abundat.* » Caeterum de mente et fide S. Hieronymi dubitari nequit, qui toto lib. citato ex professo reliquiarum cultum defendit.

Obi. V. Superstitiosum est mortuorum ossa, et cineres venerari, in quibus nulla est excellentia, aut potentia. Ethnici tantum inter alios errores ad talem vesaniam pervenerunt, ut putarent, cadaveribus divini quid inesse, quod cultum mereatur. Ideo

(1) In lib. adv. Vigilant.

antiquissimi Patres, *Clemens Alex.* in Protrept. adv. gentes, *Tertullianus* (1), *Minutius Felix* in Octav. aliique ethnicis exprobrabant sepulcrorum et mortuorum religionem, altarium et templorum super sepulcris consecrationem, etc. Ergo ex ethnicis superstitiosus hic cultus ad Ecclesiam pervenit. Imo eruditi Scriptores ostenderunt, inter catholicum reliquiarum cultum, et ethnicam mortuorum et sepulcrorum religionem tantam quoad ritus similitudinem inveniri, ut negari nequeat, cultum illum Christianos ab Ethnicis mutuasse.

Resp. Ossa sanctorum non habent quidem excellentiam, ob quam per se et cultu absoluto colantur: habent tamen excellentiam relativam, quia fuerunt membra eorum, qui viva Christi membra extiterunt, et templa Spiritus sancti, quique nunc iam beata immortalitate potiti cum Christo regnant; quapropter et ipsa aliquando ad aeternam vitam excitanda sunt, et glorificanda. Merito igitur eisdem cultus relativus exhibetur, uti iam probatum fuit. Constat sane, iam Hebraeos magnam mortuorum curam gessisse, et sepulcra in honore habuisse, ut probat *Calmet* in diss. de funeribus et sepulturis Hebraeorum. Recte igitur genuina mortuorum et sepulcrorum religio ex ipsa revelatione divina Patriarchis facta petitur. Sed ethnici, sicut alia revelationis documenta, ex Noëmi institutione hausta, et per traditionem propagata, ita etiam doctrinam de honore mortuis deferendo turpissime corruperunt, cultu non relativo sed absoluto cadavera non Sanctorum tantum, sed impiorum quoque hominum prosequentes, et ad malas ac magicas artes abutentes. Istum ethnicorum cultum rectissime antiqui Patres reprobarunt; nullatenus autem ideo cultum vituperarunt, quem Christiani relative reliquiis sanctorum dumtaxat hunc in finem detulerunt, ut Deum glorificarent, et per intercessionem sanctorum beneficia ab eo obtinerent. Nihil ergo prodest adversariis, si ostendere possint, aliquot ex ritibus, quibus sanctorum reliquias cultu prosequimur, cum ethnicorum ritibus aliquando fuisse communes, vel ab ipsis ad Christianos pervenisse. Ritus enim, ut ita dicam, materiales, seu per se indifferentes sunt, totamque moralitatem suam ab obiecto, adiunctis, ac fine illos usurpantium desumunt. Cum igitur eorum obiectum mutatum sit, cum diversa plane sit mens, diversus sit finis, quem Christiani sibi in iis ritibus proponunt, evidens est, identitatem rituum, si quae sit, nulla ratione Catholicorum cultui derogare. Ipsa quandoque templa, in quibus ab ethnicis idola colebantur, adorationi veri Dei dedicata sunt. Iam vero quod in templis, id in multis pariter Gentilium superstitionibus contigit, inquit *Card. Baronius* (2), ut earum usus sacris ritibus expiatus, et sacrosanctus redditus in Dei Ecclesiam laudabiliter introductus sit. « Deus enim, apposite inquit *S. Chrysostomus*, ob deceptorum salutem se coli passus est per ea, per quae daemones illi ante coluerant, aliquanto in melius inflectens, ut eos paulatim a consuetudine reduceret, et ad altiorem philosophiam perduceret. » In vanum ergo adversarii nobis obiiciunt similes ritus ab ethnicis usurpatos, siquidem invicta semper manet responsio *S. Hieronymi* (3) ad eandem Fausti ac Vigilantii expostulationem quam denuo in nos intorquet

(1) Lib. de idol., c. 13.

(2) In Not. ad Martyrol. Rom. 2 feb.

(3) Lib. adv. Vigilant., n. 8

Gibbonius: « Vertitis idola in Martyres. Quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et ideo detestandum est; hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est » (1).

Obi. VI. Quamvis Catholici dicant, se reliquias cultu tantum duliae, et quidem relativo venerari, certum tamen est, quod iisdem cultum latriae exhibeant. Id probat *iuramentum per reliquias*, quod esse actum Religionis, nemo negare potest; probant *altaria*, in quibus ponuntur, et quae reliquiarum causa eriguntur; probant *cerei* in honorem illarum accensi; probat demum *fiducia*, qua a reliquiis auxilium postulant, et expectant.

Resp. Non colere Catholicos cultu latriae sanctas reliquias, certum est et indubitatum; atque quid circa istum cultum Ecclesia catholica doceat, quid non doceat, non ex quorundam privatorum incautis locutionibus, aut imprudentibus actionibus, sed ex libris symbolicis et Ecclesiae definitionibus desumendum est. *Iuramentum* super reliquias medio aevo ideo introductum esse videtur, ut homines rudiores signo quodam sacro et externo iuramenti sanctitatem melius apprehenderent. Quomodo autem intelligenda sit huiusmodi iuramenti formula, indicant capitula *Caroli M.* dum iuraturo super reliquias haec verba praescribunt: *Sic illum Deus adiuvet, et illi sancti, quorum istae sunt reliquiae, ut veritatem dicat.* Dum vero Catholici ita iurant, neutiquam cultum latriae reliquiis deferunt, tum quia nullum attributum divinum iis appropriant, tum quia reliquiae non tam in testimonium veritatis vocantur, quam potius sanctorum intercessio invocatur ad veritatem fideliter dicendam, tum denique quia sub hac tantum ratione ad reliquias fit iuramentum, in quantum in iis Deus specialiter elucet, et quasi residet. Atque ita iuramentum principaliter refertur ad Deum, secundario ad reliquias, seu verius ad sanctos, quorum sunt reliquiae. Optime *S. Thomas* (2) rem declarat dicens: « Iuramentum principaliter refertur ad Deum, cuius testimonium invocatur: secundario autem adsumuntur ad iuramentum aliquae creaturae non secundum se, sed in quantum in eis divina veritas manifestatur. Sic iuramus per Evangelium, id est, per Deum, cuius veritas in Evangelio manifestatur, et per sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, et observarunt. » — *Altaria* eriguntur pro sacrificio, quod iuxta doctrinam catholicam soli Deo offerre licet (§ 628). Sicuti autem in sacrificio commemoratio sanctorum fieri potest, ita etiam reliquiae sanctorum in altaribus utiliter ponuntur, ut fideles in sacrificio devote offerendo sanctorum exemplis, et intercessionibus adiuventur. In V. T. templum, in quo sacrificia offerebantur, auro mundissimo, lignis exquisitis et lapidibus pretiosis ornatum fuit. In N. T. Ecclesia Christi non respuit quidem talem ornatum, maioris autem pretii reputat spiritualia ornamenta, qualia sunt reliquiae sanctorum, auro gemmisque praestantiora, Deoque gratiora. *Cerei* accenduntur, non quasi sanctis sacrificium offerre velint fideles, sed tantum in signum laetitiae, et in memoriam certaminis, quod pro Christo subierunt sancti, prout dudum iam observavit *S. Hieronymus* in epistola ad Ripar. Cerei accensi sunt profecto praeclarum symbolum amoris, quem sancti erga Deum tulerunt, et quem nos quoque erga Deum ferre debe-

(1) Cf. Perrone, De cultu Ss. n. 101.

(2) 2 2, q. 89, art. 6.

mus. — Falsum denique est, quod Catholici in Ss. reliquiis eam ponant *fiduciam*, quae reponenda est in Deo; nam sicut miracula, quae per Ss. reliquias contigerunt, soli Deo adscribunt, ita etiam auxilium a solo Deo, sed per intercessionem et merita sanctorum facilius impetrandum expectant. — Quod est ad reliqua honoris signa, quae sanctis, eorumque reliquiis exhibemus, et ex quibus ad Catholicorum idololatriam concludere conantur adversarii, sequentia observare oportet: Non tam ab actione externa, quam ab interna voluntatis dispositione cultus aliquis, aut adoratio speciem sortitur; hinc idem actus exterior, ex. gr., genuflexio, potest spectare ad latriam, duliam, aut observantiam civilem. Inter actus honoris sacrificium Deo ita proprium est, ut nulli alteri queat exhiberi; quidam vero actus Deo et creaturis communes sunt: ex. gr., genuflexio, capitis inclinatio etc., atque in his actibus totum redit ad mentem agentis; ideoque idololatriae accusari nequit genuflexus coram sancto, eiusque reliquiis, cum non intendat iisdem exhibere honorem divinum.

Obi. VII. Constat ex historia, reliquias non paucas spurias, et suppositicias esse, quod ex eo praecipue manifestum fit, quia in pluribus locis eiusdem quandoque sancti corpus, aut caput, aut alia membra ostenduntur. Facile ergo contingit, ut pro reliquiis sanctorum ossa hominum impiorum et damnatorum colantur. Multi quoque alii abusus in cultum reliquiarum irrepserunt, qui ideo penitus reiiciendus est.

Resp. Proposita difficultas non attingit cultum ipsum, quem adstruimus, sed praxim. Ecclesia autem semper sollicita fuit in veris reliquiis a dubiis et falsis secernendis. Iam *Conc. Lateranense IV* statuit cap. 62. *Inventas de novo (reliquias) nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Rom. Pontificis fuerint approbatae.* Et *Tridentinum* Sess. XXV de Invocat. etc., decrevit, *non esse novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, et approbante Episcopo.* Stante hac sollicitudine Ecclesiae, de veritate reliquiarum certitudo moralis haberi potest, quae sufficit ad actus morales dirigendos. Quod autem eiusdem sancti plura corpora, capita etc. ostendantur, inde persaepe factum est, quia ex cryptis martyrum corpora extracta fuerunt sanctorum, quorum nomina ignota fuerunt, et quibus ideo noti alicuius sancti nomen appositum est, ad quod successu temporis imperita plebs non attendebat. Caeterum cum hic cultus totus relativus sit, ut saepe monuimus, nullum detrimentum aut fidelium pietas, aut religio capere possunt. Apposite *Leibnitzius* in Syst. theol. inquit: « Quoniam pii tantum adfectus res est, nihil refert, etiam si forte contingeret, reliquias, quae pro veris habentur, supposititias esse. » Atque hoc quidem in hypothesi adversariorum. Caeterum tot falsae non habentur, quot ipsi comminiscuntur. — Abusus, qui in cultu Ss. reliquiarum irrepserunt, simplicitati, vel perversitati privatorum hominum, non autem doctrinae Ecclesiae adscribendi sunt. Quovis enim tempore Ecclesia religionis corruptelam detestata est, et emendare curavit. Sic, ex. gr., *Concilium Lateranense IV* loc. cit. graviter illos coërcuit, qui turpem quaestum reliquiis faciebant etc. Caeterum observandum est, nihil esse, quo interdum homines abusi non sint, aut saltem abuti nequeant. Stultum porro consilium esset, velle rem ipsam in se bonam et utilem tollere ad abusus omnes

praecavendos, qui vel humana imbecillitate, vel ex deliberata malitia oriri possent.

ARTICULUS VI.

De sacrarum imaginum usu et cultu.

§ 806. 1. Imago generice sumpta a *S. Io. Damasceno* (1) definitur, quod sit: « Similitudo sic exemplar exprimens, ut ab eo tamen aliqua re differat, neque enim imago in omnibus exemplari similis est. » *Imago* dicitur ab *imitando*, quia exemplar suum saltem quoad externam quamdam speciem seu formam ita imitatur, ut mens hominis imaginem aspicientis ad exemplaris memoriam et considerationem excitetur. Differt *imago* ab *idolo;* nam imago est similitudo rei verae, seu repraesentat id quod est: e contra idolum est similitudo rei falsae, seu repraesentat id quod simpliciter non est, vel quod non est tale, quale creditur et colitur, iuxta dictum Apostoli: *Nihil est idolum in mundo* (2), scilicet quantum ad formam seu naturam, quae ab idololatris creditur ibi inesse. Idola vocari etiam solent simulacra, aut sculptilia, quae idcirco eodem modo ab imaginibus differunt. Imagines porro generice sumptae sunt vel *profanae* vel *sacrae*, prout obiectum vel profanum repraesentant, ex. gr., Caesarem, Regem etc.; vel sacrum, puta Deum, Christum, B. V. Mariam, angelos aut sanctos. De imaginibus sacris tantum in hoc tractatu sermo erit.

2. Ecclesia catholica docet, sacrarum imaginum usum et cultum licitum et pium esse: quam doctrinam praeclare proponit *Concilium Tridentinum* Sess. XXV de Invocat. etc. dicens: Episcopi doceant, *imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propterquam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur:* quibus verbis Concilium sat perspicue declaravit, sacrarum imaginum usum et cultum licitum ac pium esse; cultum vero eis exhibitum respectivum esse, et referri ad prototypa, quae per illas repraesentantur.

3. Primis Ecclesiae saeculis cultum imaginum reprobasse dicuntur *Marcionitae, Manichaei, et Phantasiastae*, qui Christi imaginem detestabantur, quod illum non fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus praebuisse dicerent. Saec. V. *Xenaias*, ex servo immature Episcopus Hierapolitanus creatus, et mutato nomine *Philoxenas* dictus, testibus Theophane et Cedreno docuit, imagines Christi et sanctorum reiiciendas esse. Saec. VII *Mahometes* usum imaginum penitus interdixit, et earundem cultum idololatriam esse effutiit. Saec. VIII palam, aperteque sacris imaginibus bellum indixit Imperator *Leo Isaurus*, a Iudaeis impostoribus deceptus, vano praetextu evertendae idololatriae. Patris impietatem secutus est filius *Constantinus Copronymus*, qui anno 754 in Concilio 338 Episcoporum CPoli habito, usum et cultum

(1) Orat. 1 adv. Imag. oppugnat.

(2) I Cor. 8, 4.

imaginum condemnare ausus est. Copronymo successit *Leo IV* eius filius, paterni in sacras imagines odii et furoris haeres. Restitutus imaginum usus et cultus, iterum debellatus fuit a *Nicephoro*, a *Leone Armeno*, et a *Theophilo;* quo mortuo, cum eius filius, qui a matre Theodora fidem catholicam edoctus fuerat, imperium teneret, haeresis Iconoclastarum in Oriente extincta est. In Occidente primus imaginum usum et cultum impugnasse creditur *Claudius Taurinensis*. Inter aberrantes a nonnullis recensentur etiam *Patres Francofurtienses*, et praecipue Episcopi Galli, qui in *Conventu Parisiensi* anno 824 habito non quidem usum, sed tamen cultum sacrarum imaginum reiecisse videntur: sed hac de re inferius plura dicentur. Certe autem imaginum usum et cultum reprobarunt, Saec. XII *Petrobrusiani* et *Henriciani*, Saec. XIII *Waldenses* et *Albigenses*, Saec. XIV *Wiclefitae*, Saec. XV *Hussitae*, Saec. XVI *Novatores*, seu *Protestantes*. *Lutherani* imagines Christi et sanctorum admittunt quidem etiam in templis, verum ad ornatum dumtaxat, et repraesentationem historiarum, non ad cultum. Extiterunt autem etiam inter Protestantes non pauci, qui omnem sacrarum imaginum usum reprobarunt, easque indignissime tractarunt. Sic tempore reformationis anno 1522 *Andreas Carolostadius* Wittenbergae in absentia Lutheri omnes e templo eiecit imagines; quem imitati sunt *rustici rebelles* contra principes in Thuringia, Frankenhusae etc., in Helvetia *Tigurini*, in Anglia *Elisabetha*. In *Hollandia* sacrae imagines non tantum sublatae, sed et contumeliose tractatae sunt. *Zwinglius* non minus oppugnavit imagines. *Calvinus* gravissime condemnat imagines sacras, quas non solum e templis eiiciendas, sed et comburendas esse pronuntiavit, docuitque (1) nefas esse Dei imaginem formare, et idololatriam esse Ss. imaginum cultum. Hinc Calviniani dirius sacras imagines insectati sunt, et qui magistri sui doctrinae inhaerent, etiamnum malignum erga Ss. imagines odium produnt. Caeterum inter Ss. imaginum hostes illi, qui usum ipsum Ss. imaginum insectabantur, easque destruebant, *Iconoclastae* propterea nuncupati sunt, alii vero, qui illarum usum admittunt ad templorum ornatum et decorem vel historiam, cultum tantum et venerationem impugnantes, *Iconomachi* vocantur.

4. Theologi catholici omnes in dogmate ab Ecclesia definito consentiunt, docentque, sacrarum imaginum usum et cultum licitum et pium esse: dissentiunt autem in explicanda indole huius cultus, seu in exponendo modo imagines colendi. Quoniam autem dogmata, quae de fide credenda sunt, distinguere oportet a sententiis theologorum, quae sine fidei piaculo defendi possunt, primo *dogma catholicum* de licito et pio Ss. imaginum usu et cultu probabitur, et dein aliqua *de indigitata controversia theologica* dicentur.

I. *Dogma fidei est, sacrarum imaginum usum, et cultum pium ac licitum esse.*

§ 807. I. Ad praecavendas difficultates, Protestantibus facile concedimus: 1° imagines ad religionis essentiam minime pertinere, sed ex eorum per se genere esse, quae ad salutem absolute necessaria non sunt, ac propterea in potestate esse Ecclesiae, ut ea vel adhibeat vel ~~ableget~~, prout satius esse existimaverit, cuiusmodi ea omnia sunt, quae *positivi* vulgo *iuris* dicuntur. 2° Imagines sancto-

(1) Lib. 1 Instit., c. 11, § 7.

rum colendas non esse supremo adorationis cultu, nimirum latriae, imo etiam coram imagine Christi cultum latriae delatum non ad imaginem, sed solum ad eius prototypon, nimirum ad Christum referri. 3° Superstitionem omnem, si ex ignorantia, vel simplicitate populi in cultum sacrarum imaginum irreperet, a pastoribus Ecclesiae sollicite removendam esse; quod post alia Concilia Tridentinum graviter praecepit. 4° Imagines sacras non eo modo a nobis colendas esse, quo ab ethnicis colebantur idola, neque spem in ipsis imaginibus reponendam esse (1). Hoc autem contra Protestantes asserimus, licitum esse, honestum ac pium sacrarum imaginum usum et cultum. Probamus autem hoc dogma *ex S. Scriptura*, *ex Traditione* et *ex rationibus theologicis;* quae argumenta talia sunt, ut rem evincant, dummodo sine praeconceptis opinionibus, et sine partium studio perpendantur; neque illa adversarii enervare valent, ut ex solutione difficultatum apparebit.

A. *Argumentum ex S. Scriptura depromptum.*

§ 808. Usum et cultum sacrarum imaginum nullatenus in se malum, sed licitum et pium esse, ex ipsa S. Scriptura satis solide probatur.

1. Iam in periodo patriarchali memoratu dignum occurrit exemplum. Deus enim ipse Patriarchae Iacob se in mira imagine conspicuum reddidit. Legitur enim Gen. XXVIII, 12 etc. Iacob *vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens coelum: Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac* etc.; quibus verbis profecto Iacobi reverentia erga formam seu imaginem divinam sibi apparentem excitata, et fides in factas promissiones firmata fuit. Et additur: *Cumque evigilasset Iacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli* (2). Ergo non solum erga ipsum Deum immensum et omnipraesentem, sed etiam erga locum, in quo Deus speciali modo se manifestavit, magnam reverentiam habuit; unde legitur: *Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper* (3): lapidem ergo, seu columnellam erexit, visionis monumentum, exprimens pro viribus imaginem eius Personae, quae sibi apparuerat. In quanto autem honore Iacob lapidem istum, ritu sacro, nempe olei infusione consecratum, habuerit, patet ex v. 22 ubi dicitur: *Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei.* Nemo autem negabit, lapidem istum imaginis rationem habuisse (4). Nullibi autem Iacob reprehenditur, quod lapidem in titulum erexerit, et honoraverit; sed inter sanctos V. T. laudatur (5).

2. In periodo mosaica sacrarum imaginum usum Dei ipsius mandato obtinuisse, constat ex iis, quae Exod. XXV, 18 etc. leguntur. Deus enim iussit duos extrui aureos Cherubim ex utraque parte Arcae dicens: *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero.* Teste *S. Hieronymo* in epis. ad Marcellam istos cherubim in

(1) Cf. Petav. de Incarn. lib. 15, cap. 13, § 1; Card. Gotti, de vera Eccles. art. 16; Sardagna tom. 3, art. 6, Controv. 7, n. 782; Perrone, de cultu Ss. c. 5, n. 125.

(2) Gen. 28, v. 16. (3) Ibid. v. 18.
(4) § 806, n. 1. (5) Eccli. 34, 25, etc.

magno honore habebant Iudaei qui Arcam venerabantur. An vero Deus sculptas angelorum imagines ordinasset, si istarum usus illicitus et impius esset? — Num. XXI, 8 Deus mandavit Moysi, ut faceret serpentem aeneum, ac poneret *eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.* At vero serpentem aeneum Christi in crucem elati signum, seu imaginem fuisse, declarat ipsemet Salvator noster dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* (1). Porro si licitus et salutaris fuit veteris figurae usus, quae futuram Christi passionem obumbrabat; cur noxius erit et illicitus usus imaginis Christi in cruce passi? Absque dubio Israëlitae iuxta institutionem oralem a Moyse acceptam cum reverentia et confidentia serpentem aeneum aspicere debebant non a materia aut figura aeris, sed a Deo per merita venturi Messiae promissam a plagis curationem sperantes. Certe nisi Israëlitae hac pia mente et recta devotione serpentem aeneum aspexissent, nequaquam a Deo per miraculum sanati fuissent. Legitur autem v. 9: *Fecit ergo Moyses serpentem aeneum, et posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Vere ergo hic occurrit exemplum cultus imaginis relativi, a Deo per miracula approbati. Aliud eiusdem cultus exemplum suppeditat Arca, quae Dei praesentiae symbolum praeseferebat. Arcam istam maxima veneratione prosecutos esse veteres Hebraeos, inter caetera Iosue exemplum ostendit, qui, ut legitur, *scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israël* (2). Magno praeterea apparatu, ac religiosa pompa eandem Arcam a Davide publica ac solemni supplicatione translatam, primo e domo Abinadab, ac deinceps de domo Obededom in civitatem David exhibet lib. II Reg. cap. VI. Quinimo ex Psal. XCVIII, 5 patet, cultum istum erga Arcam Domini ex Dei ipsius mandato profluxisse iis verbis: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Scabelli* autem nomine Arcam significari, constat ex I Paral. XXVIII, 2, ubi David de se ipso dicebat: *Cogitavi, ut aedificarem Domum, in qua requiesceret Arca foederis Domini, et scabellum pedum Dei nostri.* Hinc irreverentiae in Arcam graviter punitae sunt I Reg. VI, 19: *Percussit Deus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini.* Et II Reg. VI, 7 cum Oza manum suam ad Arcam, ne forte caderet, extendisset, *percussit eum Dominus super temeritate.* Tam graves autem poenae grave mandatum reverentiae erga Arcam ferendae supponunt. Probato autem hoc mandato divino, recte ita argumentatur *Cl. Perrone* (3): « Vel itaque dicendum, licitum ac pium, ideoque omni prorsus idololatria ac superstitione immunem esse imaginum usum ac venerationem, vel idololatriam, ac superstitionem a Deo ipso praescriptam et commendatam fuisse; quodsi postremum hoc absurdum ac impium cogitatu est, immerito ac per summam calumniam Iconomachi protestantes ineptis obtrectationibus quotidie Catholicis insultant, eosque traducunt tanquam totidem idololatras ac superstitiosos, eo quod imaginibus Christi, Deiparae, caeterorumque sanctorum honorem illum deferunt, quem Deus ipse quoad Arcam, et propitiatorium et verbis et factis in Ss. litteris commendavit. »

(1) Io. 3, 14. (2) Ios. 7. 6. (3) De cultu Ss. c. 5, n. 108.

3. In Ss. Libris N. T. non inveniuntur quidem testimonia, quae directe probent, Ss. imaginum cultum licitum et pium esse; sed tamen dantur loca, quae hoc idem probant indirecte. Nam Luc. XIX, 45 etc. legitur de Christo: *Ingressus in templum coepit eiicere vendentes in illo, et ementes, dicens illis: Scriptum est, quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Reprehendit ergo negotiationem, quia opponebatur reverentiae templo Dei debitae: ideoque declaravit, propter Deum eius quoque templum in honore habendum, et cum omni reverentia colendum esse. Quodsi aedificia materialia, propter relationem quam habent ad Deum, magnam merentur reverentiam, et nefas est, eadem ignominia afficere; certe etiam sacris imaginibus magna reverentia debetur, quia vel immediatam, vel saltem mediatam relationem ad Deum habent, prout vel ipsius Dei, vel eiusdem Matris, vel glorificatorum ipsius amicorum effigiem repraesentant, nefasque dicendum est debitam illis reverentiam negare, aut indigne eas tractare. — Paulus ad Philip. inquit: *In nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris* (1). Nomini Iesu summus latriae cultus tribuitur, non sono vocis transeunti, sed illi, qui per nomen significatur et exprimitur, et qui est in gloria Dei Patris. Quod autem auribus est nomen pronuntiatum, id oculis est imago ad conspiciendum proposita; et si licitum et pium, imo et praeceptum est, nomen Christi adorare, licitum pariter, atque pium est imaginem Christi venerari.

(1) Cap. 2, 10, etc.
(2) Orat. 2, n. 7.

Nota. Argumento biblico adversarii sequentia opponunt.

Obi. I. Exod. XX, 4 etc. Deus omnem imaginum usum et cultum aperte prohibuit dicens: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Ergo tam usus, quam cultus sacrarum imaginum divinae legi adversatur.

Resp. Duplex est allatae prohibitionis interpretatio. Nonnulli putant, hac positiva lege Iudaeis omnino interdictum fuisse omnem imaginum, simulacrorum ac sculptilium usum ob imminens idololatriae periculum, ad quam rudis ille populus et ex se proclivis erat, et commercio atque exemplo gentilium pertrahi facile poterat. Huius sententiae fuit *S. Io. Damascenus*, qui (2) de imag. dicit: « Optimus animorum medicus infantibus adhuc, et idololatriae morbo laborantibus, qui cum simulacra deos esse putarent, ac tanquam deos adorarent, debitum Deo cultum et adorationem denegabant, ipsiusque gloriam ad creaturam transferebant, his imagines facere vetuit. » Observant autem, qui huic sententiae adhaerent, legem istam positivam non perpetuam, sed ad tempus fuisse, quamdiu idololatriae periculum vigeret, et divinam sapientiam interim per duos Cherubim, per serpentem aeneum et per Arcam ostendisse, imaginum usum et cultum non in se malum esse, sed solum ratione periculi Israëlitis prohibitum fuisse, hanc vero prohibitionem in N. T. penitus sublatam esse. Alii autem dicunt, per verba Exodi Deum non interdixisse omnem imaginum usum et cultum, sed solum prohibuisse omnem similitudinem, et sculptile falsorum deorum. et ea-

rum rerum, quae pro Deo haberi, et adorari possent. Huius sententiae est S. *Thomas* (1) dicens: « Non prohibetur illo praecepto: *Non facies tibi sculptile*, facere quamcunque sculpturam vel similitudinem, sed facere ad adorandum; unde subditur: *Non adorabis.* » Haec sententia gravibus innititur argumentis. Nam in verbis citatis non qualescunque imagines, sed solum idola, quae loco Dei adorentur, prohiberi, patet 1° ex praecedentium et subsequentium verborum serie; praemittuntur enim illa verba: *Ego sum Dominus Deus tuus... non habebis deos alienos coram me*, ista vero subsequuntur: *Non adorabis ea, neque coles: ego sum Deus tuus fortis, zelotes.* Et v. 23: *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.* En quid significet τὸ *sculptile*, id est: non facies tibi deum ex scalpro; unde 70 vertunt: *Non facies tibi ipsi idolum.* 2° Idem confirmatur ex locis parallelis; nam Lev. XXVI, 1 eadem lex his verbis concipitur: *Ego Dominus Deus vester; non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum: ego enim sum Dominus Deus vester.* Et Deut. VI, 13: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius iurabis. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quae in circuitu vestro sunt, quoniam Deus aemulator Dominus Deus tuus in medio tui*, (2): ex quibus omnibus locis patet, idololatriam dumtaxat prohiberi, seu cultum falsorum deorum absolutum, non autem cultum sacrarum imaginum, qui est relativus. 3° Idem patet ex absurdis, quae ex interpretatione adversariorum sequerentur. Nam si praecepto illo Deus quidquam aliud prohibuisset, quam idolorum cultum, praecepta decalogi non decem, sed omnino undecim forent: imo si prohibitio indigitata a priori praecepto distingueretur, tenore verborum interdiceretur non solum idololatria, verum etiam omnium imaginum cuiuscunque generis repraesentatio, licet ex genio aut studio artium liberalium parta absque ullo omnino pravo fine; et undenam in Scripturis exemplum aliquod tantae legis inexistit?

Obi. II. Antiqua synagoga et veteres Iudaeorum doctores constanter tenuerunt, per verba: *Non facies tibi sculptile* etc. omnes imagines prohiberi: ideo ab omni imaginum usu et veneratione abhorruerunt, quod et *Tacitus* testatur (3) scribens: « Iudaei mente sola, unumque Numen intelligunt. — Nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt. » Si autem consuetudo est optima legum interpres, nulla potest superesse dubitatio de genuino sensu prohibitionis allatae.

Resp. Si vera essent, quae adversarii opponunt, solum probarent, Israëlitis prohibitionem temporaneam esse factam, quae Christianos non attingit. At falsum est, antiquam synagogam semper omnes imagines prohibitas esse credidisse. Constat enim, antiquiores Iudaeos alio sensu verba decalogi, quae obiiciuntur, intellexisse, ac deduxisse in praxin. Si enim de usu imaginum sermo sit, luculentum exemplum occurrit III Reg. c. VI-VIII in eo, quod fecit Salomon in templo Domini, in quo extruxit Cherubim, leones ac boves, palmas aliaque ornamenta. Deus autem non solum non improbavit eius agendi rationem, sed gloria et maiestate sua templum implevit (4). Ideo nullum in S. Scriptura

(1) 3 p., q. 25, art. 3 ad 1.
(2) Cf. Isa. 42, 8. (3) Hist. l. 5, p. m. 83.
(4) III Reg. 8, 10; II Paral. 7, 1, etc.

vestigium apparet, quod antiquiores sacerdotes et doctores Iudaeorum imagines a Salomone confectas reprobaverint. Si autem antiquiores Hebraei ita senserunt, non abnuimus, synagogam post reditum a captivitate babylonica severiorem hac in parte fuisse: verum id non tam a parte legis repeti debet, quam ex peculiari sollicitudine, quam habuit, ne populus in idololatriam prolaberetur, qua factum est, ut tum circa hunc articulum, tum circa alios non paucos ad firmiorem legis custodiam constitutiones sanxerit, quas rabbini vocant *sepem legis divinae*.

Obi. III. Iudaei dicuntur in idololatriam lapsi, dum sibi *vitulum aureum* fecerunt, quamvis eum cultu tantum relativo adorarent, in vitulo imaginem veri Dei considerantes. Nam vitulo aureo nullum speciale nomen imposuerunt, sed eum simpliciter Deum suum vocarunt, dicentes: *Hi sunt dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti* (1); et: *Cras solemnitas Domini est* (2).

Resp. Manifeste falsum est, Iudaeos vitulum aureum ita adorasse, ut cultum ad Deum verum referrent; contrarium enim colligitur ex S. Scriptura, quae hoc delictum commemorans populo israëlitico acclamat: *Deum, qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini Creatoris tui* (3). Et de praevaricantibus Israëlitis narratur: *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro* (4). Vere igitur Israëlitae vitulum aureum pro Deo habuerunt et adorarunt, et ad hanc turpissimam idololatriam perverunt, qua assueti erant videre maximum Deum Aegyptiorum, qui est vitulus niger albis maculis insignis, *Apis* nuncupatus: unde opus non erat, ut Israëlitae vitulum suum novo nomine insignirent.

(1) Ex. 32, 4. (2) Ibid. v. 5.

B. *Argumentum ex Traditione petitum.*

§ 809. Usum et cultum sacrarum imaginum licitum et pium esse, semper, ubique et ab omnibus creditum est. Haec fides iam *in primis tribus aerae christianae saeculis viguit, subsequentibus vero saeculis clarius manifestata*, et *a Ss. Patribus explicata*, ac demum *a Conciliis definita fuit*.

1. Negari non potest, primis Ecclesiae saeculis rariorem fuisse apud Christianos imaginum usum. Prudentissime enim Ecclesia ad tempus saltem a frequentiori imaginum usu abstinuit, tum ne Iudaei, qui eo tempore ab imaginibus vehementer abhorruerunt, a religione christiana absterrerentur; tum ne Gentilibus, idolorum adorationi assuefactis, post conversionem ad rectam fidem idololatriae periculum praeberetur; tum ne imagines sacrae ab infidelibus obstinatis et a Christianorum persecutoribus inhonorarentur et male tractarentur. Ex his rationibus Ecclesia probe cognoscens, cultum sacrarum imaginum non esse ad salutem necessarium, sed ad ea pertinere, quae salva religionis substantia omitti et adscisci possunt, prudenter noluit, ut sacrae imagines passim publico cultui exponerentur. Ab hac autem temporanea Ecclesiae disciplina probe distinguenda est eius fides, qua sacrarum imaginum usum et cultum semper licitum et pium credidit. Nunquam enim talem cultum Ecclesia reprobavit, sed contrarium ex variis monumentis probatur. Refert enim

(3) Deut. 32, 18. (4) Ps. 105, v. 19, etc.

Eusebius (1) a muliere evangelica, quae vestium Salvatoris contactu a sanguinis profluvio sanata fuit, in accepti beneficii memoriam statuam aeneam Christo erectam, atque a se visam fuisse Paneade, seu Caesareae Philippi. Hanc aeneam Christi statuam in magno honore et reverentia a Christianis habitam fuisse testatur *Philostorgius* (2). Statua ista a *Iuliano* apostata destructa fuit, non quia imagines illicitas putavit, sed quia honorem Christo tributum indigne tulit: frusta vero statuae destructae a Christianis collecta, et in Ecclesia decenter reposita sunt, ut narrat *Sozomenus* (3). *Eusebius* porro loco citato, dum narrationem absolvit de aenea Christi statua, subiungit: « Nec vero mirandum est, Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos haec praestitisse, cum et Apostolorum Petri et Pauli, Christique ipsius pictas imagines ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus. » Antiqua, praecipue in Oriente traditio fuit, quod Christus ipse imaginem suam mirabiliter expressam ad *Abgarum* Edessae regem miserit, ut referunt acta genuina *Ss. Samonae* et *Guriae* martyrum Edessenorum circa an. 306, *Evagrius* l. 4 hist. c. 26, *S. Io. Damascenus* (4), *S. Germanus* Patr. CPtanus in Actis S. Stephani iunioris, *S. Gregorius II* in epist. ad Leonem Isaurum, *Concilium Nicaenum II* Act. V, et multi alii. Recentiores quidem critici veritatem huius facti negant, argumento potissimum negativo innixi, quia testimonia veterum scriptorum desiderantur. Sed esto, factum commentitium esse; a citatis tamen Scriptoribus et a Concilio non tam fidenter ad illud provocatum fuisset, nisi fides de illo cultu iam prioribus saeculis viguisset. Ast si tribus primis saeculis usum et cultum Ss. imaginum illicitum credidissent, ne fingere quidem ausi fuissent, Christum imaginem suam per miraculum confecisse, et ad Regem misisse, sed totam narrationem statim cum indignatione reiecissent; quod cum contigisse nullibi legatur, pro fide veterum Christianorum etiam ex facto commentitio recte testimonium infertur. Imaginum usum testatur porro *Tertullianus*, qui iam Montanista factus, insultans Catholicis adulteros post poenitentiam peractam ad communionem admittentibus, ait lib. de Pudic. c. 7: « Procedant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne christiano an ethnico peccatori de restitutione collineet? » Et iterum (5): « Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis? » Imago autem pastoris inventam ovem in humeris suis ferentis ideo in calicibus repraesentabatur, ut in fidelibus ex calice bibentibus piae confidentiae et charitatis erga Christum sensus excitarentur. Praeterea *Tertullianus* licitum et pium declarat usum et cultum imaginum c. Marcion. (6) scribens: « Proinde et similitudinem vetans fieri omnium, quae in coelo et in terra et in aquis, ostendit causas, idololatriae scilicet substantiam, cohibentes. Subiicit enim: *Non adorabitis ea, neque servietis illis.* Serpentis autem aenei effigies postea praecepta Moysi a Domino non ad idololatriae titulum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui a serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedii. Sic et Cherubim et

(1) Lib. 7 hist. eccl., cap. 18.
(2) Lib. 7 hist., c. 3.
(3) Lib. 5 hist. eccl., c. 20.
(4) Or. 1 de Ss. imag., et lib. 4 de fide orthod. c. 17.
(5) Ibid. cap. 10.
(6) Lib. 2, cap. 22.

Seraphim aurea in Arcae figuratum exemplum, certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diversas habendo causas ab idololatriae conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur: » id est, imagines non prohibentur, quibus latriae cultus absolutus non defertur. *Clemens Alexand.* (1) testatur, viros christianos annulis usos fuisse referentibus imaginem piscis, aut columbae, ut memores sint aquarum baptismi, per quas vitam spiritualem, aut confirmationis, per quam Spiritum sanctum acceperunt. *S. Methodius*, Tyri Episcopus, qui in fine saeculi tertii floruit, et martyr an. 312 occubuit, in lib. de Resurrectione inquit: « Quae sunt hic regum imagines, quamvis non ex pretiosa auri argentive materia consistant, ab omnibus tamen honorantur. Neque enim quae ex pretiosa materia conflatae sunt, homines duntaxat colunt, quae vero ex vili, contemnunt et aspernantur, sed omnes, licet ex aere gypsove existant. Et quisquis in earum aliquam, qualiscunque fuerit, maledicta coniecerit, is, non tanquam lutum spreverit, aurumve contempserit, absolvitur, sed non aliter ac si in ipsum regem impius extitisset, condemnatur. Quas quidem ex auro imagines conflamus, Angelorum ipsius principatus et potestates referentes, eas ad honorem et gloriam Dei confícimus » (2).

2. Reddita per Constantinum Ecclesiae pace, mox sacrarum imaginum etiam publicus usus et cultus ubique invaluit. Testes sunt Ss. Patres, qui etiam genuinum sacrarum imaginum usum et cultum optime explicarunt. *Auctor quaestionum* ad Antiochum, quae *S. Athanasio* adscribebantur (3), haec habet: « Absit, ut, quemadmodum Gentiles faciunt, nos Christiani tanquam Deos imagines adoremus. Affectionem dumtaxat et charitatis nostrae studium erga figuram personae per imaginem expressae declaramus. Itaque lignum saepe, quod iam erat imago, si figura deleta sit, tanquam inutile comburimus. Quemadmodum igitur Iacob, cum esset e vita discessurus, fastigium virgae Ioseph adoravit, non virgam ipsam honorans, sed eum, qui virgam tenebat: ita nos Christiani non alia ratione imagines colimus nisi prouti etiam, cum filios nostros et patres osculamur, animi nostri desiderium indicamus: sicut et Iudaeus olim legis tabulas, et duo cherubim aurea et sculptilia quondam adorabat, non lapidis aurive naturam colens, sed Dominum, qui, ea ut fierent, praeceperat.» *Eusebius Caesarien.* (4) inquit: « Apparuit Deus Abraham ad quercum Mambre; quamobrem ad hoc usque tempus is locus tanquam divinus ad honorem eorum, qui illic Abraham apparuerunt, a vicinis populis celebratur, et spectatur adhuc firma terebynthus, et qui ab Abraham excepti sunt hospitio, pictura sic expressi, ut duo quidem utrinque tertium, ut honore praestantiorem, medium habeant. Sit autem hic declaratus nobis Dominus ipse Servator noster, quem etiam ignari venerantur, qui divinis oraculis credunt. » *S. Basilius* (5) scribit: « Characteres imaginum sacrarum honoro et exosculor eximie, cum hae traditae sint a sanctis Apostolis, nec sint prohibitae, imo in omnibus Ecclesiis nostris depictae. » Et in lib. de Spi-

(1) Paedag. lib. 3, c. 11.
(2) Cf. Coccii Thesaur. t. 1, lib. 5, c. 15.
(3) Cap. 38.
(4) Lib. 5 Demonstr. evang. cap. 9.
(5) Epist. 360.

ritu sancto ad Amphil. cap. 18 ait: « Itaque imaginis honor ad exemplar primum refertur. » Et in Or. de Barlaam M. ita eleganter loquitur: « Exurgite nunc, o praeclari athleticorum gestorum pictores! mutilam ducis imaginem vestro illustrate artificio, et a me depictum coronatum athletam vestrae industriae coloribus conspicuum reddite. Abibo certaminum et victoriarum Martyris a vobis posita imagine victus; gaudebo tali hodie per vestram dexteritatem victoria superatus. Video manus huius luctam cum igne exactius a vobis depictam; video alacriorem pugilem per vestram depictum imaginem. » *S Gregorius Nyss.* in Orat. de Filii et Spiritus sancti divinitate, Isaaci ab Abraham in sacrificium oblati mentionem faciens, profitetur: « Saepenumero miserabilis huius rei imaginem in pictura vidi, nec absque lacrymis spectaculum praeterii: adeo perspicue atque evidenter ars pingendi oculis rem gestam subiecit. » Idem Or. in S. Theodorum M. ait: « Quod si venerit ad aliquem locum similem huic, ubi noster conventus habetur, ubi memoria iusti, sanctaeque reliquiae sunt: primum quidem earum rerum, quas videt, magnificentia oblectatur, tum aedem ut templum Dei et magnitudine structurae, et adiecti ornatus decore splendide elaboratum intuetur: ubi - induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas et immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem athletae, certaminum praesidis Christi humanae formae effigiem, omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens; certamina atque labores Martyris nobis expressit, ac tanquam pratum amoenum et floridum templum exornavit: - solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui maximeque prodesse. » *S. Gregor. Naz.* Orat. (1) in laudem Heronis inquit: « Cum (angeli) corporea forma pinguntur, angelicus est vestitus candor et splendor ad designandam, ni fallor, naturalem ipsorum puritatem. » *S. Asterius* Amaseae in Ponto Episcopus in Orat. de S. Euphemia V. et M. dicit: « Pictor vero etiam ipse religiose per artem suam totam pro viribus in linteo designatam historiam ibidem iuxta thecam sacram appendit, ac proposuit spectaculum. » *S. Ambrosius* Epist. 53 de Ss. Mm. Gervasio et Protasio narrat: « Tertia nocte, defecto ieiuniis corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia persona apparuerunt, quae similis esset B. Paulo, cuius vultum me pictura docuerat, ut tantum ipse mecum illis tacentibus loqueretur. » *S. Chrysostomus* in Liturgia haec praescribit: « Sacerdos egreditur e parvo ostio, portans Evangelium, praecedente ministro cum lucerna: et conversus ad Christi imaginem, inter duo ostia inflexo capite, cum exclamatione dicit hanc orationem etc. » Et in Hom. de *S. Meletio* ait: « Non autem ad nomen solum adeo fuistis affecti, sed ad ipsam etiam figuram corporis. Quod enim fecistis in nominibus, id etiam fecistis in illius imagine. Etenim in palis annulorum, et in simulacris, et in phialis, et in thalamorum parietibus, et ubique sacram illam multi expresserunt imaginem, ut non solum audirent sanctam illam appellationem, sed etiam ubique viderent figuram corporis, et eius excessus duplicem haberent consolationem. » *S. Hieronymus* in cap.

(1) 25 al. 23, n. 2.

IV Ionae inquit: « Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrare. » Et in Ep. ad Eustoch. Vir., de epitaphio Paulae (1) scribit: « Hierosolymis cuncta loca tanto ardore ac studio circumivit, ut nisi ad reliqua festinaret, a primis non posset abduci, prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. » S. *Augustinus* (2) inquit: « Dulcissima pictura est haec, ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem. » Idem de Cons. evang. (3) refert de ethnicis, « quod pluribus locis simul eos (Petrum et Paulum) cum illo (Christo) pictos viderint. » Et (4) c. Faustum, Abrahami filium suum offerentis picturam multis in locis conspici ait. *S. Paulinus Nol.* Epist. 12 ad Severum scribit: « Recte in loco refectionis humanae Martinus pingitur, qui coelestis hominis imaginem perfecta Christi imitatione portavit, ut deponentibus in lavacro terrenae imaginis vetustatem imitanda coelestis animae occurrat effigies. » Ibidem canit: « Martinum veneranda viri testatur imago. » *S. Prudentius* in lib. Peri-Stephanon hymno nono scribit, Forum Cornelii se adiisse, ibique *S. Cassiani* imaginem vidisse: « Erexi ad coelum faciem: stetit obvia contra fucis colorum picta imago Martyris, plagas mille gerens, totos lacerata per artus, ruptam minutis referens punctis cutem. » *S. Nilus Abbas*, S. Chrysostomi discipulus, in Epist. ad Olympiodorum dicit: « Novi ac veteris Testamenti historiis hinc inde parietes templi repleri doctissimi pictoris opera velim, quo scilicet hi, qui litteras non norunt, neque S. Scripturam legere queunt, contemplatione picturae in memoriam reducant, quinam germane vero illi Deo servierunt, atque in certamen excitentur gloriosorum et laudatorum facinorum, per quae cum coelo terram commutarunt, venerantes scilicet per contemplationem ea, quae non viderunt. » *Theodoretus* in religiosa historia (5) de Simeone Stylita scribit: « Aiunt Romae, quae est omnium maxima, eum fuisse adeo omnium sermone celebratum, ut in omnibus officinarum vestibulis et porticibus ei parvas posuerint imagines, hinc sibi praesidium et tutelam parantes. » *S. Gregorius M.* (6) Ep. 52 ad Secundinum ait: « Ab re non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans videre conatur, si contigerit eam ad Ecclesiam ire, statim per viam incedenti se praeparat, ut de visione eius hilaris recedat. Scio quidem, quod imaginem Salvatoris non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur. » Cum illo tempore *Serenus*, Massiliensis Episcopus, inconsiderato zelo succensus, ex inani timore, aut praetextu imagines fregisset, ne idololatriae occasionem praeberent, fortiter ei restitit *S. Gregorius M.*, et (7) ad eundem scribit: « Perlatum ad nos fuerat quod inconsiderato zelo succensus sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia

(1) Ep. 27, cap. 3. (2) Serm. 316, n. 5.
(3) Lib. 1, c. 10. (4) Lib. 22, cap. 73.
(5) Cap. 26. (6) Epist. lib. 9.
(7) Epist. lib. 11, Ep. 13 al. lib. 9, ep. 105.

eas adorari vetuisses, omnino laudavimus, fregisse vero reprehendimus. Dic, frater, a quo factum sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit revocare, ut despectis aliis fratribus solum te sanctum esse crederes et sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturae historiam, quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis praestat pictura credentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debeant; in ipsa legunt qui litteras nesciunt. In locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit. »

3. Cum *Leo Isaurus* cultum imaginum impeteret, forti animo ipsi restiterunt *S. Germanus* Patr. CPtanus, *S. Io. Damascenus*, et *Gregorius II* summus Pontifex, qui anno 730 convocata Romae Synodo 93 Episcoporum recentem haeresin proscripsit. Eodem modo orthodoxam fidem contra Iconoclastas definivit an. 787 *Concilium oecumenicum Nicaenum II*, quod Act. VII ita loquitur: *Sequentes divinitus inspiratum Ss. Patrum nostrorum magisterium et catholicae traditionem Ecclesiae — definimus — sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tum quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter se habente in sanctis Dei Ecclesiis et sacris vasis et vestibus et in parietibus ac tabulis, domibus et viis; tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris N. I. Christi, quam intemeratae Dominae nostrae sanctae Dei Genitricis, honorabiliumque angelorum, et omnium sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur; tanto qui has contemplantur, ad lacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam et desiderium, et his osculum et honorariam adorationem tribuendam, non tamen veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam naturam divinam decet, ita ut istis, sicut figurae pretiosae ac vivificae crucis, et sanctis Evangeliis et reliquis sacris monumentis incensorum et luminum oblatio, ad harum honorem perficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit, et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.* Eandem doctrinam confirmavit an. 869 *Concilium gener. CPtanum IV* his verbis: *Sacram D. N. I. Christi effigiem eadem, qua sancta Evangelia veneratione colendam statuimus. Ut enim per syllabas in Evangelio scriptas salutem consequuntur omnes, ita per imagines arte coloribusque pictas et expressas docti iuxta, et indocti ex obiecta re utilitatem capiunt. Quaecunque enim in syllabis oratio, haec in coloribus pictura docet, et repraesentat. Ergo quicumque Christi Salvatoris imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem. Eadem ratione intemeratae Genitricis illius effigiem, sanctorumque angelorum — ac sanctorum omnium veneramur et colimus. Qui aliter sentiunt anathema sunto.* Verba *Conc. Tridentini* usum et cultum sacrarum imaginum licitum, et honestum declarantis iam § 806, n. 2 adducta sunt. Ibidem autem eiusdem etiam utilitatem praedicat dicens: *Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis, et assi-*

due recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per sanctos miracula, et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem, vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Consentiunt in hoc dogmate etiam Graeci schismatici, qui in *Synodo CPtana* an. 1672 habita can. XII definiunt: *Cultum Ss. Imaginum ceu ritum a temporibus Apostolorum ad nos usque transmissum iuxta ecclesiastica monumenta prorsus amplectimur, non quidem quo debitum uni Deo honorem illis impendamus, sed penes aliquam dumtaxat relationem veneremur. Neque enim soli materiae, coloribusve haeremus, sed ad illarum archetyporum memoriam assurgimus.*

Nota 1. Argumentum Traditionis confirmatur etiam per ea, quae § 323 de cultu S. Crucis, et in qua Christus mortuus est, et imaginum eiusdem dicta sunt. Viri eruditi, ut *Arinhius* (1), *Mamachius* (2), *Selvaggio* (3), *Ciampini* (4) et alii pro usu et cultu sacrarum imaginum alia quoque monumenta protulerunt. Talia sunt symbola in annulis, lucernis, picturis, sarcophagis, coemeteriis, parietibus, calicibus, gemmis, vitris, et eiusmodi ex prioribus saeculis adservata, quibus potiora V. T. facta, vel res a Christo gestae, aut imago Christi in monte consistentis, ex quo quatuor flumina originem habent, vel crucem gestantis, vel sub figura boni pastoris, sive pascentis, sive succollantis ovem, aut imagines B. Virginis, angelorum et sanctorum expressae conspiciuntur. — Ex hoc autem imaginum usu, quem ex dictis a primordiis Ecclesiae obtinuisse negari nequit, facile porro colligitur, earum etiam viguisse venerationem. Nam cum Christiani venerarentur sanctos, necessario quoque veneratione prosequebantur eorum imagines, quas habebant. Adeo enim haec inter se connexa sunt, ut unum sine altero vix ac ne vix quidem subsistere possit, quod ex ipsa Protestantium agendi ratione patet, qui cum vellent imaginum venerationem tollere, cultum ipsum sanctorum sustulerunt. Sed non desunt documenta positiva, quae ostendunt prioribus Ecclesiae saeculis imaginum venerationem viguisse. Etenim id probant calumniae, contra quas Christiani se purgare coacti erant, ac si scilicet imagines cultu latriae colerent. Nonnulli quoque ex Patribus citatis non usum tantum, sed et cultum sacrarum imaginum contestantur, ut *S. Methodius*, *S. Athanasius*, *S. Basilius* etc. Idem evincunt vitra, in quibus iam saeculo tertio B. Virgo cum puero Iesu nimbis, aureolis, seu coronis redimita conspicitur; quibus manifeste honor, seu cultus significatur, quo Iesum Christum, et B. Virginem primi Christiani in imaginibus prosequebantur. Ultimo etiam argumentum praescriptionis licet afferre; nam, ait *Card. Gotti* de vera Eccl. (5): «Primos, qui cultum imaginum impugnarunt, scimus; qui vero introduxerunt, nescimus; argumentum evidens, ab apostolica traditione descendisse. »

Nota 2. Usus imaginum Dei invisibilis, et Ss. Trinitatis rarus fuit in veteri Ecclesia. Eundem plurimi ex

(1) In Roma subterr.
(2) Orig. et Antiq. Christ.
(3) Antiq. christ instit. (4) Vet. monum.
(5) Art. 16, § 3, n. 10.

Patribus improbarunt, ut *Tertullianus* (1), *Clemens Alex.* (2), *Origenes* lib. 8 c. Celsum, *Minucius Felix* in Octavio, *Lactantius* (3), *S. Augustinus* (4), *S. Io. Damascenus* (5), *S. Germanus CPtanus*, in epist. ad Ioann. Synadensem, *S. Gregorius II* in ep. priore ad Leonem Isaur. scribens: « Cur Patrem D. N. I. Christi minime proponimus, ac pingimus? Nimirum quia nescimus, quis sit, et Dei naturam in conspectum adducere, ac pingere nemo potest. Quod si eum vidissemus, ac nossemus sicut Filium eius, etiam ipsum videndum proponere ac pingere possemus. » *Conc. Nicaenum II*, act. VII negat, invisibilis, ac incomprehensibilis Dei imaginem a Christianis fieri: admittit tamen, angelos depingi posse, quia ut homines apparuerunt. Cur vero hi Patres Dei, aut Ss. Trinitatis imaginem reiecerint, ratio est tum ea, quam assignavit *S. Gregorius II* in epistola citata, tum etiam ad pericula praecavenda, ne scilicet Deus crederetur esse corporeus, erroresque renovarentur antropomorphitarum, aut gentilium diis suis membra tribuentium. — Quamvis vero in antiqua Ecclesia rarus fuerit, fuit tamen aliquis imaginum Dei, et Ss. Trinitatis usus. *S. Basilius*, teste *S. Amphilochio*, columbas Spiritum sanctum repraesentantes suspensas habuit. *S. Paulinus Nol.* in epist. 12 ad Severum describit picturas, quibus ornari curaverat basilicam S. Felicis M. aere suo aedificatam: inter caetera vero Trinitatis effigiem, musivo opere descriptam in basilica his versibus exponit: « Pleno coruscat Trinitas mysterio: Stat Christus agno: Vox Patris coelo tonat: et per columbam Spiritus sanctus fluit: » In libello supplici clericorum, et monachorum Antiochensium contra Severum acephalorum ducem ad *Ioannem* Patr. CPtanum, qui lectus fuit in Synodo CPtana an. 536 sub *Menna* habita, haec leguntur apud Harduinum (6): « Neque utique (Severus) ipsis sanctis altaribus pepercit: neque sacris vasis parcens, alia confringens, alia autem conflans similibus suis erogat. Praesumptum est autem ab ipso et hoc, o Beatissimi! Nam columbas aureas, et argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra, et altaria appensas, una cum aliis sibi appropriavit dicens, non oportere in specie columbae Spiritum sanctum nominare. » Alia similia monumenta refert *Cl. Ciampini* (7). — Videtur igitur, in antiqua Ecclesia varias sententias circa imagines Dei, et Ss. Trinitatis viguisse. Verum apparens iste dissensus facile tollitur, si cum Caietano et Trombellio observemus, tres dari modos invisibilem Deum pingendi: *primo*, si quis eius naturam, et essentialem proprietatem, et perfectionem exprimere nitatur; *secundo*, si eas species efformet, quas Deus in V. aut N. Testamento assumpsit, cum homines alloquebatur, vel se eis conspicuum reddidit; *tertio* si Dei naturam, aut essentiales illius proprietates aenigmatice delineet. Modo primo Deum pingere velle, rationi, et religioni adversatur. Natura enim Dei infinita creatae, et finitae imagini non potest adaequari; spiritus coloribus non exprimitur, nec divina Incomprehensibilitas inter lineas restringi patitur, aut per figuras repraesentari. De hoc primo modo intelligendi sunt Patres citati, *Gregorius II*

(1) Lib. de Spectac. c. 23
(2) Lib. 6 Strom. (3) Lib. 2 Instit. cap. 2.
(4) Lib. de Fide et Symbolo, cap. 7.
(5) Lib. 1 de Imag.
(6) Lib. 2 Concil. columna 1319
(7) Tom. 1 Veter. Monum., cap. 23.

et *Concilium Nicaenum II* dum imagines Dei improbant: et in hoc omnes Catholici semper consenserunt et consentiunt, intime persuasi, invisibilem, et infinitam Dei naturam per imaginem manibus humanis factam repraesentari non posse. Secundo autem et tertio modo Deum pingere semper ut licitum habitum est; et quamvis Ecclesia pristinis temporibus ex prudenti oeconomia a talibus Dei imaginibus abstinuerit, non tamen eas etiam publice in Ecclesiis adhibentes reprobavit. Cessante denique erroris periculo, illarum imaginum usus, Ecclesia consentiente, ubique invaluit, eumque licitum esse, gravia argumenta probant. Nam: 1° licitum est, Deum ea specie pingere, qua ipsemet se hominibus conspicuum reddere dignatus est. At Deus visus est corporea specie Adamo, tanquam homo deambulans in paradiso, Iacobo tanquam homo innixus summitati scalae, Michaeae ut sedens in solio, Danieli ut antiquus dierum. Spiritus sanctus in forma columbae, et ignis apparuit. Praeterea S. Scriptura tribuit Deo membra humana, dum dicit, eum stare, sedere, ambulare, caput nominat, manus, pedes etc. Ipsa ergo S. Scriptura Deum figurate pro hominun captu proponit: licitum autem certe est, figuras, quas S. Scriptura per verba exprimit, et sub quibus Deus ipse se conspicuum reddidit, per colores repraesentare. 2° *Concilium Nicaenum II*, Act. V approbavit imaginem Spiritus sancti in forma columbae, et imagines angelorum in forma humana, quia ita apparuerunt. Ergo pariter Pater divinus depingi potest, prout apparuit. 3° Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, usui huic ab aliquot iam saeculis introducto se nunquam opposuit: imo *Alexander VIII* propositionem hanc inter damnatas ordine 15 solemni decreto proscripsit: « Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare. » Et *Pius VI* in Bulla *Auctorem fidei* damnat *Conc. Pistoriensis* propositionem 69 imagines Ss. Trinitatis interdicentem, ut *temerariam, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contrariam.* 4° Praxis haec nulla solida ratione enervari potest. Nos enim Deum, vel Ss. Trinitatem pingimus non ad exprimendam perfectam similitudinem Dei, ac naturam; neque Deum corporeum esse existimamus, sed id agimus vel ad historiam aliquam exhibendam, vel ad explicandam naturam Dei per analogiam, seu metaphoricam, mysticamque significationem; quo modo pingimus Christum in forma agni, et Evangelistas repraesentamus per hominem, leonem, bovem et aquilam. Licitum ergo est, secundo et tertio modo Deum et Ss. Trinitatem in imaginibus repraesentare dummodo populus per solidam instructionem ab erroribus praecaveatur, et dummodo illae tantum imagines Dei et Ss. Trinitatis pingantur, quae ab Ecclesia admissae, et usitatae sunt, nec aliae excogitentur, quae vel indecentiam, vel absurditatem, vel stupendam novitatem praeseferant, ut, ex. gr., si pingeretur Ss. Trinitas sub specie unius hominis habentis tria capita, aut tres facies etc.

Nota 3. Contra traditionis argumentum multas difficultates movent adversarii.

Obi. I. Veteres Patres exprobrant ethnicis simulacrorum cultum, quin tamen hi idipsum intorqueant in Christianos: ergo simulacra, seu imagines non colebantur a Christianis; alioquin praecipue a Iudaeis de maxima impietate accusati fuissent, quod

tamen factum esse non legitur. Quinimo ethnici crimini vertunt fidelibus, quod nulla habeant simulacra, atque Apologetae christiani minime id inficiantur, confitentes potius, se nec crucem adorare, nec aliud quodcumque simulacrum. Hinc cum Ecclesiarum ornatus, et sacra suppellex ab *Optato Milev.*, ab *Eusebio Caesar.*, a *S. Athanasio*, a *S. Hieronymo* et aliis recenseretur, nulla de imaginibus mentio occurrit.

Resp. Argumenta adversariorum non sunt nisi negativa, quae non enervant positiva, praesertim si ratio silentii reddi potest. Haec autem in praesenti difficultate facile redditur. Ecclesia enim ex prudenti oeconomia, ut iam superius dictum est, saltem a publico sacrarum imaginum usu et cultu abstinuit, privatum autem tam caute adhibuit, ut non innotesceret ethnicis, et Iudaeis. Vidimus enim, Christianos in cryptis, in coemeteriis, in aediculis imagines servasse ac plurimum cavisse, ne in ethnicorum, et Iudaeorum notitiam venirent. Caecilius propterea apud Minucium Felicem quaerit ab Octavio, cur Christiani « occultare et abscondere, quidquid illud colunt, magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? » — Non poterat ergo ab adversariis criminatio fieri de re, quam non cognoscebant. Quod autem ad illud attinet, ethnicos fidelibus crimini vertisse, quod nulla haberent simulacra, id non de omnibus adstrui potest; nam alii inter eos extiterunt, qui Christianis cultum crucis, nec non adorationem imaginum obiicerent, ut ex ipsa purgatione, qua scriptores christiani criminationes illas a se amovent clare cognoscitur; alii autem utique asseruerunt, Christianos simulacra non habere, iidem autem affirmant quoque Christianis nulla altaria, et templa fuisse. Caecilius enim l. cit. quaerit: « Cur nullas aras habent? nulla templa? nulla nota simulacra? » Ipsi autem adversarii non negant aras et templa, id est, loca, in quibus sacri conventus habebantur, Christianos iam primis saeculis habuisse. Apologetae tandem nonnisi falsas criminationes diluere satagunt, quin, quid locum obtinuerit, exponant, ne res Christianas prodere videantur; unde ad obiectionem, Christianos simulacra haud colere, solummodo respondent, a Christianis dumtaxat Deum coli, qui fecit coelum et terram; illas autem imagines sanctorum, earumque venerationem tam parum commemorant, quam parum altaria et templa; atque ad calumniam, ab ipsis crucem et imagines sanctorum coli, cultu scilicet latriae, reponunt, se nec crucem, nec quodcumque aliud simulacrum colere, sensu nimirum adversariorum quasi deos, aut divinitatis partes. Sic *Minucius Felix* in Octavio (1) inquit: « Cruces nec colimus, nec optamus. Vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. »

Obi. II. Multi ex Patribus usum, et cultum sacrarum imaginum manifeste reprobarunt. *S. Irenaeus* (2) haereticis Carpocratianis crimini vertit, quod colerent imaginem Christi et Pauli. *Tertullianus* (3) invehitur in imaginum, et statuarum artifices, et ait: quod diabolus eos saeculo intulerit. *Eusebius Caes.* in epist. ad Constantiam August. nefas esse iudicavit, Christi imaginem pingere. *S. Epiphanius* scidit in Anablatensi Ecclesia « velum pendens a foribus Ec-

(1) Cap. 29 (2) Lib. 1, c. 24. (3) Lib. de idol., cap. 3

clesiae, et habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cuiusdam... contra auctoritatem Scripturarum. » *S. Ambrosius* Orat. de obitu Theodosii de sancta Helena dicit: « Regem (Christum) adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum. » *S. Hieronymus* Comment. in Daniel. (1) ait: « Sive statuam sive imaginem auream voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. » *S. Augustinus* (2) inquit: « Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint, quidquid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum, et picturarum adoratores. » *Gregorius M.* (3) Serenum Ep. Massiliensem laudat quod imagines adorari non permisisset.

Resp. Citati Patres eum dumtaxat imaginum cultum reprobant, qui vel superstitiosus, iuxta morem et usum Gentilium institutus, vel eo tempore insolitus erat, et Christianos persecutionibus Iudaeorum et Gentilium exponere poterat; non vero, cultum legitimum, certis legibus, et limitibus adstrictum, qualem Ecclesia agnoscit, et nos tuemur. Id facile patet, si obiecta nobis Patrum dicta singula expendantur. *S. Irenaeus* Carpocratem non idcirco redarguit, quod imaginem Christi haberet, sed quod ipsam eo modo coleret, quo Gentes idola colunt, nimirum sacrificiis aliisque ritibus, cum animo cultum latriae absolutum deferendi susceptis, ut clarius exponunt *S. Epiphanius* (4), et *S. Augustinus* (5). Accedit, quod haereticus ille imaginem Christi, et Pauli eodem loco haberet, quo imagines Homeri, Pythagorae, Platonis et Aristotelis. — *Tertullianus* loquitur de fabricatoribus idolorum, vel de ipsis idolis quibus Gentiles divinum cultum deferebant: non autem omnes imagines absolute reprobat, sed admittit, eas Dei iussu confici posse, ait enim eodem loco: « Non facias tibi simulacrum aliquod, nisi tibi Deus iusserit: » quibus verbis non alloquitur Christianos, sed ethnicos, qui exemplo serpentis aenei iussu Dei fabricati errorem suum tutabantur: his occurrit *Tertullianus* dicendo: Si vultis imitari Iudaeos, etiam in hoc imitamini, ut nullum simulacrum sine mandato Dei faciatis. — Epistola ad Constantiam supposititia est, et *Eusebio* falso adscribitur (6): et certe, qui statuam laudat, a muliere sanata in honorem Christi erectam, non potest imaginem Christi illicitam declarare. Qui autem putant, Epistolam adductam genuinam esse, cum *Natali Alexandro* respondent: « Probabile esse, Constantiam Augustam optasse imaginem Christi Servatoris, quae ipsum ad vivum referret: existimasse effigiem huiusmodi ad vivum expressam in Palaestina inveniri, ubi Christus vixerat, et salutis nostrae mysteria perfecerat: ideo scripsisse ipsam ad *Eusebium*, ut eius curis voti compos fieret: hunc vero, ut se importuna petitione liberaret, respondisse: non posse fieri, quod postulabat, quia, cum duplici Christus natura constet, divina, et humana, neutrius imago possit exprimi, non divinae, quam nemo intelligentia complecti potest, non humanae, cuius mortalitas a gloria divinitatis tota est absorpta. » — Quod *S. Epiphanium* attinet, putant nonnulli, eum hac in re vere errasse, et alii factum ipsum in dubium trahunt, citatam eius epistolam spuriam

(1) Cap. 3.
(2) Lib. 1 de moribus Eccl. cap., 34.
(3) Lib. 9 Epist., ep. 105.
(4) Haer. 27, n. 6. (5) Haer. 7.
(6) V. Petav. de Incarn. lib. 15, c. 15, § 9.

iudicantes. At etiam ex facto ut vero admisso nihil contra doctrinam catholicam inferri potest. Recte enim dicitur, nondum in Ecclesiis Cypri et Palaestinae receptum fuisse, ut imagines in Ecclesiis proponerentur, ideoque *S. Epiphanium* exhorruisse, dum depictam in velo pro foribus templi suspenso conspexit imaginem quasi Christi vel alicuius sancti, et velum illud conscidisse: scripsisse porro ad Ioannem Hierosol., id esse « contra religionem nostram, et contra auctoritatem Scripturarum, ut hominis, in Ecclesia Christi pendeat imago; » quia nec Scriptura sacra, nec religio id iubet, imo utraque vetat id omne, quod offensionis causa esse potest, cuiusmodi erat veli, in quo depicta erat effigies hominis, in Ecclesia suspensio iis temporibus, quibus nondum usum imaginum in Ecclesiis Cypri et Palaestinae Episcopi, quorum erat disciplinam ecclesiasticam his in regionibus sancire, susceperant. Respondet praeterea *Natalis Alex.* « imaginem illam sive Christi, sive alicuius sancti congrue non fuisse expressam, aut superstitionis alicuius vel erroris occasionem rudibus Anablatensibus praebuisse, et hoc nomine fuisse contra Religionem et contra auctoritatem Scripturarum, ideoque prudenter fecisse *S. Epiphanium*, qui velum, in quo huiusmodi picta erat effigies consciderit. » Caeterum *S. Epiphanius* nunquam reprehendit Episcopos Ponti, Cappadociae, Syriae, Thraciae etc., qui publicum sacrarum imaginum usum, et cultum introduxerant, sed cum *S. Gregorio Nyss.*, *Basilio M.*, *Chrysostomo* etc., in communione vixit; nec vicissim ab his ob contrariam doctrinam lacessitus fuit: ergo certe circa sanctarum imaginum cultum catholice sensit. — *S. Ambrosius* loquitur de suprema adoratione latriae absoluta, quam Helena ligno crucis nec detulit, nec deferre potuit, salva pietate, detulit autem ipsi Christo, qui pro nobis pependit in ligno. Quod vero adoratio aliqua cruci exhiberi possit, nimirum relativa, paulo inferius clare asserit dicens: « Sapienter Helena egit, quae crucem in capite Regum levavit, et locavit, ut crux Christi in regibus adoretur. » — *S. Hieronymus* arguit eos, qui statuas imperatorum divinis honoribus afficiebant; arguit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere recusarunt. Quamvis enim imperatores christiani pro diis non haberentur, ipsorum tamen statuae hinc inde iisdem fere honoribus afficiebantur, quibus vigente paganismo fuerant olim affectae. Et sane effusam fuisse graeculorum licentiam statuas et imagines imperatorum colendi, vel ex eo cognosci potest, quod Theodosius piissimus imperator edita lege praeceperit, ut si quando eius statuae, vel imagines erigerentur, adesset Iudex, curaretque, ut cultus hominum dignitatem excedens Deo soli reservaretur. — *S. Augustinus* damnat eos, qui ad quorumvis defunctorum sepulcra imagines eorum adorabant, et quidem superstitioso ritu, ut diserte ait S. Doctor. At de martyrum sepulcris et imaginibus non loquitur, ut contendunt Protestantes; Martyres enim *Augustinus* non vocasset *mortuos*, et *cadavera*, sed pro more suo honorifico nomine eos compellasset: et si de illis locutus esset, dicendum foret, S. Doctorem nullatenus venerationem imaginum Christi, et sanctorum secundum religionis regulas factam improbare, sed eos solummodo, qui more gentilium defunctis parentabant, et imagines ad eorum sepulcra depictas, aut in domibus asservatas ho-

nore indebito, et ritu superstitioso prosequebantur: id manifeste patet ex verbis, quae S. Doctor immediate subiungit dicens: « Novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni. » — *S. Gregorius M.* in citata Epistola hoc solummodo dicit, imagines illas non esse adorandas ea ratione, qua Gentiles idola sua colebant; ideo ibidem scribit: « Non displicuit tibi ipsa visio historiae, quae pictura teste pendebatur, sed illa adoratio, quae picturis fuerat *incompetenter* exhibita. » Ergo incompetentem tantum, et inordinatum cultum reprobat, usum vero imaginum retinendum esse docet; unde hoc quoque monitum addit: « Frangi vero non debuit, quod non adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum. » Profitetur ergo S. Pontifex, sacras imagines in Ecclesiis collocatas esse, sed non ut adorentur cultu latriae absoluto, sed ut mentes rudiorum instruantur, seu ad considerandum, et colendum prototypon, seu exemplar excitentur. Non denegat igitur imaginibus cultum relativum ob exemplaria, quae referunt, sed absolutum illis abiudicat, quia in se, et per se nullam habent excellentiam, quae tota a prototypis in imagines derivatur. Profecto S. Gregorii M. mens clarissime colligitur ex epistola ipsius ad Secundinum (1), ubi de imagine Christi ita loquitur: « Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur. » Quae verba perspicue demonstrant, Romanam, Ecclesiam, et ipsum S. Gregorium imagines adorasse, et coram illis se prostravisse, sed non quasi ante divinitatem imagini inhaerentem, hoc est, non ad ipsas imagines mentem suam, et intentionem animi direxisse, ita ut in imagine sisteret adoratio, verum in hac respexisse prototypum, et ad eum retulisse per imaginem cum exteriori cultu interiorem voluntatis effectum. — Istas et alias difficultates ex Patribus petitas solide solvunt *Natalis Alex.* (2), *Petavius* (3).

Obi. III. *Concilium Eliberitanum* ann. 305 habitum can. XXXVI decrevit: *Placuit, picturas esse in Ecclesia non debere, ne, quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.* Ergo reprobavit cultum imaginum.

Resp. Theologi catholici varie hunc canonem interpretantur. Nonnulli cum *Albaspinaeo* putant, Concilium vetuisse Dei solius imagines depingi, ne, quem gentilibus et cathecumenis immensum, invisibilem, spiritualem Christiani praedicabant, eum ipsi gentiles et cathecumeni in ipsorum Ecclesiis non sine errandi periculo circumscriptum, et corporeum cernerent. Alii cum *Nicolao Sandero* censent prohibitum id fuisse, ne imagines in parietibus depictae ludibrio, ac furore gentilium exponerentur. Signa enim, et statuae ac tabulae mobiles facile poterant a Christianis alio transferri, et occultari persecutione imminente, non vero parietibus adhaerentes picturae. Quidam cum *Bellarmino* et *Perronio* aiunt id a Concilio decretum fuisse, ne deiectis parietum crustis picturae facile deformarentur, et inde amissa venerabili forma potius contemptui sint, quam veneration.

(1) Epist. lib. 9, ep. 52; al. lib. 7, ep. 53.
(2) Dissert. 6 in Saec. 8, § 3 et 4.
(3) De Incarn. lib. 15, cap. 15 et seq.

Simili de causa in codice Iustiniano (1) lex promulgatur Theodosii et Valentiniani imperatorum, prohibens humi Salvatoris signum in silice insculpi, aut depingi, ne videlicet conspuatur, aut conculcetur ab iis, qui sacrum in locum conveniunt. Profecto si Eliberitani Patres cultum imaginum reprobassent, graviter prohibuissent picturas, ac imagines omnes sanctorum, non in Ecclesiis tantum, verum etiam in privatis aedibus asservari. Denique multi cum *Natali Alex.* (2) respondent, Patres Eliberitanos revera usum imaginum prohibuisse, non quod colendas eas esse negarent, sed quod earum usus primis illis christianae religionis saeculis hispanis noxius potius quam utilis futurus esset; existimassent enim ethnici, Christianos idola potius mutasse, quam reliquisse: ex hac prudenti oeconomia, ut iam observatum est, generatim Ecclesia a publico saltem imaginum usu abstinuit. Ex his patet, adversarios ex citato canone nullum pro re sua argumentum inferre posse.

Obi. IV. Duo Concilia *CPtana*, unum sub *Leone Isaurico*, alterum sub *Constant. Copronymo* conceptis verbis definierunt, impium esse sacrarum imaginum cultum, ac propterea imagines prorsus esse abolendas.

Resp. Plus ex istis duobus Conciliis probaretur, quam ipse *Dallaeus*, infensissimus sacrarum imaginum hostis velit, nempe penitus frangendas ac conterendas esse imagines sacras, quae tamen iuxta Protestantes retineri et proponi possunt, quia valent ad memoriam historiae praeteritae, ad ornatum, ad doctrinam et instructionem rudiorum ac simplicium. Quamvis porro his Conciliis magnus interfuerit Episcoporum numerus, attamen non fuere legitima, sed conciliabula nullius roboris et auctoritatis. Convocata enim sunt ab Imperatoribus, qui Episcopos orthodoxos, ex. gr., S. Germanum Patr. CPtanum deposuerunt, aliosque sibi faventes intruserunt. Non interfuerunt legati Rom. Pontificis, nec Patriarchae Orientis, excepto Patr. CPtano intruso. Defuit libertas suffragiorum, quia ipsemet Imperator sua auctoritate abutens ascendit in ambonem, et quae definienda forent, dictavit. Denique acta horum Conciliorum rescissa sunt a Rom. Pontificibus, a tribus simul orientalibus Patriarchis, ac demum ab universa Ecclesia in oecumenica *Synodo Nicaena II.* Caeterum mirari lubet, qua fronte Protestantes utramque illam praedatoriam Synodum adeo commendent, quae, licet cultum imaginum reiecerit, invocationem tamen sanctorum, cultum reliquiarum, ac sanctae crucis diserte asseruit.

Obi. V. Quae *Synodus Nicaena II* decreverat pro cultu imaginum, reprobata fuerunt a *Concilio Francofurtiensi* an. 794 sub Carolo Magno habita, cui interfuerunt Episcopi occidentales ex Gallia, Germania et Italia collecti, ac etiam legati Romani Pontificis *Hadriani I.* Maxima ergo pars Ecclesiae occidentalis in doctrina de cultu Ss. imaginum a *Concilio Nicaeno II* dissensit.

Resp. Si dissensus iste inter nominata duo Concilia dogma ipsum attigisset, dicendum foret, errasse *Conc. Francofurtiense*, quod certe fuit tantum particulare, et de approbatione Rom. Pontificis gloriari nequit. Quae enim hoc Concilium decrevit contra Felicem et Elipandum, approbata fuere ab *Hadriano I:* minime vero, quae contra Nicaenam Synodum improvide in eo statuta sunt. E contra

(1) Lib. 1, tit. 8.

(2) Diss. 21, in hist. eccl., Saec. 3, art. 2.

Concilium Nicaenum II approbatum fuit ab *Hadriano I*, a *Leone III*, et ab *Hadriano II* in *Concilio generali VIII CPtano IV;* quapropter in tota Ecclesia catholica receptum est. Negamus autem, *Patres Francofurtienses* in dogmate dissensisse a *Patribus Nicaenis;* nam et illi, sicut isti crediderunt et docuerunt, sanctos colendos esse cultu duliae, sacras imagines retinendas esse ac venerandas; non licere autem istis cultum latriae absolutum deferre. Non ergo *Concil. Francofurtiense* ideo reprobavit *Concilium Nicaenum II,* quia probavit cultum legitimum Ss. imaginum, sed quia *errore facti* credidit, hoc Concilium definiisse, imagines sanctorum cultu latriae absoluto adorandas esse. Huic errori occasionem dedit confessio fidei Constantini, Constantiae Cypri Episcopi, a Conc. Nicaeno approbata et recepta, sed e graeco in latinum male reddita his verbis: *Suscipio et amplector sanctas et venerabiles imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto.* At in graeco originali habetur: *His consentio, et concors sum, suscipiens et cum honore amplectens sanctas ac venerandas imagines: adorationem autem, quae fit secundum latriam, tantummodo supersubstantiali et vivificae Trinitati defero.* Hanc confessionem plane orthodoxam approbavit et recepit *Concilium Nicaenum II.* Ast *Patres Francofurtienses* corrupta versione decepti contrarium putarunt; et ideo Can. II dixerunt: *Allata est in medio quaestio de nova graecorum synodo, quam de adorandis imaginibus sanctorum Constantinopoli* (primum et postea Nicaeae) *fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut, qui imaginibus sanctorum ita ut deificae Trinitati servitium, et adorationem non impenderent, anathema iudicarentur: hoc autem patres nostri, adorationem renuentes, contempserunt, atque consentientes damnaverunt.* — Errarunt porro Patres Francofurtienses ideo quoque errore facti, quia putarunt, Synodum Nicaenam habitam fuisse sine consensu Romani Pontificis; ut patet ex libris carolinis id asserentibus, atque ex *Hincmaro* Rhemensi, qui in suo opere ad Hincmarum Laudunensem (1) ita scribit: « Septima autem apud Graecos vocata universalis Pseudo-Synodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas (cultu latriae) dicebant: Neutra vero pars intellectu sano definiens, sine auctoritate Apostolicae Sedis non longe ante nostra tempora Constantinopoli habita est, et Romam missa. » Nec mirum est, Gallos et Germanos hanc Rom. Pontificis approbationem pluribus annis ignorasse; quamvis enim *Hadrianus I* Nicaenam Synodum illico approbaverit, nondum tamen iudicio publico declaraverat, eam habendam esse ut oecumenicam; nec decreto publico eam confirmaverat, aut per Ecclesias occidentis promulgari iusserat. Denique apparens in dogmate dissensus inter Nicaenos et Francofurtienses Patres etiam ex diversitate disciplinae repetendus est. Consenserunt enim utrique in eo, quod cultum latriae imaginibus sanctorum deferre non liceat. Sed orientales, generatim in caeremoniis externis profusiores, genuflexiones, thurificationes, luminaria etc., etiam in cultu duliae adhibebant; quamobrem *Concilium Nicaenum II* huiusmodi honoris testificationes ut licitas permittere potuit. Occidentales vero easdem solum in cultu Deo debito adhibebant, et in dictis caeremoniis actus latriae agnoscebant, et ideo easdem licitas

(1) Cap. 20.

declarare non poterant. Errarunt autem in eo, quod ad varietatem disciplinae non attendentes Patres Nicaenos reprehenderint, quasi cultum latriae sanctorum imaginibus deferendum esse pronuntiassent. — Ex his omnibus patet, quod ex praefatorum Conciliorum dissensu nihil contra perpetuam Ecclesiae fidem de licito, et pio imaginum cultu inferri possit.

Obi. VI. Libri quatuor, *carolini* dicti, quos *Carolus M.* exaravit, aut exarari iussit contra definitionem *C. Nicaeni II*, apertissime cultum imaginum in *Concilio Nicaeno II* definitum damnant. Eadem damnatio repetita est in *conventu Parisiensi* an. 824 *sub Ludovico Pio* convocato. Eccur Rom. Pontifices illos non damnarunt, qui decretis Concilii Nicaeni oecumenici restiterunt? —

Resp. Bellarminus negat, praefatos libros religiosissimo Imperatori recte adscribi, et putat, eos a quodam Iconomachorum fautore compilatos esse: quam sententiam refutat, *Natalis Alex.* (1). — *Petavius* (2) censet, auctorem librorum carolinorum et conventum parisiensem reipsa errasse circa cultum ipsum, mediamque tenuisse viam inter errorem Iconoclastarum, et dogma Nicaenum. *Natalis Alex.* verò invicte probat, auctorem librorum carolinorum damrasse cultum imaginibus a Concilio Nicaeno decretum, quia errore facti a Patribus Nicaenis decretum fuisse existimabat, cultum latriae imaginibus sanctorum deferendum esse, eoquod infida actorum illius Concilii translatione usus fuerit. Rem ita se habere, Natalis Alex. plurimis testimoniis ex libris carolinis petitis probat: aliqua tantum audiamus. L. 1 (3) dicitur: « Non mediocris est error, cum aliud adoratur religionis cultu, quam is, qui dixit: Dominum tuum adorabis, et illi soli servies: » loquitur ergo de cultu soli Deo debito; alias sibi non constaret auctor, qui admittit cultum sanctorum. Lib. 3 (4) haec habentur: « Insipienter Constantinus, Constantiae Cypri Episcopus dixit: Suscipio..... imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto: » ubi certe non damnatur nisi cultus latriae imaginibus exhibitus. Ibid. (5) scribit: « Quod Euthymius Sardensis a praefati Constantini errore non multum dissentit in eo, quod ait: Ex toto corde suscipio imagines venerandas cum condecenti honore, et amplectabili adoratione: » ergo licet per hanc vocem *amplectabili*, nomen *adoratio* referatur ad cultum duliae, auctor tamen carolinorum ex errore illud de cultu latriae interpretatus est, cum dicat, confessionem Euthymii non multum differre ab infida translatione confessionis Constantini. — Quidam contendunt, auctorem librorum carolinorum, aliosque Episcopos gallos cultum, quem Graeci imaginibus deferebant, non reiecisse quoad substantiam, sed tantum quoad varios modos, quibus illas honorabant, ex. gr., luminibus, thurificatione, genuflexione, corporis prostratione, et aliis similibus modis, qui, cum vel non essent in usu apud Gallos, vel tantum in cultu latriae adhiberentur, vel superstitionis aliquid redolere videri potuissent cum imperitorum scandalo, ab auctore carolinorum improbati fuerunt: « nam, ait praefatus auctor lib. 3 (6), etsi a doctis quibusque vitari possit hoc, quod illi in adorandis imaginibus exercent,

(1) Cit. Diss. 21, Saec. 3, hist. Eccl. a. 2, § 6.
(2) De Incar. lib. 15, cap. 16, § 11.
(3) Cap. 2. (4) Cap. 17. (5) Cap. 18.
(6) Cap. 16.

qui videlicet, non quid sint, sed quid innuant, venerantur, indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his praeter id, quod vident, venerantur et adorant. » Eadem responsio valet etiam de conventu parisiensi. Episcopi enim ibi collecti imaginibus sanctorum cultum latriae denegant, cultum autem legitimum admittunt. Nam in epistola ad *Ludovicum Pium* aiunt: « Imagines sanctorum stulta praesumptione non sunt confringendae, et ad iniuriam sanctorum abolendae, sed potius huiuscemodi superstitione remota iuxta veram religionem memoriae, et amoris causa ob recordationem eorum, quorum imagines sunt, habendae, sicut a *B. Gregorio* satis catholice perspicueque declaratur. » Non ergo reiiciunt cultum duliae, qui in eo potissimum positus est, ut imagines in templis honorifice collocentur ad memoriam et honorem eorum, quorum imagines sunt. — Si autem quaeratur, cur Rom. Pontifices Episcopos *Synodum Nicaenam II* reprobantes non damnaverint, ratio reddi potest, quia *Concilium Nicaenum II* in ipsa celebratione oecumenicum non fuit, cum fere tantum ex orientalibus constaret, quia ab *Hadriano I* confirmatum quidem fuit, sed non ut *oecumenicum* publice declaratum, quia Rom. Pontifices probe cognoverunt, Episcopos gallos et germanos in ipso dogmate consentire, et circa accidentalia bona fide errare, et quia intellexerunt, ea quae in *Concilio Nicaeno II* circa disciplinam, seu modum externum imagines colendi sancita fuerunt, tunc temporis apud occidentales scandalum parere potuisse. Hinc *Hadrianus I* eiusque legati prudentissimo consilio consensere, ut Franci in sua ignoratione, et aliquo modo bona fide permanentes, sinerentur, praevidentes, si urgeretur Synodi VII auctoritas, eiusque ab Hadriano facta confirmatio, fore, ut ex Francorum, in occidente universae tunc fere christianitati dominantium, pertinacia Ecclesia Christi foedissima, et immedicabili conscissione laceraretur. Verum prudenti Roman. Pontificum conniventia, et vigilanti industria factum est, ut definitiones *Concilii Nicaeni II* pedetentim ab omnibus reciperentur. Nam etiam Germani Gallique, qui Synodo Nicaenae non satis intellectae, et cultui imaginum restiterant, rebus explicatis, atque perspectis, eandem Synodum ad finem saeculi IX sunt amplexi, et sic consensus Ecclesiae orientalis, et occidentalis circa cultum Ss. imaginum clarissima luce apparuit (1).

C. *Argumentum ex rationibus theologicis desumptum.*

§ 810. Ipsa sana ratio usum, et cultum sacrarum imaginum licitum, pium et utilem agnoscit.

1. Ipsa natura humana usum imaginum introduxit, per quas homines obiecta absentia, sed valde aestimata et amata sibi praesentia reddere studuerunt. Hinc etiam apud ethnicas et barbaras nationes imagines parentum, principum et benefactorum confici, et ante oculos poni consueverunt; imo etiam illustria facta per picturas, statuas, et alia monumenta perpetuae posteritatis memoriae tradita sunt. Talem imaginum usum etiam circa personas et res sacras Protestantes non condemnant; earum vero cultum penitus reiiciunt, eumque illicitum, et impium declarant. Ast ipsa sana ratione dictante, usus imaginum cum earum cultu relativo, quem Catholici defendunt, intime est

(5) Cf. Sardagna tom. 2, tract. 3, n. 190.

connexus. Fieri enim nequit, pro diversa ratione, qua erga aliquem affecti sumus, amore scilicet, aut odio, existimatione, aut contemptu, quin iisdem animi sensibus feramur erga imagines, aut simulacra, quae prototypon referunt. Hinc receptum est, ut, cum nostrum erga quempiam amorem aut odium patefacere volumus, honoremus, aut destruamus illius imagines ac simulacra; quod ex quotidiano experimento fieri comperimus. Quare, si ipsis fatentibus adversariis, principum, aut doctorum virorum et eorum, qui de patria benemeriti sunt, ob civile, litterarium, aut naturale, ac morale aliquod motivum imagines ac simulacra civiliter honorare possumus, cur Christi et sanctorum imagines ob motivum religiosum religiose venerari, et hanc venerationem externis signis manifestare non poterimus?

2. Spiritualis hominis natura ita constituta est, ut per imaginationem, seu phantasiam rerum absentium imagines in mente sua efformet, et varios erga istas affectus in corde excitet. Ita filius defuncti patris, et sponsus absentis sponsae speciem sibi repraesentat, et affectu amoris in istas imagines fertur. Neque in cultu religioso homines aliter procedunt. Cum enim infinitam et simplicissimam Dei naturam comprehendere non possint, Deum, quem adorant, sub quadam specie seu figura sibi repraesentant. Certe etiam Protestantes, dum Christum Deum hominem venerantur, et cultu latriae adorant, in mente sua quandam ipsius imaginem construunt, ad quam cultum et affectus cordis dirigunt. Quamvis autem talis imago interne a mente constructa non sit ipse Christus, nemini tamen in mentem venit, talem latriae cultum illicitum et impium declarare, quia nempe per imaginem talis cultus ad prototypum refertur. Nihil autem interest quoad substantiam inter imaginem interne constructam, et solis oculis animae obversantem, et inter imaginem externe constructam, et etiam corporis oculis propositam. Quam absurdum igitur et iniustum est istarum imaginum cultum, qui etiam relativus est, ut illicitum et impium criminari?

3. Ipsa sana ratio docet, usum imaginum sacrarum utilissimum esse. Homines enim, sensibus alligati, rerum absentium et invisibilium facillime obliviscuntur, nisi per externa signa earum memoria excitetur et conservetur. Opus igitur est imaginibus sacris, quibus memoria Dei praesentis, Christi Redemptoris, et sanctorum in nobis excitetur et conservetur. Sacrae imagines porro inserviunt instructioni rudium hominum, quos hincinde melius docet pictura quam scriptura ab iis non intellecta. Per imagines, ex. gr., Christi patientis etc., ad excitandos in nobis devotionis et pietatis sensus permovemur. Per imagines quoque potentius excitamur ad imitandas praeclaras sanctorum virtutes, cum segnius animos nostros irritent, quae per aures demittuntur, quam quae fidelibus oculis subiiciuntur. Ideo iam Graeci et Romani virorum bene meritorum et illustrium heroum imagines, et statuas publice proposuerunt, ut iuvenes ad sedulam ipsorum imitationem provocentur. Ipsi etiam Protestantes non diffitentur, ex allatis rationibus usum imaginum licitum et utilem esse. At usus semoto cultu dicta emolumenta producere nequit. Etiam in civilibus usus non segregatur a cultu. Absonum esset dicere subditis: erigite imaginem seu statuam Principis vestri, sed cavete, ne illam honore

prosequamini, et reverentiam illi exterius manifestetis! Aut dicere filiis: ponite ante oculos vestros imagines parentum vestrorum; at dum eas aspicitis, grati animi, pietatis et charitatis affectus excitare non licet vobis! Eodem modo perquam absurdum est sacrarum imaginum usum commendare, et religiosum cultum interdicere, cum imagines sacrae nonnisi ad hoc adhibendae sint, ut in animo pii illi affectus excitentur, quos Christianum habere decet erga prototypa, quae per illas repraesentantur.

Nota. Etiam inter Protestantes nonnulli extiterunt, qui candide fassi sunt, religiosum sacrarum imaginum cultum reprehendi non posse. Ita *Cl. Leibnitius* in Syst. theol. cum declarasset, iuxta doctrinam catholicam religiosum cultum non sistere in imagine, sed ad prototypon referri, ita praeclare prosequitur: « Posito igitur, nullam aliam admitti venerationem imaginum, quam quae sit veneratio prototypi, non magis in ea erit idololatria, quam in veneratione, quae Deo et Christo exhibetur, sanctissimo eius nomine pronuntiato. Nam et nomina sunt notae, et quidem imaginibus longe inferiores; rem enim multo minus repraesentant. Itaque cum dicitur, imaginem honorari, non id aliter intelligi debet, quam quo modo dicitur, in nomine Iesu genua flecti, nomen Domini benedici, nomini eius gloriam dari; et coram imagine externa adorare, non magis reprehendendum est, quam adorare coram imagine interna, quae in phantasia nostra depicta est; nullus enim alius usus est externae imaginis, quam ut interna expressior fiat. » Quamvis autem haec, quae scribit sagacissimus et ingenuus vir, sanae rationi et verae philosophiae, ac religioni maxime consona sint, alii tamen Protestantes non cessant doctrinam catholicam lacessere, et ex ratione quoque [illegible] tates movere.

Obi. I. Gentiles non putabant, statuas suas ligneas et lapideas, aureas et argenteas esse Deos, neque cultus illis exhibitus terminabatur ad statuas, sed ad Deum referebatur, quem illae exhibebant; ac nihilominus in S. Scriptura et a Patribus dicebantur idololatri: ergo ad idololatriam sufficit, ut Deus aut sancti colantur in imaginibus, licet id relative tantum fiat.

Resp. Non sine maxima impietate imagines Catholicorum cum idolis ethnicorum comparantur. Quamvis enim admitteretur, istos simulacris suis cultum non absolutum, sed relativum detulisse, veri tamen idololatrae fuerunt, quia coram simulacris cultum latriae referebant ad Deos, qui vel nunquam extiterunt, cuiusmodi omnes sunt divinitates abstractae, ex. gr., febris, fortuna, fatum etc.; vel qui fuerunt in censu creaturarum, ex. gr., *Saturnus*, *Iupiter*, etc. Falsum autem est, quod adversarii asserunt, apud ethnicos cultum simulacrorum mere relativum fuisse. Etenim praeter auctoritatem Scripturarum innumera prope testimonia ac documenta ex antiquitate sacra et profana suppetunt, quae luculenter ostendunt, gentes omnes, quidquid de nonnullis singulatim individuis sit, in idolis aut totidem deos, aut saltem virtutem divinam iis insidentem agnovisse. Hinc, quod consequens est, et ex iisdem pariter eruitur documentis, constat, gentiles cultu absoluto et latreutico idola veneratos esse, ut iam alibi (§ 21) ostensum fuit. Hoc ipsum gentilibus exprobrarunt Ss. Patres, ut *S. Irenaeus* (1), *Minucius Felix* in Octavio, *Arnobius* (2) c. Gent., *Ter-*

(1) Lib. 3 adv. haer. c. 6. (2) Lib. 1.

tullianus in Apologetico (1), *S. Athanasius* (2), *S. Augustinus* (3), *S. Cyrillus Alex.* (4), et alii. « Nonnisi sero, ait *Cl. Perrone* (5), a nonnullis Philosophis, ut cohonestarent polytheismum et idololatriam iamiam fatiscentem, atque ut se Christianorum argumentis, quibus premebantur, subducerent, allegoricae interpretationes diversorum numinum excogitatae sunt. » Quibus observatis merito sequentia notatu digna (6) subiungit: « Absque animadversione dimitti hic nequit mala adversariorum fides ac pessima agendi ratio, qui ut ethnicos ab idololatriae crimine liberent, toti in eo sunt, ut ostendant, illos nonnisi cultu relativo simulacra veneratos esse: ut autem idololatriae Catholicos insimulent, tradunt, cultum relativum imaginum idololatrica superstitione nulla ratione vacare. »

Obi. II. In catholico imaginum cultu varia occurrunt, quae abiectam superstitionem redolent. Catholici enim vere credunt, quibusdam saltem imaginibus excellentiam quandam et specialem virtutem inesse; hinc fit, ut unam prae alia colant, et longas peregrinationes suscipiant, ad singulares aliquas imagines, quas miraculosas vocant, venerandas, cum tamen domi fortasse formosiores possideant. Absonum porro est, quod nonnullas imagines velis tegant, cum tamen ipsarum aspectus pietatis sensum excitare debeat. Ridiculum denique est, quod pro varietate imaginis eadem B. V. Maria varia nomina sortiatur, ex. gr., modo auxiliatrix, modo consolatrix, modo Virgo immaculata, modo Mater dolorosa nominetur, vel etiam a diversis locis Lauretana, Eremitana, Ottingana etc. nuncupetur.

Resp. Catholici unam imaginem prae alia colunt non propter causam intrinsecam, seu virtutem specialem ipsi imagini insitam, sed propter causam extrinsecam, nempe propter ipsum Deum. Nemo enim catholicorum ignorat, imagines in se spectatas nihil habere, quare una prae alia coli mereatur. Ratio igitur, ob quam una imago prae alia maiori frequentia ac fiducia colitur, non alia a nobis assignari potest et debet, quam quod Deus B. V. Mariam, aut sanctos suos in hoc potius quam alio loco praecipuo ac speciali cultu honorari velit, ac idcirco liberalius beneficia sua illic et non alibi largiatur. Deus enim liberrimus est in elargitione donorum suorum, quam certo loco et tempori alligare potest. Sicuti ergo voluit, ut Israëlitae a serpentibus vulnerati per aspectum serpentis aenei sanarentur, et II Paral. VII dixit: *Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem eius, qui in loco isto oraverit*, et Io. V, 4 sanitatem illi concessit, *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae* ab angelo factam; ita etiamnum ad honorem B. V. Mariae ac sanctorum, et ad salutem fidelium certa loca pro concedendis maioribus, aut etiam extraordinariis gratiis eligère potest. Talem vero electionem, seu ordinationem divinam experientia commonstrat, dum preces frequenter exaudiuntur, aut etiam miracula contingant, quae, ut ait *Cl. Perrone* (7), « non fingunt Catholici, sed ea referunt, quae publice, tota interdum spectante civitate, patrata fuerunt, et circa quae processus a legitima auctoritate constructi sunt. Velle autem omnia miracula negare, eo quod nonnulli, privata auctoritate, aut falso rumore decepti,

(1) Cap. 12. (2) In Orat. c. Gentes.
(3) Lib. 8 de Civ. Dei, c. 23, et Enar. in Ps. 113. (4) Lib. 6 adv. Iulian.
(5) De cultu Ss. cap. 5, n. 144.
(6) Ibid. n. 145. (7) Ibid. n. 149.

aliquot falsa evulgaverint, perinde est ac velle omnes nummos suspectos habere, aut etiam reiicere, eo quod nonnulli falsarii nummos supposuerint, aut adulteraverint. » His accedit, quod propter maiorem confidentiam, et propter peregrinationis incommoda ex pio fine tolerata oratio facilius exaudiatur. Nil profecto superstitionis in his occurrit. Hinc *Pius VI* in Bul. *Auctorem fidei* damnavit propos. 70 Synodi pistoriensis his verbis: « Doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem aliqui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere, » *temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiae ordini iniuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique, prout vult.* Praeterea si superstitionem saperet, pictas tabulas velo obducere, huius superstitionis auctor ipse Deus esset, qui (1) mandavit Moysi, ut dimitteret velum ante Arcam; superstitionis reus fuisset Salomon, qui, ut legitur II Paral. III, velum demisit ante altare aureum. Notum est, in antiquis Ecclesiis partem interiorem ab exteriori velis et tentoriis separatam fuisse: velis tecta erant martyrum sepulcra, quae cum mutarentur, dono mittebantur ad peculiares personas, pietate ac dignitate insignes. Verum quidem est, quod imagines proponantur ut videantur: at si insignis imago hinc inde velo obducta sit, et quandoque conspicienda tradatur, attentio augetur, et salutaris effectus promovetur. Ideo a *Pio VI* loc. cit. propositio 72 Conc. Pistoriensis: « quae velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines, » damnatur ut *temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.* Denique sicut celebres personae in variis vitae suae momentis pingi solent, ita etiam B. V. Maria in variis vitae suae momentis repraesentari potest: imo etiam ipsius praerogativae et beneficia, quae variis in tribulationibus et variis in locis conferre solet, symbolice in imaginibus proponi possunt. Et quid impedit, quominus variis titulis et nominibus ea exprimantur, quae variis modis in imaginibus repraesentantur? Certe etiam isti tituli et nomina B. V. Mariae praerogativas et beneficia in mentem revocant, atque ita devotionis erga illam sensus promovent. Recte idcirco a *Pio VI* l. cit. Conc. Pistoriensis propositio 71, quae vetat, ne imagines, praesertim B. Virginis, ullis titulis distinguantur, praeterquam denominationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in S. Scriptura expressa fit mentio, quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat, » proscribitur ut *temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. praesertim Virgini debitae iniuriosa.*

Obi. III. Homo est imago Dei; et tamen religiosus cultus ei non exhibetur: ergo multo minus potest exhiberi imaginibus, quae non sunt capaces honoris, cum sensu et ratione careant. Ethnicae igitur superstitionis rei sunt Catholici, qui coram lapide, ligno, ac tela adorantes se prosternunt.

Resp. Hominem utique, quatenus imago Dei est, esse veneratione dignum, docet *S. Cyrillus Hier.* (2) dicens: « Imago lignea terreni regis ad-

(1) Exod. 40, 3.

(2) Catech. 1°

oratur; quanto magis rationalis imago Dei? » et similia habet *S. Augustinus* (1) ad Maximinum. Et vere Catholici eos honorant, eorum precibus, se commendant, quos putant iustos, supernaturali Dei imagine ornatos. Homo tamen iustus, viator cultu religioso (ne relativo quidem) non solet honorari ex duplici ratione; nam, ait *S. Thomas* (2): « Creaturae rationali debetur reverentia propter seipsam; et ideo si creaturae rationali, in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio latriae, posset esse erroris occasio, ut scilicet motus adorantis sisteret in homine, et non referretur in Deum, cuius est imago: quod non potest contingere de imagine sculpta, vel picta in materia sensibili. » Praeterea supernaturalis Dei in homine imago est invisibilis, de qua plenam certitudinem non habemus, quia *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit* (3), qui propterea ante mortem laudandus non est (4); de imaginibus autem Christi, B. V. Mariae, et sanctorum certi sumus, quod obiecta referant, cultu religioso digna. Imagines porro non sunt capaces honoris propter se, et ideo non possunt coli cultu absoluto propter propriam excellentiam ipsis imaginibus intrinsecam: sunt tamen capaces honoris propter prototypum, sive illos, quos repraesentant, et ideo recte eis cultus relativus exhibetur, nam si imagines etiam cultus relativi capaces non essent, stulte ac inepte imaginibus principum deferretur cultus civilis. Quamobrem cum Catholici omnem cultum, quem imaginibus exhibent, non ad lapidem, lignum, seu telam, sed ad prototypum, quod per imaginem repraesentatur, referunt, contra omnem rationem et aequitatem de ethnica superstitione arguuntur. « Alioquin, ait *Cl. Perrone* (5) cum Iosue, ac seniores prostraverunt se coram Arca, se prostravissent coram ligno; cum aliquis prae gaudio gestit, et exilit coram matris, aut sponsae effigie, coram tela exiliret; qui expuit in simulacrum Theodosii, expuisset in lapidem; et Antiochenses et Thessalonicenses, qui eiusdem statuas fregerunt, nonnisi lapides pariter fregissent et deiecissent. »

(1) Epist. 103.
(2) 3 p., q. 25, art. 3 ad 3.

II. *Controversia theologica de modo imagines relative colendi.*

§ 811. Quamvis omnes theologi catholici consentiant in dogmate, quo credendum est, licitum et pium esse imaginum usum, et cultum istum ad prototypum referri, quod exhibent, inter se tamen disputarunt, quomodo et quo genere cultus venerandae sint, an nempe cultu quodam, qui in ipsis terminetur, an cultu mere relativo, qui a cultu prototypi non distinguatur? — Tres hac de re dantur sententiae theologorum, quibus quarta addi potest, quae adhibitis distinctionibus saltem duas posteriores inter se conciliare nititur.

1. Quidam dicunt, nullo modo imaginem esse in se colendam, sed solum coram imagine esse colendum exemplar, ita ut imago nullatenus sit terminus cultus, sed tantum signum seu conditio, qua excitamur ad honorandum prototypum. Ita senserunt *Durandus, Alphonsus a Castro,* et *Viator a Cocaleo*, qui pro eadem sententia citat *Card. Gotti, Canisium, Gretserum, Petavium, Thomassinum* et alios. Sententiam suam hac praecipue argumentatione probant: Honor ille, quicumque sit, qui in ima-

(3) Eccle. 9, 1. (4) Eccli. 11, 30.
(5) De cultu Ss. cap. 5, n. 142.

gine terminatur, non aliunde tribui potest, nisi ratione materiae, aut virtutis, aut repraesentationis. Sed materia cultu non est digna, quia inferior est mente nostra. Porro nulla vera virtus imaginibus inexistit, ut docet *Tridentinum;* nam cum animae sint expertes, virtutem honore dignam habere nequeunt. Denique ratio repraesentationis materialis plane est, nec intrinsecam excellentiam praesefert in imagine; est enim mera artificis idea, qui eam pinxit, aut sculpsit; consequenter conditionem purae materiae non excedit, omni cultu indignae. — Huic autem sententiae varia opponuntur. Nam: 1° constat ex Conciliis supra citatis, imagines vere esse adorandas seu colendas: atqui hoc esset falsum, si se haberent tantum ut signa excitativa ad adorationem exemplarium; excitare enim ad adorationem non est adorari. Sic, licet creaturae saepe excitent mentes hominum ad adorationem Creatoris, non tamen ideo dicuntur adorari. 2° *Nicaenum II* act. VII dicit, imagines Christi esse colendas, sed non latria; vult ergo aliquo alio, cultu, vel modo in se esse colendas, et non solum exemplar colendum, quod colitur latria. 3° Idem Concilium ibidem definit, imagines esse venerandas eo modo, quo veneramur Evangelium et sacra vasa: atqui ista honorantur in se et proprie, ut omnes fatentur; licet enim horum veneratio sit relativa, terminatur tamen immediate ad haec obiecta, et ultimate ad id, ad quod habent relationem, et ratione cuius honorantur. 4° Verum est, quod imaginibus ratione materiae, aut intrinsecae virtutis cultus tribui non possit; sed quia obiecta sacra repraesentant, aliquo modo ad res sacras pertinent, et honore dignae fiunt, sicut vasa sacro usui destinata, de quibus nemo dicet, quod ratione materiae, aut intrinsecae virtutis cultum mereantur.

2. Alii docent, quod idem cultus debeatur imagini et exemplari diverso tamen modo, exemplari propter se, imagini propter exemplar, id est, cultus absolutus exemplari, relativus imagini, ita ut ex imagine et exemplari constituatur unum obiectum totale adorationis, exemplar nempe principale et primarium, imago secundarium, et ratione exemplaris: iuxta quam sententiam imagines Dei, et Christi adorantur latria, imago B. Virginis hyperdulia, imagines sanctorum dulia. Ita sentiunt *Alexander Hal., Albertus M., S. Thomas* (1), *S. Bonaventura, Medina, Capreolus* et multi alii. Haec sententia gravibus innititur argumentis. Nam: 1° Concilia docent, honorem delatum imagini transire ad prototypon; sic *C. Nicaenum II* act. VII ait: *Imaginis enim honor ad primitivum transit; et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.* Et *Conc. Trident.* inquit l. cit.: *Honor, qui eis* (imaginibus) *exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur:* quibus verbis manifeste docetur, eodem honoris actu coli imaginem et exemplar. 2° Idem docent Patres. *S. Ambrosius* (2) dicit: « Num, cum in Christo imaginem Dei et crucem adoramus, dividimus eum? » affirmat igitur, eadem adoratione coli divinitatem Christi, et eius crucem. *S. Basilius* (3) scribit: « Quoniam rex dicitur regis imago, non

(1) 3 p., q. 25, art. 3.
(2) Lib. de Incarn., cap. 7.
(3) Lib. de Spir. S., cap. 18.

autem duo reges; neque enim potestas scinditur, neque gloria dividitur. Quemadmodum autem principatus, ac potestas nobis dominans una est, sic glorificatio, quam illi deferimus, una est, et non multae: itaque imaginis honor ad exemplar primum refertur.» *S. Hieronymus* ep. de epitaph. Paulae de hac narrat: « Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat: » sed Dominum pendentem adorasset latria; igitur et ipsam crucem latria adorabat. *S. Hadrianus* in epist. ad Constant. et Irenem ait: « Sic et nos pro amore et dilectione, quam apud Dominum et sanctos eius debemus, honorabiles eorum effigies imaginibus depingentes, non tabulis et coloribus honorem exhibemus, sed illis, pro quorum honore consistunt: » honorem ergo imaginibus exhibitum non distinguit ab honore Deo et sanctis delato. 3° Ecclesia publice canit: *O crux, ave spes unica! piis adauge gratiam, reisque dele crimina* etc.; et in die Parasceves crucem adorat, quae adoratio latreutica cruci exhibita nonnisi una censeri potest cum adoratione Christi. 4° *S. Thomas* l. cit. hanc affert rationem theologicam: « Duplex est motus animae in imaginem; unus quidem in ipsam imaginem, secundum quod res quaedam est; alio modo in imaginem, in quantum est imago alterius. Et inter hos duos motus est haec differentia, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut est res quaedam, est alius a motu, qui est in rem: secundus autem motus, qui est in imaginem, in quantum est imago, est unus et idem cum illo, qui est in rem. Sic ergo dicendum, quod imagini Christi, in quantum est res quaedam (puta lignum sculptum vel pictum) nulla reverentia exhibetur, quia reverentia nonnisi rationali naturae debetur. Relinquitur ergo, quod ei exhibeatur reverentia solum, in quantum est imago, et sic sequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, et ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriae, consequens est quod eius imago sit adoratione latriae adoranda. » 5° Idem probatur a contrario, eadem enim est ratio imaginis et exemplaris respectu inhonorantis: ergo et respectu honorantis; qui enim imaginem regis contumeliae afficit, reus censetur laesae maiestatis, ac si ipsum regem contumelia affecisset. Hinc *S. Ambrosius* (1) dicit: « Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cuius imaginem coronavit: et qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique, cuius statuam consputaverit, fecisse videtur iniuriam. » Sicut ergo non distinguitur contumelia imagini facta, ab iniuria prototypi, ita et honor imagini delatus unus est cum honore prototypo exhibito. — Huic sententiae obstare videntur rationes, quae pro tertia sententia afferuntur.

3. Tertia sententia docet, imagines in seipsis, et proprie esse quidem colendas, attamen honore minori, quam exemplar; istum porro cultum seu honorem analogice tantum, et reductive pertinere ad speciem cultus, qui debetur exemplari, sicut imperfectum ad perfectum sui generis, ideoque nullam imaginem adorandam esse latria. Pro hac sententia, quam defendunt *Sanderus*, *Ambr. Catharinus*, *Peresius*, *Bellarminus* et alii, non pauca, nec levia militant argumenta. Nam: 1° *Nicaenum II* act. VII definit expressis verbis, imagines esse vere adorandas, non tamen secundum latriam: in eodem *Basilius Anciranus* act. I, et *Constantinus*, Cypri Episco-

(1) In Ps. 118.

pus act. III abiurantes haeresin pronunciant, se recipere et colere imagines, non tamen veneratione latriae. Similiter *S. Io. Damascenus* (1), *S. Augustinus*(2), *S. Gregorius M.* in cit. Ep. ad Serenum, *Conc. Senonense* can. XIV, *Moguntinum* can. XLI, et alii, cum prohibeant *adorari* imagines non censendi sunt denegare omnem cultum imaginibus ut Iconomachi, sed solam latriam. 2° Latria est cultus proprius soli Deo, ut in confesso est apud omnes Catholicos; sed, quovis modo consideretur imago, etiam ut imago formaliter, non est Deus. 3° Imago ut imago distinguitur ab exemplari; nihil enim est sui ipsius imago, et est ipso inferior; longe enim maius est esse Christum, quam esse imaginem Christi: ergo non eodem, sed minori cultu haec est adoranda. 4° Impossibile est, unam et eandem adorationem esse simul absolutam et respectivam; differunt enim genere absolutum et respectivum: atqui adoratio Christi est absoluta, adoratio eius imaginis est relativa, ut omnes fatentur: ergo cultus imaginis differt a cultu exemplaris. 5° Adoratio Christi est causa adorationis imaginis, quia haec non adoraretur, nisi Christus esset Deus adorandus; sed causa et causatum, ut loquuntur scholastici, distinguuntur: ergo non est una, et eadem adoratio exemplaris, et adoratio imaginis.

4. Si allatae sententiae invicem conferantur, clare patet, tertiam sententiam primae e diametro opponi; haec enim omnem cultum negat, qui in imagine terminatur; hunc autem affirmat, atque defendit tertia sententia. Nemo autem sanae mentis negabit, cultum, qui terminatur in imagine, necessario distingui a cultu, qui terminatur in exemplari, quia imago non est ipsum exemplar, sed eius signum. Certe etiam secundae sententiae patroni admittunt, cultum, qui terminatur in imagine, distingui a cultu, qui terminatur in exemplari, illum hoc inferiorem esse, et ideo a latria remotum. Certe vero etiam tertiae sententiae patroni non negant, Deum et Christum coram sua imagine quoque cultu latriae adorari posse. Hinc iam patet, secundam et tertiam sententiam sibi non e diametro opponi, sed adhibita distinctione conciliari posse. Imago nempe tripliciter considerari potest: 1° *materialiter*, ut est res quaedam ex metallo, lapide, ligno vel tela constans, figura, coloribus, lineamentis aliisque ornamentis decorata: et sic sumpta imago nulla est religiosa veneratione digna: 2° *formaliter in actu signato*, ut loquuntur scholastici, prout est res sacra cultui divino deputata, et in honorem Dei et sanctorum instituta, habens vim eos significandi et repraesentandi; et sic consideratur imago non ut actu repraesentans, sed ut repraesentativa, et ut habens relationem ad exemplar, a quo mutuat quandam sanctificationem et quasi consecrationem, eo fere modo, quo liber Evangeliorum, signum crucis exterius expressum, vasa Altaris etc. propter relationem, quam habent ad res sacras, dicuntur sacra; 3° potest imago considerari iterum *formaliter* sed *in actu exercito:* prout exercet officium imaginis, quod est actu exhibere exemplar, cuius vices gerit, et prout finem suum consequitur, qui est prototypum per oculos menti repraesentare, et erga illud devotionis sensus excitare. Posita hac distinctione ostendi potest, sub quo respectu utraque ex duabus posterioribus sententiis vera sit. Nimirum si con-

(1) Lib. 1 et 3 Apologet.

(2) Epist. 119, c. 11.

siderantur imagines secundo modo, vera est tertia sententia. Hoc etenim sensu Concilia et Patres docuerunt, imagines non esse latria adorandas, sed colendas ut codices Evangeliorum, et ut vasa sacra. Et sane imago hoc sensu accepta penitus distinguitur ab exemplari; et si aliquem cultum, qui in ipsa sistit, meretur, id non aliunde repetitur, nisi quia censetur quaedam res sacra, utpote repraesentans obiectum sacrum. — Si autem considerantur imagines tertio modo, admittenda est secunda sententia. Imago enim honoratur, dum in loco decenti proponitur, dum devote adspicitur, aut dum illi alii quoque reverentiae actus exhibentur: mox autem imago officium suum implet, et finem suum consequitur; mens quippe ad ipsum exemplar, per imaginem repraesentatum, assurgit, ad devotionis sensus erga istud excitatur, et Christum cultu latriae, B. Virginem cultu hyperduliae, Angelos et sanctos cultu duliae prosequitur. Haec autem agens non dividit cultum imagini et exemplari delatum, sed soli exemplari inhaeret, per imaginem apprehenso. Dum autem Catholicus coram imagine Dei vel Christi sistit, non dicit: Recede, imago, ut Deum vel Christum adorem! sicut non dicit Verbo incarnato: Recede a corpore, ut te adorem (1), sed ad Deum vel Christum cultum latriae dirigit, eodem fere modo, quo videns species eucharisticas Christum latria adorat, quamvis species non sint ipse Christus, sed sub quibus continetur Christus. Quemadmodum igitur theologi non solent distinguere in adoratione Eucharistiae cultum specierum, quae propter Christum et cum Christo adorantur, ab ipsa latreutica adoratione Christi, ita recte *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, et qui eos sequuntur, dicunt, ex imagine (tertio modo, seu *in actu exercito* considerata), et exemplari constitui unum obiectum totale adorationis. — Generatim, dum de cultu imaginum agitur, in praxi ad intentionem mentis maxime est attendendum. Ideo nonnulli, qui secundae sententiae adhaerent, docent, in cultu imaginum devotionem internam ad solum exemplar esse dirigendam. Ita cum *Cl. Simmonet* (2), *Cl. Sardagna* (3) dicit: « Veneratio imaginis relativa est simul indivisibiliter veneratio absoluta exemplaris, ita ut submissio externa terminetur quidem immediate ad imaginem, et mediate ad exemplar; affectus vero submissionis internae ad solum exemplar terminetur. » Et (4) addit: « Neque dicas, tali pacto imagines non vere ac proprie coli, eoquod nulla sit veneratio sine actu interno, qui iuxta nostram assertionem ad solum exemplar terminatur. Respondeo enim, imagines vere ac proprie coli veneratione relativa; quamvis enim affectus submissionis internae, quo voluntas nostra affective se submittit alteri, et eius superioritatem affective cognoscit, ad solum exemplar terminetur, signum tamen externum, ex. gr., genuflexio, vel inclinatio capitis, ad imaginem dirigitur, et terminatur cum actu voluntatis exhibendi imagini signum externum submissionis ad protestandam submissionem internam ob excellentiam prototypi. » Ita non incongrue explicatur, quomodo cultus relativus imaginis cum cultu absoluto exemplaris constituat unum obiectum totale adorationis (5).

(1) § 321, n. 2.
(2) Tract. 10 de Incarn. disp. 11, art. 7.
(3) Tom. 2, tr. 3, n. 797.
(4) N. 798.
(5) Cf. Billuart, Tract. de Incarn., Diss. 23 art. 3, § 5.

Appendix de Communione Sanctorum.

§ 812. 1. Cum universa, quae Deus creavit, totum quodpiam constituant, cuius partes arctissime cohaerent, in aprico est, mundum moralem non solum cum mundo physico connecti, sed et in ipso mundo morali, ceu praecipua totius universi parte, nempe in regno spirituum, dari mutuam relationem, quae per mortem corporis nequaquam tollitur, dicente Apostolo: *Charitas nunquam excidit* (1). Ipsa historia fidem de mutua illa spirituum relatione antiquissimam testatur; nam et Gentilibus persuasum erat, eos, qui e vita excesserunt, de terrenis rebus quamdam curam gerere, et defunctis quoque beneficia quaedam praestari posse; unde superstitiosus sepulcrorum cultus originem traxit. Quod autem ratio obscure vidit, revelatio clare manifestavit. Haec enim docet, maximam et praestantissimam dari societatem moralem, cuius centrum et caput Deus est, cuius membra sancti, id est, gratia sanctificante ornati sunt, et cuius vinculum charitas est. Hinc S. Ioannes dicit: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (2). Quicumque autem charitate animatur, cum Deo ipso, ita in Deo etiam cum illis unitur, qui eadem charitate Deo adhaerent: unde idem Apostolus scribit: *Quod vidimus, et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo* (3). Per charitatem vero Deo uniuntur non solum omnes iusti in terra viventes, sed etiam Angeli et homines, qui a corpore soluti ad visionem beatificam pervenerunt, imo et animae iustae quidem, sed quae ob debita nondum soluta in purgatorio detinentur. Itaque Ecclesia triumphans in coelo, poenitens in purgatorio et militans in terris unam familiam, unam domum, unum corpus Christi, unam Ecclesiam constituunt, cuius membra cum Iesu ceu membra cum capite, et inter se vinculo amoris coniunguntur. Hanc Ecclesiam Paulus uni civitati et uni aedificio comparat, dum Ephes. II, 19 etc. ad fideles scribit: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Frequenter quoque Paulus Ecclesiam uni corpori aequiparat, cuius caput Christus est, ut Rom. XII; I Cor. X et XII; Ephes. IV, 3-7. Hinc Ecclesia in nono Symboli apostolici articulo profitetur: *Credo..... sanctorum communionem*, quae ita definiri, seu describi potest: Est connexio Ecclesiae triumphantis, patientis et militantis, vi cuius hae unius eiusdemque Ecclesiae partes charitate sub eodem capite Christo Iesu iunctae, unum corpus constituunt, atque ita non tantum bona nobis a Christo Domino parata communia habent, sed et se invicem honorant et diligunt, atque sibi mutuo succurrunt.

2. Protestantes nobiscum in Symbolo apostolico *communionem sanctorum* profitentur, sed sonum proferunt sine re, seu communionem frigidam, sterilem et exanimem admittunt, quia verae charitatis, quae semper activam se ostendit, vinculum non agnoscunt, cum Ecclesiam pa-

(1) I Cor. 13, 8. (2) I Ep. 4, 16. (3) I Io. 1, 3.

tientem, sanctorum intercessionem et invocationem, imo et bona opera negent, quae, si non existunt, fidelibus communicari non possunt. Sanctorum autem communio, quam Catholici profitentur, viva est et efficax, in activae charitatis vinculo consistens, ut ex iam probatis constat. Nam Ecclesia triumphans pro militante intercedit (1), et haec illam veneratur, et invocat, imo et pro gratiis eidem concessis Deum laudat, eique gratias agit (2). Porro Ecclesia militans patientem suffragiis iuvat (3), et patiens pro militante intercedit (4). « Sed, ait *Catechismus rom.* (5), alia etiam communio in Ecclesia cogitanda est. Quaecunque enim pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et, ut illis prosint, charitate, quae non quaerit quae sua sunt (6), efficitur. Id vero cum S. *Ambrosii* testimonio (7) comprobatur, qui locum illum psalmi explanans: *Particeps sum omnium timentium te*, ita inquit: *Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus Deum.* Quare Christus eam nobis orandi formam praescripsit, ut diceremus: *Panem nostrum*, non *meum*, ac reliqua eius generis, non nobis tantum, sed omnium saluti et commodis prospicientes. » Et S. *Thomas* opusc. 6 de Symb. Apost. explicans nonum articulum ait: « Sicut in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia. Et quia omnes fideles sunt unum corpus, bonum unius alteri communicatur, iuxta Apostolum Rom. XII: *Singula autem alter alterius membra.* Unde et inter alia credenda, quae tradiderunt Apostoli, est, quod communio bonorum sit in Ecclesia; et hoc est, quod dicitur *Sanctorum communio.* Inter alia vero membra Ecclesiae principale membrum est Christus, quia est caput: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius* (8). Bonum ergo Christi communicatur omnibus Christianis, sicut virtus capitis omnibus membris, et haec communicatio fit per sacramenta Ecclesiae, in quibus operatur virtus passionis Christi, quae operatur gratiam in remissionem peccatorum... Sciendum est etiam, quod non solum virtus passionis Christi communicatur nobis, sed etiam meritum vitae Christi, et quidquid boni fecerunt omnes sancti, communicatur in charitate existentibus, quia omnes unum sunt. *Particeps ego sum omnium timentium te* (9). Et inde est, quod qui in charitate vivit, particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo. » Hac autem communione sanctorum privantur, qui non sunt membra Ecclesiae, ut infideles, haeretici, schismatici et excommunicati. Communionis sanctorum bonis etiam non gaudent peccatores, qui sunt membra Ecclesiae mortua, et gratia sanctificante seu charitate destituuntur (10). Ecclesia tamen omnem industriam adhibet, ut ista membra mortua per orationes, exhortationes, et alia media gratiam conversionis obtineant, et ad vitam spiritualem redeant. Iusti vero, vi communicationis sanctorum, participes fiunt sacramentorum, sacrificiorum gratiarum gratis datarum, orationum publicarum et privatarum, et omnium bonorum operum, quae a vivis Ecclesiae membris ponuntur. Ne quis autem hoc privilegio abutatur, et propria bona opera negligat, quoniam

(1) § 791. (2) § 789 et 790 et 792 et seq. (3) § 765, etc. (4) § 774. (5) P. I, cap. 10, n. 25. (6) I Cor. 3, 5. (7) Serm. 8 in Ps. 118, n. 54. (8) Eph. 1. (9) Ps. 118. (10) § 454, n. 2.

alienorum particeps redditur, sapientissime a Christo constitutum est, ut declarata communicatio bonorum operum non sit in omnibus aequalis, sed maior vel minor pro maiori vel minori cuiuslibet dispositione, et ut quilibet eo magis, vel minus de gratiis et bonis operibus aliorum participet, quo magis vel minus ad thesaurum Ecclesiae locupletandum contribuit, et quo maiori vel minori charitate animatur. Ideo Christus ait: *Omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet auferetur ab eo* (1). Et Paul. I Thess. IV, 1 nos omnes monet: *Quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.*

Usus doctrinae de nexu Ecclesiae triumphantis et militantis.

§ 813. Doctrina in hoc capite pertractata non solum dogmatica, sed et in se moralis est; unde facile patet, qualis usus practicus ex illa eruendus sit. Iuvat autem monita quaedam adnectere.

1. Quoniam quodlibet Religionis christianae documentum ad moralem perfectionem promovendam tendit, in hunc finem cultus quoque sanctorum dirigitur. Perfectio enim moralis in fidelibus promovetur tum per gratiam uberiorem, quae sanctorum invocatione et intercessione obtinetur, tum per sedulam virtutum, quas sancti exercuerunt, imitationem, in qua praestantissimus, et sanctis gratissimus cultus consistit. Quilibet enim sanctus nobis acclamat, quod Paulus dixit: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (2). Sanctorum imitationem Ss. Patres maxime commendant. «Neque enim, ait *S. Chrysostomus* (3), absque causa sancti Spiritus gratia scriptas nobis reliquit hasce (sanctorum hominum) historias, sed ut ad aemulationem et imitationem tantorum virorum provocet. Quando enim audimus huius quidem obedientiam, istius autem continentiam, illius vero in hospitibus colligendis sollicitudinem, magnamque singulorum virtutem, ac quomodo claruerint, ad similia facienda excitamur.» Imo necessitatem huius imitationis graviter inculcat (4) dicens: « Quae igitur nobis erit consolatio, quae defensio, cum tot propositis exemplis non modeste agamus? Sicut enim illi mille sunt coronis digni, qui primi virtutis viam inierunt; sic nos mille supplicii rei erimus, qui tot exempla proposita et descripta habentes post illa non modeste sapimus, neque illos defunctos, neque hos nunc viventes, et ex gestis admirationi habitos imitari contendimus.» Idem, vel alius auctor op. imp. in Matth. Hom. 45 inquit: « Quae est autem ista iustitia sanctos colere, et contemnere sanctitatem? Primus gradus pietatis est sanctitatem diligere, deinde sanctos; quia non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante sanctos. Sine causa ergo iustos honorat, qui iustitiam spernit. Numquid liberabunt vos sancti, quorum monumenta ornatis? Non possunt sancti amici esse illorum, quibus Deus est inimicus.» *S. Augustinus* lib. 8 de Civ. Dei, c. 17 ait: « Religionis summa, imitari quem colis.» Et Serm. 47 de Sanctis: « Quotiescunque Ss. Martyrum solemnia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, exspectemus a Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos martyres imitando accipere mereamur aeterna. Ab ipsis enim Ss. martyrum

(1) Luc. 19, 26. (2) I Cor. 11, 1.
(3) Hom. 57 in Genes. n. 1.
(4) In Hom. 73 in Matth.

in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. » *Eusebius Gallicanus* Serm. in Natali Ss. Ap. Petri et Pauli ita praeclare loquitur: « Bb. Martyrum praeclara gesta, et speciosa certamina fidelium incitamenta sunt et exempla. Armantur enim filiorum animi, dum patrum recensentur triumphi. Clamat utique christianorum cordibus sanguis piorum, sanguis spiritualium bellatorum, quantum amari debeat Deus. Non solum enim transitoria sermonis institutione rem peragunt, nec nuda tantum voce nos instruunt, sed per lucis salutisque contemptum insinuant nobis auctoris affectum, et simul tepidis ac dormientibus nobis aeternae illius vitae dulcedinem, amoenitatem, iucunditatem ante oculos statuunt, ut vel sic intelligamus, quantum desiderari debeat illa vita, quam per cruciatus, per vulnera, per intolerandos labores videmus inquiri, quam cognoscimus pretio sanguinis comparari. » *S. Ildephonsus* Serm. 1 de Assumpt. B. V. Mariae dicit: « Imitamini sanctos, quos laudatis; quoniam non tantum illis nostra prodest laudatio, quantum nobis eorum imitatio. » Utilissima idcirco est lectio vitae sanctorum; per illam enim intellectus noster instruitur, ut cognoscamus qua via ad salutem incedere, qualia media arripere, qualia obstacula superare, quales virtutes exercere debeamus; voluntas autem inflammatur, dum sanctitas non solum pro quolibet Christiano possibilis, sed et pro tempore et aeternitate utilissima cernitur. Commendandi sunt eandem ob causam sermones panegyrici, dummodo non in sola eleganti verborum pompa in vano mundanae eloquentiae apparatu, et in longa rerum stupendarum descriptione consistant, sed ad id praecipue tendant, ut praeclara sanctorum exempla et praemia clare proponantur, et auditores ad eorum imitationem incitentur. *Cl. Muratorius* lib. de recta devot. c. 20 concionatoribus panegyricis hoc monitum praebet: « In sanctorum laudationibus, velim, ne sola explicentur miracula, sed eximiae quoque eorum virtutes, ac maiore quidem diligentia describantur, ut praeclaris huiusmodi exemplis auditores ad vitae suae regimen et moderationem uti queant. Qui enim miracula dumtaxat verbis exornat, nec sanctorum virorum mores commendat, ad quorum normam auditores suos exigant, ad sui templi potius utilitatem, quam ad populi pietatem amplificandam spectare videtur, quum tamen in hanc rem potissimum sacris oratoribus mente et animo insistendum sit. Profecto virtutes imprimis Ecclesiam permovent, ut sanctos viros in coelitum numero reponat; per illas enim apud Deum gratiam inierunt, et cohaeredum Christi dignitatem adepti sunt. Multo minoris facienda sunt miracula. Cur ergo illae reticentur, haec magno vocis sono praedicantur? »

2. B. V. Mariae veneratio, et invocatio nunquam satis commendari potest. Sed etiam in hoc cultu duo scopuli vitandi sunt. Primum incurrunt, qui Mariam venerantur, et frequentes ad ipsam orationes fundunt, a vitiis autem suis resipiscere nolunt, et tamen per potentissimum Matris misericordiae patrocinium aeternam suam salutem certo exspectant. Devotio istorum falsa, et spes temeraria est dicenda. Maria enim scuto potentiae, et pallio misericordiae non ad hoc utitur, ut obstinati peccatores liberius,

et securius Filium suum dilectissimum offendant. Frequenter igitur fideles instruendi sunt, quod, si in peccata lapsi sint, ideo tantum ad misericordiae Matrem recurrant, ut gratiam conversionis obtineant, et a peccatorum vinculis soluti Christo fideliter inhaereant. Res periculi plena est, Mariae misericordiam erga peccatores maxime exaltare, et conditiones penitus reticere, quibus peccatores misericordiarum Deiparae participes reddi possint. Maria Christo plane conformis, illos tantum exaudire censenda est, qui corde contrito, et emendari parato, humiliter, et cum bene ordinata confidentia eius intercessionem implorant. In alterum scopulum impingunt, qui in laudem Mariae talia encomia proferunt, quibus eam Deo aequiparare, aut etiam Christo aliquo modo praeponere videantur. « Verum, ait *Cl. Muratorius* lib. cit. (1), meminisse oportet, Mariam non esse Deum. — Illam velut nostram patronam observare debemus; nec tamen credendum, in illius esse potestate nobis peccata remittere, aut aeternam salutem dare. Si quando audivimus, eam in coelo dominari, haec aliaeque dicendi formulae prudenter intelligendae sunt, quae si ex ore aliquot sanctorum virorum ac fervidae pietatis, aut sacri cuiuspiam oratoris, dum eloquentiae raperetur impetu, exciderunt, cum vera compositae theologia labascunt, et concidunt: quippe cuius sententia solus omnipotens Deus noster est Dominus, et bonorum omnium fons, et largitor etc. » Cavendum etiam est, ne misericordia Christi obscuretur, dum misericordia Mariae exaltatur. Docendum potius est, Christum ipsum pro misericordia sua infinita, qua maior dari nequit, sapientissime et benignissime decrevisse, ut per Mariam matrem suam, quam maxime glorificare intendit, omnibus fidelibus, et praecipue peccatoribus copiosae gratiae distribuantur. Certum profecto est, Mariae omnia encomia displicere, quae in honorem Filii sui non redundant.

3. Dum Ss. reliquias veneramur, regulae instar, ne peccemus excessu vel defectu, nobis sit illud S. *Hieronymi* in Epist. ad Riparium dicentis: « Honoramus reliquias martyrum, ut eum, cuius sunt martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. » Hinc caveamus nobis tum ab errore illorum, qui Ss. reliquias contemptui habent, tum etiam ab illorum cultu superstitioso, qui credunt, aliquam inesse in ipsis reliquiis divinitatem vel virtutem propriam ad miracula patranda, aut existimant, cultum Ss. reliquiarum actualem ad necessaria salutis media pertinere. Dum honoramus imagines, intentio nostra non sit tantum honorandi imaginem, sed honorandi Apostolum vel martyrem in praesentia imaginis, ut loquitur Pontificale rom. (2), atque ita cultum et adorationem in ipsis statuis et imaginibus ut in termino minime sistamus, sed referamus ad prototypum, et visis Christi, B. V. Mariae sanctorumque imaginibus, aut spectatis illustrium factorum religionis figuris, ad spiritualia mentem elevemus, et ad imitationem id genus factorum nosmetipsos excitemus. Denique pastores animarum attendant monitum *Conc. Trident.* Sess. XXV, de Invoc., venerat. et reliquiis Sanctor. et sacr. imaginibus, dicentis: *In has autem sanctas et salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer*

(1) Cap. 22.

(2) De benedict. imag.

cupit; ita ut nullae falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur. Quod si aliquando historias et narrationes sacrae Scripturae, cum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione et imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quaestus eliminetur: omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur... tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo.

SECTIO III.

DE EXECUTIONE DECRETORUM DIVINORUM IN FINE MUNDI SEU DE CONSUMMATIONE UNIVERSALI.

§ 814. Sicut omnes homines in morte vitam suam terrestrem finiunt, et in aliam vitam transeunt, ita totus etiam mundus visibilis finem habebit, et dies extremus seu novissimus adveniet, in quo praesens rerum materialium status desinet, et omnia, quae visibilem hunc mundum constituunt, consummabuntur. Consummatio autem ista, quae ex liberrimo Dei creatoris, conservatoris et gubernatoris decreto dependet, non ex ratione, sed solum ex revelatione cognosci et probari potest. Haec autem satis manifeste docet: *Finem mundi et diem novissimum certo advenire, tempus adventus eius nobis ignotum, illum vero pro hominibus summi momenti esse.*

1. S. Scriptura mundi visibilis finem clare praedicit, et non obscure docet, illum destruendum esse per ignem, qui viventes adhuc homines interimet, combustibilia in cineres rediget, et reliqua elementa dissolvet. Ps. XCVI, 3 etc., Iudicis divini adventus his verbis describitur: *Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terrae; vidit, et commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra.* Hic equidem de solius terrae consummatione sermo est; sed, ut observat *Calmet* (in Dissert. de fine mundi, et statu post iudicium) « ut plurimum de mundo Scriptura ita loquitur, non uti est reapse, sed uti nobis apparet. Terra, quam incolimus, veluti praecipua universi pars, caetera veluti terrae et homini accedentia nobis exhibentur. Hinc sane fit, ut, cum mundum flammis absumendum, coelum novum, novamque terram creandam audimus, quin Scripturae veritati obsistamus, ea omnia de sola, quam incolimus, terra explicare pronum sit. Hanc enim et Scriptura et ipsi profani scriptores mundum saepissime appellant, quamvis revera minima sit pars universi; v. *S. Augustinum* lib. 20 de Civ. Dei, cap. 24. » Per coelum igitur non sedes Beatorum, sed coelum empyreum intelligitur, quod per solem, lunam et astra constituitur, a terrae incolis conspicitur, iisque beneficia praestat, ac propterea ut ad terram spectans consideratur. Quo sensu Ps. CI, 26 etc., dicitur: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent: et sic-*

ut opertorium mutabis eos, et mutabuntur. Isai. XXXIV, 2 etc., legitur : *Indignatio Domini super omnes gentes... Et tabescet omnis militia coelorum, et complicabuntur sicut liber coeli, et omnis militia eorum* (nempe sidera) *defluet, sicut defluit folium de vinea, et ficu.* Idem Propheta c. LI, cum v. 1-5 futurum Messiam praedixisset, ut ostenderet, omnia caduca esse, et transitoria praeter Deum, eiusque promissiones (v. 6), ita Deum loquentem inducit : *Levate in coelum oculos vestros, et videte sub terra deorsum* (haec omnia immobilia vobis videntur, sed perperam) *quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores eius sicut haec interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, et iustitia mea non deficiet.* Ioël II, 1 etc. dicit : *Venit dies Domini, — dies tenebrarum, et caliginis, dies nubis, et turbinis : — similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis, et generationis. Ante faciem eius ignis vorans, et post eum exurens flamma : quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est, qui effugiat eum.* Christus ipse finem mundi saepe praedixit. Matth. V, 18 ait: *Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra, iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Matth. XXIV, cum primo locutus esset de excidio urbis Hierosolymae, quod, ut cum Ss. Patribus observat *Cl. Bossuet,* fuit imago et figura consummationis saeculi, saltem a v. 29 aperte loquitur de fine mundi dicens : *Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur..... Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Paulus I Cor. VII, 31 non obscure innuit, mundum destruendum, aut saltem immutandum esse, dum dicit: *Praeterit enim figura huius mundi.* Et ibid. postquam plura de resurrectione mortuorum dixisset, inquit : *Deinde finis : cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem... Novissime autem inimica destruetur mors* (1): quibus verbis clare docetur, ea desitura esse, quae modo inveniuntur in terra ; ad omnia ergo visibilia pertinent verba *Deinde finis;* ubi articulus τὸ graecae voci appositus clare ostendit, de fine sermonem esse, quem alius finis non sequetur. Idem Apostolus II ad Thess. interitum mundi per ignem praedicit, dum loquitur de ultimo adventu Iesu Christi, *in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio* (2). Clarissime vero finem mundi praenuntiavit S. Petrus scribens: *Tunc* (tempore Noë) *mundus aqua inundatus periit. Coeli autem, qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii, et perditionis impiorum hominum... Adveniet autem dies Domini sicut fur ; in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur* (3). Consonat cum S. Scriptura traditio. Nam, ait *Estius* (4), « Quod ad ecclesiasticam traditionem attinet, in antiquissimis Ecclesiae caeremoniis circa baptismum, et alia quaedam sacramenta Christus dicitur *iudicaturus vivos, et mortuos, et saeculum per ignem.* » Patres quoque eandem doctrinam tradiderunt. *Origenes* in

(1) C. 15, v. 24. (2) C. 1, 8.
(3) II Ep. 3, 6, etc.
(4) In lib. 4 Sent. dist. 47, § 14.

Prooemio lib. 1 de principiis ait : « Ecclesiastica praedicatione definitum est, quod mundus iste factus sit, et a certo tempore coeperit, et pro ipsa sui corruptione solvendus sit. » Et (1) de filiabus Loth dicit: « Audierunt in fine saeculi, terram et omnia elementa ignis ardore decoquenda esse. » *Minutius Felix* in Octavio loquitur *de incendio mundi*, et inquit: « Quis sapientium dubitat, quis ignorat, omnia, quae orta sunt, occidere; quae facta sunt, interire; coelum quoque cum omnibus, quae coelo continentur, ita ut coepisset, desinere? » Et cum stoicorum, epicureorum, et Platonis hac de re sententias adduxisset, addit: « Animadvertis, philosophos eadem disputare, quae dicimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de divinis praedictionibus prophetarum umbram interpolatae veritatis imitati sint. » *S. Basilius* (2) dicit: « Ne male persuasus credas, mundum hunc — nullum habiturum esse finem: *Praeterit enim figura huius mundi, et coelum, et terra transibunt.* — Quae ex tempore coeperunt, necesse prorsus est, ut eadem aliquando desitura sint, et consummanda. » *S. Ambrosius* in cap. IX Lucae ita disserit de mundo: « Scio quia praeterit, non concupisco eum: scio, quia corruptela consumet hunc mundum; quasi foetidum vito, quasi luem caveo, quasi nociturum relinquo. » *S. Augustinus* (3) scribit: « Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt. *S. Gregor. M.* (4) ait: « Mundus quidem iudicii igne cremabitur, sed aqua iam diluvii non deletur. »

2. Sicut Deus ex sapientissimo consilio voluit, ut homines diem et horam mortis suae ignorent (5), ita etiam tempus finis mundi, seu consummationis saeculi hominibus non patefecit, ut continuo vigilent, et ad subeundum iudicium parati sint. Hinc Christus apud Matth. ait: *De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, nisi solus Pater* (6). Solus ergo Deus scit, quo anno, quo die, et qua hora futurus sit finis mundi, et dies iudicii; et quamvis Christus ut Deus-Homo eandem scientiam habuerit, non tamen haec cognovit ut publicus ad homines legatus, cum Pater noluerit praefatum tempus hominibus revelari. Hinc etiam Apostolis suis, de tempore secundi adventus sui gloriosi curiose sciscitantibus, Christus respondit: *Non est vestrum, nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* His autem non obstantibus nonnulli conati sunt, tempus quoddam pro fine mundi, et die iudicii determinare. Inter varias autem opiniones, quas recenset Cornelius a Lapide (7), illorum sententia recenseri meretur, qui putant, mundum post sex annorum millia finem habiturum esse. Haec sententia ortum duxit ex veteri traditione cuiusdam *Eliae* (alterius a Propheta), qui post captivitatem babylonicam, annis 154 post restitutum templum floruit: unde in Talmud legitur: « Sex millibus annorum permansurus dicitur mundus, desiturus in uno; » id quod rabbini plures de septimo

(1) Hom. 5 in Gen.
(2) Hom. 1, in Hexaem.
(3) Lib 20 de Civ. Dei, c. 16.
(4) In Ezech. lib. 1, Hom. 8. (5) § 747.
(6) C. 24, v. 36. — Cf. Marc. 13, 32
(7) In Matth. 24, 30.

quodam millenario explicant, cuius intervallo in vetus chaos mundus resolvetur, et renovabitur. Quam quidem sententiam Scripturis fulcire conantur; mos enim apud rabbinos invaluit, ut nihil asserant, quin Scripturis probent, sive apte sive inepte illas allegent. Sicut igitur, inquiunt, sex diebus mundus est constitutus, ita sex annorum millibus consistet; anni enim mille velut dies una coram Deo reputantur (1). — Christiani eandem sententiam ex analogia confirmarunt, dicentes, per bis mille annos perdurasse religionem patriarchalem, per bis mille annos perdurasse religionem mosaicam, et per bis mille annos perduraturam esse religionem christianam. Hanc sententiam amplexi sunt Auctor Epistolae, quae S. *Barnabae* adscribitur, auctor quaestionum ad orthodoxos (2), S. *Irenaeus* (3), S. *Cyprianus* ad Fortunatum de Exhort. ad martyrium, *Lactantius* (4), *Victorinus* (5), S. *Hilarius* (6), S. *Gaudentius Brix.* (7), S. *Ambrosius* (8), S. *Hieronymus* Ep. ad Cyprian., S. *Augustinus* de Civ. Dei, l. 20, (9), S. *Germanus* Patr. CPtanus, S. *Isidorus Hisp.* et alii, quos *Cornelius* a *Lapide* in Ap. XX, 5 allegat, qui et hanc sententiam verosimillimam vocat: fatetur tamen, sex millium annorum terminum non esse arcte accipiendum, sed late et moraliter, ita ut mundus septimum millenarium non excedat, imo et sextum paulo praetergrediatur. — Nullatenus autem putandum est, universalem fuisse in Ecclesia de mundi per sex annorum millia duratione persuasionem. Contrarium enim ostendunt Patres, qui finem mundi suo iam aevo appropinquare publice docuerunt. Nam S. *Chrysostomus* Hom. 20 in Matth. (10) ait: «Non longa est ista (iudicii) dilatio. Ad fores enim res ipsae sunt; nec scimus, ne forte in hac generatione omnia nostra finem habitura sint, et dies ille tremendus sit adventurus, horrendum illud, et nullam personarum acceptionem habens tribunal ostensurus.» Idem habet variis aliis in locis (11). S. *Leo M.* Serm. 8 de Ieiun. 10 mensis inquit: « Denunciatus (iudicii) dies, etiamsi est occultus, non dubitatur esse vicinus.» S. *Gregorius M.* Hom. in Evang. vicinum esse extremum iudicium ex signis a Christo praedictis, et in senescente mundo iam observatis colligit. Ipse S. *Augustinus*, qui l. c. priori sententiae adhaerere videtur, Enarr. in Ps. LXXXIX, n. 5, de eadem ita loquitur: « Ausi sunt homines praesumere scientiam temporum, quod scire cupientibus discipulis Dominus ait: *Non est vestrum, scire tempora, quae Pater posuit in sua potestate;* et definierunt hoc saeculum sex annorum millibus, tanquam sex diebus posse finiri. Nec attenderunt quod dictum est: *tanquam dies unus, qui praeteriit* (12), non enim, quando dictum est, soli mille anni praeterierant. Et eos maxime debuit admonere, ne temporum luderentur incerto, quod est *sicut vigilia in nocte.*» *V. Beda* quoque eandem sententiam improbat, et inanem, ac nugatoriam appellat; unde etiam *Suarez* (13), et *Soto* (14), illam veluti argumentis destitutam derelinquunt. Dicendum igitur est, tempus consummationis saeculi, diemque extremi iudicii nobis ignotum esse; quamvis

(1) Ps. 89, 4. (2) Q. 71.
(3) Lib. 5, cap. ult. (4) Lib. 7 Inst., c. 14.
(5) In Apoc. 20, 5. (6) Cap. 17 in Matth.
(7) Tract. 10. (8) In Luc. lib. 7, c. 2.
(9) Cap. 19. (10) Al. 21, n. 6.
(11) Hom 34 in Io. in fine, et Hom. 21 in Ep. ad Hebr., n. 3.
(12) Ps. 89, 4.
(13) T. 2, disp. 53, sect. 4.
(14) 4 dist. 43, q. 2, art. 2.

ex ipsa revelatione constet, signa quaedam diem illum praecedere debere, ut infra ostendetur.

3. Quae in fine mundi contingent, non solum pro iis, qui eo tempore vitam adhuc terrestrem acturi sunt, sed etiam pro omnibus omnium temporum hominibus summi momenti erunt, quia iuxta divinae revelationis doctrinam tunc omnes homines ad novam vitam resurgent, corpori uniti iudicium extremum subituri sunt, atque publice promulgatam aeternae suae sortis sententiam audient. Ut autem haec doctrina legitime pertractetur, 1° *de iis, quae iudicium extremum proxime praecedunt;* 2° *de iis, quae iudicium extremum comitantur, et* 3° *de iis, quae iudicium extremum sequuntur*, agendum est.

CAPUT I.

DE IIS QUAE IUDICIUM EXTREMUM PROXIME PRAECEDUNT

§ 815. Si Deus universa propter semetipsum operatur, dubitari nequit, etiam in consummatione saeculi attributa divina clarissime manifestari. Et sane ad haec cognoscenda, non autem ad meram curiositatem alendam, ea consideranda sunt, quae iudicium extremum proxime praecedunt. Deus enim sapientiam suam et bonitatem ostendit erga illos, qui ultimis mundi temporibus vitam terrestrem acturi sunt, quibus de fine mundi tantum revelare dignatus est, quantum ad salutarem proborum cautelam et impiorum terrorem necessarium est. Deus porro omnipotentiam suam et iustitiam tum remunerativam, tum punitivam luculentissime patefaciet, dum omnes homines, iustos et iniustos ad novam vitam resuscitabit. Disserendum igitur in hoc capite venit, 1° *de personis et signis iudicium extremum proxime praecedentibus*, et 2° *de resurrectione carnis*.

ARTICULUS I.

De personis, et signis iudicium extremum praecedentibus.

§ 816. Quamvis hora mortis hominibus ignota sit, communiter tamen vires corporis sensibiliter deficientes, et graves aegritudinis molestiae, esse mortem vicinam, designant. Et quia iuxta legem continuitatis natura saltum nescit, multi putant, iam longe ante iudicii diem naturales rerum visibilium vires defecturas, multiplices inde inordinationes secuturas, et plenam mundi consummationem vicinam designaturas. Ab experientia ipsa nonnulli mundanarum defectionem virium probare student. At haec ad physicos potius, quam ad theologos spectant. Ad nos tantum pertinet, doctrinam revelationis proponere, secundum quam ante iudicii diem veniet *Antichristus*, in terram revertentur *Henoch* et *Elias*, et *specialia signa* appropinquantem mundi consummationem annuntiabunt.

I. *De Antichristo.*

§ 817. Quicunque veritati, pietati, iustitiae adversatur, antichristus dicitur, quod Iesu Christo, qui natura sua est iustitia et veritas, resistat; quod etiam *Anti-Christi* nomen ex etymo *Iesu Christi inimicum* significet. Antichristi hoc sensu accepti saeculis omnibus et ante, et post Domini adventum extitere, et semper usque ad mundi finem existent. Hoc sensu Ecclesiae persecutores, pseudoprophetae, haeretici, et nefarii Christi fideles totidem antichristi appellantur, quorum plurimis orbem refertum sua aetate Evangelista Ioannes ingemuit dicens: *Et nunc antichristi multi facti sunt* (1). — Ast

(1) I Io. 2, 18.

ante mundi consummationem ille veniet, qui omnium Iesu Christi hostium impietatem et malitiam vincet, et qui idcirco per antonomasiam *antichristus* nominari consuevit. Nonnulli quidem ex Protestantibus, ut *Centuriatores Magdeburgici*, *Beza*, *Grotius* et alii antichristum, quomodo a Christi fidelibus expectatur, nunquam adventurum esse asseruerunt, et dogma huiusmodi inter fabulas recensent, quibus, ut aiunt, creduli romanae communionis Christiani enutriuntur. Sed cum agatur de facto, et quidem futuro, quod Deus solus praevidere et praedicere valet, non humanis ratiociniis indulgendum, verum sedulo investigandum est, quid in S. Scriptura et Traditione de adventu, ortu, characteribus, persecutionibus, et fine antichristi nobis manifestatum sit.

1. Antichristum, infensissimum Christi et Christianorum adversarium, in fine mundi venturum esse, ex S. Scriptura et Traditione probatur. Daniel VII, 20 etc. loquitur *de cornu illo, quod habebat oculos, et os loquens grandia, et maius erat caeteris;* ac subiungit: *Aspiciebam, et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et praevalebat eis, donec venit Antiquus dierum, et iudicium dedit sanctis Excelsi, et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti.* Vir autem ille, qui per cornu repraesentabatur, Deum conviciis impetet, sanctos conculcabit, suoque arbitrio tempora et leges mutatum iri gloriabitur, ut Propheta v. 25 per visionem intellexit. Per *cornu illud* equidem *Antiochus Epiphanes* intelligi solet; quod autem non impedit, quominus et antichristus in fine mundi venturus intelligatur. Nam, ait S. *Hieronymus* in Dan. XI, « hunc esse morem Scripturae sanctae, ut futurorum veritatem praemittat in typis. Sicut igitur Salvator habet et Salomonem, et caeteros sanctos in typum adventus sui, sic et antichristus pessimum regem Antiochum, qui sanctos persecutus est: » et cum impias Antiochi persecutiones commemorasset, addit: « Haec autem sub Antiocho Epiphane praecesserunt in imagine, ut rex sceleratissimus qui persecutus es populum Dei, praefiguraret antichristum. » Idem Propheta de eodem impiissimo sanctorum persecutore ait: *Et magnificatum est usque ad fortitudinem coeli: et deiecit de fortitudine et de stellis, et conculcavit eas. Et usque ad principem fortitudinis* (ad Deum ipsum) *magnificatum est, et ab eo tulit iuge sacrificium, et deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata; et prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur* (1). In quae verba Calmet in Diss. de antichristo art. 2 dicit: « Quomodo Antiocho Epiphane imperante hoc vaticinium impletum fuerit, scimus; adhuc tamen Ecclesiam insectante antichristo, iterum impletum iri non ambigimus, ut ipse Daniel proferre videtur, cum post tot tantaque mala ab eo *cornu* ad populi Dei perniciem invecta, mortuos resurrectione, et fideles aeterna felicitate donandos scribat: *Multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, ut videant semper* (2): quae quidem verba de sola ad feliciorem fortunam migratione, nisi per vim torqueantur, ad litteram, nequeunt intelligi. » In eodem capite VIII, 23 etc. Propheta antichristum ita describit: *Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones* (id est, frau-

(1) Cap. 8, v. 10, etc. (2) C. 12, v. 2, etc.

des et dolos). *Et roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: et supra quam credi potest, universa vastabit, et prosperabitur, et faciet. Et interficiet robustos, et populum sanctorum secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu eius, et cor suum magnificabit, et in copia rerum omnium occidet plurimos: et contra principem principum consurget, et sine manu conteretur. Et visio vespere et mane quae dicta est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit:* quae ultima verba haud obscure ostendunt, de antichristo sermonem esse, quoniam ea, quae de prioribus regnis sibi invicem succedentibus praedicta fuerunt, mox post Danielis aevum adimpleta fuerunt. Zacharias describens Messiae adversarium dicit: *Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quaeret, et contritum non sanabit, et id, quod stat, non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet. O pastor, et idolum derelinquens gregem: gladius super brachium eius, et super oculum dextrum eius: brachium eius ariditate siccabitur, et oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur* (1). «Is erit antichristus, ait *Calmet* lib. cit., id regnum ipsius: regnum non modo in exteros, sed etiam in suos barbarum et iniustum.» Christus antichristum venturum praedicit ad Iudaeos dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo* (2), id est, sua auctoritate, sua ambitione, sua audacia sese ingerens, iactansque se esse Messiam, *illum accipietis:* quae verba exponens *S. Chrysostomus* (3) inquit: « Antichristum hic subindicat, eorumque nequitiam ineluctabili argumento demonstrat. » Eadem verba *S. Hieronymus*, *S. Augustinus*, *S. Cyrillus Alex.* et alii de antichristo exponunt. — Adventum antichristi extra omne dubium ponit Paulus. Cum enim Thessalonicenses putarent, diem iudicii iam proximum esse, Paulus ad eosdem scribit, Christum ad iudicandum venturum non esse, *nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.... Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum, cuius est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt* etc. (4). Apostolus hic satis clare antichristum describit tanquam determinatum et singularem hominem, ante diem iudicii venturum, infensissimum Christi et christianorum adversarium. Hoc idem unanimi et constanti consensu docent Ss. Patres. *S. Irenaeus* (5) ait: « Non tantum per ea, quae dicta sunt, sed et per ea, quae erunt sub antichristo, ostenditur, quoniam existens apostata et latro quasi Deus vult adorari, et cum sit servus, regem se vult praeconari. Ille enim omnem suscipiens diaboli virtutem, veniet non tanquam rex iustus, nec quasi in subiectione Dei legitimus, sed impius et iniustus et sine lege, quasi apostata et iniquus et homicida, - et idola quidem seponens ad suadendum, quod ipse sit Deus, se autem extollens unum idolum, habens in semetipso reliquo-

(1) C. 11, v. 16, etc. (2) Io. 5, 43.
(3) Hom. 41 (al. 40), in Ioan. n. 1.
(4) 2 Thess. 2, 3, etc., et v. 8, etc.
(5) Lib. 5 adv. haer., c. 25.

rum idolorum varium errorem. » *Tertullianus* (1) scribit: « Cum legimus Is. XXVI: *Populus meus! introite in cellas promas quantulum, donec ira mea praetereat:* sepulcra erunt cellae promae, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus saeculi sub ultima ira per antichristi vim excesserint etc. Hoc ipso, quod ait: donec ira praetereat, quae extinguet antichristum, post iram ostendit processuram carnem de sepulcris. » *S. Cyprianus* lib. de exhort. martyrii in praefatione ait. « Quoniam persecutionum et pressurarum pondus incumbit, et in fine atque in consummatione mundi antichristi tempus appropinquare nunc coepit, ad praeparandas et corroborandas fratrum mentes de divinis Scripturis hortamenta componerem, quibus milites Christi ad coeleste et spirituale certamen animarem. » *Origenes* (2) inquit: « Quomodo Christus est sagitta Dei, sic et antichristus sagitta diaboli. » *Lactantius* (3) describit « hostem potentissimum... qui insustentabili dominatione vexabit orbem, divina et humana miscebit, infanda dictu et execrabilia molietur etc. » Et (4) addit: « Hic est autem, qui appellatur *antichristus;* sed seipsum Christum mentietur, et contra verum dimicabit. » *S. Hilarius* (5) dicit: « Antichristus abominatio a Daniele ex eo dictus est, quod adversus Deum veniens honorem sibi Dei vindicet: desolationis autem abominatio, quia bellis et caedibus terram cum piaculo desolaturus est. » *S. Ephraem* Orat. de consummat. saeculi et de antichristo exclamat: « Verba in doloribus facturus sum, et cum suspiriis dicturus de instanti huius mundi consummatione, impudentissimoque ac saevissimo dracone, antichristo, qui turbaturus adveniet omnem sub coelo regionem etc. » *S. Gregorius Naz.* (6) canit: « Quis est antichristus? Plena veneno bellua, homo potens. Quid etiam defectio? Longe sceleratissimus nuper vigens apostata, et quae nunc dominatur, Dei divisio. » *S. Io. Chrysostomus* (7) ait: « De antichristo multa fuerunt praedicta, nempe quod iniquus, quod filius interitus, quod esset eius adventus secundum operationem Satanae. » *S. Hieronymus* Comment. in Dan. cap. VII, de antichristo exponit Danielis verba: *Et ecce oculi, quasi oculi hominis, erant in cornu isto;* et dicit: « Ne eum putemus iuxta quorundam opinionem vel diabolum esse vel daemonem, sed unum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter; *et os loquens intelligentia;* est enim *homo peccati, filius perditionis,* ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum. » *S. Augustinus* l. 20 de Civ. Dei, cap. 19 de antichristo exponit verba Apostoli II Thess. II, et loquens de consummatione saeculi ait: « Tunc solvetur Satanas, et per illum antichristum in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur. » *S. Isidorus Hispan.* (8) scribit: « Antichristus appellatur, quod contra Christum venturus sit.... Christum enim se mentietur, dum venerit, et contra eum dimicabit, et adversabitur sacramentis Christi, ut veritatis eius Evangelium solvat. Nam et templum Hierosolymis reparare, et omnes veteris legis caeremonias restaurare tentabit. » *S. Io. Damascenus* (9) inquit:

(1) Lib. de resur. carn., c. 27.
(2) Hom. 3 in Ps. 36.
(3) Lib. 7 Instit., cap. 16, etc. (4) Cap. 19.
(5) In Matth. cap. 25.
(6) Sect. 2, carm. 34, v. 215.
(7) Hom. 4 in 2 Thess. 2.
(8) Lib. 8 Orig., c. 11.
(9) Lib. 4, c. 27.

« Peculiari ac praecipuo modo antichristus ille dicitur, qui sub mundi catastrophen venturus est.... Cum autem rerum potitus fuerit, tum vero Ecclesiam Dei persequetur, perversitatemque suam omnem depromet. Veniet autem in signis et prodigiis mendacii fictis, ac non veris, eosque, quorum imbecillis et parum firmo fundamento nixa mens est, in fraudem inducet, atque a Deo vivo abstrahet, ita *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* » Etiam Iudaei antichristum venturum credunt; et Mahomedani in fine mundi antimahometem expectant. Christiani quovis tempore et loco de antichristi adventu non dubitabant: hunc igitur negare maxima impudentia est.

2. Ex Iudaeorum genere antichristum egressurum esse, veteres Patres et Interpretes conveniunt. Auctor sub nomine *S. Hippolyti* vulgatus in lib. de consummatione saeculi inquit: « Sicut Christus a Iudaeis, ita ab iisdem antichristus prodibit. *Hilario* Diacono teste, in II Thess. II, circumcidetur et inter Iudaeos orietur, ut populus iste illum sequatur, eique se suasque res omnino committat. » *S. Hieronymus* in Daniel. XI explicans verba: *Ascendet in modico populo,* antichristum a Iudaeis oriturum fert, dicens: « Consurgere debet antichristus de modica gente, id est, de populo Iudaeorum. » Magno quoque consensu Patres antichristi parentes ex tribu Dan futuros arbitrantur, ad quod probandum S. Scripturae testimonia citant. Nam Gen. XLIX, 16 Iacob dixit: *Dan iudicabit populum suum, sicut et alia tribus in Israël. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro:* in quae verba *S. Ambrosius* (1) ait: « Fuit Samson ex tribu Dan, et iudicavit Israël viginti annis. Sed non hunc prophetia significat, sed antichristum, qui futurus est ex tribu Dan, saevus iudex, et tyrannus immanis . . . deiicere tentabit eos, qui viam ambulant veritatis, supplantare cupiens veritatem. » Idem sentiunt *S. Augustinus* q. 22 in Iosue, *Theodoretus* q. 109 in Gen., et *S. Gregorius M.* l. 31 in Iob, cap. XVIII. Alter locus est Ier. VIII, 16: *A Dan auditus est fremitus equorum eius; a voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra, et venerunt, et devoraverunt terram, et plenitudinem eius, urbem et habitatores eius.* Unde *S. Irenaeus* (2), loquens de antichristo scribit: « Ieremias tribum, ex qua veniet, manifestavit dicens: *De Dan audivimus vocem velocitatis equorum eius* etc. » Ita etiam *Rabanus Maurus* (3), et alii de antichristo haec verba exponunt. Tertio demum *V. Beda, Primasius, Rupertus, Haimo* aliique non pauci Apocalypseos interpretes putant, S. Ioannem Apoc. VII, 5 etc., cum pro reliquis tribubus singulis 12,000 electos assignaret, id circo tribum *Dan* praeteriisse, quod ex illa antichristum egressurum agnosceret. — *Pseudo-Hippolytus* l. c. inter alia scribit, quod antichristus habiturus sit matrem virginem non secus ac Christus, quamvis hic veram, ille phantasticam carnem sit suscepturus. Dicunt porro quidam cum *Lactantio* (4), diabolum ipsum antichristi fore parentem. Neque haec opinio admirationem nobis ingerat; inter veteres enim multi a daemone posse foeminas gravidari, imo et plures gravidatas esse sentiebant. Huic sententiae etiam praestantissimi quidam

(1) De benedict. Patr., c. 7.
(2) Lib. 5 adv. haer., c. 38.
(3) Lib. 2 de universo, c. 2.
(4) Lib. 16, c. 17.

scriptores adhaeserunt, et foeminas implendi virtutem daemoni tribuerunt, non quod per seipsum id praestet, sed per semen ab aliquo homine ereptum, et in foeminam callide infusum. Ast obsoletam hanc sententiam solide refellit *Cl. Calmetus* l. c. (1) dicens: « Philosophorum argumentis hanc opinionem facile refelleremus, si haec id exposceret dissertatio. Quin vero ad physicam confugiamus, haec utique sententia Servatoris nostri ex matre virgine orti prodigium evertit, et vehementer infirmat. Si enim daemonis ope, praeter miraculum, quin viro haereat, mulier gravida fieri potest, cur et Angeli industria praestari id non valeat? Si vero Angelus et daemon ea in re virtutem suam exerceant, ruit protinus argumentum, quo Iesum Christum, quod ex virgine ortum duxerit, Messiam et Deum probamus. Hoc autem miraculum ita omnium vires exhaurit, ut, *Augustino* teste (2), neque a daemone, neque a caeterorum quolibet praestari valeat. Constat itaque, a daemone arte ea, quae praefertur, nullum hominem procreari posse, ac propterea neque antichristum ex matre, quae viri consuetudine usa non fuerit, proditurum. » Admitti etiam nequit sententia eorum qui autumant, antichristum non hominem fore, sed daemonem humana carne indutum; praeferenda enim est sententia, quam S. Scriptura innuit, Patres tradunt et Ecclesia probat, nempe antichristum verum fore hominem, qui autem daemoni penitus adhaerebit, et ab isto obsidebitur, dirigetur et ad omne malitiae et crudelitatis genus contra fideles exercendum impelletur.

3. Ex dictis antichristi characteres facile intelliguntur. Erit enim vir vaferrimus et impiissimus. Omnia quidem scelera patrabit, sed occultissime, et sub velo hypocrisis malitiam suam celabit, ut observant Ss. Patres, et praesertim *S. Cyrillus Hieros.*(3), *S. Io. Damascenus*, et *Pseudo-Hyppolitus*. Antichristus palam negabit, tres esse divinas personas, et Iesum Christum verum esse Messiam, a cuius fide, et cultu homines avertere tentabit. E contra seipsum verum esse Messiam a tot saeculis exspectatum docebit. Quinimo eo impietatis perveniet, ut sibi honorem cultumque Divinitati debitum exigat: qua de re hostias in templo hierosolymitano a se iterum erecto mactari imperabit. Homines autem seducet per fallacia signa et prodigia, dicente Paulo, eius adventum esse *secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus* (4). Putant nonnulli, tria specialia antichristi signa in Apocalypsi cap. XIII recenseri. Nam v. 13 dicitur: *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de coelo descendere in terram in conspectu hominum;* et v. 15: *Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiae, et ut loquatur imago bestiae*, nempe sibi faventia, et homines seducentia proferat: et v. 3: *Vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, et plaga mortis eius curata est. Et admirata est universa terra post bestiam;* ubi antichristus dicitur *quasi occisus*, id est, apparenter mortuus, et ad novam vitam revocatus. — Antichristus porro per media iniustissima ad regalem thronum semetipsum elevabit. Et « novus illico rex, ait *Calmet* (5), de toto sibi orbe subigendo cogitabit; quare quammaximo instructo exercitu, *per pulcherrimam vindicandae populis a tyrannorum iugo libertatis, veraeque*

(1) Diss. de antichr. art. 2.

(2) In Ep. 137 (al. 3), c. 4, n. 13.
(3) Catech. 15. (4) II Thess. 2 (5) L. c. a. 6.

religionis restituendae speciem omnia terrarum imperia, Romanum praesertim, tunc temporis in decem regna divisum, omnino evertere aggredietur: primumque Aegypti, Lybiae et Aethiopiae reges caeteris praestantiores invadens eorum regna occupabit. *Mittet manum suam*, ait Daniel XI, 42, *in terras, et terra Aegypti non effugiet, et dominabitur thesaurorum auri et argenti, et in omnibus pretiosis Aegypti, per Lybiam quoque et Aethiopiam transibit.* Horum regnorum casus aliorum septem ruinam secum trahet; principes enim et populi turmatim confluentes, sese victori submittere properabunt. » Hinc Patres censent, antichristum imperium suum per totum orbem extensurum esse. Quamvis igitur Iudaeorum nemo toti unquam orbi imperaverit, antichristus omnibus regionibus imperabit, ut observat *S. Hieronymus* in Dan. XI dicens: « Nullus Iudaeorum, absque antichristo, in toto unquam orbe regnavit. » Tam vastum autem imperium antichristus diris bellis, impellente et adiuvante Satana, obtinebit. Nam Apoc. XX, 7 etc. legitur: *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog et Magog, et congregabit eos in praelium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terrae, et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam*, id est, universam Ecclesiam, ut exponit *S. Augustinus* (1). Quid per *Gog et Magog* intelligendum sit, non adeo facile definiri potest. *S. Augustinus* l. c. per *Gog* intelligit Diabolum, qui adinstar magni tecti omnes malos obumbrat. (*Gog* enim tectum significat). Per *Magog* antichristi exercitum coniicit ex totius terrae Gentibus conflatum. Ast quia Satan aperte a *Gog* et *Magog* distinguatur, quos dicitur seducere et congregare in praelium, alii dicunt, per *Gog* ipsum antichristum, et per *Magog* eius exercitum intelligi; in Ezechiele enim (2) *Gog* describitur tanquam *princeps*, ac *Magog* ut *natio*. Putant porro eruditi, hanc nationem nomen hausisse a *Magog*, filio Iapheti, cuius posteri sunt, antiquitus *Scythae*, nunc vero *Tartari* dicti, de quibus *Card. Gotti* (3) et *Serarius* (4) observant, quod etiamnum principem suum Gog appellent.

4. Saevissimam fore persecutionem, quam antichristus contra Christi fideles movebit, ex citatis iam S. Scripturae et Patrum testimoniis abunde colligitur. Dubitandum profecto non est, quin tormenta ab antichristo fidelibus inferenda longe lateque superatura sint poenas, quas perpessi sunt sub tyrannorum barbarie martyres christiani. Quandoquidem praeter maiorem antichristi potentiam, ministrorumque furorem tunc daemon, utpote vinculis suis plane solutus, maiorem licentiam habebit affligendi homines variis tormentorum generibus hactenus inexcogitatis. Accedit, antichristi persecutionem nullis confiniis intercludendam iri. Universalis enim erit per totum orbem: nam Apoc. XX, 8 legitur: *Ascenderunt supra latitudinem terrae, et circuierunt castra sanctorum.* Inde eruit *S. Augustinus* (5) omnes prorsus homines haereticos, aliosque id genus coniungendos esse antichristo, ut ubique fideles persequantur. Huius persecutionis immanitatem praedicit Christus

(1) Lib. 20 de Civ. Dei, c. 11.
(2) C. 38, v. 3, etc.; et cap. 39, v. 11.
(3) Th. dogm. t. 3, tract. 15.
(4) In cap. 14 Tobiae, q. 4.
(5) Lib. 20 de Civ. Dei, c. 9, n. 3

inquiens: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur. — Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (1); quae verba quidem etiam de excidio urbis Hierosolymae exponi solent: at quia excidium praefatum consummationis saeculi figura fuit, rectissime Patres et Interpretes adseverant, verba Christi ex parte iam impleta, ex toto autem, et perfecte temporibus antichristi implenda fore. Per fraudes, dolos et persecutiones antichristi plurimos seducendos esse, innuit Apostolus II Thess. II, 3, docens, tempore antichristi magnam *discessionem* fieri. Licet enim etiam aliae tyrannorum persecutiones huiusmodi lacrymabiles apostasias pepererint, nulla ex his tamen *discessionis* nomen obtinuit. Tempore antichristi videbitur Ecclesiam Christi e terra evanuisse, et veri Dei cultum cessasse. Ideo Ecclesia Apoc. XII comparatur mulieri, quae (v. 6) *fugit in solitudinem* (v. 14), *in desertum, in locum suum.* — His autem non obstantibus indubitanter asserere debemus, Christi fidem, religionem et Ecclesiam plane non esse extinguendas. Obstat enim promissio Christi: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* (2). Et revera cum ipse Christus asserat, quod *propter electos breviabuntur dies illi*, concludere quoque debemus, electos non fore a fide et pietate lapsuros. Ioannes ipse numerum apostatarum limitat, dicens: *Adoraverunt eam (bestiam) omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitae* (3). Hinc moderato sensu excipiendae sunt expressiones tum S. Scripturae, tum Ss. Patrum, cum de hac apostasia loquuntur. Licet dicatur Dan. XII, quod *auferetur iuge sacrificium* etc., intelligendum id venit de frequentia, vel de publicitate, vel de locorum universalitate, ita ut sensus sit, non adeo frequenter divinae hostiae immolatio fiet, nec publice, nec in omni loco. Hocce modo sumendae sunt sententiae *S. Ephraem* et *Pseudo-Hippolyti* locis citatis, cum asserunt, tunc temporis divinum cultum omnino cessaturum esse.

5. Antichristi imperium, saevaque eiusdem persecutio per annos tres, et menses sex perdurabit. Id colligitur ex Danielè dicente: *Tradentur in manu eius usque ad tempus, et tempora et dimidium temporis* (4); quo in loco tempus denotat annum primum, tempora alios duos subsequentes, et dimidium temporis sex menses. Phrasis haec obvia fit in eodem Propheta, etiam cum explicatur duratio punitionis Nabuchodonosor eiecti a regno, donec *septem tempora mutentur super eum... Septem quoque tempora mutabuntur super te*, id est, septem anni (5). Apoc. XII, 6 dicitur, mulierem in solitudine detinendam esse *diebus mille ducentis sexaginta;* qui numerus tres annos cum dimidio explet. Et ibid. (v. 14) repetitur phrasis Danielis: *Datae sunt mulieri alae duae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis.* Et c. XI, vv. 2 et 3 legitur: *Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, et dabo duobus testibus meis* (Henoch et Eliae, de quibus

(1) Matth. 24, 21, etc.
(2) Id. 16.
(3) Apoc. 13, 8.
(4) C. 7, v. 25.
(5) Dan. 4, 13 et 22.

infra), *et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Cap. XIII, v. 5: *Datum est ei os loquens magna, et blasphemias; et data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* His S. Scripturae testimoniis innixi Ss. Patres idem tempus pro persecutionibus antichristi assignant. *S. Irenaeus* lib. 5 circa finem ait de antichristo: « Regnabit annis tribus, et mensibus sex; et tunc veniet Dominus de coelis. » *S. Cyrillus Hier.* (1) dicit: « Regnabit antichristus tribus annis cum dimidio tantum; quod non ex libris apocryphis discimus, sed ex Daniele propheta. » *Hippolytus* l. c. inquit: « Tres annos regnabit antichristus cum dimidio; post auferetur regnum illius, et gloria. » *S. Hieronymus* in cap. VII Daniel. scribit: « *Tempus* annum significat; *tempora* iuxta hebraici sermonis proprietatem, quia et ipsi dualem numerum habent, duos annos praefigurant: *dimidium* autem *temporis* sex menses, quibus sancti potestati antichristi permittendi sunt. » Idem docet *S. Augustinus* l. 20 de Civit. Dei, cap. 23. — Consentiunt porro Patres et scriptores ecclesiastici, post praeterlapsum tempus indigitatum antichristum occidendum esse; quod Paulus ad Thess. apertis verbis praedicit, dum loquitur de antichristo, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (2). Hoc autem non de interfectione immediata debet intelligi, quasi Christus eum manibus propriis perempturus sit, sed de mediata, quae fit per mandatum, non hominibus mortalibus, sed potius angelis datum. Multi enim ad debellationem et occisionem antichristi referunt, quae Dan. XII, 1 etc., et Apoc. XII, 7 etc. leguntur; ac ideo putant, per archangelum Michaëlem antichristum occidendum fore. Certum autem est, Christum auxiliatore non indigere, et nutu omnipotentiae, seu *spiritu oris sui* antichristum occidere, et regnum eius destruere posse.

Nota. Indignationem potius, quam confutationem meretur insulsa et impia Lutheri sententia, romanum Pontificem esse antichristum. Inter huius enim characteres ne unus quidem romano Pontifici congruit. Nam antichristus designatur nobis in S. Scriptura ut singularis homo: romani vero Pontifices plures sunt, alii aliis succedentes. Antichristus iuxta Danielem de medio tollet iuge sacrificium, et Ecclesiam Christi dirissime persequetur: ex adverso sacrificium divinum a romano Pontifice exercetur, stabilitur, exornatur; et Ecclesia ab eodem fovetur, regitur, et dilatatur. Antichristus iuxta Paulum ostendet se tamquam Deum, et extolletur super omne, quod dicitur Deus: romanus Pontifex se Deum non facit, sed solum Christi Vicarium, prouti est, se nominat, et a Christo omnem, quam tenet, potestatem repetit. Idem Apostolus testatur, antichristum in signis et prodigiis mendacibus esse venturum: romani Pontifices hoc non affectant, et qui miraculis claruerunt, non deceperunt praestigiis, et incantationibus, sed ope divina miracula vera patrarunt. Quodsi Pontifices miraculorum operatores antichristi fuerunt, nemo melius quam S. Petrus, tale nomen nefandum sibi promeruit, qui caeteros omnes Pontifices miraculis praestitit. Antichristi regnum per tres annos et menses sex durabit: romani Pontifices iam per saecula Ecclesiam regunt. Antichristus paulo ante finem mundi apparebit: sed a tempore, quo Lutherus in rom Pontifice antichristum vidit, tria iam

(1) Cat. 15. (2) II Thess. 2, 8.

saecula praeterlapsa sunt. Hinc Protestantes eruditi ipsimet de hac Antesignani sui sententia erubescunt(1).

II. De Henoch et Elia.

§ 818. *Henoch* et *Elias* mortui non sunt, sed vivi in alium locum translati; in quo non quidem visione beatifica gaudent, sed tamen feliciter dies suos ducunt, atque in fine mundi in terram revertentur, ut supremum Iudicem praecurrant, antichristo resistant, et glorioso martyrio vitam suam finiant. Haec est communis Catholicorum sententia, quae sat solidis argumentis ex revelatione petitis probatur.

1. Moyses, scriptor hagiographus, de Henocho scribens haec verba adhibet: *Ambulavit Henoch cum Deo... et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Dominus* (2). Porro si Moyses mortem Henochi narrare voluisset, non immutasset loquendi modum eousque servatum, cum aliorum Patriarcharum obitum referre voluit, videlicet: *et mortuus est*. Cum autem hac phrasi praetermissa, aliam novam substituerit, etiam aliam notionem in illis verbis nos coniicere debemus. Post mortem enim hominis corpus visibile manet, nisi aut aquis immergatur, aut igne consummatur; Moyses autem de Henochi corpore dicit: *Non apparuit*, id est, oculis hominum subductum fuit, sed quia *tulit eum Dominus*, id est, quia Dominus Henochum in alium locum transtulit. Hinc Paulus mortem Henochi aperte negat dicens: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus* (3). Porro quod dicitur de translatione *Henochi*, idem prorsus occurrit de raptu *Eliae*, a morte praeservati, et in curro igneo alium in locum transvecti. Legitur enim IV Reg. II, 11 etc. de Elia et Eliseo: *Quumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque: et ascendit Elias per turbinem in coelum... et non vidit eum amplius Eliseus*. Magnum hic contigit miraculum; sed, ut cum *Cornelio a Lap.* Interpretes observant, hic currus, et hi equi non erant vere ignei, sed habebant formam et speciem ignis. Erant enim nubes splendidissima ministerio angelorum, aut alia quacunque ratione in currus, equorumque similitudinem efformata, quae accepit Eliam, eumque ita amplexa est, ut in curru sedere, ac vehi videretur. Atque hic modus explicandi videtur facilior, et aliud evitat miraculum, quo et Elias in corpore adhuc passibili et mortali non fuit adustus, nec pallium ad Eliseum missum est ustulatum. Accedit, quod turbo non tam rapiat ignem, quam nubem. Denique hic modus explicandi a modo loquendi S. Scripturae, et etiam profanorum scriptorum non est alienus; id enim, quod splendidum et fulgens est, non raro igneum vocatur, ut Nahum II, 3; II Esdr. IX, 12; Sap. XVIII, 3. Quidquid autem sit de hac explicatione, certum est, sicut Henoch, ita etiam Eliam non esse mortuum, sed vivum in alium locum translatum; quod magno consensu docent Ss. Patres. S. *Irenaeus* (4) ait: « Henoch placens Deo, in quo placuit corpore, translatus est, translationem iustorum praemonstrans. Et Elias, sicut erat in plasmatis substantia, assumptus est, assumptionem Patrum prophetans, et nihil impedit eos corpus in trans-

(1) Cf. Bellar. lib. 3 de rom. Pontif., c. 3. (2) Gen. 5, 22 et 25. (3) Hebr. 5, 11.

(4) Lib. 5 adv. haer., c. 5.

atione, et assumptione eorum. » *Tertullianus* (1) inquit: « Translatus est Henoch et Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Caeterum morituri reservantur, ut antichristum sanguine suo extinguant. » *S. Chrysostomus* (2) de Henoch ita praeclare loquitur: « Quando Deus aliquid pronunciat, dictis ipsius contradicendum non est, sed fide digniora habenda sunt, quae pronunciantur a Deo, quam quae oculis nostris subiecta sunt. Enimvero Scriptura dicit, quod transtulit illum, et quod viventem transtulit, nec mortem expertus sit, sed ob suum, quem habebat apud Deum favorem, superior factus sit divina sententia contra humanum genus prolata. » Et (3) de Elia dicit: « Habes aliam imaginem resurrectionis, nempe Eliae raptum, qui nec in hodiernum usque diem est mortuus. Omnia sunt expedita Deo, et facilia; nam *non erit impossibile apud Deum omne verbum* (4). » *S. Hieronymus* (5) ad Pammachium scribit: « Henoch translatus est in carne, Elias carneus raptus est in coelum, necdum mortui, et paradisi iam coloni habent quoque membra, cum quibus rapti sunt atque translati. » *S. Augustinus* lib. de Peccato origin. c. 23 inquit: « Eliam et Henoch non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus, vivere. » Et lib. de Pecc. merit. et rem. c. 3 haec habet: « Neque enim Henoch et Elias per tam longam aetatem senectute marcuerunt. » *S. Thomas* in Epist. ad Hebr. (6) ait: « Mors duorum dilata est, Henoch et Eliae. Et ratio est, quia doctrina V. Testam. ordinatur ad promissa N. T. in quo spes nobis vitae aeternae promittitur. Matth. IV: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum*. Et ideo, data sententia mortis, voluit Dominus homines ducere in spem vitae: quod fecit in Patribus utriusque status, scilicet naturae, legis et gratiae. Unde in primo statu dedit spem evadendi necessitatem mortis in Henoch: in lege autem in Elia; in tempore gratiae in Christo, per quem datur nobis effectus huius promissionis. Sed duo primi morientur per antichristum; Christus autem semel mortuus, a mortuis resurgens *iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. »

2. Quaestio etiam movetur, quem in locum *Henoch* et *Elias* translati fuerint, et in quonam statu nunc versentur. Certum imprimis est, quod non fuerint translati in regnum coelorum, in quo angeli et sancti visione Dei beatifica fruuntur. Quia enim Christus nobis per mortem suam beatitudinem aeternam promeruit (7), ante ipsius passionem nemini coelestis regni ianua patefacta fuit, sed animae iustorum e terrestri vita egressae in limbo detentae sunt; unde Ecclesia Christum laudans canit: *Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna coelorum*. Extiterunt quidem nonnulli, qui asserunt, post mortem Christi *Henoch* et *Eliam* videre divinam essentiam, et in corporibus gloriosis cum Christo regnare. At contrarium docet *S. Augustinus* (8) dicens de Henoch et Elia: « Nec tamen credo, eos iam in illam spiritualem qualitatem corporis consummatos, qualis in resurrectione promittitur, quae in Domino prima praecessit. » Et revera nunquam adversarii gloriam illorum corporum probaturi erunt, quoadusque fatebuntur, sicut fateri debent, sanctissimos hos viros rur-

(1) Lib. de anima, cap. 1.
(2) Hom. 21 in Genesin.
(3) Hom. in Ps. 117, n. 4.
(4) Luc. 1, 37.
(5) Epist. 61.
(6) Cap. 11, v. 5.
(7) § 377.
(8) Lib. de pecc. merit., c. 3.

sus esse apparituros, ut in organicis et realibus membris officia expleant adversus antichristum, et demum eius furori per occisionem cedere cogantur. Cum autem mactatio immortalitati et impassibilitati, quae sunt dotes gloriosi corporis, plane repugnet, repugnat itidem quod eorum corpora modo gloriosis muneribus sint ornata. Si itaque in statu mortalitatis et passionis eorum corpora sunt adhuc detenta, nec eorum animae meliori conditione fruuntur, et corporibus mortalibus unitae visione beatifica non gaudent (1). Hoc enim privilegium, ac miraculum proprium fuit solius Christi, quod eius anima visionem intuitivam Dei possideret, quin beatitudinis internae influxus in organica membra manarent (2). Hinc S. *Gregorius Naz.* Orat. 28 (3) cum ostendisset, neminem in corpore mortali Deum vidisse, de Henoch postea scribit: « Licet translatus sit, non tamen constat, quod Deum comprehenderit, aut comprehensurus sit. » Et S. *Augustinus* de Gen. ad litt. (4) dicit: « Neque arbitrandum est, Eliam vel sic esse iam, sicut erunt sancti Dei, quando peracto operis die denarium accepturi sunt. » Quamvis autem sancti isti viri coelesti beatitudine non fruantur, ex communi tamen theologorum sententia in gratia confirmati tum a peccato, tum ab omni calamitate immunes sunt, et quoad corpus et animam feliciter vivunt. Hinc S. *Augustinus* loco mox cit. negat, Eliam nunc sic constitutum esse, « quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt. Iam itaque aliquid melius habet, quamvis nondum habeat, quod ex hac vita recte gesta in fine habiturus sit. » Et S. *Gregorius M.* (5) docet, « Eliam raptum esse in coelum aëreum, ut in secretam quandam regionem terrae duceretur, ut in magna carnis et spiritus quiete viveret, quoadusque ad finem mundi redeat, et carnis debitum solvat; ille enim mortem distulit, non evasit. » — Multi contendunt, Henoch et Eliam modo esse in paradiso, in quo protoparentes ante lapsum commorabantur, quia Eccli. XLIV, 16 legitur: *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum.* Huius sententiae fuerunt S. *Irenaeus* loc. cit., S. *Athanasius* in epist. de decretis Syn. Nic., S. *Isidorus* de vita et obitu Ss. cap. 3, S. *Thomas* (6). Alii vero contendunt, paradisum primaevum haud superstitem, aut saltem quoad loci amoenitatem per diluvium devastatum esse. Observant isti Eccli. XLIV, 16 in graecis codicibus tantum legi: *Henoch - translatus est*, absque ulla paradisi mentione; in Scriptura autem quemlibet locum valde amoenum *paradisum* nominari, ut Gen. XIII, 10; et in Cant. *emissiones tuae paradisus.* Hinc isti melius esse censent, fateri, locum, in quo Henoch et Elias degunt, nobis ignotum esse. Apposite igitur S. *Chrysostomus* (7) in epist. ad Hebr. dicit: « Multi quaerunt... si (Henoch et Elias) adhuc vivant, quomodo vivant? et in quo habitu? Sed supervacaneum est hoc quaerere. Nam quod ille quidem, nempe Henoch, sit translatus, hic autem, Elias, sit assumptus, dixerunt Scripturae. Ubi autem sunt, et quomodo sunt, non adiecerunt; non amplius enim dicunt, quam quae sunt necessaria. » S. *Augustinus* (8) ait: « Quaestiones sunt, in quibus, salva fide qua Christiani sumus, aut

(1) § 782. (2) § 327.
(3) Al. 34, n. 18. (4) Lib. 9, cap. 6.
(5) Hom. 29 in Evang.
(6) 1, q. 102, art. 2 ad 3.
(7) Hom. 22.
(8) Lib. de peccat. orig., c. 23.

gnoratur, quod verum sit, et sententia definitiva suspenditur, aut aliter, quod est, humana et infirma suspicione coniicitur... veluti cum quaeritur : Ubi sunt nunc Elias et Henoch? an in paradiso terrestri, an alibi? quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus vivere. » Incertum locum etiam verba *S. Gregorii M.* paulo ante citata assignant. Et *Rupertus* Abbas (1) dicit : « Nusquam Scriptura dat intelligi, quod Henoch et Eliam Deus tulerit in ipsum paradisum, ubi comederent de ligno vitae, et viverent in aeternum; sed ita sublati sunt ut in secretam quandam regionem terrae ducerentur, ubi in magna carnis et spiritus quiete viverent, quousque ad finem mundi redeant, et mortis debitum solvant » (2).

3. *Henoch* et *Elias* secundum Christi adventum praecedent, et poenitentiam hominibus verbis et exemplo suadebunt, ut eos ad divinum iudicium subeundum, pugnamque in antichristum obeundam parent. De priori dicitur, Eccli. XLIV, 16 : *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus poenitentiam.* De posteriori Deus ipse per Malachiam IV, 5 ait: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* De Ioanne Baptista, qui venit *in spiritu et virtute Eliae*, Praecursor primi Christi adventus, locum istum perperam explicant catholici quidam interpretes, et plures ex protestantium grege. Secundum enim Christi adventum ad iudicium manifeste designant illa verba: *Antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* : item illa : *Ne forte veniam, et* (antequam per poenitentiam parati sitis) *percutiam terram anathemate*, quae primo Christi adventui non conveniunt, uti nec primum illud comma eiusdem capitis : *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula: et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non derelinquet eis radicem et germen.* De Elia etiam ipso, non de Ioanne Bapt. locum hunc esse intelligendum, confirmant LXX Interpretes, quorum versio sic habet: *Et ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem, antequam veniat dies Domini magna et illustris;* cui consentit versio arabica, chaldaica et syriaca. Sicuti ergo Malachias cap. I, v. 1 etc., praecursorem primi, ita cap. IV, v. 5 praecursorem secundi adventus Christi praedixit. Confirmatur id ex Eccli., c. XLVIII, v. 9 etc., ubi Siracides Eliam prophetam commendans his eum verbis inter alia compellat : *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliari cor patris ad filium, et restituere tribus Iacob:* quae de Ioanne Baptista nemo cordatus intellexerit. Christus ipse duplicem adventum suum, et utriusque praeambulones distinguit; *Ioannem*, qui est mysticus Elias primi, et verum Eliam Thesbitem prophetam secundi adventus praecursorem; nam Matth. XVII, 10 etc. legitur : *Et interrogaverunt eum discipuli dicentes: Quid ergo Scribae dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, et*

(1) Lib 3 Comment. in Gen., c. 33

(2) Cf. Natal. Alex. Hist. eccl. V. T. t. 1 prima aet mund., Diss. 5, prop. 1.

non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecunque voluerunt. De adventu Henochi et Eliae etiam explicanda sunt verba Apoc. XI, 3 etc.: *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duae olivae, et duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes* etc. Magna isti miracula patrabunt; sed de eorum morte iniqui gaudebunt (v. 10); *Quoniam hi duo Prophetae cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.* De adventu Henochi, et praecipue de adventu Eliae in fine mundi frequenter loquuntur Patres. *S. Iustinus* in Dialogo cum Tryph.(1) ait: « Dominus noster hoc ipsum in doctrinis quoque suis futurum tradidit, cum dixit, etiam Eliam venturum. Atque nos id fore scimus, cum coelitus in gloria adveniet D. I. Christus. Cuius etiam prioris apparitionis praeco praecessit, qui in Elia fuerat, spiritus, in Ioanne generis vestri Propheta, postquam nullus alius apud vos Propheta apparuit. » *Tertullianus* lib. de anima (2) inquit: « Elias autem non ex decessione vitae, sed ex translatione venturus est; nec corpori restituendus, a quo non fuit exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus; non ex postliminio vitae, sed ex supplemento prophetiae. » *Hippolytus* in Orat. de antichristo dicit: « Prior Christi adventus praecursorem habuit Ioannem Baptistam: posterior vero, quo venturus est in gloria, Henoch et Eliam exhibebit ad denunciandum per universum mundum adventum antichristi,— facientque signa et prodigia, ut vel hac ratione flectant, et convertant homines ad poenitentiam. » *S. Ambrosius* (3) scribit: « Bestia illa antichristus ex abysso ascendit, ut adversus Eliam atque Henoch, qui propter testimonium Domini Iesu terris sunt redditi, praeliaretur, ut legimus in Ioannis Apocalypsi. » *S. Io. Chrysostomus* (4) ait: « Scripturae duos narrant Christi adventus; hunc, qui iam fuit et futurum, — Prophetae quoque utrumque adventum memorant, atque unius, qui secundus est, praecursorem dicunt futurum esse Eliam. Prioris vero fuit Ioannes, quem Christus Eliam vocabat, non quod Elias esset, sed quod eius ministerium impleret. Sicut enim ille praecursor erit secundi adventus, ita et hic prioris erat... Hoc dicit significans, Thesbitem venturum esse ante adventum illum, in quo iudicium fiet. Causam quoque, cur venturus sit, docet. Quaenam est illa? Ut Iudaeos inducat ad credendum in Christum, ne illo adveniente omnes funditus pereant. » *S. Hieronymus* (5) verba Christi: *Elias quidem venturus est, et restituet omnia,* in hunc sensum exponit: « Ipse qui venturus est in secundo Salvatoris adventu secundum corporis fidem, nunc per Ioannem venit in virtute et spiritu. » *S. Augustinus* (6) c. Iulian. de *Henoch* et *Elia* scribit: « Deus in his duobus ostendit, quid etiam illis, quos dimisit de paradiso, praestaturus esset, si peccare noluissent: inde namque electi sunt isti, quo traiecti sunt illi. Ubi etiam hoc eis Dei gratia credimus esse collatum, ne haberent unde dicerent: *Dimitte nobis debita nostra...* Qui sane credunt ad exiguum temporis redituri in has terras, ut etiam ipsi cum morte confligant, et quod primi hominis propagini debetur exsolvant. » *S. Gregorius M.* (7) dicit: « Ad Zacha-

(1) N. 49. (2) Cap. 35. (3) In Ps. 45.
(4) Hom. 57 (al. 58), in Matth. n. 1.
(5) Comm. in Matth. cap. 17.
(6) Lib. 6, cap. 30 imperf.
(7) Hom. 7 in Evang.

riam de Ioanne Angelus inquit: *Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae*: quia sicut Elias secundum Domini adventum praeveniet, ita Ioannes praevenit primum: sicut ille praecursor venturus est Iudicis, ita iste praecursor factus est Redemptoris. » *S. Io. Damascenus* (1) agens de temporibus antichristi ait: « Mittentur Henoch et Elias Thesbites, et patrum corda in filios, hoc est, Synagogam ad D. I. Christum et Apostolorum praedicationem convertent, ab eoque trucidabuntur. »

4. Apoc. XI, 3 de Henoch et Elia legitur: *Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta;* quo in loco *prophetare* non significat vaticinari, sed explicare et interpretari S. Scripturam, vocare gentes, atque Iudaeos ad fidem Iesu Christi, legis divinae observantiam inculcare, antichristo resistere, et fideles contra eius fraudes et persecutiones praemunire. Cum autem per idem tempus (2) saeva antichristi persecutio perdurare dicatur, hac incipiente etiam Henochi et Eliae praedicationem initium sumpturam esse, rectissime cum *S. Augustino* (3) creditur. Expleto autem praedicationis officio sancti isti viri ab antichristo trucidabuntur, ut etiam sanguine suo gloriosum pro Christo testimonium ferant. Legitur enim Apoc. XI, 7 etc.: *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis civitatis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma, et Aegyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de tribubus et populis et linguis et gentibus corpora eorum per tres dies, et dimidium; et corpora eorum non sinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et iucundabuntur; et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetae cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.* His verbis Henochi et Eliae martyrium narratur, occisionis locus assignatur, nempe urbs Hierosolyma, *ubi Dominus eorum crucifixus est,* et rabies persecutorum describitur vetantium, ne interfectorum corpora sepeliantur. Mox etiam antichristus exterminabitur: Henoch autem et Elias, postquam sanguinem pro Christo tam gloriose fuderint, et iacuerint in plateis insepulti per tres dies cum dimidio, iterum, vocante voce divina, ad vitam revocabuntur, stupentibus omnibus, et ad coelum in nube rapientur. Legitur enim Apoc. XI, 11 etc.: *Et post dies tres et dimidium spiritus vitae a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de coelo dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in coelum in nube, et viderunt illos inimici eorum.* Post haec additur: *Et in illa hora factus est terraemotus magnus, et decima pars civitatis cecidit, et occisa sunt in terraemotu nomina hominum septem millia, et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo coeli.* Constat quidem, haec testimonia aliter explicari ab illis, qui cum *Cl. Bossueto* Apocalypsis vaticinia ad tempora persecutionum ab ethnicis imperatoribus motarum restringunt (4): quamvis autem haec explicatio commendanda sit, negari tamen vix potest Ioannem quaedam etiam de ultimis mundi temporibus praedixisse, et ad haec praecipue caput un-

(1) Lib. 4 orth. fid., cap. 27.
(2) Apoc. 12, 14.
(3) Lib. 1 quaest. evang., q. 21.
(4) V. Calmet. Comm. in Apoc.

decimum spectare, quod Veteres de Henoch et Elia in sensu litterali intellexerunt, quo relicto difficillima est eiusdem interpretatio.

III. *De signis specialibus appropinquantem mundi finem annuntiantibus.*

§ 819. Magni momenti eventus non solum per vaticinia praedici, sed etiam per signa praenunciari solent. Ita extraodinaria, et horrorem incutientia signa praecesserunt urbis Hierosolymae excidium, quod tanquam consummationis saeculi typus recte consideratur. Convenientissimum igitur est, ut etiam appropinquans iudicium extremum per signa quaedam annuncietur. Nam, ait S. *Thomas* (1): « Christus ad iudicandum veniens in forma gloriosa apparebit propter auctoritatem, quae iudici debetur. Ad dignitatem autem iudiciariae potestatis pertinet, habere aliqua indicia, quae ad reverentiam, et subiectionem inducant: et ideo adventum Christi ad iudicium venientis multa signa praecedent, ut corda hominum in subiectionem venturi Iudicis adducantur, et ad iudicium praeparentur, huiusmodi signis praemoniti. » Quia autem solus Deus libere, et contingenter futura praedicere potest, hinc ea tantum signa adducere licet, quae in divina revelatione indigitantur.

1. In S. Scriptura haud obscure praedictum est, quod appropinquante consummatione saeculi fides orthodoxa, et multo magis fides viva, quae per caritatem operatur, in multis defectura sit. Christus enim loquens de vindicta impiorum ait: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra* (2)? Quibus verbis Christus non dicit, fidem orthodoxam, et Ecclesiam catholicam penitus extinguendam esse, sed solum innuit, se in fine mundi paucos inventurum esse fideles, si comparentur cum infidelium multitudine, qui tunc invenientur. Quod idem etiam Paulus docet, cum asserit, Christum Iudicem non venire, *nisi venerit discessio primum* (3): plurimi nempe deficient aliquando a fide, deficient ab apostolica Petri sede, quae centrum est fidei catholicae, et haec defectio, haec apostasia via erit, et praeparatio adventus antichristi, ac simul primum signum approximationis Christi ad iudicium. Sicuti autem fides, ita et caritas deficiet, et magna corruptio morum ubique observabitur, praedicente Christo: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (4). Homines nempe terrenis tantum bonis inhiantes, et carnis dediti voluptatibus nec monitis, nec promissionibus, nec minis ad poenitentiam commovebuntur, sed obcaecati et obdurati in via perditionis permanebunt. Unde Christus ait: *Sicut factum est in diebus Noë, ita erit et in diebus Filii hominis. Edebant et bibebant, uxores ducebant, et dabantur ad nuptias usque in diem, qua intravit Noë in arcam: et venit diluvium, et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth: edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant; qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur de coelo, et omnes perdidit. Secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur* (5). Hinc *Cornelius a Lapide* (6) scribit: « Porro id maxime fiet sub finem mundi ante adventum Christi ad iudicium, cum edent et bibent homines, dabuntque se voluptatibus,

(1) In suppl. 3 p., q. 73, art. 1.
(2) Luc 18, 8. (3) II Thess. 2, 3.
(4) Matth. 24, 12. (5) Luc. 17, 26, etc.
(6) Comment. in Luc. 18, 8.

non cogitantes de iudicio, ut dixit Christus l. cit. Ita *Beda:* Cum Christus, inquit, apparuerit, magna erit raritas electorum; imo tunc fides orthodoxa in multis deficiet (1); *Surgent* enim *pseudo-prophetae, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et ut ait S. Petrus: *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio, aut adventus eius* (2)? Quasi dicat: Natura mundum constituit, eadem mundi cursum eodem tenore continet, et semper perpetuabit: non ergo est Deus qui illum incidet, non est numen, quod facta nostra iudicabit et puniet. »

2. Instante consummatione saeculi, plurimas et maximas calamitates in orbe terrarum fore, Christus praedixit. Nam, interrogantibus discipulis: *Dic nobis, quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis saeculi* (3)? inter alia respondit: *Audituri estis praelia, et opiniones praeliorum.... Oportet enim haec fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae, et fames, et terraemotus per loca. Haec autem omnia initia sunt dolorum* (4). *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet* (5). Cf. Luc. c. XXI, v. 9-12. Haec verba quidem recte ad excidium urbis Hierosolymae referuntur, et in isto, ut historia docet, accuratissime adimpleta fuerunt. Nihilominus autem Ss. Patres, et interpretes catholici magno consensu ad consummationem saeculi referunt, et adseverant, quae in typo contigerunt, multo magis in figurato implenda fore. Hinc *S. Chrysostomus* Hom. 1 in II Thess. n. 1 loquens de signis adventus antichristi, « frequentes quoque, et quae explicari non possunt, calamitates, eius esse dicit signum. » Idem propter signa indigitata arbitratus est, finem mundi iam appropinquare; nam, ait in fine Hom. 20(6) in Matth., « pleraque signa iam perfecta sunt, ac demum Evangelium per totum orbem praedicatum fuit, ac bella, terraemotus, et fames evenerunt; nec magnum iam intervallum est. Sed signa non vides? et hoc ipsum magnum signum est. Neque enim, qui Noë tempore erant, prooemia generalis interitus viderunt, sed interim ludentes, edentes, uxores ducentes consuetaque omnia agentes, sic a terribili illa ultione deprehensi sunt. » Similia habet in fine Hom. 34 (7) in Ioann. *S. Gregorius M.* (8) exponens verba Christi Luc. XXI, vv. 10 et 11 ita loquitur: « Ultima tribulatio multis tribulationibus praevenitur, et per crebra mala, quae praeveniunt, indicantur mala perpetua, quae subsequentur. Et ideo post bella et seditiones non statim finis; quia multa debent mala praecurrere, ut malum valeant sine fine nunciare. Sed cum tot signa perturbationis dicta sint, oportet, ut eorum considerationem breviter per singula perstringamus, quia necesse est, ut alia e coelo, alia e terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur. Ait enim: *Surget gens contra gentem;* ecce perturbatio hominum! *Erunt terraemotus magni per loca;* ecce respectus irae desuper! *Erunt pestilentiae;* ecce inaequalitas corporum! *Erit fames;* ecce sterilitas terrae! *Terroresque de coelo, et tempestates;* ec-

(1) Matth. 24, 24. (2) II Ep. 3, 3. (3) Matth. 24 3 (4) V. 6, etc. (5) V. 21. (6) Al. 21. (7) Al. 33. (8) Hom. 35 in Evang.

ce inaequalitas aëris. Quia ergo omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur, et qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, ut impleatur quod dicitur: *Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* (1). » Ita communiter Patres cap. Matth. XXIV, aut totum, aut saltem praecipuam eius partem ad finem mundi referunt (V. *Calmet* Comment. in Matth. XXIV, v. 3).

3. Inter signa, quae adventum divini Iudicis praecurrere debent in coelis, computanda sunt in primis ea, quae Christus Matth. XXIV, 29 recensuit his verbis: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur; et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur*. Quod ipsum legitur Luc. XXI, 25 etc.: *Et erunt signa in sole et luna, et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum: arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae supervenient universo orbi: nam virtutes coelorum movebuntur*. Haec verba *S. Augustinus* in Epist. ad Hesychium de fine saeculi (2) mystice exponit dicens, solem et lunam denotare Ecclesiam, quae tunc temporis sub immanissima antichristi persecutione lumen suum non protendet: emotionem vero stellarum de coelo significare lapsum plurimorum e statu fidei propter antichristi crudelitatem et seductionem. Veruntamen moralis haec interpretatio, licet plausibilis, litteralem tamen sensum non excludit, quem multi Patres, et interpretes amplectuntur. Quod enim factum est, dum Christus in cruce agebat animam, id etiam continget in fine mundi: corpora coelestia splendorem amittent, ac si panno obducerentur, et apparebunt ut saccus cilicinus, iuxta phrasin Apocalypsis (3), tristitiam summam nigrescente colore exprimentis. Stellae duplici ratione e coelo cadere dicuntur: *primo*, quia stellae sub finem mundi obscurabuntur, ut videantur hominibus coelo excidisse; S. Scriptura enim saepe loquitur de rebus, non uti in se sunt, sed uti hominibus videntur, et apparent: *secundo*, quia tot et tantae erunt exhalationes ignitae stellis similes, similesque cometis, et tot ac tanta insolita phoenomena e regione aërea undequaque erunt eruptura, et in terram iaculanda, ut altum sint horrorem incussura. Per *virtutes coelorum*, quae *commovebuntur*, nonnulli omnes Angelos intelligunt, qui stupore corripiendi, et ad commotionem excitandi erunt ob magnitudinem maiestatis divini Iudicis, et ob syndicatus severitatem. Quoniam autem de signo hominibus visibili sermo est, alii respuunt hanc sententiam, et dicunt, sermonem esse de illis Angelis, qui specialem chorum constituunt, *virtutes* nominantur, et quorum ministerium est circa causas universales. Unde ait *S. Thomas* in Suppl. (4), « proprium officium virtutum esse videtur corpora coelestia movere quae sunt causa eorum, quae in natura inferiori aguntur: et hoc etiam ipsum nomen sonat, quia *virtutes coelorum* dicuntur. Tunc ergo movebuntur, quia ab effectu suo cessabunt, ulterius corpora coelestia non moventes. Sicut nec Angeli, ad custodiam hominum deputati, ulterius custodiae officio vacabunt. » Alii denique putant, quod per virtutes coelorum non Angeli intelligantur, sed ipsi coeli, qui solidissimi reputantur, nempe sidera, quae per sae-

(1) Sap. 5, 21. (2) Ep. 199, n. 39. (3) Cap. 6, v. 12. (4) 3 p., q. 73, art. 3.

cula imperturbato ordine progressa, in fine mundi ordinem suum deserent, vimque ac virtutem suam amisisse videbuntur. — Nonnulli putarunt, haec signa in sole, luna et stellis post resurrectionem carnis adveniente Iudice ventura esse, cuius splendore astra obscurentur, et omnia commoveantur: melius autem cum *Lactantio* (1), et *S. Augustino* in Epist. ad Hesych. dicitur, praedicta signa ante carnis resurrectionem evenire, tum quia in Matthaeo et Luca adventui Iudicis praeponuntur, tum quia Luc. XXI expresse dicitur, homines arescere *prae timore et expectatione eorum, quae supervenient universo orbi.*

4. Matth. XXIV, 14 Christus ait: *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio.* Nonnulli cum *S. Chrysostomo* putant, hoc vaticinium iam ante excidium urbis Hierosolymae impletum fuisse, quia Apostoli statim post acceptum Spiritum sanctum per totum orbem dispersi ubique Evangelium praedicarunt; unde Ps. XVIII, 4 legitur: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Ad Rom.: *Fides vestra annunciatur in universo mundo* (2). Et Col. I, 6: *Quod* (Evangelium) *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit.* Hoc autem, ut monet *Cornelius a Lap.* (3), intelligendum est vel per hyperbolem vel per synecdochen, quod scilicet per multas et praecipuas orbis partes et provincias praedicatum et divulgatum, et sic vaticinium Christi ex parte impletum sit. Docent autem *S. Hieronymus, V. Beda* et plurimi alii veteres et recentiores interpretes, vaticinium Christi plane et plene adimplendum fore ante consummationem orbis; haec enim absolute dicitur consummatio, et ante hanc Evangelium in omnes omnino gentes divulgabitur, et propagabitur, ita ut apud omnes gentes fundentur Ecclesiae, pastores catholici et fideles orthodoxi inveniantur (quod factum non esse ante excidium Hierosolymae, in confesso est): idque fiet *in testimonium omnibus gentibus,* quo scilicet Deus testetur paternam suam in omnes gentes providentiam ac dilectionem, qua nullam gentem licet impiam et barbaram, a Christi fide, salute et gratia exclusit, sed omnes dilexit, curavit, vocavit congruis statisque temporibus, adeoque nihil omisit, quod opus erat ad salvandas omnes gentes: quo proinde pariter in die iudicii condemnet omnes, qui illi credere, et obedire noluerunt. Unde ex hoc Christi oraculo *S. Hieronymus, Suarez,* et alii passim docent hoc fore certum signum instantis finis mundi, scilicet praedicationem Evangelii per totum orbem.

5. Inter signa appropinquantis finis mundi recte etiam ponitur *conversio Iudaeorum ad rectam Christi fidem.* Illa etenim promittitur a prophetis. Nam Malach. IV, 5 legitur, Eliam in fine mundi ad hoc esse mittendum, *ut convertat cor patris in filios:* quod repetitur Eccli. XLVIII, 9. Et Christus ipse Matth. XVII, 11 dicit: *Elias quidem venturus est, et restituet omnia;* id est, ait *S. Chrysostomus* (4), « Iudaeorum, qui tunc supererunt incredulitatem corriget: ideoque accuratissime locutus est. Non enim dixit: restituet cor filii ad patrem, sed patris ad filium. Quia enim Iudaei patres erant Apostolorum, hoc sibi vult: restituet ad dogmata

(1) Lib. 7 Inst., c. 16.
(2) Rom. 1, 8. (3) In Matth. 24, 14.
(4) Hom. 57 in Matth., n. 1.

filiorum suorum, hoc est, Apostolorum cor patrum ipsorum, hoc est, animum iudaici generis. » Ose. III, 4 etc. dicitur: *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari* etc. *Et post haec revertentur filii Israël, et quaerent Dominum Deum suum, et David regem suum, et pavebunt ad Dominum, et ad bonum eius in novissimo dierum.* Quae verba expendens *S. Augustinus* (1) dicit: « Nihil esse manifestius ad ostendendum, carnales Israëlitas, qui nunc in Christum credere nolunt, postea credituros. » Eodem modo vaticinium Oseae exponunt *Origenes*, *S. Hieronymus* et alii Patres. Denique conversionem Iudaeorum in fine mundi praedicit Paulus Rom. XI, 25 etc., scribens: *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non scitis vobis ipsis sapientes), quia caecitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Iacob.* Hinc constans fuit in Ecclesia traditio, Iudaeos in fine mundi rectam fidem suscepturos esse: cuius traditionis testis est *S. Augustinus* (2) scribens: « Per hunc Eliam magnum mirabilemque Prophetam exposita sibi lege ultimo tempore ante iudicium Iudaeos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium, quod evidentissime Scriptura testatur... Cum venerit ergo exponendo legem spiritaliter, quam nunc Iudaei carnaliter sapiunt, convertet cor patris ad filios etc. » Huic quidem doctrinae obstare videntur verba Christi de ficulnea infructuosa, quae erat figura populi iudaici, dicentis: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum;* sed haec verba de Iudaeis tunc viventibus intelligi possunt; imo neque de istis omnibus et singulis sumi debent, sed solum de maiori eorum parte; siquidem post adventum Spiritus sancti multi Iudaei fidem Christi confessi sunt. Porro, iuxta *S. Hieronymum*, verba Christi non perpetuam, sed diuturnam tantum maledictionem enunciant. Nam Comment. in Habacuc cap. III ita refert verba Christi: *Non afferes fructum usque in saeculum*, et ait: « Diligenter considera, quid dixerit: *Non afferes fructum usque in saeculum;* non ait: *usque in saecula saeculorum*, sed cum saeculum istud pertransierit, et intraverit plenitudo gentium, tunc etiam haec ficus afferet fructus suos, et omne Israël salvabitur. » Alia difficultas oritur ex verbis Christi (Io. V, 43) et multorum Patrum sententiis, ex quibus manifeste colligitur, Iudaeos maximo numero antichristum secuturos, et pro vero Messia habituros esse. Sed his non obstantibus Iudaeorum conversio in fine mundi est admittenda. Hanc post antichristi occisionem perfici, putant nonnulli. Ita *Calmet* in Diss. de antichr. art. 6 ait: « Antichristo e vivis sublato, iterum paci suae restituetur Ecclesia, et nefarii omnes, qui perditissimum deceptorem secuti fuerint, probro quammaximo afficientur. Iudaei porro sese deceptos tandem intelligentes, et de Messia tamdiu exspectato desperantes, ad Christum eiusque fidem iuxta Scripturas adducentur. » Ast quia, iuxta allata S. Scripturae et Patrum testimonia, conversio Iudaeorum praecipue *Eliae* praedicationi adscribitur, rectius dicitur, Iudaeos ab initio quidem antichristum secutu-

(1) Lib. 18 de Civ. Dei, c. 26.

(2) Lib. 20 de Civ. Dei, c. 29.

ros, sed per praedicationem et signa Eliae a sequela antichristi divellendos, et ad Christum convertendos esse.

Usus doctrinae de personis, et signis iudicium extremum praecedentibus.

§ 820. 1. Mirum multis videtur, quare Deus adventum antichristi, et diram eius persecutionem permittat, in qua multi seducentur, a fide deficient, atque peribunt. At cum Apostolo (1) exclamandum est: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia Dei! et investigabiles viae eius!* Sicuti Deus quovis tempore homines, etiam iustos, tentari permittit, ut pericula salutis, suamque infirmitatem agnoscentes in humilitate persistant, vigilantiam adhibeant, ad orationem recurrant, mortificationes exerceant, et alia salutis media non negligant, quibus gratia divina obtinetur, et ut ita corroborati, legitime certantes, immarcescibilem coronam gloriae consequantur: ex iisdem rationibus etiam gravissimam antichristi persecutionem permittit. Ex hac ipsa autem permissione specialiter altissima Dei sapientia refulget. Constat enim, etiam iustos a peccatis venialibus immunes non esse, et quandoque pro peccatis mortalibus remissis satisfactionem plenam non praestitisse. Deus ergo vult, ut iusti per gravissimas tentationes, et maximas calamitates perfecte purgentur, et debita sua solvant, quae igne purgatorii, quod in consummatione saeculi cessat, expiari non possunt. At bonitatem quoque Dei admirari debemus, tum quia propter electos dies persecutionis abbreviabuntur, tum quia *Henoch* et *Elias* mittentur, qui fraudes antichristi detegent, eius impietati resistent, et Christianos in recta fide confirmabunt. Hinc monita Christi, quae semper summi momenti sunt, praecipue in fine mundi observanda sunt, nempe: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (2). At: *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (3).

2. Signa iam commemorata iudicium extremum praegressura, et appropinquantem consummationem saeculi indicatura esse, dubitare non licet. At negari quoque nequit, plura ex indigitatis signis variis temporibus conspicua fuisse, ex. gr., dum magna fidei et charitatis defectio observaretur, mundus peste, fame, bello et aliis calamitatibus dire opprimeretur, quin tamen finis mundi adventaret. Sed haec sapientissimo Dei consilio contingunt, ut homines quovis tempore salutari timori concutiantur, et sedulo vigilantes ad iudicium subeundum se praeparent. Hunc in finem saepe Ss. Patres appropinquantem antichristi, et aeterni Iudicis adventum fidelibus annunciarunt. Sic *S. Cyprianus* (4) ad Tiberitan. scribit: « Scire enim debetis, et pro certo credere ac tenere, pressurae diem super caput esse coepisse, et occasum saeculi, atque antichristi tempus appropinquasse, ut parati omnes ad praelium stemus, ne quidpiam, nisi gloriam vitae aeternae et coronam confessionis dominicae cogitemus.» *S. Leo M.* (5) ait: « Cum de adventu regni Dei, et de mundi fine ac temporum discipulos suos Salvator instrueret, totamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret: *Cavete*, inquit, *ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et cogitationibus saecularibus.* Quod utique praeceptum, dilectissimi, ad nos spe-

(1) Rom. 11, 33. (2) Matth. 7, 15.
(3) Luc. 11, 28. (4) Epist. 56.
(5) Serm. 8 de ieiun. 10 mens.

cialius pertinere cognoscimus, quibus denuntiatus dies, etiamsi est occultus, non dubitatur esse vicinus. Ad cuius adventum omnem hominem convenit praeparari. » Similia habet *S. Gregorius M.* in Hom. 1 in Evang. Dom. 1 Adv. Ita pariter *S. Martinus*, *S. Hieronymus*, *S. Norbertus*, *S. Bernardus*, *S. Vincentius Ferr.*, et alii appropinquantem iudicii diem annunciasse leguntur. Et sane - reprehendi non possunt, qui iuxta doctrinam revelatam appropinquantis iudicii signa fidelibus proponunt, ut salutari timore repleti vigilent, et se ad reddendam rationem praeparent. Cavendum autem est, ne in publicis institutionibus imprudenter privatis opinionibus ea certitudo adscribatur, quae iuxta consilia divina quoad tempus iudicii extremi haberi nequit.

ARTICULUS II.

De futura corporum resurrectione.

§ 821. 1. Quoniam *statutum est hominibus semel mori* (1), iuxta ordinariam legem etiam in quolibet homine verificatur, quod Eccle. XII, 7 dicitur: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Non itaque in nihilum abit corpus, quamvis in tenuissimas particulas dissolvatur (2). Quaeritur autem, an hominum mortuorum corpora semper in hoc statu resolutionis permansura sint? — Ad hanc quaestionem negative respondet divina revelatio, quae docet, quod in fine mundi ante iudicium extremum omnium hominum, iustorum et impiorum corpora ad novam vitam revocanda sint. Divina nempe virtute fiet, ut cuiuslibet corporis partes, ad eiusdem essentiam pertinentes, quomodocunque dispersae fuerint, iterum colligantur, coordinentur, et per novam cum anima coniunctionem vivificentur, ita ut quilibet idem quoad essentiam corpus resumat, quod in morte reliquit. Hoc in sensu corpora defunctorum resurgere dicuntur. Quamobrem *resurrectio* vere ac proprie dicta, de qua hic sermonem instituimus, est corporis per mortem amissi restitutio, et animae cum eodem unio iterata. Si autem ad eius causam efficientem respiciatur, resurrectio dicitur *resuscitatio*, et est opus Dei externum, quo Deus omnes homines mortuos omnipotentia sua revocaturus est ad vitam, restituendo singulis corpora, quae habebant, rursusque animabus uniendo.

2. Dogma catholicum de mortuorum resurrectione quovis tempore vehementer impugnatum fuit, ita ut *S. Augustinus* Enarrat. in Psalmo LXXXVIII (3) dicat: « In nulla re sic contradicitur fidei christianae, sicut de carnis resurrectione » (4). — *Tertullianus* de Praescript. cap. 7 observat, hoc dogma fuisse ab omnibus gentilibus philosophis aut ignoratum, aut impie negatum; ait enim: « Ut carnis resurrectio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur. » Quantum doctrina de resurrectione carnis gentilibus philosophis displicuerit, colligi potest ex Act. XVII, 17 etc., ubi Paulus in Synagoga Iudaeorum disputans exhibetur, et additur: *Quidam autem Epicurei, et stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere?... quia Iesum et resurrectionem annuntiabat eis.* Et Paulo in Areopago loquente: *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum* (5). Subsequentibus quoque saeculis ethnici philosophi

(1) Hebr. 9, 27. (2) § 748. (3) Serm. 2, n. 7. (4) Cf. lib. de haeres cap. 18. (5) V. 32.

eosdem sensus praeseferebant; unde *Arnobius* l. 2 c. Gentiles dicit: « Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram. » Extiterunt quidem veteres philosophi, qui speciem quandam resurrectionis admittebant; ex. gr., *Pythagorici*, qui *metempsycosin*, seu animae de uno in aliud corpus transmigrationem defendebant; ast mortuorum resurrectionem, quam divina Revelatio docet, vulgo ethnici anile commentum reputabant. Quod quidem in iis mirandum non est, qui solas naturae vires rationis lumine metiebantur. Mirandum potius, fuisse etiam inter Iudaeos, qui hoc dogma aut ignorarent, aut negarent. Tales fuisse *Sadducaeos*, colligitur ex Matth. XXII, 23 ubi dicitur: *In illo die accesserunt ad eum* (Christum) *Sadducaei, qui dicunt non esse resurrectionem*. Eiusdem erroris arguuntur *Samaritani* ab *Origene* (1), et a *S. Epiphanio* (2). Mirandum autem maxime est, et vehementer dolendum, inter ipsos christianos, quibus clarissima Evangelii lux affulget, non paucos inventos esse, qui certissimam resurrectionis carnis veritatem praefracte negarent. Iam S. Paulus I Cor. XV, 12 graviter expostulat quosdam, qui resurrectionem negabant. Idem Apostolus epist. ad Timoth. impietatis arguit: *Hymenaeum et Philetum, qui a veritate exciderunt dicentes, resurrectionem esse iam factam, et subverterunt quorundam fidem* (3), videlicet, ut explicat *S. Thomas* (4) putantes, omnia quae in Scripturis de resurrectione dicuntur, « esse resurrectionem animarum, quae iam facta est, » per resurrectionem Christi iuxta illud Apostoli: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite* etc. (5). — Post Apostolorum tempus latius haec haeresis propagata est. *Tertullianus* lib. de Resurr. carnis (6) *Marcionem, Apellem, Valentinum, Basilidem* et *Saturninum* propter negatum resurrectionis dogma appellat *novos Sadducaeos*. *S. Epiphanius* in haeresibus (7) *Archonticos, Marcionem, Bardesanem* et *Hieracem* ad Hymenaei et Phileti nugas accessisse affirmat. *S. Augustinus* lib. de Haeres. inter eos haereticos, « qui non putant, resurrectionem esse futuram, » enumerat *Simonianos, Valentinianos, Caianos, Cerdonianos*, ac *Severianos*. Huius erroris accusatus etiam fuit *Origenes* a *Methodio* in tract. de Resurr. mort., a *S. Epiphanio* (8) et a *S. Hieronymo* in lib. contra Ioann. Hierosol. (9); fuisse tamen qui *Origenem* ab hoc errore purgarent, memorat *S. Augustinus* (10). Certum autem est, *Manichaeos* corporum resurrectionem tanquam fabulam reiecisse, quia nullam materiam dignam salute existimarunt; quod testantur *S. Augustinus, S. Epiphanius, Theodoretus, Nicetas* et alii de Manichaeis tractantes. Eundem errorem tenuerunt *Priscillianistae, Albigenses* et alii, qui Manichaeorum errores ex orco revocarunt. Recentiori aevo eiusdem corporis resurrectionem negarunt *Anabaptistae*, et plures ex *Socinianis* et *Arminianis*. Sic inter Socinianos celeber theologus *Valentin. Smalcius* (in exam. 100 errorum) ait: « Corpora haec, quae nunc circumferimus, resurrecturanon credimus. » Idem docuit *Io. Clericus*, Arminianus, in Notis ad Grotium (11). — *Ben. Spinoza* in tract. theol. polit. (12) resurrectionem ut pharisaicum com-

(1) In Matth. 22. (2) Haer. 9.
(3) II. Tim. 2, 17. (4) Lect. 3.
(5) Coloss. 3, 1. — Cf. S. Thomas lib. 4, c. Gent., c. 75. (6) C. 2.
(7) 11, 42, 56 et 67. (8) Haer. 64, n. 1.
(9) N. 26. (10) Lib. de haeres., n. 43
(11) De verit. Relig. lib. 2, § 10.
(12) Cap. 10.

mentum explodit. Idem fere sentiunt nostrorum temporum *Pseudo-Philosophi, Atei, Panteistae, Naturalistae, Rationalistae* etc. ; quos, mirum non est hoc mysterium negare, cum caetera divinae Revelationis dogmata inficientur, omniaque reiiciant, quae infirma sua ratione comprehendere et comprobare non valent. Ast dogma de resurrectione hostes expertum est quamplurimos non tantum inter illos, qui aperte ad incredulorum castra transierunt, sed etiam inter recentiores protestantium theologos, qui, christiano nomine retento, omnem suam theologiam ad rationalistarum placita exigunt. Hi, si quae obstant Scripturae loca, ea nova exegesi facili negotio pervertunt; aut suo accommodationis systemate armati contendunt, Christum, ut hominum ingenio, et praeiudiciis se accommodaret, sub imagine resurrectionis, quam Iudaei passim credebant, animae immortalitatem inculcasse.

3. Inter adversarios dogmatis etiam numerandi sunt, qui mortuorum resurrectionem aliquatenus quidem admittunt, ex parte autem negant. Tales *imprimis* sunt illi, qui asserunt, pios tantum aliquando surrecturos esse, male interpretantes verba Ps. I, 6 *Non resurgent impii in iudicio.* Teste *Calmet* (1) Iudaeorum nonnulli, haud omnes omnino homines, sed Israëlitas tantummodo praeter flagitiosissimos, ad vitam revocandos esse, docuerunt. *Secundo* inter errantes recensendi sunt omnes, qui negarunt, idem hoc, quod nunc gerimus, corpus suscitandum esse. Huius erroris accusantur *Origenistae*, nonnisi corpus aëreum in resurrectione admittentes, prout observat *Huetius* (2). Eodem implicatus fuit *Eutychius* Patr. CPtanus, quem *Gregorius M.* ad confessionem verae catholicae doctrinae reduxit. Idem error inter novatorum sectas, praecipue in Anglia, asseclas invenit. *Tertio* demum inter praesentis dogmatis hostes numerandi sunt, qui non unam, sed duplicem resurrectionem statuerunt, unam piorum, et alteram impiorum; docuerunt nempe, prius resurrecturos esse pios, ac mille annis cum Christo regnaturos in terra, et postea demum resuscitandos esse impios, ut iudicium subeant extremum. Huius erroris patroni *Chiliastae, Milliarii* seu *Millenarii* dicuntur.

4. Quanti momenti sit dogma de resurrectione, declarat ipse Apostolus dicens: *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra* (3). Negata ergo mortuorum resurrectione concutitur fides, et tollitur spes Christianorum. Christiani enim sumus non propter praesentis vitae bona, sed futurae: Quod *si*, ait Paulus, *in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (4). Cum ergo omnis spes Christianorum in futurum saeculum protendatur, sane censequens est, resurrectionem mortuorum in praecipuis fidei nostrae dogmatibus habendam esse, utpote per quam bonorum futuri saeculi plene participes efficimur. Hinc *Tertullianus* (5) dicit: « Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum. » *S. Cyrillus Hieros.* (6) inquit: « Radix totius bonae operationis est spes resurrectionis. » *S. Augustinus* Sermo 4 in Feria II Pasch. ait: « Propria fides Christia-

(1) In Diss. de mort. resur.
(2) Origenian. lib. II, c. 2, q. 9.
(3) I Cor. 15, 13, etc. (4) Ibid. v. 19.
(5) Lib. de resur. carnis, c. 1.
(6) Catech. Illum. 18.

norum est resurrectio mortuorum. » Et Enarr. in Ps. CI (1) inquit: « Resurrectionem aufer, illico Christianismum evertis. » *Theophylactus* (2) scribit: « Dogma de resurrectione veluti fundamentum est universae fidei. » Ut igitur doctrina de resurrectione mortuorum rite pertractetur, quae sicut gravissimi est momenti, ita plurimos habet adversarios, 1° *huius resurrectionis veritas ex Revelatione probatur;* 2° *eiusdem possibilitas, et convenientia ex ratione demonstratur;* 3° *dotes corporum gloriose resurgentium ostenduntur;* 4° *aliae quaestiones theologicae ad hanc materiam spectantes solvuntur*, ac demum 5° *resurrectionem carnis unam esse evincitur, atque sententia Chiliastarum seu Millenariorum evertitur.*

Nota. Resurrectio mortuorum a Patribus graecis vocatur *ἀνάστασις*. Sed aliis quoque nominibus a Graecis et Latinis insignitur. Dicta est aliquando *regeneratio*, dicente Christo: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae* etc. (3); vocatur etiam *adoptio* et *redemptio*, scribente Paulo: *Adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri* (4). Quae loca expendens *S. Augustinus* (5) inquit: « Regenerationem quippe hoc loco, ambigente nullo, novissimam resurrectionem vocat (Dominus), quam Paulus quoque Apostolus et *adoptionem* et *redemptionem* nuncupat. »

I. *Futurae corporum resurrectionis veritas ex revelatione probatur.*

§ 822. Fatendum profecto est, doctrinam de resurrectione carnis continere dogma purum, cuius certitudo ex sola revelatione divina hauritur, verumque mysterium, cuius intrinsecum modum etiam post factam revelationem ratio humana perfecte comprehendere non valet. Quantum autem hac in re mens humana caecutit, tantum lux revelationis divinae resplendet, et rationalibus quibusvis dubiis locum occludit. Haec enim clarissime docet, omnes homines defunctos, iustos et impios, cuiuscumque aetatis, sexus, populi, aut nationis fuerint, in fine mundi resurrecturos, eorumque animas cum iisdem, quod substantiam attinet, corporibus uniendas esse, quae in morte reliquerunt. Dogma hoc catholicum *ex S. Scriptura* tum *veteris*, tum *novi Testamenti*, *ex Ss. Patribus*, et *ex aliis monumentis ecclesiasticis* probatur.

A. *Argumenta ex S. Scriptura veteris Testamenti deprompta.*

§ 823. 1. Iam in periodo patriarchali egregium prostat de carnis resurrectione testimonium in verbis Iobi cap. XIX, v. 25 etc., dicentis: *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius; reposita est haec spes mea in sinu meo.* Haec verba adeo clara visa sunt *S. Hieronymo*, ut dicere non dubitaverit in ep. ad Paulin. (6): « Resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit. » De resurrectione carnis eadem verba intellexerunt *S. Cyprianus*, *S. Cyrillus Hier.* (7), *S. Augustinus* (8) et alii Patres et Interpretes catholici sat communi consensu. Ast nihil inten-

(1) Serm. 2, n. 7. (2) In I Cor. 15, 13.
(3) Matth. 19, 23. (4) Rom. 8, 23.
(5) Lib. 3 contra 2 Epist. Pelag., cap. 3.
(6) N. 8. (7) Catech. 18.
(8) Lib. 22 de Civ. Dei, c. 29.

tatum reliquerunt neoterici quidam interpretes, praesertim inter protestantes, ut nobis eriperent celeberrimum hunc Iobi textum, per quem adstruitur recepta apud veteres resurrectionis fides. Adnituntur isti totum hunc locum exponere de spe, quam, ut dicunt, alebat Iob de recuperanda sanitate, et de restitutione sua in pristinum felicem statum. Sed hanc interpretationem spuriam, et prorsus falsam esse, gravissima momenta ostendunt. Id enim ostendit: 1° magnificum prooemium, quod Iob verbis suis praemittit: ait enim v. 23 et 24: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Restitutio autem sanitatis, et fortunae temporalis tanti profecto momenti non erat, ut tam solemni ratione memoriam eius ad posteros transmittere optaret. Hinc *Michaëlis*, interpres protestans, in suis observationibus pro indoctis dicit: « Qui contendunt, Iobum cap. XIX, v. 25 etc., in hac vita reditum melioris fortunae expectare, non solum eius verbis maximam vim inferre, sed etiam admittere debent, Iobum in sua professione, quam posteritatis memoriae traditam esse cupit, cunctis prioribus suis sermonibus contradicere, et quidem in re principali. Verba autem Iobi retractationem nullatenus praeseferunt. » 2° Iob de laetitiae obiecto, de quo loquitur, certam fidem, et firmissimam spem habuit, quod commonstrant eius verba: *Scio..... quod... de terra surrecturus sum* etc., *reposita est haec spes mea in sinu meo*. Ast de recuperanda sanitate corporali tam certam notitiam, ac adeo firmam spem non habuit, sed de illa iam penitus desperaverat; nam cap. VII, v. 16 dixit: *Desperavi, nequaquam ultra iam vivam! parce mihi, nihil enim sunt dies mei:* cap. XVII, v. 1: *Spiritus meus attenuabitur; dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum;* et cap. XIX, v. 10: *Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsae arbori abstulit spem meam*. Non ergo de recuperandae sanitatis spe eiusdem capitis verba v. 25 etc. intelligi possunt. 3° *Eliphaz* iam c. V, v. 18 et seq. Iobum per spem recuperandae sanitatis et prosperae fortunae consolari conatus est; at Iob cap. VI solatium istud reiecit, et moriendi desiderium manifestavit dicens v. 8 etc.: *Quis det, ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus? Et qui coepit, ipse me conterat; solvat manum suam, et succidat me!* Cap. X, 1: *Taedet animam meam vitae meae*. Non ergo in hac vita restaurationem saninitatis et fortunae desideravit et expectavit, sed mortem desideravit, et praemium in altera expectavit: unde non dixit: post modicum tempus (1), sed *in novissimo die*, non de sterquilinio aut lecto, sed *de terra surrecturus sum*. 4° Hunc sensum postulat contextus. *Baldad* enim Iobum occultis delictis contaminatum putans c. XVIII, graphice describit mortem peccatoris pessimam, et concludit (v. 21): *Haec sunt ergo tabernacula iniqui, et iste locus eius, qui ignorat Deum*. Ad istam criminationem respondet Iob dicendo, se mortem non timere, sibi Deum in altera vita non iratum vindicem, sed benignum Redemptorem fore, seque gloriosam tandem resurrectionem, et beatam Dei visionem plene iure expectare. 5° Perperam adversarii contra nos provocant ad textum hebraicum. Hic enim litteraliter sic vertitur: *Ego novi vindicem meum viventem, et postea* (seu *postremum*) *super pulverem sta-*

(1) Iob 42, 10, etc.

turum (seu *adstabit*), *et postquam cutem meam corroserint*, seu *consumpserint* (scilicet corrodentes, seu consumentes vermes) *hanc* (hanc ossium meorum compagem, corpus meum), *tamen e carne mea* (id est, corpore meo redintegrato) *videbo Deum. Quem ego videbo mihi* (scilicet propitium in bonum meum), et *oculi mei viderunt* (nempe *videbunt*, per hebraismum ponitur praeteritum pro futuro) *et non alius* (seu alius mei loco). *Defecerunt renes mei in sinu meo* (prae vehementi Deum videndi desiderio). — Ex quibus patet, versionem vulgatam optime exprimere sensum Iobi, quamvis maiorem adhuc vim praeseferat hebraicus textus. Testatur enim Iob spem suam, ut observat *Pareau* apud *Rosenmüller* (in hunc locum), et quidem duplicem; unam de vindicta Dei in censores iniquos aliquando post suam mortem, ut opinabatur quidem, proximam, exercenda, alteram, de favore Dei sibi una cum meliori vita restituendo. « Itaque, ait citatus auctor, imagine usus est, qua nulla gravior excogitari potest, nulla in summa brevitate locupletior, nulla denique, quae spem animo Iobi comprehensam, et conspectui totam simul subiiciat, Deum immortalem, ipsique per omnium hominum aetates secuturas superstitem collocat veluti iuxta suas reliquias, sive iuxta sepulcrum, quo illae condendae essent. Ibi igitur fingit stare Deum, qui non tantum stricto gladio mortuum se custodiat, quo defendat ab aliorum contemptu et vituperio... sed vero, qui simul etiam pulveri suo advigilet perpetuo, ex eo novum iterum hominem formaturus. Enimvero hoc quoque noverat Iobus, se iamiam depositurum esse corpus hoc labe, vermibusque consumptum, atque obsoletae vestis instar exuturum suam carnem, totamque adeo mortalitatem suam nunquam denuo induendam. Cumque ex sepulcro redivivus egrederetur, tum Deum sibi etiamnum adstantem visurus esset, qui ipsum mox benigne ad se reciperet, nec de pristina in ipsum inimicitia quidquam servasset. » (Cf. *Perrone* tractat. de Deo Creatore P. 3, cap. 7 in nota ad n. 851).

2. Resurrectio carnis praeclare describitur Ezech. cap. XXXVII, v. 3 et seq., ubi legitur, Prophetam in spiritu deductum fuisse in campum plenum ossibus mortuorum. *Et* (Deus) *dixit ad me: Fili hominis, putasne, vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, et dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini. Haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis, et scietis, quia ego Dominus. Et prophetavi, sicut praeceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me, et ecce commotio: et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam. Et vidi, et ecce super ea nervi, et carnes ascenderunt: et extenta est in eis cutis desuper, et spiritum non habebant. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare, Fili hominis, et dices ad spiritum: Haec dicit Dominus Deus: a quatuor ventis veni, spiritus, et insufla super interfectos istos, et reviviscant. Et prophetavi, sicut praeceperat mihi: et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.* Quis haec legens non confitebitur, resurrectionem carnis, seu resuscitationem mortuorum, quae fit virtute divina, ad captum humanum quasi

per partes his verbis clarissime describi? Ast nonnulli putant, in verbis Ezechielis nonnisi imaginem, seu similitudinem exhiberi, sub qua liberatio Iudaeorum e captivitate babylonica, et restitutio regni iudaici repraesentetur, quia citatis verbis immediate v. 11 subiungitur: *Et dixit ad me: Fili hominis, ossa haec universa domus Israël est; ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus* etc. Attamen longe solidior est interpretatio eorum, qui dicunt, verba Ezechielis a v. 3-10 in sensu litterali de resurrectione carnis intelligenda esse. Quoniam enim Iudaei dubitabant, an Deus ipsos liberare, et eorum regnum restituere posset, Deus provocat ad veritatem Iudaeis ex Revelatione notam, idest, ad resurrectionem carnis, et per Prophetam suum ita argumentatur: si aliquando mortuorum ossa vivificare valeo, multo magis vos vivos liberare, et in patriam vestram reducere potero. Hinc *Tertullianus* (1) contendit, citatum Ezechielis testimonium litteraliter de resurrectione carnis intelligendum esse, et allegorice tantum ad restitutionem regni Israëlitici referri. Haec fuit etiam sententia *S. Iustini* (2), *S. Cypriani* (3), *S. Cyrilli Hier.* (4), *S. Augustini* (5). Ast vis argumenti non infringitur admittendo, in verbis Ezechielis per figuram seu similitudinem regni iudaici restitutionem exhiberi. Nam similitudo non sumitur nisi a re, ad minus viris piis doctisque nota, atque ab omnipotenti, omniscioque Numine ut vere (saltem aliquando) existenti agnita. Quamobrem *S. Hieronymus*, quamvis non improbet dictam interpretationem, addit tamen: « Nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem israëlitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, et futura crederetur » (6). Et *Theodoretus* in eundem Prophetam (7) dicit: « Haec, quae Ezechiel vidit, fuisse non solum revocationis Iudaeorum, in pristinum statum, sed etiam resurrectionis omnium hominum figuram. »

3. Dan. XII, 1 etc. dicitur: *Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse coeperunt, usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt; alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper.* Haec verba a Ss. Patribus, et theologis catholicis rectissime de carnis resurrectione intellecta fuerunt, quia tempus futurum prorsus singulare praedicitur, salus scriptis in libro promittitur, et aliis vita aeterna, aliis opprobrium sempiternum adiudicatur. Dicuntur quidem *multi* evigilare; sed multi (usitata phrasi Scripturae) pro *omnibus* positum est, ut notat *Theodoretus*, *S. Augustinus* lib. 20 de Civ. Dei (8), et *S. Hieronymus* Comment. in Ezech. XXXVII; ubi hoc appellat *robustum testimonium* ad probandam resurrectionem, quod nullam habeat dubitationem. Nihilominus nonnullis neotericis interpretibus placuit verba Danielis de reditu Iudaeorum in patriam, vel de cessatione persecutionis Antiochi exponere. Sed praeterquam quod verbis prophetae sine causa maxima vis inferri debeat, ex dicta interpretatione etiam absonus sensus prodit, quod aliqui revertantur in patriam, vel a

(1) Lib. de resur. carnis, cap. 29.
(2) Apol. 2. (3) Lib. 3 ad Quirin., c. 58.
(4) Catech. 18.
(5) Lib. 3 de doctr. christ., c. 34.
(6) V. Comment. in Ezech.
(7) Sect. 15. (8) Cap. 25.

persecutione liberentur *in opprobrium, ut videant semper.* — Danielis verba de resurrectione intelligenda esse, ipse *Spinoza* negare ausus non est, teste *Buddaeo* (1).

4. Isa. XXVI, 19 legitur: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus.* Clarius versio LXX habet: *Surgent mortui, et resurgent, qui in monumentis sunt.* Quem textum de resurrectione exponunt *Tertullianus* lib. de Resurr. carn. (2), et *S. Augustinus* lib. cit. de Civ. Dei (3), et interpretes catholici passim. Idem dicendum est de eiusdem Prophetae vaticinio cap. LXVI, 14: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum; et ossa vestra quasi erba germinabunt: et cognoscetur manus Domini servis eius, et indignabitur inimicis suis:* quibus verbis ad probandam resurrectionem carnis utuntur *S. Irenaeus* contra haer. (4), *Tertullianus* lib. cit., *S. Augustinus* l. c. (5), et alii merito sane, quia statim subdit Propheta praedictionem generalis iudicii (6). Quod si haec verba similitudinem continent, iuxta principia supra allata manet argumentum. — Futuram resurrectionem etiam *Oseas* innuit dicens: *Dominus cepit nos, et sanabit nos... vivificabit nos post duos dies; in tertia suscitabit, et vivemus in conspectu eius* (7). Libri Sapientiae Auctor *visitationis* nomine, ut plurimum, resurrectionem indicat, ut dum dicit: *Iustorum animae in manu Dei sunt... spes illorum immortalitate plena est... Et in tempore visitationis ipsorum refulgebunt, et iudicabunt nationes* (8). Ecclesiasticus de Israëlis iudicibus agens cap. XLVI, v. 14 orat, *ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo*, id est, de sepulcro (Cf. *Calmet* in Dissert. de resurrectione).

5. Perpensis Scripturae testimoniis iam citatis, mirum non est, firmam fuisse inter Iudaeos fidem de futura carnis resurrectione. Hanc praeclare testantur fratres Machabaei, qui sub Antiocho martyrium sustinuerunt; quorum secundus impio regi dixit: *Tu quidem, scelestissime, in praesenti vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit* (9). Tertius similiter linguam, et manus carnifici porrigens inquit: *E coelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero* (10). Quartus item ait: *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos; tibi enim resurrectio ad vitam non erit* (11). Celebre est etiam sacrificium II Mach. XII, 43, quod Iudas Machabaeus *bene et religiose de resurrectione cogitans* obtulit pro peccatis defunctorum: ubi v. 44 additur: *Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis.* Martha quoque eandem fidem professa est, de Lazaro recens defuncto dicens: *Scio, quia resurget frater meus in resurrectione in novissimo die* (12). Denique Paulus coram praeside romano professus est: *Spem habens in Deum, quam et hi ipsi* (Iudaei tunc praesentes) *expectant, resurrectionem futuram iustorum et iniquorum* (13).

Nota. Argumenta allata multiplici modo ab adversariis impugnantur.

Obi. I. In S. Scriptura V. T. re-

(1) Inst. theol. lib. 2, c. 3.
(2) Cap. 31.
(3) Lib. 20, cap. 25.
(4) Lib. 5, cap. 15.
(5) Cap. 21.
(6) V. 15 et seq.
(7) Cap. 6, v. 2.
(8) Cap. 3, v. 1, etc.
(9) II Machab. 7, 9.
(10) V. 11.
(11) V. 14.
(12) Io. 11, 24.
(13) Act. 24, 14.

surrectio carnis aperte negatur. Nam Iob XIV, 12 dicit: *Homo, cum dormierit, non resurget; donec atteratur coelum, non evigilabit nec consurget de somno suo.* Ps. LXXVII, 39 Deus pepercisse dicitur Israëlitis, eoquod *recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens*, nempe ad corpus suum. Sap. XVI, 14 legitur: *Cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quae recepta est;* et Eccle. III, 19: *Unus interitus est hominis et iumentorum, et aequa utriusque conditio:* iumenta porro non resurgent.

Resp. Loca citata, et quae huius generis inveniuntur, intelligenda sunt de hoc tempore, quod usque ad finem mundi fluit, quo certe tempore non amplius anima corpori copulabitur. Quocirca recte dixit Iob: *Donec atteratur coelum*, scilicet, ut explicat S. *Thomas* Comment. in hunc locum, donec immutetur coelum, quod erit in fine mundi. In Ps. cit. Deus dicitur pepercisse populo suo, spectata ipsius infirmitate et vitae brevitate, talem enim esse sensum verborum, ex contextu patet, nec proinde illa pertinent ad praesens argumentum. Sap. XVI opponitur infirmitas hominis virtuti Dei; dicitur enim, hominem posse quidem alium occidere, sed non efficere, ut spiritus revertatur, et vita restituatur. Deus autem v. praec. dicitur *habere vitae et mortis potestatem: et deducere ad portas mortis, et reducere.* Quod Ecclesiasten attinet, nonnulli putant, quod l. c. non ex sensu suo loquatur, sed potius ex impiorum persona, qui immortalitatem animae negant; quodsi ex sensu suo loquatur, comparationem instituit inter corpora hominum et corpora iumentorum in praesenti vita; ac docet, aequam esse hominum et iumentorum conditionem quoad vitae huius aerumnas et interitum, seu mortem: sicut autem ideo non negat animam immortalem, ita nec resurrectionem (Cf. *Calmet*).

Obi. II. Iudaei crediderunt, iustos tantum, aut solos Israëlitas resurrecturos esse: quorum sententiae suffragatur S. Scriptura. Nam Ps. I, 5, dicitur: *Non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.* Is. XLIII, 17 de impiis legitur: *Simul obdormierunt, nec resurgent.* II Mach. VII, 14 quartus septem fratrum ita tyrannum allocutus est: *Tibi resurrectio ad vitam non erit.* Denique Dan. XII, 2 non *omnes*, sed *multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere*, dicuntur *evigilare.*

Resp. Verba Psalmistae ad summum ostendunt, impios ad gloriam non resurrecturos esse, ut ex subsequentibus verbis colligitur: *Neque peccatores in concilio iustorum, quoniam novit Dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit.* Omnis autem difficultas evanescit, si legatur textus hebraicus, in quo pro *non resurgent* habetur verbum, quod significat *non subsistent*, seu *non erecti stabunt impii in iudicio*, id est, licet resuscitati, non audebunt caput et frontem attollere (1). Idem dicendum est de textu Isaiae, in quo Propheta loquitur de Pharaone, et eius militibus, qui in mari rubro perierunt, et emergere non poterant. Antiocho apertissime resurrectio *ad vitam*, seu *ad gloriam* negatur. In textu Danielis non negatur, omnes resurrecturos esse; quia *multi* opponuntur *paucis*, non *omnibus;* omnes enim vel pauci, vel multi esse possunt: quinimo clare asseritur, iustos et impios resurrecturos esse, dum dicitur: *Multi evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium.*

(1) V. Calmet et Lorinum S. I. in hunc locum.

Obi. III. Si Iudaei fidem resurrectionis habuerunt, hanc non ex divina revelatione didicerunt, sed eam hauserunt ex doctrina *Zoroastri*, aut ex commentis populorum barbarorum, qui iusta divini Numinis idea destituti, pro sua ruditate putarunt, futuram vitam similem praesenti fore, atque ideo corpus quoque restituendum, et cum animabus uniendum esse.

Resp. Iudaeos fidem resurrectionis ex divina revelatione hausisse, ostendunt testimonia biblica iam citata; neque dubitare licet, dogma de resurrectione iam Patriarchis revelatum, et per oralem traditionem ad posteros propagatum fuisse (1). Mere gratuita autem dicenda est assertio adversariorum, quae vel ex ipsa rei natura destruitur. Imprimis enim ipsi coniecturis ex solo systemate rationalistico depromptis nituntur; nec ullum proferunt argumentum vel levissimum, quo illas fulciant. Insuper quo populus rudior et incultior est, eo minus idoneus est ad excogitandam corporum resurrectionem, quae, ipsis adversariis fatentibus, longe excedit mentis nostrae captum. Hinc si qui fuerint populi, qui admiserint huiusmodi dogma, ipsum profecto ut alia non pauca ex antiqua traditione acceperunt. Idem dicendum est de *Zoroastro*, Iosiae Iudaeorum regi coaevo, qui resurrectionis veritatem a Iudaeis hausit, ingenio autem suo postea usque ad fabulas corrupit. Absurdum igitur est, et ab omni veritate alienum, Iudaeos ex Zoroastrica doctrina suam resurrectionis fidem hausisse. Etenim, praeterquam quod longe ante Zoroastrum Iob eam apertissime profitetur, nunquam Sadducaei eiusmodi exceptionem, quod sciamus, adversus Pharisaeorum doctrinam obiecerunt; et, quod caput est, Christus Dominus, redarguens hos ipsos Sadducaeos, non dixit illis: *Erratis, nescientes doctrinam Zoroastricam*, sed: *Erratis, nescientes Scripturam neque virtutem Dei* (2).

Obi. IV. *S. Chrysostomus* non uno in loco, resurrectionis mysterium fuisse Hebraeis ignotum, asserit. Verba Iobi XIX, 25 non de resurrectione carnis intelligit: imo in Epist. 1 ad Olymp. n. 8 scribit de Iobo: « Hic, cum et probus vir esset, et de resurrectione nihil exploratum haberet etc. » Idem repetit in Hom. 33 in Matth. (3). Similiter in Hom. 1 de Lazaro dicit, mendicum istum ne de resurrectione quidem quidquam philosophari potuisse. Et in Hom. 22 in Epist. ad Hebr. loquens de antiquis iustis, illos « nihil de resurrectione scivisse » inquit.

Resp. S. Chrysostomus usus est versione LXX in qua resurrectio carnis non tam clare exprimitur, ut in textu hebraico et in Vulgata. Caeterum theologi monent, *S. Chrysostomum* hac in sententia a communi doctorum sensu recessisse, et ideo in eadem ab ipso recedendum esse. Alii autem dicunt, ipsum docuisse solummodo, fidem resurrectionis fuisse in V. T. obscure, et in aenigmate revelatam, in novo autem clare, manifeste, et omnino luculenter se, suamque mentem explicat S. Doctor in Hom. 3 inter undecim recens inventas, et tomo 12 insertas. Ibi enim nonnulla affert argumenta, ut probet, spem resurrectionis antiquis Patriarchis fuisse datam, sed « obscuram, et in aenigmate, ut quandam mortis consolationem haberent. Clare autem, manifeste, omnino et in veritate per Unigenitum Dei Filium resurrectionem futuram revelatam esse. »

(1) Cf. Th. gen. § 75, et § 166.

(2) Matth. 22, 29. (3) Al. 34, n. 8.

B. *Argumenta ex S. Scriptura N. T. petita.*

§ 824. 1. Christus ipse futuram carnis resurrectionem clarissimis verbis revelavit. Matth. XXII, 28 etc., Sadducaeos refellit resurrectionem negantes. Istis enim quaerentibus, cuius sit mulier in resurrectione, quae septem habuit viros, respondit: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in coelo:* quibus verbis errorem Sadducaeorum revelationi divinae contrarium declarat, et non solum resurrectionem futuram affirmat, sed etiam resuscitatorum hominum statum a nuptiis alienum dicit. Dein (v. 31) dogma resurrectionis confirmat his verbis: *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium: omnes enim vivunt ei* (1). Hi ergo Patriarchae, licet hominibus mortui, Deo tamen vivunt quoad animas, quas Deus per omnipotentiam suam corporibus iterum coniunget, et hinc toti vivunt Deo hac resurrectionis spe certissima: Sadducaei nempe negabant animae immortalitatem, et ideo corporum quoque resurrectionem: Christus e contra ex Dei verbis probat animas esse immortales, et consequenter per Dei omnipotentiam mortuis corporibus rursus uniendas. Imo *S. Irenaeus* (2), *S. Io. Chrysostomus*, *Theophylactus* et *Euthymius* dicunt, per Abraham, Isaac et Iacob non significari solas eorum animas, sed totos homines. Hi ergo, licet hominibus sint mortui, Deo tamen vivunt, et quasi dormiunt, quia Deus eos a morte quasi a somno excitabit ad vitam beatam et aeternam. — Idem Servator noster cum iure faciendi iudicii hanc potestatem resuscitandi mortuos connectit; ait enim Io. V, 26 etc.: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. Venit hora*, ait Christus, id est, tempus legis evangelicae, quae omnium est ultima, et novissima, in cuius fine fiet resurrectio mortuorum, et extremum iudicium. Tunc *omnes, qui in monumentis sunt*, id est, in sepulcris, in quibus non animae, sed corpora reservantur, *audient*, hoc est, sentient vim et efficaciam vocis Christi, ad novam vitam resuscitantis. Et *procedent*, seu egredientur de sepulcris ordinariis, vel de aliis receptaculis, in quibus ossa, aut cineres eorum asservantur, et quae coram Deo vera sunt monumenta, diverso autem modo; nam boni resurgent ad gloriam, mali ad iudicium et gehennam. Christus ergo hoc in loco clarissime docet universalem omnium hominum, iustorum et impiorum, resurrectionem. Textum citatum de carnis resurrectione exponit *S. Chrysostomus* Hom. 39 in Ioannem (3), et *S. Augustinus* Tract. in Ioannem (4) in illum scribit: « Iam vero et commemoratione monumentorum, et expressione processionis de monumentis aperte intelligimus corporum resurrectionem. »

2. Paulus resurrectionis mortuorum praeco merito nominatur. Nam Athenis in synagoga disputans cum

(1) Luc. 20, 38. (2) L. 4, c. 11. (3) Alias 38, n. 3. (4) Tract. 19, n. 17.

Iudaeis et gentilibus philosophis, *Iesum, et resurrectionem annuntiabat eis* (1): quod idem fecit in Areopago; nam ibidem legitur: *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum* (2). Neque audiendi sunt, qui paulina verba explicant de resurrectione animae, non corporis; scite enim observat *Tertullianus* (3): « Athenienses non aliam, quam corporalem resurrectionem intellexerunt a Paulo portendi... non irrisuri omnino, si animae solius restitutionem ab eo audissent. » Eandem veritatem profitetur Hierosolymis coram Sacerdotibus, Pharisaeis et Sadducaeis, dicens: *De spe et resurrectione mortuorum ego iudicor* (4). Et coram Felice Praeside romano ait: *Sic deservio Patri et Deo meo, credens omnibus, quae in lege et Prophetis scripta sunt; spem habens in Deum, quam et hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum et iniquorum* (5). Ex professo de carnis resurrectione agit in I epist. ad Corinth. XV, eamque cum resurrectione Christi ita connexam dicit, ut vel utraque admittenda, vel utraque neganda sit. Ait enim v. 12 etc.: *Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit...* v. 20 etc: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;* v. 51 etc.: *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (vel iuxta textum graecum: *Non omnes quidem moriemur, sed omnes immutabimur*). *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti; et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc* (nempe corpus) *induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* Quae verba tam clara sunt, ut expositione non indigeant. Apostolus enim docet, omnes defunctos resurrecturos esse, et hanc resurrectionem totius operis Redemptionis futuram esse consummationem, utpote cum per eam mors plane absorbeatur, per peccatum in mundum introducta. Idem Apostolus I Thess. IV, 12 etc. scribit: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo*, id est, adducet ad vitam Christi gloriosam; v. 15 addit: *et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Non negat hic Paulus, omnes homines resurrecturos esse, sed Christianos tantum nominat, quia ad istorum consolationem scribit. Denique inter primaria religionis christianae capita Hebr. VI, 2 recensetur doctrina *de resurrectione mortuorum.*

Nota. Argumentis ex novo foedere petitis sequentia opponuntur.

Obi. I. Christus Io. VI, 39 de iis tantum, qui in eum crediturі sunt, ait: *Haec est voluntas eius, qui misit*

(1) Act. 17, 18. (2) V. 32.
(3) De resurr. carnis, c. 39.
(4) Act. 23, 6. (5) Act. 24, 14, etc.

me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die: ergo iusti tantum resuscitabuntur. Quamobrem Paulus quoque I Cor. XV, 50 ait: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit;* quibus verbis clarissime impiis resurrectio penitus denegatur.

Resp. Iustos et impios resurrecturos esse, Christus Io. V, 29 docuit. Hic quidem resurrectionem impiorum reticet, sed non negat: loquitur autem de gloriosa tantum iustorum resurrectione, quia haec duntaxat solatium affert, et grave motivum vivam et firmam fidem concipiendi exhibet; unde v. seq. addit: *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Sensus verborum Pauli est: *Caro et sanguis*, id est, opera carnalia, seu homines secundum carnem, flagitiosam vitam ducentes, regnum Dei non possidebunt, nec incorruptionem, seu impassibilitatem, electis propriam, obtinebunt. Non ergo substantia carnis, sed gloria impiis in resurrectione negatur. Hunc sensum praesefert contextus; nam (v. 49) dixerat: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis;* et ideo (v. 50) subiungit: *Hoc autem dico, quia caro* etc., quasi diceret: De hoc non frustra vos moneo, scilicet ut in mente, et in corde portemus imaginem nostri Parentis spiritualis et coelestis, quia homines carnales gloriam resurrectionis non consequentur. Si verba Pauli in se su adversariorum acciperentur, sequeretur, quod nec ipsa Christi caro ullam haberet in coelo partem, ut *Tertullianus* (1) recte arguebat: cum autem adversarii admitterent, corpus Christi vivum in coelo esse, ex hoc intulit, etiam iustorum corpora resuscitata in coelo futura esse; unde ibidem exclamat: « Securae estote, caro, et sanguis! usurpastis et coelum, et regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent et in coelo Christum, qui vobis coelum negaverunt. »

Obi. II. Christus de statu electorum in coelo loquens ait: *Erunt sicut Angeli Dei in coelo* (2). Angeli autem corpus non habent; ergo nec electi. Quod si datur resurrectio, mutabitur istud prius in spiritum, iuxta illud Apostoli: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* (3).

Resp. Iuxta doctrinam revelatam, cui adhaeserunt Pharisaei, corpora cum essentialibus partibus et membris suis resurrectura esse, ex subdola Sadducaeorum quaestione colligitur; neque illi adversatur responsio Christi, qui corporum resurrectionem non negat, sed affirmat, et difficultatem propositam solvit dicens, lites inter septem fratres exoriri non posse, quia nuptiis, et usui matrimonii in altera vita locus non datur. Ait quidem de electis resuscitatis: *Erunt sicut Angeli Dei in coelo*, sed comparationem instituit non quoad modum, seu rationem subsistendi, sed quoad modum seu rationem vivendi, ac si diceret: In resurrectione homines, licet in anima et corpore subsistant, tamen ut Angeli *neque nubent, neque nubentur.* Apposite *Tertullianus* (4) ait: « Non dixit (Christus): Erunt angeli, ne homines negaret, sed tanquam angeli, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit. » Eodem sensu Apostolus ait resurrecturum corpus

(1) Lib. de resurr. carn., c. 51.

(2) Matth. 22, 30. (3) I Cor. 15, 44.
(4) L. c. cap. 62.

spiritale, quoad dotes nempe aliquas simile futurum spiritui, utpote immortalitate, incorruptibilitate, agilitate etc. donandum. « Hoc autem, inquit *S. Irenaeus* (1), non secundum iacturam carnis, sed secundum communionem spiritus fit. » (Cf. *August.* l. 25 de Civ. Dei, cap. 21).

Obi. III. Post captivitatem babylonicam invaluit inter Iudaeos erronea de carnis resurrectione opinio, quam propugnarunt Pharisaei, et cui frustra se opposuerunt Sadducaei. Christus porro iam receptis vulgi opinionibus se accommodans quandoque de resurrectione carnis loqui visus est, quod etiam Apostoli fecerunt. Non ergo litteraliter, seu materialiter intelligenda sunt, quae de resurrectione corporum in S. Scriptura N. T. leguntur; sed haec doctrina non est nisi schema, quo designatur animae immortalitas et status melioris vitae.

Resp. Talia ab iis tantum proferri possunt, qui divinitatem Christi negant, et religionis christianae fundamenta tollunt. Blasphemum est dicere, Christum, qui venit in mundum, ut testimonium perhibeat veritati (2), se erroneis vulgi opinionibus accommodasse. Constat abunde ex Evangeliis, Christum se erroribus Iudaeorum, et falsis traditionibus Pharisaeorum palam opposuisse (3). Hi ipsi professi sunt: *Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum* (4). Quomodo Rationalistae sine omni argumento contrarium asserere non verentur, et Christum tanquam impostorem proponunt, ideo tantum, ut erronea corruptae suae rationis principia tueantur? Neque admitti potest sententia de schemate indigitato; tum quia S. Scriptura in sensu litterali accipienda est, nisi alius sensus in revelatione scripta vel tradita indigitetur; tum quia Paulus ob praedicationem resurrectionis irrisus est a gentilibus, vocatus seminiverbius vanusque nugator; quae quidem expertus non fuisset, si resurrectio accipienda esset improprie; tum quia omnis retro Ecclesia sive iudaica, sive christiana, dogma resurrectionis in sensu proprio semper intellexit, ut ex dicendis apparebit (5).

(1) Lib. 5, c. 8, n. 1.
(2) Io. 18, 37. (3) Matth. cap. 23.
(4) Matth. 22, 16.
(5) Cf. Cl. Perrone l. c., n. 855-860.

C. *Argumenta ex Ss. Patribus desumpta.*

§ 825. 1. Ss. Patres antiquissimi communem Ecclesiae fidem de carnis resurrectione contestati sunt. *S. Clemens Rom.* epist. I ad Cor. (6) scribit: « An magnum et admirandum arbitrabimur, si omnium rerum opifex resurgere eos faciat, qui in rectae fidei firmitate religiose ipsi inservierunt?... Dicit enim Iob (7): *Et carnem meam resuscitabis, quae omnia haec passa est.* Hac igitur spe mentes nostrae et cogitationes firmiter adhaereant ei, qui fidelis est in promissionibus, et in iudiciis iustus. » Et ep. 2 (8) ait: « Nemo vestrum dicat, hanc carnem — non esse resurrecturam... in carne praemium accipiemus. » *S. Ignatius M.* (9) dicit: « Christus vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum Patre tanquam exemplar, iuxta quod et nos ipsos recte credentes resuscitabit in Iesu Christo, sine quo veram vitam non habemus. » *S. Iustinus M.* (10) inquit: « Praeter immortalitatem animae etiam corporum resurrectionem futuram credimus adeo, ut dissoluta hominum corpora, et instar seminum in terram resoluta, Dei

(6) N. 26, al. 18.
(7) C. 19, 26 (iuxta Vers. 70).
(8) N. 9. (9 Ep. ad Trallianos, n. 9.
(10) Apol. 1, n. 19

iussu certo tempore resurgent, et incorruptionem induent. » Eidem etiam praeclarus *de resurrectione carnis* tractatus a multis adscribitur. *S. Polycarpus* in epist. ad Philipp. dicit: « Qui detorserit eloquia Domini ad propria desideria, et dixerit, neque resurrectionem, neque iudicium esse, hic primogenitus Satanae est. » *S. Irenaeus* lib. 2 adv. haer. (1) haec habet: « Adimpleto numero, quem ipse (Deus) apud se ante definiit, omnes, quicunque sunt descripti in vitam, resurgent, sua corpora et suas habentes animas et suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem poena sunt digni, abibunt in eam, et ipsi suas habentes animas et sua corpora, in quibus abstiterunt a Dei bonitate. » Idem S. Pater alibi, et praecipue l. 5, haereticos resurrectionem negantes strenue refellit. *Athenagoras* in libro speciali de resurrectione carnis hanc doctrinam asseruit, et in Legat. pro Christ. inter alia dicit: « Resurrecturos esse mortuos non nostra tantum, aut nova persuasio est, sed Philosophis etiam multis approbata. » *Tertullianus* conscripsit librum *de resurrectione carnis*, in quo corporis humani dignitatem praeclare vindicat, et resurrectionem, non spiritualem animae per conversionem, sed veram carnis humanae aliquando futuram adstruit, et solide probat. *S. Theophilus Antioch.* (2) ait: « Deus suscitabit carnem tuam, eamque una cum anima immortalitate donabit. — Si nunc parum credis resurrectionem mortuorum, tunc nolens volens credere cogeris; sed fides tua pro incredulitate reputabitur, si nunc credere recusas (3). Dicis mihi: Ostende mihi saltem unum ex mortuis revocatum... Sed quae dementia est, nolle dare fidem iis, quae Deus loquitur? Dubitatio me tenet, etsi tibi praesentarem aliquem ex mortuis revocatum, an apud te fidem invenire possem. Caeterum Deus plurima rerum argumenta suppeditat, quibus incredulitatem nostram, quantum ad resurrectionis negotium attinet, propellat. » Ad quod probandum affert plura exempla ex fructibus arborum, ex segetibus et ex corpore humano continuo mutato et succrescente. *Minutius Felix* in Octav. (4) scribit: « Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus. Vide adeo, quomodo in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur! sol demergitur et nascitur, astra labuntur et redeunt, flores occidunt et reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta reviviscunt. » *S. Methodius M.*, in libro *de resurrectione* contra Origenem exarato, veram resurrectionem humani corporis, cuius dignitatem, iustumque pretium solerter adstruit, aliquando futuram solide probat, ac dubitationes Origenis adversus hanc doctrinam diluere studet. Extiterunt autem graves viri, qui *Origenem* hac in re ab errore vindicarunt. Et sane *Origenes* genuinam de resurrectione carnis doctrinam haud obscure profitetur l. 5 contra Celsum (5) dicens: « Cum corporis natura sit corruptibilis, necesse est, ut hoc corruptibile tabernaculum induat incorruptionem, et quod aliunde mortale est, atque adeo morti, quae peccatum comitatur,

(1) Cap. 33, n. 5 (al. cap. 62).
(2) Lib. 1 ad Autol., n. 7, etc.
(3) N. 13, etc.
(4) Cap. 16.
(5) Cap. 19.

obnoxium, induat immortalitatem, ut, quando corruptibile incorruptionem, et mortale induerit immortalitatem, tunc fiat, quod iam olim a prophetis praedictum fuit, amittat mors victoriam..... Atque haec sunt, quae de resurrectione profitemur. » Et lib. 3 de princip. (1) scribit: « Nos, qui resurrectionem carnis credimus, immutationem eius tantummodo per mortem factam intelligimus: substantiam vero eius certum est permanere, et voluntate Creatoris sui, certoque tempore rursus reparari ad vitam, atque iterum permutationem eius fieri, ut quae primo fuit caro ex terra terrena, dum deinde dissoluta per mortem, et iterum facta cinis et terra, rursum resuscitetur e terra, et post hoc iam, velut meritum inhabitantis animae poposcerit, in gloria corporis proficiet spiritalis. » *Lactantius* (2) inquit: « Deus veniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato redivivas iustorum animas corporibus innovatis ad sempiternam beatitudinem suscitet. » Et (3) addit: « Quod si non modo prophetae, sed etiam vates et poëtae et philosophi anastasin mortuorum futuram esse consentiunt, nemo quaerat a nobis, quemadmodum fieri possit; nec enim divinorum operum reddi potest ratio, sed si a principio Deus hominem, nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eodem restitui veterem posse, qui novum fecit. »

2. Eandem doctrinam Ss. Patres, et Doctores, qui post Concilium Nicaenum vixerunt, professi sunt. *S. Athanasius* in vita S. Antonii versus finem ait: « Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum. » *S. Hilarius* in Ps. II ita de carnis resurrectione loquitur: « Prout Deo placet, et conspectu eius dignum est, confracta reparabit, non ex alia aliqua, sed ex veteri, atque ipsa originis suae materie speciem illis complaciti sibi decoris impartiens, ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat, sed qualitatem conditione demutet. » *S. Cyrillus Hier.* Catech. 18, mox ab initio ait: « Magna est Ecclesiae catholicae admonitio fides de resurrectione, et doctrina valde necessaria, cui quidem multi contradicunt, a veritate autem factum est, ut illi fides habeatur. Contradicunt Graeci, non credunt Samaritani, detrahunt haeretici; multiplex est enim contradictio, sed simplex veritas... Qui ex nihilo nos fecit Deus, nunquid iam existentes, et cadentes rursus excitare non poterit? Si non credis his, quae de resurrectione scripta sunt, gentilis existens, ex rerum natura id perspice, et ex his, quae ad odiernam usque diem apparent, intellige. Seminatur frumentum, — cadens moritur et putrescit — surgit pulcrum... Si ergo ista, quae propter nos nascuntur, mortua reviviscunt; nos vero, quorum causa et illa nata sunt, an mortui non excitabimur?... Si dicitur: *Impii non resurgent in iudicio,* hoc significatur, quod non *in iudicio*, sed in condemnatione resurrecturi sunt; non enim Deo multa opus est indagatione, sed simul ac resurgent impii, consequentur eos supplicia. » *S. Basilius* (4) scribit: « Quemadmodum mors in carne per Adam ad nos transmissa a divinitate absorpta est, sic et peccatum insumptum iustitia Christi. Ideo nos in resurrectione carnem sumemus neque morti subditam, neque peccato obnoxiam. » *S. Gregorius Naz.* Orat. 40, n. 30 comparationem inter Chri-

(1) Cap. 6. (2) Lib. 7 div. instit., cap. 22. (3) Cap. 23. (4) Epist. 65.

stum et nos instituens ait: « Ille tertio die a morte ad vitam rediit, nos post diuturnum tempus. » *S. Gregorius Nyss.* l. de hominis opificio cap. 25 inquit: « Lazarus una voce vitam recuperans, fidem doctrinae de resurrectione conciliat, ut iam sit expectandum universe, quod certis in partibus experientia verum esse docuit. Nam et Apostolus I Thess. IV memoriae prodidit, eo tempore, quo instaurabitur universitas rerum, ipsum Dominum in voce Archangeli, ac tubae clangore mortuos ad conditionem interitus expertem suscitaturum esse. » Idem Orat. 3 de Paschate et resurrectione dicit: « Omnia corpora, quotquot post generationem corruptio aboleverit, et e medio sustulerit, integra, nullaque sui parte carentia reddentur e terra; et ut Paulus docet, in momento oculi perficietur resurrectio. » *S. Epiphanius* in Ancorato (1) contra Origenistas et Gentiles veram humanae carnis resurrectionem certissime futuram probat. *S. Ambrosius* lib. 2 de excessu fratris sui Satyri (qui etiam inscribitur: *Orat. de fide resurrectionis*) ita argumentatur: « Tribus evidentius colligitur fides resurrectionis... ratione, universitatis exemplo, testimonio rei gestae, quia plurimi surrexerunt. » Haec argumenta fusius pertractat, et prophetarum, apostolorum et evangeliorum testimonia pro futura carnis resurrectione proponit, et interpretatur. *S. Zeno* (2) ait: « Quisquis resurrectionem negat, vitam suammet ipse condemnat; cur enim mereatur felicitatem futuri temporis cernere, quem videas sacrilega incredulitate Dei potentiae derogare? » *S. Ephraem* (3) inquit: « Coelestis Regis iussu terra suos mortuos reddet, mare itidem suos, et quidquid humanorum corporum vel bestia rapuit, vel voravit piscis, avisque discerpsit, in priorem statum remeabit, omnesque de ictu oculi surgent, et ante tribunal stabunt, ita ut ne unus quidem capillus capiti desit. » De eadem resurrectione agit in Serm. 56 polemicis Serm. 15, 46 et 52. *S. Chrysostomus* Hom. 42 in I ad Cor., n. 2, ita diserte loquitur: « Quoniam (Paulus) multum disputavit de resurrectione, tunc opportune ostendit id, quod est in ea admirabile, et praeter opinionem. Non est enim hoc solum mirabile, quod primum putrescunt corpora, et tunc resurgunt: — et quod iis, quae nunc sunt, meliora et praestantiora resurgunt, et quod ad longe meliorem transeant conditionem, neque quod unusquisque, quod proprium est, accipiat, et nullus quod alterius, sed quod tam multa, tanta et talia, et quae omnem superant rationem et mentem, fiant in momento, et hoc significans manifestius: *in ictu oculi* dicit, idest, quanto tempore clauditur cilium. » Et Hom. in Ps. XLVIII, n. 5 ait: « Resurrectio erit omnium communis: resurrectio autem cum gloria communis erit eorum, qui recte vixerunt. » *S. Hieronymus* (4) scribit: « Sicut surrexit Dominus in corpore, quod apud nos in sacro sepulcro conditum iacuit, ita et nos in ipsis corporibus, quibus nunc circumdamur et sepelimur, in die iudicii resurrecturi sumus. » *S. Augustinus* in Enchirid. (5) inquit: « Resurrecturam carnem omnium, quicunque nati sunt, hominum, atque nascentur, et mortui sunt, atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus. *S. Cyrillus Alex.* (6) quaerit:

(1) N. 83-103.
(2) Serm. seu tract. 16 de resurrect.
(3) Lib. de poenit., c. 4.
(4) Epist. 61 ad Pammach., c. 7.
(5) Cap. 84. (6) Lib. 4 in Ioan., c. 12

« Nonne etiam qui Christi fidem non susceperunt, ac ipsius corporis participes facti non sunt, tempore resurrectionis reviviscent? Nonne universum humanum genus, quod in mortem cecidit, ad vitam recurret? Omnino ita futurum esse respondebimus; resurgent enim mortui..... Sed, *qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii.* » *S. Petr. Chrysologus* (1) ait: « Passionis, mortis, resurrectionis Christi hanc fuisse causam, ut nos resurgeremus ex mortuis. Resurget caro; resurget, ut ipsi sumus, ut agnitio maneat personarum, ut et martyr de persecutoris poena laetitiam sumat, et persecutor sumat de martyris honore supplicium. » *S. Gregorius M.* (2) in Ezech. haec habet: « Triste nimis, et valde lugubre est, quod quosdam in Ecclesia stare, et de carnis resurrectione dubitare cognoscimus. Hanc autem antiqui Patres venturam esse certissime crediderunt, etiam cum nullum adhuc eiusdem resurrectionis exemplum tenuerunt. Qua igitur damnatione digni sunt, qui et exemplum iam dominicae resurrectionis acceperunt, et tamen adhuc de sua resurrectione diffidunt? Pignus tenent, et fidem non habent; Ecclesias replent, sed quia de resurrectione sua dubitant, mente vacua stant. »

Nota. Quamvis ex allatis testimoniis consensus Patrum luculenter pateat, *Beausobrius* tamen in Hist. Manich. (3) contendere ausus est, unanimem minime fuisse Patrum sententiam de futura corporum resurrectione; argumenta vero, quae pro sua sententia affert, facile refelluntur.

Obi. I. *Origenes* resurrectionem *carnis* negavit, etsi resurrectionem *corporis* admiserit: unde *S. Hieronymus* (4) dicit: « Origenes resurrectionem carnis verbo tantum confitetur, caeterum assertione destruit. » Et inferius addit: « Credimus, inquiunt Origenistae, resurrectionem futuram corporum: hoc si bene dicatur, pura confessio est; sed quia corpora sunt coelestia et terrestria, et aër iste, et aura tenuis iuxta naturam suam etiam corpora nominantur, *corpus* ponunt, non *carnem*, ut orthodoxus corpus audiens carnem putet, haereticus vero spiritum recognoscat. »

Resp. Origenes a *S. Hieronymo*, a *S. Methodio* et aliis de errore accusatus fuit, quia, ut observat *Huetius* in Origenian. (5), interdum circa hunc articulum incaute scripsit. Sunt autem etiam, qui ipsum defendunt. Orthodoxam enim fidem profitetur tum in locis supra allatis, tum in dialogo de recta in Deum fide Sect. 5, ubi cum Marinus bardesianista interrogasset: « Statuat Adamantius, quodnam corpus resurgat, idne, quo circumdati sumus, et in quo vincti sumus, an aliud spiritale? » Respondet *Origenes*: « Hoc ipsum, quo amicti sumus, dico excitari: » quae verba omne dubium submovent. Hinc *Ruffinus* Apol. 1 c. Hieron. scribit: « Sive ergo corpus resurrecturum dicimus, secundum Apostolum dicimus, hoc enim nomine usus est ille; sive carnem dicimus, ac secundum traditionem symboli confitemur. Stulta adinventio calumniae est, corpus humanum aliud putare esse, quam carnem. Sive ergo caro secundum communem fidem, sive corpus secundum Apostolum dicitur, quod resurget, ita credendum est, sicut definivit Apostolus, quia quod resurget, in virtute re-

(1) Serm. 60 in Symb. apost.
(2) Lib. 2, Hom. 20.
(3) Tom. 2, lib. 8, c. 5, n. 3, etc.
(4) Ep. 84.
(5) L. 2, q. 9, c. 2.

surget et in gloria, et incorruptibile resurget, et spirituale corpus; nam corruptio incorruptionem non possidebit (1). Salvis ergo his praerogativis futuri corporis vel carnis, resurrectio carnis credenda est integre atque perfecte, ut natura carnis eadem servetur, et incorrupti et spiritualis corporis status ac gloria non infringatur. »

Obi. II. *S. Gregorius Nyss.* in Antirrh. (2) excludit a corpore Christi glorioso *figuram*, *formam*, *extensionem* aliasque partes *internas et externas* humani corporis: ac demum affirmat, *nihil corporale* nunc reperiri in Christo Iesu.

Resp. S. Gregorius Nyss. saepius in operibus suis orthodoxam de resurrectione doctrinam non solum profitetur, sed etiam strenue contra adversarios defendit. Certe igitur etiam circa corpus Christi gloriosum non erravit, cum in S. Scriptura expresse legatur, Christum humana forma discipulis suis apparuisse, cum ipsis locutum esse et manducasse, cicatrices vulnerum in manibus et pedibus conspicuas et corpus palpabile ab illis contrectatum fuisse. Recte ideo doctissimus *Zaccagnius*, qui primus Antirrheticum ex bibliotheca vaticana vulgavit, observat, S. Patrem non loqui de proprietatibus humani corporis *specificis*, sed de iis, quae *accidentales* vocantur: ex. gr., corruptibilitate, mutabilitate etc., quibus gloriosum Christi corpus carere censet *Nyssenus*.

Obi. III. *Synesius* protestatus est, se de resurrectione minime credere et sentire, ut vulgus solet.

Resp. Haec protulerat *Synesius*, cum adhuc paganus esset; cum vero nemo ad baptismum admitteretur, quin professus esset articulum de mortuorum resurrectione, hinc a Theophilo aliisque sapientibus viris edoctus, veritati victas dedisse manus dicendus est antequam Christianus, et multo magis antequam Episcopus fieret, quod aperte testatur *Photius* in Bibl. (3), et *Evagrius* lib. 1 hist. ecclesiast. (4).

(1) I Cor. 15, 50. (2) Cap. 57.
(3) N. 26. (4) C. 15

D. *Argumenta ex aliis monumentis ecclesiasticis hausta.*

§ 826. 1. Ecclesia quovis tempore in suis *Symbolis* resurrectionem mortuorum professa est. Iam in *Symbolo apostolico* extat articulus fidei: *Credo... carnis resurrectionem;* quem explicans *Catechismus romanus* (5) ait: « Hoc imprimis attendere oportebit, resurrectionem hominum in hoc articulo *carnis* resurrectionem appellari; quod quidem sine causa factum non est. Nam docere voluerunt Apostoli id, quod necessario ponendum est, animam esse immortalem: quare, ne quis forte eam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret, cum animam plurimis sacrarum litterarum locis immortalem esse plane constet, ob eam rem carnis tantum suscitandae mentio in articulo facta est; et quamquam saepe etiam in Ss. Scripturis caro integrum hominem, ut est Is. XL, 6: *Omnis caro foenum*, et Io. I, 14: *Et Verbum caro factum est*, significet: hoc tamen loco carnis vox corpus declarat, ut duarum partium animae et corporis, quibus homo constat, alteram tantum, nempe corpus corrumpi, et in pulverem terrae, ex qua compactum est, redire, animam vero incorruptam et immortalem manere intelligamus. At vero, cum nemo, nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, anima proprie

(5) P. 1, cap. 12, n. 2.

non dicitur resurgere. Carnis quoque mentio facta est illius haeresis confutandae causa, quae, vivo Apostolo(1), *Hymenaei* et *Phileti* fuit, qui asserebant, cum de resurrectione in sacris Scripturis ageretur, non de corporea, sed de spirituali, qua a morte peccati ad vitam innocentem resurgitur, accipiendum esse. Itaque his verbis planum fit, eum errorem tolli et veram corporis resurrectionem confirmari. » In *Symbolo Nic. CPtano* dicimus: *Exspecto resurrectionem mortuorum:* ubi praeclare docetur, omnes, qui moriuntur, resurrecturos, et quia animae sunt immortales, consequenter omnia corpora putrefacta resuscitanda esse. In *Symbolo Athanasiano* legitur: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.*

2. Ecclesia quovis tempore omnes, qui orthodoxam de carnis resurrectione doctrinam aut negarunt, aut corrumpere tentarunt, tanquam haereticos condemnavit, ut testes sunt *S. Irenaeus*, *Tertullianus*, *S. Epiphanius*, *S. Augustinus*, *Theodoretus*, et alii qui de haereticis scripserunt. *In Conciliis* quoque catholica de resurrectione doctrina explicata, et definita fuit. Sic in *Concilio Toletano IV* (2) explicatur illud Symboli: *Descendit ad inferos, ut Sanctos qui ibi tenebantur, crueret: per quem et nos sumus in novissimo die resuscitandi in ea, qua nunc vivimus carne, et in ea, qua surrexit idem Dominus, forma, percepturi ab ipso alii pro iustitiae meritis vitam aeternam, alii pro peccatis supplicium aeternum.* Et in *Toletano* XI (3) Patres profitentur: *Exemplo ergo capitis nostri confitemur vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum; nec in aëre, vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) resurrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, consistimus, et movemur. Concilium Lateranense IV*, cap. 1 *Firmiter*, definivit: *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent, quae nunc gestant, ut recipiant secundum merita sua, sive bona fuerint, sive mala: mali cum diabolo poenam perpetuam; boni cum Christo gloriam sempiternam.* Clarissimis verbis hic dogma catholicum enunciatur, in quo consentiunt etiam Graeci schismatici, qui in *Synodo Hierosolymitana* an. 1672, can. 18 dicunt: *Cum — generali facta resurrectione, suum anima corpus resumpserit, tunc beatitudinis, ac poenarum recipiet unusquisque complementum.*

3. Communem de carnis resurrectione fidem confirmant etiam *Acta Martyrum*, qui publice coram iudicibus suam gloriosae resurrectionis fidem et spem confessi, et per eandem ad omnes cruciatus fortiter perferendos excitati sunt. Talia exempla exhibet *Ruinart* in Act. Mm. sinceris (4). Eandem fidem Christiani passim in suorum epitaphiis, seu inscriptionibus sepulcralibus antiquissimis exprimere ac declarare consueverunt. Ostendit haec *Io. Bapt. Gener. S. I.* in Theol. Dogm. Scholast. (5).

Nota. Anabaptistae in Colloquio Frankenthalensi (6) professi sunt, se quidem credere futuram resurrectionem ex mortuis, sed non in eadem carne, quam nunc habemus. Magis aperte hunc errorem docuit *Socinus*, quem postea eius gregales secuti sunt, *Ostorodus* in Instit. (7), *Schmalchius* in lib. de Divin. Chri-

(1) II Tim. 2, 17. (2) Anno 633, can. 1.
(3) An. 675, art. 7.
(4) Amstel. 1713, pag. 70, 150, 494.
(5) Tom. 4, pag. 2, lib. 3, cap. 1, § 1, Monum. antiq. class. 4.
(6) Art. 28. (7) C. 41.

sti (1), *Vorstius* in Tract. de Deo, *Burnetus* in suo pravo libro de statu mortuorum et resurgentium pronunciat quaestionem de identitate corporis resurgentis « curiosam magis esse, quam necessariam. Quid enim (inquit ille) tua aut mea interest, sive easdem habeamus particulas, sive alias non minoris dignitatis et virtutis? » — Recte autem post *S. Gregorium M.*, *S. Thomas* (2) observat, negando identitatem corporis resurgentis, ipsum dogma de carnis resurrectione penitus everti. « Non enim, inquit, resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat, quia resurrectio est iterata surrectio, eiusdem autem est resurgere, et cadere; unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam animam quae post mortem vivit; et ita, si non est idem corpus, quod anima resumit, non dicetur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio. » Revelatio autem veram resurrectionem praedicat, docetque, quod homines in resurrectione propria corpora resument, non aliena. Ideo Iob l. c. dicit: *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea,* quam nunc habeo, *videbo Deum meum.* Paulus ad Rom. scribit: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis* (3), id est vivificabit corpora, quae nunc vestra sunt, et in quibus modo per gratiam habitat Spiritus sanctus; ad Cor. ait: *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (4): quo in loco pronomen *hoc* ostendit, quod non nova accipiemus, sed eadem quae modo habemus. Eandem veritatem defendunt Patres. *Tertullianus* c. Marcion. (5) ait: « Si resurrectio mortui est eiusdem restitutio, mortuum autem non aliud est, quam corpus, corporis erit resurrectio. Sic et resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat, quam quae cecidit. » *Origenes* (6) scribit: « Docente Apostolo, *seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale* (7): certum est quod corpora, quae ceciderunt, resurgere praedicantur; non enim proprie resurgere dicitur, nisi id, quod ante ceciderit... Si resurgunt corpora, sine dubio ad indumentum nostri resurgunt; et si necesse est, nos esse in corporibus, non in aliis, quam in nostris corporibus esse debemus. » *S. Ambrosius* Serm. de fide resurrect. (8) inquit: « Haec est resurrectio, sicut ipsius verbi sono exprimitur, ut quod cecidit, resurgat, quod mortuum fuerit, reviviscat. » *S. Hieronymus* (9) dicit: « Sed et ipsum resurrectionis vocabulum significat, non aliud ruere, aliud suscitari. » Hoc idem Patres probarunt ex resurrectione Christi, quacum nostra comparatur I Cor. XV, 49. Ergo, sicut Christus resurrexit in corpore suo, et non alieno, ita et nos in nostris corporibus resurgemus. » Ita *S. Hieronymus* (10) ait: « Quomodo Dominus post resurrectionem fixuras clavorum ostendit in manibus, vulnus lanceae monstravit in latere... sic et nos post resurrectionem eadem habebimus membra, quibus nunc utimur, easdem carnes et sanguinem et ossa, quorum in Scripturis Sanctis opera, non natura damnantur. » Et *S. Augustinus* l. 1 Retract. (11) scribit: « Quisquis ea (quae de resurrectione scripsi) sic accipit, ut existimet, ita corpus terrenum,

(1) C. 23.
(2) In 4 Sent., Dist. 44, q. 1, art. 1.
(3) Rom. 8, 11. (4) I Cor. 15, 53.
(5) Lib. 5, c. 9.
(6) Lib. 2 Periarch. c. 10.
(7) I Cor. 15, 44. (8) C. 87.
(9) Adv. Io. Hierosol. n. 33.
(10) L. c. n. 28. (11) Cap. 17.

quale nunc habemus, in corpus coeleste resurrectione mutari, ut nec membra ista, nec carnis sit futura substantia, procul dubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in iisdem membris non solum conspiciendus oculis, verum etiam manibus tractandus apparuit. »

II. *Resurrectionis possibilitas et convenientia ex ratione demonstratur.*

§ 827. Concedendum prorsus est, carnis resurrectionem tanquam opus divinum quoad modum rationis captum superare; eam autem esse contra rationem, perperam increduli probare nituntur. Ex ipsa enim ratione, eam *possibilem*, imo et *convenientissimam* esse facile demostratur.

1 *Logice possibile* illud dicitur et est, quod nullam in sui notione involvit notarum, ut inquiunt, repugnantiam. Omnes autem admittunt, in conceptu resurrectionis carnis notam repugnantem non inveniri, praesertim cum similes immutationes in naturalium rerum ordine passim observentur; unde *S. Ambrosius* (1) ait: « Resurrectionis fides usus est mundi rerumque status omnium, generationum series, successionum vices, obitus ortusque signorum, diei et noctis occasus, eorumque quotidie tamquam rediviva successio.... Quid de fructibus loquar? Nonne tibi videntur occidere, cum decidunt, resurgere cum reviviscunt? quod satum est, resurgit; quod mortuum est, resurgit, et in eadem genera, et in easdem species reformantur. Hos terra primum reddidit fructus, in his primum natura nostra speciem resurrectionis imitata est. » — *Physice possibile* illud dicitur et est, ad quod perficiendum vires sufficientes adsunt, quae ab adversa potestate elidi nequeunt. Quis autem sanae mentis dubitabit, ad resurrectionem carnis perficiendam vires sufficientes ex parte Dei inveniri, quas nulla vis creata hebetare valet? Omnes profecto particulas corporis humani in cineres resoluti, quomodocumque dispersae fuerint, omniscientia divina perfectissime cognoscit, et omnipotentia divina colligere, unire ac iterum vivificare potest. Aut quis hanc potentiam illi denegabit, qui omnia ex nihilo creavit? Recte *Athenagoras* l. de resur. inquit: « Dei potestatem excitandis ad vitam corporibus non imparem esse, argumento est eorum generatio. Nam, si non extantia hominum corpora, eorumque principia in prima fecit creatione, etiam dissoluta, quolibet id contigerit modo, non difficilius exsuscitabit; aeque enim potest id quoque. » Et *S. Augustinus* Serm. 19 de verbis Apostoli ait: « Te appello, quicumque infideli animo de resurrectione dubitas, et putas non posse mortuos resuscitari! Quid est amplius ex nihilo homines facere, qui vivant, aut eos, qui facti sunt, et vixerunt, reparare post mortem? Utique plus est facere quod nunquam fuit, quam reparare quod fuit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, ut Deus, qui hominem formavit ex nihilo, reformet? Quomodo nos suscitare non potest conversos in pulverem, qui etiamsi in nihilum rediremus, facere poterat ut essemus, sicut effecit nos esse, cum antea nunquam fuissemus? » His accedit, quod rationi humanae non liceat facta negare ex certis et fide dignis monumentis probata. Talia facta sunt (caeteris praetermissis) resurrectio Christi et resuscitatio Lazari, iam per quatuor dies in monumento foetentis. Idem porro est, ad

(1) Lib. de fide resur. n. 53.

rei substantiam quod spectat, sive putre cadaver excitare, cuiusmodi fuit illud Lazari, sive iam dissolutum penitus ad vitam revocare: ergo si non repugnat resurrectio mortui iam foetentis, nec implicat seu repugnat resurrectio mortui in cinerem redacti; nulla enim intrinseca differentia est, ut observat *Tertullianus* (1). Hinc etiam *S. Gregorius Nyss.* Orat. 3 de Resurrect. cum resuscitationem Lazari commemorasset, ait: « Quemadmodum unus excitatus est, eodem modo decem; quemadmodum decem, ita et trecenti; ut trecenti, ita etiam plures; unius enim statuae artifex vel sexcentarum facile opifex erit.... Perspicuum enim est, quod eam fidem et probationem, quae in uno fit, etiam in multis homo sanus admiserit. Posito quod Deus sit qui faciat, nihil dixeris esse quod fieri non possit: neque tua cogitatione percipi putes illius, qui comprehendi nequit, sapientiam. » *Moraliter* denique *possibile* illud dicitur et est, quod finibus non adversatur nec eius a quo perficitur, nec eorum quos attingit. Tantum vero abest, ut resurrectio carnis fini vel Dei, vel Christi, vel religionis, vel hominis adversetur, ut potius fines istos maxime promoveat.

2. Iuxta sanae rationis principia, resurrectio carnis est *convenientissima Deo.* Deo enim convenit quidquid divinas ipsius perfectiones manifestat, eiusque gloriam promovet. Ast ex omnium hominum defunctorum resuscitatione elucet *Omniscientia* Dei, quae omnes humanorum corporum particulas, licet tenuissimas, et quomodocumque dispersas perfectissime cognoscit: *Omnipotentia* Dei, quae dictas particulas in ictu oculi colligit, in pristinum ordinem redigit, et per unionem cum anima iterum vivificat: *Bonitas*, quae fidelium servorum suorum non solum animas per visionem intuitivam beatificat, sed etiam corpora glorificat, et felicissima reddit, ac *Iustitia*, quae peccata commissa etiam in corporibus reproborum per cruciatus durissimos punit. — Porro convenientissima est resurrectio carnis *Christo redemptori*, qui peccatum Adami, eiusque funestos effectus perfectissime sustulit, quod ostendit Paulus Rom. V ita, ut v. 20 dicat: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Inter funestos autem peccati originalis effectus etiam mors corporis numeratur. Hanc quidem Christus per mortem, et resurrectionem suam non statim sustulit, sed pro sua infinita sapientia latam mortis temporalis legem in suo vigore reliquit, ut homines per ipsam, quam subire debent mortem, a peccatis retineantur, et ad bonum impellantur. Perfectissimam tamen Christus de morte victoriam reportavit, *quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (2). Hinc idem Apostolus dicit: *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est; virtus vero peccati, lex* (3). Quae verba exponens *S. Chrysostomus* (4) ait: « Quomodo enim mors postea dominatum obtinebit? num per legem? sed ea est soluta et abrogata: an per peccatum? sed id est penitus deletum; *Deo autem gratias, qui dedit nobis*

(1) Lib. de resur. c. 38.
(2) 1 Cor. 15, 21, etc
(3) Ibid. v. 54, etc.
(4) Hom. 42, n. 2, etc.

victoriam per D. N. I. Christum (1). Nam trophaeum quidem ipse erexit, coronis autem nos quoque frui curavit, idque non ex debito, sed sola sua benignitate. » — Convenientissima quoque est resurrectio carnis *Religioni revelatae*, quia haec doctrina tum magnum mysterium exhibet, cui intellectus fidelium se subiicere debet, tum grave motivum suppeditat, quo homines, corporum suorum amantes, a peccatis deterreantur, et ad virtutes exercendas impellantur. — Convenientissima demum est resurrectio carnis *hominibus*, qui, sicut in corpore et cum corpore aut bene aut male agunt, ita merito etiam in corpore et cum corpore aut remunerantur, aut puniuntur. Ideo Paulus II Cor. V, 10 resurrectionem futuram esse dicit, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Quemadmodum enim corpus in hac vita particeps fuit bonorum, vel malorum operum, ita aequum est, ut etiam in alia vita praemium, vel poenam reportet; quod fieri utique non posset, nisi illud ipsum corpus resurgeret, quod in morte ab anima separatum fuit. Hinc *S. Ambrosius* libro de fide resurrectionis argumenta ad hanc probandam afferens ait: « Ratio quidem evidens est, quia cum omnis vitae nostrae usus in corporis animaeque consortio sit, resurrectio autem aut boni actus praemium habeat, aut poenam improbi, necesse sit, corpus resurgere, cuius actus expenditur. Quomodo enim in iudicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo et corporis contubernio ratio praestanda sit? » — His accedit, quod homo ex anima et corpore constet. Utrique autem congruit resurrectio. *Anima* enim, quae est immortalis, naturaliter propendet ad corpus, cuius est forma; convenit ergo ut corpus resurgat, alioquin anima perpetuo existeret in statu violento, ac dimidiatam quasi existentiam, vitam et substantiam dumtaxat obtineret. Resurrectio autem congruit etiam *corpori*, quod inter res visibiles praestantissimum est Dei creantis opificium; et quidem ita constitutum, ut semper cum anima unitum maneat, quia *Deus creavit hominem inexterminabilem* (2): maxime porro conveniens est resurrectio corpori hominis rectae fidei gratia donati. Quis enim sibi persuadeat, carnem sacramentis delibutam, templum Spiritus sancti, et Christi membrum effectam, imo et Christi corpore et sanguine nutritam, nulla alia sorte donandam esse, quam iumentorum cadavera? — Sic contra haereticos sui temporis ratiocinati sunt *S. Irenaeus* (3) et *Tertullianus* (4).

Nota 1. Quamvis sana ratio carnis resurrectionis possibilitatem et convenientiam ostendere possit, fatendum tamen est, quod ratio humana neque illius veritatem seu futuram existentiam demonstrare, neque etiam post factam revelationem intrinsecum eius modum perfecte comprehendere et explicare possit. Errant igitur, qui cum *Bonneto* et aliis resurrectionem carnis quasi naturaliter explicare tentant, confugientes ad introducendam quandam *palingenesiam*, seu *renascentiam, ortum secundum, instaurationem*, vi cuius homines quasi papiliones ex nympha prodire debeant ex germine quodam praeformato, etiam post obitum animae inseparabiliter inhaerente. Ad-

(1) I Cor. 15, 57.
(2) Sap. 2, 23. Cf. § 296, n. 4.
(3) Lib. 5 adv. Haer.
(4) Lib. de resur. carn. n. 12 etc.

mitti autem nullatenus potest huiusmodi hypothesis. Talis enim germinis animae inseparabiliter inhaerentis existentia neque ex revelatione, neque ex ratione probari potest: quod ergo gratis asseritur, gratis negatur. Dein hoc germen, si est aliquid materiale, ad corpus spectat, quod in morte ab anima deseritur: si est aliquid spirituale, rem materialem, seu carnem naturaliter producere nequit. Absona etiam est comparatio resurrectionis cum renascentia papilionis ex nympha; nam si haec conteratur, dissecetur, et dispergatur, ille non prodit. Ratio porro in dicto systemate reddi non potest, cur non etiam brutis et iumentis sicut hominibus resurrectio seu renascentia adiudicanda sit. Denique, etiamsi dictum systema admitteretur, nihilominus ad divinam omniscientiam, omnipotentiam et iustitiam recurrendum esset, ut declaretur, quod revelatio docet, iustos *in vitam aeternam*, impios *in opprobrium* resurrecturos esse. Recte igitur *Cl. Muzzarelli* (1) hoc systema confutat, et solide ostendit, in illo destrui ideam et veritatem mortis, nullam iam dari veram resurrectionem, subvertique fidem etc. Concedendum igitur est, resurrectionem carnis esse opus divinum, quod rationis captum superat. Hinc cum ethnici et haeretici doctrinae catholicae varias difficultates obmoverent, Ss. Patres ad omniscientiam et omnipotentiam divinam recurrerunt, cui omnia facillima sunt, quae hominibus ardua et impossibilia videntur. Sic *Lactantius* (2) postquam recte observavit, veteres poëtas ac philosophos hominum defunctorum resurrectionem saepius memorasse, quamvis corrupte, ut a viris revelationis lumine destitutis potuit expectari, ita eleganter concludit « Quod si non modo Prophetae, sed etiam vates et poëtae et philosophi anastasim mortuorum futuram esse consentiunt, nemo quaerat a nobis, quemadmodum fieri possit; nec enim divinorum operum reddi potest ratio. Sed si a principio Deus hominem, nescio quo inenarrabili modo, instituit, credamus ab eodem veterem restitui posse, qui novum fecit. » Et S. *Gregorius M.* (3) inquit: « Da potentiae Creatoris tui, quod comprehendere non vales de teipso, et ne de carnis tuae resurrectione desperes! perpende prudenter, quia minus est Deo reparare quod erat, quam fecisse quod non erat. Si non potes resurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende quam multa sunt, quae non intelligis qualiter sunt, et tamen esse non dubitas. »

Nota 2. Adversarii omnem conatum adhibuerunt, ut ostenderent resurrectionem carnis prorsus impossibilem esse, et doctrinam catholicam, quae hunc fidei articulum proponit, non solum *supra* sed etiam *contra rationem* esse; at fallacia eorum argumenta facile conteruntur.

Obi. I. Aliqua hominis essentialia principia in nihilum prorsus per mortem rediguntur, ut prima corporis forma, seu partium compositio, animae potentiae vegetativa et sensitiva, et ipsa humanitas, quae per separationem animae a corpore tollitur: impossibile est ergo, ut idem numero corpus vel homo iterum reviviscat.

Resp. Si vera esset adversariorum obiectio, dicendum foret, Deum, qui mundum ex nihilo produxit, etiam hominis essentialia principia in nihilum redacta per omnipotentiam suam restituere posse; et sic evane-

(1) De recto usu logicae opusc. 22.
(2) Lib. 7 Instit. div. c. 23.
(3) Hom. 20 in Ezech.

sceret difficultas. At ipsa obiectio falso laborat supposito, et rectae rationi repugnat; quia, ut ostendit S. *Thomas* l. 4 c. Gentes (1), nullum prorsus in corporis dissolutione ex essentialibus ipsius constitutivis in nihilum redigitur. Nam forma corporis, quae est anima rationalis, vivit immortalis; materia vero, quanquam novis formis subiiciatur, eadem tamen semper perseverat. — Neque enim in sana philosophia admittuntur in homine aliae formae substantiales praeter animam rationalem, quae corpori praestat etiam vim sentiendi et vegetandi. Quod si aliqua accidentia pereant, vel partes etiam adventitiae, hoc non officit, quin idem numero corpus resurgat: sicut idem numero corpus hominis viventis dicitur, quamvis singulis momentis aliqua eius accidentia pereant, vel mutentur. De parte autem nutritiva et sensitiva sic recte philosophatur S. Doctor l. c. « Si per has partes intelligantur ipsae potentiae, quae sunt proprietates animae, vel magis compositi, corrupto corpore corrumpuntur, nec tamen per hoc impeditur unitas resurgentis. Si vero per partes praedictas ipsa substantia animae sensitivae et nutritivae intelligatur, utraque earum est eadem cum anima rationali; non enim sunt in homine tres animae, sed una tantum: » manent ergo in anima immortali potentiae sensitiva et vegetativa; sed quamdiu deficit corpus, in actum non transeunt. « De humanitate vero, pergit S. *Thomas* ibidem, non est intelligendum, quod sit quaedam forma consurgens ex coniunctione formae ad materiam, quasi realiter sit alia ab utroque: quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, illa tertia forma consequens non esset substantialis, sed accidentalis. » Id autem Angelicus uberius explicat ex certis philosophiae principiis, ac demum concludit: « Unde patet quod et homo redit idem numero in resurrectione, et humanitas eodem numero propter animae rationalis permanentiam et materiae unitatem. »

Obi. II. Cum hominum corpora per corruptionem resoluta sint usque ad prima elementa, et in alias substantias specie diversas saepe transmutata, impossibile est, eadem numero iterum resumi seu reiterari. « Cadaverum partes, inquit *Burnetus*, exhalantur in aërem, reciduntque in rore et pluvia; imbibuntur á radicibus plantarum, et facessunt in gramina, frumenta et fructus, unde redeunt in orbem ad corpora humana. » Talium particularum iteratam unionem credere, vesania est.

Resp. Qui talem difficultatem urgent, aut omniscientiae aut omnipotentiae Dei limites ponunt, quod rectae rationi contrarium est. Qui rectam attributorum divinorum notionem habent, clare cognoscunt, Deum omniscium omnes particulas ad idem corpus pertinentes, quomodocumque dispersas et mutatas, perfectissime cognoscere, et Deum omnipotentem easdem facillime colligere et in restituto corpore vivificare. Hinc S. *Augustinus* (2) scribit: « Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremque solvatur; in quoslibet halitus aurasque diffugiat; in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcumque animalium, etiam hominum, cibum cedat, carnemque mutetur, illi animae humanae puncto temporis redit, quae illam primitus, ut homo fieret, viveret,

(1) Cap. 81.

(2) In Enchir. cap. 88.

cresceret, animavit. » Nec difficultatem facessit *mutatio substantiae*, quam innuit *S. Augustinus;* nam si particulae corporis corrupti naturaliter in aliam substantiam transire possint, multo facilius per omnipotentiam divinam in pristini corporis substantiam redibunt.

Obi. III. Notum est, et fuisse olim, et adhuc nunc esse homines anthropophagos, qui nempe carnibus vescuntur humanis: cum itaque eadem caro in pluribus hominibus fuerit, fieri non potest, ut singuli cum propria carne resurgant. Crescit difficultas, si perpendatur, omnes omnino homines anthropophagos esse. Vix enim terrae cadavera mandata sunt, illico resolvuntur in sua principia; his nutriuntur vegetabilia, quibus aluntur animantia; nosque, dum vegetabilibus et animantibus vescimur, in nostram rursus convertimus substantiam ea ipsa principia primigenia, quae substantiam constituerunt illorum hominum, qui superioribus saeculis vixerunt, et ita deinceps quoad futuras generationes, adeo ut perpetua sit eiusdem substantiae commeatio, seu fluxus, quae ex uno in aliud corpus transit. Cum igitur eadem substantia ad tot corpora pertinuerit, in resurrectione futura cuinam restituetur? Impossibile prorsus est, ut omnia prorsus corpora cum sua substantia resuscitentur.

Resp. Ad hanc difficultatem tollendam *Cl. Perrone* (1) dicit: « 1° quidem animadvertendum est, stultam esse hypothesin anthropophagorum, qui non alantur toto vitae tempore nisi solis carnibus humanis, quod nescio, an unquam factum sit, aut etiam fieri possit. 2° Certum est, herbas ac plantas, ut etiam demus quod adversarii autumant, praeter nutritionem, quam ex defunctorum corporum principiis adsciscunt, alia multa in proprium alimentum, seu succum convertere, imo illorum partem minimam esse, quam ex cadaveribus attrahunt, quod propterea dici pariter debet de animantibus, ac de hominibus, qui tum terrae fructibus, tum animantibus vescuntur. 3° Principia materiae primigenia, etsi diversam modificationem subeant, aut *combinationem* chymicam, in se prorsus incorruptibilia, imo et indestructibilia sunt (nempe *per se*, non autem respectu Dei, qui ea ex nihilo condidit). Data propterea quacumque immeatione, seu transitu de una in alteram substantiam, ipsa in se omnino eadem permanent, ac propterea semper Deus illi potest restituere, ad quem aliquo vitae tempore pertinuerunt. » Observat praeterea doctissimus Auctor, corpus humanum novas passim moleculas per quotidianum nutrimentum recipere, et veteres per exhalationem, transpirationem, evacuationes naturales etc. amittere: quibus praemissis (2), concludit: « Data etiam absurda hypothesi, illos anthropophagos recepturos illas tantum moleculas, quae requiruntur et sufficiunt ad proprium corpus constituendum, caeteras vero cum non fecerint suas, aut maxima ex parte amiserint, restituentur illis ad quos spectabant. » Caeterum observandum est totam difficultatem versari circa modum, quo, admissa anthropophagia singulis sua corpora restituantur. Ignorantia vero modi non tollit certitudinem facti, et inanes hominum cavillationes et dubitationes certum dogma non labefactant. Deus, *cuius viae investigabiles sunt* (3), multa perficere potest, quae homines comprehendere non

(1) Par. 3, de futur. corp. resurr. n. 887, etc. (2) N. 894 (3) Rom. 11. 33.

valent. Imo cum Deus ab aeterno omnium defunctorum resurrectionem decreverit, recte etiam dicitur, ineffabilem ipsius providentiam, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*(1), ita universa sapientissime ordinare, ut partes substantiales singulis corporibus propriae, et ad eorum restitutionem necessariae nunquam ita inter se permisceantur, ut ad duo corpora pertineant. Quodsi, Deo permittente, tale quid in anthropophagis contingat, defectus, qui inde oritur, iuxta *S. Thomam* suppletur omnipotentia Creatoris; ait enim S. Doctor (2): « Caro comesta resurget in eo, in quo primo fuit anima rationali perfecta; in secundo vero, si non solis carnibus humanis est pastus, sed et aliis cibis, resurgere poterit tantum de alio, quod ei materialiter advenit, quod erit necessarium ad debitam quantitatem corporis restaurandam. Si vero solis humanis carnibus sit pastus, resurget in eo, quod a generantibus traxit; et quod defuerit, *supplebitur Omnipotentia Creatoris* etc.»

Obi. IV. Certum est corpus humanum in vita terrestri plurimas mutationes subire; modo enim minus est, modo maius fit; quotidie magnam molecularum partem et accipit et amittit, quibus eius substantia, seu materia constituitur; pellis et caro frequenter mutantur, corpus iuxta aliquos quolibet anno, iuxta alios quolibet triennio vel septennio penitus renovatur: hinc, accurate si loqui velimus, corpus huius diei idem omnino dici nequit ac corpus diei hesterni. Inter tot igitur corpora, quae homo habuit integra vitae periodo, quodnam praecise resumet in resurrectione? inextricabiles hinc nascuntur difficultates; nullus enim dicere potest, quod iuxta doctrinam catholicam dicendum esset: in hac pelle et in hac carne resurgam.

Resp. Si vera esset adversariorum sententia, non ideo neganda esset resurrectio carnis; haec enim verificaretur, in quocunque corpore homo resurgeret, quod in vita terrestri habuit. Ast iuxta communem hominum sensum unum tantum quilibet homo viator corpus habet. Huius autem corporis partes *essentiales* et *accidentales* distinguendae sunt, istae, non autem illae substantialiter mutantur: sic, ex. gr., stomachus substantialiter semper idem manet, licet minor sit in infantia, maior in adulta aetate, modo his, modo aliis cibis repleatur etc. Idem dicendum est de visceribus, de arteriis et aliis humani corporis partibus, quae substantialiter eaedem manent, licet magis, minusve evolvantur, variasque accidentales vicissitudines subeant, sicut arbor una et eadem dicitur, quamvis crescat, folia quotannis accipiat et amittat, modo plures, modo pauciores fructus ferat etc. Et sane, non obstante iugi isto ac perpetuo molecularum fluxu per modificationes physicas, aut chymicas, quas subit corpus nostrum, intimi tamen sensus testimonio constat, hominem sibi conscium esse de sua individuali identitate, ac nemo dicet, se corpus possidere, post triginta, sexaginta annos, substantialiter diversum ab eo, quod obtinebat vel in infantia, vel in adolescentia.— Ast ad verificandam resurrectionem carnis iuxta doctrinam revelatam, non est necesse ut omnes et singulas materiae particulas, seu, ut vocant, moleculas, quibus corpora nostra aliquando constabant, Deus restituat; sed ad eam identitatem restituendam satis est, ut Deus illas excitet, quae

(1) San. c. 1

(2) In lib. 4 c. Gent., c. 81.

partem corporum nostrorum constituunt essentialem, per quam unius corpus a corpore alterius distinguitur et secernitur, et cuiusvis individui proprium efficitur. Mutationes ergo corporis nostri accidentales nullatenus inextricabiles difficultates producunt, sed quilibet, ad sui corporis substantiam respiciens dicere potest: In hac pelle, in hac carne resurgam. Caeterum rerum naturalium peritissimis viris, *Buffon*, *Hufeland*, aliisque recentioribus non probantur praetensae corporis nostri continuae immutationes totales, existimantque, originalia stamina fibrillarum, extraneas materiae partes ex nutritione percipientia, hisque formam tribuentia, ita loquendo, penetralia et essentiales corporis partes constituere, neque ulla transpiratione, aut evacuatione amitti: in qua sententia clarius cognoscitur, corpus quoad substantiales seu essentiales partes semper idem manere; haec vero sententia ex eo potissimum probatur, quia hominis forma, figura, physionomia, postquam semel evolutae sunt, non mutantur amplius, et quia fieri nequit, ut per nutritionem membrum corporis amissum, aut mutilatum integrum restituatur, aut stabiliatur. Absona igitur est saepius repetita corporis in terra viventis renovatio, ex qua tota obiectio petita est.

Obi. V. Si Deo conveniens esset mortuorum resuscitatio, hanc statim post hominis mortem perficere deberet, quia anima sine corpore vitam veram degere nequit: quamobrem sapientia, iustitia et bonitas Dei valde obscurantur, dum post multa demum annorum millia corpora animabus reddere fingitur.

Resp. Hanc obiectionem maxime temerariam praeclare solvit *Cl. Perrone* l. c. (1) dicens: « Negamus, animam sine corpore absolute veram vitam degere non posse. Hoc non est nisi adversariorum figmentum, qui propterea excogitarunt, animam post corporis terreni mortem novo, nescio quo, organo eodemque subtiliore instructum iri, eoquod mentes finitae sine spatii limitibus et corporali natura vix aut ne vix quidem concipi possint. Hoc enim non minus cum recta fide, quam cum sana metaphysica pugnat. Angeli siquidem sunt mentes finitae, et cum conscientia sui, attamen cuiuscunque materiae expertes eos esse ostendimus. Eiusmodi homines pro libertate, quam sibi arrogant, negant quae testatissima sunt, et obtrudunt quod sibi placet, nec argumenta ulla proferunt ad hypotheses suas, seu potius absurditates communiendas. Etsi igitur animae separatae substantiae sint incompletae, attamen Dei virtute cum conscientia sui vere subsistunt, viyunt et operantur iuxta catholicae doctrinae principia de earum statu post mortem, quem pro meritis obtinebunt aut in aeterna beatitudine, aut in inferno, aut, ad tempus saltem, in purgatorio. »

Obi. VI. Corpus materiale nec moraliter bene, nec moraliter male agere potest; meriti et demeriti incapax est, atque ideo non sine maxima absurditate dicitur, conveniens esse, ut in altera vita corpus quoque cum anima aut praemio donetur, aut poena afficiatur.

Resp. Etsi corpus per se sumptum moraliter agere nequeat, cum anima tamen arctissime et hypostatice consociatum patitur, aut voluptate afficitur, eidem praeterea animae inservit, ut ipsa ideas sensiles sibi cudat, et una cum ipso mereatur, aut demereatur; ideo congruum est, ut una

(1) De coroor. resurr. n. 883.

cum eadem anima corpus pariter poenam, aut praemium factorum consequatur. Ita doctissimi viri, imo et philosophi iudicarunt; imo et in foro civili persaepe propter delicta corpus castigatur, et propter benefacta remuneratur. Sive autem rationalistae id conveniens reputent, nec ne, certum est ex Revelatione, quod Deus in altera vita non solum animas, sed post resurrectionem universalem etiam corpora aut remunerare, aut punire velit. Quod autem sapientissima et sanctissima Dei voluntas decernit, convenientissimum, iustissimum et optimum est censendum.

Obi. VII. Animae status perfectissimus est quando corpore est seiuncta, quia in hoc statu conformior est Angelis et ipsi Deo, atque etiam magis pura, utpote ab omni materia libera: unde illud *Porphyrii* apud *S. Augustinum* (1): « Ut beata sit anima, omne corpus fugiendum est; » nam Sap. IX, 15 dicitur: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* ergo saltem animabus iustis non convenit resurrectio, quia per unionem cum corpore in deteriorem statum reducuntur.

Resp. Quaelibet creatura eo perfectior est, quo conformior ideae et voluntati sui Creatoris, qui est fons omnis bonitatis. Deus autem sapientissimo consilio decrevit, ut dentur creaturae mere spirituales, nempe Angeli, et creaturae partim spirituales, partim materiales, quales sunt homines. De istis igitur *S. Thomas* (2) docet, caeteris paribus perfectiorem esse statum animae in corpore, quam extra corpus, quia est pars compositi, quamvis sine corpore sit aliquo modo Angelis ac Deo ipsi conformior; unde etiam anima Christi, ut ut perfectissima, suo tamen corpori iterum uniri voluit. Anima vero per unionem cum corpore gloriose resuscitato naturam spiritualem, dignitatemque suam non amittit, nec in functionibus suis impeditur, sicut protoparentes in statu originalis iustitiae impediti non fuerunt. Sap. IX, 15 anima dicitur aggravari per *corpus quod corrumpitur*, et sensus deprimi per *terrenam habitationem:* sed corpus, quod gloriose resurgit, non corrumpitur, et non est terrena, sed potius coelestis habitatio; unde *S. Augustinus* loc. cit. observat, perfectiores futuras esse animas in resurrectione, quia talia recipient corpora, *in quibus beate et immortaliter vivent.*

Obi. VIII. Multae sunt in humano corpore partes nutritioni, vegetationi et generis propagationi unice destinatae, quae proinde in altera vita omnino inutiles, et supervacaneae essent. Cum autem Deus inutilia non faciat, haec membra supervacanea non resuscitabit.

Resp. Partes humani corporis organicae in resurrectione minime inutiles futurae sunt. Quamvis enim neque nutritioni, neque vegetationi, neque aliis usibus, quibus erant in hac vita mortali deputatae inservire possint, inservient tamen pulcritudini et integritati corporis humani, quod sine illis non corpus, sed truncus esset; vel, sicut loquitur *Tertullianus,* « esset sicut navis sine carina, puppi, aut prora. » Tota igitur restaurari debet mirabilis illa humani corporis machina, in cuius structura summa et infinita Dei sapientia, atque omnipotentia elucet. Hinc *S. Thomas* in Suppl. (3) dicit: « Membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam; vel secundum habi-

(1) Lib. 22 de Civ. Dei, c. 27.
(2) In 4 Sent. Dist., 43, q. 1, a. 1 ad quartum.
(3) Q. 80, art. 1 ad 1.

tudinem materiae ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem... Si ergo membra accipiantur secundum primam comparationem, finis eorum non est operatio, sed magis perfectum esse speciei; quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem accipiantur secundum secundam comparationem, sic finis eorum est operatio. Nec tamen sequitur, quod, quando deficit operatio, frustra sit instrumentum, quia instrumentum non solum servit ad exequendam operationem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius: unde oportebit, ut virtus potentiarum animae in instrumentis corporeis demonstretur, etsi nunquam in actum prodeant, ut ex hoc commendetur Dei sapientia. » Accedit, quod plurima membra homini in suis operationibus bonis aut pravis inservierunt; unde conveniens est, eadem membra resurgere, ut praemium vel poenam participent. *S. Cyrillus Hieros.* (1) inquit: «Blasphemamus per os, per os precamur; scortamur per corpus, per corpus puritatem custodimus; rapimus per manum, per manum eleemosynas largimur, et caetera similiter. Quando igitur ad omnia subservit corpus, in futuris quoque obventurae sortis est particeps. » *S. Ambrosius* (2) ait: « Haec est series et causa iustitiae, ut quoniam corporis animique communis est actus (quia quae animus cogitavit, corpus effecit), utrumque eat in iudicium: utrumque aut poenae dedatur, aut gloriae reservetur. Nam propemodum absurdum videtur, ut, cum animi legem lex carnis impugnet, et mens plerumque, quod odit, hoc faciat, quando inhabitans in homine peccatum carnis operatur, animus subdatur iniuriae, alienae reus culpae, caro quiete potiatur, auctor aerumnae, et solus atteratur, qui non solus erravit, aut solus gratiam referat, qui non solus gratiae militavit. » *S. Hieronymus* in Apol. c. Ruffin. (3) inter haeretica Origenis dogmata hoc etiam enumerat, quod docuerit: «Resurrectionem nostrorum corporum sic futuram, ut eadem membra non habeant, quia cessantibus membrorum officiis superflua membra reddantur. » Denique omnia membra in resurrectione restituenda esse, probatur etiam ex resurrectione Christi, quae est exemplar resurrectionis nostrae (4). Hinc *S. Hieronymus* c. Ioan. Hieros. (5) ait: «Quomodo Dominus post resurrectionem fixuras clavorum ostendit in manibus, vulnus lanceae monstravit in latere... sic et nos post resurrectionem eadem habebimus membra, quibus nunc utimur, easdem carnes et sanguinem et ossa, quorum in Scripturis sanctis opera, non natura damnantur » (6).

(1) Catech. 18, n. 19.
(2) Lib. de fide resur., n. 88.
(3) Lib. 2, n. 12.

III. *De dotibus corporum gloriose resurgentium.*

§ 828. Ipsa Revelatio docet, Christum Dominum esse perfectissimum exemplar resurrectionis iustorum. Nam Phil. III, 21 dicitur: *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Quod etiam colligi potest ex eo, quod Christus I Cor. XV, 20 dicitur *primitiae dormientium*, et v. 22 etc. subditur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur: unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus, deinde ii, qui sunt Christi,* scilicet tanquam illi maxime similes et conformes; et ideo postea

(4) Rom. 8, 11; Phil. 3, 20; I Cor. 15, 48, etc.
(5) N. 28. (6) Cf. not. ad § 826.

(v. 48 etc.) subdit: *Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis coelestis, tales et coelestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.* Loquitur aperte de imagine gloriae; est autem imago, quae fit ad repraesentandum prototypon, seu exemplar. *Portare* ergo *imaginem*, est habere gloriam ad similitudinem eius. Quam similitudinem explicans Paulus subiungit: *Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:* ac si diceret, similitudinem illam, seu imitationem in hoc consistere, quod iusti habituri sint corpora gloriosa, quale est corpus Christi, quae immutatio non est communis omnium, sed propria iustorum. Et hoc ipsum docuit Paulus Rom. VI, 5 dicens: *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus;* et ibid.: *Si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis* (1); et: *Si autem filii et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (2). Sicut ergo corpus Christi summam gloriam in resurrectione sua consecutum est, ita etiam corpora iustorum in resurrectione maximam gloriam consequentur. Quatuor autem a theologis cum *S. Thoma* (3) enumerantur corporis gloriosi dotes, scilicet *impassibilitas*, *subtilitas*, *agilitas* et *claritas*, quae hoc disticho comprehenduntur: « Clari, subtiles, agiles, impassibilesque; omnes quadruplici pollebunt dote Beati. » De singulis quaedam dicenda sunt.

(1) C. 8, v 11. (2) V. 17.

A. *De impassibilitate.*

§ 829. 1. Impassibilitas primo a corporibus gloriosis omnes excludit naturales defectus, quales in caecis, luscis, surdis, mutis, gibbosis, claudicantibus, mutilatis, monstruosis etc., hac in terra observantur. Sicuti enim Christus surrexit integerrimo perfectoque corpore, sine minimo defectu, ita etiam caeteri omnes iusti resurgent; tum quia hoc ad perfectionem beatitudinis, ad exactam sui exemplaris repraesentationem, et efficaciam divinae virtutis spectat; tum quia defectus corporis sunt poena peccati, in beatitudine autem nulla erit poena, nec aliquod malum; tum denique, quia appetitus animae, ut est forma corporis, stante defectu, non esset plene satiatus; appetit enim perfectum corpus, et eo magis quemlibet refugit defectum, quo minus decet gloriosam incolarum coelestium societatem. Hinc etiam respectu corporum resuscitatorum intelligi potest, quod de Civitate coelesti dicitur: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens* (4). Christus enim *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Quapropter *S. Augustinus* in Enchir. (5) scribit: « Resurgent igitur Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. » Et l. 22 de Civ. Dei (6) docet, « quod deforme natum fuerat, sic esse rediturum, ut servata integritate substantiae deformitas pereat. Si enim statuam potest artifex homo, quam propter aliquam

(3) In 4 Sent. Dist. 44, q. 2.
(4) Apoc. 21, 27. (5) Cap. 91. (6) Cap. 19.

causam deformem fecerat, conflare, et pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde substantiae, sed sola deformitas pereat; ac si quid in illa figura priore indecenter extabat, nec paritati partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare, atque separare, sed ita conspergere universa, atque miscere, ut nec foeditatem faciat, nec minuat quantitatem; quid de omnipotenti artifice sentiendum est? Ergone non poterit quasque deformitates humanorum corporum, non modo usitatas, verum etiam raras, atque monstruosas, quae huic miserae vitae congruunt, abhorrent autem ab illa futura felicitate Sanctorum, sic auferre, ac perdere, ut quascunque earum faciunt, etsi naturalia, tamen indecora excrementa substantiae corporalis, nulla eius diminutione tollantur? Ac per hoc non est macris pinguibusve metuendum, ne ibi etiam tales sint, quales, si possent, nec hic esse voluissent. Omnis enim corporis pulcritudo est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia pravum est, aut ideo quia parum, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi et quae prava sunt corrigentur, et quod minus est, quam decet, unde Creator novit, inde supplebitur, et quod plus est, quam decet, materiae servata integritate detrahetur. » Huic doctrinae S. Doctoris communi consensu inhaerent Patres et theologi.

2. Quamvis in Christo et martyribus non erunt vulnera, quae in hac vita passi sunt; hoc enim ad miseriam pertineret; certum tamen est ex Evangelio, Christum cum cicatricibus, seu potius fixuris et aperturis vulnerum suorum, quae in latere, manibus et pedibus accepit, resurrexisse. Valde etiam probabile est, ac pene certum, quod eadem signa coelo intulerit, quodque cum iisdem sit ad iudicium venturus, eademque in coelesti gloria perpetuo servaturus. Nam quod ea in iudicio sit exhibiturus, significat illa Scriptura: *Videbunt, in quem transfixerunt* (1). Quo testimonio sic usus est *S. Io. Chrysostomus* Hom. de Cruce, et Latr., ut doceret, Christum vulnera sua, id est, vulnerum signa in iudicio omnibus ostensurum esse. Similiter sentiunt *S. Ignatius M.* in Epist. ad Smyrn., *S. Cyprianus*, aut alius vetus Auctor Serm. de Bapt. Christi, *S. Leo M.* Serm. 1 de Ascens. et alii (2). Quamobrem nec improbabile est, etiam in martyrum corporibus aliquid tale futurum, quod eorum passiones et vulnera, quae pro Christo tulerunt, quasi ad oculum monstret ac repraesentet. Qua de re disserens *S. Augustinus* (3) haec habet: « Nescio, quo modo sic afficimur amore beatorum martyrum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quae pro Christi nomine pertulerunt: et fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quaedam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulcritudo fulgebit: nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata, et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: *Capillus capitis vestri non peribit* (4). Sed si hoc decebit in illo novo saeculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut praeciderentur, percussa, vel secta

(1) Zach. 12, 10; Io. 19, 37.
(2) Cf. § 383, n, 4.
(3) L. 22 de Civ. D., cap. 19, n. 3 (al. c. 20).
(4) Luc. 21, 18.

sunt, ibi cicatrices, sed tamen iisdem membris redditis, non perditis apparebunt. Quamvis itaque omnia, quae acciderunt corpori vitia, tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia. » Etiam *S. Ambrosius* in Luc. XXIV dicit, ad exemplum Christi martyres nobis in coelo monstrandos esse cum insignibus vulnerum suorum.

3. Inter corporales defectus etiam illi recensentur, qui ex aetate proveniunt, dum corpus vel non ad debitam magnitudinem excrevit, ut in infantibus, vel virtutem et vigorem suum amisit, quod fit in senectute. Communiter autem theologi docent, istos quoque defectus in resurrectione reparandos, omnesque homines, aut saltem iustos, in ea aetate resuscitandos esse, in qua Christus mortuus est et resurrexit, nempe in aetate 33, vel 34 annorum. Ad quod probandum quidam citant verba Apostoli ad Ephes.: *Donec occurramus omnes — in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (1). Quae verba exponens *S. Anselmus* observat, ea non de corporis magnitudine intelligenda esse; quod si corpore Christi maius fuerit, non minuetur, cum nec capillus periturus sit; et concludit: « Restat ergo ut suam quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in iuventute, si senex fuerit, vel fuerat habiturus, si est ante defunctus: » sic ille, veluti ex Apostoli loco docens, quod quisque in plena, seu virili aetate et statura sit resurrecturus. Fatendum autem est, citata Apostoli verba a *S. Ambrosio*, a *S. Chrysostomo*, a *S. Hieronymo* et aliis de spirituali perfectione Ecclesiae exponi, quod et contextui magis conforme est. Etiam *S. Augustinus* l. 22 de Civ. Dei, c. 15 approbat hanc expositionem, sed et priorem commemorat dicens: « Aut si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra iuvenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in eius aetate et robore, usque ad quam Christum hic pervenisse cognovimus... Et ideo non esse dictum, in mensuram corporis, vel in mensuram staturae, sed *in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* » Eandem de resurrectione sententiam defendunt *S. Hieronymus* in Epitaphio Paulae, *S. Prudentius* in Apotheosi, *Hugo Victorinus* tract. de resurr. (2), et scholastici omnes. *S. Thomas* in Suppl. (3) dicit: « Sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter; uno modo, quia nondum perfectionem ultimam est consecuta; alio modo, quia ab ultima perfectione iam recessit; et primo modo deficit in pueris, secundo modo in senibus; et ideo in utrisque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimae perfectionis, qui est in iuvenili aetate, ad quam terminatur motus augmenti, et a qua incipit motus decrementi. » Observat tamen *Cl. Estius* (4) de aetate et statura resurgentium nihil extare ab Ecclesia definitum, etiamsi de solis loquamur electis. Ipse *S. Augustinus* sententiam suam non ut prorsus certam proponit, sed l. cit. cap. 16 ait: « Resurgent itaque omnes tam magni corpore, quam vel erant, vel futuri erant in iuvenili aetate, quamvis nihil oberit, etiam si erit infantilis, vel senilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Unde etiam si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque conten-

(1) Eph. 4, 13. (2) C. 15. (3) Q. 81, ar. 1. (4) In 4, Dist. 44, § 1.

dit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum. »

4. Impassibilitas praeterea in immunitate ab omni dolore, incommodo et ingrata sensione consistit. Hanc gloriosi corporis dotem memorat Apostolus dicens: *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione* (1); quibus verbis non illam solum incorruptibilitatem significare voluit, quae excludit corruptionem proprie dictam; haec enim etiam corporibus damnatorum ad aeternum eorum supplicium convenit, sed excludit etiam quamcunque passionem, quae possit dolorem, aut molestiam corpori beatorum afferre: de qua impassibilitate Apoc. XXI, 4 dicitur: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Eandem gloriosi corporis dotem sicut et reliquas repetit *S. Thomas* l. 4 c. Gentes (2), ex gloria animae elevatae ad visionem beatificam dicens: « Sicut anima Deo fruens habebit desiderium adimpletum quantum ad omnis boni adoptionem, ita etiam eius desiderium adimpletum erit quantum ad remotionem omnis mali, quia cum summo bono locum non habet aliquod malum. Et corpus igitur perfectum per animam proportionaliter animae immune erit ab omni malo, et quantum ad actum, et quantum ad potentiam: quantum ad actum quidem, quia nulla in eis (corporibus) erit corruptio, nulla deformitas, nullus defectus: quantum ad potentiam vero, quia non poterunt aliquid pati, quod eis sit molestum, et propter hoc impassibilia erunt. » Neque obstat, quod in corpore resurgentium sit sanguis et alii humores, ex quorum mixtione et pugna alterationes atque aegritudines in corpore procedunt. Nam, ut ait *S. Augustinus* (3) Ep. ad Consent.: « Divina potentia valet de ista visibili atque tractabili natura, quibusdam manentibus, auferre, quas voluerit, qualitates. » Sic ab igne fornacis Babylonicae abstulit Deus virtutem comburendi corpora puerorum, non autem virtutem comburendi ligna. — Etiam corpora protoparentum in statu innocentiae immunia erant, sicut a morte, ita etiam a doloribus et aegritudinibus a peccato demum originali progenitis: haec igitur impassibilitas propter merita Redemptoris, et ad exemplum Christi resurgentis corporibus glorificandis perfectissimo modo restituetur; unde verbis Apoc. XXI, 4 additur: *Prima abierunt, et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* Ista tamen impassibilitas non excludet omnem sensum a corporibus beatorum; alias eorum vita corporalis similis esset somno; unde *S. Thomas* l. c. ita prosequitur: « Quae tamen impassibilitas non excludit ab eis passionem, quae est de ratione sensus; utentur enim sensibus ad delectationem secundum illa, quae statui incorruptionis non repugnant. » Id angelicus Doctor subtilius declarat in Suppl. q. 82, art. 3.

(1) I Cor. 15, 42. (2) Cap. 86. (3) Epist. 205 (4) I Cor. 15, 44.

B. *De subtilitate.*

§ 830. 1. Subtilitatem corporum gloriose resurgentium innuit Apostolus dicens: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* (4). Quae verba egregie exponit *S. Augustinus* l. 13 de Civ. Dei, c. 20 scribens: « Sicut spiritus carni serviens non incongrue carnalis, ita caro spiritui serviens recte appellabitur spiritalis, non quia in spiritum convertetur, — sed quia spiritui summa et mirabili obtemperandi facilitate subdetur, — om

ni molestiae sensu, omni corruptibilitate et tarditate detracta. » Audiatur etiam *S. Gregorius M.*, qui hanc gloriosi corporis dotem diligenter examinandi magnam habuit occasionem propter controversiam ipsi cum *Eutychio* enatam: ait autem (1): « In illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae: unde Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis palpanda ossa carnemque praebuit, dicens: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (2).» Corporis gloriosi subtilitatem ita explicat *S. Thomas* (3): « Anima Deo fruens ipsi perfectissime adhaerebit, et eius bonitatem participabit in summo secundum modum suum. Sic igitur et corpus perfecte subdetur animae, et eius proprietates participabit, quantum possibile est in perspicuitate sensuum, in ordinatione corporei appetitus, et in omnimoda perfectione naturae; tanto enim aliquid perfectius est in natura, quanto eius materia perfectius subditur formae: et propter hoc dicit Apostolus: *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale.* Spirituale quidem corpus resurgentis erit, non quia sit spiritus, ut quidam male intellexerunt, sive per spiritum intelligatur spiritualis substantia, sive aër, aut ventus, sed quia erit omnino subiectum spiritui; sicut et nunc dicitur corpus animale, non quia sit animal, sed quia animalibus passionibus subiacet, et alimonia indiget. »

2. Subtilitas ergo non excludit materialem substantiam, sed indigentias animales, et omnia, quae cum istis coniunguntur. Corpus enim gloriosum cibo, potu, somno etc. non egebit, quibus vita animalis sustentatur; ac ideo spiritui plurimum simile erit. Hinc *S. Augustinus* (4) dicit: « Corpora iustorum, quae in resurrectione futura sunt, neque ullo ligno (id est, non arbore vitae, ut protoparentes) indigebunt, quo fiat, ut nullo morbo, vel senectute inveterata moriantur; neque ullis aliis corporalibus alimentis, quibus esuriendi vel sitiendi qualiscunque molestia devitetur, quoniam certo et omnimodo inviolabili munere immortalitatis induentur. » Neque obstat exemplum Christi, qui ad veritatem suae resurrectionis confirmandam petiit a discipulis, an haberent aliquid ad manducandum: *At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis* (5). Hanc enim difficultatem solvit *S. Augustinus* observans, quod in resurrectione non possibilitas, sed necessitas vescendi tollatur: admittit nempe, quod corpora gloriosa, si velint, comedere possint, sicut angeli hominibus apparentes vere manducaverunt (6), ac demum concludit: « Sed si forte de angelis aliud credibilius disputari potest, certe fides christiana de ipso Salvatore non dubitat, quod etiam post resurrectionem, iam quidem in spiritali carne, sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit. Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur. Unde et spiritualia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent. »

3. Declaratam dotem quidam theologi etiam ita intelligunt, quod corpus gloriosum tantae futurum sit exilitatis, ut facile omnia penetrare et

(1) Lib. 16 Mor., c. 29. (2) Luc. 24.
(3) Lib. 4, c. Gent., cap. 86.
(4) Lib. 13 de Civ. Dei, cap. 22.
(5) Luc. 24, 41, etc. (6) Gen. 18; Tob. 12.

pervadere possit. Ita *Cl. Suarez* (1) ait: « Per subtilitatem corporis intelligimus vim se movendi, et quocunque ingrediendi vel egrediendi absque alterius corporis impedimento, sicut Christus egressus est clauso sepulcro, et ingressus ad discipulos ianuis clausis: » pro qua sententia citatur *S. Chrysostomus*, *Theophylactus* et. *S. Io. Damascenus*, qui lib. 4 de fide, c. 28, expresse exponit corpus *spirituale*, « hoc est subtile; hoc enim significat spirituale, quale post resurrectionem corpus Domini erat, cum per ianuas clausas transivit. » Advertit tamen *S. Thomas* in Supplem. (2), quod « subtilitas a corpore glorioso dimensionem non aufert... et ideo corpus gloriosum non habebit ratione suae subtilitatis, quod possit esse simul cum alio corpore: sed poterit simul cum alio corpore esse ex operatione divinae virtutis. Sicut enim corpus Petri non habuit ex aliqua proprietate sibi indita, quod ad umbram eius sanarentur infirmi, sed hoc fiebat virtute divina ad aedificationem fidei: ita faciet virtus divina, ut corpus gloriosum possit simul cum alio corpore esse ad perfectionem gloriae. » Atque hac ratione (3) explicat S. Doctor una cum *S. Gregorio M.* (4) quomodo corpus Iesu Christi intraverit in coenaculum ianuis clausis, ut dicitur Io. XX, scilicet hoc factum fuisse, *non per dotem subtilitatis, sed virtute divinitatis.*

4. Certum est, per dotem subtilitatis a corpore omnia removenda esse, quae animam aggravare, et in suis functionibus impedire possent, et corpus gloriosum animae perfecte subditum esse. Unde *S. Augustinus* in Enchir. (5) scribit: « Tanta erit tunc concordia carnis et spiritus, vivificante spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, sic nec intus nos ipsos patiamur inimicos. » Rationem reddit l. 12 Gen. ad litt. c. 35 dicens: « Si tale sit corpus, cuius sit difficilis et gravis administratio, avertetur mens ab illa visione summi coeli, et ideo oportet, ut corpus fiat spirituale, ut anima angelis coaequata perfectum habeat naturae suae modum, obediens et imperans tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriae, quod sarcinae fuit » (6).

(1) In 3 P. S. Thomae disp. 48, Sect. 1.
(2) Q. 83, art. 2.
(3) Ibidem ad 1.

C. *De Agilitate.*

§ 831. 1. Agilitas in eo consistit, quod per eam corpus perfectissime subiectum erit animae, non quidem ut formae, quae dat esse corpori, sed ut mobile principio motivo. Per eam quippe fiet, ut corpus sit ubicunque anima voluerit esse, non quidem sine motu successivo, nec ita, ut simul faciat esse corpus in diversis locis, sed ut summa celeritate, ac velut imperceptibili tempore moveatur corpus, idque ad imperium et nutum animae, quocumque illa volet, secundum omnem positionis differentiam. Neque enim difficilius sursum quam deorsum, aut in dextrum quam sinistrum, vel contra movebitur, neque omnino labor ullus aut lassitudo in motu interveniet, sed pari, id est, summa facilitate in quamlibet partem movebitur, prout animae placuerit, cui nihil placere poterit, quod non sit honestum ac decens.

2. S. Scripturae hanc agilitatis dotem aperte tradunt, et promittunt. Isa. XL, 31 dicitur de Sanctis: *Mutabunt fortitudinem, assument pennas*

(4) Hom. 26 in Evang. (5) C. 91.
(6) Cf. S. Thom. 1 2, q. 4, art. 6.

sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient; Sap. III, 7: *Fulgebunt iusti, et tanquam scintillae in arundineto discurrent*; Luc. XX, 36: *Filii resurrectionis - aequales Angelis sunt*, nempe quantum natura corporis permittit. Quod idem Paulus Epist. ad Cor. indigitat de corpore dicens: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute* (1): quae verba communiter a theologis de dote agilitatis intelliguntur. Exemplum autem huius dotis praemonstratum fuit in Christi corpore, quod post resurrectionem celerrimo motu saepe discipulis se praesens exhibuit, ac rursum eorum aspectibus subtraxit, adeo ut quinque eius diversae apparitiones factae legantur ipso die resurrectionis. Maxime vero tunc ea usus est Christus, quando e terra ascendit in coelum, imo *supra omnes coelos* (2), *excelsior coelis factus* (3). Quae quidem Christi ascensio non nuda assumptio fuit, sed proprie dicta ascensio, utpote propria animae eius virtute facta, non autem per miraculum, neque per ministerium Angelorum quasi naturae infirmitatem adiuvantium (§ 384).

3. Ss. Patres quoque eandem agilitatis dotem corporibus gloriosis adiudicant. S. *Augustinus* (4), de statu beatorum post resurrectionem, ait: « Deus imperabit animo, animus corpori, tantaque ibi obediendi erit suavitas et facilitas, quanta vivendi regnandique felicitas. » Et ibid. (5) inquit: « Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen et motus et status, sicut ipsa species, decens erit, quicumque erit, ubi, quod non decebit, non erit. Certe ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus quod nec spiritum possit decere, nec corpus. » S. *Thomas* (6) dicit: « Corpus gloriosum erit omnino subiectum animae glorificatae, non solum, ut nihil in eo sit, quod resistat voluntati spiritus (quia hoc fuit etiam in corpore Adae): sed etiam ut sit in eo aliqua perfectio, effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile reddatur ad praedictam subiectionem: quae quidem perfectio dos glorificati corporis dicitur. Anima autem coniungitur corpori, non solum ut forma, sed etiam ut motor, et utroque modo oportet, quod corpus gloriosum animae glorificatae sit summe subiectum. Unde sicut per dotem subtilitatis subiicitur ei totaliter, in quantum est forma corporis dans esse specificum, ita per dotem agilitatis subiicitur ei, in quantum est motor, ut scilicet sit expeditum, et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animae. »

4. Quaerunt quidam, ad quid agilitatis dos inserviat, cum Beati motu opus non habeant, cum omnia, quae desiderant, in fruitione Dei possideant? — Respondet S. *Thomas* (7): « Quod corpora gloriosa aliquando moveri, necessarium est ponere: quia et ipsum corpus Christi motum est in ascensione, et similiter corpora Sanctorum, quae de terra resurgent, ad coelum empyreum ascendent. Sed etiam postquam coelos conscenderint, verisimile est, quod aliquando movebuntur pro suae libito voluntatis, illud, quod habent in virtute, actu exercentes, ut divinam sapientiam commendabilem ostendant, et ut etiam visus eorum reficiatur pulcritu-

(1) I Cor. 15, 43. (2) Ephes. 4, 10.
(3) Hebr. 7, 26.
(4) Lib. 19 de Civ. Dei, cap. 27.
(5) Lib. 22, cap. 30, n. 1.
(6) In Suppl. q. 84, art. 1.
(7) Ibid., art. 2.

dine creaturarum diversarum, in quibus Dei sapientia eminenter relucebit... Nec tamen per motum aliquid deperibit eorum beatitudini, quae consistit in visione Dei, quem ubique praesentem habebunt; sicut et de Angelis dicit *Gregorius*, quod intra Deum currunt, quocunque mittantur. » Observat demum *Estius* (1), quod licet corpora gloriosa velocissime de loco in locum moveantur, haec tamen corporum ad nutum animae translatio, sicut non fiet sine motu successivo, ita nec sine transitu per medium, quia fieri nequit, ut corpus e loco in locum nisi transeundo per medium moveatur.

D. *De claritate.*

§ 832. 1. Claritas, quae postrema dos est corporis glorificati, ex eo proveniet, quod gloria animae sic redundabit in corpus, ut quod animae spiritualiter competit, in corpore corporaliter appareat. Nam tale quiddam, licet imperfecte, contingit nobis etiam in vita. Hominis enim laeti ac bene conscii vultus serenus et quodammodo lucidus est; atque omnino secundum affectus animi facies corporis mutari solet. Erit igitur in corporibus Sanctorum splendor quidam oculis conspicuus, qui index erit gloriae spiritualis existentis in anima. Vi huius dotis corpora Beatorum talem acquirunt gloriam et venustatem, ut omnis pulcritudo terrena coram illa evanescat.

2. Hanc corporum Beatorum dotem manifeste innuunt Ss. Litterae, ut Sap. III, 7, ubi retributionis seu resurrectionis tempore *iusti fulgere* dicuntur. Christus quoque, Matth. XIII, 43, postquam dixit eos, qui faciunt iniquitates, esse mittendos in caminum ignis, ita subdit: *Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* Paulus ad Philip. formandum esse dicit corpus nostrum a Christo *configuratum corpori claritatis suae* (2). Et I ad Cor. de corpore inquit: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria* (3); ex quibus verbis infert *S. Thomas* (4) quod « Sancti in resurrectione habebunt corpora gloriosa. » Praecessit huius claritatis exemplum in Christo, quando cum tribus discipulis fuit in monte Thabor. Legitur enim Matth. XVII, 2: *Transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix:* et Luc. IX, 29 dicitur: *Vestitus eius albus et refulgens:* in qua transfiguratione Christus discipulis suis in corpore suo mortali radios quosdam illius claritatis monstravit, quam in resurrectione et ipse recepturus erat, et iusti omnes consecuturi sunt. Praecessit etiam quoddam exemplum in Moyse, cuius facies ex colloquio divino ita resplenduit et radiavit, ut in eam intendere non possent filii Israël (5). Unde non est dubitandum, quin tale quid multo magis futurum sit in corporibus Sanctorum ex perpetua et completa visione Dei.

3. Ss. Patres dotem claritatis in resurrectione corporibus iustorum adscribunt. S. *Cyrillus Hier.* (6) inquit: « Iusti (in resurrectione) splendebunt ut sol et tanquam luna, et sicut splendor firmamenti: et praevidens istam hominum incredulitatem, Deus vermibus parvulis lucidum dedit corpus, ut eo splenderent, ut ex apparentibus crederetur id, quod exspectamus. Qui enim partem potuit praestare, poterit et totum; et qui

(1) L. c. § 15.
(2) Phil. 3, 21. (3) I Cor. 15, 43.
(4) 3 p., q. 54, art. 3.
(5) II Cor. 3, 7. (6) Cat. 18.

fecit, ut vermis lumine splenderet, multo magis id perficiet in homine iusto. » *S. Augustinus* l. 22 de Civ. Dei, c. 19, n. 2, cum dixisset, in resurrectione omnem deformitatem a corporibus iustorum removendam esse, mox subiungit: « Coloris porro suavitas quanta erit, ubi iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui? Quae claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est; non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset agnosci. » A claritate ergo Christi exemplaris concludit ad claritatem iustorum resurrecturorum. Hanc autem ineffabilem fore dicit ibid. c. 21: « Quae sit autem, et quam magna spiritalis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor, ne temerarium sit omne, quod de illa profertur eloquium. » *S. Petrus Chrysologus* Serm. 82 de Christi resurr. et 4ª manifest. docet, iuvenem in monumento sedentem, *coopertum stola candida*, praefigurasse claritatem iustorum in resurrectione, et dicit: « Stola ista non ex mortali vellere, sed ex virtute vitali; splendens coelesti lumine, non colore terreno, et clara Creatoris munere, non arte fullonis, dicente Propheta: *Amictus lumine sicut vestimento* (1); et de iustis: *Fulgebunt sicut sol*. Terreni terrenis velati sunt vestimentis, et ideo sicut novitate splendent, ita vetustate sordescunt: coelestes vero amictu coelestis luminis ambiuntur, et a terreno squallore suspensi, nec foedantur vetustate unquam, nec ullis sordibus obscurantur: sed vestes, quas semel dederit resurrectio, perpetuo lumine vestiuntur. » *S. Gregorius M.* (2), in verba Apoc.: *Ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo* (3), haec habet: « Quia Sancti omnes in ea summa beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, et cum uniuscuiusque vultus attenditur, simul et conscientia penetratur; hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. » Observat autem *Cl. Estius* lib. c. in *S. Gregorii* verba, quod transparentia « rectius ad animam refertur, ut significetur, Beatis suas invicem cogitationes perspicuas esse. Nam corporis transparentia neque cum splendore convenit, qui requirit opacitatem, ut in sole et stellis, neque satis congruit naturae humani corporis, neque ad felicitatem status futuri saeculi quidquam conferre videtur. »

4. Sicut visio essentiae Dei non erit in omnibus aequalis (§ 785), ita inaequalis erit corporum beatorum claritas. Quod apertis verbis docet Apostolus dicens: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum* (4). In quae verba *S. Augustinus* (5) ait: « Videtis, quia promissa est Sanctorum corporibus claritas, et diversa species claritatis, quia diversa sunt merita caritatis. » Quod idem innuit *S. Thomas* (6) scribens: « Sicut anima divina visione fruens quadam spirituali claritate replebitur; ita per quamdam redundantiam ex anima in corpus, ipsum corpus suo modo claritatis gloria induetur. »

5. Si tanta est futura corporum Beatorum claritas, ut fulgeant sicut sol, quaeri potest, quomodo eam sustine-

(1) Ps. 103, 2.
(2) Lib. 18 Mor., c. 17. (3) C. 21, v. 18.
(4) I Cor. 15, 41, etc. (5) Serm. 241, n. 8.
(6) Lib. 4, c. Gentes, cap. 86.

re possint oculi intuentium? Sed facilis est responsio, scilicet, in resurrectione oculorum aciem futuram esse perfectiorem, et talem, ut splendorem Sanctorum, atque etiam ipsius Christi, cuius corpus omnia alia in splendore lucis longe superabit, cum maxima voluptate contemplari possint. Sequitur id iam ex prima dote corporis gloriosi (§ 829); nam si totum corpus impassibile est, certe etiam oculi nullo modo in Beatis offendi possunt.

Nota. Corpora damnatorum resurgentia habebunt quidem quidquid est de essentia humani corporis; alias in ipsis vera non esset resurrectio; sed corporum gloriosorum dotibus penitus carebunt. Non erunt igitur impassibilia, sed ita comparata, ut acerbissimos dolores in perpetuum sustinere possint. Unde S. *Augustinus* (1) ad Consent. scribit: « Iusti immutabuntur in illam incorruptelam, cui nulla possit nocere corruptio: qui autem in eam non commutabuntur, incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore poenarum. » Corpora damnatorum non erunt subtilia et agilia in sensu declarato, sed manebunt gravia, in perpetua cum anima conflictatione, et nequaquam pro libito se movere poterunt, *vinculis aeternis sub caligine* detenta (2). Praecipue vero corpora reproborum, deficiente claritate, lurida et horrida erunt, qualia habere meruerunt reae ac reprobae eorum animae corpora sua mortalia contaminando, et per illa thesaurizando sibi iram. Si autem quaeritur utrum reprobi cum suorum corporum vitiis ac deformitatibus resurgere debeant, quas viventes in terra habuerunt, S. *Bonaventura* affirmat, S. *Thomas* negat, et S. *Augustinus* in Enchir. cap. 92 respondet: « In requirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulcritudo, quorum erit certa et aeterna damnatio. Ne moveat quomodo in eis corpus erit incorruptibile, si dolere poterit; aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur; et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Haec in Ss. Scripturis *mors secunda* dicitur. Corpora itaque reproborum solam habebunt *immortalitatem* cum electorum corporibus communem, sed ad perpetuum cruciatum. »

(1) Epist. 146. (2) Iud. v. 6.

IV. *Quaestiones theologicae de carnis resurrectione.*

§ 833. Praeter veritates catholicas de carnis resurrectione pertractatas aliae quaestiones a theologis moventur circa *causam*, *modum*, *tempus* etc. resurrectionis, de quibus breviter quaedam dicenda sunt, ne theologus hac in re turpi ignorantia laboret.

1. Duplex in genere consideranda est resurrectionis mortuorum *causa: finalis* et *efficiens*. Finalis est proxime perfecta meritorum retributio, et remote gloria Dei et Christi, ad quam omnia ultimato collimant. Efficiens autem causa rursum hic multiplex consideranda venit, nempe *principaliter agens*, *meritoria*, *exemplaris* et *instrumentalis*. Causa principaliter efficiens resurrectionem Deus est, cuius proprium est opus, animas cum corporibus coniungere, et haec, etiam postquam corrupta, imo et in cineres redacta fuerint, iterum vivifi-

care. Christus quoque, qua ratione Deus est, resurrectionem mortuorum propria virtute operabitur, qua et suam ipsius resurrectionem operatus est. Ideo legitur: *Quaecunque ille (Pater) fecerit, haec et Filius similiter facit. — Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat* (1). Iure merito igitur Christus dicere potuit: *Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet* (2). Christus porro tamquam Redemptor et Mediator noster per passionem suam et mortem membris suis meruit gloriam resurrectionis et immortalitatis. Hinc Paulus dicit: *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (3). Ex quibus verbis nonnulli inferunt, quod Christus sit, sicut efficiens, ita et meritoria causa resurrectionis non solum electorum, sed et reproborum; hoc autem plerique negant, quia Paulus, ut ex contextu patet, solum de electis loquitur, qui in Christo sunt, seu cum Christo per gratiam uniti, et quia certum est, reprobos in altera vita de meritis Christi non participari (4). Christum etiam causam esse exemplarem resurgentium iustorum, iam § 828 probatum est. Non ita autem est causa exemplaris resurgentium reproborum, qui de gloria eiusdem non participant. — Ait tamen *S. Thomas* (5): « Resurrectio omnium hominum habet aliquid de similitudine resurrectionis Christi, quod scilicet pertinet ad vitam naturae, secundum quam omnes fuerunt Christo conformes; et ideo omnes resurgent in vitam immortalem: sed in Sanctis, qui fuerunt Christo conformes per gratiam, erit conformitas quantum ad ea, quae sunt gloriae. »

2. Instrumentalis causa resurrectionis omnium mortuorum erit vox Christi: nam Io. V, 28 etc. legitur: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent* etc. quae vox etiam dicitur *Vox magna* (6); *Clamor media nocte factus* (7); *tuba* (8); *tuba novissima* (9); *tuba Dei, et vox archangeli* (10). Quibus omnibus significatur signum aliquod evidens et manifestum adventus Christi ad iudicium, per quod velut instrumentum quoddam divinae virtutis sint excitandi mortui, et ad iudicium vocandi, ut docet *S. Augustinus* (11), et *S. Thomas* (12) dicens: « Vox ista erit sensibile signum Filii Dei, ad quam omnes suscitabuntur. » « Hoc autem signum, ait *Estius* (13), quod, et quale sit futurum, melius ignoratur, quam curiose inquiritur; nisi quod non dubitatur, quin erit sonus ingens et horribilis, qui quaquaversum diffundetur ad excitandos mortuos, quique ad eum effectum ita valebit instrumentaliter, sicut voces illae: *Lazare, veni foras!* et: *Adolescens, tibi dico, surge!* et similes instrumentaliter valuerunt ad mortuos suscitandos. »

3. Assignari etiam solet altera resurrectionis causa instrumentalis, seu ministerialis, quam angeli constituunt. Talis est enim ordo, quem Deus servat in agendo, ut inferiora per superiora conferantur, si causae secundariae praesto sunt; quamobrem etiam in mortuorum resuscitatione ministerio angelorum utetur; unde

(1) Io. 5, 19, etc. (2) Io. 11, 25.
(3) I Cor. 15, 21.
(4) Cf. Estium in 4 dist. 43, § 11.
(5) In Suppl. q. 76, art. 1 ad 4.
(6) Matth. 24, 31. (7) Matth. 25, 6.
(8) Apoc. 10, 7. (9) I Cor. 15, 52.
(10) I Thess. 4, 15.
(11) In Epist. 140, al. 120.
(12) Comment. in Ioan. cap. 5, lect. 5.
(13) L. c. § 10.

legitur: *Mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos eius a quatuor ventis* (1). Ast in mortuorum resuscitatione tria sunt consideranda, nempe congregatio cinerum, dispositio, seu coordinatio partium in corpus humanum et animae infusio. Admittunt multi, quod congregatio elementorum, unde corpora conflentur, per ministerium angelorum praestanda sit ex iussu Christi. Ita sentiunt *S. Chrysostomus* (2) in Epistola I ad Thessalonicenses, *S. Augustinus* (3), *S. Gregorius M.* (4), *S. Thomas* in Suppl. (5). Putant autem id fieri per angelos custodes, qui cuiuslibet corporis membra et cineres internoscent, opitulante eis divina virtute, ubicunque illorum acumen impar se habet. Verum theologi consentiunt, non per ministerium angelicum, sed per solam omnipotentiam divinam partes corporum coadunari, et cum anima coniungi. Virtus enim angelorum tantopere non extenditur; siquidem organorum structura vel est creatio, vel actio creationi proxima, longe lateque creaturarum virtutem antecellens. Hinc sequitur, solum Deum et Christum resurrectionis esse auctores quoad corporis dispositionem, substantialem animae unionem, et proprietates omnes ac perfectiones inde consequentes, ut docet *S. Thomas* l. c.

4. Quidam opinati sunt, omnes homines in sexu virili resurrecturos esse, tum quia omnes *in virum perfectum* (6) occurrere dicimur, tum quia sexuum diversitas indecenti pudore felicem illum statum dehonestaret, in quo vestium usus non erit. At si verba Apostoli de resurrectione intelligenda essent, per ea tantum significaretur, omnes electos ad aetatem virilem, seu iuvenilem reducendos esse: et si protoparentes innocentes *nudi erant, et non erubescebant*, id multo magis de statu futurae felicitatis sentiendum est, quando non animale, ut primorum parentum in paradiso, sed spirituale corpus erit, in quo nulla concupiscentia, nulla inordinatio locum habere poterit. Hinc Ss. Patres et theologi consentiunt, omnes homines in suo sexu resurrecturos esse; nam iuxta hactenus probata, omnes resurgent integre secundum omnia sua membra, atque ideo ea quoque membra resurgentibus restituentur, quae sexuum diversitatem faciunt. Scripturam porro si quis requirat, ea proferri potest, quam affert *S. Hieronymus* in Epitaph. Paulae c. 11 ex Matth. XXII, dicente Domino ad Sadducaeos: *In resurrectione mortuorum neque nubent, neque nubentur:* ex quibus verbis concludit S. Doctor: « Ubi dicitur *non nubent, neque nubentur*, sexuum diversitas demonstratur. Nemo enim de lapide et ligno dicit: Non nubent neque nubentur, quae naturam nubendi non habent, sed de iis, qui possint nubere, et gratia Christi ac virtute non nubant. » In eundem locum *S. Augustinus* (7) ait: « Nuptias ergo Dominus futuras negavit esse, non feminas; et ibi negavit, ubi talis quaestio vertebatur, ut eam negato sexu muliebri celeriori facilitate dissolveret, si eum ibi praenosceret non futurum: imo etiam futurum esse, firmavit dicendo: *Non nubent*, quod ad feminas pertinet; *neque uxores ducent*, quod ad viros. » Et ibidem inquit: « Corporibus (in resurrectione) vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium sexus femineus,

(1) Matth. 24, 31. (2) Hom. 8.
(3) Lib. 3 de Trin. c. 4.
(4) Lib. 4, Dial., c. 5. (5) Q. 76, art. 3.
(6) Ephes. 4, 13.
(7) Lib. 22 de Civ. Dei, cap. 17.

sed natura, quae tunc quidem et a concubitu et a partu immunis erit: erunt tamen membra feminea, non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quae nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui et, quod non erat, fecit, et liberavit a corruptione quod fecit. » Hoc idem unanimi consensu affirmant theologi cum *S. Thoma* (1).

5. Si quaeritur, an *fetus abortivi* in utero extincti, vel praemature effusi, per resurrectionem ad vitam revocandi sint? Respondendum est affirmative, si animati fuerunt; secus vero negative. Dubitandum enim non est, quin omne illud, quod anima rationali aliquando informatum fuit, sit ad vitam revocandum, quia quodlibet licet imperfectum, et exiguum corpusculum, si animam rationalem habet aut habuit, verus homo est aut fuit, cum anima rationalis solius sit hominis: atqui hominem aliquem, qui mortuus fuerit, a resurrectione excludi fides catholica non patitur. Non minus efficax probatio sumitur ex parte ipsius animae. Nulla enim rationalis anima peritura est aliquando sic, ut in nihilum redigatur. Illud quoque certum est, nullam animam perpetuo futuram sine corpore. Consequens igitur est, ut corpus suum resurgendo recipiat, sed in eam membrorum speciem et proportionem restitutum, qualem status eius, et conditio requiret. Si autem in fetu, quando extinctus est, anima rationalis non fuit, nec resurrectionis consortium habebit. Nam etsi demus, in eiusmodi fetu vitam aliquam fuisse, qua vel vegetaretur, vel etiam sentiret, non tamen resurget, quia vitam non habuit humanam, id est, homini propriam, quae non est nisi per animam rationalem. Plura hac de re disserit *S. Augustinus* l. 22 de Civ. Dei (2), et in Enchir. (3). Ad *monstra* vero quod attinet, id est, eos fetus, qui ab humana natura sunt aliquantulum diversi, attendenda est illorum figura: si praevalet humana, homines erunt; si brutalis, ad ferarum speciem erunt amandanda. Si analogia in iis dispiciatur, ad examen revocandum est praesertim caput, utpote sedes rationis et sensuum. Hoc enim si humanum est, aut humano propius, pro homine recensebitur; consequenter cum baptizari debeat, etiam resurrecturum fore cum humanis membris rite ordinatis, certo certius credere debemus. *De homine bicorporeo* recte docet *S. Augustinus* (4) non unum hominem duplicem, sed duos seiunctos resurrecturos esse; quod tamen intellige, si vere duplex fuerit secundum partes principales, maxime secundum caput et cor. Id enim argumento est, duas animas esse, quae proinde singulae singula recipient corpora. Nam si tantum manus aut brachia aut pedes fuerint duplices, argumentum est, unum fuisse hominem, et unam animam: quare et corpus unum ei in resurrectione restituetur.

6. Quaeri etiam solet *de intestinis et humoribus*, num et ea sint in corporibus resurgentium futura? « Sed de utrisque, ait *Estius* (5) respondendum est affirmative. Nam intestina verae sunt partes humani corporis, et de iis expressum habemus testimonium Raziae senioris (6), qui intestina proiiciens Dominum precatus est, ut ea in resurrectione sibi redderet. Nec quidem vacua restituentur, sed, ut aiunt *S. Bonaventu-*

(1) In Suppl. q. 81, art. 3.
(2) C. 13. (3) Cap. 85-87.
(4) In Enchir. cap. 87.
(5) In 4 Dist. 44, § 6. (6) II Machab. 14.

ra et alii, plena nobilibus ac subtilibus atque illum statum decentibus spiritibus, seu humiditatibus. Quod de electis intellige; nam reproborum viscera materia sordida, quae ipsis congruit, replebuntur. Humores quoque, qui quatuor numerantur, sanguis, atra, et flava bilis, et phlegma, quoniam ad vitae huius mortalis necessitatem et integritatem pertinuerunt, licet non proprie sint partes, restituentur resurgentibus; electis quidem in ea mensura, quae ad optimam corporum constitutionem pertineat; reprobis autem prout iusto iudici Deo videbitur, et meritis eorum congruet. » Verum sanguinem corporibus resurgentium restituendum esse, *S. Thomas* (1) probat ex resurrectione Christi dicens: « Resurrectio nostra conformis erit resurrectioni Christi: sed in Christo resurrexit sanguis; alias nunc vinum non transsubstantiaretur in sanguinem eius in sacramento Altaris: ergo et in nobis resurget sanguis, et eadem ratione alii humores » (qui nempe ad perfectionem naturae humanae pertinent.) Admittunt autem theologi, in corporibus resuscitatis illos humores non adfuturos esse, qui omnino superflui sunt, et statum beatorum dedecent. Qua in re attendenda est doctrina S. *Bonaventurae*, qui (2) docet, tripliciter in homine aliquid posse dici superfluum: *primo*, corpori et speciei, ut sudor, urina et faeces; cum enim post resurrectionem prodesse nequeant, non restituentur: *secundo*, corpori, sed non speciei, ut semen, quod cum ad perfectionem corporis non pertineat, congruit tamen perfectioni speciei propter propagationis necessitatem; consequenter utpote superfluum, in resurrectione non restituetur: *tertio*, superfluum esse potest uni parti, non autem alteri, ut materia capillorum et unguium, quae licet superflua sit stomacho, decenter tamen locatur in capite, in mento, in digitis; consequenter ad decentiam corporis remanebit. Etiam S. *Thomas* loc. cit. paulo inferius docet, sudorem, lac, urinam faecesque post resurrectionem in corporibus beatorum non inveniri.

7. De unguibus et capillis ab aliquibus dubitatum est, an resurgentibus conveniant, quia ex superfluitatibus cibi generantur et insuper nullo sunt sensu praediti. Sed bene observat S. *Thomas* (3), « quod sicut ars militaris utitur gladio ad bellum, et vagina ad gladii custodiam et conservationem, ita in partibus corporis animati quaedam ordinantur ad operationes animae exequendas, sicut cor, hepar, manus et pes, quaedam autem ad conservationem aliarum partium, sicut folia sunt ad coopertura fructuum; ita etiam capilli et ungues sunt in homine ad custodiam aliarum partium: unde sunt de secunda perfectione corporis humani, quamvis non de prima. Et quia homo resurget in omni perfectione suae naturae, propter hoc oportet, ut capilli et ungues resurgant in ipso. » Nullatenus ergo superflui dici possunt capilli et ungues, cum ad integritatem et ornatum corporis humani inserviant. Nos tamen admonet *S. Augustinus* (4), non omnes ungues desectos, aut capillos tonsos esse redituros ad corpus, quia tunc deforme corpus exurgeret. Quamobrem etiam acute observat: « Quod ait Dominus: *Capillus capitis vestri non peribit* (5), non de longitudine, sed de numero

(1) In 4, Dist. 44, q. 1, art. 2.
(2) In 4 Dist. 44.
(3) In Suppl. q. 80, art 2.
(4) Lib. 22 de Civ. Dei, cap. 19.
(5) Luc. 21, 18.

capillorum lictum multo aptius posse intelligi. Unde et alibi dicit: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt* » (1).

8. Cum in altera vita generatio locum non habeat, et corpora resuscitata cibo et potu non indigeant, quaerunt nonnulli, ad quid inserviant membra, ad actus nunquam exercendos destinata, et sensus, qui vitae animali praecipue inserviunt, ut gustus, odoratus et tactus, qui omnino superflui futuri esse videntur?— Sed ad haec respondendum est, praefata membra et sensus in altera vita non quidem ad pristinos usus animales destinari, sed tamen in resurrectione restitui saltem ad ornatum universi, et ne quid desit ad perfectionem humanae naturae, qualis est a Deo condita, simul etiam ad declarandam excellentiam ipsius animae, quae vim habet membra tanquam instrumenta movendi ad certas actiones ; denique ut appareat Dei sapientia in opificio admirabili, id est, in toto homine secundum corpus et animam. Non ergo superflua dici possunt membra, per quae finis totalis, id est, gloria Dei promovetur. An autem peculiarem insuper usum habitura sint singula corporis humani membra, uti non asserimus, ita non est temere negandum. Sicut enim nobis artificis alicuius officinam ingressis accidit, ut multorum instrumentorum usum ignoremus, ac ea putemus supervacanea et inutilia, quae tamen omnia suum habent usum artifici cognitum; ita forte nobis accidit quasi per caliginem contemplantibus statum illum beatae resurrectionis, et coelestis habitaculi, id est, corporis immortalis, cuius opifex erit Deus ; in quo opere, quem usum singula sint membra habitura, novit ille, qui *reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae,* licet nos id pro magna parte ignoremus. Recolendum vero est, quod iam § 827 in resp. ad Obi. VIII probavimus, membra et sensus ideo praesertim in resurrectione restitui, ut pro actibus bonis aut malis, vel remunerationem, vel poenam recipiant. Membra et sensus reproborum variis cruciatibus torquebuntur, ut (§ 761) ostensum fuit. Membra autem et sensus electorum in altera vita uberrimis deliciis replebuntur. Ibi enim erit aspectus Sanctorum mutuus, idemque iucundissimus, et imprimis Christi Redemptoris nostri, qui profecto secundum humanam naturam erit summe desiderabilis ad videndum oculis corporeis, qui et signa passionis suae, quibus nostram operatus est salutem, ostendet admirabili luce fulgentia. Ibi laus Dei ex ore omnium proferetur, et auribus omnium audietur, et perpetuum resonabit Alleluia, cantusque angelorum et virginum, quo aures mira suavitate afficientur. Tactus autem tangendo et palpando sua percipiet obiecta, quae, ut varia illic erunt, ita varie, sed tamen iucunde sensum tangendi afficient. Probabile quoque est, odores suavissimos ibi non defuturos, quibus olfactus delectabiliter afficiatur. Gustus quidem, non ut in vita mortali ex sumptione cibi et potus delectationem percipiet, sed tamen etiam iste sensus pro mortificationibus quas exercuit, suam remunerationem recipiet. Et ideo doctores sat communi consensu dicunt, nihil quidem externum assumendum fore ab homine beato, cuius sapore delectetur, sed perpetuum quemdam humorem optimi temperamenti in organo gustus futurum esse, qui melliflua ac nectarea quadam saporis suavitate sensum illum afficiat. — Quo-

(1) Luc. 12, 7.

rum autem membrorum operationes ibi futuras nondum novimus, ibi per experientiam discemus, quando implebitur, quod a Propheta (1) et ab Apostolo (2) repetitum: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (3).

9. Si quaeritur quonam tempore futura sit hominum resurrectio? Certo responderi potest, eam fieri in fine mundi in novissimo die. Nam Iob dixit: *In novissimo die de terra surrecturus sum* (4). Eandem fidem ostendit Martha de Lazaro mortuo, dicens: *Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die* (5). Christus ipse de iusto, qui meretur vitam aeternam dicit: *Ego resuscitabo eum in novissimo die* (6). Et I Cor. XV, 52 legitur: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent* (7). Quando autem futurus sit novissimus dies, Deus nos voluit ignorare (8). Similiter certo nequit determinari, qua hora huius diei resurrectio futura sit; quia Matth. c. XXV, v. 6 legitur: *Media nocte clamor factus est; ecce sponsus venit;* resurrectionem intempestiva nocte futuram esse crediderunt *Lactantius* (9), *S. Ambrosius* (10), *S. Chrysost.* (11), *S. Hieronymus* (12), *S. August.* (13). Alii tamen cum *S. Anselmo*, *S. Thoma* et *S. Bonaventura* putant, resurrectionem universalem futuram esse hora matutina, quo tempore Christus resurrexit. Quae duae sententiae quodammodo conciliari possunt dicendo, quod *media nocte* clamor fiat, seu signa aliqua terribilia incipiant, quibus fiet, ut si qui homines residui fuerint, vel subito vel paulatim morian tur; ipsa autem resurrectio usque ad horam matutinam differatur. Quamvis autem dictum sit, omnes homines simul, eodem tempore et momento resurrecturos esse, hoc tamen non impedit, quin ex speciali privilegio aliquibus sit concessum, ut ante universalem omnium resurrectionem ad vitam gloriosam sint revocati. Id in primis conveniens fuit pro Christo, quia, ut ait *S. Thomas* (14): « Caput habet causalitatem quandam super membra, qua membra carent; et in hoc membra differunt a capite, et conveniunt ad invicem. Unde resurrectio Christi exemplar quoddam nostrae resurrectionis est, ex cuius fide spes nobis de nostra resurrectione consurgit; non autem resurrectio alicuius membri Christi est causa resurrectionis caeterorum membrorum: et ideo Christi resurrectio debuit praecedere resurrectionem aliorum, qui omnes simul resurgere debuerunt in consummatione saeculorum. » Pie etiam et solide creditur B. V. Mariam iam resuscitatam, et in coelum assumptam esse (§ 802). Quidam putarunt, hoc privilegium resurrectionis et assumptionis in coelum fuisse iis sanctis concessum, quorum *corpora* tempore mortis Christi *resurrexerunt*, et qui *exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis* (15). Ita censent *Origenes* (16), et *Eusebius* (17). Sed *S. Augustinus* contrariam defendit sententiam (18), quia in priori sententia vix Christus dici posset *primitiae dormientium*, si alii ante ipsum ad vitam immortalem re-

(1) Is. 64, 4. (2) I Cor. 2, 9.
(3) Cf. Estius l. c. § 14.
(4) C. 19, v. 25. (5) Io. 11, 24.
(6) Io. 6, 40. (7) Cf. Matth. 25, 31.
(8) § 814, n. 2. (9) Lib. 7 instit., c. 19
(10) Lib. 8 in Luc., cap. 17.
(11) Hom. 79 in Matth. (12) In Matth. 25.
(13) Lib. 83 quaest., q. 57.
(14) In Suppl., q. 77, art. 1.
(15) Matth. 27, 53. (16) In Matth. 27.
(17) Lib. 4 Dem. evang., cap. 12.
(18) In Epist. 164 ad Evodium, n. 9.

surrexissent, et quia Paulus de iustis V. T. in genere dicit: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*(1). Hanc sententiam amplexus est *S. Thomas* (2) priori relicta, quia adductae, aliaeque *S. Augustini* rationes ipsi *multo efficaciores* visae sunt. Neque vero timendum est, ne illis iustis maius esset tormentum iterum mori, quam non resurgere; credere enim oportet, eosdem non infirmitate, aut corruptione violenta, sed placida et tranquilla animae a corpore separatione ad pristinum statum rediisse.

V. *De unitate resurrectionis contra Chiliastas.*

§ 834. Iam primis Ecclesiae christianae saeculis extiterunt nonnulli, qui duplicem statuerunt resurrectionem, asserentes, iustos prius resurrecturos, ac annis mille cum Christo regnaturos esse in hac terra, et postea demum reprobos ad vitam resuscitandos esse, ut iudicium extremum subeant: cui errori inhaerentes *Chiliastae*, seu *Millenarii* dicti sunt. Duplex autem istorum classis distinguenda est. *Cerinthus*, Simonis Magi discipulus, teste *Eusebio* (3), docuit, in millenario illo Christi regno iustos omnibus impuris voluptatibus corporis, cibo, potu ac venere fruituros, legisque mosaicae caeremoniis iterum adstringendos esse. Sectatores impudentiae suae, quod impuras corporis voluptates attinet, saeculo secundo habuit Marcionitas; saeculo tertio Episcopum quemdam Aegyptium, nomine Nepotem, ac saeculo quarto Apollinaristas. Error hic, quamprimum innotuit, reiectus est ut haereticus. Alii vero duplicem quidem resurrectionem et regnum Christi millenarium in hac terra admiserunt, sed dixerunt, delicias, quibus beati essent fruituri, vel innoxias et honestas, vel spirituales tantum esse. Horum auctor fuit *Papias*, Hierapolitanus in Asia Episcopus, et *Ioannis*, non Evangelistae, sed Presbyteri cuiusdam auditor, vir admodum mediocris ingenii, ut eum *Eusebius* (4) vocat; at ob antiquitatem suam, et studium traditionum, quas libris quinque collegit, primis Ecclesiae Patribus in veneratione positus. Hunc ex praecipitantia secuti sunt *S. Iustinus M.*, *S. Irenaeus*, *Tertullianus*, *Lactantius*, et *Sulpitius Severus*. Ipse *S. Augustinus* (5) fatetur, se aliquandiu in eodem errore fuisse. Ast non solum Cerinthi, sed etiam Papiae sententia de regno Christi millenario penitus est reiicienda, quia utraque tum *S. Scripturae*, tum *Traditioni* adversatur.

1. Error Cerinthi apertissime refellitur per verba Christi, Luc. XX, 35: *Illi, qui digni habebuntur saeculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque uxores ducent, — sed erunt sicut angeli Dei in coelo*, ut additur Matth. XXII, 30; quibus verbis voluptates venereae a beatis resuscitatis penitus excluduntur. Rom. XIV, 17 legitur: *Non est regnum Dei esca et potus:* errant ergo, qui beatitudinem iustorum cum Christo regnantium in exquisito cibo et potu, et in epulis carnalibus constituunt. Chiliastae praeterea, etiam illi, qui Papiae sententiam sequuntur, regnum Christi per mille annos duraturum esse dicunt: verum angelus Luc. I, 33 de regno Christi praedixit: *Regni eius non erit finis.* Et Paulus ait: *Mor-*

(1) Hebr. 11, 39, etc. (2) 3 p. q. 53, art. 3.
(3) Lib. 3 Hist. eccl., c. 22.
(4) Lib. 3 Hist. eccl., c. 33.
(5) Lib. 20 de Civ. Dei, cap. 7.

tui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus (1): quibus verbis non millenarium, sed sempiternum regnum promittitur. Huc faciunt etiam iam saepius adducta verba: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* (2), quibus verbis non docetur substantiam materialem transire in spiritualem, sed innuitur, corpus resurgens ab ignobilibus vitae animalis indigentiis, et functionibus liberari, et naturae spirituali in his quodammodo assimilari. Sed iuxta Chiliastas resurgere deberet *corpus animale*, quod gulae et concupiscentiae satiandae inserviret. S. Scriptura demum docet, post resurrectionem statim iudicium fore, in quo sententia fertur in iustos et reprobos, qua prolata *ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam* (3). Ergo, sicut impii absque ulla temporis intercapedine detrudentur ad tartara, ita iusti absque interiecto temporis spatio statim coelesti gloria donabuntur. Accedit, quod adversarii nullo S. Scripturae testimonio sententiam suam probare possint. In Apoc. XX, 4 quidem dicitur de fidelibus: *Vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis;* sed per mille annos intelligendum est totum Ecclesiae militantis tempus a saeculo IV, quo Imperatorum romanorum persecutiones contra christianos cessarunt, usque ad finem mundi, quo temporis intervallo Christus in terris in sua Ecclesia regnare merito dicitur, et quidem ligato diabolo, circa finem mundi modico tempore iterum solvendo, id est, ita iterum contra Ecclesiam pugnaturo, ut illam eversurus videatur. Per primam autem in textu Ioannis resurrectionem, quacum hoc regnum incipiat, intelligendus est transitus iustorum hominum ex hac vita in regnum coeleste (4).

2. Errorem Chiliastarum gravissimi, doctissimique Patres aut diserte confutarunt, aut tanquam gnosticorum fabellam deriserunt; imprimis *Caius* Roman. Eccl. Presbyter, et *S. Dionysius Alexand.* apud Euseb. (5), *Origenes* (6), *Eusebius* (7), *S. Ephraem* (8), *S. Basilius* (9), *S. Gregorius Naz.* (10), *S. Epiphanius* (11), *Philastrius* (12), *S. Hieronymus* (13), *S. Augustinus* (14). Error Papiae toleratus fuit aliquandiu in Ecclesia tum ob auctoritatem patronorum, tum quia ratione hac magis recedebatur ab errore haereticorum, qui negabant, resurrectionem fieri cum membris humanis; unde etiam caute sibi incedendum fuisse scribit *S. Hieronymus* (15). — Ubi vero Apollinaris inter caeteros errores pertinacius hunc errorem defendebat, cum aliis eius erroribus hic quoque damnatus est saeculo IV a *Damaso* Papa, consentiente tota Ecclesia in *Concilio II oecumenico CPtano I* (16) habito, quod ad hunc errorem magis damnandum *Symbolo Nicaeno* haec verba addidit: *Cuius* (Christi) *regni non erit finis.* Idem dogma Chiliastarum damnarunt *S. Gelasius P.* et *Concilium Constantinopolitanum II*, dum evulgato libro, cui titulus erat: *Aeternum Evangelium*, incerto auctore, nonnulli sae-

(1) I Thess. 4, 15. (2) I Cor. 15, 44.
(3) Matth. c. 25, v. 46.
(4) Cf. S. August. lib. 20 de Civ. Dei, cap. et seq.
(5) Hist. eccl. lib. 2, c. 25, et lib. 3, c. 28.
(6) Lib. 2 de princip., cap. ult.
(7) L. 3 Hist. eccl., c. 33. (8) Opusc. 3.
(9) Epist. 263. (10) Orat. 52.
(11) Haer. 77. (12) Haer. 59.
(13) Comment. in Isa. 66, 23, et lib. 3 in Matth. 19. (14) L. c., et Haer. 8.
(15) Praef. in 50, 18 in Isa. (16) An. 381.

culum aliquod Spiritus sancti propugnabant, quod conveniebat cum regno millenario.

Nota. Quamvis Patres aliqui errori Chiliastarum, a *Papia* tradito, inhaeserint, plures tamen, ut vidimus, hunc errorem reiecerunt. Quod ipse *S. Iustinus* in dial. cum Tryphone fatetur dicens: « Confessus sum tibi et antea, me quidem, et alios eadem mecum sentientes arbitrari, id (regnum millenarium) futurum, multosque etiam, qui purae piaeque Christianorum sunt sententiae, hoc non agnoscere. » Ergo cum pars maior Patrum, plurimique fideles, praecipue vero romana Ecclesia millenarium Christi regnum non admiserint, nequit ea opinio inter apostolicas traditiones referri. Neque tamen *Ss. Papias*, *Iustinus*, *Irenaeus* etc., inter haereticos numerandi sunt, quia tunc temporis, cum mens totius Ecclesiae nondum declarata fuerat, inculpabiliter aberrarunt.

Usus doctrinae de carnis resurrectione.

§ 835. 1. Doctrina de carnis resurrectione, sicut attributa divina manifestat (1), et nos ad adorandum et laudandum Deum excitat, ita etiam magnam humanae naturae dignitatem ostendit, cum non solum anima immortalis sit, sed etiam corpus, quamquam per tempus in pulverem resolvatur, tamen ad aeternam vitam resuscitetur. Consideratio huius dignitatis efficere debet, *ut sciat unusquisque - vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quae ignorant Deum.* Tam excelsa autem hominis dignitas per solam revelationem cognoscitur. Intensa igitur gratiarum actio Deo reddenda est, quod mysterium istud sapientibus mundi absconderit et revelaverit parvulis. Evolvantur Ethnicorum libri; ubinam resurrectionis agnitio occurrit? Innumeri fuerunt viri humana prudentia clari et eloquentes, doctrinaque conspicui; sed caeci omnino in hac tam certa veritate, in errores absurdissimos sunt prolapsi. Quot enim immortalitatem vitae ignorantes totum hominem irreparabiliter in morte destrui opinati sunt? quot alii metempsycosin adoptarunt, seu revolutionem animarum de corpore in corpus asseruerunt, ignorata plane resurrectionis veritate? Multae extiterunt gentes, quibus futurus corporum status ignotus fuit. Sola revelatio divina nos a turpi ignorantia liberavit, Philosophorum absurditates dissipavit, et miram humanae naturae dignitatem vindicavit. Quantopere ergo lugendi sunt, qui revelatione contempta Philosophorum titubantia placita sequuntur, tenebras magis, quam lucem diligentes!!

2. Resurrectionis certitudo dolorem lenire, imo et tollere debet in morte propinquorum et amicorum nostrorum, dum fides eorum corpora vita iterum donata, immortalitate praedita in fine mundi repromittit, et quidem gloriosis dotibus desuper expositis induta, si pie vixerint et in caritate divina obierint. Hinc Apostolus scribit: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et caeteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo* (2). Hinc *S. Cyprianus* lib. de mortalitate praeclare docet: « Fratres nostros non esse lugendos, accersitione Dominica de saeculo liberatos, cum sciamus, eos non amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent; desiderari eos debe-

(1) § 827, n. 2. (2) I Thess. 4, 12, etc.

re, non plangi, nec accipiendas hic esse atras vestes, quando illi ibi indumenta alba iam sumpserint: occasionem dandam non esse gentilibus, ut nos merito ac iure reprehendant, quod, quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos ac perditos lugeamus; et fidem, quam sermone et voce depromimus, cordis ac pectoris testimonio non probemus. Spei nostrae ac fidei nostrae praevaricatores sumus; simulata, ficta, fucata videntur esse, quae dicimus. Nil prodest verbis praeferre virtutem, factis destruere veritatem. Improbat denique Apostolus Paulus, et obiurgat et culpat, si qui contristentur in excessu suorum. »

3. Verba Christi *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii* (1), efficacissimum nobis proponunt motivum, assidue observandi praeceptum Psalmistae: *Diverte a malo, et fac bonum; inquire pacem, et persequere eam* (2). Enixis itaque lacertis, et indefessis curis conari debemus, ut in resurrectione malorum sortem evitemus, bonorum vero felicitatem adipiscamur. Bene memores simus, quod corpus ad gloriam aeternam non resurget, sed in opprobrium, et in poenas sempiternas, nisi anima a peccato resurgat ante mortem corporis, et in vita gratiae perseveret. Corpus enim non resurget impassibile, si anima nunc pravis cupiditatibus cedat, iisque se rapi ignave patiatur. Corpus non animae parebit, nisi anima Deo subdita sit. Corpus agile non erit, nisi prompti et alacres ad mandata Dei exequenda erimus. Corpus claritate non fulgebit, si anima in hac vita virtutibus non splendeat, sed potius in tenebris peccati, et in umbra mortis sedeat. Hinc S. *Ambrosius* lib. de bono mortis cap. 5 dicit: « Moriatur igitur in nobis hoc saeculum, moriatur nobis carnis istius sapientia, quae inimica est Deo. Subiiciamus animam nostram soli Christo, ut dicat unusquisque: *Nonne Deo subiecta est anima mea?* non saeculo subdita, non mundo subdita. » Et cap. 6 : « Dum in corpore sumus, usum mortis imitantes ablevemus animam nostram ex istius carnis cubili, et tanquam de isto resurgamus sepulcro. Abducamus nos a corporis nexu, relinquamus omnia quaecumque terrena sunt, et cum advenerit adversarius, nihil in nobis inveniat suum. »

4. Gloriosae resurrectionis spes nos ad aerumnas et tribulationes huius vitae patienter perferendas excitare debet. Iob quoque hoc valido remedio in tot suis malis usus est. Fratres Machabaei membra sua concidenda fortiter porrexerunt, quia eadem in resurrectione gloriosa sibi restituenda fore cognoverunt. Etiam christiani Martyres vehementissimos cruciatus et dolores cum gaudio sustinuerunt, quia pro istis largissimam, atque aeternam remunerationem in resurrectione expectabant. Eosdem sensus quemlibet Christianum habere decet. Hinc S. *Cyprianus* (3) dicit: « Mente integra, fide firma, virtute robusta parati ad omnem Dei voluntatem simus; pavore mortis excluso, immortalitatem, quae sequitur, cogitemus. Hoc nos ostendamus esse, quod credimus, ut neque carorum lugeamus excessum, et cum accersionis propriae dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum, ipso vocante, veniamus. »

(1) Io. 5, 29.
(2) Ps. 33 15.
(3) Lib. de mortal.

CAPUT II.

DE IIS QUAE IUDICIUM EXTREMUM COMITANTUR

§ 836. Quamdiu praesens rerum terrenarum ordo perseverat, nunquam in eo satis sapientissimam Dei gubernationem admirari possumus (1). Praesentem autem terrenarum rerum ordinem non semper perduraturum esse, revelatio docet (2). Dubitari autem non potest, etiam in rerum omnium consummatione attributa divina luculentissime manifestari. Et sane - iuxta revelationis divinae doctrinam, sicut aliter *mundus physicus*, et aliter *mundus moralis* gubernatur, ita etiam uterque modo sibi congruo consummatur. Entibus nempe liberis, id est, hominibus intellectu et voluntate praeditis congruit, ut eorum actiones examinentur, iudicentur atque praemio vel poena dignae declarentur. Entibus autem pathologicis seu ratione carentibus convenit, ut pro diversitate finis, cui inservire debent, ab ipso sapientissimo totius universi Rectore vel destruantur, vel immutentur. Idcirco in novisssimo die, 1° *iudicium extremum* habebitur, et 2° *consummatio saeculi* continget: quae duo hoc in capite consideranda sunt.

ARTICULUS I.

De iudicio extremo, seu universali.

§ 837. Resurrectionem proxime excipit *iudicium extremum*, quod etiam dicitur *universale*, quia omnes Angeli et homines in illo comparebunt, et omnes actiones bonae et malae examinabuntur, manifestabuntur, et praemio vel poena dignae iudicabuntur. Quamvis enim iam in iudicio particulari sors cuiuslibet hominis defuncti decidatur (3), sententia tamen in illo lata in fine mundi publice et solemniter annunciatur. Est itaque iudicium extremum opus Dei externum, quo Deus per Christum in humana natura apparentem angelos malos pariter ac homines universos in fine mundi palam iudicaturus, et in eosdem sententiam vel retributionis, vel damnationis laturus est. Huiusce iam iudicii *veritatem probare, causas, seu rationes ob quas instituitur, assignare*, et *formam ac circumstantias expendere* oportet.

I. *De iudicii extremi veritate.*

§ 838. In fine mundi iudicium generale futurum esse certum est ex S. *Scriptura*, et ex *Traditione*.

1. *In S. Scriptura V. T.* frequenter de iudicio universali sermo est. Psalm. XCV, v. 12 etc. dicitur: *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrae in aequitate, et populos in veritate sua.* Ps. XCVII, 9 etc.: *Montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iustitia, et populos in aequitate.* Haec verba non de primo Christi adventu (4), neque de iudicio particulari, neque de poena singulari populo infligenda exponi possunt; ergo de iudicio universali intelligenda sunt. Prophetae, quamvis communiter de primo Christi adventu loquantur, hincinde tamen secundum quoque describunt. Ita in Isai. sub typo Babylonis mundus Messiae inimicus iudicandus describitur his verbis: *Ecce dies Domini veniet, crudelis et indignationis plenus, et irae furorisque ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellae coeli, et splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol*

(1) § 256 260. (2) § 814. n. 1. (3) § 752 et seq. (4) Io. 3, 17.

in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo. — Super hoc coelum turbabo, et movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, et propter diem irae furoris eius (1). Daniel dicit: *Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit; vestimentum eius candidum quasi nix, et capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, et libri aperti sunt.... Et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient: potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur* (2). Ioël II, 1 etc. ait: *Venit dies Domini, quia prope est; dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis: quasi mane expansum super montes populus multus et fortis: símilis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. Ante faciem eius ignis vorans, et post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est, qui effugiat eum;* v. 10: *A facie eius contremuit terra, moti sunt coeli; sol et luna obtenebrati sunt, et stellae retraxerunt splendorem suum. . . . . magnus enim dies Domini et terribilis valde, et quis sustinebit eum?* Hac iudicii divini descriptione utitur Propheta, ut peccatores ad poenitentiam commoveat; v. 12 etc.: ac tandem v. 30 etc., iterum dicit: *Dabo prodigia in coelo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Sophon. inquit: *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est et velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. . . . in igne zeli eius devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram* (3).

2. *In S. Scriptura N. T.* Christus diem iudicii clarissime praedicit in parabola zizaniorum; ait enim Matth. XIII, 30: *Sinite utraque* (zizania et triticum) *crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum;* quam parabolam exponens (v. 39 etc.) inquit: *Messis - consummatio saeculi est; messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. XVI, 27: *Filius - hominis venturus est in*

(1) Is. c. 13, v. 9, etc. (2) Dan. c. 7, v. 9. etc.

(3) Soph. c. 1, v. 14, etc. — Cf. Zachar. 14, 5; Malach. 4, 1, etc.

gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius. Matth. XXV, 31 etc.: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis: et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris.... Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Paulus in Areopago ita loquitur: *Deus statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro, in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis* (1). Rom. XIV, 10 etc. scribit: *Omnes stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: et omnis lingua confitebitur Deo* (2). *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo;* id est, in die iudicii omnes Deum agnoscent et laudabunt; boni quidem voluntarie, mali autem invite; et tunc omnes rationem reddent. II Cor. V, 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* II Petr. II, 9: *Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos.* Iudas 14 etc.: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.* Apoc. XX, 12 inquit Ioannes: *Et vidi mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt.... et iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*

3. *Ss. Patres* unanimi consensu iudicium extremum, seu universale profitentur. *S. Polycarpus* in Epist. ad Philip. (3) eum, qui dicit, futuram non esse resurrectionem neque iudicium, primogenitum diaboli nominat. *S. Iustinus M.* (4) ait: « Prophetae duplicem Christi adventum praenunciarunt, unum in forma humili, alterum in forma gloriosa, dum e coelo cum exercitu angelorum veniet, corpora bonorum et piorum immortalia reddet, corpora autem impiorum... in ignem aeternum proiiciet. » Et (5) addit: « Credimus, Christum primogenitum aeterni Dei, et aliquando ad universum genus humanum iudicandum venturum esse. » *Tertullianus* de praescript. (6) inquit: « Regula est autem fidei, ut iam hinc quid credamus, profiteamur (Christum), venturum esse cum claritate ad sumendos sanctos in vitae aeternae, et promissorum coelestium fructum, et ad profanos iudicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione. » *S. Cyprianus* (7) scribit: « Retro est iudicii dies, quem Scriptura sancta denuntiat dicens: *Ululate; proximus est enim dies Domini, et obtritio a Deo aderit. Ecce enim dies Domini venit insanabilis indignationis et irae, ponere orbem terrae desertum, et peccatores perdere ex eo...* (8). Quae tunc erit fidei gloria, quae poena perfidiae, cum iudicii dies venerit? quae laetitia credentium, quae moestitia perfidorum? » *Origenes* (9) ait: « Dubium non est, in die iudicii futurum, quod separentur boni a malis, et iusti ab iniustis, et singuli quique pro merito

(1) Act. 17, 31. (2) Isa. 45, 24.
(3) N. 7. (4) Apol. I, n. 52.
(5) N. 53. (6) C. 13.
(7) Lib. ad Demetrian., n. 8.
(8) Isa 13, 6.
(9) Lib. 2 de princip., cap. 9.

per ea loca, quibus digni sunt, distribuantur iudicio Dei. » *Lactantius* (1) inquit: « Superest, ut de iudicio Dei disseramus, quod tum constituetur, cum Dominus noster redierit in terram, ut unicuique pro merito aut praemium persolvat, aut poenam. » *S. Cyrillus Hier.* (2) dicit: « Tremendum est iudicium, ita ut per ea etiam, quae de illo nuntiamus, timor incutiatur; nam regnum coelorum proponetur, et ignis aeternus praeparabitur. » *S. Basilius* (3) ita loquitur: « In memoriam revoca Christi iudicium, in quo quidem praesidet iudex in alto et sublimi throno. Adstabit porro creatura omnis praetrepida et intremiscens ad ipsius gloriosum et illustrem adventum. Eo singuli quique sistentur, de his examinandi, quae quisque gessit in vivis. » *S. Gregorius Nyss.* Orat. 5 de beatitudinibus, quaerit, quid prosint bona terrena, « cum Rex creaturae in sublimi solio gloriae magnifice praesidens humanae naturae sese revelaverit, et conspiciendum praebuerit, cum circa ipsum innumerabiles angelorum visae fuerint legiones, cum in oculis omnium fuerit arcanum et ineffabile illud regnum coelorum, ac rursus ex contrario demonstrata fuerint terribilia illa supplicia, in medio vero eorum omnis natura hominum, qui a prima creatione usque ad rerum universarum consummationem nati fuerint, tum metu, tum spe futurorum stet suspensa, atque sollicita in utramque partem eventus exspectatione saepe tremens, atque etiam iis, qui cum bona conscientia vixerint, futurum rei eventum suspectum habentibus etc. » *S. Ephraem* frequentissime, ut homines a peccatis revocaret, ad poenitentiam excitaret, et ad virtutem constanter secta ndam impelleret, *iudicium extremum* eiusque severitatem et horrorem intolerabilem descripsit in pluribus sermonibus, quos de iudicio extremo, seu de secundo Christi adventu habuit. Ita pariter *S. Chrysostomus* saepe, ac diserte extremum iudicium depingit; sic, ex. gr., Hom. 14 in Epist. ad Rom. n° 10 ait: « Ad superna cogitationem erige, atque ad illum tremendum diem, quo Christus adveniet... Nam, ait, *virtutes coelorum movebuntur*. Tunc aperietur totum coelum, testudinumque illarum portae expandentur: descendet unigenitus Dei Filius, non viginti, non centum hastatis militibus stipatus, sed millenis decies millenis angelis, archangelis, cherubim, seraphim, caeterisque Virtutibus: omniaque erunt timore et tremore plena, disrupta terra, hominibus omnibus ab Adamo usque ad illum diem de terra ascendentibus et raptis, ipso Christo cum tanta gloria se exhibente, ut et luna et sol, et omne lumen occultetur a tanto splendore illuminatum. » *S. Hieronymus* Epist. 1 ad Heliod. c. 9 scribit: « Veniet illa dies, qua corruptivum hoc et mortale incorruptionem induat, et immortalitatem. *Beatus servus, quem invenerit Dominus vigilantem*. Tunc ad vocem tubae parebit terra cum populis. — Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt; exhibebitur cum prole sua vere tunc ignitus Iupiter, adducetur et cum suis stultus Plato discipulis; Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus et pauper exultabis et ridebis, et dices: Ecce crucifixus Deus meus! ecce Iudex, qui obvolutus pannis in praesepio vagiit! » *S. Augustinus* l. 20 de

(1) Lib. 7 div. instit. cap. 1.

(2) Catech. 15. (3) Hom. in Ps. 33.

Civ. Dei, c. 30, citatis variis S. Scripturae testimoniis concludit: « Nullus igitur vel negat, vel dubitat, per Iesum Christum tale, quale istis sacris litteris praenuntiatur, futurum esse novissimum iudicium, nisi qui eisdem litteris, nescio qua incredibili animositate seu caecitate non credit, quae iam veritatem suam orbi demonstravere terrarum. In illo itaque iudicio, vel circa illud iudicium has res didicimus esse venturas, Eliam Thesbitem fidem Iudaeorum, antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque direptionem, mundi conflagrationem, eiusdemque renovationem. » *S. Petrus Chrysologus* (1) in illa verba: *Et ecce terraemotus factus est magnus*, inquit: « Si sic terra tremuit, cum suorum Dominus resurgit ad veniam; quomodo contremiscet cum noxiorum consurget ad poenam? dicente Propheta: *Terra tremuit, et quievit, cum resurgeret in iudicium Deus* (2). Et quae conservi, hoc est, angeli praesentiam sustinere non valuit, quomodo Deum iudicem sustinebit? » *S. Fulgentius* in Regula fidei (3) dicit: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, ideo Christum Filium Dei ad iudicandum vivos et mortuos venturum esse, ut homines (iustificatos, et in bono perseverantes) — in suo adventu resuscitet et glorificet... Diabolum vero et angelos eius (imo et impios et iniquos) in ignem aeternum a Christo esse mittendos.» *S. Gregorius M.* (4) ait: «Pensate, fratres carissimi, ante conspectum tanti Iudicis qui in illo die terror erit, quando iam in poena remedium non erit! Quae illa confusio, cui reatu suo exigente continget in conventu omnium angelorum hominumque erubescere! Qui pavor, eum, quem et tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratum videre! Quem diem bene Propheta intuens ait: *Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae* etc. (5). Pensate ergo, extremum diem iudicii super corda reproborum, qua asperitate Propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus non valet explicare. Quanta vero tunc erit laetitia electorum, qui de eius merentur visione gaudere, de cuius conspectu vident elementa omnia contremiscere, et cum eo simul ad nuptias intrare? »

4. *Ecclesia* in symbolis iudicium extremum quovis tempore professa est. In symbolo enim *Apostolico* profitemur: *Credo in Iesum Christum - qui venturus est iudicare vivos et mortuos.* In *Nicaeno-CPtano* dicitur de Christo: *Sedet ad dextram Patris, inde venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos;* et in *Athanasiano: Ad cuius* (Christi) *adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.* Ex Conciliis citari potest *Toletanum VI* an. 638, quod cap. 1 in professione fidei dicit: *Quem* (Christum) *etiam venturum exspectamus in fine saeculorum, et cum resurrectione omnium aequissimo suo iudicio redditurum iustis praemia, et impiis poenas.* Ecclesia ergo quovis tempore doctrinam de iudicio extremo credendam proposuit, quae ideo absque dubio ad fidei dogmata spectat.

Nota. Haud exigua est eorum turba, qui universale iudicium reiecerunt: nimirum *Dositheani* apud Philastrium (6), *Valentiniani* teste Tertulliano (7), *Proclianitae*, ut refert S.

(1) Serm. 77 de resur. Chr. (2) Ps. 75.
(3) N. 35. (4) Hom. 12 in Evang.
(5) Sophon. 1. (6) Cap. 4.
(7) Lib. c. Valent., c. 32.

Augustinus (1), *Floriani* apud Philastrium (2), *Symmachiani* apud eundem (3), *Borboriani* teste eodem (4), *Cathari, Albigenses, Concoratiani* teste Prisciano apud Murator. (5). — Protestantes quidem hunc articulum fidei retinuerunt: at recentiores rationalistae eousque pervenerunt, ut iudicium extremum, seu universale penitus negarent, quorum frivolas obiectiones solvere oportet.

Obi. I. Iudaei posterioris aevi, sicuti Messiam ut Regem terrenum et potentissimum exspectarunt, ita etiam putarunt, eundem aliquando omnes homines iudicaturum, sectatores suos felicissimos redditurum, adversarios autem suos puniturum et contriturum esse. Huic Iudaeorum opinioni, ex falso de Messia conceptu exortae, Christus sese accommodans frequenter de iudicio, a Messia, seu Filio Dei instituendo loquitur, ut rem christianam aliquando victricem, et poenas adversariorum futuras adumbraret. Has autem tropicas Christi locutiones perperam in sensu proprio intellexerunt discipuli; et sic iudicium universale in fine mundi instituendum annuntiarunt.

Resp. Talis obiectio nonnisi ab iis fieri potest, qui Christum Deum esse negant, et divinam Bibliorum sacrorum inspirationem inficiantur. Quaecunque ergo Divinitatem Christi, et infallibilem S. Scripturae auctoritatem probant, etiam rationalistarum obiectionem conterunt; quam omni soliditate carere, facile est ostendere. Nam Iudaeos posterioris aevi Messiam ut Regem terrenum et potentissimum exspectasse, ex monumentis historicis certum est. At eosdem ex falso de Messia conceptu spuriam de iudicio universali in fine mundi instituendo ideam hausisse, dictitant rationalistae, sed ne uno quidem argumento probant. Constat potius ex iis, quae n. 1 dicta sunt, iam veteres Iudaeos fidem de iudicio extremo habuisse. Non negamus igitur, etiam Iudaeos posterioris aevi iudicium universale in fine mundi futurum esse, credidisse. Si autem falsa fuisset haec iudaeorum sententia, nunquam se ei accommodasset Christus, qui falsis Pharisaeorum traditionibus ubique restitit, ita ut ipsius adversarii testarentur: *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces* etc. (6). Quodsi Christus, ut aiunt adversarii, sese sententiae adversariorum accommodavit, eamque confirmavit, eadem infallibiliter vera est. Neque in ea recte intelligenda errare poterant discipuli, qui erant Spiritu sancto repleti; quod quidem rationalistae non credunt, sed illos sine solida ratione, et ideo tantum erroris arguunt, quia ipsimet verba Christi perperam intelligunt.

Obi. II. Christum de iudicio extremo tropice locutum esse, et iuxta ideas, quas Iudaei falso sibi de Messia efformaverant, patet ex variis phrasibus et figuris, quae in ipsius et Apostolorum dictis occurrunt. Dum enim de iudicio extremo sermo est, commemorantur *nubes*, quibus Messias vehitur (7); Archangelus cum *tuba* (8), et *omne satellitium angelorum* (9); *tribunal Iudicis* (10); *libri censurarum aperti et inspecti* (11); *singulorum examen, et sententia pronunciata* (12); *pii epulis coelestibus digni declarati* (13); *impii vero in ignem deiecti* (14); quae omnia tropice, seu in sensu improprio sumenda sunt.

(1) Haer. 60. (2) C. 52. (3) C. 61. (4) C. 63.
(5) Antiq. ital., t. 5, Diss. 60, col. 95.
(6) Matth. 22, 16, etc. (7) Matth. 24, 30.
(8) I Thess. 4, 16. (9) Matth. 25, 31.
(10) Rom. 15, 10. (11) Apoc. 20, 12.
(12) Matth. 25, 31, etc.
(13) Matth. 8, 11; Luc. 22, 18, etc.
(14) Matth. 13, 30; et 25, 41.

Resp. In hac obiectione duo permiscent adversarii, quae apprime secerni debent, existentiam scilicet alicuius veritatis cum modo, seu forma, qua eadem veritas exhibetur atque proponitur. Porro existentia alicuius veritatis est omnino independens a forma, qua proponitur, cum interdum fieri possit, ut nonnisi imaginibus symbolicis enunciari, seu offerri queat, cuiusmodi sunt veritates abstractae, et quae superant captum nostrum. Hinc Dei ipsius operationes, sive exercitium suorum attributorum Scripturae exhibent sub formulis tropicis, et eidem tribuunt affectus, quos vocant anthropopaticos, ex. gr., poenitentiae, irae, vindictae etc., cum nihil tale sit in Deo. Numquid propterea eiusmodi veritates reiicere debemus tanquam totidem mythos, sub illis imaginibus adumbratos?—Idem propterea contigit circa iudicii extremi articulum. Nuda veritas est, Christum in fine mundi venturum esse ad instituendum iudicium publicum actionum nostrarum, ac retributurum pro uniuscuiusque meritis. Cum autem haec veritas proponitur, occurrere possunt quaedam imagines, quibus obiiciatur veluti sub oculos nostros ratio, ordo et effectus ipsius iudicii, ad altius in mentibus nostris eiusmodi veritatem figendam. Dixi *possunt;* non enim omnes locutiones, quas commemorant adversarii, tropice, seu in sensu improprio intelligendae sunt. Neque enim ulla reperitur repugnantia, aut aliquod inconveniens, si dicamus, reipsa Christum nube circumdatum venturum esse, prout eadem nubes eum in coelum euntem suscepit (1); praemittendum fore archangelum cum tuba in corpore adscititio, in quo teste S. Scriptura saepius Spiritus coelestes ab hominibus visi sunt, et simili modo angelos Christum comitaturos, et summam ipsius maiestatem ostensuros esse. Quae de tribunali, de libris censurarum, et examine in S. Scriptura leguntur, nonnisi figurato sensu accipienda esse, etiam Ss. Patres docuerunt; haec enim dicta sunt, ut pro humano captu Iudicis maiestas, omniumque meritorum et demeritorum manifestatio et diiudicatio proponatur. Caeterum semper ante oculos habendum est, Dei omniscii et omnipotentis iudicium a iudiciis humanis longe discrepare, nosque illud quoad modum, ut caeteras actiones divinas, perfecte intelligere non posse. Denique non est, quod rationalistae rideant, dum vident, aeternam beatitudinem proponi sub imagine convivii. Quis enim nescit, Deum homines alloquentem infirmitati nostrae consuluisse, dum, quae omnem mentis nostrae aciem excedunt, per symbola proposuit? Hinc modo domui, modo convivio, modo regno, aliisque laetioribus imaginibus coelestem beatitudinem Christus comparavit. Interdum vero ea in Scripturis occurrunt, quae sensibiles eiusmodi imagines corrigunt, ac puriorem exhibent eiusdem aeternae felicitatis notionem, ut I Cor. XIII, 12; II Cor. V, 6 etc.; Io. XVI, 22 et alibi. Denique quomodo ignis intelligendus sit, quo impii torquentur, iam § 761 explanatum est.

Obi. III. Iudicium, de quo loquitur Christus, statim post excidium urbis Hierosolymae instituendum dicitur. Hoc enim excidium praenunciatur Matth. XXIV, 2 et seq.; immediate autem cum isto excidio coniungitur iudicium, praedicente Christo: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur* etc. (2). Iliac Matth. XVI, 28 idem Christus ait: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non*

(1) Act. 1, 9. (2) V. 29.

gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo (Cf. Io. XXI, 23). Etiam Apostoli mox post excidium Hierosolymorum consummationem saeculi cum iudicio futuram annuntiarunt. I Petr. c. IV, v. 7 dicitur: *Omnium autem finis appropinquavit.* I Cor. VII, 29: *Tempus breve est.* I Tim. VI, 14: *Serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque ad adventum D. N. I. Christi.* Hebr. X, 37: *Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet et non tardabit.* Ast Hierosolyma iam ante multa saecula eversa est, et tamen neque consummatio saeculi contigit, neque iudicium habitum est: aut ergo dicendum est, Christi praedictiones impletas non fuisse, aut ipsius, et Apostolorum de iudicio locutiones tropice intelligi debent.

Resp. Nonnulli contendunt, caput XXIV Matthaei nullo modo referendum esse ad iudicium finale, perinde ac loca parallela Ss. Marci et Lucae, sed tantum ad proximum urbis excidium. Iuxta communiorem autem Ss. Patrum et interpretum catholicorum sententiam de duplici Christi adventu in dicto capite sermo est. Frequenter enim in S. Scriptura Deus *descendere, venire* etc. dicitur, cum condignam de inimicis suis in terra vindictam sumit, vel cum amicos suos conspicuo modo liberat, et protegit. Ideo etiam Christus professus est, se ad excidium Hierosolymorum, ad poenas de Iudaeis sumendas, et ad fideles suos a Iudaeorum persecutionibus liberandos adventurum, seu rediturum esse. Et de hoc adventu manifeste loquitur Christus Matth. XVI, et Io. XXI. De eodem adventu etiam citata Apostolorum verba intelligi possunt, quamvis etiam de Christi adventu in morte hominis, ubi pro individuo finis omnium rerum terrestrium etc. venit, exponi soleant. Caeterum negari nequit, in cap. XXIV Matthaei etiam de adventu Christi in fine mundi ad iudicium extremum habendum, sermonem esse. Christus enim duplicem suum adventum distinguit: de priori in urbis excidio dicit, se ita rediturum esse, ut ipse quidem quoad personam non conspiceretur, sed ut tamen ipsius maiestas et omnipotentia ubique manifestarentur, ut quasi oculis videri possint. Ideo dicit, hunc adventum Filii hominis fore fulguris instar (1). Sicuti enim non potest dici, fulgor hic vel ibi esse, quamvis ubique luceat, ita neque de Christo dici poterit, eum hic vel ibi esse, quamvis ipsius maiestas ubique conspicua erit. At de adventu Christi ut Iudicis in fine mundi dicitur: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa et maiestate* (2). Praeterea prioris adventus tempus determinatur his verbis: *Non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant* (3), quae de eo praedicta sunt: de posteriori autem dicitur: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli coelorum, nisi solus Pater* (4). Denique observandum est, excidium urbis Ierusalem typum esse consummationis saeculi; unde sicut illud, ita et istam magnae tribulationes et persecutiones praecedent, atque ideo Christus ad hanc sermonem convertens dicit: *Statim post tribulationem dierum illorum* etc. Sicuti autem praedictio Christi de priori adventu suo perfectissime adimpleta est, ita etiam in posteriori adventu exactissime adimplebitur.

Obi. IV. Cum iam in iudicio particulari sors cuiuslibet hominis decidatur, ipsique manifestetur, nullate-

(1) Matth. 24, 27. (2) Matth. 24, 30. (3) Matth. 24, 34. (4) V. 36.

nus credendum est, Deum, qui inutilia non facit, etiam iudicium universale instituturum esse. Quaeri ulterius potest, quaenam sit illa tuba, cuius vox per totum terrarum orbem audiatur? Quomodo vallis Iosaphat aut tota terra sufficiat ad omnes homines, qui ab Adam usque ad finem mundi vixerunt, capiendos? et quantum tempus requiratur, ut omnium hominum causae discutiantur? Inextricabiles huiusmodi difficultates ostendunt, ea, quae de iudicio extremo in S. Scriptura leguntur, in sensu improprio accipienda esse.

Resp. Si nulla causa a nobis assignari posset, ob quam Deus praeter iudicium particulare etiam universale instituturus sit, nullo tamen modo veritatem clare revelatam negare possemus, quia nos homines infirmi iudicia Dei perscrutari non valemus, sed potius confiteri debemus, omnia, quae Deus vult, sapientissima et iustissima esse: caeterum causas mox referemus, ob quas iudicium extremum convenientissime instituetur. Reliquae difficultates ex eo oriuntur, quia actiones divinae cum humanis confunduntur, et ad omnipotentiam Dei non attenditur, quae unico nutu ea perficere valet, quae nobis difficilia et fere impossibilia videntur. Optimam ergo responsionem ad incredulorum cavillationes suppeditant verba Christi: *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* (1). Directe autem ad has difficultates respondebitur, dum de forma et circumstantiis iudicii extremi sermo erit.

II. *De causis iudicii universalis.*

§ 839. 1. Principalis causa, ob quam in fine mundi iudicium publicum et universale instituitur, est *gloria Dei* infinitas suas perfectiones, quas multi recte cognoscere et digne aestimare recusarunt, omnibus hominibus clarissime revelantis. Hinc Ps. IX, 17 dicitur: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Cognoscetur nempe suprema Dei Maiestas, cui omnes creaturae subiiciuntur: eius Omniscientia, quae omnes cogitationes, verba et opera hominum clarissime perspicit; eius immensa bonitas, quae innumera beneficia hominibus praestitit; eius admiranda misericordia, quae indignissimos peccatores patientissime toleravit, et paterna clementia ab interitu eripere studuit; eius infinita iustitia, quae reddit unicuique secundum opera eius; et, sicut cuncta merita remunerat, ita etiam de verbo otioso rationem exigit; eius Omnipotentia, cui nulla creatura resistere potest; eius incomparabilis Sanctitas, coram qua sanctitas angelorum et hominum evanescit; ac demum infinita eius pulcritudo, cuius visione frui summa beatitudo, a cuius aspectu reiici maxima miseria est. Praecipue autem Deus in iudicio extremo sapientiam suam ostendet, et providentiam suam iustificabit. De hac enim scriptum est: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (2). Verum summam hanc divinae gubernationis Sapientiam homines in hac vita degentes saepe non perspiciunt, et variis inordinationibus, quae in natura contingunt (3), et multo magis tribulationibus iustorum hac prosperitate impiorum (4) offenduntur ac perturbantur. Neque Deus permittit, ut in hac mortali vita omnia Divinitatis consilia perscrutemur, sed potius vult, ut in captivitatem redigamus omnem intellectum in obsequium fidei, et cum Apostolo exclamemus: *O altitudo divi-*

(1) Luc. 18, 27 (2) Sap. 8, 1. (3) § 269. (4) § 270.

tiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! (1). Ast in iudicio extremo Deus clare ostendet, omnes providentiae suae ordinationes sapientissimas, iustissimas et benignissimas fuisse. Quamobrem Paulus diem iudicii appellat diem *revelationis iusti iudicii Dei* (2). Et *S. Augustinus* lib. 20 de Civ. Dei, c. 2, cum dixisset, persaepe nos in hac vita nescire, « quo iudicio Deus ista vel faciat, vel fieri sinat, » deinde pergit: « Cum vero ad illud Dei iudicium venerimus, cuius tempus iam proprie dies iudicii, et aliquando dies Domini nuncupatur, non solum quaecunque tunc iudicabuntur, verum etiam quaecunque ab initio iudicata, et quaecunque usque ad illud tempus adhuc iudicanda sunt, apparebunt esse iustissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam iusto iudicio Dei fiat, ut nunc tam multa, ac pene omnia iusta iudicia Dei sensus mentesque mortalium lateant; cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, iustum esse, quod latet. »

2. Altera iudicii extremi causa est *gloria Christi*. Etenim in primo adventu Christus suam gloriam omnino velavit, paupertatis statum elegit, probro et ignominia oppressus fuit, et denique tanquam reus est iudicatus et crucifixus. In altero adventu extremae diei apparebit gloria inexplicabili stipatus, et cum potestate magna ad suum tribunal omnes gentes citabit, ut ei de propriis operibus rationem reddant, et singuli illius iudicio sese submittant. *S. Augustinus* (3) ait: « Veniet Christus cum potestate magna iudicaturus, quia cum magna est humilitate iudicatus; ipse videbitur terribilis, qui visus est contemptibilis; demonstrabit potentiam, qui demonstravit patientiam. In cruce patientia erat, in iudicio erit potentia » (4). Neque negari potest convenientissimum esse, ut Christus in extremo iudicio publice glorificetur. Christus enim pro omnibus hominibus passus et mortuus est; sed multi passionis huius atrocitatem et caritatis divinae magnitudinem, aut ignorant, aut non satis considerant: conveniens igitur est, ut omnibus hominibus ea manifestentur, quae Filius Dei incarnatus pro ipsis fecit et pertulit. Et quamvis pro sua humilitate et obedientia iam in resurrectione a Patre suo exaltatus fuerit, pauci tamen splendidam hanc ipsius gloriam viderunt: conveniens igitur est, ut summa ipsius exaltatio toti mundo manifestetur, ac ideo *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris* (5).

†3. Tertia iudicii universalis causa est *gloria electorum*, quam promisit Deus dicens: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum* (6). Pii autem et sancti homines in vita mortali gloriam, sicut non quaerunt, ita plerumque non consequuntur. Velo enim humilitatis virtutes suas, et opera bona contegere student, atque ideo multa ipsorum merita hominibus ignota manent. Quamvis porro iuxta praeceptum Christi (7) etiam in conspectu hominum officia sua erga Deum et proximum sedulo adimpleant, et actiones honestas et religiosas indefessi suscipiant, persaepe tamen velut hypocritae suggillantur, velut stulti ludibrio habentur. — Equidem iam in iudicio particulari condigna animabus eorum retributio adiudicatur. Verum ad ipsorum gloriam requiri-

(1) Rom. 11, 33. (2) Rom. 2, 5.
(3) Enar. in Ps. 8.
(4) Cf. Enar. in Ps. 66, n. 10.
(5) Phil. 2, 11. (6) 1 Reg. 2, 30.
(7) Matth. 5, 16

tur, ut ipsorum merita omnibus hominibus innotescant, et ut eorum sanctitas contra adversarios et oblocutores vindicetur. Hinc oportet, ut iudicium universale instituatur. Nam, ait *S. Thomas* (1): «Universale iudicium magis directe respicit universalitatem hominum, quam singulos iudicandorum; quamvis ergo cuilibet homini ante iudicium erit certa notitia de sui damnatione, vel praemio, non tamen omnibus omnium damnatio vel praemium innotescet: unde iudicium necessarium erit. » In hoc igitur iudicio universali omnes electorum virtutes et actiones bonae, quae in abscondito susceptae fuerunt, publice manifestabuntur. Nam, ait Christus: *Nihil est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur* (2). Hinc electi de summa gloria Christi participabunt; quod et Paulus innuit dicens: *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (3). Solemni porro quodam modo electi contra irrisores suos, et persecutores iustificabuntur; quod Paulus docet II Thess. I, 3 etc. scribens: *Iustum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de coelo cum angelis virtutis eius — cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt.* Quantum autem in extremo iudicio Iusti glorificabuntur, et persecutores eorum confundentur, graphice describitur Sap. V, 1 etc. his verbis: *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, dicentes intra se, et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore! Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est!*

4. Quarta extremi iudicii causa est *confusio peccatorum.* Hanc etenim Deus peccatoribus omnibus minatus est. I Reg. II, 30 ait Deus: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Psalmo XXIV, 4 dicitur: *Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.* Ps. CXXVIII, 4: *Dominus iustus concidit cervices peccatorum; confundantur, et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.* Isa. XLI, 11 dicitur: *Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te.* Ast talem confusionem haud semper in vita sua mortali experiuntur peccatores. Dantur enim hypocritae, quibus hinc inde simulata virtus prodest, lucrumque temporarium affert. Dantur etiam peccata interna et occulta, ad quae oculi hominum pertingere non valent. Hinc frequenter innocentes, iusti, ac pii reputantur, qui coram Deo gravibus delictis inquinati sunt. Necesse igitur est, ut in extremo iudicio iuxta effatum Christi (4) omnia peccata, etiam interna et occulta, manifestentur, peccatores coram omnibus confundantur, et cognita decretorum divinorum iustitia, dum sententia damnationis in reprobos profertur, omnes confiteantur: *Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum!* (5).

5. Quinta iudicii extremi causa altius petitur. Certum equidem est, tempus merendi, vel demerendi in morte hominis cessare; sed ipsius a-

(1) In Suppl. q. 88, art. 1 ad 3.

(2) Matth. 10, 20. (3) Col. 3, 3, etc.
(4) Matth. 10, 20. (5) Ps. 118, 137.

ctiones bonae vel malae, in vita positae, frequenter etiam post mortem vel bonos vel malos fructus ferunt; ita ut quodammodo in hominibus a se vel aedificatis, vel scandalizatis vitam et actiones suas continuare censeatur, quoadusque mundus perstiterit; consequenter, praeter iudicium particulare iudicium quoque universale necessarium est, ut ad supremi Iudicis syndicatum repraesententur ea omnia, quae quoquomodo vitae singulorum sunt imputabilia; qualia sunt consequentia, ex praecedentibus iam antea elicitis, promanantia. Hinc *Catechismus rom.* (1) dicit: « Cum vel ipsis hominibus mortuis interdum superstites sint filii parentum imitatores, reliqui sint liebri, ac discipuli exemplorum, orationum, actionum amatores ac propugnatores, quibus rebus ipsorum mortuorum praemia et poenas augeri necesse est; cum haec vel utilitas vel calamitas ad plurimos pertinens, non prius finem habitura sit, quam extremus veniat mundo dies; aequum erat de universa hac recte, aut perperam factorum, dictorumque ratione perfectam quaestionem haberi, quod fieri non poterat, nisi facto communi omnium hominum iudicio. »

6. Ultima ratio ab huius saeculi viatoribus petitur, quorum moralitas per iudicii extremi exspectationem promovetur. Haec est enim natura hominum, ut honorem et gloriam ambiant, opprobrium vero et confusionem abhorreant. Convenientissime ergo hominibus iudicium universale praenuntiatur, ut pii ex eius exspectatione recreentur, et ad perseverandum in bono incitentur; peccatores vero illud metuant, et ad meliorem frugem reducantur. Christus ipse (2) innuit, gloriam, quae ab hominibus accipitur, vanam et noxiam, illam autem, quae a solo Deo est, quaerendam esse. Hanc vero pii in bono perseverantes recipiunt in iudicio divino, quod non est *secundum carnem* (3), nec *secundum visionem oculorum, et auditum aurium* (4), sed *corda omnium intuendo* (5). Haec gloria, quae a Deo est in iudicio exspectanda, pios excitare debet, ut irrisiones et persecutiones in hac vita patienter perferant, ac Domino suo usque in finem fideliter serviant. — Peccatores vero, qui oculos hominum timent, et delicta sua occultare student, per terrores iudicii divini, in quo omnia peccata denudantur, a via perditionis retractos, et ad poenitentiam incitatos fuisse, ipsa experientia testatur. Convenientissima ergo est doctrina de iudicio universali religioni revelatae, quae tota ad promovendam hominis moralitatem tendit.

(1) P. 1, cap. 8, n. 4. (2) Io. 5, 44.
(3) Io. 8, 15. (4) Is. 11, 3.
(5) 1 Reg 16, 3.

III. *De iudicii extremi forma, et circumstantiis.*

§ 840. Ut doctrina catholica de iudicio extremo plene cognoscatur, atque ut appareat in quibus istud iudicium divinum cum iudiciis humanis conveniat, et in quibus discrepet, illius formam ac circumstantias considerare oportet. Quamobrem *de iudice*, *de iudicandis*, *de inquisitione causae*, *de eiusdem manifestatione*, *de sententia proferenda*, et *de reliquis circumstantiis* agendum est.

A. *De Iudice.*

§ 841. 1. In iudicio universali futurum esse Iudicem Christum Dominum in humana forma apparentem, S. Scriptura clarissime docet. Dicit enim Dominus: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium*

dedit Filio (1). « Quod ita dictum est, inquit *S. Augustinus* (2), velut si diceretur, Patrem nemo videbit in iudicio, sed omnes Filium. » Et ibid. Christus ait: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est* (3), hoc est, potestatem ei dedit exercendi iudicii secundum formam, et in forma humana. Hinc Matth. XVI, 27 legitur: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Matth. XXIV, 30: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa et maiestate.* Matth. XXV, 31 etc.: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes* etc. Act. I, 11 Angeli apostolis dixerunt: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* Act. X, 42 Petrus de Christo inquit: *Ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.* II Cor. V, 10 Paulus scribit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Christum in humana forma visibilem futurum esse in fine mundi Iudicem, unanimi consensu docent Patres, ut *S. Ambrosius* in Luc. XXIV, *S. Chrysostomus* in Hom. de Cruce et Latrone, *S. Hieronymus* in Matth. XVII, *S. Augustinus* Sermo 1 in Ps. XLVIII, *S. Leo M.* Serm. 2 de Ascens. Dom., *S. Gregorius M.* Hom. 20 in Evang., et alii. Ecclesia ipsa in symbolo de Christo, qui conceptus — natus etc. profitetur: *Venturus est iudicare vivos et mortuos.* Hinc dubitari non potest, hanc doctrinam ad fidei dogmata pertinere. Rationem theologicam *S. Thomas* in Suppl. (4) ex eo petit, quia Christus secundum naturam humanam nos redemit, et in nos plenum dominium acquisivit; unde citat Apostoli verba: *In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur* (5): ac deinde subdit: « Ad praemium enim vitae aeternae consequendum, nobis creationis bona non sufficerent, nisi redemptionis beneficium adderetur, propter impedimentum, quod naturae creatae supervenit ex peccato primi parentis. Unde cum finale iudicium ad hoc ordinetur, ut aliqui admittantur ad regnum, et aliqui excludantur a regno; conveniens est, ut ipse Christus secundum humanam naturam, cuius redemptionis beneficio ad regnum admittimur, illi iudicio praesideat: et hoc est, quod dicitur Act. X, 42, quod *ipse constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.* Et quia per redemptionem humani generis non solum homines reparavit, sed etiam universaliter totam creaturam; secundum quod tota creatura, reparato homine, melioratur, ut habetur Col. I, 20: *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt:* ideo non solum super homines sed super universam creaturam Christus per suam passionem dominium promeruit et potestatem iudiciariam: unde dicit Matth. XXVIII, 18: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* »

2. Dubitari non potest, quin Christus ad iudicium veniens habiturus sit corpus gloriosum. Hoc enim semper, et sine ulla intermissione habuit ex eo temporis puncto, quo resurrexit, et semper habiturus est. Equidem post resurrectionem hanc sui corporis gloriam discipulis, quibus apparuit, abscondit, ast ad extremum iu-

(1) Io. 5, 22. (2) Lib. 1 de Trinit., c. 13.
(3) Io. 5, 27. (4) Q. 90. art. 1.
(5) Rom. 14. 9.

dicium veniens eandem omnibus conspicuam reddet. Nam Christus dicitur: *Venturus in gloria Patris* (1): *Cum potestate magna et maiestate* (2), sedere *super sedem maiestatis suae* (3). Hinc *S. Augustinus* (4) affirmare non dubitat, non tantum bonos, sed etiam malos visuros esse Christum in claritate, in qua iudicaturus veniet; non in humilitate, in qua venit olim iudicandus. Et aperta est sententia *S. Hieronymi* in Matth. XVII dicentis, Christum transformatum fuisse in monte in eam gloriam, qua venturus est postea in regno suo. Et *S. Thomas* loc. cit. (5) duplicem affert rationem theologicam, dicens: « Ille, qui iudicat, debet eminere illis, qui iudicantur; sed electi, qui iudicabuntur a Christo, corpora gloriosa habebunt; ergo multo fortius Iudex in forma gloriosa apparebit. » Et: « Sicut iudicari est infirmitatis, ita iudicare est auctoritatis et gloriae; sed in primo adventu, quo Christus venit ad hoc, quod iudicaretur, in forma infirmitatis apparuit: ergo in secundo adventu, in quo veniet ad hoc, ut iudicet, apparebit in forma gloriosa. » Nec obstat dictum Isaiae: *Impius non videbit gloriam Domini* (6); nam, ut docet *S. Augustinus* loc. cit., propheta ibi loquitur de gloria divinitatis, quam impius videre non poterit. Nam, ait *Magister sententiarum* initio Dist. 48 (7): « Divinitas sine gaudio videri non potest; » et ideo concludit, impios visuros esse humanitatem Christi, ut timeant, non autem divinitatem, ne gaudeant. Ita etiam *S. Thomas*. l. c. eandem difficultatem solvit dicens (8): « Sicut amici gloria est delectabilis, ita gloria et potestas eius, qui odio habetur, maxime contristat; et ideo sicut visio gloriae humanitatis Christi erit iustis in praemium, ita inimicis Christi erit in supplicium: unde Isa. XXVI dicitur: *Videant, et confundantur zelantes populi et ignis* (id est invidia) *hostes tuos devoret.* » Si autem quaeratur, quomodo oculi reproborum non glorificati possint videre gloriam corporis Christi, respondet idem Angelicus (9): « Quod corpus gloriosum habet in potestate sua, ut se demonstret vel non demonstret oculo non glorioso — et ideo in forma gloriosa Christus poterit ab omnibus videri. »

3. Quod aliqui sancti Christo Iudici assessuri, et cum ipso iudicaturi sint, S. Scriptura testatur. Christus ipse Matth. XIX, 29 ait: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Luc. XXII, 29 etc.: *Ego dispono vobis, — ut sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.* Paulus I Corinth. VI, 2 etc. inquit: *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? — nescitis, quoniam angelos iudicabimus?* Et Apoc. III, 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Equidem munus iudicandi non tribuitur sanctis cum ea proprietate, qua Christo tribuitur. Iudicare enim proprie dicit actum iurisdictionis et superioris potestatis: haec autem iurisdictio quoad ultimum iudicium animarum soli Christo communicata est, ut ex dictis patet. Proprium ergo iudicium, ut actum iurisdictionis significat, soli Christo convenit, neque ulli sanctorum communicatur. Attribuitur ergo sanctis hoc iudicium

(1) Matth. 16, 27. (2) Luc. 21, 27.
(3) Matth. 25, 31.
(4) Lib. 1 de Trinit., cap. 13.
(5) Suppl. q. 90, art. 2 in sed contra.
(6) Cap. 26. (7) Loc. 4
(8) Ad 4. (9) Ibid. ad 3.

solum secundum quanda n participationem alicuius honoris, vel participationis ad iudicium pertinentis, quod tribus modis explicari potest. *Primo*, valde improprie, ac metaphorice, solum comparatione quadam, et hoc modo iusti dicuntur iudicare peccatores, quia suis factis ostendunt, illos esse poena dignos, quia similia operari potuerunt, et neglexerunt: hoc sensu Ninivitae et regina Austri dicuntur surgere in iudicio, et condemnare Iudaeos (1), et de filiis Iudaeorum dicitur: *Ipsi iudices vestri erunt* (2); sed hic modus iudicandi non solum omnibus iustis, sed etiam peccatoribus respectu eorum, qui maiora delicta perpetrarunt, competere potest. *Secundo* modo minus improprie iudicare dicuntur, qui licet non habeant proprie potestatem et auctoritatem iudicandi, tamen iudici assistunt, eiusdemque sunt cum illo sententiae, eiusque iudicio consentiunt, et illud publice approbant et laudant. Et hic modus iudicandi competit omnibus sanctis, quia in Apoc. dicitur: *Audivi vocem turbarum multarum in coelo dicentium: Alleluia, salus et gloria, et virtus Deo nostro est; quia vera et iusta sunt iudicia eius* (3). Cum autem aliqui sancti specialiter cum Christo iudicaturi dicantur, *tertius* modus per specialem quandam participationem honoris, vel actionis iudiciariae admittendus est; quam participationem aliqui solum ponunt in quadam honoraria consessione cum Christo in iudicio; sed *S. Thomas* in Suppl. (4), praeter hanc participationem honoris necessariam esse dicit participationem aliquam actionis iudiciariae, quoniam Christus utrumque distincte promisit dicens: *Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus*. Hanc vero participationem cum *Richardo Victor.* in eo consistere dicit, quod iis sanctis, qui cum Christo iudicaturi sunt, specialiter conceditur, ut non solum conscientiarum occulta, et iudicia divina, et retributionum qualitates manifeste penetrent, et cognoscant, sed ut etiam hanc suam cognitionem possint aliis, qui iudicantur, intimare, ac pandere. — Si autem quaeratur, quinam sint consecuturi hanc specialem participationem iudiciariae potestatis? Nonnulli putarunt, solis apostolis promissam esse hanc dignitatem, quia duodecim tantum sedes commemorantur. Hanc vero sententiam refellit *S. Augustinus* (5); quia alias Paulus non esset iudex cum duodecim Apostolis, et eadem ratio peti posset de B.V. Maria, de S. Ioanne Bapt. etc. Ideo Patres dicunt, duodenarium numerum positum esse pro indefinito, et per *duodecim sedes* omnes iudicantes, sicut per *duodecim tribus* omnes iudicandos intelligi. Quidam opinati sunt, omnes sanctos ab Ecclesia canonizatos cum Christo iudicaturos esse; sed sufficiens ratio huius sententiae assignari nequit. Probabilior sententia est, praefatam dignitatem assecuturos esse omnes, qui non solum praecepta, sed etiam consilia evangelica perfecte adimplent. Cum enim Matth. XIX, 27 dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* (v. 28) Respondens Christus praefatam in iudicio dignitatem apostolis promisit. Quicunque ergo perfecte mundum relinquunt, omnes affectus terrenos ex corde eradicantes, et perfecte Christum sequuntur, eius virtutes imitando, eandem cum apostolis dignitatem in iudicio consequentur. Ita docent

(1) Matth. 12, 41, etc.
(2) Luc. 11, 19. (3) C. 19, v. 1.
(4) Q. 89, art. 1.
(5) Lib. 20 de Civ. Dei, c. 5, et Enar. in Ps. 49 et 86.

S. Augustinus (1), *S. Hieronymus* (2), *S. Gregorius M.* (3), *S. Bernardus* (4), *S. Thomas* (5). Observant autem theologi, praefatam dignitatem non ad omnes religiosos votis solemnibus ligatos pertinere, quia non omnes ad debitam perfectionem internam pertingunt; neque ad solos religiosos restringi, quia etiam alii ad summam perfectionem pertingere possunt. Hinc *Estius* (6) ait: « Neque enim omnes, neque soli, qui omnia reliquerunt actu, sed qui affectu et spiritu, in quo propr » perfectio consistit, iuxta illud Salvatoris: *Beati pauperes spiritu*, ad illum eminentiae gradum, qui iudicaturos complectitur, pertinent. Quibus proinde vel maxime connumerandi sunt Abraham, Isaac, Iacob, Moy »s, David, aliique sancti V. et N. T. qui divitias habentes tanquam non habentes, cor iis non apposuerunt, perfectionem assecuti sine consiliis evangelicis actu susceptis, ad quam alii per consilia tanquam opportunissima media, non tamen simpliciter ad illam acquirendam, necessaria, contend »nt. »

Nota. Si quaeritur, utrum angeli cum Christo iudicaturi sint? *S. Thomas* (7) respondet, angelos iudicaturos esse secundo modo supra posito, se licet consentiendo et approbando sententiam iudicis, non tamen tertio modo consedendo, et participando aliquo modo iudiciariam actionem; quia assessores iudicis debent esse eiusdem naturae cum iudice, et cum iis qui iudicandi sunt. Et confirmatur, quia supra diximus, Deum statuisse, ut hoc iudicium fieret per humanam Christi naturam, ut homines sensibiles haberent iudicem visibilem ac sensibilem. Et hanc sententiam communiter omnes amplectuntur (8).

(1) Lib. 20 de Civ. Dei, c. 5, et Epist. 89, q. 4. (2) Ep. 28.
(3) Lib. 10 Moral., c. 17 (al. 30).
(4) Serm. 8 in Ps. 90.
(5) In Suppl. q. 89, art. 2.

B. *De iudicandis.*

§ 842. 1. Certum est, ad extremum iudicium omnes homines, qui ab initio mundi usque ad finem procreati fuerint, convocandos esse, ut praesentes sint, et ex ore Iudicis sententiam vel remunerationis, vel condemnationis aeternae audiant. Nam Matth. c. XXV, v. 32 legitur: *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Rom. XIV, 10: *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* II Cor. V, 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* His vero testimoniis alia adversari videntur, in quibus aliqui iusti iudicaturi, et aliqui iniqui non iudicandi dicuntur, ut Io. III, 18 Christus ipse ait: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Quam difficultatem ut solvant theologi, duplex distinguunt iudicium, nempe *iudicium discussionis* et *iudicium retributionis*, sive gloriae, sive poenae. Qua posita distinctione aiunt, ad omnes prorsus homines pertinere iudicium retributionis; sed non omnes subituros esse in fine mundi iudicium discussionis. Imo iuxta *S. Gregorium M.* (9), *V. Bedam* (10), *Magistrum sententiarum* in hac dist. aliosque theologos quatuor hominum ordines in extremo iudicio futuri sunt; duo ordines electorum, prior eorum, qui iudicabunt, posterior eorum, qui iudicabuntur; item duo ordines reproborum, prior eorum qui iudicabuntur, posterior autem eorum, qui iam praeiudicati tunc sine iudicio damnabuntur.

(6) Lib. 4, Dist. 47, § 3. (7) L. c. art. 3.
(8) Cf. Suarez t. 2, q. 49, art. 6, Disp. 57, sect. 4. (9) Lib. 26 Moral., c. 20.
(10) Homil. in Natali S. Benedicti.

2. De *primo ordine* eorum, qui cum Christo iudicaturi sunt, iam dictum est; istorum enim sanctitas ita manifesta et conspicua erit, ut iudicio discussionis opus non sit; attamen in iudicio retributionis approbabitur, et aeterna beatitudine digna pronuntiabitur. Ad hunc ordinem aliquo modo referri possunt pueri baptizati, et ante usum rationis mortui, quamvis enim non sint cum Christo iudicaturi, attamen a iudicio discussionis immunes sunt censendi; neque enim videntur iudicari posse, qui nihil omnino, quod laude vel vituperatione dignum, in corpore egerunt, imo nec agere potuerunt. In *secundo ordine* erunt ii, qui, cum evangelicam perfectionem non fuerint assecuti, propter multas vitae maculas, quas tamen sincera et constanti poenitentia, ac misericordiae operibus abstergere conati sunt, stabunt misericorditer iudicandi, et ab iis, qui primi sunt ordinis, in aeterna tabernacula recipiendi. — In *tertio ordine* erunt, qui fide Christi suscepta, non secundum eam vixerunt, neque peccata sua per poenitentiam, et opera misericordiae purgare satagerunt; qui proinde sine misericordia iudicandi, et aeternae damnationis rei declarandi sunt. — In *postremo ordine* erunt omnes illi, qui fidem Christi nunquam susceperunt, de quibus dictum est: *Qui non credit, iam iudicatus est* (1). « Quod non est ita accipiendum, ait *Estius* loc. cit., quasi non sit in eos a Iudice ferenda condemnationis sententia, cum generaliter omnes, et secundum omnia sua opera sint iudicandi (ut inferius dicetur): sed negantur iudicandi iudicio discussionis, eo videlicet modo, quo nec perfectae sanctitatis homines iudicabuntur, quia tam horum ad salutem, quam illorum ad damnationem causa adeo manifesta erit, ut meritorum disquisitione, et collatione bonorum operum cum malis non sit opus, quando et hi ob sanctitatis excellentiam Christo coniunctissimi, et illi ob infidelitatem omne pietatis opus excludentem a Christo alienissimi palam cognoscentur. Unde et eos praeiudicatos vocat *Gregorius* non prolatione sententiae, sed evidentia delicti. Haec enim omnia non proprie, sed schemate quodam sermonis ad similitudinem eorum, quae in iudiciis humanis aguntur, dicta sint. Nam alioquin etiam in cordibus infidelium iudex hoc operabitur, ut distincte intelligant, se tum ob infidelitatem, tum ob alia peccata iuste condemnari; sicut et sancti perfecti distincte intelligent, se, remissione omnium peccatorum accepta, propter bona opera sua coronari. »

Nota. Si quaeritur, utrum etiam angeli iudicandi sint? Ita respondet *S. Thomas* in Suppl. (2): « Iudicium discussionis nullo modo habet locum neque in bonis angelis, neque in malis; quia neque in bonis potest aliquid mali inveniri, neque in malis aliquid boni ad iudicium pertinens. Sed si loquamur de iudicio retributionis, sic est distinguenda duplex retributio; una respondens propriis meritis angelorum, et haec a principio fuit utrisque facta; dum quidam in beatitudinem sublimati sunt, quidam vero in miseriam demersi. Alia retributio est, quae respondet meritis bonis vel malis per angelos procuratis; et haec retributio in futuro iudicio fiet, quia boni angeli amplius gaudium habebunt de salute eorum, quos ad meritum induxerunt, et mali amplius torquebuntur multiplicata malorum ruina, qui per eos ad mala sunt incitati. Unde directe loquendo iudicium neque ex parte iudicantium, neque ex

(1) Io. 3. (2) Q. 89, art. 8.

parte iudicandorum erit angelorum, sed hominum : sed indirecte quodammodo respiciet angelos, in quantum actibus hominum fuerunt commixti. » Et cum sibi obiecisset verba Apostoli: *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus* (1)? Respondet, « quod illud verbum apostoli est intelligendum de iudicio comparationis, quia quidam homines quibusdam angelis superiores invenientur. »

C. *De inquisitione et manifestatione causae.*

§ 843. 1. Causam tribunalium civilium graviora quaedam delicta, causam iudicii divini in mundi fine instituendi omnes omnium hominum actus morales constituunt. Eccle. XII, 14 dicitur: *Cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Imo omnia cum maxima sollicitudine inquirentur, dicente Deo ipso per Sophon.: *In tempore illo scrutabor Ierusalem in lucernis* (2). Et imprimis omnia opera indagabuntur; nam iudicium universale instituitur: *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (3); et Deus: *Reddet unicuique secundum opera eius* (4). Etiam omnia verba examinabuntur; nam *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii* (5). Occultae quoque cogitationes inquirentur, quandoquidem I Cor. c. IV, v. 4, legitur: *Dominus manifestabit consilia cordium;* et Apocalyp. c. II, v. 23, Iudex dicit: *Ego sum scrutans corda et renes, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Quin et ipsae omissiones bonorum operum iudicabuntur, dicente Apost. Iacobo: *Scienti enim bonum facere, et non facienti, peccatum est illi* (6); et Christo: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores* (7). Tandem etiam bona opera et virtutes examini iudiciali subiicientur, dicente Domino per Psalm.: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo* (8).

2. In iudiciis humanis persaepe cognitio causae difficillima est, atque ideo praeter actores et accusatores etiam testes audiri et examinari debent. In iudicio divino causae cognitio facillima erit propter Iudicis supremi omniscientiam, quia Hebr. IV, 13: *Omnia nuda et aperta sunt oculis eius* (9). Deus ergo non indiget accusatoribus et testibus, qui ipsum quadam de re certiorem reddant; sed si isti hincinde in iudicio divino commemorantur, id tropice, improprie, ac de iis intelligendum est, qui iudicia divina approbant et laudant.

3. In iudicio extremo Deus etiam efficiet, ut quilibet homo omnia sua merita et demerita clare cognoscat. Id vero perficietur non per verba externa, quae immensum temporis spatium requirerent, sed per omnipotentem virtutem divinam, qua fiet, ut uniuscuiusque conscientia omnia statim cuilibet ante oculos ponat. Quod ergo ad examen et disquisitionem meritorum attinet, fere inter omnes convenit, eam non vóce, sed silentio in omnibus conscientiis peractam iri iuxta id quod ait Apostolus: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum* (10). Unde quod dicitur Apoc. XX, 12: *Libri aperti sunt, et iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum ope-*

(1) I Cor. 6. (2) Sophon. 1. 12.
(3) II Cor. 5, 10. (4) Rom. 2, 8.
(5) Matth. 12, 36. — Cf. Iud., v. 15.
(6) Iac. 4, 17. (7) Matth. 25, 30.
(8) Ps. 74, 3. (9) Cf. § 30.
(10) Rom. 2, 15, etc.

ra ipsorum, non de libris materialibus intelligendum est, sed de conscientiis singulorum. Tunc enim unicuique suus liber, ex quo iudicandus sit, aperietur, id est, factorum omnium suorum conscientiam, ac plenam, actualemque notitiam quisque accipiet, non vocis externae significatione, sed interna manifestatione divina, de qua S. *Augustinus* (1) dicit: « Quaedam vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset, vel et excuset scientia conscientiam, atque ita simul omnes et singuli iudicentur. » Et ibid. (2) tractans illud Malach. III: *Ero testis velox* super maleficos etc., dicit, intelligi posse Christum testem velocem, quia ipsas convincet sine ulla sermonis prolixitate conscientias . . . cum sine mora revocaturus est in memoriam, unde convincat, puniatque conscientiam: ubi praeter locum Rom. II allegat etiam illud Sap. I: *In cogitatione impii interrogatio erit. S. Thomas* in Suppl. (3) dicit: « Oportet, quod testis, accusator et defensor in quolibet iudicio habeant eorum notitiam, quae in iudicio versantur: in illo autem communi iudicio omnia opera hominum in iudicium venient; oportet ergo, quod omnium operum suorum quisque tunc notitiam habeat. Unde conscientiae singulorum erunt quasi quidam libri continentes res gestas, ex quibus iudicium procedet, sicut etiam in iudicio humano registris utimur; et isti sunt libri, de quibus Apoc. XX dicitur: *Libri aperti sunt* etc. » Et (4) addit, non per locutionem vocalem, sed mentaliter peragendam esse disquisitionem in iudicio extremo.

4. Manifesta fient unicuique in die iudicii non sua tantum facta seu bona, seu mala, quaecunque toto vitae suae tempore fecerit, verum etiam aliorum omnium, idque usque ad occultissimas mentium cogitationes, iuxta sententiam toties in Evangelio repetitam: *Nihil est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur* (5), nec non iuxta dictum Apostoli, cum veniet Dominus, *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (6), quod et librorum aperitio significat Dan. VII, et Apoc. XX. Non enim hoc tantum ad conscientias singulorum pertinet, sed ad notitiam omnium, ut patet exemplo librorum, qui in iudiciis forensibus aperiuntur; ex quibus nimirum acta leguntur palam, et in auribus omnium, qui iudiciis intersunt. Huius autem ratio est, ut omnibus clare et perfecte pateat iustitia Dei omnes iudicantis; et, Rom. III, 19, *Omne os obstruatur* murmurantium adversus iustitiam Dei, et *ut palam iustificetur Deus in verbo suo, et vincat, ac mundus appareat in iudicio suo*, ut dicitur Ps. L, 5, iuxta textum hebraicum. Unde Apostolus, diem iudicii vocat diem *revelationis iusti iudicii Dei* (7), id est, in quo manifeste omnibus patebit iustitia Dei iudicantis. Cum ergo in illo iudicio iudicandi sint omnes secundum omnia opera sua, ut iustitia iudicantis clare et perfecte, sicut dictum est omnibus pateat, necesse erit, omnium opera omnibus innotescere, non in genere tantum, sed in particulari, neque tantum cognitione facti, sed etiam iuris, ut scilicet ab omnibus cognoscatur, quod vel bona sint vel mala,

(1) Lib. 20 de Civ. Dei, c. 14.
(2) Cap 26. (3) Q. 87, art 1.
(4) Q. 88. art. 2.

(5) Matth. 10, 26; Marc. 4, 22; Luc. 8, 17 et 12, 2. (6) I Cor. 4, 5. (7) Rom. 2, 5.

et quam bona, vel quam mala, et quibus proinde vel praemiis digna, vel suppliciis. Talem in extremo iudicio manifestationem fieri, Patres passim docent. *S. Chrysostomus* (1) ita de manifestatione peccatorum in die iudicii loquitur: « Si nostrum cuiuspiam occultum facinus aliquod in medium hodie afferretur in Ecclesia tantum, annon mallet interire, et terram sibi dehiscere potius, quam tot nequitiae testes habere? Quid ergo tunc patiemur, cum coram toto orbe omnia afferentur in tanto, tam splendido theatro, et notis et ignotis omnia conspicientibus? » — De hac universali manifestatione sic loquitur *S. Gregorius M.* apud Ioannem Diaconum in eius vita lib. 2, c. 2: « Inde venturus est iudicare vivos et mortuos, posturus ante oculos omnium omnia occulta singulorum. » *V. Beda* quoque (2) in illud Luc. XII: *Quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur*, scribit: « In futuro saeculo cuncta cordium abscondita proferenda esse in lucem. » Et *S. Bernardus* Serm. ad Clericos de conversione c. 16 dicit, quod « Deus, qui novit omnia, ea nota faciet universis » (Cf. *S. Thomas* in Suppl.) (3).

5. Nonnulli cum *Magistro sententiarum* (4) putarunt, electorum peccata omnia, quoniam per poenitentiam deleta fuerunt, saltem aliis tam electis, quam reprobis in extremo iudicio tecta et occulta fore, quia Ps. XXXI, 1 dicitur: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*, etc. Deus per Isa. dicitur peccata *delere* (5), per Ezech. eorum *non recordari* (6), per Mich. *ea proiicere in profundum maris* (7). Sed haec sententia nullatenus admitti potest. Nam S. Scriptura absolute, et sine exceptione affirmat, omnium actiones esse in iudicio manifestandas: loca vero citata ad exceptionem faciendam non sufficiunt; peccata enim deleri dicuntur, quia maculae eorum in anima non manent. Deus, qui nullius rei oblivisci potest, dicitur peccatorum non recordari, quia ea haud amplius vult punire, et peccata dicuntur tegi et occultari, quia iam non provocant ad iram, neque sunt rubori aut dedecori. Peccata autem per poenitentiam deleta manifestari debent, ut cognoscatur misericordia Dei erga oves aberrantes, et conspicua reddatur strenua sanctorum poenitentia, quae efficiet, ut propter peccata manifestata non solum non confundantur, sed potius glorificentur. Hinc *S. Thomas* loc. cit. dicit: « Oportet, quod, sicut quilibet sua merita vel demerita reducet ad memoriam, ita etiam et aliena suae cognitioni subiaceant: et haec est probabilior et communior opinio, quamvis contrarium Magister in littera dicat; scilicet, quod peccata, quae sunt per poenitentiam deleta, in iudicio aliis non patefient. Sed ex hoc sequeretur, quod nec etiam poenitentia de peccatis illis perfecte cognoscatur, in quo multum detraheretur sanctorum gloriae et laudi divinae, quae tam misericorditer sanctos liberavit. » Idem docent *S. Bonaventura* (8) et communiter theologi, qui fere omnes a sententia Magistri recesserunt. Imo *Estius* in 4, Diss. 47, § 2 refert, opinionem Magistri relatam esse *inter errores eius selectos*, et addit: « Nec immerito, quia non tantum Scripturae, et Patrum testimoniis supracitatis adversatur, sed etiam rationi re-

(1) Hom. 5 in Ep. ad Rom., n. 6.
(2) Lib. 3 in Luc., cap. 52.
(3) Q. 87 art. 2. (4) In 4, Dist. 43.
(5) Is. 43, 25. (6) Ezech. 18, 22.
(7) Mich. 7, 19.
(8) In 4, Diss. 43, art. 2. q. 2 et 3.

pugnat. Certum est enim omnibus illic manifestatum iri sanctorum poenitentiam non minus, quam alias virtutes, velut Davidis, Pauli, Latronis, Peccatricis. Atqui poenitentia distincte cognosci non potest, nisi et ipsa peccata cognoscantur, quorum est poenitentia. Ex quo consequitur, etiam peccata per poenitentiam deleta in omnium notitiam esse ventura. Verum cedet hoc ipsum ad gloriam sanctorum; per hoc enim illustrabitur in illis magnitudo gratiae divinae, quae eos a tot et tantis peccatis liberaverit.»

D. *De sententia proferenda*

§ 844. 1. Primum examinata et manifestata uniuscuiusque causa sententiam esse proferendam, tam certum est, quam quod sit futurum singularum personarum iudicium. Iudicium enim per sententiam consummatur, et ideo Apoc. XX, 12 postquam dictum est: *Libri aperti sunt*, subiungitur: *et iudicati sunt mortui ex iis, quae scripta sunt in libris secundum opera ipsorum*. Post manifestationem ergo causae adhuc superest iudicium, quod nonnisi in sententia consistere potest, quae inquisitionem et manifestationem causae immediate sequitur. Ex quo intelligitur, ait *Cl. Suarez* (1): « Eo die esse a Christo proferendam sententiam servata in omnibus exactae iustitiae ratione, ita ut nullus sit futurus locus intercessioni, nullumque misericordiae perfugium. *Zelus* enim, *et furor viri* (idest, Christi iudicis) *non parcet in die vindictae, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima* (2). Tunc enim adimplebitur illud Ieremiae: *Ego Dominus scrutans cor et probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam, et iuxta fructum adinventionum suarum* (3). Tempus enim huius vitae concessum est ad veniam, et misericordiam obtinendam; postquam vero ad iudicium perventum fuerit, solius iustitiae distributivae et vindicativae legibus agendum erit, de qua re legi potest *S. Augustinus* Serm. 67 de tempore, *S. Gregorius M.* Hom. 1 et 12 in Evangelia, *S. Prosper* lib. 3 de vita contemplativa c. 12, *S. Bernardus* Serm. 55 in Cant. »

2. Constat ex Evangelio Matth. XXV duplicem sententiam in extremo iudicio proferendam esse, primam in electos, et alteram in reprobos; nam (v. 34): *Tunc dicet Rex his, qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* et v. 41: *Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius*. Sed certum est, quod non omnes sint eadem poena afficiendi, aut remunerandi eodem praemio, sed unusquisque pro meritorum suorum qualitate. Nam: *Deus reddet unicuique secundum opera eius* (4). Hinc *S. Gregorius Nyss.* Or. in illud: *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis*, ita loquitur: « Cerno... ipsum magnum ac terribilem Regem (in die iudicii) ex inenarrabili gloria ad humanam naturam despicientem, et omne genus hominum, qui, ex quo homines nati sunt, usque ad illam terribilem apparitionem invenientur, ad sese cogentem, et pro merito ac dignitate anteactae vitae unicuique sententiam accommodantem. » Et sane iam est probatum, in altera vita pro diversitate peccatorum diversas esse poenas reproborum (§ 762), et pro diversitate meritorum diversa esse electorum praemia (§ 785). Quam-

(1) Q. 59, art. 6, Disp. 57, Sect. 10.
(2) Prov. 6, 34, etc. (3) C. 17, v. 10.
(4) Rom. 2, 6.

obrem, cum sententia nihil aliud sit, quam practicum iudicium habens adiunctum imperium, seu voluntatem retribuendi unicuique iuxta opera sua, necesse est, ut pro diversitate meritorum et peccatorum sententia varietur. Et certe nemo dubitat, sententiam supremi Iudicis uniuscuiusque merito vel demerito perfectissime esse accommodandam.

3. Quaestio inter theologos movetur, an sententia proferenda sit voce sensibili, vel tantum mentali? *S. Thomas* in Suppl. (1) putat, eam non corporalem, sed spiritualem futuram, id est, non sono vocis pronunciandam, sed singulorum mentibus imprimendam esse divina virtute eius, qui Iudex est omnium. Quod quidem habet maximam probabilitatem si de sententiis singulorum quaestio sit. Per eas enim oportet singulis singula, ac diversa decerni praemia vel supplicia: Atqui tam multae, diversaeque sententiae, si omnes unius iudicis voce pronunciandae essent, longissimam temporis moram postularent; de qua morosa pronunciatione nullum vestigium in S. Scriptura, aut in Patribus invenitur. Hinc theologi communiter hac ex parte sententiae S. Thomae subscribunt. Cum autem quaeritur de sententia generali, qua electis regnum, reprobis supplicium aeternum assignabitur, non eadem est ratio. Poterit enim in ea sententia pronuncianda Iudex breviter uti iisdem, vel similibus verbis, quae Matth. XXV leguntur. Hanc generalem sententiam pro electis, et pro reprobis voce sensibili pronunciari, docent *S. Anselmus* in Elucid., *Richardus Victor*, *Abulensis* (2), *Suarez* l. c., *Estius* loc. cit., § 1 multique alii. Favet huic sententiae, quod apud *S. Augustinum* (3) legitur, dicentem: « Christus in voce evidens apparebit, qui prius, cum venisset occultus, ante iudicem siluit. » Et *S. Gregorius M.* (4) dicit, eos, qui iudicabuntur, iudicis verba et interpretationem audituros esse. Suffragatur quoque ratio theologica. Christus enim iudicaturus est ut homo; propter quod etiam in humana atque visibili forma omnibus iudicandis apparebit. Sed et alia quaedam ibi fient corporaliter. Erit enim corporalis praesentatio omnium hominum ante conspectum iudicis, et corporalis separatio iudicandorum a dextris et a sinistris. Est igitur eadem ratione verisimile quod externa, atque audibili voce sententia generalis in utrosque tam bonos, quam malos a Iudice proferetur, omnium iudicandorum auribus insonitura, ut qui omnibus conspiciendum se exhibebit in gloria Maiestatis, etiam omnibus audiendum se praebeat in voce Iudicis. — Notandum tamen est, argumentum ex Matth. XXV desumptum non omnino convincere, quia ibidem dicitur, bonos et malos dicturos esse: *Quando te vidimus esurientem* etc., quod tamen satis verisimile, et quodammodo certum est, non ita ad litteram esse intelligendum, maxime in iustis, qui non ignorabant, se Christo fecisse, quidquid uni ex minimis eius discipulis fecerint. Sed nec omnes boni illa fecerunt, nec omnes mali illa non faciendo peccaverunt. Unde nec verisimile est, Christum illa verba voce pronunciaturum esse: *Esurivi enim* etc. Sed haec addita sunt, ut ostendatur, sententiam retributionis vel maxime a praecepto caritatis observato aut neglecto dependere.

4. Quamvis generaliter tantum sententia in electos et reprobos profera-

(1) Q. 88, art. 2, etc. Opusc. 10, art. 27.
(2) In Matth. cap., q. 383.
(3) Lib. 20 de Civ. Dei, c. 24.
(4) Lib. 26 Mor., c. 20.

tur, quilibet tamen cognoscet gradum vel praemii, vel poenae, quem consequetur, praecipue quia iam in iudicio particulari specialem hanc sententiam audivit. Sed et omnes alii, qui iudicio praesentes sunt, eandem, quoad omnes iudicandos cognoscent. Si quaeratur, quomodo id fieri possit? Breviter respondemus, id fieri virtute divina. Nam revelatione teste Deus in extremo iudicio hanc universalem manifestationem vult: et Is. XLVI, 10 inquit Deus: *Omnis voluntas mea fiet.*

E. *De reliquis iudicii extremi circumstantiis.*

§ 845. 1. Matth. XXIV, 30 legitur: *Tunc parebit signum Filii hominis in coelo: et tunc plangent omnes tribus terrae; et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli* etc. Hoc signum nullum aliud esse futurum, quam Crucem Christi, omnes Patres summa consensione docent exponentes hunc locum, ut *S. Chrysostomus* et Graeci, *S. Hilarius*, *S. Hieronymus*, *V. Beda*, omnesque Latini. Idem docet *S. Augustinus* Serm. 103 de tempore, et *S. Chrysostomus* Hom. de Cruce et Latr., cuius sententiam refert et approbat *Leo M.* in Ep. 97 ad Leonem Augustum. Denique Ecclesia canit: *Hoc signum crucis erit in coelo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Idem ex verbis Christi eruitur: *Parebit signum Filii hominis*, quia nullum aliud potest per antonomasiam dici signum Christi; ut enim ait *S. Cyrillus Hier.* (1): « Signum verum et proprium Christi est Crux.» Causae vero, cur crux apparebit, sunt tres: *prima*, ut significetur, Christum per crucem mundum redemisse, de inferno victoriam retulisse, sibique gloriam et potestatem iudiciariam meruisse (2). *Secunda*, ut indicetur, Christum pro salute omnium fuisse crucifixum, ac proinde ingratos esse et inexcusabiles, qui tantam eius gratiam neglexerint; imprimis quidem apparebit hoc signum, ut (ait *S. Augustinus*) « agnoscant consilium iniquitatis suae, qui Dominum maiestatis crucifixerunt » (3). Quia vero, ut Paulus ait Hebr. VI, omnes, qui mortaliter peccant, iterum (quod in se est) Christum crucifigunt, ideo apparebit etiam hoc signum ad arguendos et confundendos omnes peccatores, et ideo post illud signum subiungit Christus: *Tunc plangent omnes tribus terrae* « videntes accusatorem suum, id est, ipsam crucem, et in ipsa arguente cognoscent peccatum suum, sero et frustra fatebuntur impiam caecitatem, » ut loquitur *S. Augustinus* Serm. 130 de temp. *Tertio* apparebit hoc signum ad consolationem et gaudium iustorum; summa enim consolatione et gaudio afficientur videntes signum, quo sunt redempti, et cognoscentes, se iam cum Christo in coelum exaltandos esse. — Aliqui existimant, illam ipsam crucem, in qua Christus pependit, fore in die iudicii reformandam, et coram Iudice deferendam; sed quia sancti dicunt, illam crucem conspicuam futuram esse universo orbi, et ita splendidam, ut in conspectu eius neque luna, neque sol possint apparere, quod utrumque de cruce lignea vix dici posset; ideo communior theologorum sententia est, non ipsam crucem, sed figuram crucis, ex aëre lucido, vel igne formatam apparituram esse. Demum aliqui putant, statim post antichristi mortem crucem apparituram esse, ut homines resipiscant, et abiecto antichristi charactere, vexillum crucis sequantur: sed probabilior est sententia eorum qui dicunt, crucem immediate ante Iudicem apparere; nam

(1) Catech. 15. (2) Phil. 2, 8, etc. (3) Io. 19, 37.

S. Ephraem, S. Cyrillus Hieros., S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Anselmus et alii, hanc crucis apparitionem ita describunt, ut dicant, eam esse deferendam ante conspectum Christi descendentis (1).

2. *Locus iudicii* assignari videtur in Ioële c. III, v. 2, ubi Deus dicit: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat, et disceptabo cum eis:* et v. 12: *Consurgant, et ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, ut iudicem omnes gentes in circuitu.* Sed quia iuxta chaldaicam interpretationem *vallis Iosaphat* significat *vallem divisionis iudicii*, ideo multi putant, quemlibet locum, in quo iudicium habetur, et boni a malis separantur, vallem Iosaphat nuncupari posse. Alii autem contendunt, iudicium vere in illa valle Iosaphat celebrandum esse, quae teste *S. Hieronymo* (2) non procul est a Hierosolymis, ad pedem montis Olivarum, et ad orientalem plagam templi hierosolymitani locata. Cum enim in nullo alio S. Scripturae libro extremi iudicii locus nominetur, nulla causa nos removet, ne litterae propheticae fidem praebeamus. Porro cum Christus e monte Oliveti in coelum ascenderit (3), hinc rationem satis probabilem habemus diiudicandi, quod prope hunc locum idem Christus rediturus sit ad iudicandum. Hinc *S. Thomas* in Suppl. (4) ait: « Probabiliter potest colligi ex Scripturis, quod circa locum montis Oliveti descendet, sicut et inde ascendit: ut idem esse ostendatur, qui descendit, et qui ascendit. » Hinc Angeli dixerunt: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* (5): quae verba licet de modo, seu forma ultimi adventus Christi dicta sint, possunt tamen congrue etiam de loco intelligi. Praeterea convenit, ibi celebrari iudicium extremum, ubi Christus ab hominibus fuit iniustis ime iudicatus: cum autem prope Hierosolymam Christus iudicium hominum passus fuerit, videtur decens, quod non longe ab eadem urbe homines ad iudicium vocandi sint a Christo. Denique antiquissima, et maxime vulgata est haec sententi in Ecclesia, quod patet ex canone 30 *Concilii Nicaeni*, ex arabico verso, in quo conceditur praerogativa honoris Episcopo hierosolymitano, utpote in ea urbe residenti, *unde crux Dei et Domini nostri coepit, et ubi est loc s iudicii* (6). Si dicatur vallem Iosaphat angustioris esse extensionis, ac opus sit ad tot hominum millena capienda, respondendum est, non dubitari posse de possibilitate, ubi de ordinatione Dei omnipotentis sermo est. Natura corporum humanorum post resurrectionem nobis satis nota non est, ut quale spatium requirant determinare valeamus. Constat praeterea, multos cum Christo ut Iudices sedere, et iustos in aëre locandos esse (7). Cui addendum est, non solam vallem Iosaphat corporibus reproborum replendam esse, sed etiam montes contiguos, ac loca finitima. Nihil enim repugnat, quod unus locus pro sede alterius nominetur, quamquam in eodem situ plane non contineatur. Hoc clare videmus in castris exercituum. Dicuntur enim militum acies castrametari in aliquo loco determinato, quamvis ad multa milliaria ostendantur. Considerandum est itaque centrum positionis, non circumferentiae. Scriptura autem vallem Io-

(1) Cf. Suarez l. c. Disp. 57, Sect. 2.
(2) In Ioel. 3. (3) Act. 1, 12.
(4) Q. 88, art. 4. (5) Act. 1, 11.
(6) Cf. Estius in 4, Dist. 48, § 4.
(7) 1 Thess. 4, 16.

saphat magis, quam montem Oliveti nominare maluit, quia Olivetum misericordiam potius significat, Iosaphat vero iudicium.

3. *Tempus iudicii* nobis ignotum esse, iam § 814 probatum fuit. Certum quidem est, multiplicia signa extremum iudicium praecessura esse. Sed, ait *S. Thomas* l. c. (1), « nec illa (signa) quae in Evangeliis, vel in Epistolis ponuntur ad ultimum adventum spectantia, ad hoc possunt valere, ut determinate tempus iudicii possit agnosci; quia illa pericula, quae praenunciantur nuntiantia vicinum Christi adventum, etiam a tempore primitivae Ecclesiae fuerunt, quandoque intensius, quandoque remissius... et quandoque plures, quandoque pauciores tribulationes in Ecclesia fuerunt. Unde non potest determinari, quantum tempus sit futurum, nec de mense, nec de anno, nec de centum, nec de mille annis, ut *S. Augustinus* Epist. 80 ad Hesychium dicit. Et si credantur in finem huiusmodi pericula magis abundare, non poterit tamen determinari, quae sit illa quantitas periculorum, quae immediate diem iudicii praecedet, vel antichristi adventum: cum etiam circa tempora primitivae Ecclesiae fuerint persecutiones aliquae adeo graves, et corruptiones errorum adeo abundarent, quod ab aliquibus tunc vicinus expectaretur, vel imminens antichristi adventus: sicut dicitur in ecclesiastica historia, et in libro *Hieronymi*, de viris illustribus. »

Usus doctrinae de extremo iudicio.

§ 846. 1. Veritas iudicii extremi, in quo omnia peccata, etiam occultissima, publice manifestantur, fideles a peccatis retinere, et ad seriam poenitentiam excitare debet. Hinc *S. Basilius* (2) ait: « Si quando te senseris ad quoddam allici peccatum, in mentem tibi revoca formidabile illud, et nulli mortalium tolerabile Christi iudicium, in quo quidem praesidet iudex in alto et sublimi throno; adstabit creatura omnis trepida et contremiscens ad ipsius gloriosum et illustrem adventum, et singuli quique sistentur de his examinandi, quae in vita gesserunt: » hac cogitatione armatus tentationem vinces, et a peccato immunis manebis. — Imo eadem iudicii memoria etiam iis saluberrima est, qui in peccata lapsi sunt, ut ad poenitentiam excitentur. Ideo idem *S. Basilius* (3) Epist. ad virginem lapsam, ut hanc ad poenitentiam impelleret, eidem proponit iudicium extremum, et libros apertos, « bona, mala, manifesta, occulta, actiones, verba, cogitationes clare et aperte revelantes, ita ut ab omnibus et Angelis et hominibus cognosci possint. » Et *S. Gregorius M.* (4) dicit: « Illum diem, fratres carissimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite. Adventum namque aeterni Iudicis tanto securiores videbitis, quanto nunc districtionem illius timendo praevenietis. »

2. Per memoriam iudicii extremi etiam ad opera bona peragenda, et ad virtutes exercendas incitari debemus. Nam in hoc iudicio etiam, *omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (5); virgines fatuae in lampadibus oleum non habentes a nuptiis coelestibus excluduntur (6), et inutilis servus in tenebras exteriores eii-

(1) Art. 3 ad 2. (2) Hom. in Ps. 33.
(3) Epist. 46 (al. 5).
(4) Hom. 1 in Evang.
(5) Matth. 7, 19.
(6) Matth. 25, 2, etc.

citur (1); imo in illos, qui opera caritatis neglexerunt, dura sententia fertur: *Discedite a me, maledicti*, etc. (2). Vae igitur tepidis et negligentibus in die iudicii, in quo propter plurimas culpandas omissiones damnabuntur, et per quaedam opera bona, inperfecte et negligenter facta, non iustificabuntur! Quis haec serio considerans ad fervorem spiritus non excitabitur? — Recte *S. Anselmus* Meditat. 2 de terrore iudicii exclamat: « O anima sterilis, quid agis? quid torpes, anima peccatrix! Dies iudicii venit, iuxta est dies Domini magnus, iuxta et velox nimis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae; dies calamitatis et miseriae; dies tenebrarum et caliginis; dies nebulae et turbinis; dies tubae et clangoris. O vox diei Domini amara! quid dormitas, anima tepida et digna evomi? quid dormitas? Qui non expergiscitur, qui non tremit ad tantum tonitrum, non dormit sed mortuus est. »

3. Consideratio iudicii illam mentis superbiam reprimere valet, quae ex magna scientia, aut ex praesumpta pietate oriri solet. Nam scientia sine pietate in iudicio non prodest, quia iuxta effatum Christi solummodo *qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum* (3). Hinc lib. 1 de Imitat. Christi cap. 2 dicitur: « Si scirem omnia, quae in mundo sunt, et non essem in caritate, quid me iuvaret coram Deo, qui me iudicaturus est ex facto? » et cap. 3, n. 5: « Adveniente die iudicii non quaeretur a nobis, quid legimus, sed quid fecimus, nec quam bene diximus, sed quam religiose vixi-mus. » Scientia est donum Dei, quod ad fovendam pietatem adhibendum est, ne gravius iudicium incurratur. Nam, ait *S. Gregorius M.* (4): « Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. » — Facile porro homines se pios reputant, et de exantlatis bonis operibus sibi complacent. Sed alia sunt iudicia Dei, alia iudicia hominum. Haec saepe falluntur, et aurum reputant, quod nullius valoris coram tribunali divino declarabitur. Saepe etiam Deus peccata detegit, quae homo amore proprio obcaecatus non cognoscit. Hinc ad exemplum Sanctorum iudicium timere, in humilitate persistere, cum metu et tremore salutem operari, continuo ad perfectionem tendere, et non in propriis meritis, sed in meritis Christi, et misericordia Dei confidere debemus, ut faustam aeternae remunerationis sententiam audire mereamur.

4. Pro animarum pastoribus haec notatu dignissima praescribit *Catechismus rom.* (5) dicens: « Iudicii materia saepius fidelis populi auribus inculcari debet. — Nam huius articuli veritas fide concepta, maximam vim habet ad frenandas pravas animi cupiditates, atque a peccatis homines abstrahendos. Quare Eccli. VII, 40 dictum est: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Ac profecto vix quisquam adeo praeceps in scelera feretur, quem illa cogitatio ad pietatis studium non revocet, fore aliquando, ut ei apud iustissimum Iudicem omnium non solum factorum dictorumque, sed etiam occultissimarum cogitationum ratio reddenda, et pro meritis poena persolvenda sit. Iustus

(1) Ib. Matth. 25, 30. (2) Ib. v. 41, etc.
(3) Matth. 5. 19. (4) Hom. 9 in Evang.

(5) P. I, c. 8, n. 11.

vero ad colendam iustitiam magis ac magis incitetur, ac summa laetitia efferatur, necesse est, quamvis etiam in egestate, infamia, cruciatibus vitam degat, cum animum ad eum diem refert, quo, post aerumnosae huius vitae certamina, victor universis hominibus audientibus declarabitur, et divinis, atque illis quidem aeternis honoribus, in coelestem patriam receptus, afficietur. Quod igitur reliquum est, hortari fideles oportet, ut optime vivendi rationem comparent, ad omne pietatis studium se exerceant, quo possint adventantem magnum illum diem maiori cum securitate animi expectare, atque adeo, ut filios decet, cum summa cupiditate expetere. »

ARTICULUS II.

De consummatione saeculi.

§ 847. Creaturae materiales, intellectu et voluntate destitutae, quarum complexus *mundus physicus*, seu simpliciter *natura* nuncupatur, propter hominem creatae sunt (1). Mirum proinde non est, quod pro vario hominum statu, variam quoque sortem experiantur. Pro hominibus innocentibus et iustitia originali praeditis in maxima perfectione conditae sunt; nam *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (2). Cum autem homines lapsi sunt, mox etiam naturae deterioratio secuta est; dixit enim Deus Adamo: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae* (3). Quia enim homo rebellis factus erat in Deum, etiam natura quodammodo rebellis facta est in hominem; unde *S. Augustinus* (4) dicit: « In illius peccati poena, quid inobedientiae nisi inobedientia retributa est? » — Christus quidem homines lapsos redemit (5), verum sicut ab hominum corporibus mortem caeterasque aerumnas non abstulit, ita etiam caeteras creaturas corporales in suo deteriorationis statu reliquit. Cum autem post sententiam in extremo iudicio prolatam reprobi *ibunt in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam* (6), quid fiet de mundo visibili cum iam non adsint homines, quibus inserviat? Certum omnino est, quod praesens ipsius status in novissimo die finem habeat, et quod a sapientissimo Gubernatore ad finem suum perducatur. Verum iuxta divinae revelationis doctrinam mundus physicus, seu natura corporea non in nihilum redigetur, sed immutabitur, renovabitur et clarificabitur. Huius iam *renovationis veritatem ostendere*, eiusque *modum*, *tempus* et *effectus* declarare oportet.

I. *De veritate renovationis et clarificationis mundi physici.*

§ 848. Praesentem rerum corporearum statum in novissimo die finem habiturum, et mundum physicum destruendum esse, iam § 814, n. 1 probatum fuit: restat igitur, ut hic ostendamus, illum non annihilandum, sed renovandum et clarificandum esse, quod *S. Scriptura* et *Traditio* probant.

1. In *S. Scriptura V. T.* renovatio coeli et terrae haud obscuris verbis praedicitur. Deus enim per Isai. dicit: *Ecce enim ego creo coelos novos et terram novam: et non erunt in memoria priora, et non ascendent su-*

(1) § 141, nota 1. (2) Gen. 1, 31.
(3) Gen. 3, 17, etc.
(4) Lib. 14 de Civ. Dei, cap. 15, n. 2.
(5) § 376 et 377. (6) Matth. 25, 46.

per cor (1): quae verba equidem a recentioribus interpretibus de liberatione Iudaeorum, et de restitutione urbis Ierusalem exponi solent; sed quaeri potest, quandonam in nova Hierosolyma ea impleta fuerint, quae subiunguntur: *Gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo.... et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris. Non erit ibi amplius infans dierum, et senex, qui non impleat dies suos* etc. (2)? Saltem admittendum est, citata verba in sensu mystico ad renovationem naturae in novissimo die pertinere, quia Hierosolyma terrestris typus fuit civitatis coelestis. Locus parallelus legitur Is. LXVI, 22, dicente Deo: *Sicut coeli novi et terra nova, quae ego facio stare coram me - sic stabit semen vestrum et nomen vestrum.* In N. T. Christus ipse diem novissimum, diem *regenerationis* nominat, dicens: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël* (3). Non itaque in nihilum redigentur, sed regenerabuntur, ac innovabuntur omnia in fine saeculorum, quando veniet Filius hominis iudicare vivos et mortuos. Paulus Rom. VIII, 19 etc., restaurationem omnium rerum his verbis docet: *Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat*, id est, res creatae omnes, licet haud intelligentes, tamen avidissime praestolantur tempus, quo filii Dei aeterna gloria donabuntur, ut nempe una cum eis, quibus quasi dominis, et heris servierunt, etiam ipse gloriam suam, renovationem et ultimam perfectionem accipiant. *Vanitati enim*, id est, continuae immutationi, defectioni et corruptioni, *creatura subiecta est non volens*, id est, non sua sponte, neque ex inclinatione suae naturae, *sed propter eum* (Deum) *qui subiecit eam* ob peccatum hominis, non tamen in perpetuum, sed *in spe*, liberationis videlicet, et commutationis in melius: *quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae*, id est, in communicationem status incorruptibilis, et gloriosi *filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.* Quem in locum praeclare *S. Chrysostomus* (4) dicit: « Cum emphasi loquitur Apostolus, et mundum totum in personam convertit, ut et Prophetae faciunt, fluvios manibus plaudentes inducunt, et colles salientes, montesque exultantes, non ut illa animata esse putemus, neque ut cogitationem quamdam ipsis indamus, sed ut bonorum exuperantiam ediscamus, quasi ad ea, quae sensu carent, pertingant. » Et inferius (5) ait: « *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, id est, non ultra corruptibilis erit, sed corporis tui pulcritudinem sequetur. Sicuti enim te corruptibili effecto, ipsa quoque corruptibilis facta est, sic, cum incorruptibilis eris, ipsa quoque sequetur; quod ut ostendat, subiungit: *In libertatem gloriae filiorum Dei*, id est, propter libertatem. Ut enim nutrix infantem alens regium, cum ille ad paternum imperium pervenerit, ipsa quoque simul bonis fruetur, ita et creatura inquit. Videsne hominem ubique praecedere, et propter eum omnia fieri? » — *S. Petrus* dicit, nos esse *expectantes, et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur, et*

(1) Is. 65, 17. (2) V. 18, etc.
(3) Matth. 19, 28.

(4) Hom. 14 in Ep. ad Rom. n. 4.
(5) N. 5.

elementa ignis ardore tabescent. Novos vero coelos, et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat (1). Clarissime demum eandem veritatem praedicit S. Ioannes Apoc. XXI, 1 etc.: *Vidi coelum novum*, inquit, *et terram novam; primum enim coelum, et prima terra abiit, et mare iam non est. Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de coelo a Deo; paratam sicut sponsam ornatam viro suo;* v. 5: *Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.*

2. *Ss. Patres* maximo consensu affirmant, mundum physicum non in nihilum redigendum, sed immutandum et renovandum esse. In Epistola *S. Barnabae* tempore iudicii extremi sol, luna et stellae mutari dicuntur. *Athenagoras* de resurr. mort., n. 12 ait: « Est species quaedam mutationis eaque omnium postrema, resurrectio, et eorum, quae tunc temporis adhuc supererunt, in melius immutatio. » *S. Hilarius* (2) inquit: « Hinc officiorum suorum necessitate absoluta, et antea in usus humani subiecta servitii, iam conformata tandem filiorum Dei gloria in aeternam beatitudinem, creationum elementa requiescunt. » Et (3) addit: « Vivunt autem (elementa creata) adeo ut in saeculum saeculi maneant; et - revelationem filiorum Dei expectent, a corruptionis servitio in conformem eorum gloriam liberanda. » *S. Ambrosius* exponens verba Ps. CI: *Ipsi peribunt, tu autem permanes*, scribit: « Pereunt ab eo, quod sunt, dum immutantur in melius creaturae. » *S. Epiphanius* Haer. 64 varia adducit Scripturae testimonia, quae mundi renovationem tempore iudicii affirmant, et subiungit: « Hic mos est Scripturis, ut hanc mundi transmutationem in meliorem, ac magis gloriosam restitutionem interitum, ac perditionem dicant, tamquam videlicet prior figura pereat per universorum ad illustriorem statum mutationem: nam nulla contrarietas, aut absurditas est in divinis Scripturis. *Praeterit enim figura huius mundi*, et non mundus, dictum est. Sic sane morem habent Scripturae ut perditionem vocent mutationem in meliorem, aut pulcriorem formam priori. » *S. Cyrillus Hier.* (4) dicit: « Fiet mundi huius consummatio, et factus iste mundus rursus renovabitur. — Pertransibit hic mundus, ut qui sit pulcrior, excitetur. — Convolvet coelos Dominus, ut non iis afferat interitum, sed ut rursus excitet pulcriores. » *S. Basilius* (5) inquit: « *Seminatur corpus animale, resurgit corpus spiritale:* quo tempore etiam corporea omnis creatura nobiscum immutabitur. » (Cf. Hom. in Hexaem., num. 4). — *S. Gregorius Nazianzenus* (6) ita loquitur: « Expectabo Archangeli vocem, extremam tubam, coeli transformationem, terrae immutationem, elementorum libertatem, totius mundi renovationem. » *S. Gregorius Nyss.* de opific. hom., c. 22 haec habet: « Deus praestituit, ut huius (generis humani) procreatione absoluta, temporis etiam continuatio expiraret, sequente porro rerum instauratione et mutatione universitatis de natura interitui obnoxia et terrena in quamdam morborum expertem et immortalem. » *S. Hieronymus* Comm. in Isa. XXIV, 1 - 3 inquit: « Dissipabitur terra, et omnia terrena opera redigentur ad nihilum, ut abolita imagine, permaneat imago

(1) II Ep., cap. 3, 12, etc.
(2) In Ps. 145, n. 2 (3) N. 5.
(4) Catech. 15, n. 3. (5) In Ps. 44, n. 2.
(6) Orat. 10.

supercoelestis... Non quod secundum haereticos dispereat natura corporum, sed quod corruptivum hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem. » Et in Matth. XXIV, 35 dicit: « Coelum et terra transibunt immutatione, non abolitione sui: alioquin quomodo sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent, si coelum, in quo sunt ista, terraque non fuerint? » — Et Comm. in Isa. LXV, adducit verba Ps. CI: *Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et quasi amictum mutabis eos et mutabuntur;* atque concludit: « In quo perspicue demonstratur, perditionem et interitum, non abolitionem in nihil, sed commutationem sonare in melius. » *S. Augustinus* lib. 20 de Civitate Dei, cap. 14 scribit: « Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. — Figura praeterit, non natura. » Et cap. 16 eandem veritatem fusius declarat dicens: « Iudicatis his, qui non sunt scripti in libro vitae, et in aeternum ignem missis - tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quae corporibus immortalibus mutatione conveniant: ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis. » Alibi contra Ep. Manich. (1) idem paucis edisserit: « Malo adempto manet natura purgatior. » *S. Gregorius M.* (2) ait: « Etsi coelum et terra post in aeternum permanent, ex semetipsis tamen nunc ad nihilum properant: sed pro eorum usu, quibus serviunt in melius mutanda perseverant. » Et alibi (3): « Vanitati quippe creatura non volens subditur, quia homo, qui ingenitae constantiae statum volens deseruit, pressus iustae mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis suae corruptioni servit. Sed creatura haec tunc a servitute corruptionis eripitur, cum ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo sublevatur. » Non potest ergo mundi physici renovatio et clarificatio negari, quam S. Scriptura affirmat, et quae in Ecclesia semper, ubique et ab omnibus credita est.

3. *Scholastici* praefatae renovationis convenientiam rationibus theologicis ostenderunt. *S. Thomas* in Supplem. (4) ait: « Cum ad visionem intuitivam essentiae divinae oculus carnis attingere non possit, et ideo, ut ei etiam solatium congruens de visione divinitatis praebeatur, inspicit divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinae maiestatis apparebunt, et praecipue in carne Christi, et post hoc in corporibus sanctorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus; et ideo oportebit, ut etiam alia corpora maiorem influentiam a divina bonitate suscipiant, quam nunc, non tamen speciem variantem, sed addentem cuiusdam gloriae perfectionem; et haec erit mundi innovatio, unde simul mundus innovabitur, et homo glorificabitur. » *S. Bonaventura* in Compend. theol. verit. (5) inquit: « Mundus factus est, ut homo nunc per speculum creaturae cognosceret, quem in sua natura videre non poterat. Unde in futuro saeculo oportet specu-

(1) C. 33, n. 36. (2) Lib. 5 Mor., c. 34, n. 63. (3) Lib. 4 Mor., c. 34 n 68

(4) Q. 91, art. 1. (5) Lib 7, c 20.

lum meliorari et purgari, ut in pulcritudine creaturarum amplius refulgeat species Creatoris. — Sicut elementa infecta sunt propter peccatum hominis, ita dignum est, ut mundus innovetur propter glorificationem hominis. »

II. *De praefatae innovationis modo, tempore et effectibus.*

§ 849. 1. Non defuerunt auctores catholici, qui existimarent, mundi innovationem in die iudicii esse substantialem ita, ut omnia simplicia corpora tam coelestia, quam terrestria substantialiter sint annihilanda, vel saltem corrumpenda, et nova alia creanda, vel generanda alterius substantiae et naturae. Hanc sententiam probat cum nonnullis aliis *Ambr. Catharinus* ex Scripturae locis, in quibus de novis coelis, et de nova terra sermo est, et praecipue ex verbis Ioannis Apoc. XXI: *Primum enim coelum, et prima terra abiit, et mare iam non est*, ac pro eadem sententia citat *S. Hilarium*, *S. Ambrosium*, *S. Basilium*, *S. Gregorium Nyss.*, *S. Chrysostomum*, *Theodoretum* et alios. — Sed communior et solidior theologorum sententia est, corpora coelestia et terrae elementa non substantialiter mutari et innovari, sed tantum accidentaliter. Sic enim secundum Scripturam novos coelos et novam terram exspectare iubemur, sicut nos admonet Apostolus, *ut exuentes veterem hominem induamus novum*, manente nimirum homine secundum substantiam, sicut et alibi de eadem spirituali hominis renovatione loquens dicit: *Vetera transierunt, facta sunt omnia nova.* Quod ergo Apoc. XXI legitur: *Primum enim coelum, et prima terra abiit*, similiter intelligendum est non quoad substantiam, sed quoad vetustatem, id est, qualitates praesenti nostrae mortalitati convenientes; nam *abiit* dictum est pro *transiit*, secundum quod in Evangelio praedicitur: *Coelum et terra transibunt*, vel *praeteribunt*. Quod autem sequitur: *Et mare iam non est*, simpliciter accipi potest, quod non erit amplius mare crassum, terrestre, salsum, impurum; per quod non negatur permanere aquam puram, subtilem, impermixtam, id est, purum aquae elementum. Eodem modo Ss. Patres intelligendi sunt, dum visibiles creaturas transire, praeterire, resolvi, destrui etc. dicunt, per quae verba tantum eiusdem substantiae purgationem et renovationem indigitant. Multi quoque cum *S. Augustino* expresse negant, coelum et terram annihilari, docentque, ea, manente eorum substantia, innovari ac perfici. Quod ut probent *S. Epiphanius* et *S. Hieronymus* citant verba Rom. VIII, 22 etc.: *Scimus, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc: non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri:* « quorum verborum sensus est, ait *Cl. Suarez* (1): Sicut nos appetimus nostri corporis immutationem et glorificationem, ita reliquas creaturas, potissime coelos, exspectare et ingemiscere suam innovationem et instaurationem: ergo signum est, hanc innovationem non esse futuram per substantialem immutationem; quia, si coeli non essent permansuri secundum suam substantiam post illam innovationem, non esset eorum perfectio, sed potius destructio; unde nec exspectarent illam, sed potius timerent: sicut nos, si non essemus in iisdem corporibus surre-

(1) q. 59, a. 6, Disp. 58, Sect. 2.

cturi, non appeteremus illam immutationem, neque illa posset dici redemptio corporis nostri. »

2. Innovationem mundi per ignem fieri, ostendunt citata § 814, n. 1 loca, Ioël II, 1 etc.; II Thess. I, 8; II Petr. III, 6 etc. Idem docuerunt Patres ibidem citati, *Minutius Felix*, *S. Augustinus*, *S. Gregorius M.* et alii § praec. adlegati. Etiam philosophos ethnicos idem sensisse, testatur *S. Iustinus M.* (1) scribens: « Stoici philosophi mundum in ignem dissolutum iri opinantur, ac novum per mutationem mundum fore dicunt. » *Minutius Felix* in Octavio dicit: « In vim ignis abiturum mundum, stoicis constans opinio est. Quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat, etiam Epicuraeis de elementorum conflagratione, et mundi ruina eadem sententia est. » *S. Theophylus Antioch.* (2) inquit: « Quod pertinet ad conflagrationem mundi, nolentes volentes consentiunt cum prophetis philosophi, quamvis temporis respectu illis hi multo sint iuniores. De mundi conflagratione vaticinatus est propheta Malachias dicens: *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula: et inflammabit eos dies veniens* (3): » quem locum ad interitum mundi per ignem probandum citat etiam *S. Irenaeus* (4). *S. Thomas* rationem affert, ob quam divina Sapientia ad mundum innovandum igne utatur. Ait enim in Supplem. (5): « Mundi purgatio removebit a mundo infectionem ex culpa relictam, et impuritatem commixtionis, et erit dispositio ad gloriae perfectionem, et ideo quantum ad haec tria convenientissime fiet per ignem purgatio: *primo*, quia ignis, cum sit nobilissimum elementorum, habet naturales proprietates similiores proprietatibus gloriae, ut maxime patet de luce: *secundo*, quia ignis non ita recipit commixtionem extranei propter efficaciam suae virtutis activae, sicut alia elementa: *tertio*, quia sphaera ignis est remota a nostra habitatione, nec ita communis est nobis usus ignis sicut terrae, aquae et aëris; unde non ita inficitur, et praeter hoc habet maximam efficaciam ad purgandum, et ad dividendum subtiliando. » Et ibid. (6) angelicus Doctor dicit, quod ignis ille, quo mundus purgabitur, sit eiusdem speciei cum igne elementari: quod probat (in *sed contra*) dicens: « Sicut purgatio futura erit per ignem, ita praecedens fuit per aquam, et utraque ad invicem comparatur (7). Sed in prima purgatione aqua fuit eiusdem speciei cum aqua elementari: ergo et similiter erit in secunda purgatione ignis eiusdem speciei cum igne elementari. » Pro eadem sententia citatur *S. Augustinus*, qui lib. 20 de Civ. Dei, cap. 16, agens de extremo iudicio dicit: « Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. »

3. Non consentiunt theologi circa tempus, quo conflagratio et innovatio mundi contingat, quam nonnulli ante iudicium, alii post iudicium futuram esse putant. Prior sententia probatur ex Ps. XCVI, v. 3, ubi dicitur: *Ignis ante ipsum* (Iudicem) *praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius*. Alia quoque S. Scripturae testimonia ostendunt, per illum ignem peccatores terrendos ac cruciandos, iustos vero a naevis sibi adhuc ad-

(1) Apol. 2.
(2) Lib. 2 ad Autol. (3) C. 4, v. 1.
(4) Lib. 4 adv. haer., cap. 8.
(5) Q. 74, art. 2. (6) Art. 3.
(7) II Petr. 3, 6 et 7.

haerentibus purgandos, et demum omnes eo tempore viventes interimendos esse: ex quo sequitur, ignem purgantem et innovantem ipsam quoque resurrectionem, et multo magis iudicium praecedere. Hinc *S. Gregorius* (1) dicit: « Christum in iudicium appariturum esse coelis et terris ardentibus: » quae verba plane significant conflagrationem futuram in ipso iudicis adventu, seu ante iudicium. Eandem sententiam defendunt *Lombardus*, *S. Thomas* (2) et plerique Scholastici, qui ad eam probandam rationem theologicam afferunt: quia nempe sanctorum corpora resurgent gloriosa, idcirco oportebit mundum iam ante esse purgatum et renovatum, ut, quemadmodum *S. Augustinus* l. c. ait, mundus innovatus hominibus innovatis serviat. Sicut enim homo animalis in mundum iam ante conditum, ipsiusque usibus serviturum per creationem introductus est, ita convenit, et hominem spiritualem in mundum renovatum, et quodammodo spiritualem effectum per resurrectionem introduci. — Sed his non obstantibus alii theologi cum *Suarez* (3) contendunt, mundi innovationem futuram esse peracto iudicio, et post reditum Christi in coelum. Nam I Cor. XV, 24 legitur: *Deinde finis, cum tradiderit* (Christus) *regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem* (id est, angelos malos, seu daemones); unde (v. 25) additur: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Christus ergo Patri regnum traditurus est, cum daemones et caeteri reprobi evacuati, seu in tartarum missi fuerint, quod absoluto iudicio fiet; et *deinde finis* erit, nempe consummatio, et omnimoda innovatio rerum omnium ad perfectionem mundi pertinentium. Praeterea S. Scriptura dicit, Dominum venturum esse *in nube* ad iudicium (4); et sanctos in *nubibus* rapiendos obviam Christo (5). Sed nubes non conveniunt statui incorruptionis, ut nec alia meteora, pluvia, nix, grando, etc.: ex quo apparet, mundum, Christo ad iudicium veniente, et iustis iam resuscitatis, nondum fore innovatum. Haec est sententia *S. Augustini*, qui lib. 20 de Civitate Dei, cap. 14 dicit: « Peracto quippe iudicio tunc esse desinet hoc coelum et haec terra, quando incipiet esse coelum novum et terra nova: » ad quam sententiam probandam adducit verba Apoc. XX, 11: *Et vidi thronum magnum et candidum, et sedentem super eum, a cuius conspectu fugit coelum et terra, et locus non est inventus eis;* et observat, id non tunc factum esse, « antequam esset de vivis et mortuis iudicatum, sed cum se vidisse dixit in throno sedentem, a cuius facie fugit coelum et terra, sed postea. » *Suarez* loc. cit. rationem theologicam pro eadem sententia affert dicens: « Donec omnes reprobi de hoc mundo expellantur, non erit commodum tempus purgandi, ac renovandi illum, quoniam per eorum praesentiam quodammodo contaminatur; nec etiam expediet, damnatos frui vel ad modicum tempus luce et pulcritudine huius mundi innovati, et ad quemdam statum gloriae perducti. » — Cum ambae hae sententiae gravibus argumentis innitantur, absonum non erit, ut tertia statuatur, quae utramque conciliet, dicendo, ignem vere iudicem iam praecessurum esse, ut confundat impios, et purget iustos a naevis non

(1) Hom. 26 in Evang.
(2) L. c. art. 7.
(3) Qua. 59, art. 6, Disp. 58. Sect. 1.
(4) Luc. 21, 27. (5) I Thess. 4, 16.

liberos; perfectam vero mundi purgationem et innovationem peracto iudicio locum habere. Etiam *S. Thomas* ab hac sententia alienus non est, qui l. c. dicit: « Cum conflagratio mundi sit dispositio ad renovationem praedictam, — manifeste potest colligi, quod illa conflagratio quoad purgationem mundi iudicium praecedet, sed quoad aliquem actum, qui scilicet est involvere malos, iudicium sequetur. » Et ibid. ad 1 respondens ad auctoritatem *S. Augustini* (1) ordinem eorum, quae in iudicio extremo eventura sunt, proponentis dicit: « Quod *S. Augustinus* non loquitur determinando, sed opinando, » atque addit: « Quae omnia quidem ventura esse credendum est; sed quibus modis, et quo ordine veniant, magis tunc docebit experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominis intelligentia. »

4. Effectus, quos ignis, resurrectionem et iudicium praecedens, in hominibus producit, ita explicat *S. Thomas* l. c. (2): « Ignis ille finalis conflagrationis quantum ad hoc, quod iudicium praecedet, aget ut instrumentum divinae iustitiae, et iterum per virtutem naturalem ignis. Quantum ergo pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in malos et bonos, qui vivi reperientur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo: in quantum vero aget ut instrumentum divinae iustitiae, diversimode aget in diversos quantum ad sensum poenae. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur; boni vero, in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne sentient, sicut nec tres pueri senserunt in camino ignis (3), quamvis eorum corpora non servabuntur integra, sicut puerorum servata fuerunt; et hoc divina virtute fieri poterit, ut sine doloris cruciatu resolutionem corporum patiantur: boni vero, in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne, plus vel minus pro meritorum diversitate. Sed quantum ad actum, quem post iudicium ille ignis habebit, in damnatos tantum aget, quia omnes boni habebunt corpora impassibilia. »

5. Iuxta communem theologorum sententiam ignis non attinget corpora coelestia, solem, lunam et astra. *S. Hieronymus* et *S. Augustinus* id probant ex II Petr. III, 6 etc., ubi conflagratio mundi cum diluvio comparatur. Sicut ergo aqua inundans non attigit solem, lunam et astra, ita nec ignis corpora haec coelestia attinget. Per coelos proinde S. Petrus intelligit coelum aëreum, quo sensu dicuntur *volucres coeli*, *cataractae coeli* etc. Etiam *S. Thomas* l. c. (4) docet, ignem non attingere corpora coelestia, « in quibus nihil invenitur repugnans ultimae perfectioni universi, nisi motus, qui est via ad perfectionem... et ideo a substantia coeli superioris non oportet, quod aliquid removeatur, sed oportet, ut motus eius quietetur. Quietatio autem motus localis non fit per actionem alicuius contrarii agentis, sed per hoc, quod motor desistit a movendo: et ideo coelestia corpora nec per ignem, nec per alicuius creaturae actionem purgabuntur, sed ipsa eorum quietatio, sola voluntate divina accidens eis, loco purgationis erit. » Et sane — corporum coelestium motus ordinantur, tum *ut dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos* (5), tum ut promoveant rerum generationes: sublata autem diei et noctis, et variorum anni temporum

(1) Lib. 20 de Civ. Dei, cap. ult.
(2) Art. 8. (3) Dan. 3. (4) Art. 4.
(5) Gen. I, 14.

distinctione, et cessantibus rerum generationibus, convenienter etiam cessat siderum motus. Hinc Habacuc c. III, v. 11 legitur: *Sol et luna steterunt in habitaculo suo;* et Isa. c. LX, v. 20: *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur:* id est, luna semper erit soli opposita, ut semper sit plena et perfecta: licet enim lux eius futura sit ut lux solis, eam ipsam tamen lucem, ut modo, a sole mutuabitur. Certum autem est, quod lumina coelestia, sol, luna et stellae magnum suae lucis incrementum accipient, multoque, quam nunc, amplius lucebunt: *Erit enim*, ut ait Isaias, *lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum* (1); quod et eadem ratione de caeteris stellis intelligendum venit. Nam, ait *S. Thomas* (2): « Totus mundus innovabitur in melius; sed coelum est nobilior pars mundi corporalis: ergo in melius mutabitur. Sed hoc non potest esse, nisi maiori claritate resplendeat: ergo maiorabitur et crescet eius claritas. » Neque huic contrarium est, quod Is. LX, 19 legitur: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam;* hoc enim de usu horum luminarium ad necessitatem utentium accipiendum est, ut indicat *S. Hieronymus* in eum locum scribens. Et ipse Propheta (v. 20) semel declarat dicens: *Non occidet sol* etc. Apertius autem hunc sensum explicat Ioannes Apoc. XXI, 23: *Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est agnus.* Et ibid. XXII, 5: *Et nox ultra non erit: et non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Cum enim splendor Corporis Christi, omniumque beatorum perpetuum clarissimumque lumen praebiturus sit toti mundo, iam non ad usum aliquem necessarium sed ad ornatum universi sidera aucto lumine remanebunt.

6. Elementa, nempe ignis, aër, aqua et terra, quoad substantiam et qualitates eorum proprias remanebunt, sed a sordibus et infectionibus purgabuntur, ut docet *S. Thomas* l. c. (3), qui ibid. (4) addit, illa tantum elementa purganda esse, quae ob infectionem contractam purgatione indigent. Ideo ignis purgans non ascendet ad supremam aëris regionem: cum enim ad illam non ascendant terrae vapores, et communes exhalationes, non habet ea regio impuritatem aliquam, nec contaminatur. Certum autem est, addendam esse elementis omnibus eximiam claritatem et lucem non aequalem, sed proportionatam. Nam, ait *S. Thomas* (5), quod terra erit lucida et pervia sicut vitrum in superficie, aqua sicut cristallus, aër sicut nunc est coelum, ignis sicut nunc sunt luminaria coeli. « Quae sententia, ait *Cl. Suarez* (6), fundari potest tum in locis Scripturae, in quibus promittitur *coelum novum et terra nova;* nam sub his corporibus caetera comprehenduntur: tum in Paulo Rom. VIII dicente, omnem creaturam participaturam illam gloriae pulcritudinem, tum in coniectura, quae ex loco sumitur. Quia sicut in gloria corpus humanum, quod ex elementis constat, perficietur ex coniunctione ad spiritum beatum; ita decet, ut totus hic sublunaris, seu elementaris mundus illustretur, et perficiatur ex coniunctione ad coelestia cor-

(1) C. 30, v. 26. (2) Suppl. q. 91, art. 3.
(3) Art 5. (4) Art. 6.
(5) In Suppl. q. 91, art. 4.
(6) L. c. Sect. 2.

pora. Unde facile reddi potest quaedam causa huius claritatis elementorum, scilicet coelestia corpora ac luminaria, in quibus tanta fiet lucis accessio, ut ab eis manare possit tota illa claritas usque ad terram. Et quia coeli erunt in perpetua quiete, illuminatio illa semper eadem erit. Et divina providentia fiet, ut quando coeli quiescant, astra omnia ita maneant disposita respectu totius universi, ut utrumque hemispherium et omnes universi partes perfectissime illustrentur. »

7. Certum est, in novissimo die per ignem omnia genera plantarum et animalium comburenda et consumenda esse. Quaeritur ergo, an iterum reproducantur, et mundo innovato restituantur? — Quidam affirmative respondent, quia omnis creatura revelationem filiorum Dei exspectat, ac quia plantae et animalia ad ornatum et pulcritudinem universi requiruntur. — At *S. Thomas* (1), *S. Bonaventura* et theologi plerique negant futura animalia, plantas et alia corpora mixta in mundo post eius instaurationem, « quia, ait *Cl. Suarez* loc. cit. (2), sunt omnino corruptibilia, in illo autem statu liberabitur creatura a servitute corruptionis; et ideo solum manebunt ea corpora, quae aliquem ordinem habent ad incorruptionem, ut sunt corpora coelestia et elementa, quae licet nunc secundum partes corrumpantur, tamen secundum se tota sunt incorruptibilia. Dicere autem, plantas aut animalia esse perficienda dote incorruptionis modo aliquo supernaturali, voluntarium est, et sine fundamento: unde *S. Gregorius Nyss.* (3) proprium dicit esse hominis, inter omnia animantia immortalitate donari; hoc autem, ait, propter immortalitatem animae assequitur: item quia fere omnia mixta referuntur ad usum hominis ratione corporis corruptibilis, qui usus tunc cessabit; propter solum autem aspectum, eiusque oblectationem non erunt necessaria, quia multo pulcrior et delectabilior aspectus esse poterit in terra eximia claritate et splendore affecta. Erit enim facile Deo id efficere cum ea varietate et pulcritudine, quae mirum in modum visum delectet. Alioquin etiam propter delectationem odoratus possent in eo statu flores seu rosae evelli et dividi, et contrectari et alterari, ut odorem melius efflarent, aut multa alia miracula multiplicanda sunt, ut hae res futurae sint omnino incorruptibiles. Probabilius ergo videtur, eas non esse futuras, neque aliquid conferre ad perfectionem illius status. » Cum autem corpora animalium, plantae, arbores etc. non penitus annihilentur, sed in elementa sua resolvantur, recte dicitur, illa in purgatis elementis innovari et clarificari.

8. « Finita mundi exustione, ait *Cl. Suarez* loc. cit., omnia excrementa deferentur in infernum simul cum igne, si aliquid illius supervacaneum fuerit in hoc mundo. Ita *D. Thomas* in 4, Dist. 47, q. 2, art. 3, q. 3, ubi dicit, quod in purgatione mundi, quidquid erit turpe et foedum, in infernum cum reprobis detrudetur; et citat *S. Basilium* in Ps. XXVIII: *Vox Domini intercidentis flammam ignis;* dicentem crassiores partes illius ignis proiiciendas esse in infernum, subtiliores vero et lucidiores superius remansuras. Atque idem docent reliqui theologi. Et ratio est clara, quia purgatio mundi ad hunc finem ordinatur, et quia excrementa reiici solent in infimum et abiectiorem locum: item quia universa haec poena da-

(1) L. c. art. 5. (2) Sect. 3.

(3) Lib. 1 Philosoph., c. 3.

mnatis debetur. Quocirca verisimile est, illum hiatum terrae, qui ad devorandos reprobos fiet, duraturum, quousque mundi purgatio absolvatur; postea vero quam omnia excrementa mundi per illum in infernum detrudentur, occludendum esse, et terram in suam integritatem esse restituendam. »

Usus doctrinae de consummatione saeculi.

§ 850. 1. Sicut in mundi creatione et gubernatione, ita etiam in illius consummatione Deus infinitas ac immutabiles suas perfectiones manifestat. Omnipotentiam Dei graphice describit Psalmista, dicens: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (1). Divina quoque sapientia, bonitas et iustitia ex consummatione saeculi elucent. Deus enim mundum physicum, quem proxime propter homines creavit, ita etiam consummat, ut eius purgatio et innovatio cedat in gaudium electorum, et in poenam reproborum. Quis haec considerans non exclamabit cum Psalmista: *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis* (2)! Et: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* (3)!

2. Per dogma de consummatione saeculi homines ad mundi contemptum impelli debere, duo summi Apostolorum Principes docuerunt. *S. Petrus* scribit: *Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat. Propter quod, carissimi, haec exspectantes satagite, immaculati et inviolati ei inveniri in pace* (4). Et S. Paulus inquit: *Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint — et qui gaudent, tanquam non gaudentes, et qui emunt, tanquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; praeterit enim figura huius mundi* (5). Principum throni et sceptra, magnifica divitum palatia, uberes campi, horti deliciis pleni etc., omnia praeteribunt igne consumpta. Quis non exclamet: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas!* Quis non cognoscat, intolerabilem vesaniam esse, propter bona, quae transeunt, animam, quae non praeterit, negligere, aut trucidare? — Eleganter S. *Thomas a Villan.* (6) ait: « Ionas Ninivitis acclamavit: *Adhuc 40 dies, et Ninive subvertetur:* et Ninivitae ad unam prophetae vocem mutati acerrimam aggressi sunt poenitentiam... Nos quotidie vestras clamamus ad aures, quotidie vestro ingerimus auditui illud prophetae: *Adhuc 40 dies* (i. e. modicum tempus) *et Ninive* (i. e. mundus) *subvertetur.* Hoc iterum, iterumque repetimus, nolite confidere in mundo, speciem eius nolite diligere; praeterit namque figura huius mundi, et omnis haec visibilis pulcritudo cito evanescet... Faciat Deus, ut monentem per nos ipsum istorum exemplo celeriter audiatis, vitam cum moribus sollicite corrigatis, ut in praesenti pro-

(1) Ps. 101, v. 26, etc. (2) Ps. 144, 3.
(3) Ps. 72. 28. (4) II Ep. 3, 11, etc.
(5) I Cor. 7, 29, etc.
(6) Serm. pro Fer. 4 post Dom. I Quadr.

pitium, et in futuro benevolum sentiatis! »

CAPUT III.

DE IIS QUAE IUDICIUM EXTREMUM SEQUENTUR

§ 851. De iis, quae iudicium extremum sequentur, varias quaestiones movere posset curiositas humana. Nihil autem certo a nobis affirmare potest, nisi quod divina nos revelatio docet. Haec autem duo tantum nobis dogmata proponit, nempe 1) *poenas reproborum in inferno finemnon habere, et vere aeternas esse*, et 2) *gaudia electorum in coelo pariter sine fine in aeternum esse duratura.*

ARTICULUS I.

De aeternitate poenarum inferni.

§ 852. De existentia, gravitate et diversitate poenarum inferni iam alibi (1) tractatum fuit. Hic de perpetua earundem duratione agendum est. Reprobi enim semper in inferno cruciabuntur, et nunquam ex illo liberabuntur. Hoc dogma catholicum a multis negatum et impugnatum fuit. Inter Christianos primum hac in re aberrarunt nonnulli ex *Gnosticis*, qui duce Marco, Valentini discipulo, docuerunt, animas peccatis inquinatas varias subire vicissitudines, donec in altera vita a vitiis suis purgatae pristinam ad conditionem revertantur, et beatitudinis consortes reddantur. Aeternitatem poenarum etiam inficiatus est *Origenes*, « qui et ipsum diabolum, atque angelos eius post graviora pro meritis, et diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos atque sociandos sanctis angelis credidit, » ut scribit *S. Augustinus* (2) de quo errore *Origenes* iam accusatus fuit a *S. Athanasio*, a *S. Epiphanio*, a *Theophylo Alex.*, a *S. Hieronymo* et a *Synodo V oecumenica*. Notandum vero est, quod Origenes sententiam suam de inferni poenis aliquando finiendis haesitanter proposuerit, ita ut l. 1 Periarch. c. 6 de expositis suis dogmatibus dicat: « Quae quidem a nobis etiam cum magno metu et cautela dicuntur, discutientibus magis et pertractantibus, quam pro certo et definito statuentibus: » et ita demum concludit: « Certius tamen, qualiter habitura sit res, scit solus Deus; et si qui eius per Christum, et Spiritum sanctum amici sunt. » Teste *S. Augustino* loc. cit. etiam saec. V homines quidam, *Misericordes* dicti, docuerunt, non quidem daemones, sed tamen homines damnatos a poenis inferni post aliquod tempus esse liberandos. Saec. VI *Origenis* sententiam asseclas et defensores habuisse, patet ex *Concilio generali* quinto. Saec. VIII eundem errorem quibusdam placuisse ita, ut et daemones a poenis liberandos esse dicerent, affirmat *Gregorius II* Papa (3). Saec. IX de aeternitate poenarum male sensit *Ioannes Erigena* (4). Saec. XIV *Lollhardus Walterus* docuit, Luciferum cum daemonibus, coelo iniuria pulsum, tandem cum omnibus suis beatitudini restituendum esse (5). Saec. XV dicti *Homines intelligentiae*, duce *Aegidio* cantore, idipsum docuerunt teste Baluz. in Miscell., t. 2. Saeculo XVI ab ipsis protestantibus damnati sunt in confessione augustana art. 17 *Anabaptistae*, qui docebant, « tormenta daemonum et damnatorum finem habitura, et angelos apostatas in eundem locum redituros esse, in quo creati fuerunt. » Ex *Socinianis*

(1) § 760 et seq.
(2) Lib. 21 de Civ. Dei, cap. 17.
(3) Ap. Harduin. Coll. Conc., t. 3, p. 19. 69.
(4) Lib. 5 de div. nat., Saec. 14.
(5) V. Trithem. Chron. Hiraug., tom. 2 ad annum 1315.

nonnulli integram potius hominis destructionem, quam perpetuam eiusdem damnationem admittere voluerunt: quam sententiam etiam *Io. Lokius* cum aliis amplexus est. *Petrus Bayle*, *Voltaire*, *Rousseau* et alii pseudophilosophi magno conatu ostendere nisi sunt, aeternam damnationem perfectionibus divinis, nempe iustitiae, sapientiae et bonitati Dei penitus repugnare. Pedetentim etiam inter *Lutheranos* et *Calvinianos* multi a doctrina revelationis, quam primitus profitebantur, recesserunt, et poenarum inferni aeternitatem negarunt. Hinc merito *Cl. Perrone* (1) dicit: « Mirabilis hinc dignoscitur in protestantibus fidei varietas. Ideo enim ipsorum patres ab Ecclesia discesserunt, quod noluerint admittere nisi *solum ac purum infernum;* contra vero ipsorum filii, qui philosophi laudem assequi potius quam christiani inaniter satagunt, coeperunt negare inferni aeternitatem, ut in eius locum sufficiant *infernum temporarium*, seu, quod idem est, *purgatorium*, et iam pugnant contra nos *pro solo purgatorio.* » — Quidam vero, ne clarissimis S. Scripturae testimoniis adversentur, concedunt quidem, poenas inferni aeternas esse, eiusque ignem nunquam extingui pro iis, qui semper obdurati, et impoenitentes permanent; asserunt autem, etiam damnatos in inferno resipiscere, et per poenitentiam a tormentis liberari, et salutem aeternam consequi posse. — Denique variae dantur sententiae circa sortem infantium, qui sine baptismo decesserunt. Hinc in isto articulo imprimis probanda est *aeternitas poenarum inferni;* dein *refellenda est sententia eorum, qui dicunt, damnatos per poenitentiam ex inferno liberari posse;* et demum *aliqua de aeterna sorte infantium sine baptismo mortuorum dicenda sunt.*

(1) De futura hom. vita art. 3, n. 727.

I. *Poenae damnatorum aeternae, et semper sine ullo fine duraturae sunt.*

§ 853. Quoniam poenae peccatoribus infligendae a Iustitia divina, seu a liberrima Dei voluntate dependent (§ 48), aeternitas poenarum ex sola revelatione divina, nempe *ex S. Scriptura* et *ex Traditione* probanda est. *Ratio* autem aeternarum poenarum convenientiam ostendere valet.

A. *Argumenta ex S. Scriptura desumpta.*

§ 854. S. Scriptura V. et N. Testamenti poenas damnatorum aeternas dicit, earumque finem negat.

1. Iob IV, 20 de impiis dicitur: *De mane usque ad vesperam succidentur: et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt.* Sermonem hic fieri de poenis, quibus puniendi sunt impii tum in praesenti, tum in futura vita, dubitari nequit. Futurum itidem supplicium non diuturni tantum temporis esse, sed sine fine mansuri, clamat vox hebraica *lanetsach*, quae in hoc loco occurrit, et iuxta linguae hebraicae peritos semper veram aeternitatem designat. Idem Iob de homine impio loquens ait: *Luet, quae fecit, omnia, nec tamen consumetur: iuxta multitudinem adinventionum suarum sic et sustinebit* (ita sonat textus hebraicus) (2); in quae verba *S. Gregorius M.* (3) dicit: « Persolvit impius in tormento ea, quae hic illicite servavit desideria, et flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in morte servatur. Non enim in morte consumetur, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam poena finiretur. Sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in poena compellitur: ut cuius vita hic mor-

(2) C. 20, v. 18 (3) Lib. 15 Mor.

tua fuit in culpa, illic eius mors vivat in poena. *Luet, quae fecit, omnia, nec tamen consumetur*, quia cruciatur et non extinguitur; moritur et vivit; deficit et subsistit; finitur semper, et sine fine est. » Ps. XCI, 8 etc. legitur: *Quum exorti fuerint peccatores sicut foenum, et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, ut intereant in saeculum saeculi: tu autem Altissimus in aeternum, Domine:* quo in loco perpetuam miserrimi impiorum status durationem emphatice Propheta exprimit per verba hebraica *ad ade*, quae nonnisi de infinito tempore intelligi possunt; unde et Vulgata vertit: *Ut intereant in saeculum saeculi;* S. Hieronymus: *Ut conterantur usque in sempiternum;* et paraphrasis chaldaica: *Ut destruat eos Deus usque in aeternum:* quod etiam ex verbis, quae statim subiicit, evidenter apparet; opponit eam felicissimam Dei aeternitatem aeternae illorum miseriae, designatque, quod sicut Deus cum beatis immutabiliter regnaturus est in summa felicitate, ita impii in summa calamitate indesinenter manebunt. Isaias XXXIII, 14 peccatores et hypocritas alloquens ait: *Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Loquitur hic Propheta iuxta hebraicos et christianos interpretes, de futuris impiorum cruciatibus, qui dicuntur sempiterni, hebr. *holam*, quae vox presse solum accipi potest pro duratione fine caritura. Eorundem cruciatuum finem negat cap. LXVI, v. 24 dicens: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni:* quo totum suum vaticinium Propheta concludit. *Vermis* itaque eorum, quocunque demum sensu *vermis* nomen accipias, sive pro animali quodam, sive pro stimulo et angore pravae conscientiae, *non morietur*, immortalis erit, semper impios corrodet, et dilaniabit: et *ignis eorum non extinguetur*, hoc est inextinctus iugiter permanebit, *flatu Domini*, ut antea (1) dixerat Propheta, tanquam *torrente sulphuris* terribilem illam fornacem *succendente*, ne ullo unquam tempore miserrimos damnatos torquere desinat. Hinc in citatum locum celebris Isaiae interpres *Vitringa* dicit: « Erit tremenda revelatio divinae irae in statu opprobrii, cruciatus, odii, invidiae, tristitiae, male conscientiae, angoris, desperationis, et quidem, quatenus consilium Dei de hoc statu nobis patefactum est, in omnem aeternitatem duraturo..... *Vermis non moriturus* duo significat, incorruptibilitatem in statu corruptionis sive mortis, quae mors hic supponitur spiritualis in aeternum continuanda. Vermis enim non moriens supponit corruptionem non corrumpendam, hoc est, non desituram aut interituram unquam, sed perpetuandam per omnia saecula etc. » Atque idem dicas *de igne non extinguendo*. Consonant cum dicto Isaiae verba Iudith vindictam, quam Deus in die iudicii de impiis sumet, ita describentis: *Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii visitabit illos. Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum* (2). Luculentissimum autem est testimonium Danielis cap. XII, v. 2 his verbis conceptum: *Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, ut videant semper*, seu *in contemptum aeternum*, ut habet textus hebraicus, versio LXX, syriaca, arabica, etc. Quae verba perspicue et aperte desi-

(1) C. 30, v. 33. (2) C. 16, v. 20, etc.

gnant futuram felicitatem bonorum, et malorum calamitatem, sive alterius vitae omnium retributionem sine fine duraturam; idque omnino exposcit tum contextus ipse, tum ea, quae antecedunt, et subsequuntur. Nam cap. XI agit Daniel de iis, quae supremum iudicium praecessura sunt. Dein cap. XII orditur a descriptione eorum, quae terribilem illum diem proximius antecedent, inquiens: *In illo tempore consurget Michaël* etc., *et veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse coeperunt usque ad illud* etc., et statim subiungit: *multi*, sive omnes, iuxta consuetam Scripturae phrasim, quia omnes homines sunt multi, *evigilabunt*, id est, resurgent, *alii in vitam aeternam, alii in opprobrium aeternum*, ostendens, malorum opprobrium aeque aeternum futurum, ac gloriam bonorum; et immediate subdit: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam eruditi multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Quis caecus adeo fuerit, qui non videat, hic non de praemio, aut supplicio praesentis vitae sermonem fieri, sed de futuro?

2. Frequentius, ac luculentius catholica de poenarum aeternitate sententia proponitur in N. T. Matth. XXV, 41 Christus, supremus Iudex, reprobis dicet: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius;* et postremo (v. 46) dicitur: *Ibunt hi* (reprobi) *in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam:* ex quibus patet, non solum dici aeternas impiorum poenas, sed eo sensu vocari aeternas, quo aeterna vocantur iustorum praemia: atqui proprie et stricto sensu, adversariis ultro fatentibus, aeterna dicuntur praemia iustorum; ergo et proprie ac stricto sensu aeterna dicuntur impiorum supplicia, quae cum illis conferuntur. Ita iam argumentatus est *S. Augustinus* (1), in citatum v. 46 dicens: « Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt; hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu, vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est. Unde quia vita aeterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque aeternum, quibus erit, finem procul dubio non habebit. » Matth. XVIII, 8 Christus ait: *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum;* et ne quis putet, *aeternum* hic longissimam tantum durationem designare, in loco parallelo *ignis inextinguibilis* dicitur, (Marc. IX, 42, etc.), et per verba Isa. penarum finis poenitus negatur (2); unde *S. Aug.* (3) luculentissimum argumentum pro aeternitate poenarum deducit dicens: «Quod igitur de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit, fiet, omnino fiet. — Ad hoc enim vehementius commendandum Dominus Iesus cum membra, quae hominem scandalizant, pro his hominibus poneret, quos ut sua membra dextra quis diligit, eaque praeciperet amputari: *Bonum est,* inquit, *tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Similiter de pede: *Bonum est tibi,* inquit, *claudum introire in vitam aeternam,*

(1) Lib. 21 de Civ. Dei, c. 23.

(2) Is. 66, 24.

(3) L. c. cap. 9.

quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Non aliter ait et de oculo: *Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Non eum piguit uno loco eadem verba ter dicere. Quem non terreat ista repetitio, et illius poenae comminatio tam vehemens ore divino? » Parem locutionem invenimus Matth. III, 12, ubi Ioannes Praecursor de Salvatore ait: *Congregabit triticum suum in horreum*, sive iustos in regnum coelorum, *paleas autem*, sive impios, *comburet igne inextinguibili* (1). Paulus II Thess. I, 9 de iis qui non noverunt Deum, neque obediunt Evangelio Christi scribit: *Poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis eius*, id est, poenas luent, interitum scilicet aeternum, quem pronunciabit os Domini, et exequetur magnifica virtus eius; seu gloriosa et terribilis eius omnipotentia. In ista verba *S. Ioan. Chrysostomus* (2) dicit: « Quod autem (poena reproborum) non sit temporanea, audi Paulum nunc dicentem de iis qui Deum non norunt, neque credunt Evangelio, quod poenas dabunt, exitium aeternum. Quod autem est aeternum, quomodo temporale? » In Epistola Iudae (v. 6) dicitur: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Vincula haec *aeterna*, sive (ut pressius in Graeco) *sempiterna* dicuntur, quia si referantur ad tempus futurum post iudicium, semper eos tenebunt adstrictos; si vero ad tempus praesens, quo plures saltem ex daemonibus sub caliginoso hoc aëre detinentur, iisdem ita vinciuntur, ut ea semper tanquam mancipia circumferant, a quibus expediendi nunquam sunt; v. 7 legitur: *Sicut Sodoma et Gomorrha et finitimae civitates* etc., *factae sunt in exemplum ignis aeterni poenam sustinentes*, poenam illam videlicet, quae subsecuta est incendium coelitus immissum, quod, ut advertunt interpretes, ideo fuit in exemplum, quia iam tum constabat saltem apud Iudaeos, quicunque in lethali culpa deprehenderetur, cum subita eum mors occuparet, hunc aeterno igne damnari. Tandem (v. 11) de quibusdam perditis hominibus S. Apostolus inquit: *Vae illis, quia in via Cain abierunt... fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum.* Clarissima demum sunt oracula divina in Apocalypsi. Nam cap. XIV, v. 10 de omni, qui bestiam adoraverit, dicitur: *Hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum est mero in calice irae ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum agni, et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum, nec habent requiem die ac nocte.* Et cap. XIX, v. 2: *Vera et iusta iudicia sunt eius, qui iudicavit de meretrice magna... Et fumus eius ascendit in saecula saeculorum.* Et c. XX, v. 10: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et Pseudoprophetae cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.* Vox ista *in saecula saeculorum* alium sensum non admittit, quam aeternitatis, sive durationis nullum finem habiturae, neque alio uspiam in sensu, quam ad

(1) Cf. Luc. 3, 17.

(2) Hom. 3 in II Thess., n. 1.

aeternitatem significandam in Scripturis usurpatur. Hinc omnes sacri expositores haec testimonia pro poenarum aeternitate adstruenda decretoria profitentur: ita *Calmet* in postremum locum dicit: « Hic aperte significatur aeternitas poenarum, quibus daemones atque damnati excruciandi sunt, et consummatio eorum omnium, quae pertinent ad militantem Ecclesiam, et bella, quae illa est subitura. Iudicio peracto omnia in certo atque immutabili statu permanent, seu gloria pro Beatis in coelo, seu cruciatus pro daemonibus impiisque in inferno. »

Nota. Adversarii partim argumenta nostra enervare, partim ex eadem Scriptura suam sententiam probare student.

Obi. I. Testimonia biblica, in quibus poenae damnatorum *aeternae* dicuntur, sententiam Catholicorum non probant. Nam in Ss. Bibliis saepe istae voces *aeternum*, *sempiternum* etc., longissimum tantum tempus designant, quod tamen finem habebit. Sic Gen. XVII, 7, Deus dicitur statuere cum Abrahamo et eius posteris *foedus sempiternum;* et v. 8 additur: *Dabo tibi, et semini tuo - omnem terram Chanaan in possessionem aeternam.* Baruch IV, 1, lex mosaica dicitur duratura in aeternum his verbis: *Hic liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum.* Saepius Davidi regnum aeternum promittitur, ut Ps. LXXXVIII, v. 28 etc. dicitur: *In aeternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in saeculum saeculi semen eius, et thronum eius sicut dies coeli.* Haec omnia autem finem habuisse, Catholici ipsi non diffitentur: ergo per allatas voces longissimum tantum tempus indicatur.

(1) Cf. § 25, n. 3.

Resp. Si admittamus in V. T. hinc inde longissimum tempus vocari *aeternum, sempiternum* etc., adversarii quoque negare nequeunt, easdem voces etiam pro aeternitate sumi, quae finem non habet, ut Ps. IX, 8: *Dominus in aeternum permanet;* Isaias c. XL, v. 28: *Deus sempiternus Dominus* (1). Ergo ex substrata materia, quae aeternitatem proprie dictam non patitur, aut ex aliis Scripturae locis, quae sensum declarant, dignosci debet, an praedictae voces aeternitatem proprie dictam, an diuturnum dumtaxat tempus denotent. Sic saepius promissa est Hebraeis terra Chanaan *usque in aeternum*, sed semper ea conditione, si legem Dei fideliter observassent. Etiam lex mosaica dicitur duratura *in perpetuum;* sed bene observat *S. Thomas* (2), « quod lex vetus dicitur esse in aeternum secundum moralia quidem simpliciter et absolute ; secundum caeremonialia vero quantum ad veritatem per eam figuratam. » Demum promissum fuit David regi, eiusque semini solium Israël *usque in sempiternum;* sed Angelus nos docuit, hanc promissionem pertinere ad Iesum Christum, qui regnaturus erat super sedem David *in domo Iacob in aeternum* (3). Cum autem poenae damnatorum aeternae dicuntur, neque ex substrata materia, neque ex aliis Scripturae locis colligi potest, hanc vocem longissimum tantum tempus significare: sed de aeternitate proprie dicta sermonem esse, luculentissime patet ex multis locis citatis, in quibus dictarum poenarum finis negatur.

Obi. II. Tormenta damnatorum desitura dicuntur, dum ipsorum animae in inferno non relinqui, imo ex illo redimi et erui, ac post longum tempus visitari dicuntur. Nam Ps. XV,

(2) 1 2, q. 103, art. 3 ad 1. (3) Luc. 1, 32.

10 dicitur: *Non derelinques animam meam in inferno.* Ps. XLVIII, 16: *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi.* Ps. LXXXV, 12: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Et Isa. XXIV, 22: *Congregabuntur* (reprobi) *in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur.*

Resp. Iuxta omnes S. Scripturae interpretes per infernum (Scheol) hinc inde sepulcrum intelligitur, et nomine inferorum quandoque tropice maximae calamitates, aut evidentia mortis pericula significantur. His praenotatis facile est, allatas obiectiones diluere. Nam Ps. XV non est sermo de loco damnatorum, sed de sepulcro et de limbo, in quem anima Messiae descensura, sed non derelinquenda praedicitur: unde Petrus (1) citatum vaticinium in resurrectione Christi adimpletum esse testatur. Ps. XLVIII David exprimit suam firmam spem, se esse a divina misericordia liberandum, ut non incurreret aeternum supplicium, quod suis gravissimis culpis promeritus erat: vel iuxta alios exspectat liberationem ab angustiis, quibus graviter premebatur. Ps. LXXXV David, qui (v. 2) *sanctus* dicitur, gratias agit, non quod ex loco damnatorum, in quo nunquam fuit, sed quod ex gravissimis persecutionibus, et mortis periculis liberatus fuerit. Verba Isaiae XXIV multi exponunt de Israëlitarum hostibus, qui superabuntur, et in carcerem terrestrem coniicientur, ex quo *post multos dies* liberabuntur: alii vero (v. 21 etc.) de extremo iudicio et de damnatione impiorum intelligunt: sed tamen verba Prophetae non iuvant adversarios. Deus enim *visitare* dicitur, non solum dum liberat et beneficia confert, sed etiam dum poenas infligit. Hoc sensu v. praec. Deus reges visitare, id est, iudicare et corripere dicitur: imo frequenter S. Scriptura visitationem divinam sumit pro inflictione poenarum, ut Isa. cap. VI et XXIX; Sophon. I, 8 et alibi. Sensus ergo est: Damnati post multos dies visitabuntur, non ut eorum poenae finiantur, sed ut continuentur, seu post longissimum tempus adhuc cruciabuntur.

Obi. III. Ultionem divinam aeternam fore aperte in S. Scriptura negatur. Nam Ps. LXXVI, 8 etc. legitur: *Numquid in aeternum proiiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Quae interrogationes negationibus aequivalent. Ps. CII, 8 etc. dicitur: *Miserator et misericors Dominus... non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.* Similia habet Isaias cap. LVII, v. 16 ita Deum loquentem inducens: *Non enim in sempiternum litigabo* (vel, ut habent LXX, *ulciscar*) *neque usque ad finem irascar.* Ergo vindicta divina, seu supplicium damnatorum finem habebit.

Resp. S. Augustinus in enarrationibus super Psalmum utrumque citatum ostendit, ibi sermonem esse de punitione Dei in hac vita, in qua suae misericordiae semper recordatur, quatenus per huius vitae flagella nos Deus invitat ad eiusdem iram salutari poenitentia placandam. Et idem S. Pater lib. 21 de Civ. Dei, cap. 24, postquam iterum dixisset, illa Davidis verba ad hanc aerumnissimam vitam pertinere, in qua Deus cum ira simul misericordiam coniungit, ita sub-

(1) Act. 2, 31

ait: « Sed quibus placet, istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quae in aeterno est praenuntiata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, et faciat eos non tanta, quanta digni sunt, poenarum atrocitate cruciari... Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto. » Caeterum Psalmista aeternitatem poenarum clare docet Psalm. XLVIII, 20 de divite reprobo dicens: *Introibit usque in progenies patrum suorum, et usque in aeternum non videbit lumen*, id est, ut *S. Augustinus* exponit, « excipient eum tenebrae tormentorum. » Ast - quod in Ps. LXXVI Propheta tantum a misericordia divina liberationem ab aerumnis huius vitae petierit, et exspectarit, patet ex praecedentibus, quia (v. 2) dixerat: *In die tribulationis meae Deum exquisivi* etc., et ex subsequentibus, quia (v. 11) ait: *Ecce nunc coepi: haec mutatio dexterae Excelsi.* Idem dicendum est de Ps. CII, quia (v. 10) subiicitur: *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Isaias quoque apertissime loquitur de poenis huius vitae, quibus Deus homines sibi caros affligit, *ut vivificet spiritum humilium*, et vivificet cor contritorum, sicut ibidem immediate antea dicitur.

Obi. IV. Docent Ss. Scripturae, ita rependenda esse impiis supplicia, ut culpas inter et poenas proportio servetur; ut Apoc. XVIII, 7: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum et luctum;* et Marc. XII, 40 de Pharisaeis dicit Christus: *Hi accipient prolixius iudicium:* quae falsa essent, ubi aeternitas poenarum proprie dicta semel constitueretur. Imo, iuxta expressam Christi sententiam, damnati tamdiu patientur dumtaxat, donec novissimum quadrantem reddant, ut dicitur Matth. V, 25, Luc. XII, 59.

Resp. Inter culpam et poenam proportionem dari, iam alibi (§ 762) probatum fuit. Sed haec proportio poenarum respicit acerbitatem, non autem earundem diuturnitatem, seu durationem; haec enim ubique praedicatur aeterna, sine fine, perpetua etc. Pharisaeorum iudicium *prolixius* dicitur non quoad tempus, sed quoad materiam investigandam et puniendam. Matth. V, 25 sermo est de purgatorio, in quo anima tamdiu cruciandа est, donec debita temporalia perfecte solverit.

Obi. V. Paulus I Cor. XV, 22 scribit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur...* (v. 25 etc.): *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. — Novissima autem inimica destruetur mors..... Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Ex quo textu apertissime haec habentur: *primo*, omnes vivificandos esse in Christo ad vitam et ad gloriam, sicut omnes per Adam mortui sunt, et corpore et anima per peccatum, ideoque et impios: *secundo*, novissimam destruendam esse mortem, id est, mortem secundam, nempe impiorum, de qua loquitur Ioannes(1); *tertio*, omnia subiicienda esse Deo, ita ut Deus in omnibus omnino regnaturus sit per gratiam et gloriam. Ergo damnati aliquando ex inferno liberabuntur.

Resp. Haec obiectio esset gravissima, si Paulus hic de omnibus prorsus hominibus loqueretur; sed difficultas evanescit, si attenditur, ser-

(1) Apoc. 20, 14.

monem hic esse tantum de electis. Totus enim hic Apostoli locus pertinet ad resurrectionem Sanctorum, quibus proponit futuram resurrectionem cum Christo, tanquam magnum solamen in multis, quibus premuntur, huius vitae calamitatibus; unde (v. 19) dixerat: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium*, quae ad Sanctos spectare aperte liquet, et apertius constat ex v. 23. Nam cum dixisset, omnes in Christo vivificari, immediate subiungit: *Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt.* Imo *Bernardinus a Piconio* ex integro contextu egregie ostendit, sermonem hic esse tantum de electis ad vitam gloriosam resuscitandis. Hoc autem posito facile explicantur, et conciliantur omnia sequentia: *Primo* igitur dicit: *Sicut in Adam omnes moriuntur*, morte scilicet spirituali, *ita et in Christo omnes vivificabuntur*, omnes, inquam, qui *eiusdem Christi sunt*, nempe electi, excitabuntur ad vitam beatam et gloriosam in coelis una cum Christo. *Secundo* perperam mortem destruendam aliqui interpretantur secundam mortem, de qua loquitur S. Ioannes in Apocalypsi; sensus enim planus et obvius est, mortem, quae usque ad novissima tempora perduravit, esse destruendam, quia sancti resurgent ad vitam immortalem. Idipsum autem de reprobis dici proprie non potest; quamvis enim et ipsi resurgent non amplius morituri, non tamen dici possunt a morte liberati, quia ad vitam morte deteriorem transibunt, quomodo rei, quando de carcere trahuntur ad supplicium, non proprie dicuntur de carcere liberati, quia de uno malo ad maius commigrant. *Tertium* Denique facilem habet explicationem cum *S. Thoma* in fine Lect. 2: *Ut sit Deus omnia in omnibus*, « quia tunc manifestabitur, quod, quidquid boni habemus, est a Deo: » quando scilicet Christus cum tota Ecclesia, ex solis electis tunc constante, subiicietur Deo, quia nempe in eis nil erit amplius mali, ut proinde nihil in eis sit, quod non sit a Deo, a quo est omne bonum. Vel, ut explicat *S. Augustinus* (1), « sic et illud recte intelligitur, quod ait Apostolus: *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus; sicut vita aeterna, communis » (2).

Obi. VI. S. Scriptura testatur, futuram esse *restitutionem omnium* in pristinum statum, seu innovationem vel mutationem in meliorem conditionem, quam aliquando etiam damnati assequentur. Nam Paulus Colos. I, 19 etc. de Christo scribit: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* His similia sunt, quae idem Apostolus scripsit Ephes. I, 10 de Deo, qui voluit *instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt:* quae verba de Angelis bonis intelligi nequeunt, qui nec *pacificari*, nec *instaurari* per Christi passionem indigebant; restat ergo ut de Angelis malis intelligantur, qui eatenus *in coelis* esse dicuntur, quatenus ad superiorem nostrae athmosphaerae partem

(1) Lib. 22 de Civ. Dei, c. 30.

(2) Cf. Estius, Comment. in loc cit.

detrusi fuerunt, ut ad eos quoque infinitum sanguinis Christi pretium aliquando extendatur. Hinc Petrus Iudaeos ad poenitentiam exhortatur, *ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Iesum Christum, quem oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium* (1). Hinc etiam *S. Ioannes* Apoc. XX, 5 loquitur de resurrectione prima, quae locum habebit ante iudicium, quaeque proinde necessario supponit resurrectionem secundam a morte scilicet secunda, cuius idem Ioannes meminit (v. 14) ad quam daemones et impii damnati erant, adeo ut merito scribere potuerit: *Et dixit, qui sedebat in throno: ecce nova facio omnia* (2), id est, omnia renovo, et in meliorem statum restituo; ergo et damnatos ipsosque daemones.

Resp. Adversarii citatos textus male interpretantur, qui dogmati catholico de aeternitate poenarum, tam frequenter, et tam clare in S. Scriptura tradito nullatenus adversantur. Nam reconciliatio vel instauratio, de qua loquitur Apostolus, non est inter angelos et Deum, « cum Christus non sit mortuus pro angelis, » ut ait *S. Augustinus* in Enchir. (3), sed est inter Deum, angelos et homines; nam peccatum fecerat inimicitias inter coelum et terram, sed per Christi sanguinem eo, inimicitiarum causa, deleto, reconciliata fuere coelum et terra. Ipsi etiam angeli, inquit *S. Chrysostomus* (4), erant hominum inimici propter peccatum, quo sublato per Christi sanguinem omnia reconciliata, pacata et instaurata sunt, unitis simul angelis et hominibus in Christo tanquam capite. Hanc explicationem approbat *S. Augustinus* l. c. (5) et addit: «Instaurari ea, quae in coelis sunt, cum id, quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur; instaurantur autem, quae in terris sunt, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt ad vitam aeternam, a corruptionis vetustate renoventur.» Addo, inepte dici, cacodaemones, seu malignos spiritus *in coelis esse;* quamquam enim non repugnaverim, eorum aliquos per aëra volitare, minus proprie tamen iidem dicerentur in *coelis esse.* Et ulterius maxima eorum pars iam ad inferos detrusa creditur, vel in terris vagatur, quibus propterea illa verba iam nunc adaptari nequeunt, et multo minus post iudicium, cum in ignem infernalem detrusi sint. Ergo de daemonum et damnatorum reconciliatione et instauratione nequaquam loquitur Paulus. — Porro *restitutio omnium,* de qua loquitur Petrus, nihil est aliud, quam generalis omnium hominum resurrectio, quando nempe Christus iam in coelum receptus, iterum venturus est iudicare vivos et mortuos, et tunc erunt *tempora refrigerii,* in quibus electorum corpora primaevae integritati restituentur: atque ideo idem Apostolorum princeps in versu praec. omnes ita exhortabatur: *Poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra,* ut nimirum parati in venirentur ad tempora refrigerii, quae illis promittit. Haec autem exhortatio fuisset inutilis, si per restitutionem omnium intelligeretur universalis liberatio omnium damnatorum. — Denique S. Ioannes, Apoc. XX, in ipsis electis duplicem resurrectionem distinguit; gloriam nempe et beatitudinem, quam obtinent iam ante iudicium statim cum ex sepulcris egrediuntur, nominat resurrectionem pri-

(1) Act. 3, 19, etc. (2) Cap. seq., v. 5.
(3) Cap. 61. (4) Hom. 3 in Ep. ad Colos., n. 3.
(5) Cap. 62.

quam; hanc vero sequetur resurrectio secunda, id est, beatitudo completa et adaequata, quam post iudicium per ingressum coeli consequentur. Si Ioannes in sensu adversariorum locutus esset, non dixisset ibid. (v. 10) de reprobis: *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.* Quod vero additur: *Ecce nova facio omnia*, dictum est quoad eos, *qui vicerint*, seu quoad electos, non autem quoad reprobos, qui mittendi sunt in stagnum ignis: ibid. v. 15 (1).

Obi. VII. Quamquam satis diserta et decretoria videantur allata hactenus S. Scripturae oracula ad poenarum infernalium aeternitatem comprobandam, nihil tamen impedit, quin aliquatenus emolliantur; *primo*, quia legislatores ad terrorem incutiendum solent plerumque severissimas poenas violatoribus comminari, quas tamen aut omnino remittere, aut saltem mitigare consueverunt: *secundo*, huius rei ratio assignari potest, quia, etiamsi poenae comminatae possint legum praevaricatoribus iuste infligi, possunt tamen etiam remitti et condonari citra ullam iniustitiae notam; hoc enim inter poenae comminationem et praemii promissionem discrimen est, quod promissor ius alteri tribuit consequendi praemium; qui autem poenam minatur, non adimit sibi ius eandem condonandi. Ita Deus vere quidem aeternas poenas peccatoribus minatur; ex hoc autem non sequitur, quod illas actu infligat, quia easdem remittere, aut saltem abbreviare potest; et si principes terrestres id quandoque faciunt, ut clementiam suam ostendant, multo magis Deus id faciet, cuius natura bonitas, cuius misericordia infinita. Huius indulgentiae exemplum habemus in urbe Ninive, cui Ionas nomine Dei commi-

(1) Cf. Bossuet in Apoc., cap. 20.

natus est subversionem, quae tamen non est subsecuta.

Resp. Qui cum *Tillotsono Anglo* talia proferunt, vere in Deum blasphemant, quem turpiter cum homine confundunt. Homines enim, si legum violatoribus severissimas poenas minantur, quas tamen actu infligere non intendunt, vere mentiuntur; si autem seria poenas, quas minantur, actu infligendi voluntas ipsis inest, necessario hanc ipsam mutare debent, dum a comminatarum poenarum inflictione abstinent. At: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur* (2). Certissime ergo Deus omnia exequitur, quaecunque absoluto decreto minatur. Neque hac in re investigandum est, quid Deus possit, sed quid velit. Voluntas autem Dei ex revelatione cognoscitur, quae nos certos reddit, Deum non solum poenas aeternas minari, sed easdem etiam omnibus, qui in statu peccati lethalis impoenitentes decedunt, infallibiliter illaturum esse. Iudex enim in reprobos sententiam dicet: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum* (3); et hanc sententiam executioni mandandam esse, Christus ipse nos certissimos facit subdens: *Et ibunt hi in supplicium aeternum.* Quam impie igitur tum seipsos, tum alios decipiunt, qui comminationes supplicii aeterni peccatoribus impoenitentibus factas mera esse terriculamenta blaterant, cum potius dicenda sint vera et irrevocabilia Dei decreta? — Iure merito *S. Augustinus* (4) eos graviter redarguit « qui minaciter potius, quam veraciter » haec et alia eiusdem generis de aeternis poenis dicta esse putabant. « Scriptura divina, inquit, planissime et plenissime redarguit et refel-

(2) Num 23, 19. (3) Matth. 25.
(4) Lib 20 de Civ. Dei, cap. 24.

lit. » Neque iuvat adversarios Ninivitarum exemplum ; fuerat enim illa comminatio, ut nemo dubitat, alligata conditioni, *nisi resipiscerent;* et pariter nemo dubitat, fuisse amplissimam illam civitatem funditus subvertendam, si ad praedicationem Ionae debita poenitentiae opera non fecisset. Ut quid enim misit Deus Ionam prophetam ad Ninivitas, nisi ut eos ad poenitentiam revocaret? Idipsum facit Deus cum peccatoribus : ipsis comminatur aeternas poenas, ut convertantur a viis suis pessimis, quod si poenitentiam non agant, certo certius sciant, se comminatas poenas daturos. Recte hinc *Cl. Perrone*, loquens de decreto divino aeternas poenas infligendi (1), dicit: «Eo sensu tantummodo potest dici comminatorium Dei decretum, quod hae poenae comminatae sunt viventibus, ut ad meliorem frugem redeant ; quod si secus faciant, atque in statu peccati lethalis ex hac vita decedant, ex comminatorio decretum fit absolutum, ac incolumi Dei veracitate immutari iam nequit, prout Ecclesia a Deo edocta nullo non tempore Dei verba intellexit. Atque hac ratione tota corruit machina, quam adversarii moliebantur.»

Obi. VIII. Si testimonia Scripturarum accipienda sunt de aeternitate proprie dicta, tunc exponi debent de totali destructione impii, quae poena utique aeterna est, qua in perpetuum impius a gloria excluditur, quod sane aperte innuunt voces, quibus in Ss. Bibliis damnatio significatur, *mortis* scilicet, *perditionis* et *interitus*, quae destructionem indicant.

Resp. Obiectio haec per omnia refellitur, quae § 200 de immortalitate animae dicta sunt. Praeterea facile ostenditur, allatam adversariorum expositionem S. Scripturae penitus adversari. Haec enim praeter poenam negativam, seu privationem visionis beatificae, et gaudiorum coelestium etiam poenas positivas aeternas commemorat, quae significantur per vocabula *ignis*, *tenebras exteriores*, *stridor dentium*, *vermis*, *sitis* etc. Istae poenae positivae, de quibus dubitare non licet, in sententia adversariorum explicari nullo modo possunt. Nam si in nihilum redigi tota est reproborum poena, quid, amabo, significat *vermis* ille, qui *non moritur*, *et ignis*, *qui non extinguitur*, de quo Isaias et Christus Dominus pluries mentionem faciunt? Quid *fletus ille*, *et stridor dentium* futurus in loco, ad quem improbi damnantur? Quid *tenebrae* illae *exteriores*, ad quas eiiciuntur? Quid illa *gehenna*, de qua tam frequens in Evangeliis sermo?— Nimiam profecto vim S. Scripturae infert, eamque non exponit, sed corrumpit, qui negata poenarum aeternitate animae annihilationem supponit, quae tum rationi, tum revelationi repugnat. Neque adversariorum expositionem evincunt voces *mortis*, *perditionis* et *interitus*, quasi per eas insinuetur totalis destructio. Declarant enim eaedem Scripturae, quo sensu hae voces usurpentur, sensu nempe translato. Etenim a Christo Iudas dicitur *filius perditionis* (2), ita tamen, ut de eo ibidem affirmet: *Melius erat, si natus non fuisset;* quare autem, nisi ob aeterna supplicia, quae ipsum in altera vita manebant? Sic pariter Apostolus ad Thess. de infidelibus ait : *Poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini* (3): si poenas dabunt, et quidem aeternas, profecto in interitu non destruentur, sed ad promerita supererunt supplicia. Sic demum Apoc. XXI, 8 legitur : *Timidis et incredulis et execratis... pars illorum*

(1) De futura hom. vita art. 3, n. 750.

(2) Io. 17, 12. (3) II Thess. 1, 9.

erit in stagno ardenti igne et sulphure, haec est mors secunda: ita ergo moriuntur, ut partem suam in stagno ardenti igne habeant. Adductae ergo voces tropice summam calamitatem non vero totalem destructionem significant. — Denique non suffragantur adversariis verba Ps. CXXXIX, 11: *Cadent super eos carbones, in ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent;* quae verba recte quidem de damnatis exponuntur, sed nullatenus innuunt, quod in inferno non permaneant; nam *S. Hieronymus* hebraicae linguae callentissimus ita citatum locum vertit: *Cadent super eos carbones ignis, deiicies eos in fovea, ut non consurgant*, seu inde non emergant.

B. *Argumenta ex traditione deprompta.*

§ 855. Difficultates omnes, quae ab adversariis contra argumenta biblica proponuntur, penitus evanescunt, si attendatur traditio, iuxta quam S. Scriptura exponenda est. Facile enim ostenditur, semper, ubique et ab omnibus fidem obtinuisse, poenas damnatorum ita aeternas esse, ut nunquam finem habeant. Constans haec traditio ex *Ss. Patribus*, ex *Conciliis* et ex *aliis monumentis Ecclesiasticis* probatur.

1. *Ss. Patres* clare dogma catholicum de aeternitate poenarum proponunt. *S. Clemens Rom.* (1) ita loquitur: « Immortales omnes animae sunt, et impiorum, quibus melius foret non incorruptibiles esse. Nam poena sempiterna ab inextinguibili igne punitae, neque morientes, magno suo malo, nullum finem obtinere possunt. » *S. Iustinus M.* (2) inquit: « Nos immortalitatem eos consequi solos didicimus, qui Deum vitae sanctitate et virtute propius contingunt; qui autem improbe vivunt, nec immutantur, eos igne aeterno credimus puniri. » Et ibid. (3) addit: « Quem (diabolum) in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius, et hominibus, qui eum sequuntur, in aeternum puniendis, Christus ante significavit. » *S. Irenaeus* l. 4 adv. haer. (4) ait: « Poena eorum, qui non credunt verbo Dei, et contemnunt eius adventum, et convertuntur retrorsum, adampliata est, non solum temporalis, sed et aeterna facta. Quibuscunque enim dixerit Dominus: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum*, isti erunt semper damnati; et quibuscunque dixerit: *Venite, benedicti Patris mei, percipite haereditatem regni, quod praeparatum est vobis in sempiternum*, hi semper percipiunt regnum. » Et lib. 5 (5) id fusius enarrat, et ait inter caetera: « Aeterna autem, et sine fine sunt a Deo bona: et propter hoc et amissio eorum aeterna, et sine fine est: quemadmodum in immenso lumine qui excaecaverunt semetipsos, vel ab aliis excaecati sunt, semper privati sunt iucunditate luminis. » *S. Theophilus Antioch.* (6) scribit: « Incredulis, contemptoribus, non obtemperantibus veritati, parentibus vero iniustitiae... iis, inquam, cedet ira, furor, tribulatio et angustia: et, ut paucis dicam, ignis infernalis hos perpetuo cruciabit. » Ideo in eiusdem libri fine Autolycum monet: « Deo fidem habeto lubenti animo ei obtemperans, ne si tunc incredulus fueris, aliquando credere cogaris magno tuo malo tunc suppliciis cruciatus aeternis. » *Minutius Felix* in Octavio n. 35 dicit: « Admonentur homines doctissimorum libris et carminibus poëtarum illius ignei fluminis, et de stygia

(1) Apud S. Io. Dámasc. in Eclog., et Petav. lib. 3, de Angelis, c. 8.
(2) Apol. 1, n. 21. (3) N. 28.
(4) C. 28 al. 47, n. 2. (5) Cap. 1, n. 1.
ad Autol., n. 14.

palude saepius ambientis ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata, et daemonum indiciis et oraculis prophetarum cognita tradiderunt... Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit ac reficit, carpit et nutrit etc. » *Tertullianus* in Apologetico (1) docet, « piis ac bonis vitae aeternae retributionem destinatam esse, profanis vero ignem aeque perpetem, ac iugem. » Et ibid. (2): « Enimvero nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus, et pro scientiae plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus, non diuturni verum sempiterni, eum timentes etc. » *S. Cyprianus* l. ad Demetr. (3) ait: « Credite illi, qui credentibus praemium vitae aeternae dabit. Credite illi, qui incredulis aeterna supplicia gehennae ardoribus irrogabit... Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax poena: nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animae infinitis cruciatibus ad dolorem... secundum S. Scripturae fidem dicentis: *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* » *Eusebius Caes.* (4) haec habet: « Pyriphlegetonta vero ignem aeternum esse, quis dubitabit? » *S. Athanasius* in Ps. XLVIII, 15 ignem inferni aeternum nominat, et in Ps. XLIX, 22 dicit: « Nemo est, qui illum eripiat, qui propter peccata in inferno inclusus est. » *S. Hilarius* (5) scribit: « Igitur requies nulla gentibus, neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur, sed corporalis et ipsis aeternitas destinabitur, ut ignis aeterni sit in ipsis aeterna materies, et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna. » *Lactantius* (6) inquit: « Qui maluerit bene vivere ad tempus (carnis desideriis indulgens), male vivet in aeternum. Damnabitur enim sententia Dei ad aeternam poenam, quia coelestibus bonis terrena praeposuit. » Eadem habet variis aliis in locis (7). *S. Ephraem* in Sermonibus exegeticis (8) cum dixisset, ignem nostrum terrenum ea, quae urit, consumere, et aqua extingui, subiungit: « Contra infernalis ignis nunquam extinguendus non absumit, quos torquet, miseros; nec enim absumere iussus est, sed urere ac torquere... ut expers lucis, sic etiam finis. Scriptum est enim, ignem fore sempiternum. » *S. Basilius* (9) quaerit: « Quali corpore infinita illa, et intolerabilia perferet tormenta, ubi ignis inextinctus, et vermis indesinenter puniens, et imum inferi tenebricosum et horrendum, et ululatus amari et eiulatus ingens et ploratus, et stridor dentium, et ubi mala finem non habent, ab his post mortem liberari non datur, neque est industria ulla, neque ars effugiendi amara supplicia? » — *S. Cyrillus Hier.* (10) cum dixisset iustos in resurrectione coeleste corpus accepturos esse, mox subiungit: « Si quis autem peccator est, corpus accipiet aeternum perpetiendae peccatorum poenae capax, ut in aeternum igne combustus nunquam absumatur. » *S. Gregorius Naz.* (11) inquit de damnatis: « Hos autem simul cum aliis, vel potius ante alia istud excruciabit, quod a Deo proiecti sint, atque inustam in conscientia

(1) Cap. 18. (2) Cap. 45. (3) N. 16.
(4) Lib. 11 de Praep. evang., c. 20.
(5) Cap. 5 in Matth. (6) Lib. 7, Inst., c. 5.
(7) Lib. 1, c. 6, et lib. 6, c. 4, et lib. de ira Dei, c. 21.
(8) Tom. 2, oper. novae edit. syr-cal. p. 354.
(9) In Epist. 44. (10) Catech. 18, n. 19.
(11) Orat. 16 (al. 15), n. 9.

sempiternae ignominiae notam gerant. *S. Gregorius Nyss.* in Orat. adversus eos, qui castigationem aegre ferunt, ita loquitur: « Misera (anima) tum suae se temeritatis vehementer accusans, lugensque ac plorans et gemens in locum quemdam tristem tanquam angulum abiecta permanebit, luctu nunquam finituro, ac inconsolabili in aeternum poenas luens. » Orat. 1 de pauperibus amandis ait: « Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni, benignique fuerint, atque optime vitam egerint, summa et perpetua quies tribuitur in regno coelesti; inhumanis autem et improbis supplicium ignis, idque sempiternum. » Et Orat. 5 de beatitud. exclamat: « Quis extinguet flammam? quis avertet vermem nunquam morientem? » *S. Epiphanius* in Epist. ad Ioan. Hierosolym. de Origene loquens dicit: « Illud quoque, quod asserere nititur, doleamne, an rideam, nescio. Doctor egregius audet docere, diabolum id rursus futurum esse, quod fuerat, et ad eandem rediturum dignitatem, et conscensurum regnum coelorum. Proh nefas! Quis tam vecors et stolidus, ut hoc recipiat, quod S. Ioan. Baptista et Petrus et Ioannes Apost... cohaeredes sint diaboli in regnum coelorum? » — *S. Chrysostomus* paraen. I ad Theodorum lapsum (1) ait: « Hic tam bona, quam mala finem habent, et quidem celerrimum; illic vero (in altera vita) utraque immortalibus saeculis aequantur; nec dici potest, quantum differant a praesentibus. Etenim cum ignem audis, cave putes, esse huic igni similem; hic enim, quidquid corripit, devorat et absumit; ille vero, quos semel apprehendit, perpetuo comburit, nec unquam desistit, ideoque inextinguibilis dicitur. Siquidem etiam peccatores oportet induere immortalitatem non ad honorem, sed ut perpetuum sit illius supplicii viaticum. » *S. Ambrosius* lib. 2 de Fide, cap. 4, alloquens Manichaeum inquit: « Tu te a diabolo creatum, Manichaee, arbitraris. Ad illius ergo festina sedem, ubi non restinguitur eius incendium, nec unquam poena moritur. » Et tract. in Symb. Apost. (2) ait: « Resurgent corpora nostra aut ad gloriam, aut ad poenam in aeternum mansura. » *S. Hieronymus* (3) expendens illa verba: *Dilatavit infernus animam suam*, inter caetera ait: « Qui saeculi deliciis occupati sunt, nec respicientes opera Dei... detrahentur in gehennam, ibique aeternis cruciatibus deputati, potentiam et superbiam miseria cernent, et humilitate mutari. » Constat porro, S. Doctorem erroribus Origenis se strenue opposuisse. Idem praestitit *S. Augustinus*, praecipue in lib. 21 de Civit. Dei, ubi (4) dicit: « Quod de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit, fiet, omnino fiet; vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur. » Et in lib. ad Orosium contra Priscill. et Origen. n. 7 ait: « Qualiscunque poena significata sit nomine vermis, atque ignis, certe, si non morietur, nec extinguetur, sine fine praedicta est: nec aliud agebat Propheta, cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine praedicaret. » *S. Cyrillus Alex.* in Orat. de exitu animae late describens locum inferni corporeum et tenebrosum, subiungit: « Qualis est gehenna ignis inextincti, urentis, neque lucentis!... Mihi amarulentam timeo gehennam, quippe interminatam. » *S. Leo M.* (5) exclamat: « Quis

(1) N. 9 et 10.
(2) Cap. 23.
(3) In cap. 5 Isaiae.
(4) Cap. 9, n. 1.
(5) Serm. 4 de Collec., cap. 3.

istam sortem aeternorum cruciatuum non pavescat? Quis mala nunquam finienda non timeat?» *S. Petrus Chrysologus* (1) ait: « Post resurrectionem nec bonorum finis est, nec malorum. » *S. Fulgentius* de fide ad Petrum, c. 43 dicit: « Firmissime tene, et nullatenus dubites..... quod Christus... quando per iudicium iustum segregabit iustos ab iniustis... bonos constituet a dextris, malos a sinistris, et ex eius ore iusti, aeternique iudicii sempiterna, atque incommutabili prolata sententia, iniqui omnes *ibunt in combustionem aeternam, iusti autem in vitam aeternam:* iniqui semper arsuri cum diabolo, iusti autem regnaturi sine fine cum Christo. » *S. Gregorius M.* (2) scribit: « Sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. » *S. Bernardus* lib. 1 de anima ad Ugonem scribit: « Procul a beata Paradisi patria exulati cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi, ubi neque qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur etc. »

2. *Ex Conciliis* quoque poenarum infernalium aeternitas confirmatur. Antiquam enim, et perpetuam fuisse de hoc dogmate traditionem Ecclesiae, liquet ex damnatione *Origenis*. Haec primum facta est a *Theophilo* Patr. Alex. in synodo habita an. 400. Inter alios errores in hac synodo damnatos hic recensetur in Epistola synodica, « quod Christi regnum finietur aliquando, et diabolus cunctis peccatorum sordibus liberatus aequo honore decorabitur, et cum Christo subiicietur. » Porro *Eulogius* Patr. Hieros. habita Episcoporum suorum synodo, respondit *Theophilo* « se, suosque nunquam audivisse docentes, quod Christi regnum aliquando sit terminandum... et quod diabolus cunctis peccatorum vitiis liberatus, dignitatem obtineat, quam habuit, antequam caderet... Qui enim ita credunt, ituri sunt in tenebras, quae praeparatae sunt diabolo et angelis eius. » Nec solum ab Episcopis Palestinae, sed etiam ab aliis non paucis, imo ab ipso Anastasio Romano Pontifice damnatio Origenis acceptata et confirmata fuit; ex quo constat, qualis fuit iam saeculo IV labente hac de re fidelium doctrina, et Ecclesiae traditio. Solemnior postea Origenis proscriptio facta est in Synodo oecumenica V an. 553, in qua anathema inflictum est Origeniano errori, ita se habenti: *Temporanea esse daemonum et impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, atque impios ac daemones in priorem suum statum restitutum iri.* Damnatio huius erroris legitur in *Nicephoro Callist.* (3). Etiam *Iustinianus Imp.* in celebri sua Epist. ad Mennam postremo anathematismo ita definit: « Si quis dicit vel sentit, temporariam esse daemonum, vel impiorum hominum punitionem, finemque aliquo tempore hanc habituram, nimirum restitutionem futuram daemonum, vel impiorum hominum, anathema sit. » Hoc autem Iustiniani decretum fuisse a Rom. Pontifice, caeterisque Patriarchis approbatum, testes sunt *Liberatus* Diaconus Carthag. (4), et *Cassiodorus* (5). *Concilium Nicaenum II*, gen. VII, approbavit eandem condemnationem, act. 1 dicens: *Sanctae, ve-*

(1) Serm. 60 (4a de Symb. Apost.).
(2) Lib. 4 Dialog., c. 44.
(3) Lib. 17 hist. eccl., c. 28.
(4) In Breviar., c. 23.
(5) Lib. 1 div. instit. c. 1.

nerabilis quintae Synodi, quae Constantinopoli congregata est, communi et universali submissi sunt anathemati Origenes et Theodorus Mopsuestiae... de eo videlicet... quod de restitutione in statum pristinum fatebantur, consentientibus quatuor Patriarchis. Concilio Lateranense IV, cap. 1 in professione fidei haec habet: *Omnes cum suis resurgent corporibus... ut recipiant secundum opera sua sive bona fuerint, sive mala, isti cum diabolo poenam perpetuam, et illi cum Christo gloriam sempiternam.*

3. Ecclesia fidem suam profitetur in *Symbolo Athanasiano*, quod ita concluditur: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum. Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Hanc fidem iam habuisse primorum saeculorum Christianos ostendunt genuina martyrum acta (apud Ruinart). *S. Iulius M.* Praesidi suadenti, ut Diis immolaret, infracto animo respondit: « Non facio, quae desideras, neque incurram peccatum et poenam perpetuam. » Et postea: « Qui Deum confessus fuerit, habebit vitam aeternam; qui autem negaverit, habebit poenam perpetuam. » In passione *S. Felicitatis* et filiorum eius, pia mater tyranno dixit: « Vivent filii mei, si non sacrificaverint idolis: si vero tantum scelus admiserint, in aeternum ibunt interitum. » Et *Sylvanus* filiorum quartus ait: « Nos, si transitorium timuerimus interitum, aeternum incurremus supplicium... adorantes enim daemonia cum ipsis in interitu erunt, et in incendio sempiterno. » *S. Maximus* Proconsuli tormenta minitanti respondit: « Haec non sunt tormenta, quae pro nomine D. N. I. Christi inferuntur, sed sunt unctiones. Si enim recessero a Domini mei praeceptis, quibus sum de Evangelio eius eruditus, vera et perpetua mihi manebunt tormenta. » In Actis *Ss. Mm. Claudii* et *Asterii* etc., prior, cum ungulis laniaretur, dixit: « Tormentis mihi non poteris nocere, animae autem tuae ignem inextinguibilem providisti; » ibid. *S. Domnina* inquit: « Ne in ignem aeternum incidam et tormenta perpetua, Deum colo et Christum eius; » et *S. Theonilla:* « Ego ignem aeternum timeo, qui potest corpus et animam perdere. » *S. Victor*, qui circa annum 300 martyrium subiit, ante tribunal crudelis iudicis grandi voce profitebatur « Non tormenta, sed refrigeria recte dici, quae cruciatus aeternos extinguunt: » ac postea socios ad tolerantiam suppliciorum adhortans dicebat: « Momentanea ferte supplicia, ut triumphaliter superare possitis aeterna. » *S. Patritius M.* ita Proconsulem allocutus est: « Deus geminas sedes apparavit, aliarumque alteram sempiterna illustrem luce faciens omnibus, iisque exquisitissimis bonis cumulavit; alteram vero perpetuis tenebris, et nunquam finiendae castigationis igne velut sempiterno supplicio implevit, ut qui vivendi licentia eius iras commeruissent, in tenebras ad omne supplicium, et sempiternos cruciatus deturbarentur. » Similia leguntur in Actis aliorum Ss. martyrum, ex. gr., *Petri Balsami, Agapes, Chioniae, Irenis, Tarochi et Probi, Simeonis et sociorum, Luciani et Marciani, S. Afrae, S. Basilii Ancyrani* et aliorum. Denique in dogmate de aeternitate poenarum cum Ecclesia catholica consentit etiam Ecclesia graeca schismatica, et ipsi etiam protestantium antesignani, *Lutherus, Zuinglius, Calvinus* etc., illud retinuerunt.

Nota. Argumento Traditionis opponitur auctoritas nonnullorum Patrum, qui, ut sentiunt *Grotius*, *Huetius* et *Petavius*, docuerunt, si non ipsos daemones, saltem homines damnatos aliquando ex inferno liberari. Sed quoad hanc difficultatem ex Patribus petitam attinet, observandum est *primo*, quod unius vel alterius Patris auctoritas infirmare nullo modo possit argumentum ex communi caeterorum Patrum consensu, et constanti, ac perpetua Ecclesiae traditione et fide deductum; *secundo*, quod loca Patrum obscuriora, quae nobis obiiciuntur, declaranda sint per testimonia apertiora, quae a nobis iam adducta sunt; *tertio*, quod Patres, dum poenas peccatorum aliquando finiendas dicunt, hincinde loquantur de igne purgatorii, vel de tribulationibus huius vitae, quas etiam poenas peccatorum nominant, et cum igne comparant; *quarto*, quod nonnullorum Patrum scripta ab Origenistis corrupta fuerint: et *quinto*, quod Patres, si pravi quidpiam scriptis suis ex Origenis lectione intexerunt, illud, ut dicit *Petavius* (1) identidem emendaverint; ipse enim *Origenes* videtur suam mutasse sententiam Hom. 7 in Exod. n. 6 dicens: « Audi de peccatoribus, et iis, qui praesens saeculum diligunt, quae sit Prophetae sententia: *Vermis*, inquit, *eorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur*. Isti sunt vermes, quos generat caeca divitiarum cupiditas. » Porro si avarorum, caeterorumque peccatorum vermis iuxta Origenem non moritur, neque ignis extinguitur, poena debet esse perpetua (2). His praenotatis facile obiectiones refelluntur.

Obi. I. *S. Iustinus M.* in Dialogo c. Tryphone (3) animas impiorum puniri dicit, « quamdiu eas esse et puniri Deus voluerit. » Similiter *S. Irenaeus* (4) asserit, animas non secus ac alias res perseverare, « quoadusque eas Deus et esse et perseverare voluerit. » Ambo igitur poenam impiorum non aeternam putarunt, sed a beneplacito Dei dependentem.

Resp. S. Iustinus loquitur de animarum immortalitate, quam non a se, sed a Deo habent. Docet proinde animas semper subsistere, quia Deus illas immortales condidit: ex quo sequitur, animas impiorum in aeternum cruciari, quia Deus vult aeternam impiorum poenam. Hoc tamen ibi noluit liquidius exprimere, quia de hoc non erat cum Tryphone disputatio, sed dilucide id exposuit in locis supracitatis. Imo hoc ipso in loco nobis obiecto inquit: « Non tamen perire dico ullas animas; vere enim in lucro id esset improbis: » quomodo autem improbis prodesset, eorum animas perire, si *Iustinus* existimasset, eos tandem a cruciatibus liberandos? Puniuntur certe improbi « quamdiu eos esse et puniri Deus voluerit, » nempe in sempiternum; ita enim est voluntas Dei. Nam alibi saepissime id asserit, ut in eodem Dialogo (5) Iudaeos hortatur, ut in Christum credant, « ne aeterno igne ab eo damnentur; » et (6) mittendos dicit impios « in condemnationem ignis perpetuo cruciandos. » Imo in Apol. 2, quae est ad senatum (7), eos data opera confutat, qui « strepitus inanes esse, ac terricula, quae de impiorum cruciatibus in igne aeterno » a Christianis dicuntur. Neque dubitare fas est de orthodoxa *S. Irenaei* doctrina, quae manifeste elucet ex citatis, et multis aliis locis. Cum autem docet, animas hominum perseverare, « quo-

(1) Lib. 3 de Angel., c. 8, n. 10.
(2) Cf Huet. lib. 2. Origen. q. 11, § 23.
(3) N. 5. (4) Lib. 2, cap. 64.
(5) N. 35. (6) N. 45. (7) N. 9.

adusque eas Deus esse et perseverare voluerit, » id solum vult, animas nostras, ut caetera omnia, non habere *ex se ipsis* aeternitatem, ut habet Deus, qui cum nullum habuerit principium, sed a seipso semper fuerit, nulla vi aut potentia destrui potest; anima vero, ut creata fuit a Deo, ita ab eodem destrui potest et in nihilum redigi, quod tamen Deus non vult, qui eam immortalem constituit; adeoque ab eius voluntate pendet, ut in aeternum duret. Imo (1) S. Pater ex hac ipsa omnipotenti et immutabili Dei voluntate infert, animas impiorum neque ex inferno liberari, neque in nihilum redigi posse, quia cum Deus animas a se creatas subsistere semper et in aeternum permanere decreverit, consequens est, ut destrui aut annihilari non possint, cum omnipotentem Dei voluntatem nihil frustrari valeat.

Obi. II. S. *Gregorius Nyss.* lib. de anima et resur. ex verbis I Cor. XV: *Erit Deus omnia in omnibus*, eruit, nequitiam et vitium aliquando in rerum natura prorsus defutura, « ac daemones post longos saeculorum anfractus dominationem Christi unanimiter agnituros esse. » Et in Orat. Catech. (2) docet, « post longos temporis circuitus auferendum e natura malum, hominem a malitia liberandum, ipsumque malitiae inventorem (diabolum) sanandum, ut omnibus in pristinum statum restitutis, una voce creatura omnis gratias agat: » quibus verbis aeternitas poenarum aperte negatur.

Resp. Negari non potest, haec et quaedam alia Origenianam haeresin sapere; negatur tamen, haec ex purissimo et orthodoxo Nysseni calamo excidisse, cum manifeste constet, ea fuisse adulterina manu assuta. Nam *primo*, S. *Germanus* Patr. CPtanus contendit, « Gregorium Nyssae Episcopum, eiusque scripta ab Origenis errore esse immunia, » ut refert *Photius* in Biblioth. Cod. 233. Etenim subdit Photius ibidem, « quibus delirium illud placet, daemonibus et hominibus in aeternam poenam coniectis liberationem inde expectandam; illi (quod virum doctrina singularem, et eloquentia insignem cum agnoscerent, claramque sanctitatis existimationem per omnium ora decantatam viderent) aggressi sunt claris et salutaribus eius scriptis obscura ac perniciosa origeniani somnii venena admiscere, virtutique hominis et doctrinae celebri haereticam occulte amentiam subiicere etc. » Et inferius idem *Photius* addit: « Libri autem, quos insidiis excipere haeretici moliti sunt, et quos *Germanus* veritatis propugnator primarius a latronum insultu sine noxa servavit, sunt *Dialogus ad Macrinam sororem de anima*, et *liber catecheticus*, et ille, qui *de perfecta vita* rationem continet. » *Secundo, Nicephorus Callist.* (3) eadem ratione vindicias *S. Gregorii* egit, asserens, origenianos errores fuisse in eiusdem lib. de anima intrusos. *Tertio* non tantam *S. Gregorius Nyss.* obtinuisset apud Veteres existimationem, si in tam putidos errores fuisset prolapsus, quos Ecclesia universa exsecrabatur. *Iustinianus Augustus* eius auctoritate contra Origenem usus est, et Synodus V oecumenica eum inter Patres et Doctores Ecclesiae laudavit, quos sequi se velle professa est; itane vero, si origeniano luto ab omnibus exsecrato adhaesisset? — *Quarto* demum in operibus genuinis *S. Gregorii Nyss.* sat luculenta testimonia habemus, quae orthodoxam S. Patris fidem de aeternitate

(1) Lib. 5 (2) C. 26.

(3) Lib. 11 hist. eccl., c. 19.

poenarum contestantur. Talia testimonia supra citavimus: ulterius vero in Ps. VI de octava, ante oculos ponit, « terribilia supplicia, gehennam illam, et tenebrosum ignem, et conscientiae vermem — nunquam morientem, qui animas semper pudore sugillat: » in Orat. ad eos, qui durius alios iudicant, loquitur de igne, « qui aeternum comburit, et nullum unquam refrigerium admittit: » idem docet in Orat. catech. cap. 40. Quis iam dicet, tam doctum et sanctum Patrem sibimetipsi turpiter contradixisse?

Obi. III. *S. Gregorius Naz.* Orat. 39 (al. 30) in S. Lumina n. 16, novatianis minatur supplicia post mortem, sed purgatoria tantum, non aeterna; ait enim: « Forte illic igne baptizabuntur, ultimo baptismo, qui laboriosior est et longior, quique materiam ceu foenum depascitur, et omnis malitiae levitatem consumit. » Et Orat. 40 in S. Baptisma n. 36, duo ignium genera distinguit, alterum purgatorium, quod, « materiae ac malae affectionis consumendae vim habet » alterum minime purgatorium, sed poenale et sempiternum, quo utrum homines perpetuo torquendi sint, sub dubio relinquit; dicit enim: « Est ignis non purgans, sed scelerum vindex, sive sodomiticus ille, quem sulphure et procella permixtum Deus in peccatores omnes fundit; sive ille, qui diabolo eiusque angelis paratus est, sive etiam ille, qui ante faciem Domini procedit, et in circuitu inimicos eius inflammat, sive denique ille his omnibus formidabilior, qui cum insomni illo verme coniunctus est, nec unquam extinguitur, verum in sceleratorum hominum poenam perennis est et sempiternus. Hi enim omnes eam vim habent, ut perdant ac deleant, nisi tamen hoc quoque loco quispiam ignem mitiorem, et ut Deo vindice dignum est, intelligendum putet. »

Resp. Natalis Alex. (1) dicit: « *S. Gregorium* in priori loco improprie et obscure locutum esse, et per baptismum ignis postremum et diuturniorem intellexisse ignis sempiterni supplicia, qui terrenam et crassam materiam tanquam foenum comedit, hoc est, crassis et obscoenis corporis voluptatibus servientes exurit, atque homines peccato leves et aridos ita excruciat, ut tamen non absumat, ut explicat *Nicetas* in suis ad illam orationem commentariis. » Ex eo autem, quod S. Doctor poenam dicat *diuturniorem*, non negatur eius aeternitas, quia quod aeternum est, merito etiam diuturnum vocatur. Alii autem putant, S. Gregorium in ea sententia fuisse, quod error novatianorum eiusmodi non sit, ut propter illum omnino certo salute aeterna privandi forent, quod et *S. Basilius* sensisse videtur, dum in Epistola 1 ad Amphiloch. eos dissidentes ab Ecclesia facit: « Propter medicabiles quaestiones: » et ideo verba S. Gregorii de igne purgatorii intelligenda sunt. Ad posteriorem locum respondet idem Natal.: « In Orat. 40 poenarum tartarearum aeternitatem diserte adstruit his verbis: *Omnibus his formidabilior est ignis, qui cum insomni illo verme coniunctus est, nec unquam extinguitur, verum in sceleratorum hominum poenam perennis ac sempiternus est.* Quod autem addit: *Nisi quispiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum est, intelligendum putet:* non refertur ad aeternitatem supplicii, quasi arbitrarium sit asserere, poenas damnatorum finiendas, nec adeo acerbas esse, ut in perpetuum durent: sed ad poenae magnitudinem et intensio-

(1) Saec. 3, Diss. 27.

nem referendum est, quam si quis nostrorum atrocitati scelerum non adaequari contendat, sed mitiorem intelligi velit, quam criminum immanis magnitudo mereatur, quia Deus vindex iustam poenam misericordia et lenitate temperare solet, *S. Gregorium Naz.* repugnantem non habebit. » Sed *Cl. Patuzzi* l. 3 de futuro impiorum statu (1) de eadem additione ait: « Nihil porro vetat, quin illud *hoc* etc. non quidem ad omnes (quatuor ignium poenalium) species referri dicamus, sed divisim ad aliquas nempe earum, ut sit sensus: Hi omnes ignes non sunt a Deo inflicti propter purgationem, sed propter punitionem; nisi malit quispiam dicere, non omnes ad puniendum duntaxat fuisse ordinatos, sed aliquos etiam ad purgandum, cum improbabile non sit, aliquos ex sodomitis ad conspectum et sensum horrendi ignis coelitus immissi poenitentiam egisse, et quosdam etiam ex illo igne, qui praecedet adventum Domini, convertendos esse. » Caeterum S. Doctorem orthodoxe sensisse, patet ex loco iam citato, et ex aliis locis inferius adlegandis.

Obi. IV. *S. Ambrosius* (2) in Ps. CXVIII, inquit: « Differtur diaboli iudicium, ut sit semper in poenis reus, semper improbitatis suae innexus catenae conscientiae suae, ut in perpetuum subeat ipse iudicium. » Ab hac autem perenni diaboli poena distinguit illam hominum; nam paulo ante dixerat: « Diabolus et ministri eius cum hominibus non flagellabuntur. Separata est poena, ubi distat et culpa. » Quo posito discrimine subiungit: « Ideo dives ille in Evangelio, licet peccator, poenalibus urgetur aerumnis, ut citius possit evadere. » Ergo S. Doctor aeternas non credidit hominum peccatorum poenas, quia asseruit, etiam divitem Epulonem, in inferno sepultum, posse ex isto evadere.

Resp. Locus iste obscurus est, sed ex contextu clarior redditur: exponit enim S. Doctor verba Psalmi: *Iudica iudicium meum, et libera me*, et primo dicit, iustos et innocentes non habere causam timendi, daemones autem perpetuum subire iudicium, et perennem sustinere poenam, a qua evadere non possunt: postea ab his distinguit homines viatores, qui culpas contraxerunt, sed per poenales huius vitae aerumnas emendari, et a suppliciis alterius vitae liberari possunt; « quos enim, ait S. Pater ibid., Deus miseretur, cito castigat, ut non diutius afficiantur futuri exspectatione iudicii. » Manifestum igitur est, comparationem institui a *S. Ambrosio* inter diabolum, cui poenitentiae locus non datur, et inter homines viatores, qui resipiscere et a culpis ac poenis liberari possunt; unde mirum non est, quod affirmet, diversam esse horum a diabolo sortem et punitionem. In exemplo autem adnexo non loquitur de divite Epulone, qui *sepultus est in inferno*, sed de illo divite, qui Luc. XII, 16 etc. describitur, quem monitione divina (v. 20) (in qua *stultus*, non autem impius vocatur) emendatum, aut temporali poena purgatum credidit. Epulonem enim aeterno igni damnatum esse, pro certo habet *S. Ambrosius* in eundem Ps. CXVIII (3) inquiens: « Alius iste est ignis, quo exuruntur peccata non voluntaria, sed fortuita, quem paravit servulis suis Iesus, ut eos ab ista commoratione, quae permixta est mortuis, emundet: alius ille ignis, quem deputavit diabolo et angelis eius, de quo dicit: *Intrate in*

(1) Cap. 17. n. 94. (2) Serm. 20, n. 23. (3) Serm. 3, n. 17.

ignem aeternum, quo ille dives ardebat, qui stillari sibi de Lazari digito poscebat humorem. » Et in cap. XVI Lucae ait: « Non otiose hic divitem Dominus perfunctum deliciis saecularibus in *perpetuae* famis apud inferos constitutum significavit aerumna. » Caeterum orthodoxam *S. Ambrosii* fidem ostendunt testimonia iam citata, quibus addi queunt verba, quae habet in fine citati Serm. (1): « Scientes igitur, in aeternum mansura iudicia omnia iustitiae Dei, caveamus, ne opera nostra displiceant, et in aeternum incipiamus subire iudicium. »

Obi. V. *S. Hieronymus* Comment. in Isa. ipsemet argumenta affert, quibus probatur, daemonum et hominum damnatorum poenas aliquando finiri, et in fine dicit, Deum solum nosse « quomodo, aut quamdiu debeat iudicare. » Et in Dial. contra Pelag. (2) ait: « Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit poenitentiam, quid ad nos, qui et diabolum et satellites eius, omnesque impios et praevaricatores dicimus perire perpetuo; et Christianos, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas? » ergo saltem Christianos damnatos aliquando liberandos esse putavit.

Resp. S. Doctor in cit. Comment. non suam mentem exprimit, sed aliorum opiniones, quas commentatoris officio refert, quin easdem probet ex ipsa locutione in tertia aliorum persona, ait enim: « Porro qui volunt, supplicia aliquando finiri... his utuntur testimoniis etc. » Hinc lib. 1 c. Ruffinum ipse testatur, « se in commentariis, ut se habet lex et consuetudo commentariorum, multa ex aliorum sententia non approbando, sed referendo tantum dixisse. » Dicit autem, Deum solum nosse, quomodo, aut quamdiu debeat iudicare, quia varia distinguit peccatorum genera; subdit enim: « Sicut diaboli, et omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: *Non est Deus*, credimus aeterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, et mixtam clementiae sententiam Iudicis: » quod de iis Christianis intelligendum est, quos scelerum suorum ante mortem poenituerint, non autem de iam damnatis, quibus locus poenitendi non datur. In secundo loco obiecto similiter loquitur *S. Hieronymus* de Christianis, qui venialibus peccatis maculati in ignem proiiciuntur, sed « salvandi tamen post poenas, » scilicet purgatorias. Sane ibi S. Doctor Christianos in peccato praeventos distinguit ab impiis et praevaricatoribus, et hos dicit perire perpetuo una cum diabolo et satellitibus eius; supponit ergo eos in tali peccato esse praeventos, quod non sit praevaricatio legis, tale autem peccatum non est nisi veniale: quod discrimen ibidem fusius declarat iniquos et peccatores ab impiis distinguens (Cf. *Cl. Patuzzi* (3) et *Gazzaniga* (4)).

(1) Serm. 20 in Ps. 118. (2) N. 28.
(3) Lib. 3 de futuro impior. statu, cap. 11.

C. *Dogma de aeternitate poenarum rectae rationi minime adversatur.*

§ 856. Cum poenarum aeternitatis hostes undique se pressos videant gravissimis verbi Dei, tum scripti, tum traditi momentis, causam alio avocare satagunt, ad tribunal scilicet rationis humanae, in quo se victoriam certissime consecuturos confidunt.

(4) Tr. de actibus hum. Diss. 4, cap. 5. Append. de aetern. poen. 221-229.

Clamitant igitur, doctrinam de aeternitate poenarum notionibus repugnare, quas recta ratio, confirmante ipsa Revelatione, de Dei natura eiusque perfectionibus proponit. Argumenta autem adversariorum inania esse, ex solutione obiectionum patebit. Interim nos quaedam praemittimus, partim ex auctoritate, partim ex ipsa ratione deducta, quibus ostenditur, aeternitatem poenarum non solum rationi non repugnare, sed ab ea convenientissimam agnosci.

1. Cum Deus ad nos loquatur per revelationem et rationem, et sibi, ut summa Veritas, contradicere non possit, necessario sequitur, ea, quae a Deo revelata sunt, rationi minime repugnare. Sed iam probatum est, aeternitatem poenarum infernalium a Deo esse revelatam: ex quo recte concluditur, hanc poenarum aeternitatem rationi minime repugnare. Extiterunt sane in Ecclesia Christi Patres, Doctores et theologi, ingenio, doctrina et pietate praestantissimi, imo et philosophi, acutissimo ratiocinio utentes, qui dogma de poenarum infernalium aeternitate propter auctoritatem Dei revelantis firma fide receperunt, et nullam repugnantiam in eo invenerunt. Quis tot viris doctissimis et piissimis prudentiorem se, et sagaciorem reputabit, ut doctrinam, quam illi receperunt et approbarunt, veluti contradictoriam et absurdam suggillare non vereatur?

2. Etiam a *Iudaeis*, praecipue vero a duabus inter eos celeberrimis sectis pharisaeorum et essenorum fuisse credita supplicia impiorum aeterna, testatur *Ios. Flavius* (1). Idem senserunt *Aegyptii;* referunt quippe *Tacitus* (2) et *Diodorus* (3), « de inferis eorumque poenis eandem fuisse sententiam apud Aegyptios et Hebraeos. » *Zoroaster* docuit: « Tenebrarum angelus cum suis asseclis in obscurum locum ablegabuntur in aeternum cruciandi; » quam doctrinam *Chaldaei*, *Assyrii* et *Persae* secuti sunt. *Indos* quoque cum suis magistris Brachmanibus aeternitatem poenarum admisisse, testatur *Strabo* (4). Inter *Graecos* eadem fides viguit, unde *Plato* in Phaedonis dialogo de animabus, magnis delictis inquinatis dicit: « Quae insanabilibus se se facinoribus alligarunt, in tartarum absque ulla exitus spe praecipitantur. » Inter *Romanos* eiusdem sententiae testis est *Virgilius*, qui Aeneid. cant. 6 (5) scribit: « Sedet, aeternumque sedebit infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnes admonet, et magna testatur voce per umbras: Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos. » Plures eiusdem sententiae philosophos, poëtas et populos adlegat *Cl. Patuzzi* op. c. (6). Anne hi omnes rectae rationis principia ignorarunt, ut eorundem repugnantiam cum poenarum aeternitate non viderent? Nonne potius ex consensu gentium inferendum est, rationem ipsam poenarum aeternarum aequitatem cognoscere?

3. Clamitant adversarii, aeternitatem poenarum perfectionibus divinis repugnare. Ut autem recte diiudicare possent, quid perfectionibus divinis conveniat, quidve repugnet, easdem perfecte perspicere deberent. Cum autem ratio limitata ens infinitum comprehendere non possit, impossibile pariter est, infinitas Dei perfectiones ab hominibus comprehendi; ac propterea nunquam increduli assertiones suas solide probare valent. His accedit, quod plerique ex falsa aut manca philosophia anthropologi-

(1) Lib. 8 Antiq., cap. 2.
(2) Lib. 5, cap. 5.
(3) Lib. 1.
(4) Lib. 14 Geograph.
(5) V. 618.
(6) Lib. 3, cap. 18.

cas, vel imperfectas de Deo notiones hauriant, quibus Deus cum homine turpiter confunditur, ex quo fit, ut eius actiones ad normam actionum humanarum diiudicentur. Recta autem philosophia docet, Deum esse undequaque ens primum, quo nihil prius, nihil superius cogitari potest (§ 6): non datur ergo lex vel regula, quam Deus sequi teneatur, sed omnia bona, iusta et sancta sunt, non aliunde, nisi quia Deus vult (§ 37 et seq.). Quamnam ergo legem vel regulam invenient adversarii , iuxta quam decreta et actiones Dei diiudicare et carpere queant? — E contra ipsa ratio humana per fidem illustrata ostendere valet, aeternitatem poenarum perfectionibus divinis convenientissimam esse.

4. Legislatores, ut in subditorum regimine prudenter procedant, non solum praecepta imponunt, nec tantum obedientibus praemia promittunt, sed etiam poenas minantur, quibus subditi a praeceptorum transgressione deterreantur. Ipsa igitur ratio cognoscit, etiam sapientiae divinae congruum esse, ut homines per poenas quoque, quas minatur, a legum divinarum transgressione deterreat. Sapientiam autem infinitam decet, ut efficacissimum timoris motivum proponat, et ideo atrocissimas atque aeternas poenas minetur, ut iam alibi(1) ostensum fuit. Poenarum ergo aeternarum comminatio sapientiae divinae convenientissima est. Quod si Deus poenas aeternas solum minaretur, non autem actu infligeret, tum ipsius Veracitas tolleretur, tum comminationis finis non obtineretur, quia poenae intentatae contemnuntur, si cogitare aut sperare licet, quod actu non infligantur. Hinc *S. Gregorius M.* (2) contra eos, qui comminationem poenarum aeternarum factam esse dicebant duntaxat ad peccatores terrendos, dixit: « Si falsa Deus minatus est, ut ab iniustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad iustitiam provocaret. Quis hanc eorum vesaniam toleraret, qui conantur adstruere, verum non esse, quod Veritas minata est, et dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur praedicare fallacem? » — Admittenda igitur est doctrina catholica de aeternitate poenarum, ex qua elucent *sanctitas Dei*, quae peccatum incomprehensibili modo abominatur, *sapientia Dei*, quae poenas aeternas minatur, *omnipotentia Dei*, quae illas infligit, et cui reus nunquam resistere potest, et *veracitas Dei*, cuius verba non praetereunt, transeuntibus coelo et terra.

5. Finis mundi totalis est manifestatio perfectionum divinarum, seu gloria Dei externa (§ 141). Deus autem sicut infinite bonus, ita infinite iustus est. Convenit ergo, ut quamdiu universum existit, tum infinitam suam bonitatem, tum infinitam suam iustitiam manifestet: sed infinitam suam bonitatem manifestat in aeterna electorum remuneratione: conveniens ergo est, ut etiam infinitam suam iustitiam manifestet in aeterna reproborum punitione: ast si poenae non essent aeternae, tempus daretur, in quo Deus iustitiam suam vindicativam nullo modo manifestaret. Hinc *S. Thomas* (3) dicit: « Eadem iustitiae ratione poena peccatis redditur, et bonis actibus praemium: praemium autem virtutis est beatitudo, quae quidem est aeterna: ergo et poena, qua quis a beatitudine excluditur, debet esse aeterna. Hinc est, quod dicitur Matth. XXV: *Ibunt hi in*

(1) S 260, n. 3.

(2) Lib. 24 Mor.

(3) Lib. 3 c. Gentes, c. 144.

supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. »

6. Poena aeterna ideo tantum hominibus iniusta videtur, quia naturam seu malitiam peccati mortalis non perspiciunt; unde *S. Augustinus* (1) dicit: « Poena aeterna ideo dura et iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimae purissimaeque sapientiae, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima praevaricatione commissum sit. » Ss. Patres vero, et theologi, maximam peccati mortalis malitiam accuratius perpendentes, ex triplici potissimum capite probant, eandem poenam aeternam mereri. *Primo* enim ipsa ratio docet, eo maiorem esse offensae malitiam, quo dignior est persona quae offenditur: sed per peccatum mortale graviter offenditur Deus infinitus: ideo nonnulli concludunt, peccatum mortale habere malitiam infinitam, et mereri poenam infinitam. Quamvis autem id alii negent, quia homo finitus non est capax actus infiniti, omnes tamen admittunt, peccatum mortale habere summam et quidem talem malitiam, quae captum nostrum longe excedit. Unde concludendum est, quod peccatum mortale mereatur summam et quidem talem poenam, quae captum nostrum longe superet, et quoad nostrum concipiendi modum infinita dici possit. Ast, ait *S. Thomas* (2): « Cum non possit esse infinita poena per intensionem, quia creatura non est capax alicuius qualitatis infinitae, requiritur, quod sit saltem duratione infinita. » *Secundo*, graviter peccans derelinquit summum bonum, et adhaeret creaturae; penitus ergo deficit a fine suo, et ita animo comparatus est, ut potius in aeternum velit in peccato vivere, quam Deo coniungi. Cum enim potuisset et debuisset, quamdiu in vivis agebat, per bona opera ad beatam vitam, quae in summo bono posita est, contendere, per prava opera volens libens sese in eum statum proiecit, in quo amissam semel felicitatem recuperare non potest, non aliter, ac si quis se oculis privaret, etiamsi aeternum viveret, aeternum caecus esset. Quis ergo non videt, graviter peccantem mereri tum aeternae felicitatis amissionem, tum poenas, quae cum ista amissione coniunctae sunt? Ita iam argumentatus est *S. Gregorius M.* lib. 34 Mor. (3), scribens: « Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitate permanere. Nam magis appetunt peccare, quam vivere: et ideo semper vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare, quum vivunt. Ad districti ergo Iudicis iustitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato; et ut nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. » Ad quae S. *Gregorii* verba observat S. *Thomas* l. cit.: « Si obiiciatur, quod quidam peccantes mortaliter, proponunt vitam suam in melius commutare, et ita secundum hoc non essent digni aeterno supplicio, ut videtur: dicendum est secundum quosdam, quod *Gregorius* loquitur de voluntate, quae manifestatur per opus; qui enim in peccatum mortale propria voluntate labitur, se ponit in statu, a quo erui non potest nisi divinitus adiutus: unde ex hoc ipso, quod vult peccare, vult consequenter in peccato manere perpetuo; homo

(1) Lib. 21 de Civ. Dei, c. 12.
(2) In Suppl. q. 99, art. 1.
(3) Cap. 19, n. 36.

enim est spiritus vadens, scilicet in peccatum, et non rediens per seipsum; sicut si aliquis se in foveam proiiceret, unde exire non posset nisi adiutus, posset dici, quod in aeternum ibi manere voluerit, quantumcunque aliud cogitaret: vel potest dici et melius, quod ex hoc ipso, quod mortaliter peccat, finem suum in creatura constituit, et quia ad finem vitae tota vita ordinatur, et vellet perpetuo in peccato manere, si hoc sibi esset impune. » *Tertio*, homo tamdiu iuste punitur, quamdiu culpa in ipso manet: sed culpa nequit deleri nisi per poenitentiam, quae autem post mortem non habet locum, ut mox ostendetur: cum ergo culpa et perversa voluntas maneat in aeternum, necesse est, manere etiam poenam in aeternum (1).

Nota. His praemissis difficile non est obiectiones adversariorum refellere.

Obi. I. Iuxta immutabilem iustitiae legem debet esse inter culpam et poenam proportio, ut scilicet nemo amplius puniatur, quam meritum eius exposcit: atqui nulla est proportio inter culpam momentaneam, aut temporariam, et poenam sempiternam: ergo iniurii Deo sunt, qui tales poenas ab illo inferendas existimant, quae iustitiae et aequitati manifeste adversantur.

Resp. Poena commensurari debet peccato quoad intensionem, seu acerbitatem, non autem quoad extensionem, seu durationem. Deus porro, quamvis nulli legi subiectus, sed supremus omnium legum auctor, et iustitiae fons sit, proportionem tamen observat inter peccatum et intensionem poenae, id est, quo graviora sunt peccata, eo graviora infligit supplicia, ut § 762 probatum fuit. Proportionem autem inter peccatum et poenae durationem iustitia nullatenus exigit, quod praeclare ostendit *S. Thomas* (2) dicens: « Sicut enim *Augustinus* dicit (3), in nullo iudicio requiritur, ut poena adaequetur culpae secundum durationem. Non enim, quia adulterium, vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poena punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio, quandoque etiam morte; in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod *in perpetuum* auferatur a societate viventium, et sic repraesentet suo modo aeternitatem poenae inflictae divinitus. » Et in Suppl. (4) adiungit: «Quod poena, quam civitas mundana infligit, perpetua non reputatur, hoc est per accidens, vel in quantum homo perpetuo non manet, vel in quantum etiam ipsa civitas deficit. Unde si homo in perpetuum viveret, in poena exilii, vel servitutis, quae per legem humanam infertur, perpetuo maneret. »

Obi. II. Cum peccata, utcunque gravia et multiplicata, nunquam sint infinita, sequitur, etiam debitum poenae finitum esse, et aliquando extingui posse per *satispassionem*, ut vocant, ad quam non requiritur voluntaria acceptatio poenae, sed mera ipsius tolerantia, ut evincitur ex poenis, quae in delinquentes ab humanis iudicibus inferuntur. Quamquam enim reus aut furti, aut homicidii a prava voluntate non recedat, imo in ea constanter perseveret, et poenam sibi per leges inflictam iniquo animo subeat, non idcirco magis punitur, quam puniri meretur, et solet ille, qui deprehensus in scelere eiusdem statim

(1) Cf. S. Thom. l. c. in fine.
(2) 1 2, q. 87, art. 3 ad 1.
(3) Lib. 21 de Civ. Dei, c. 11.
(4) Q. 99, art. 1.

poeniteat, et illatam poenam libenter sustineat.

Resp. Cl. Perrone hanc obiectionem tollit distinguendo; concedit nempe, per satispassionem debitum extingui, si eius sit naturae, ut possit extingui; negat vero, si sit inextinguibile, et addit (1): « Porro ex dictis patet, nunquam posse per poenam extingui debitum, quod reprobi contraxerunt per suam culpam, quae iugiter perseverat. Cum autem poena a Deo infligatur ad restituendam in pristinum subversam aequalitatem ordinis, quam culpa invexit, evidens est, eiusmodi aequalitatem, seu iustitiae reparationem aliter induci non posse, nisi tamdiu rebellis creatura deprimatur per poenam, quamdiu adversus Creatorem et ordinem ab eo constitutum insurgit per culpam, et tamdiu puniatur contra suam voluntatem, quamdiu per pravum affectum reluctatur Dei voluntati; cum vero haec salutaris conversio absque gratia, quae tamen ei non datur, fieri nequeat, sequitur, poenam infligendam aeternam fore. Atque hinc negatur paritas deducta ex exemplo humanae iustitiae, cuius officium cum sit, ut politico tantum ordini et quieti prospiciat, nec potest, nec debet totum id removere, quod pravum ac inordinatum est. » Addi potest alia distinctio. Satispassio nempe debitum extinguere potest, si Iudex offensus illam pro plena satisfactione aliquando acceptare teneatur, vel ultro acceptare velit, secus vero nequaquam. Nemo autem dicet, Deum, qui nulli legi subest, aliquando teneri satispassionem damnatorum pro plena satisfactione acceptare: Deum vero nunquam eam acceptare velle, revelatio docet. Ex dictis demum constat, veri nominis *satispassionem* in damnatis nunquam inveniri posse.

Obi III. Aeternitas poenarum adversatur Sapientiae divinae, quae utpote infinita et omnipotens finem sibi praefixum semper assequi debet. Deus vero homines ideo ex nihilo condidit, ut efficerentur tandem aliquando compotes sempiternae illius felicitatis, cuius in corde nostro vehemens, ac necessarium desiderium ac appetitum indidit. Si igitur ad hanc nullo unquam tempore unus etiam homo non perveniret, finem sibi praestitutum Deus vel in illo uno non assequeretur; ac ille vehemens, qui in nobis est, beatitudinis appetitus inanis esset, imo ad hoc tantum illum indidisse Deus censendus esset, ut homines magis magisque torqueret, quod Dei sapientiae et bonitati repugnat.

Resp. Obiectio haec falso laborat supposito, quo statuitur, primarium et absolutum Dei humanum genus creantis finem esse hominum felicitatem; sed qui ita sentit, a vero aberrat, quia finis Dei primarius, totalis et absolutus est ipsius gloria externa; finis autem secundarius et conditionatus est felicitas aeterna, quam homines tunc tantum consequuntur, si conditiones a Deo praescriptas adimpleant (§ 378). Divina ergo Sapientia semper finem primarium, seu totalem assequitur, sive homines salventur, sive damnentur, quia in illis divina bonitas, in his vero iustitia vindicativa manifestatur. Appetitus autem beatitudinis tunc tantum inanis esset, si homines, etiam faciendo quidquid ab ipsis per gratiam exigitur, ad beatitudinem non pervenirent; minime vero, si eam reipsa assequuntur, recte iis praesidiis utendo. Desiderium enim beatitudinis, quod Deus nobis indidit, nos excitare debet, ut virtutem sectemur, per quam solam ad illud desiderium explen-

(1) Cap. 6, art. 3, n. 799.

dum aliquando pervenitur, cum huius desiderii complementum pendeat a conditione, quae a nobis cum divinae gratiae ope ponenda est. Qui autem praescriptam conditionem in hac vita ponere negligit, sibi ipsi adscribere debet, si per eundem beatitudinis appetitum in altera vita torquetur.

Obi. IV. Sapientiae adversantur poenae, quae sine ulla utilitate inferuntur. Tales autem sunt poenae aeternae, quae sunt omnino inutiles, tum ipsis damnatis, ad quorum correctionem easdem non infligi dicitur; tum aliis quia post extremum iudicii diem nullus amplius erit, qui poenarum timore a peccatis coërcendus sit: ergo si hae poenae in aeternum durare dicantur, non alia de causa durabunt, nisi quia Deus in iis delectatur, quod crudele est.

Resp. Poenae aeternae perpetuo manifestant infinitam Dei iustitiam, ac proinde, quia finem primarium et totalem promovent, Sapientiae congruae sunt. *S. Thomas* in Suppl. (1) duplicem profert causam, ob quam poenas aeternas in statu aeternitatis minime inutiles fore ostendit, dicens: « Sunt enim utiles ad duo: *primo* ad hoc, quo in iis divina iustitia conservetur, quae est Deo accepta propter seipsam; unde *Gregorius* (2) dicit: Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem iustus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. *Secundo,* ad hoc sunt utiles, ut de iis electi gaudeant, dum in iis Dei iustitiam contemplantur, et dum se eas evasisse cognoscunt; unde Ps. LVII, 11 dicitur: *Laetabitur iustus dum viderit vindictam.* » Addi potest alia utilitas quae in praesenti saeculo habetur, ut nempe maiori metu homines a malo retrahantur. Quid enim homines a peccatis deterrebit, si poenarum aeternarum comminatio id non perficit? — Deus igitur poenas aeternas ad gloriam suam manifestandam, et ad moralitatem promovendam decrevit, atque ideo a crudelitate omnino alienus dicendus est.

Obi. V. Dogma de aeternitate poenarum consistere nequit cum divina bonitate, clementia et misericordia. Bonitas enim sive misericordia est compassio alienae calamitatis, et ad eam revelandam impellit. Clementia vero est quaedam animi lenitas in poenis irrogandis, movetque ad eas minuendas aut sublevandas. Tantum porro abest, ut cum iis virtutibus componantur poenae aeternae, ut potius Deum ipsarum auctorem saevum atque crudelem exhibeant. Etenim, ut inquit *Bayle*, nemo posset a saevitia et crudelitatis nota principem eximere, qui hominem mortis reum lento igne comburi iuberet, quo diutius cruciaretur, et nemo est, qui carnifici non irascatur, si in infligenda mortis poena segnior sit, nec quam citissime potest miserum patientem occidat: pari ergo, imo multo potiori ratione saevitiae accusandus esset Deus, si infelices reprobos supplicio aeterno puniret, et de hoc laetaretur, quod notioni Dei infinite boni aperte repugnat.

Resp. Haec difficultas oritur ex anthropologico conceptu, quo Deus confunditur cum homine. Hic enim legibus subest, et ideo saepe ad benefaciendum et commiserandum tenetur, quod de Deo, Ente primo et independenti dici nequaquam potest. Certe ergo Deus infinite bonus et misericors est (3): sed istae perfectiones ita sunt in Deo, ut illas erga omnes et semper et eadem ratione exercere minime teneatur. Aliud enim est in

(1) Quaest. 99, art. 1 ad 4.

(2) Lib. 4 Dialog. (3) § 50 et 51.

Deo has proprietates, seu dotes inveniri, de quo dubitari nequit; aliud vero est earundem exercitium, et exercitii modus. Siquidem, ut praeclare observat S. *Thomas* (1), ad hoc, ut tum severitas, tum clementia virtutes sint, *secundum rectam rationem esse debent:* hinc cum Deus iam pridem clementiam atque pietatem erga Angelos et homines viatores exercuerit, iuxta consilium sapientiae suae rectissimamque rationem, potest impios, nullum virtutum istarum detrimentum faciendo, in iis cruciatibus perpetuo deserere, in quos ipsi se coniecere, eorumque minime lenire dolores, qui sunt effectus necessarii vitae anteactae, iuxta ea, quae in probationibus dicta sunt. Ad id porro, quod additur, a iustitiae humanae exemplo petitum recte dicitur, illud nimis probare; alioquin, si quid evinceret, sequeretur, neque diu, ut Origeniani contendebant, et plerique ex adversariis nostris ultro contendunt, impios posse poenas dare, sed vix unico temporis momento ipsorum cruciatus absolvi debere. Porro princeps vere crudelitatis notam incurreret, si poenam ex inordinato vindictae appetitu infligeret, et si supplicium delicti mensuram excederet; illam autem notam non incurreret, si poenam delicti mensuram non excedentem ex amore iustitiae inferret. Deus autem, cuius voluntas ipsa iustitia est, in poenis inferendis non solum nunquam praetergreditur mensuram seu modum, quem peccatorum gravitas exposcit, sed neque hunc modum ad amussim attingit; quare receptum est in scholis effatum, Deum punire *citra condignum:* et S. *Thomas* (2) observat: « Deum non delectari in poenis propter ipsas, sed delectari in ordine suae iustitiae quae hoc requirit. » Notandum quoque est, in Deo non esse affectiones et passiones, ut sunt in hominibus, ut probatum est (§ 40). Denique hic recolenda sunt, quae § 52 de nexu misericordiae et iustitiae divinae dicta sunt.

(1) 2 2, q. 157, art. 2 ad 1.

II. *Damnati per poenitentiam ex inferno liberari non possunt.*

§ 857. Recentioribus temporibus praecipue inter Protestantes extiterunt non pauci, qui admiserunt, poenas inferni aeternas esse pro iis, qui in diris quoque cruciatibus non emendantur; asseruerunt autem homines damnatos meliores sensus concipere, et per poenitentiam ex inferno liberari posse. Sed haec doctrina fidei orthodoxae prorsus contraria est; in loco enim damnatorum seu in inferno salutari poenitentiae locum non dari S. *Scriptura* et *Traditio* docent, quibus etiam sana ratio suffragatur.

1. *In S. Scriptura* locus classicus legitur Luc. XVI, 26, ubi Lazarus in sinu Abrahae, et dives Epulo in inferno exhibetur: huic autem Abraham dixit: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Non solum antiquiores, sed etiam recentiores interpretes, ut *Schnappinger*, *Rosemiller* etc. fatentur, his verbis tum Beatorum, tum damnatorum statum immutabilem declarari. Neque argumenti vis minuitur, si dicatur, Christum non historiam, sed parabolam proposuisse. Nam etiam parabolae ad docendum proferuntur, et dubitare nullatenus licet, vera esse verba,

(2) 1 2, q 87, art. 3 ad 3.

quae ipse Filius Dei in os posuit Abrahamo, omnium credentium patri. Crescit argumentum, si perpendantur poenitentiae et caritatis sensus, quos erga fratres suos damnatus epulo habuit, et qui tamen ipsi non profuerunt. Hoc unum exemplum sole clarius ostendit, per poenitentiam neminem ex inferno liberari posse. Hoc idem probant S. Scripturae testimonia, § 478 citata, quibus ostenditur, ex ipsa Dei ordinatione tempus merendi cum hac vita desinere: si enim tempus merendi desiit, etiam tempus salutarem poenitentiam agendi cessavit. Hisce autem locis sequentia addi possunt Psalm. LXXXVII, 12 etc. dicitur: *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione? Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et iustitia tua in terra oblivionis?* Ps. CXIII, 26: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum;* quibus consonant verba Ezechiae apud Isa.: *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam* (1); et Baruch c. II, v. 17: *Vide, quia non mortui, qui sunt in inferno, dabunt honorem et iustificationem Deo, sed anima, quae tristis est*, etc.; quae verba non de corpore, quod iacet in sepulcro, sed de anima intelligenda sunt, cuius est Deum cognoscere, laudare, illi honorem dare etc. S. Scriptura ergo animabus, in statu peccati ad alteram vitam transeuntibus, penitus denegat Dei utilem et salutarem agnitionem, confessionem, laudem et honorem, adeoque actus omnes necessarios, ut convertantur ad Deum. Eccli. XIV, 16 legitur: *Da, et accipe, et iustifica animam tuam: ante obitum operare iustitiam, quia non est apud inferos invenire cibum,* spiritualem videlicet, sive iustitiam et meritum bonorum operum, quibus anima pascitur et vegetatur. Et ib. *Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio* (2): hoc est, noli abduci falsa eorum opinatione, qui putant, se post mortem conversum iri ad Deum, eique laudem et confessionem daturos. Id potius exequere dum vivis in hoc mundo; a mortuo namque perit confessio, nempe laus Dei utilis et meritoria, quae eum ducat, ut ante dixerat, *in partes saeculi sancti*, id est, in consortium beatorum. Matth. XXI, 19, Christus maledictionem tulit in ficum sterilem, bis verbis: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, significans animam sine bonis operibus ex hac vita exeuntem nunquam in sempiternum bonorum operum fructus esse edituram. Io. c. III, v. 36 Salvator ait: *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed, ira Dei manet super illum*, hoc est, non obtinebit unquam misericordiam, aut delicti sui indulgentiam sed *ira Dei* vindicans commissa crimina nunquam ab illo discedet, sed super eum aeternum manebit, id est, « semper eum puniet per totam aeternitatem. » Luc. XIII Christus, cum (v. 24) dixisset: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare et non poterunt*, v. 25 adiungit: *Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foras stare, et pulsare ostium dicentes: Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis: nescio vos unde sitis* etc.; quam sententiam praeclare exponit *V. Beda* dicens: « Paterfamilias est Christus, qui cum ubique ex divinitate sit, illis iam intus esse dicitur quos in caelo praesens sua

(1) Isa. 38. 18. (2) Eccli. 17, v. 26.

visione laetificat: sed quasi foris est his, quos in hac peregrinatione certantes occultus adiuvat. Intrabit vero, cum totam Ecclesiam ad sui contemplationem perducet. Claudet ostium, cum reprobis locum poenitentiae tollet, qui foris stantes pulsabunt, id est, a iustis segregati, misericordiam, quam contempserunt, frustra implorabunt. » Huc etiam revocare licet illud Apoc. ubi Angelus dicitur *iurasse per viventem in saecula saeculorum, quia tempus non erit amplius* (1), id est, tempus quidem seu successio momentorum pro beatis et damnatis non cessabit, quia creaturae semper ad distinctionem Creatoris tempori subiectae manent, sed non erit amplius tempus merendi, poenitendi, et salutem suam operandi.

2. *Traditionem* si attendamus, invenimus, semper, ubique et ab omnibus creditum esse, ad merendum requiri statum viatoris, et ideo cum hac vita desinere tempus merendi: cuius traditionis testes aliquos iam § 478, n. 2 adduximus. Cessante autem tempore merendi, cessat etiam tempus salutariter poenitendi, et ideo in inferno salutaris poenitentia peragi non potest. Magno consensu id docent Ss. Patres. *S. Clemens Rom.* (2) scribit: «Poenitentiam agamus, quamdiu in hoc mundo sumus, et poenitendi tempus habemus; nam si ex hac vita migraverimus, neque confessio, neque poenitentia locum habet. » *S. Cyprianus* Epist. ad Demetrian. (3) ait: « Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur. » Ipse *Origenes* in Ps. XXXVI inquit: « Salvator noster dicit: *Veniet nox, quando nemo potest operari* (4), et hoc dicit de tempore illo, quo unusquisque recipiet poenas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, cum iam nemo potest operari aliquid; sed unusquisque tunc pascitur ex operibus suis, quae hic positus operatus est. » *S. Ambrosius* l. de bono mortis, cap. 2 haec habet: « Qui hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit in patria beatorum. » *S. Hilarius* cap. 27 in Matth. nedum infidelium, sed et fidelium, qui in peccatis decedunt, desperatam esse salutem declarat, et inferius iisdem peccatoribus, quos quinque fatuae virgines adumbrant, « nullum post mortem superesse poenitentiae spatium » affirmat. *S. Pacianus* in paraenesi ad poenit. dicit: « Mementote, fratres, quia apud inferos exhomologesis non est, nec poenitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore poenitendi. » *S. Cyrillus Hierosol.* (5) ait: « Poenitentiae et remissionis peccatorum tantum in hac vita praescriptum tempus habemus. » *S. Basilius* in Epist. (6) ad Virginem lapsam describit horrorem iudicii, poenasque inferni, et addit: « Ab his post mortem liberari non datur, neque est industria ulla, neque ars effugiendi amara supplicia. » *S. Gregorius Naz.* Or. (7) de plaga grandinis, ait: « Satius est nunc castigari ac purgari, quam ad cruciatum illum transmitti, cum iam poenae tempus erit, non purgationis. Quemadmodum enim, ut a Davide optime dictum est, morte superior est, qui hic Dei memor est, ita non est mortuis in inferno confessio, nec morum correctio. Hic enim Deus vitam et actionem, illic autem rerum gestarum censuram

(1) C. 10, v. 6.
(2) Epist. 2 ad Corinth. n. 8.
(3) N. 17. (4) Io. 9, 4.
(5) Catech. 18. (6) 4 46 (al. 5).
(7) Or. 16, al. 15, n. 71.

conclusit. » Et (1) cum dixisset, homines in hac vita a poenis liberari posse, mox de iis, qui in altera vita condemnantur, subiungit : « Non iam provocatio superest, non sublimior iudex, non alia opera, per quae quispiam poenam deprecetur, non deficientibus lampadibus, oleum a prudentibus virginibus, aut a vendentibus acceptum, non divitis illius poenitentia, flammae cruciatu liquescentis ac propinquis suis correctionem requirentis, non denique praestitutum vitae in melius commutandae tempus. » *S. Chrysostomus* paraen. 1 ad Theodorum lapsum n. 9 dicit : « Quamdiu hic sumus, etiamsi millies peccemus, omnia licet eluere peccatorum poenitentiam exhibentibus. Cum autem illuc (in gehennam ignis) abducti fuerimus, etiamsi ingentem poenitentiam exhibeamus, nihil nobis proderit. Sed quantumvis dentibus frendamus, quantumvis lugeamus, quantumvis obsecremus, nec extremo quidem digito quispiam nobis aliquid refrigerii distillabit. Sed ea ipsa audiemus, quae dives olim ille, nempe *magnum chaos inter nos et vos firmatum est.* Resipiscamus itaque, obsecro, dum hic degimus, et Dominum agnoscamus, ut agnoscere oportet. Tunc enim solum de poenitentia desperandum erit, cum in inferno constituti erimus. Ibi namque solum hoc remedium infirmum et inutile est ; dum autem hic versamur, etiamsi in ipsa senectute adhibeatur, vim habet maximam » (2). — *S. Hieronymus* lib. contra Elvidium n. 3 inquit : « Si dixerimus *Elvidius,* antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est, non sequitur, ipsum post mortem poenitentiam egisse, cum non sit ibi poenitentiae locus. » *S. Augustinus* (3) scribit : « Quis enim catholicus Christianus vel doctus vel indoctus, non vehementer exhorreat, eam, quam dicit purgationem malorum (Origenes), id est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus et sacrilegiis atque impietatibus quantumlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremo diabolum ac angelos eius, quamvis post longissima tempora, purgatos, atque liberatos regno Dei lucique restitui?... De qua vanissima impietate adversus philosophos, a quibus ista didicit Origenes, in libris de Civitate Dei diligentissime disputavi. » Id praestitit S. Doctor praecipue lib. 21 de Civit. Dei, ubi c. 24, n. 5 dicit : « Frustra homo post hoc corpus (in morte amissum) inquirit, quod in hoc corpore sibi comparare neglexit. » Et c. 26 citat verba Apostoli Gal. V, 19 etc. : *Manifesta sunt opera carnis... quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, et subdit : « Haec profecto apostolica falsa est sententia, si tales post quantalibet tempora liberati regnum Dei possidebunt. Sed quoniam falsa non est, profecto regnum Dei non possidebunt. Et si in regni Dei possessione nunquam erunt, aeterno supplicio tenebuntur. » Ergo iuxta S. Doctorem, si vera est sententia Pauli, damnati ne per poenitentiam quidem ex infero liberari possunt. *Theodoretus* in Ps. VI scribit : « Clausa est poenitendi ianua iis, qui hinc demigrarunt, nec fieri potest, ut illi, qui in praesenti vita poenitentiae remediis uti noluerunt, illic afferant Deo confessionem pro peccatis. Testis est autem his verbis etiam virginum parabola ; etenim per illam didicimus, fatuas virgines, restinctis lampadibus, mansisse ante ianuas, quia reiectae sunt, et thalamo exclusae ; ait enim ipsis : *Disce-*

(1) N. 9. (2) Cf. Serm. 2 de Lazaro, n. 3. (3) Lib. de haeres n. 43.

dité, non novi vos. Quocirca B. David has offert Deo preces, rogans ut sanetur, perinde ac si medicamenta poenitentiae non haberent amplius locum in illa vita: *Non est in morte qui memor sit tui:* idcirco precor, ut in praesenti fruar curatione, quoniam novi eos, qui ab hac vita excesserunt cum ulceribus, nullam deinceps medicinam consecuturos, cum nullus amplius sit poenitentiae locus. » *S. Petrus Chrysologus* Serm. 66 de Lazaro et divite ait: « Cum esset (dives) in tormentis... vidit Abraham de longe... et ipse clamans dixit etc. Sic clamat qui hic clamantes contempsit audiri: ibi cassa vox est, istic inanis est clamor. Audi Prophetam dicentem: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* In inferno quis misericordiae locus? In tormentis quae spes veniae? Et in hora sententiae tempus indulgentiae quis requirit?..... Insipienter ergo dives putat apud inferos mutari loca quando hic agendo homo bene vel male ibi sibi terminum aut poenae, aut quietis indicit. » *S. Fulgentius* lib. de fide ad Petrum (1) dicit: « Tempus acquirendi vitam aeternam in ista tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit etiam esse poenitentiam fructuosam. Ideo autem hic poenitentia fructuosa est, quia potest hic homo deposita malitia bene vivere, et mutata voluntate iniusta, merita simul operaque mutare, et in timore Dei ea gerere, quae placeant Deo. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem poenitentiam in futuro saeculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet: quia etsi erit ibi stimulus poenitudinis, nulla tamen ibi erit amplius correctio voluntatis. » *S. Gregorius M.* (2) ait: « Recte dicitur: *Non revertar*, quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis poenalibus iustitia Iudicis damnat. » *S. Ioann. Damascenus* (3): « Quod hominibus mors, hoc angelis est lapsus; post lapsum enim non est his poenitentiae locus, ut neque post mortem hominibus. »

3. *Ratio* per fidem illustrata cognoscit, Deum aeternas poenas minari, ut homines efficacissimo timoris motivo a peccatis deterreantur. Iste autem finis non obtineretur, si verum esset, quod adversarii dicunt, per poenitentiam etiam damnatos ex inferno liberari posse. Praecipue enim illi, qui ob defectum cognitionis, aut ob perversitatem cordis in fide vacillant, aut de ipsa inferni existentia dubitant, passionibus suis fraena laxarent, et voluptatibus inservirent, temeraria spe freti, quod in altera vita poenitentiam acturi sint, si post mortem infernum vere existere cognoscant, et diros eius cruciatus experiantur. Sententia igitur adversariorum maxime contraria est moralitati, quam tamen ipsa ratio praecipit, et ad quam promovendam tota revelatio collineat. Praeterea ipsa ratio cognoscit, finem hominis esse moralitatem cum correspondente sibi felicitate, atque ideo necessario dari tum tempus merendi, et tempus praemium aut poenam consequendi. Absonum profecto esset, si perpetuo in via procedendum esset, et nunquam ad terminum perveniretur, et si semper laborandum, atque pugnandum esset, nec unquam desiderata quies, amata pax, et plena securitas obtineretur. Hinc ipsa sana ratio Sapientiae divinae convenientissimum, nobisque exoptatissimum esse cognoscit, quod revelatio docet, nempe in hac vita esse tempus merendi, et in altera vita tempus, praemium, aut poenam consequendi, ac

(1) Cap. 3, n. 38. (2) In Iob, c. 10, v. 21. (3) Lib. 2 de fide, cap. 4.

ideo statum animae post corporis mortem firmum et stabilem evadere, et per actus morales immutari non posse. Ab ipsa igitur ratione non potest admitti poenitentia in altera vita peragenda. His accedit, immutabile dogma catholicum esse, quod peccator sine gratia divina salutarem poenitentiam peragere non possit (§ 421). Ratio autem humana, sibi relicta, nullo pacto probare valet, gratiam illam supernaturalem etiam in altera vita concedi: Revelatio porro contrarium docet, ut vidimus, et ideo ad salutarem gratiae usum in hac vita excitamur. Dicit enim Apostolus II Cor. VI: *Adiuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et ad Gal.: *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum* (1).

Nota 1. Quae adversarii obiiciunt, facile solvuntur.

Obi. I. Poenae sunt medicinae quaedam, ad hominum correctionem et emendationem ordinatae: ergo etiam poenae infernales ad damnatorum correctionem et emendationem infliguntur, atque proinde finem habebunt, si damnati de patratis peccatis dolent et vere emendantur.

Resp. Hanc difficultatem tollit *S. Thomas* (2) dicens: « Quod poena, quae etiam secundum leges humanas infligitur, non est semper medicinalis ei, qui punitur, sed solum aliis: sicut cum latro suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu poenae peccare desistant secundum illud Prov.: *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit* (3). Sic igitur et aeternae poenae reproborum a Deo inflictae sunt medicinales his, qui consideratione poenarum abstinent a peccatis, secundum illud Ps. LIX, 6: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* » Quodsi post iudicium extremum non adsunt, qui a peccatis deterreri debeant, immutabilis tamen manet finis principalis poenarum aeternarum, nempe manifestatio sanctitatis et iustitiae Dei. V. resp. ad Obi. IV, § praec.

Obi. II. In rerum universitate datur continua perfectibilitas, vi cuius omnia entia semper progrediuntur, donec tandem ad debitam perfectionem et finem suum perveniant. Hoc etiam in altera vita continuari debet, ac ideo etiam in peccatis mortui continuo in altera vita progrediuntur et perficiuntur, donec tandem ad finem suum, seu ad beatitudinem perveniant.

Resp. Hanc perfectibilitatem, et continuam progressionem finguntnonnulli philosophi moderni, sed nec ex ratione theoretica, nec ex ratione empirica, nec ex ratione practica probare valent. Nam si decantata perfectibilitas in rerum universitate existeret, eam creaturae haberent a suo Creatore. Quomodo autem ratio sibi relicta probare valet, hoc esse decretum, seu hanc esse voluntatem Creatoris, ut omnia entia continuo progrediantur, et usque perfectiora fiant? Frustra laborat ratio in tali probatione, nisi contra sana principia Deo legem praescribere velit. Ratio potius approbat, quod revelatio docet, opera Dei perfecta esse, nam *vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* Multo minus ex ratione continuus progressus moralis in altera vita probari potest. Ipsi enim philosophi

(1) Gal. 6, 9, etc. (2) 1 2, q. 87, a. 3 ad 2. (3) Cap. 19, v. 25.

critici confitentur, statum alterius vitae esse *transcendentalem*, seu humanae intelligentiae vires transcendentem, atque ideo non posse qualitatem huius status a ratione theoretica declarari et determinari. Perperam quoque adversarii pro sua sententia argumentum petunt ex ratione empirica, quae testimonio sensuum, et experientiae innititur. Ubinam enim dicta perfectibilitas, seu continua in melius progressio conspicitur? An sol, luna et astra modo clarius lucent, quam ante centum, vel mille annos? An plantae et animalia maiori nunc quam ante saecula perfectione gaudent? — Intellectualis quidem humani generis cultura continuo augeri potest: haec autem essentialem naturae legem non probat, quia ab hominum ingenio, diligentia, educatione et aliis circumstantiis dependet; hic longe maior cultura in primis Ecclesiae saeculis extitit, quam medio aevo, et si nunc multa inventa sunt, quae Veteres ignorabant, nunc nonnullae artes ignorantur, veteribus notae. Certum pariter est, homines viatores in perfectione morali continuo crescere posse et debere; id autem semper et in omnibus fieri, non potest ab experientia probari, quae potius contrarium ostendit. Denique ratio practica, quae perfectam in hac vita moralitatem iubet, non solum adversariis nullatenus favet, sed etiam postulat, ut eorum sententia vera non sit, per quam, ut diximus, moralitas maxime labefactatur. Inania ergo sunt argumenta, quibus nonnulli ex philosophia ostendere conantur, quod etiam in altera vita peccatoribus salutaris poenitentiae et emendationis gratia concedatur.

Nota 2. Iam tempore *S. Augustini* extiterunt nonnulli, *Misericordes* dicti, qui dixerunt, per preces B. V. Mariae, angelorum custodum et sanctorum, Deum ad misericordiam flectendum, et damnatos ex inferno liberandos esse. At S. Doctor (1) ipsis respondet: « Hoc neminem sanae fidei dixisse, neminem dicturum esse. Alioquin nulla causa est, cur non etiam nunc pro diabolo et angelis eius oret Ecclesia, quam Magister Deus pro inimicis suis iussit orare. Haec igitur causa, qua fit, ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos novit esse inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet, ut in illo tunc iudicio etiam pro hominibus aeterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro ipsis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est poenitentiae fructuosae etc. » Eadem est doctrina *S. Gregorii M.* qui lib. 84 Mor. (2) docet, sanctos pro inimicis suis orare, quamdiu poenitentia ipsis fructuosa esse potest, non autem, cum iam damnati fuerint, nam ait: « Quomodo pro illis tunc orabunt, quando iam nullatenus possunt ad iustitiae opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus igni aeterno damnatis, quae nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo angelisque eius aeterno supplicio deputatis: quae nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro infidelibus impiissime defunctis. » Solus hic locus sufficit ad explodendam fabellam de Traiano ab inferni poenis Gregorii precibus liberato, quam referunt *Paulus Warnefridus* Ecclesiae Aquileiensis diaconus, et *Ioannes* diaconus Ecclesiae romanae. Quis enim verisimile putet tam doctum et sanctum virum contra sua principia voluisse pro principe ethnico, et Ec-

(1) Lib. 21 de Civ. Dei, cap. 24

(2) Cap. 16, n. 38.

clesiae persecutore, avaro insuper, iniusto, vino dedito, aliisque vitiis coinquinato orare? Paulus, qui ducentis fere annis post S. Gregorium scripsit, rumore quodam deceptus fuit, et ideo non sine haesitatione historiolam illam proponit. Ioannes vero 300 circiter annis Gregorio posterior, eandem fabellam non ex probatis S. Gregorii actis, quae in Ecclesia romana asservantur, sed ex obscuris quibusdam anglo-saxonis monumentis hausit. « Legitur, inquit, penes easdem Anglorum Ecclesias, » et ulterius fatetur, non fuisse suae narrationi a Romanis adhibitam fidem. — Idem sentiendum est de aliis historiis, in quibus damnati dicuntur per preces sanctorum ex inferno liberati; desunt nempe communiter monumenta fide digna, ex quibus huiusmodi factorum veritas probetur. Si quae tamen vera sint, tunc dicere oportebit, eas animas non fuisse finali et irrevocabili sententia ad infernalia supplicia damnatas, sed ad tempus secundum praesentem propriorum meritorum iustitiam, ut habet *S. Thomas* (1). Inventa quidem sunt nonnulla Missalia, in quibus exhibentur orationes pro damnatis: sed haec paucissima sunt, non ante medium aevum conscripta, quae ab Ecclesia catholica nunquam approbata fuere, quinimo eius fidei et praxi penitus adversantur, et ideo nullius sunt auctoritatis (2).

Nota 3. Ad quaestionem, an aeternarum poenarum in inferno sit aliqua mitigatio, vel remissio? non una fuit olim de hac re sententia. Quidam enim quasi ferias quasdam constituerunt, in quibus damnati aliquam haberent requiem. Alii perpetuas quidem, et nunquam interruptas damnatorum poenas esse volebant, easdem tamen in acerbitate et intensione nonnunquam minui autumabant. Verumtamen istae sententiae nedum nullo satis solido innituntur fundamento, ut penitus arbitrariae sint, sed etiam opponuntur allatis Scripturae oraculis, quibus edocemur, *vermem* damnatorum *non mori*, nec eorum *ignem extingui* Marc. IX; damnatos *non habere requiem die ac nocte* Apocal. XIV; *cruciari die ac nocte in saecula saeculorum* Apoc. XX, 10. Sane infelix ille epulo (3), impetrare non potuit, ut stilla aquae refrigeraretur eius lingua, ut inde disceremus, nullum damnatis sperandum inde levamen. Ss. Patres idipsum docuerunt. *S. Cyprianus* in Epist. ad Demetr. de poenis damnatorum loquens ait: « Nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem. » Et *S. Bernardus* lib. 1 de anima ad Ugonem inquit: « Procul a beata Paradisi patria exulati cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi..... ubi nec qui torquet, fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur. » Accedit ratio theologica, quam affert *S. Thomas* (4) dicens: « Non potest esse, ut poena tollatur nisi prius culpa expietur: et ideo cum culpa maneat in damnatis, eorum poena nullatenus interrumpetur. »

Nota 4. Certum est, quod pro peccatis venialibus, et pro mortalibus per poenitentiam quoad reatum culpae deletis, sed non plena satisfactione expiatis, poenae temporales sustinendae sint. Certum pariter est, quod illi, qui ruunt in infernum, has quoque satisfactiones praestare debeant,

(1) In 4 Sent. Dist. 45, q. 2, art. 2 ad 1.
(2) Cf. Gazzaniga de virt. theol. Diss. 1, cap. 2, Append. de Trajani liberat.
(3) Luc. 16, 24.
(4) In 4 Sent. Dist. [illegible]

atque ideo dirius crucientur. Putant autem quidam theologi, quod istae satisfactiones, seu poenae, quia temporales sunt, in inferno aliquando finem habeant, et quod ex hac ratione successu temporis damnatorum cruciatus minuendi sint. Sed, ait *Cl. Gazzaniga* (1), « probabilior videbitur illorum opinio, qui dicunt, *per accidens* in damnatis etiam peccata venialia in aeternum puniri; quia omnis remissio peccati poenitentiam praesupponit, quae nulla in damnatis esse potest. Unde *S. Gregorius M.* (2) *Hoc sciendum*, inquit, *quia illic* (in futuro saeculo) *saltem de minimis* (peccatis) *nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus, in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.* Idem dicendum de reliquis satisfactionibus pro culpis remissis. Si enim Deo non potest satisfacere in hac vita qui est in affectu peccati mortalis, multo minus satisfacere poterit in inferno. »

Nota 5. Quia tempus merendi et demerendi cum hac vita desinit, ideo damnati sicut non salutariter poenitere, ita nec per nova peccata novas poenas promereri poterunt. *S. Ambrosius* lib. de bono mortis (3) ait: « Impius, quamdiu vivit, peccatum auget; si moriatur, peccare desinit.» Et lib. 2 de Cain et Abel (4): « Mors peccatoris finem peccandi affert: » *S. Hieronymus* in Ecclesiasten cap. III generaliter affirmat: « Mortuos nec iuste agere posse, nec peccare, nec virtutes adiicere, nec vitia. » *S. Augustinus* in Enchir. (5) bonis voluntatem, malis facultatem peccandi fore negat. *S. Thomas* in Suppl. (6) rationem theologicam affert dicens: « Omnes communiter confitentur, quod post diem iudicii non erit aliquod meritum vel demeritum; et hoc ideo est, quia meritum vel demeritum ordinatur ad aliquod bonum vel malum ulterius consequendum: post diem autem iudicii erit et ultima consummatio bonorum et malorum, ita quod nihil erit addendum ulterius de bono vel de malo; unde et bona voluntas in beatis non erit meritum, sed praemium, et mala voluntas in damnatis non erit demeritum, sed poena tantum. »

(1) De actibus hum. Diss. 4, c. 5, Append. 1, n. 279, tom. 7.
(2) Lib. 4 Dialog. c. 39

III. *De aeterna sorte infantium sine baptismo mortuorum.*

§ 858. Calviniani statuunt, infantes fidelium ab utero matris esse sanctos, sive baptizati sint, sive non baptizati, et istos quoque salvos fieri, si sint ex numero praedestinatorum. Lutherani docent, baptismum esse quidem ordinarium regenerationis medium; at, salvari liberos christianorum, si casu necessitatis praepediti salutari lavacro initiari nequierint; Deus enim, ut aiunt, extraordinaria et peculiari dispensatione peccatum, quo infecti sunt, liberaliter condonat, ut ad aeternam in coelis gloriam recipiantur. Quantum autem ad infantes extra Ecclesiam natos, atque praematura morte occumbentes, diversae sunt apud Lutheranos sententiae; aliis simpliciter eos damnantibus, aliis beatitatem coelestem spondentibus, aliis rem relinquentibus in medio (7). Catholici autem, S. Scripturae et Traditioni insistentes, tenent, infantes sine baptismo decedentes, ad aeternam salutem pervenire non posse. Christus enim ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum*

(3) Cap. 7. (4) Cap. 9. (5) Cap. 111.
(6) Q. 98, art. 6.
(7) V. Klüpfel l. 3, § 161, n. 2.

Dei (1). Ideo in professione fidei a *Concilio Lugdunensi II* approbata dicitur: *Credimus..... illorum animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Eadem porro verba usurpata inveniuntur in decreto unionis *Conc. Florentini.* Ex quibus discimus, de fide esse, parvulos eiusmodi in infernum post mortem descendere, seu damnationem subire, poenis autem illos et peccatores adultos disparibus puniri; illud autem confirmatur per ea omnia, quae § 543 de necessitate baptismi dicta sunt. Certum autem est, etiam in infantibus baptismum fluminis suppleri per baptismum sanguinis, quem recipiunt, dum propter Christum necantur, ut § 545 nota 1 probatum fuit. Baptismum flaminis infantes recipere non possunt, quia desiderium baptismi, aut perfectae caritatis actum elicere nequeunt. Putarunt autem nonnulli, pro salute puerorum christianorum sufficere vota et preces parentum. Ita sensit *Io. Gerson* in Serm. de Nativ. B. V. Mariae, *Gabriel Biel* (2); et *Caietanus* (3) scribit: « Parvulos fidelium christianorum, quibus per baptismum subveniri haud potest, non tantum ex privilegio Dei singulari, sed ex lege Dei communi et ordinaria salvari posse votis ac precibus parentum. » Sed haec sententia solidis argumentis probata non fuit, et *Pius V*, cum *Caietani* opera Romae recuderentur, iussit in illis expungi commentarium huiusce secundi et undecimi articuli. De haeresi autem accusandus non est qui dicit, modo declarato aut alio modo a Deo benignisme stabilito, sed nobis non revelato, in infantibus baptismum suppleri aut ex dispositione divina per angelos conferri; quia in his sententiis dogmata de peccato originali et de necessitate baptismi non labefactantur (4). Sine haeresis nota autem negari non potest, quod infantes, qui baptismum non recipiunt, in quibus hic nullo modo suppletur, et qui ideo peccati originali inquinati in alteram vitam transeunt, ad aeternam salutem pervenire non possunt. Haec doctrina quidem a socinianis et rationalistis ut dura et crudelis carpitur, sed quam iniquae sint eorum criminationes, facile ostenditur, si attendatur, Ecclesiam catholicam dictis infantibus non aliam poenam adscribere, nisi eam, quae peccato originali debetur. Ecclesia quidem huius poenae qualitatem non definivit, sed eius mens benigna elucet ex theologis catholicis, qui hac in re in varias sententias abeunt.

1. *Augustiniani* cum *Gregorio Arim.*, *Norisio*, *Bertio*, etc., contendunt, infantes sine baptismo decedentes, non solum pati poenam damni propter perpetuam e regno coelesti exclusionem, sed etiam plecti poena sensus, quamquam comparate ad adultos mitissima. Hanc sententiam tradit *S. Augustinus* in Enchir. (5) scribens: « Mitissima sane omnium poena erit eorum, qui praeter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt. » Et lib. 5 c. Iulian. (6) ait: « Ego non dico, parvulos sine Christi baptismate morientes tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret, cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis et impiissimis dixerit. » Demum concludit: « Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent

(1) Io. 3, 5. (2) In 4, Dist. 4, p. 3.
(3) 3 p., art. 2 et 11, q. 68.
(4) Cf. § 448, nota 3. (5) Cap. 93.
(6) N. 44

originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? » Magistrum suum secutus est *S. Fulgentius*, qui lib. de fide, cap. 27 inquit: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines iam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui... sine Sacramento S. Baptismatis de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos esse. » S. *Gregorius M.* (1) pariter docet: « Perpetua tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. » Similiter S. *Prosper*, *S. Isidorus Hispan.*, *S. Anselmus* et alii loquuntur. *Cl. Petavius* censet ex citato decreto *Conc. Florentini* de fide esse parvulos poenae sensus addici. Ipsum vero hac in re hallucinatum esse, theologi communiter iudicant; nam si eius sententia vera esset, plurimi doctissimi et piissimi viri, qui contrarium propugnarunt, circa fidem aberrassent, cum tamen eorum sententiae ab Ecclesia nunquam condemnatae, sed potius approbatae fuerint ut ex dicendis apparebit. Hinc *Cl. Perrone* loc. cit. (2), *Petavii* sententiam recensens, ait in nota: « Hic desideranda videtur summi viri sagacitas, dum non animadvertit, Concilii Florentini definitionem cadere in vocem *mox*, non autem in qualitatem poenarum, de qua tunc non disceptabatur. »

2. *Thomistae* docent, infantes non baptizatos exclusos quidem esse a regno coelesti, sed non affici poena sensus. Hanc sententiam iam propugnarunt Patres graeci: nam *S. Gregorius Naz.* (3) dicit: « Eiusmodi parvulos, nec coelesti gloria, nec suppliciis a iusto Iudice afficiendos esse. » *S. Gregorius Nyss.* in Orat. de infantibus, qui praemature abripiuntur, inquit: « Immatura mors infantium demonstrat, neque in doloribus et moestitia esse eos, qui sic vivere desierunt. » Idem docet *S. Cyrillus Hier.* (4): Pro eadem sententia citatur *S. Gelasius P.* Epist. 7 ad Episcopos per Picenum, et *S. Bernardus* Epist. 77. Praeterea *Innocentius III* in cap. Maiores, § sed adhuc de bapt. et eius effect. declarat: « Poena originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus. » Scholarum principes *P. Lombardus* in II Sent., dist. 33, *Alexander de Hales*, *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Aegidius Rom.* aliique, qui commentaria in libros Sent. scripserunt, communi consensu infantes non baptizatos a sensus poena eximunt, ac solam damni iisdem adiudicant. Cuius consensus non paucos testes habemus. Nam *S. Thomas* q. 5 de malo, art. 2 ait: « Communiter dicitur, quod peccato originali non debetur poena sensus. » *S. Bonaventura* in 2 Sent. (5), Lombardi sententiae subscribens ait: « Hunc modum dicendi magis approbant Magistri communiter. » *Barthol. Medina* de sententia opposita inquit: « Dura est, estque iam ab omnibus explosa. » *Bellarminus* (6) de eadem ita loquitur: « Quae quidem sententia non videtur aperte reprobata ab Ecclesia, reiicitur tamen passim in scholis. » Quod attinet auctoritatem *S. Augustini* et aliorum Patrum latinorum, *S. Thomas* loc. cit. respondet dicens: « Quod nomine tormenti, supplicii, gehennae et cruciatus, vel si quid simile in dictis sanctorum invenitur, est large accipiendum pro poena, ut ponatur species pro genere. Ideo autem san-

(1) Lib. 9 Mor. 16. (2) N. 812.
(3) Or. 40 in S. Bapt. n. 21
(4) Catech. 3, cap. 2. (5) Dist. 33, q. 1.
(6) De amiss. grat. lib. 6, cap. 4.

cti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam poenam deberi. » Imo, iuxta doctrinam *S. Thomae*, parvuli morientes cum solo peccato originali nullam tristitiam, nullumve dolorem percipiunt ex privatione visionis beatificae, quod S. Doctor loc. cit. art. 3 hac argumentatione probat: Nemo tristatur de amissione boni, quod non cognoscit; ignoti enim est nulla cupido; atqui dicti infantes non cognoscunt beatitudinem supernaturalem, qua privantur, quia visio Dei beatifica superat cognitionem naturalem, nec cognosci potest nisi per lumen fidei, quod nec actu, nec per sacramentum fidei susceperunt; ergo de ipsius amissione moestitiam vel dolorem non sentiunt. Iuxta hanc doctrinam parvuli non baptizati, quoniam a coelo exclusi sunt, apud inferos commorantur, sed sine luctu et sine gaudio. Sicuti autem locus inferorum, in quo animae sanctae in veteri foedere sine omni dolore detinebantur, *limbus* dictus est; ita theologi infantibus quoque cum solo peccato originali decedentibus apud inferos specialem locum assignant, quem *limbum puerorum* nominant. Cum autem saeculo praeterlapso haec theologorum doctrina a nonnullis inique sugillaretur, a *Pio VI* in Const. dogmatica *Auctorem fidei*, synodi Pistoriensis propositio, quae est 26ª, et ita se habet: « Doctrina, quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum solo peccato originali, poena damni citra poenam ignis puniantur, perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium, expertem culpae et poenae, inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani, *falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa declaratur* » (1).

3. *Nonnulli* ulterius progressi sunt, et infantibus in peccato originali decedentibus naturalem quandam beatitudinem adiudicarunt. Haec sententia adscribitur *Cardinali Sfrondato*, et defenditur in opere, cui titulus est: *Nodus praedestinationis dissolutus* (quod autem opus a multis nullatenus ut genuinum habetur). *Molina* in Concordia (2) dicit: « Parvulos reprobatos perinde se habituros, ac si in solis naturalibus fuissent constituti, ab omnibus molestiis et aerumnis post diem iudicii immunes, melioremque in naturalibus vitam absque omni vitio mentis et corporis in perpetuas aeternitates ducturi. » Haec sententia teste *Serryo* in Hist. Congreg. de auxiliis (3) a censoribus his verbis perstricta fuit: « Dicere, parvulos etc., temerarium est, nimiumque accedens ad illum, ab Ecclesia Dei ut errorem semper habitum, adeoque in pelagiano et coelestiano dogmate condemnatum, quo dicebantur parvuli, etiamsi non baptizentur, adeoque maneant exclusi a regno coelorum aeternam ac beatam quamdam vitam, sed extra coelum habere. » Etiam *Bellarminus* (4) hanc sententiam fidei adversari autumat. Eandem reprobat *S. Augustinus* l. 1 de anim. orig. (5) scribens: « Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque coelorum quietis vel felicitatis cuiuslibet

(1) Cf. Billuart Tract. de peccatis et legibus, Diss. 7, art. 6.
(2) Q. 23, art. 4 et 5 Disput. 1, membro 9.
(3) Lib. 4, cap. 21.
(4) Lib. 6 de amiss. grat. cap. 2, n. 1.
(5) Cap. 9.

quasi medium locum: hoc enim eis etiam haeresis pelagiana promisit. » Et Concilium plenarium totius Africae an. 418 habitum can. 3 definivit: *Si quis dixerit, ideo dixisse Dominum: In domo Patris mei mansiones multae sunt, ut intelligatur, quia in regno coelorum erit aliquis medius, aut ullus alibi locus, ubi beati vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum coelorum, quod est vita aeterna, intrare non possint, anathema sit. Cl. Billuart* (1) probat, infantes dictos beatitudine naturali non frui, quia ob peccatum originale etiam aversi sunt a Deo, auctore naturae. His non obstantibus *P. Godoy* Ord. Praed. Oxoniensis Episcopus (2) ait: « Sententia, concedens parvulis naturalem beatitudinem, nullam censuram contra fidem meretur, » imo et a temeritatis nota illam alienam esse affirmat. Eandem defendit etiam *Cl. Perrone*, qui conatur ostendere, eam a sententia pelagianorum differre (3), imo (4) illam fulsit auctoritate *S. Thomae* (5) dicentis: « Sibi (Deo) coniunguntur per participationem naturalium bonorum, et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione. » — Ex dictis patet, varias sententias defendi posse, dum quaeritur de status qualitate, in quo infantes sine baptismo decedentes commoraturi sunt, dummodo admittatur, ipsos a regno coelorum exclusos esse, et dummodo post extremum iudicium non adstruatur locus triplex, cum duplicem tantum assignet revelatio divina

Usus doctrinae de aeternitate poenarum.

§ 859. 1. Si quid est, quod iustos a peccatis retrahere, et peccatores ad poenitentiam impellere valeat, certe dogma est de aeternitate poenarum infernalium. Nam si levis dolor, qui in una vel altera corporis parte sentitur, si per dies, hebdomades, menses aut annos perduret, et quasi continuus sit, maxime molestus, et vix non intolerabilis censeatur, quid dicendum erit de gravissimis inferni cruciatibus (§ 761), qui semper perdurant, nunquam interrumpuntur, nunquam finiuntur? Et en! fides nos certos reddit, quod cruciatus isti gravissimi et aeterni per unicum peccatum mortale, sive cogitatione, sive verbo, sive opere committatur, contrahi possint. Quam deplorandus igitur est, qui ad declinandam temporalem aerumnam graviter peccat non attendens ad verba Christi: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, et animam et corpus perdere in gehennam* (6). Multo magis lugendi, et tanquam insanientes habendi sunt, qui propter delicias vanas et momentaneas animam gravis peccati vulnere sauciant. Qualis proportio datur inter deliciarum tempus et poenarum aeternitatem? Propter voluptatem, quae citissime transit, aeternas promereri poenas, quis non dementiam reputet? Tam impie deliranti cum *S. Chrysostomo* (7) dici potest: « Quantas delicias et quantum temporis illis suppliciis vis comparari? Vis ne centum annos, aut duplo amplius? Quid hoc erit, si comparetur cum saeculis infinitis? Quod enim est somnium unius diei ad totam vitam collatum, idipsum est rerum praesentium usura futurorum statui comparata. Num aliquis est, qui suave somnium optet ea con-

(1) L. c. § 2.
(2) In 1 2, q. 83 de peccato orig. tract. 4, disp. 38, § 8, n. 146.
(3) L. c. n. 814.
(4) N. 815.
(5) In II Dist. 33, q. 2, art. 2 ad 5.
(6) Matth. 10, 28.
(7) Paraen. I ad Theodorum.

ditione, ut per totam vitam crucietur? Ecquis ita stultus, ut ad talem retributionem accedat? » — Quicunque autem tam stultus, impius et infelix fuit, ut peccato lethali animam suam inquinaverit, per memoriam aeternarum poenarum ad celerem poenitentiam excitari debet. Quomodo enim poenitentiam vel per momentum differet, in quo repentina morte praeventus in miserrimae aeternitatis abyssum precipitari potest? — Istud accelerandae poenitentiae motivum *S. Pacianus* in celebri sua paraenesi ad poenitentiam peccatoribus proponit, et versus finem dicit: « Saecularés ecce ignes timemus, et carnificum ungulas expavescimus! Comparate cum his aeternas torquentium manus, apicesque flammarum nulla aetate morientium! Per Ecclesiae fidem rogo vos, fratres! per sollicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor et deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat, opportuna quamprimum remedia salutis invadere, deiicere moeroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare ieiunio, moerore conficere, multorum precibus adiuvari. In quantum poenae vestrae non peperceritis, in tantum Deus vobis parcet. »

2. Dogma de aeternitate poenarum omnes catholici profitentur, et tamen per hanc fidem a via iniquitatis non retinentur, et ad stadium virtutis fideliter percurrendum non impelluntur. Quare hoc fit? — Ex hac praecipue causa, quia homines atrocitatem et aeternitatem poenarum inferni debito modo non considerant, sed, ut cupiditatibus suis liberius indulgeant, a veritatibus fidei terrorem incutientibus mentem et cogitationem divertunt. Propterea Ierem. XII, 11 dicitur: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Hinc fluit maxima obligatio, quia pastores animarum atrocissimas et aeternas inferni poenas fidelibus frequenter et ferventer ob oculos ponere tenentur. Nunquam satis deplorari possunt concionatores illi, qui, ne auditoribus displiceant, de tam gravi materia, auribus hominum carnalium ingrata diserte loqui reformidant. Audiamus pro coronide gravissimi huius tractatus *S. Chrysostomum* Hom. 2 in II Epist. ad Thessal., n. 3 ita eloquentissime disserentem: « Si legum, quae hic sunt latae, metus tantam vim habet, ut nos a pravis abducat actionibus, multo magis futurorum memoria, supplicium immortale, poena sempiterna. Si metus regis terreni a tam multis nos abducit malis, quanto magis metus aeterni Regis? Quomodo ergo poterimus assidue metum habere, si frequenter audiamus Scripturas? Nam si mortui solus conspectus animum nostrum ita reprimit; quanto magis gehenna et ignis, qui nequit extingui? Quanto magis vermis, qui non moritur? Si gehennam semper cogitemus, non cito in eam incidemus; propterea supplicium minatus est Deus. Si illud cogitare non magnum aliquod haberet lucrum, non iam minatus esset Deus; sed quoniam eius recordatio valet ad res magnas recte gerendas, propterea tamquam salutare aliquod medicamentum eius minas nostris insevit animis. Ne despiciamus tantum lucrum, quod inde nascitur, sed etiam assidue versemus in prandiis, in coenis. Nam de rebus quidem iucundis sermo nihil iuvat animam, sed eam reddit imbecilliorem; sermo autem de rebus tristibus et molestis amputat, quidquid diffunditur et diffluit, eamque dissolutam convertit et contrahit. Qui de theatris et mimis

disputat, nihil ei prodest, sed magis incendit, magisque temerariam reddit et petulantiorem. Qui aliena curat et scrutatur, saepe illam ex tali curiositate in pericula coniicit. At qui de gehenna loquitur, nullo obnoxius erit periculo, et sapientiorem reddet animam. At verborum times importunitatem? Num si sileas, gehennam extinxeris? Num si dixeris, accenderis? Seu dixeris seu non dixeris, exardescet ignis: de ea dicatur assidue, ut nunquam in eam incidas. Fieri non potest, ut anima de gehenna solicita cito peccet. Audi enim optimam admonitionem: *In memoriam revoca novissima tua, et in aeternum non peccabis* (1). Fieri non potest, ut anima, quae timet de reddendis rationibus, ad delicta non sit tarda. Metus enim vigens in cogitatione, in ea nihil admittit mundanum. Nam si quae de ea verba fiunt, ita eam deiiciunt et comprimunt; ratio et cogitatio, quae perpetuo habitat in animis, an non magis purgat animam quam quivis ignis? Regni non ita meminerimus ut gehennae. Metus enim maiorem vim habet quam promissio: et scio, quod multi bona despicati essent innumerabilia, si liberati essent a supplicio, cum nunc quoque mihi sufficiat non esse punitum, non esse castigatum. Nullus ex iis, qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam. Nullus ex iis, qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam. Sicut enim apud nos, qui timent quidem iudicia, non comprehenduntur a iudiciis, qui autem illa despiciunt, ii sunt, qui maxime in ea incidunt; ita hic quoque. Si eversionem Ninivitae non timuissent, fuissent eversi: quoniam vero timuerunt, non fuerunt eversi. Si temporibus Noë timuissent diluvium, non fuissent obruti diluvio, et si timuissent Sodomitae, non fuissent exusti. Magnum est malum minas negligere. Qui despicit minas, per res ipsas cito sentiet experientiam. Nihil est aeque utile atque de gehenna disserere: quovis argento puriores nobis efficit animas. Audi enim prophetam dicentem: *Iudicia tua coram me sunt semper* (2). Christus quoque de ea saepe disserit. Nam etsi molestia afficit auditorem, ei tamen prodest maxime. Talia enim sunt omnia quae prosunt; neque mireris: nam et medicamenta et cibi aegroto prius sunt molesti, et tunc afferunt utilitatem. »

(1) Eccl. 7, 40

ARTICULUS II.

De aeternitate gloriae et beatitudinis coelestis.

§ 860. Quemadmodum sors damnatorum miserrima, ita sors iustorum in coelo felicissima est. Nam eorum animae sunt immunes ab omni malo, et fruuntur omni bono, Deum facie ad faciem cum summo gaudio videntes, ut § 777 — § 785 probatum fuit. Imo post extremum iudicium etiam resuscitata eorum corpora summa gloria et ineffabili beatitudine replebuntur in coelo, ut § 828 et seq. ostensum est. Sicuti autem pro damnatis nihil magis horrendum est quam poenarum aeternitas; ita pro electis nihil magis iucundum est, quam doctrina revelata, quae eos certos reddit, gloriam et beatitudinem, quam in coelis possident, in aeternum duraturam esse. Dogma hoc catholicum adhuc pertractandum et probandum superest. Consideranda autem est beatissima aeternitas tum *in Christo electorum capite*, tum *in membris eius, seu in electis.*

(2) Ps. 17, 23.

I. *Christus Deus et Homo in coelo in aeternum regnaturus est.*

§ 861. Quicunque non negant Christi Divinitatem, etiam profitentur, ipsum immutabilem esse, ac aeterna gloria, maiestate et beatitudine pollere ut Filium Dei, seu secundum naturam divinam. Quidam vero circa humanam Christi naturam male senserunt. Nam, ut refert S. *Augustinus* lib. 1 de Trin. cap. 8, nonnulli dixerunt, Christi humanitatem post diem iudicii in Divinitatem esse convertendam, et illam subiectionem, de qua Paulus loquitur (1), nihil aliud esse quam commutationem substantiae creatae in substantiam Creatoris. Haec autem sententia et naturali rationi manifeste contraria est, quia repugnat divinae naturae, ut aliquid in ipsam convertatur; et est aperte haeretica, quia Christus in aeternum non solum erit Deus, sed etiam homo, cum unio hypostatica indissolubilis sit (§ 313): praeterea Christus resurrexit ad vitam immortalem et immutabilem, unde felicitas humanitatis eius aeterna futura est maiori ratione quam beatitudo Angelorum vel hominum beatorum: tandem sententia adversariorum repugnat ipsis Pauli verbis: nam si Filius subiiciendus est Patri, oportet ut naturam habeat, per quam illi subiici possit. — Alii porro admiserunt quidem, Christum perpetuo Deum et hominem manere, at asseruerunt, post diem iudicii gloriam humanitatis Christi diminuendam esse, ipsumque ut hominem summa regendi potestate privandum esse. Fides autem catholica docet, Christum post iudicium eadem gloria fruiturum, et perpetuo in coelis regnaturum esse non solum secundum Divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, quod constat ex *S. Scriptura* et ex *Traditione*.

1. Dan. VII, 13, etc. legitur: *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit: et in conspectu eius obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient e potestas eius, potestas aeterna, qua; non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.* Apertissime Propheta hic loquitur de Filio Dei incarnato, cui aeternam gloriam et incommutabilem potestatem adiudicat. Idem probant verba Angeli de Christo ad Mariam dicentis: *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis* (2). Paulus quoque immutabilem Christi gloriam, et potestatem his verbis adseverat: *Iesus Christus heri et hodie; ipse et in saecula* (3), id est, in aeternum idem manet. S. Ioannes in Apoc. cum descripsisset civitatem coelestem in aeternum duraturam, subiungit: *Sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi eius servient illi: et videbunt faciem eius, et nomen eius in frontibus eorum... et regnabunt in saecula saeculorum* (4). Sicut ergo thronus Dei, ita et thronus Agni (Christi) in aeternum permanebit, et si electi regnabunt in aeternum, num Christus aliquando regnare desinet?

2. *Traditio* S. Scripturae suffragatur. Ss. Patribus iam § 392, n. 3 citatis adiungi potest *S. Chrysostomus*, qui Hom. in Ps. CIX, n. 3 dicit: « Vidisti propheticorum et apostolicorum verborum concentum et concordiam? Illic enim dicit: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (5): hic vero: *Quousque po-*

(1) I Cor. 15, 26.
(2) Luc. 1, 32. (3) Hebr. 13, 8.
(4) Apoc. 22, 3, etc. (5) Ps. 109, 2.

suerit omnes inimicos suos (1). Sed neque illic illud *donec*, nec hic hoc *quousque* sunt termini temporum. Quomodo enim steterit illud propheticum, quod dicit, Dan. 7: *Potestas eius potestas aeterna* etc., si ad ea usque tempora sit regnaturus? Vides, non esse solummodo attendendas dictiones, sed esse ascendendum ad intelligentiam » (2). Et *S. Augustinus* lib. 1 de Trinit. cap. 8, n. 16 ait: « Nec sic arbitremur, Christum traditurum regnum Deo et Patri, ut adimat sibi; nam et hoc quidam vaniloqui crediderunt. Cum enim dicitur: *Tradiderit regnum Dei et Patri*, non separatur ipse, quia simul cum Patre unus Deus est. Sed divinarum Scripturarum incuriosos, et contentionum studiosos fallit verbum, quod positum est, *donec*. Ita namque sequitur: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis*, tanquam cum posuerit, non sit regnaturus: nec intelligunt ita dictum, sicut est illud Ps. CXI: *Confirmatum est cor eius, non commovebitur, donec videat super inimicos suos:* non enim cum viderit, iam commovebitur. » (3). — Ecclesiae fides praecipue elucet ex *Conc. Constantinopolitano I* quod, cum nonnulli dicerent, cum consummatione saeculi etiam regnum Christi finem habiturum esse, *Symb. Nicaeno* haec verba de Christo addidit: *Cuius regni non erit finis.*

Nota. Adversarii abutebantur verbis Ps. CIX, 2: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, et dicebant per haec verba sessionis ad dexteram Patris et regni Christi finem statui. Sed male omnino argumentati sunt. Nam, ut *S. Hieronymus* lib. c. cont. Helvid. n. 5. aliique Patres observarunt, est haec phrasis saepe in Ss. Litteris usitata, ut haec particula *donec*, et similes, adiunctae propositionibus affirmativis, affirment aliquid de certo tempore, de quo maxime poterat dubitari, non tamen quidquam negent de reliquo tempore, sed respectu illius indefinitae sint. Quia ergo in praesenti dubitari poterat, an Christus esset regnaturus eo tempore, in quo nondum omnes inimici eius ei subiiciuntur, ideo de hoc potissimum tempore id affirmatur a regio Propheta, non tamen negatur de posteriori tempore, seu aeternitate, sed potius ut manifestum supponitur, tunc maxime regnaturum. « Haec responsio, ait *Cl. Suarez* (4), optima est, quamvis dici etiam possit, verba illa intelligi de ascensione Christi in coelum, per quam assecutus est, ut ad dexteram Patris sedeat; — sessurus est autem, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius, quia usque ad illud tempus non iterum descendet de coelo. Et hoc sensu concedere possumus, illam particulam *donec* includere negationem, non quidem durationis regni, sed quietis, ut ita dicam, seu permansionis in coelo absque reditu in hunc mundum. Iuxta quam expositionem sensus erit, Christum sedisse in coelo, non rediturum in hunc mundum, donec subiiciat sibi inimicos, tunc autem iterum venturum, scilicet in die iudicii: unde non fit eum tunc amissurum regnum et potestatem, sed potius universalius, atque manifestius tunc dominaturum. » Alter locus, quem obiiciebant adversarii est ille Pauli, ad Cor.: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit*

(1) I Cor. 15, 23.
(2) Cf. Hom. 39 in I ad Corinth. n. 4.
(3) Cf. Lib. de 83 quaest., q. 69.
(4) Q. 59, art. 6, Disp. 58, Sect. 41.

sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus (1). Cum ex his verbis Ariani conarentur ostendere, Filium minorem esse Patre, nonnulli Patres dixerunt, haec dicta esse de Christo secundum humanam naturam, quae, licet Verbo hypostatice coniuncta, in se tamen spectata finita est, et ideo Divinitati subiecta. Alii dixerunt, verba citata intelligi de Filio secundum Divinitatem, subiectionem autem non significare obedientiam, seu servitutem, sed solum concordiam voluntatis cum origine a Patre. Plerique locum Pauli intelligunt de Christo non in propria persona, sed in corpore suo mystico, quod est Ecclesia; quia nunc nondum est tota Ecclesia Christi perfecte subiecta Patri: completo vero beatitudinis statu perfecte subiicitur. Ulterius ait *Cl. Suarez* l. c., « dici potest, Paulum specialiter tribuere illi statui subiectionem Christi ad Patrem, quia nunc videtur habere Christus specialem modum regendi et gubernandi homines et Angelos, horum ministerio utendo ad illorum salutem perficiendam, et in illis gratiam, et varia dona influendo: tunc vero ab hoc opere et regimine cessabit, et in hoc solum incumbet, ut seipsum, totumque suum regnum in Patrem referat. Ut ergo Paulus indicaret differentiam inter illum, et praesentem statum, dicit, tunc fore Christum subiiciendum Patri, quia tunc huic subiectioni tantum vacabit: et cessabit, ut ita dicam, ab omnibus exterioribus functionibus: tunc enim cessabunt omnia ministeria, novae illuminationes in Beatis, accidentalia gaudia de conversionibus peccatorum, et similia: sed erit quasi pura quaedam contemplatio divina, eodem modo stabilis ac perpetua, qua totus Christus, id est, caput cum omnibus membris feretur in Deum, eique subiicietur. Et huic expositioni optime quadrat ratio subiuncta a Paulo: *Et tunc Filius erit subiectus Patri, ut sit Deus omnia in omnibus*, id est, ut Deus unus in omnibus dominetur et glorificetur, et omnes in Deo habeant quidquid sancte et iuste amare possunt ac desiderare... Hoc ergo significare mihi visus est Paulus per illam subiectionem ad Deum, scilicet perfectam quietem in Deo, et cessationem ab omni externo ministerio non solum corporali, sed etiam spirituali, quia in eo statu non erit iam tempus (ut ita dicam) inquirendi Deum aut sibi, aut aliis, sed tantum fruendi, amandi et subiiciendi se illi, quia tunc iam erit ipse omnia in omnibus. »

(1) 1 Cor. 15, 28.

II. *Electi ineffabili gloria et beatitudine in aeternum fruentur.*

§ 862. Felicissimum Beatorum statum in coelo nunquam finem habere, et beatitudinem, per bona opera promeritam nunquam decrescere et nunquam fastidium generare, sed in aeternum ineffabilem manere *S. Scriptura* et *Traditio* testantur.

1. *S. Scriptura* ubique gloriam et beatitudinem electorum aeternam praedicat. Ps. XX, 3 etc., retributio iusti ita describitur: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi: laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Sap. V, 16 legitur: *Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Dan. XII, 3 ait: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt*

multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Christus frequenter aeternitatem gloriae coelestis insinuavit. Matth. VI, 20 inquit: *Thesaurizate vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Io. X, 28 de ovibus suis dicit: *Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Io. XVI, 22, ad electos suos Apostolos dicit: *Nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Matth. XXV, 46 de iustis legitur: *Ibunt — iusti in vitam aeternam.* Hinc beatitudo coelestis nominatur I Petr. V, 4: *Immarcescibilis gloriae corona;* I Cor. IX, 25: *Corona incorruptibilis;* Hebr. V, 9: *Haereditas aeterna;* I Petr. I, 10: *Aeterna gloria;* II Cor. IV, 17: *Aeternum gloriae pondus;* II. Petr. I, 2: *Regnum aeternum*, et tandem Paulus I Thess. IV, 16 dicit: *Et sic semper cum Domino erimus.*

2. *Traditio* satis constat *ex Symbolo apostolico*, in quo profitemur: *Credo — in vitam aeternam.* Observat autem *Catechismus rom.* (1): « His verbis: *vitam aeternam* non magis perpetuitatem vitae, cui etiam daemones sceleratique homines addicti sunt, quam in perpetuitate beatitudinem, quae Beatorum desiderium expleat, significari. » Notandum porro est, dogma catholicum de aeternitate praemiorum coelestium in Ecclesia Christi nullos alios adversarios habuisse, nisi illos qui animae immortalitatem impugnarunt. Idcirco, ut iam vidimus, Ss. Patres passim ex aeternitate gaudiorum caelestium ab omnibus admissa intulerunt, poenas quoque inferni aeternas esse. Non opus est ergo, ut multa Ss. Patrum testimonia pro hoc dogmate afferantur. Aliquos tamen audiamus. *S. Chrysostomus* in Hom. 6 in Ep. ad Hebr. n. 4, eleganter describit beatitudinem coelestem, et inter alia dicit: « Cogita quantum sit, animam, cum illuc (in coelum) abierit, non amplius expectare finem illorum bonorum, nec mutationem, sed incrementum et vitam, quae non habet finem, ab omni quidem periculo liberam, et ab omni animi aegritudine et sollicitudine immunem, plenam animi gaudio, et bonis innumeris! » *S. Augustinus* lib. 22 de Civ. Dei, cap. 30 inquit n. 1: « Deus ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. » Et n. 5: « Haec septima erit Sabbatum nostrum, cuius finis non erit vespera, sed Dominicus dies velut octavus aeternus, qui Christi resurrectione sacratus est, aeternam non solum spiritus, verum etiam corporis requiem praefigurans. Ibi vacabimus et videbimus: videbimus et amabimus: amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis? » Idem (2), explicans verba: *Credo videre bona Domini in terra viventium* exclamat: « O bona Domini, dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, immutabilia! Et quando vos videbo, bona Domini? » — *S. Petrus Chrysologus* Serm. de resurr. Christi (3) haec habet: « *Una*, inquit, *Sabbati.* Bene una, quia resurrectionis dies alteram nescit: lucis aeternae mater noctis tempus ignorat, perpetuus dies perpetuo illucescit, resurgentium lux mori non potest, lux, quae noctem delet, nequit extingui. » *S. Bernar-*

(1) P. I. cap. 13, n. 2.

(2) Enarr. 2 in Ps. 26. (3) Serm. 79.

dus (1) Serm. de triplici bonorum genere ait: «Aeterna illa bona, bona sunt, quae nec oculus vidit, nec auris audivit; et quae nunquam exeunt ab illa patria, quae nescit nisi gaudium et iubilationem. »

Nota. Quaestio etiam moveri solet de numero electorum. Ast Ecclesia ipsa profitetur, numerum istum soli Deo cognitum esse; nam in Oratione secr. Dom. 1. Quadr. sic Deum orat: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus* etc. Hunc numerum autem maximum esse colligitur ex verbis S. Ioannis in Apoc. dicentis: *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum Dei* (2). Magnitudo eiusdem numeri colligi potest ex infinita Dei bonitate et misericordia ex fine hominis ad vitam aeternam destinati, ex redemptione Christi superabundanti, et pro omnibus peracta, ex voluntate Dei omnes salvandi, ex oeconomia gratiae, quae sufficienter omnibus suppeditatur, ex Sacramentorum efficacia etc. — Christus autem perspicuis verbis profitetur plures esse reprobos, quam electos. Ait enim Matth. VII, 13: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* Et cum quidam Christum interrogaret: *Domine, si pauci sunt, qui salvantur?* respondit divinus Redemptor: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare et non poterunt* (3). Et Matth. XX, 16: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Haec verba clarissima sunt; sed tamen in iis exponendis non omnes consentiunt. Nonnulli putant, ea de omnibus hominibus dicta esse, quorum maior numerus reprobatur, quia maior est numerus infidelium et haereticorum, quam numerus Catholicorum. Alii autem ea ad fideles restringunt, et per ea nobis patefactum esse censent, etiam ex fidelibus plures esse, qui pereunt, quam qui salvi fiunt. Etiam Ss. Patres huius sententiae fuisse videntur. Nam *S. Chrysostomus* Hom. 40 ad populum dicit: « Quot putatis esse in hac civitate nostra (Antiochia) qui salvi fiant? Infestum est, quod dicturus sum; dicam tamen: Non possunt inveniri in tot millibus centum, qui salventur; quin et de his dubito... Quanta enim in iuvenibus malitia? quantus in senibus torpor? quanta in omni populo iniustitia? » *S. Augustinus* contra Crescen. (4) ait: « Ipsi boni, verique Christiani, qui per seipsos multi sunt, comparatione malorum falsorumque itidem pauci sunt; sicut multa grana, quibus horrea multa complentur pauca dicimus comparatione palearum. » *S. Gregorius M.* (5) inquit « Ad fidem plures veniunt, sed ad coelestia regna pauci perducuntur nam plerique Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. » Ss. Patres ut patet, exinde etiam inter fideles parvum electorum numerum repetunt, quia multorum Christianorum vita fidei, quam profitentur, non respondet. Et sane, si consideretur, non obstante recta fide paucos aut innocentiam conservare, aut veram et constantem poenitentiam agere, paucos impedimenta salutis declinare et media salutis strenue arripere, paucosque, spretis mundi principiis,

(1) Serm. 16 de diversis.
(2) Apoc. 7, 9. (3) Luc. 13, 23, etc.
(4) Lib. 3, cap. 66.
(5) Hom. 19 in Evang.

ac illecebris ad evangelicam perfectionem tendere, timendum prorsus est, quod inter fideles quoque maior sit numerus reproborum, quam electorum. Nonnulli tamen distinctionem ineundam esse censent. Sic *Cornelius a Lapide* in Iac. II, 13 scribit: « Licet in nonnullis oppidis, locis, populis bonae indolis et educationis, ubi scilicet insignes sunt Magistri, Pastores, Confessarii, senatores, gubernatores, qui assidue a puero populum in fide et pietate erudiunt, nutriunt et fovent, plures salvari credam; tamen in multis aliis, ubi haec desunt, ubi scilicet magna est ignorantia et incuria salutis, atque ubi indoles gentis perversa prava educatione aut societate nutritur et roboratur, plures damnari quam salvari opinor, aut metuo. » Dubitari autem nequit, doctrinam de parvo electorum numero ideo nobis revelatam esse, ut moralitas hominum promoveatur, ad quam promovendam tota revelatio collineat. In ista igitur doctrina publice proponenda caute ea declinare oportet, quae aut vanam praesumptionem nutrire, aut omnimodam desperationem excitare possent, quoniam praesumptio et desperatio moralitati et pietati adversantur, eamque maxime impediunt. Strenue igitur impugnanda est vana eorum praesumptio, qui nimis facilem ad coelum aditum reputant; his continuo acclamandum est, angustam portam et arctam viam esse, quae ducit ad vitam; regnum coelorum vim pati, et violentos rapere illud; legitime certantibus duntaxat coronam imponi, servum pigrum et inutilem eiici in tenebras exteriores; per bona opera certam faciendam esse electionem etc. Ex altera parte difficultas salutem operandi non ita exaggeranda, et numerus electorum non ita extenuandus est, ut consecutio beatitudinis vix non impossibilis videatur. Praedicandum potius est, Deum velle omnes homines salvos fieri, dummodo peccata fugiant, et bona opera perficiant, Christi merita infinita esse, bonum Pastorem etiam perditam ovem quaerere, et ideo miserrimum quoque peccatorem per poenitentiam iustificari posse, gratiam sufficientem omnibus concedi, et efficacem per fervidas preces, et per sacramenta obtineri etc. Hac ratione doctrina de parvo numero electorum iuxta spiritum Religionis christianae proponitur, duo extrema evitantur, et honor Dei, et salus animarum promoventur.

(1) Cap. I, vv. 1 et 14.

Usus doctrinae de aeternitate praemiorum.

§ 863. 1. Bona mundi et oblectamenta carnis vana et caduca esse, continuo mutari et citissime diffluere, mundi amatores ipsi experiuntur, et cum Ecclesiaste confiteri coguntur: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas... Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus* (1). Et nihilominus plurimi inveniuntur, qui bonis terrenis ita inhiant, ut ea per iniusta quoque media colligere satagant, et illicitas etiam delectationes avide apprehendant. Tam obcaecatis et delirantibus hominibus Psalmista acclamat: *Filii hominum! usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Bona coelestia aeterna sunt et immutabilia, et tamen parum desiderantur, imo et parvipenduntur, quod deplorat S. *Thomas a Villan.* (2) dicens: « Si in rebus terrenis modica spes lucri temporalis arriserit, fervet animus, gliscit, ebullit desideriis et cupiditatibus fervidis; ad aeterna illa et ineffabilia lucra nullus est animi

(2) Conc. in Dom. Quinq.

motus, nulla cupiditas, nullum desiderium alget et frigescit cor nostrum, neque etsi mille considerationibus et adhortationibus satagas in illo excitare desiderium, statim algescit et gelatur, et in suam pristinam redit frigiditatem. O deplorandum algorem! o gemendam miserandamque duritiam! o magnum pessimumque miraculum! » Ne in tam gravem et pestiferam inordinationem prolabamur, frequentissime caducitatem bonorum terrestrium, atque aeternitatem bonorum coelestium meditari, cor nostrum a terrenis affectibus purgare, et toto desiderio ad coelestem patriam anhelare debemus. Fervidi huius desiderii praeclarum exemplum proponit idem *S. Thomas a Vill.* l. c. dicens: « Audite quemdam de filiis et civibus veris illius civitatis, quomodo gliscat, quomodo concupiscat, quomodo ardeat ad illam. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (1), et iterum: *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* (2), eum visuri, et cum illo in domo eius quasi domestici et familiares perpetuo mansuri, et cum illo regnaturi in aeternum. Idcirco dissolvor gaudio, non me capio prae laetitia, dum haec considero: nec transit hoc gaudium, nec frigescit, sed stat, et permanet in corde meo: *Stantes erant pedes nostri,* affectus et desideria, *in atriis tuis Ierusalem.* Non ad terrena dilabuntur illico, licet hic vivamus, sed *nostra conversatio,* nostrum gaudium in coelis est, ibi est cor nostrum, quia ibi est noster thesaurus » (3).

2. *Breves dies hominis sunt* (4), et ideo brevis est etiam labor, qui exigitur ad praemium aeternum promerendum. Quis recusabit brevem laborem, pro quo immensa et aeterna gaudia recepturus est? — Eleganter hoc pietatis motivum proponit *S. Augustinus* (5) dicens: « *Beati, qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te.* Haec est requies sempiterna, sine fine erit requies illa, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit laetitia ista, sine fine erit incorruptio: vitam aeternam habebis, requiem quae non habet finem. Quanto labore digna est requies, quae non habet finem? Si verum vis comparari et verum iudicare, aeterna requies aeterno labore emitur. Verum hoc est; sed noli timere, misericors est Deus. Si enim haberes aeternum laborem, nunquam pervenires ad aeternam quietem... Ergo ut aliquando pervenias ad id, quod emis, non in aeternum laborandum est; non quia non valet tanti, sed ut possideatur quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo; sed necesse est, ut labore temporali ematur. Certe tantus debuit esse, id est, sempiternus labor pro requie sempiterna. Decies centena millia annorum in labore quid valent? decies centena millia annorum habent finem: Quod tibi dabo, dicit Deus, non habet finem. Qualis misericordia Dei! Nec dicit, decies centena millia annorum labora; non dicit, vel mille annos labora; non dicit, quingentos annos labora: cum vivis labora in paucis annis; inde iam requies erit, et finem non habebit. Et adhuc audi consequentia: *Domine, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, exhortationes tuae iucundaverunt animam meam.* Et paucos annos laboras, et in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana. Sed noli gaudere in saeculo: gaude in Christo,

(1) Ps. 83, 1. (2) Ps. 121, 1.
(3) Matth. 6. (4) Iob 14, 5.
(5) Enar. in Ps. 93, n. 24.

gaude in verbo eius, gaude in lege eius. Quantae ergo sunt istae consolationes in tantis laboribus? Verum est ergo quod dixit Apostolus (1), quod ad praesens temporale est, et leve tribulationis nostrae, iuxta incredibilem modum, et in incredibilem modum aeternum gloriae pondus operatur nobis. Ecce quantum pretium damus, quodam modo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos; siliquam laboris ad requiem incredibilem, secundum quod dictum est: iuxta incredibilem modum, et in incredibilem modum aeternum gloriae pondus operatur. »

3. Reliquum est, ut Deo O. M. debitas persolvamus gratias, quod tanto saeculorum decursu, atque inter innumera fere errorum portenta, vera ac salutaris de vera felicitate doctrina ad nos transierit. Est enim haec de aeterna salute fides totius christianae religionis basis ac fundamentum, virtutum ac bonorum operum calcar, antidotum peccatorum, in secundis rebus veri ac sinceri gaudii fons, in adversis perfugium ac levamen, in desperatis fida anchora, in morte robur. Quibus mediis ad tam praecellentis, ac nullo unquam tempore finiendae beatitudinis, quam meritis suis unigenitus Dei Filius nobis acquisivit, possessionem perveniamus, per decursum institutionis huius dogmaticae ostendimus. Vae ingratis et hypocritis, qui erubescunt Evangelium, quosve pudet Christi crucifixi, qui, teste Apostolo, Iudaeis scandulum est, gentibus autem stultitia! Faxit Deus, ut quod, eo revelante, cognovimus, summum aliquando bonum, ad quod conditi sumus, posthanc vitam nanciscamur sine fine beati. *Deus autem patientiae et solatii det nobis interea idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, ut unanimes uno ore honorificemus Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi. Propter quod suscipiamus invicem, sicut et Christus suscepit nos* (2), *qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen* (3).

(1) II Cor. 4, 17.

(2) Rom. 15, 5
(3) Rom 9, 5

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JO - CAL.

INDEX

PARS V.

DE DEO OMNIUM CONSUMMATORE

§ 714. Nexus et momentum doctrinae *p.* 3

SECTIO I.

§ 715. De decretis divinis aeternas hominum sortes concernentibus » 6

CAPUT I.

§ 716. De praedestinatione . . » ibi

ARTICULUS I.

§ 717. De praedestinationis existentia et certitudine . . » 9
§ 718. I. De praedestinationis existentia . . . . . » ibi
§ 719. II. De praedestinationis certitudine . . . . . » 15

ARTICULUS II.

§ 720. De causa praedestinationis morali sententiae variae . » 22
§ 721. I. Sententiae haereticorum refelluntur . . . . . » 23
§ 722. II. Sententiae theologorum catholicorum exponuntur . » 26

ARTICULUS III.

§ 723. Argumenta eorum, qui decretum praedestinationis absolutum defendunt, afferuntur et refelluntur . . . . » 30
§ 724. I. Argumenta ex S. Scriptura petita . . . . . » 31
§ 725. II. Argumenta ex auctoritate S. Augustini et discipulorum eius deprompta . . . . » 39
§ 726. III. Argumenta ex rationibus theologicis . . . . » 54

ARTICULUS IV.

§ 727. Argumenta pro hypothetico praedestinationis decreto exponuntur et defenduntur . » 62
§ 728. I. Argumenta ex S. Scriptura » ibi
§ 729. II. Argumenta ex traditione » 70
§ 730. III. Argumenta ex rationibus theologicis . . . . » 80

ARTICULUS V.

§ 731. De effectibus praedestinationis » 85
§ 732. Usus doctrinae de praedestinatione . . . . . *pag.* 89

CAPUT II.

§ 733. De reprobatione . . . » 91

ARTICULUS I.

§ 734. De causa reprobationis positivae . . . . . » 94
§ 735. I. Argumentum ex S. Scriptura petitum . . . . . » 95
§ 736. II. Argumentum ex traditione depromptum . . . . » 104
§ 737. III. Argumentum ex rationibus theologicis deductum . » 111

ARTICULUS II.

§ 738. De causa reprobationis negativae . . . . . » 114
§ 739. I. Non datur reprobatio negativa a gloria tanquam a beneficio indebito ex solo Dei beneplacito ante praevisum quodcumque peccatum . . . » 116
§ 740. II. Peccatum originale non est causa reprobationis adultorum baptizatorum . . . . » 119
§ 741. Usus doctrinae de reprobatione » 123

SECTIO II.

§ 742. De executione decretorum divinorum in morte hominis, seu de consummatione partiali. » 124

CAPUT I.

§ 743. De transitu hominum ex hac vita in alteram . . . . » 125

ARTICULUS I.

§ 744. De morte hominum . . » ibi
§ 745. I. Mortis causae . . . » 126
§ 746. II. Mortis universalitas et certitudo quoad substantiam . » 127
§ 747. III. Mortis incertitudo quoad diem et horam . . . » 132
§ 748. IV. Mortis effectus quoad corpus . . . . . » 135
§ 749. V. Mortis effectus quoad animam . . . . . » 137

§ 750. VI. Solatia quaedam contra terrores mortis . . . *pag.* 139
§ 751. Usus doctrinae de morte . » 143

ARTICULUS II.

§ 752. De iudicio particulari, et executione sententiae in eo latae » 144
§ 753. I. De iudicii particularis certitudine . . . . . » 145
§ 754. II. De executione sententiae in iudicio particulari latae . » 150
§ 755. *A.* Animae iustae et perfecte purae protinus in coelis excipiuntur . . . . . » 151
§ 756. *B.* Animae impiae statim post iudicium particulare in infernum detruduntur . . » 170
§ 757. Usus doctrinae de iudicio particulari . . . . . » 172

CAPUT II.

§ 758. De statu hominum in altera vita » 174

ARTICULUS I.

§ 759. De inferno . . . . » ibi
§ 760. I. De poenarum inferni existentia . . . . . » ibi
§ 761. II. De poenarum inferni gravitate . . . . . » 183
§ 762. III. De poenarum inferni diversitate . . . . . » 196
§ 763. Usus doctrinae de inferno » 199

ARTICULUS II.

§ 764. De purgatorio . . . . » 201
§ 765. I. Purgatorium vere existit, et iustorum animae in eo detentae fidelium suffragis iuvantur » ibi
§ 766. *A.* Argumenta biblica . » 203
§ 767. *B.* Argumenta ecclesiastica . » 209
§ 768. *C.* Argumenta philosophico-theologica . . . . . » 219
§ 769. II. Quaestiones reliquae theologicae ad purgatorium spectantes . . . . . » 226
§ 770. *A.* De gravitate poenarum purgatorii. . . . . » 227
§ 771. *B.* De diuturnitate poenarum purgatorii . . . . » 235
§ 772. *C.* De loco Purgatorii . . » 238
§ 773. *D.* De suffragiis fidelium vivorum pro defunctis . . » 241
§ 774. *E.* De intercessionibus animarum purgatorii pro benefactoribus suis . . . . » 247
§ 775. Usus doctrinae de purgatorio » 249

ARTICULUS III.

§ 776. De coelo . . . . . » 250
§ 777. I. Animae in coelo sunt immunes ab omni malo . . *pag.* 250
§ 778. II. Animae in coelo fruuntur omni bono . . . . » 253
§ 779. III. Animae in coelo gaudent visione Dei beatifica . . . » 257
§ 780. *A.* De visionis beatificae possibilitate . . . . . » 258
§ 781. *B.* De visionis beatificae existentia . . . . . » 264
§ 782. *C.* De requisitis ad supernaturalem Dei visionem . . » 271
§ 783. *D.* De obiecto visionis beatificae . . . . . » 275
§ 784. *E.* De visionis beatificae coniunctione cum amore et gaudio » 279
§ 785. *F.* De visionis beatificae inaequalitate . . . . . » 281
§ 786. Usus doctrinae de coelo . » 289

CAPUT III.

§ 787. De nexu beatorum cum hominibus viatoribus . . » 292

ARTICULUS I.

§ 788. De cultu Sanctorum . . » ibi
§ 789. I. Vera cultus Sanctorum indoles explicatur . . » ibi
§ 790. II. Religiosi Sanctorum cultus honestas et pietas probatur » 297

ARTICULUS II.

§ 791. De intercessione Sanctorum » 310

ARTICULUS III.

§ 792. De invocatione Sanctorum » 318
§ 793. I. Argumentum biblicum . » ibi
§ 794. II. Argumentum ecclesiasticum » 326

ARTICULUS IV.

§ 795. De hyperdulia B. V. Mariae exhibenda . . . . . » 336
§ 796. I. Maria immaculate, id est, sine labe originali concepta fuit » 338
§ 797. II. Maria gratiae plenitudinem accepit . . . . . » 339
§ 798. III. Maria est Mater Dei . » 343
§ 799. IV. Maria purissima ac perpetua virgo fuit . . . . » 346
§ 800. V. Maria perfectissima vitae sanctitate eminuit . . . » 349
§ 801. VI. Maria cooperatrix redemptionis, et Mater nostra facta est . . . . . » 353
§ 802. VII. Maria ad summam in coelo gloriam assumpta est . » 357
§ 803. VIII. Maria est advocata nostra potentissima et benignissima » 361

§ 804. IX. Cultus B. V. Mariae exhibitus antiquissimus est . *pag.* 365

ARTICULUS V.

§ 805. De cultu sacrarum reliquiarum » 368

ARTICULUS VI.

§ 806. De sacrarum imaginum usu et cultu . . . . . » 386
§ 807. I. Dogma fidei est, sacrarum imaginum usum et cultum pium ac licitum esse . . . » 387
§ 808. *A.* Argumentum ex S. Scriptura depromptum . . . . » 388
§ 809. *B.* Argumentum ex Traditione petitum . . . . . » 392
§ 810. *C.* Argumentum ex rationibus theologicis desumptum . » 408
§ 811. II. Controversia theologica de modo imagines relative colendi . . . . . » 413
§ 812. Appendix de Communione Sanctorum . . . . . » 418
§ 813. Usus doctrinae de nexu Ecclesiae triumphantis et militantis » 420

SECTIO III.

§ 814. De executione decretorum divinorum in fine mundi, seu de consummatione universali . . » 423

CAPUT I.

§ 815. De iis quae iudicium extremum proxime praecedunt . » 427

ARTICULUS I.

§ 816. De personis et signis iudicium extremum praecedentibus » ibi
§ 817. I. De Antichristo . . » ibi
§ 818. II. De Henoch et Elia . » 436
§ 819. III. De signis specialibus appropinquantem mundi finem annunciantibus . . . » 442
§ 820. Usus doctrinae de personis, et signis iudicium extremum praecedentibus . . . » 447

ARTICULUS II.

§ 821. De futura corporum resurrectione . . . . . » 448
§ 822. I. Futurae corporum resurrectionis veritas ex revelatione probatur . . . . » 451
§ 823. *A.* Argumenta ex S. Scriptura veteris Testamenti deprompta » ibi
§ 824. *B.* Argumenta ex S. Scriptura N. T. petita . . . » 458
§ 825. *C.* Argumenta ex Ss. Patribus desumpta . . . . » 461
§ 826. *D.* Argumenta ex aliis monumentis ecclesiasticis hausta . *pag.* 466
§ 827. II. Resurrectionis possibilitas et convenientia ex ratione demonstratur . . . . . » 469
§ 828. III. De dotibus corporum gloriose resurgentium . . . » 478
§ 829. *A.* De impassibilitate . . » 479
§ 830. *B.* De subtilitate . . . » 482
§ 831. *C.* De agilitate . . . . » 484
§ 832. *D.* De claritate . . . » 486
§ 833. IV. Quaestiones theologicae de carnis resurrectione . » 488
§ 834. V. De unitate resurrectionis contra Chiliastas . . . » 495
§ 835. Usus doctrinae de carnis resurrectione . . . » 497

CAPUT II.

§ 836. De iis quae iudicium extremum comitantur . . . » 499

ARTICULUS I.

§ 837. De iudicio extremo, seu universali . . . . . » ibi
§ 838. I. De iudicii extremi veritate » ibi
§ 839. II. De causis iudicii universalis » 507
§ 840. III. De iudicii extremi forma et circumstantiis . . . » 510
§ 841. *A.* De Iudice . . . . » ibi
§ 842. *B.* De iudicandis . . » 514
§ 843. *C.* De inquisitione et manifestatione causae . . . » 516
§ 844. *D.* De sententia proferenda » 519
§ 845. *E.* De reliquis iudicii extremi circumstantiis . . » 527
§ 846. Usus doctrinae de extremo iudicio . . . . . » 529

ARTICULUS II.

§ 847. De consummatione saeculi » 525
§ 848. I. De veritate renovationis, et clarificationis mundi physici » ibi
§ 849. II. De praefatae innovationis modo, tempore et effectibus . » 529
§ 850. Usus doctrinae de consummatione saeculi . . . » 535

CAPUT III.

§ 851. De iis quae iudicium extremum sequentur . . . » 536

ARTICULUS I.

§ 852. De aeternitate poenarum inferni . . . . . » ibi
§ 853. I. Poenae damnatorum aeternae et semper sine ullo fine duraturae sunt . . . » 537

§ 854. *A*. Argumenta ex S. Scriptura desumpta . . . *pag.* 537
§ 855. *B*. Argumenta ex traditione deprompta . . . . » 548
§ 856. *C*. Dogma de aeternitate poenarum rectae rationi minime adversatur . . . . . » 557
§ 857. II. Damnati per poenitentiam ex inferno liberari non possunt » 564
§ 858. III. De aeterna sorte infantium sine baptismo mortuorum » 572
§ 859. Usus doctrinae de aeternitate poenarum . . . . » 576

ARTICULUS II

§ 860. De aeternitate gloriae, et beatitudinis coelestis . . *pag.* 578
§ 861. I. Christus Deus et Homo in coelo in aeternum regnaturus est . . . . . » 579
§ 862. II. Electi ineffabili gloria et beatitudine in aeternum fruentur . . . . . » 581
§ 863. Usus doctrinae de aeternitate praemiorum . . . . » 584

V. ex del D. D. Archiep.
CHIRINGHELLO

208.9
K756
v.5-6
8771
Knoll, A.
Institutiones
theologiae theoreticae

8771
208.9
K756
v.5-6

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709